This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

56.N.1

Digitized by Google

Digitized by Google

5b. N. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS TERTIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Masucci Delin.   Girolamo Frezza scul: Roma con lic de supe

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,

ALIARUMQUE INSIGNIUM

BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO'

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS TERTIUS.



Antonius Gregolini inu. et del. *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXIII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS
Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,
NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO'
MEDIOLANENSES PALATINI SOCII
Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS TERTIUS.



Antonius Gregolini inv. et del. — *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXIII.
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

K. K. HOFBIBLIOTHEK * WIEN *
Digitized by Google

Digitized by Google



Bertoli Pinx. Andreas Zucchi Venet. Sculp.

Digitized by Google


FR. ANTONIO. FOLCHIO.
CARDONIO.
ARCHIEPISCOPO. VALENTINO.

CAROLO. VI.

ROMM. IMP. FOELICISSIMO.
A. PENITIORIBUS. CONSILIIS.
MAXIMI. RERUM. HISPANICARUM. CONSESSUS. PRAESIDI.
PIETATE. DOCTRINA. ET. RERUM. EXPERIENTIA.
CLARISSIMO.
JUSTITIAE. BONARUMQUE. ARTIUM. CULTORI.
QUOD. AUSPICIO. SUO.
RERUM. ITALICARUM. HISTORIAS.
IN. PERPETUAM. SERIEM. DIGESSERINT.
ATQUE. IN. VULGUS. EMISERINT.
PONTIFICIAM. HANC. PONTIFICI. OPTIMO.
AC. PATRONO. BENIFICENTISSIMO.
MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCII.
D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google



EXC.MO, ET REV.MO PRÆSULI

FR. ANTONIO FOLCHIO DE CARDONA

ARCHIEPISCOPO VALENTINO

&c. &c. &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS

S. P. D.

Quod erat Patrono beneficentissimo nostrum officii debitum jamdiu præstandum, tardè nimis, PRÆSUL EXC.ME, *non desidia, seu voluntariæ moræ contumacia, sed intercedente infortunii necessitate, Palatini Socii persolvimus; incendio namque in ipsis Regiis ædibus casu quodam excitato, Typographiæ nostræ locus in tanto periculo fuit, ut vix à superstrepentium flammarum impetu aquâ & ruinâ liberari potuerit: jam-*

que tertius & quartus Tomus collectionis nostræ penè fuerat absolutus XVII. Kal. Januarias anni præteriti, eò scilicet die, quo pars Regiæ Curiæ conflagravit, tantaque librorum, cartarum, & characterum congeries excreverat, quanta par est nostro apparatui: Omne id operarum nostrarum labore acerrimo, unius horæ spatio ab igne servatum, spectantibus nobis miraculo est adhuc; sed in maxima perturbatione ac tumultu, adeo confusa & inversa omnia, ut laborandum ad hanc usque diem fuerit, cùm ordine suo componerentur. Ob eam causam conceptum animo, qualecumque sit, obsequii nostri signum hucusque dilatum est: bene tamen cessit, quòd aliquando tuæ in nos benevolentiæ gratiam testimonio publico referre possimus. Accipe itaque, PRÆSUL EXC.ME *Pontificiam Historiam, quam sociali nomine humiliter offero, jure optimo Tibi dicatam; nam quis umquam sacra decentiùs tractaverit, quàm Pontifex, vel cui magìs accommodum acta Maximorum Pontificum evolvere, quàm Rerum Italicarum Moderatori Summo in aula* CÆSARIS, *ubi publica felicitas enutritur concordiâ potissimum Sacerdotii, & Imperii? Gratum propterea futurum fore munus hoc non immeritò speramus; operis enim illius non exigua pars est, quod auspicio tuo incœpimus, propitioque Te absoluturos esse confidimus. Nec deest muneri pretium, nisi me meus fefellerit amor, utcumque vulgata magna ex parte priùs hæc fuerint:* Anastasius *quippe* Bibliothecarius, *qui omnes alios ea de re Scriptores no-*

stros

ſtros antiquitate temporis, atque auctoritate præivit, libri etiam hujus initium fecit; ſed præterquamquòd ex Ambroſiano vetuſtiſſimo codice MS. variæ lectiones plurimæ editioni huic acceſſerunt, Cardinalem Aragonium, Pandulphum Piſanum, Bernardum Guidonis, *alioſque ſuo quemque loco diſpoſitos habebis, atque longiùs productam ex ineditis hactenus monumentis eximiam argumento, rebuſque geſtis lectionem. Occurrent in ea Pontificum eorum vitæ, qui Franciſcanæ familiæ tuæ nomen dederunt, atque humili patientia paupertatis ad ſupremam honorum amplitudinem elati ſunt. Hinc Tibi veluti domeſticum gaudium, dulciſque recordatio communis vitæ inſtitutionis, quæ fuit ad maximas res gerendas probatiſſimum utrimque tyrocinium. Et ſanè durior nulla exercitatio virtutis haberi potuit ea, quæ Tibi gradum ad Archiepiſcopalem hunc ordinem ſummaſque dignitates paravit: longam namque operam ſeptem annorum curriculo ſtudiis iis dediſti, queis humanarum, & divinarum ſcientiarum arcana cognoſceres; hinc in Ciſnerianum Complutenſe Collegium SS. Petri, & Pauli adlectus grave adeò tui ſpecimen præbuiſti, ut cùm nil aliud diſcendum Tibi ſupereſſe faterentur omnes, ad docendi munus vocatus, ſex integros annos in Abulenſi publica Academia, Theologicas quaſcumque quæſtiones ingenii felicitate retexens, omnium in Te ſtudia, atque ora converteris, maximoque deſiderio Tui, cùm undique celebrareris excitato, Palentinis, & Pintianis do-*

doctrinæ tuæ copiam facere coactus fueris, donec emeritæ militiæ laudes, & coronam accepisti. Sed novus inde labor paratus erat à tuis, qui Tibi Palentinam S. Francisci regendam familiam tradentes, primi dexteritatem prudentiamque tuam experti, dignum Te majoribus curis prædicabant, præsentemque fortunam felicitati publicæ ominabantur. Hinc Tibi universam illam Franciscani Ordinis provinciam domestico vocabulo Conceptionis appellatam commiserunt, & mox amplissimam alteram Cismontanam, Commissarii Generalis, quem dicunt, auctoritate, qua dicto parentes erant severioris instituti Franciscanæ familiæ omnes per amplissima Hispaniarum regna, Lusitaniæ, Orientalium, atque Occidentalium Indiarum, Canarias, & Baleares insulas, Angliam, Hiberniam, cæterasque omnes Galliarum, ac Belgii latissimas regiones. Jamque parem ingenio tuo curam suscepisse videbaris, nihilque ampliùs Franciscani tui sibi optabant, quàm ut in munere perpetuo diu viveres; at populorum omnium utilitati religiosissimæ gentis commodum concedere debebat; quinimmo Tute Tibi, PRÆSUL EXC.ME, *obsequens esse debuisti, cùm ab optimo Rege Carolo II. ad Valentinum Archiepiscopatum reluctans, atque invitus vocareris, neque tunc detrectare ampliùs datum, ut de Barchinonensi, Calaritano, & de Regia Censoriaque in Sardiniæ regnum oblata potestate feceras: regio parendum fuit imperio, ac tertia illa tua recusatione, immo & querelis cùm*

vi

vi abstraheréris à tuis in ipso novæ dignitatis initio electionem probasti, quòd recusares.

Gravem tanto exemplo modestiæ tuæ orationem meam animadverto, si debitas in laudes excurrat, & res optimè gestas ab inita dignitate recenseam, consiliorum gravitatem, & sinceram fidem, quibus animum Clementissimi Regis Tibi devinxisti: Omnium vice sit Sapientissimi CÆSARIS *providentia, quæ Te in partem maximam Reipublicæ administrandæ cooptavit, consiliorumque præstantiam à felicitate nostra cognovit. Aliis ego, immo & publicis acclamationibus hæc laudanda relinquo, ne in tuam incidam offensionem, & ad ea, quæ minus legenti Tibi displiceant, convertor; ad literas nempe, quarum eximium Te cultorem præbes perpetuo in literatos homines favore, ac patrocinio, eorumque frequentia nil de publicorum negotiorum cura detrahis, quòd solatio Tibi sint, quæ aliis oneri, studiorum vigiliæ. Hinc magnus ubique librorum apparatus, itaut insignes quatuor Bibliothecas cùm in Hispania esses tuorum commodo comparaveris, & quintam aliam Vindobonæ copia, & delectu præstantissimam, quæ deliciarum tuarum portus, & à laboribus requies.*

Hæc equidem omnia, uti hominis sunt, ita & præcipuè Tua, PRÆSUL EXC.ME, *quòd si communia cum majoribus tuis, atque ea, quæ de nobilissima* Cardonia *gente narrantur, exposuerim, quod moris est in dedicatione librorum,*

rum,

rum, historia potiùs mihi scribenda esset, quàm epistola; sed in gentilitio tuo stemmate argumentum præposui, quod Regias, splendidissimasque cognationes uno aspectu exhibeat, primo scilicet scuto Cardonium *vetustissimum insigne, Francico item & Aragonio insitum; quòd communes* Cardoniis *cum Regiis familiis plures fuerint nuptiæ; quarum exploratissimæ, quæ inter Joannem Ramonum Folchium II. Cardonæ Comitem, & Joannam Aragoniam, Alphonsi Gandiæ Ducis filiam, & Guadelesti dominam. Eadem de causa Siculorum Regum additum & alterum, ac Navarræ tertium, quod in gentem tuam Blanca intulit Ugoni I. Guadelestensi domino nupta, unde Aragonii rei maritimæ Præfecti, eique gradu quinto nepos numeraris. Quartum Benearniæ; atque hinc originem suam* Cardonii *deducunt. Ligniacense verò Philippus IV. Guadelesti Marchio Avus tuus, cum Anna Ligniacense, uti & Borgicum cum Aloysia Baronis Castri novi filia Joannes Cardonius Abavus tuus susceperunt. Decora hæc gentis tuæ monumenta aptiori loco fusiùs tractanda fortasse occurrent, nec pigebit in Patronum benignissimum hoc officii genus exsolvere. Interim præsens hoc qualecumque munus comitate, qua soles accipe: pro virili autem mea id,* EXCELLENTIÆ TUÆ REVERENDISSIMÆ, *persuasum velim, ita me, universamque familiam, nomini tuo devotam, ut nulla sit sine prece dies, quæ Tibi*

for-

Digitized by Google

fortunas omnes, & incolumitatem, privato nostro, & publico beneficio à superis expetat instantissimè. Vale.

Dabam Mediolani Pridie Nonas Martias anni MDCCXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANASTASII
BIBLIOTHECARII
VITÆ
ROMANORUM PONTIFICUM
A B. PETRO APOSTOLO
AD NICOLAUM I.

Cum antiquissimo Codice, & tribus aliis exemplaribus Bibliothecæ Ambrosianæ nunc primùm collatæ,

ADJECTIS VITIS

HADRIANI II. ET STEPHANI VI.
A GUILIELMO BIBLIOTHECARIO

CONSCRIPTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ANASTASII BIBLIOTHECARII
VITAS ROMANORUM PONTIFICUM.
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MAximum Collectioni nostrae decus adjungere poterit *Anastasius Bibliothecarius*, sive is scripserit Vitas Romanorum Pontificum, sive plerasque ab aliis antea scriptas in unum coëgerit. Nam quum ad Historiam Italicam spectent in primis Romanae Apostolicae Sedis gesta, & ex his Vitis aliquot obscuriora Secula illustrentur, utique opus fuit celebrem Auctorem reliquis Italiae Historicis adjungere. Quis autem fuerit Anastasius, non expectet Lector, ut a me plene edoceatur. Neque enim heic mihi describenda reor, quae nullo negotio quisque accipere potest e Baronio, Bellarmino, Possevino, Vossio, Labbeo, Caveo, Du-Pinio, & aliis, apud quos illustris hujus Scriptoris & gesta, & lucubrationes explicantur. Sed quid dico explicantur? Multa in nocte adhuc jacent, & variis agitantur controversiis, quae ad Anastasii munus & vitam spectant, neque facile ejusmodi litem expedire quisquam possit. Ego brevibus heic innuam, quae mihi in hac re veri videntur similiora.

Fuit ergo Anastasius Vir suo tempore singularis eruditionis, origine Graecus, tum Graece ac Latine doctissimus, & Constantinopoli diu versatus. Ipsum a Nicolao I. Papa potius quam a Gregorio IV. constitutum *Abbatem Monasterii Sanctae Dei Genitricis Mariae Virginis, siti trans Tiberim*, evincere videtur Epistola ad Ursum Subdiaconum S. Romanae Ecclesiae praefixa libello de Miraculis S. Basilii Episcopi Caesariensis, quippe quae Anastasii nomen praefert. Nullus dubito, quin is alius sit ab Anastasio Presbytero Cardinale tituli Beati Marcelli, qui sub Benedicto III. & Hadriano II. propter varia crimina e suo loco dejectus est, ac potissimum anno 868. damnatus. Sub Hadriano II. Papa Anastasius noster praecipue floruit, & Bibliothecarii S. R. E. munere est functus. Johanni VIII. adhuc vivens perquam carus erat, atque ipsius jussu nonnulla e Graeco vertit. Denique post annum 878. atque ante annum 882. ad plures abiit. Varia illius Scripta apud supra laudatos Auctores invenias.

Quod est ad *Vitas Romanorum Pontificum*, quas nunc iterum edimus, disputatum est inter Eruditos, num earum Auctor, an potius Collector fuerit Anastasius; imo visum est neutrum contigisse, exceptis paucissimis Vitis, quae eidem merito tribuuntur. Animus non est mihi in ejusmodi controversiam inquirere, & potissimum quum Clarissimus Vir, multa olim mecum amicitia conjunctus, Johannes Ciampinius singulari & luculenta Dissertatione, cui titulum fecit *Examen Libri Pontificalis*, materiam hanc paene exhauserit. Ac praeterea Lectorum cupiditati me propius satisfacturum puto, si ipsum Ciampinii Opus Romae editum anno 1688. & perquam rarum, heic recudendum curem, ut simul sit justae Praefationis loco, habeantque Lectores conjunctum quidquid ad Vitas pertinet, quae sub Anastasii nomine circumferuntur. Ceterum in Vita *Johannis VIII.* Papae, quam ex MS. Bibliothecae Ambrosianae suo loco inseremus, Anastasius noster dicitur transtulisse e Graeco in Latinum *Hierarchiam Dionysii Areopagitae*, *Passionem S. Petri Alexandrini Archiepiscopi*, *Passionem S. Agathii, Sociorumque ejus*, & *Vitam S. Johannis Eleemosynarii*: quae nescio an quisquam animadverterit ex iis, qui Catalogum Operum Anastasii hucusque contexuere. *Vitae* autem *Romanorum Pontificum*, de quibus nunc agimus, jam prodiere in variis Conciliorum Collectionibus, simul etiam Moguntiae anno 1602. & denique Parisiis ex Typographia Regia anno 1649. cura Caroli Antonii Fabroti V. Cl., qui & Lectiones varias e MStis Codicibus excerptas addidit. Atque utinam adjungere pari fortuna potuissem Notas *Petri Boërii* Episcopi Urbevetani, qui circiter annum Christi 1380. Pontificalem Historiam, ab Anastasio, aliisque subsequutis Auctoribus conscriptam, illustrare conatus est, & quidem sat feliciter pro modulo suorum temporum. MStas olim eas vidi, sed prae temporis inopia paucula tantum describere potui, de quibus in Praefatione

Digitized by Google

fatione sequenti aliquid dicam. Noverint denique Lectores, novam Anastasii editionem Romae proxime praeteritis annis susceptam fuisse, jamque Tomum Primum prodiisse e typis Salvioni, elegantissimis sane formis impressum, una cum Praefatione Clarissimi Viri Francisci Blanchini. Alterum Tomum Eruditi adhuc expectant.

Quod restat, refricare heic cogor argumentum stuporis simul ac indignationis, cui simile non tam facile reperias. Nempe emersit non ita pridem, idque Romae in amplissimo tot Doctorum hominum conspectu, in Sacratissima Catholicae Religionis Metropoli, qui Venerabili Viro Josepho Mariae Thomasio paucos ante annos S. R. E. Cardinali dicam grandem impegit, quasi is totum susque deque verterit veritatis regnum, & praesentissimo periculo exposuerit Romanam Catholicam Ecclesiam, quod obiter dubitavit, num Anastasio Bibliothecario tribuendae sint Vitae Romanorum Pontificum, quae nunc etiam sub ejus nomine prodeunt. Explosa est peculiari Opusculo Italice scripto, & Panormi hoc eodem anno 1723. typis edito, tum haec plane ridenda calumnia, tum reliquae, quibus religioni non habuit Accusator famam impetere hominis ob egregiam sanctitatem morum, aeque ac propter singularem eruditionem, modestiam, ceterasque animi & ingenii virtutes aevo nostro revera Eminentissimi. Atque haec sane, ut novi, cordatis omnibus stomachum moverunt: & quid aliud, amabo, praestare possint? Moverunt & mihi mirum in modum. Ignominiam quippe nostrorum temporum duco & nasci & ferri inter nos literarum cultores, qui talia audeant vel in ipsa splendidissima sacri Cardinalium Collegii, & universae Catholicae Ecclesiae lumina. Profecto ne hilum quidem Apostolicae Sedi obsit, si vel integer ille Liber, alioqui vetustissimus, magnique faciendus, Anastasio abjudicetur; abjudicarunt autem in ipsa etiam Urbe praestantissimi Viri, Venerabili Thomasio praeeuntes, aut ipsum sequuti. Sed intelligat tamdem, si potis est, Censor ille veritatis amorem ac studium constituere, & constituere debere unam ex praeclarioribus Ecclesiae Orthodoxae, Sedisque Apostolicae praerogativis. Assentatores illa non amat; falsa ac ficta omnia abhorret; ac potissimum execratur, qui ex livore, facilique ingenii sui prurigine crimina innocentibus creant, & veritatem e Catholicorum castris eliminatam incautissime volunt. Sed haec satis superque.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI MONITUM.

Cum in hanc nostram collectionem inferendæ forent Romm. Pontiff. Vitæ Anastasii Bibliothecarii *nomen præseferentes, anceps diu consilium fuit quid potissimùm ageremus. Recens enim sub oculis erat præstantissima editio Romæ adornata à Clarissimo Viro* Francisco Blanchino *Veronensi, quæ post Regiam Parisiensem summo labore ac sumptu parata cæterorum curam exhausisse videbatur; hanc autem, sicuti omittere, vitio aut invidiæ verti nobis poterat, ita recudere absque ullo additamento nihil aliud fore putabamus, quàm actum agere, & recoctam, ut ajunt, crambem apponere. Attamen in hac animi fluctuatione præstò fuit Clar. Vir* Joseph Antonius Saxius *noster, qui excussis instructissimæ Bibliothecæ suæ Ambrosianæ codicibus, quatuor protulit exemplaria, quorum ope in publicam lucem prodirent hujusmodi Vitæ variis Lectionibus nunquam hactenus editis ita illustratæ, ut nova prorsus editio, ac nostra omnino dici posset; quocirca etiam congruum duximus reliquas omnes cum Romanæ, tum Parisiensis editionis variantes Lectiones intactas relinquere. Præcipuè cùm inter hæc exemplaria unum repertum sit antiquitate summa venerabile, utpote cum eo procul dubio conferendum, quod* Philippus Labbeus *in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis in* Damaso *testatur se vidisse tempore Imperatoris Caroli Magni exaratum, & cum altero, quod* Petrus Lambecius *Libro II. Cæsareæ Bibliothecæ cap.* 8. *ad cod.* 277. *ex Ambrasiana Bibliotheca describit, asseritque tum ex scriptura, tum ex aliis circumstantiis ad Imp. Ludovici Pii tempora pertinere. Character siquidem vetustissimus, cujus specimen hìc damus, sæcula illa certissimè attingit, nec ultra Vitam Stephani II. seu, ut alii volunt III. producitur, non secus ac supramemorati codices Labbei & Lambecii: proinde verosimile est unum ex altero transcriptum esse, parvo tamen inter eos temporis intervallo; quis verò eorum ætate præcedat definire nolumus, cùm à nobis duo illi suprarelati codices inspecti non fuerint. Hoc unum certè noster codex confirmat, non omnium Vitarum Auctorem esse Anastasium, ut* Schelestratius, Ciampinius, *aliique contendunt; quippe cùm ipse etiam illius ætatem superet. Monendum Te quoque putamus, in fronte hujus nostri codicis, qui priùs erat antiquissimi Monasterii Sancti Columbani de Bobio, & Monachorum liberali dono unà cum aliis optimæ notæ membranaceis libris in Bibliothecam Ambrosianam translatus est, reperiri eodem prorsus charactere descriptas epistolas B. Hieronymi ad Damasum, & Damasi ad Hieronymum, de quarum auctoritate inter supradictos Schelestratium, & Ciampinium acerrimè disputatur; atque hac potissimùm de causa integras eorundem Dissertationes editioni nostræ præponere necessarium censuimus. Insuper silentio minimè prætereundum, Ambrosianum hunc nostrum codicem in prima pagella (quæ olim charactere romano secundæ ætatis scripta erat, ut docent ejusdem vestigia nunc fermè obliterata) antiquâ satis scripturâ sic notatum reperiri.* In hoc volumine infrascripta continentur videlicet. Damasi Papæ acta Summ. Pontiff. videlicet à B. Petro usque ad prædictum Damasum. Num. XCV. *ex quo dilucidè eruitur, constantem à remotis temporibus traditionem de Damaso Auctore Vitarum, usque ad ætatem Scriptoris perdurasse, illiusque nomine reliquas etiam subsequentium Pontiff. Vitas fuisse inscriptas antequam Anastasii nomen iisdem substitueretur. Sequitur in nostro codice Catalogus Pontiff., quorum Vitæ referuntur. Postremus eorum numero XCV. notatur his verbis:* Paulus sedit annis X. mensibus II. diebus V., *ejus tamen Vita minimè legitur. Quocirca judicamus ab Amanuense, qui tunc temporis vivebat, additum esse hujus Pontificis nomen, atque ideò etiam in fronte signatum fuisse numerum XCV. cùm alioquin solùm XCIV. Vitæ in codice contineantur; neque temerè hac freti conjectura diceremus, Ambrosianum codicem cæteris antiquiorem: ut autem faciliùs in Ambrosiana Bibliotheca illum inspicere cupientibus pateat, locum signamus inter MSS. notatum lit. M. num.* 77. *in* 4. *Præter hunc descriptum codicem alia duo exemplaria in usum fuere, quæ licèt antiquitate non ita præstent, utpote scripta Sæculo circiter XV., attamen ad varias Lectiones adornandas plurimùm profuere; eadem verò licèt pari ordine procedant usque ad Martinum V. nihilominus ex diverso archetypo excripta fuisse, docet diversa in pluribus rerum narratio. Postremum exemplar recentioris scripturæ, idem prorsus est, ac illud quod supralaudatus Blanchinus adhibuit ad illustrandam editionem suam; sed nostrum peculiari Eminentiss. Card.* Federici Borromæi *Bibliothecæ Ambrosianæ Institutoris diligentiâ curatum est, ut describeretur à Cavensi per* Franciscum Peniam *transcripto. Ne autem ex multiplici codicum recensione oriretur confusio, suas cuique notas præposuimus, videlicet MS. Antiquissimo literam A. duobus aliis B. & C. postremo lit. D. assignavimus.*

In textu sequutos nos Blanchini editionem profitemur, illiusque etiam eruditam Præfationem dedimus, ne aliquid Tibi desiderandum relinqueremus: si quandoque verò in lectione ambigua hæsitare contigit, Parisiensem quoque consuluimus. Quantâ autem diligentiâ, & labore usque ad tædium res acta sit, ii tantummodo qui in hujusmodi opus perficiendum pertinaciter incubuere, satis explicaverint, nempe laudatus nuper Saxius, *necnon* Blancus, *atque* Argelatus. *Si quæ menda occurrerint, quæ fugisse oculos, ac sedulitatem nostram potuere, peritiâ tuâ emendes precamur.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS
TOMI TERTII.

ANA-

Digitized by Google

Digitized by Google

EMMANUELIS A SCHELESTRATE S. T. D.

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI, &c.

DE ANTIQUIS ROM. PONTIFICUM CATALOGIS.

Ex quibus Liber Pontificalis concinnatus fuit, & de Libri Pontificalis auctore, ac præstantia.

DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

De antiquis Patribus, & Scriptoribus, qui successionem Romanorum Pontificum suis operibus, aut Chronicis inseruerunt.

1. Inter antiquos Patres, & Scriptores, qui Romanorum Pontificum Catalogum texuerunt, sunt antiquissimi D. Irenæus, qui sub Eleutherio Romam venit; D. Optatus Milevitanus, qui in Siricio; ac D. Augustinus, qui in Anastasio finiunt.

2. Hos subsequutus est Victor Tununensis, de quo Isidori Hispalensis testimonium adfertur. Editum est Chronicon Victoris à Scaligero, & ultima ejus verba, in quæ error Chronologicus irrepsit, corriguntur.

3. Aliam Pontificum seriem Eusebius Chronico suo, & historiæ inseruit. Chronicon à D. Hieronymo latinè factum variis locis auctum est, ac suppletum, de cujus præstantia Marcellini testimonium adducitur. De historia per Rufinum latinè facta, & suppleta pauca notantur.

4. Chronico Eusebiano alia manu inserti sunt anni Christi, ac in nonnullis locis correctione indiget.

5. Desiderantur Græca exemplaria hujus Chronici; extant tamen Latinæ versiones Hieronymi, qui supplementum adjecit, non quidem in juvenili ætate, ut nonnulli putant, sed anno ætatis 47. ut ex anno, quo Hieronymus obiit, deducitur.

6. Sequitur Chronicon Sancti Prosperi, quod integrum edidit Philippus Labbeus, qui Victoris Aquitani, & Gennadii Massiliensis testimonia de illo adducit. Adnectuntur huic Chronico Consules ab Incarnatione Christi, usque ad Consulatum Valentiniani VIII. & Anthemii, retinet tamen Chronici Eusebiani errores, & nonnullos alios circa Consules adjecit.

7. Prosperum subsecutus est Marcellinus Comes, cujus Chronici mentionem facit Cassiodorus, asseritque, illud perduxisse usque ad Justiniani Imperatoris tempora, quod item ejusdem Marcellini testimonio comprobatur.

PLures quidem nostrâ, & parentum nostrorum memoriâ Romanorum Pontificum vitas conscripserunt: sed ex antiquioribus pauci reperiuntur, qui in hac parte historica operam, industriamque suam collocarunt. Sunt tamen nonnulli, qui in operibus, & Chronicis suis aut successionem Pontificum, aut annos & menses Pontificatuum assignarunt, quorum cùm hic Catalogos referre debeamus, placuit in primis de auctoribus ipsis nonnulla præmittere, & quandonam, & qua exactitudine singuli scripserunt, breviter investigare. Ac primò quidem agendum est de Sanctis Patribus, illisque auctoribus, qui Romanorum Pontificum successionem annotarunt. Horum antiquissimus est D. Irenæus Lugdunensis in Gallia Episcopus, qui lib. 3. cap. 3. Romanorum Pontificum Catalogum texuit, his verbis illi finem imponens: *Nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius*. Vixit Eleutherius ante medium secundi sæculi, quo omnibus de successione Romanorum Pontificum in Urbe constare debebat: nondum enim à morte Petri octoginta quinque anni effluxerant. Cum itaque Irenæus sub Eleutherii Pontificatu Romæ fuerit, & Romanorum Pontificum Catalogum texuerit; ejus hac de re testimonium non contemnendum, sed ut præstantissimum antiquitatis monimentum magni faciendum videtur. Irenæo autem subjungimus duos Africanorum Patrum Catalogos, quorum alterum S. Optatus Milevitanus Episcopus sub Siricio, alterum D. Augustinus sub Anastasio Siricii successore ediderunt. Patres verò illi D. Irenæi sententiam secuti Cletum omittunt, & solum Anacletum agnoscunt, ut latiùs infra ex eorum Catalogis constabit.

2. Porrò cùm superiorum Patrum Catalogi solùm ad Anastasii Pontificatum pertingant, nosque seriem chronologicam usque ad Joannem III. qui Justiniano superstes fuit, prosequi debeamus; horum Patrum Catalogum supplebimus ex Chronico Victoris, qui Tununensis in Africa Episcopus fuit, & teste Isidoro lib. 1. Ori-

Originum, capite ultimo, *gesta sequentium ætatum usque ad Consulatum Justini Junioris Imperatoris explevit*. Habet quoquè Isidorus libro de Viris illustribus, cap. 38. de eodem Victore Tununensi, eum cœpisse suam historiam à mundi principio; ita enim ibidem refert: *Victor Tununensis Ecclesiæ Africanæ Episcopus. Hic à principio mundi usque ad primum Justini Junioris Imperium, brevem per Consules annuos bellicarum, Ecclesiasticarumque rerum nobilissimam promulgavit historiam, laude, & notatione illustrem, ac memoria dignissimam. Hic pro defensione trium Capitulorum à Justiniano Augusto exilio in Ægyptum transportatur. Inde rursus Constantinopolim vocatus, dum Justiniano Imperatori, & Eutychio Constantinopolitanæ Urbis Episcopo obtrectatoribus eorundem trium Capitulorum resisteret, rursus in monasterio ejusdem Civitatis custodiendus mittitur, atque in eadem damnatione, ut di unt, permanens moritur*. Præclarum est hoc Isidori de Victore Tununensi testimonium, ex quo non solùm constat de Chronico, sed etiam de persona, & actis Victoris, qui trium Capitulorum defensor existens nonnulla pro partium studio historiæ suæ inseruisse creditur. Edidit Chronicon ipsius in Thesauro temporum Josephus Scaliger, apud quem his verbis incipit: *Anno decimo octavo, Consulatu Theodosii Junioris Victor Episcopus Tununensis Ecclesiæ Africæ historiam prosequitur, ubi Prosper reliquit*. Quæ verba non sunt Victoris Tununensis, sed alterius scriptoris, qui Eusebii, Hieronymi, Prosperi, & Victoris Chronica in unum opus collegit, & quæ antiquioris scriptoris Chronico deerant, ex posterioris historia, aut Chronico adjunxit. Finit verò Chronicon suum his verbis: *Colliguntur omnes anni ab Adamo primo homine usque ad nativitatem Domini nostri JESU Christi secundum carnem, quæ facta est VMCXCIX. à nativitate verò Domini nostri JESU Christi, quæ facta est XLIII. Augusti Octaviani Cæsaris Imperii anno, usque in annum Justini primum Principis Rom. qui Justiniano in Imperio successit, anni DXXVII. Fiunt simul ab Adam usque in annum primum memorati Principis Romanorum, anni VMDCCXXVI*. In quibus verbis certum est, errorem deprehendi circa annos, qui à nativitate Christi usque ad Principatum Justini intercessisse dicuntur: ab anno enim 43. Augusti Imperatoris, quo Christi nativitas à Victore ponitur, usque ad primum annum Justini quingenti saxaginta septem anni intercesserunt, non autem anni dumtaxat quingenti viginti septem, ut habetur in verbis suprà citatis. Hunc autem errorem vitio tabellariorum irrepsisse putarem, numero L. in X. mutato. Quamvis enim ultimus annorum numerus ab Adam usque in primum Justini annum apud Victorem adjunctus, supradictum errorem Victori tribui debere innuat; id tamen non magnoperè curandum videtur, cum primo numero semel corrupto, posterior à tabellariis ad priorem accommodatus videatur. Quòd autem vitio tabellariorum, non verò Victoris Tununensis hic error in Chronicon irrepserit, ex ultimis duobus numeris XVII. & XVI. manifestum fit. Hi enim numeri omninò respondent veræ Chronotaxi, quæ ab anno 43. Augusti, usque ad annum primum Justini annos DLXVII. computat; & si anno mundi VMCXCIX. quo Christus secundum Victorem natus est, quingenti sexaginta septem anni adjungantur, habebitur annus mundi VMDCCLXVI. qui debet esse primus Justini juxta computum Victoris. Atque hæc quidem de errore, qui irrepsit in Chronicon Victoris, quod desinit primo anno Justini, quo etiam finis impositus est Fastis Consularibus, ac Justinianus Imperator mortalitatem explevit; unde & eodem anno nos quoquè finem rebus chronologicis ad antiquitatem spectantibus imponemus.

3. Priori Chronotaxi à Petro usque ad Pelagium I. deductæ adjicimus secundam, quam Eusebius Cæsareensis in Palæstina Episcopus Græco sermone conscripsit, & D. Hieronymus, aliique prosecuti sunt. Ac primum quidem locum, ut jam indicavi, inter illos obtinet Eusebius, qui natus est tertio Christi sæculo, quo nondùm perierant complura Apostolicorum Virorum scripta, ex quibus de primis Pontificibus, eorumque Actis præclarè constabat. Ex iis ab Eusebio Chronicorum Canonum omnimodam historiam scriptam fuisse, testis est D. Hieronymus, qui libro de Scriptoribus Ecclesiasticis fatetur eam à se, & latinitate donatam, & variis in locis auctam fuisse: *Sciendum enim est*, inquit in præfatione ad Chronicon Eusebii, *me & interpretis, & scriptoris ex parte officio usum: quia & Græca fidelissimè expressi, & nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana maximè historia, quam Eusebius, hujus conditor libri non tam ignorasse, utpotè eruditissimus, quàm ut græcè scribens parum suis necessariam perstrinxisse mihi videtur. Itaque à Nino, & Abraham usque ad Trojæ captivitatem pura Græca translatio est. A Troja usque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quæ de Tranquillo, & cæteris illustribus Historicis curiosissimè excerpsimus*. Vocat hoc opus planè mirandum Marcellinus Comes, aitquè, non solùm Eusebium, sed & D. Hieronymum auctorem ejus statui debere. Qua de re audienda sunt ejus verba: *Post mirandum opus, quod à mundi fabrica usque in Constantinum Principem Eusebius Cæsareensis hujus sæculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque penè provinciarum monumenta commemorans græco edidit stylo, nosterque Hieronymus transtulit in Latinum, & usque in Valentem Cæsarem Romano adjecit eloquio. Igitur uterque hujus Operis auctor*. Atque hæc quidem de præstantia Chronici Eusebiani, de qua plura alia addemus, postquam nonnulla notaverimus de Eusebii Historia, cui series quoquè Pontificum inserta reperitur. Extat in Archivo Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe M.S. Codex antiquus, qui hunc titulum habet: *In Christi nomine incipit Historia Ecclesiastica, quam S. Hieronymus de Chronico Eusebii Cæsariensis Palestinæ de Græco transtulit in Latinum ad Chromatium Episcopum*. Verùm, ut quidam hujus libri possessor in margine notavit, versio non est D. Hieronymi, sed Rufini Aquilejensis presbyteri, qui eam jussu Chromatii Aquilejensis Episcopi fecit, ut ex præfatione patet, & eandem historiam prosecutus est, ut post librum 9. in quo Eusebius desinit, in codice M. S. additur: *Hucusque Eusebius rerum in Ecclesia gestarum memoriam tradidit. Cætera verò, quæ usque ad præsens tempus per ordinem subsequutura sunt, quæ vel in majorum literis reperimus, vel nostra memoria adscivit, Patris religiosi præceptis & in hoc parentes, qua poterimus brevitate, addemus*. Hæc Rufinus, qui duos libros adjecit, & usque ad Theodosii senioris obitum historiam Ecclesiasticam perduxit. Atque hæc de historia Eusebii: redeamus jam ad ejus Chronicon.

4. Extant Eusebiani Chronici editiones quampluri-

Digitized by Google


plurimæ, in quibus annotantur anni Christi, quos certum est, nec ab Eusebio positos, nec à D. Hieronymo additos, quandoquidem hic modus numerandi auctore Dionysio Exiguo primùm introductus sit post sæculum quintum, tempore Justiniani Imperatoris: unde & in manuscripto codice Amandino nusquam anni Christi notantur. Exhibentur tamen in M.SS. codicibus anni Imperatorum, quibus adeò certum est acta annotata fuisse ab antiquis, ut ipse Eusebius in historia Ecclesiastica passim per annos Imperatorum assignet Romanorum Pontificum tempora, & illustriora sub ipsis in Ecclesia gesta. Hinc & Eusebii Chronicon per annos Imperatorum exhibituri, certam juxta sententiam Eusebii Romanorum Pontificum epocham figeremus, si certum, & fidele Eusebiani Chronici exemplar nancisci potuissemus. Verùm cum manuscripta, quæ Romæ vidimus, recentiora sint, & antiquiora alibi servata etiam varient in notandis Imperatorum annis, idemque observet Aubertus Miræus de M.SS. Codicibus Aquicintinis, Ortelianis, & Lipsianis: quin etiam cùm editio Arnaldi Pontaci Vazatensis Episcopi ex pluribus M.SS. exemplaribus elucubrata, à Scaligeri editione plurimùm differat; patet profectò, vacillare codicum, & editionum authoritatem, nihilque certi ex iis haberi posse. Docet id editio ipsius Miræi, quæ habet, regnante Ælio Pertinace Victorem suscepisse Episcopatum, ubi ipse Eusebius libro 5. historiæ, capite 20. tradit, Eleutherium obiisse decimo anno Commodi Imperatoris, tribus annis antequàm Ælius Pertinax ad Imperium pervenit, & tunc quoquè Eleutherio successisse Victorem. Habet plura similia Chronicon Eusebii, quæ pugnant cum iis, quæ traduntur in ipsius historia; quin etiam alia, quæ correctione indigent, ut ea, quæ refert de Marcellino, & Marcello, quorum temporibus floruit, quos tamen pro uno eodemque Pontifice insigni errore habuit. Finit subindè Pontificatum Melchiadis anno 3. Constantini, cum constet anno 7. aut 8. Constantini sub Melchiade celebratum fuisse Romanum in causa Donati Concilium. Ponit denique Nicænum Concilium ad annum 15. Imperatoris Constantini, quod 20. ejus Imperii anno celebratum fuisse, non solùm patet ex aliis, sed ex ipso quoquè Eusebio lib. 3. de vita Constantini, cap. 14. Adeò ut ex his omnibus appareat, Chronicon Eusebii valdè corruptum ad manus nostras pervenisse, neque ab ipso quidem Hieronymo, qui plura de suo addidit, fuisse plenè ab erroribus purgatum, aut veritati suæ ubique restitutum.

5. Enimverò quæ modo extant in Bibliothecis manuscripta Chronica Eusebii, ferè omnia Latina sunt ex versione D. Hieronymi, qui illud ab anno vigesimo Constantini, in quo Eusebii Chronicon definit, usque ad Consulatum Valentis VI. & Valentiniani II. Augustorum prosecutus est. Sunt, qui putant, D. Hieronymum Eusebiani Chronici supplementum scripsisse in juvenili ætate, adeòque illud tantæ auctoritatis censendum non esse. Opinionem suam confirmare possunt iis rationibus, quibus Baronius ad annum 420. permotus Hieronymum 78. ætatis anno obiisse tradidit. Cum enim constet inter omnes, D. Hieronymum circa annum 420. obiisse, & ipse Hieronymus Chronico suo finem imposuerit anno Valentis 14. qui cum anno 377. concurrit, consequeretur omninò, Hieronymum circa annum 35. ætatis Chronicon absolvisse. Verùm præterquàm quòd trigesimus quintus annus vitæ dici non possit juvenilis ætatis, notant alii, haud adeò certum esse, quod Baronius probandum suscepit, Hieronymum scilicet 78. ætatis anno obiisse. Quinimò id rejicit communis recentiorum sententia ob tres potissimùm rationes, quarum prima ex verbis ipsius Hieronymi desumitur, utpotè ex quibus habemus, Hieronymum non semel se senem, Augustinum verò juniorem vocasse. Cum enim constet, S. Augustinum anno 430. vulgaris æræ, ætatis verò suæ septuagesimo sexto Hipponæ in Africa obiisse, si D. Hieronymus anno 420. & ætatis suæ septuagesimo octavo mortalitatem explevisset, tantùm duodecim annis natu major Augustino fuisset Hieronymus, ob quorum annorum differentiam idem Hieronymus numquam se senem, Augustinum verò juvenem dixisset. Secunda ratio desumitur ex testimonio S. Prosperi D. Augustini discipuli, qui in Chronico suo annotat tempus nativitatis & obitus D. Hieronymi. Ita enim habet juxta codicem Lodonensem apud Pontacum: *Basso & Ablavio Consulibus, Hieronymus nascitur*. Et in omnibus manuscriptis, & editis: *Hieronymus presbyter moritur anno ætatis 91. pridie Kal. Octobris Theodosio 9. & Constantio 3. Consulibus*. Theodosius, & Constantius prædictum Consulatum gesserunt anno 420. Bassus verò & Ablavius anno 331. Ab anno autem 331. usque ad annum 420. plusquàm 78. anni reperiuntur, cum 90. anni intercedant: adeò ut S. Prosper veritati proximè accesserit, dum Hieronymum anno ætatis 91. obiisse tradidit. Et hisce planè conveniunt, quæ apud Marcellinum Comitem leguntur, *Hieronymum admodùm senem vitæ suæ finem fecisse*: & quæ apud S. Augustinum lib. 1. contra Julianum, cap. 7. *usque ad decrepitam ætatem pervenisse*. Hæc enim cùm de homine 78. annorum vix dici possint, & viro 90. annorum meliùs conveniant; sequeretur omninò D. Hieronymum eo tempore, quo Chronicon absolvit, annum ætatis 47. egisse. Unde illud numquam pro juvenilis ætatis opere habuerunt antiqui, sed ut eximium Hieronymi opus in pretio habuerunt. Cùm Idatius in præfatione sui Chronici, nonnulla dixisset de Chronico Eusebii: *Post hunc*, inquit, *successor syngrapheus perfectus universis factorum, dictorumque monimentis Hieronymus presbyter idem Eusebius cognomento, de græco in latinum scripturæ hujus interpres à 20. anno supradicti Imperatoris in 14. Valentis Augusti annum subditam texit historiam*. Ita Idatius Provinciæ Gallæciæ Episcopus, qui se in juvenili ætate Hieronymum in partibus Orientis vidisse testatur. Notandum autem est verbum illud *perfectus*, siquidem illo utitur, ut significet, Chronicon D. Hieronymi maximi faciendum esse ob operis perfectionem, adeòque contemni non debere tamquam imperfectum, aut inconsideratè editum.

6. Sequitur Chronicon Prosperi fidelissimi quondam magni Augustini discipuli, cujus supplementum post Chronicon Eusebii, & D. Hieronymi, sæpiùs typis prodiit. Undè plerique credebant, S. Prosperum nihil amplius quam Eusebiani, & Hieronymiani Chronici supplementum conscripsisse. In quo eos graviter errasse, notat Labbeus Tomo 1. Novæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum in syllabo scriptorum his verbis: *Deceptos fuisse quamplurimos etiam eruditissimos, qui Prosperum arbitrati sunt Hieronymo dumtaxat Chronico appendicem attexuisse. Certum quippè est, multisque veterum testimoniis comprobatum, ab initio rerum ad sua usque* tem-

tempora uno veluti filo, *ac tenore chronicam epitomen perduxisse*. *Testatur id Victor Aquitanus in præfatione Canonis Paschalis ad Hilarum Urbis Romæ Archidiaconum posteà Papam* : *cujus Eusebii tenorem vir venerabilis Prosper secutus iisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit*, *ut eorum initium à mundi inchoaretur exordio*. Addit testimonium Gennadii in Catalogo de viris illustribus : *Prosper homo Aquitanicæ regionis sermone scholasticus*, *&* *assertionibus nervosus*, *multa composuisse dicitur*. *Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi*, *continentia à primi hominis conditione juxta divinarum Scripturarum fidem usque ad obitum Valentiniani Augusti*, *&* *captivitatem Urbis Romæ à Genserico* Wandalorum *Rege factam*. Edidit hoc S. Prosperi Chronicon Philippus Labbeus Tomo superiùs citato Parisiis anno 1657. & ex illo videre licet, S. Prosperum juxta Eusebii, & Hieronymi fidem sua chronica iisdem plerumque verbis exhibuisse, præterquamquòd Consules addiderit à morte Christi ad sua usque tempora : *Consules*, inquit, *à manifestatione Domini*, *idest à Rufino Gemino*, *&* *Rubellio Gemino Consulibus*, *inchoamus*. Et in Chronico: *Incipit adnotatio Consulum cum historia*, *Rufino Gemino & Rubellio Gemino Coss*. Et finit : *Valentiniano VIII*. *&* *Anthemio*. Habet & S. Prosper in hoc Chronico errores Eusebii circa Cletum & Anacletum, ac Marcellinum, & Marcellum, ex quibus duos tantum Pontifices conflat. Facta quoque Ecclesiastica certis Consulibus perperàm quandoque apposita retinuit, uti & lacunam manifestam post Soteris Episcopatum Aproniano, & Paulo Consulibus adscriptam, deest enim Eleutherii Pontificatus, non quidem vitio auctoris omissus, sed temporis injuria corrosus, ut insinuat ordo Romanorum Pontificum, quorum undecimus ibi scriptus est Soter, Victor autem decimus tertius, nulla mentione duodecimi Pontificis facta. Atque hæc de Prosperi Chronico, ex quo integrum Romanorum Pontificum Catalogum exhibuimus in prima antiquitatis editione : hìc verò, ne antiquorum scriptorum Chronotaxes multiplicemus, supplementum dumtaxat Pontificum tradituri sumus.

7. Prosperum prosecuti sunt alii scriptores, qui historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora deduxerunt. Inter hos præcipuum locum obtinet Marcellinus Comes Illyricianus, de quo Cassiodorus senator libro divinarum lectionum, cap. 17. scribit: *Hieronymum subsecutus est Marcellinus Illyricianus*, *qui adhuc Patricii Justiniani fertur egisse cancellos*, *sed meliore dictione devotus à tempore Theodosii Principis usque ad fores Imperii Triumphalis Augusti Justiniani*, *opus suum Domino juvante perduxit*. Audiendus est de suo Chronico ipse Marcellinus, qui in præfatione, postquàm Eusebiani, & Hieronymi Chronici mentionem fecisset, de supplemento illi à se adjecto sic habet : *Ego verò simplici dumtaxat computatione Orientale tanquam secutus Imperium*, *Indictiones*, *perque Consules infrascriptos*, *centum & quinquaginta annos*, *à septima videlicet Indictione*, *& à Consulatu Ausonii*, *&* *Olybrii*, (*quibus etiam Consulibus Theodosius Magnus creatus est Imperator*) *enumerans*, *&* *usque in Consulatum*, *Magni*, *Indictionis XI*. *colligens*, *eorundem auctorum Operi subrogavi*, *itemque alios 17*. *annos à Consulatu Justini Augusti primo*, *usque in Consulatum Justiniani Augusti IV*. *suffeci*, *hi sunt simul anni* 156. Hactenus Marcellinus, qui Chronico suo omnes Pontifices Romanos, qui 156. annorum spatio sederunt, inseruit, & satis accuratè Pontificatus illorum annos adnotavit.



CA-

CAPUT SECUNDUM.

De antiquissimo Catalogo, qui in Liberio Papa desinit.

1. *Antiquissimus Romanorum Pontificum Catalogus tempore Liberii Papæ exaratus, Cuspiniano quondam notus, sed Onuphrio Panvinio incognitus, tandem typis descriptus est à Bucherio, ac servatur manuscriptus in Codice Bibliothecæ Cæsareæ.*

2. *Codex Bibliothecæ Cæsareæ non continet autographum sed apographum recentius à 300. annis scriptum.*

3. *Ex prædicto Codice variantes lectiones obtinui, quæ cum editione Bucherii conveniunt non cum editione Henschenii, quæ differentia tamen non obest antiquitati Operis, sed eam potius commendat.*

4. *Henschenii sententia, quòd prior Catalogi pars usque ad Urbanum ab Anthero Papa conscripta sit, secunda pars usque ad Liberium adjecta fuerit à Sancto Damaso.*

5. *Papebrochius de primæ partis auctore cum Henschenio convenit, secundæ partis quatuor auctores posuit.*

6. *Ostenditur, quòd Antherus Papa non sit auctor prioris partis Catalogi.*

7. *Comprobatur ex duobus erroribus in hoc Catalogo circa ordinem succedentium sibi Pontificum commissis: ponit enim Clementem ante Cletum, & Pium post Anicetum, cùm constet Clementem Cleto, & Anicetum Pio successisse.*

8. *De secundæ partis auctoribus ostenditur, nequaquam ab auctore tertii sæculi Pontifices additos fuisse usque ad Felicis Pontificatum, idque probatur ex erroribus Chronologicis, ad quos evitandos non juvat recurrere ad Vicariatum, ut constat ex tempore, quo Stephanus Pontificatum tenuit.*

9. *Monstratur quoquè, sequentes post Felicem Pontifices non esse à tribus auctoribus diversis adjunctos, sed ab uno, eodemque auctore.*

10. *Quòd tamen his non obstantibus auctor hujus Catalogi antiquissimus sit, & circa Liberii Pontificatum vixerit, variis rationibus comprobatur.*

11. *Idem admiserunt non solùm Catholici, sed etiam Hæretici, excepto Dodvvello, cujus sententia exploditur.*

1. ANtiquissimus Romanorum Pontificum Catalogus, qui hodiè superest, ille quidem videtur, qui usque ad Liberii Pontificatum pervenit, ex quo Cuspinianus Consules desumpsit, quos Commentario suo in Aurelii Cassiodori Fastos inseruit, ut ad finem hujus capitis ex ipso commentario demonstrabimus. Eundem Catalogum habuit in antiquis membranis Nicolaus Fabricius Peirescì Dominus & Senator Aquensis, uti testatur Antonius Cappellus de Cœna, & Passione Christi, cap. 5. & si Henschenio credamus, hunc eundem Catalogum habuit Onuphrius Panvinius, qui Commentario in librum 2. Fastorum incipit citare Damasum de Vitis Pontificum, à Consulatu Saturnini & Scipionis, sub quibus S. Linus in præfato Catalogo dicitur creatus fuisse Episcopus. Verùm errat vir eruditus. Extat enim in Bibliotheca Vaticana post Onuphrii Panvinii Fastorum librum, index librorum & actorum M.SS. quæ Onuphrius Panvinius de Vitis Pontificum viderat, aut penès se habuerat, in quo Indice nullatenùs supradictus Catalogus comparet, sed solùm citantur *Pontificum Romanorum vitæ Damasi Papæ, Anastasii, & Gulielmi S. R. E. Bibliothecariorum, Pandulfi Pisani, & recentiorum auctorum*: à quibus Onuphrius putavit conscriptum fuisse librum Pontificalem, de quo infrà agemus. Onuphrius itaque numquam vidit antiquissimum Catalogum, qui desinit in Liberio Papa, quemque nonnulli credebant deperditum fuisse, usque dum Ægidius Bucherius illum in Commentario suo ad Canonem Paschalem edidit, notans autographum penes se habuisse Cuspinianum. Quod idem testatur Lambecius libro 4. Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea his verbis: *Eximius Codex M. S. quem Bucherius laudat, & desiderat, sed ferè tanquam perditum deplorat, superest etiamnum in augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi æquè integer, ut ipse Cuspinianus eo olim usus est, obtinetque inter Codices manuscriptos historicos latinos locum 56.*

2. Ex hisce Lambecii verbis dubium mihi ortum est, num autographum prædicti Catalogi in membranis antiquissimis tempore Liberii exaratis etiamnùm superesset in Bibliotheca Cæsarea. Magno proinde addiscendæ veritatis desiderio ductus scripsi ad V. Cl. Conradum Janingum pro compilandis Sanctorum Actis anno 1688. Bibliothecas Germaniæ visitantem, & iter Viennam usque instituentem, ut inter Codices manuscriptos historicos Latinos quinquagesimum sextum pervolveret, nec modò vetustioris Catalogi varias lectiones excerperet, sed etiam characteris specimen, ut de ætate scripturæ judicare possem, ad me transmitteret. Fecit vir ille pro sua humanitate, quod ab ipso petieram, literisque die 29. Julii anno 1688. Viennæ ad me datis, non modò varias lectiones istius Codicis misit, sed significavit quoquè: *Ex iis palàm fieri, neque hunc Catalogum Cæsareæ Bibliothecæ ex Catalogo Henschenii, neque Henschenii Catalogum ex Codice Bibliothecæ Cæsareæ descriptos esse, sed utrumque ex alio, atque alio exemplo desumptum, idem aliquod antiquius prototypon mediatè habuisse, propter quosdam eosdem planè in utroque defectus. Quod autem ad antiquitatem spectat, ut mihi verosimile videtur, ætatem primi ejus authoris posse ad tempus Liberii Papæ referri, ita ausim affirmare, hoc exemplum Cæsareum annis, ut summum quingentis vetustius non esse: idque suadet (si non & persuadeat) adjunctum in eodem Codice opusculum, quod inscribitur Chronicon Polonorum, facitque mentionem Alexandri Papæ III. ut de notis posterorum temporum, quas inquirere aliis impedito non licet, taceam, adeoque illius ætatem excedere non potest. Jam verò hoc opusculum scriptura quidem diversum à Catalogo est; charta tamen (neque enim membranaceus est codex hic, neque idem cum illo, de quo Bucherius noster apud Lambecium libro 4.) adeò simile, ut ne ovum ovo quidem magis esse possit; neque verò character ipse Catalogi antiquitatem majorem indicat, si non & minorem. Addo tamen ejus specimen &c.* Hæc ille, quem rectè judi-

judicasse de ætate scripturæ, ex specimine ipso ad me transmisso conjeci, vix enim 300. annorum ætatem superare posse judicavi.

3. Cùm itaque ex præfatis litteris constet, hujus vetustioris Catalogi autographum deperditum esse, & non nisi recentiora transumpta reperiri, quæ multum inter se differre cognoscuntur; operæ pretium me facturum existimavi, si prædictum Catalogum infrà cum variantibus lectionibus ederem: unde nil aliud hoc loco adjungam, quàm Catalogum, prout ab Henschenio in Actis Sanctorum, & à nobis in Antiquitate illustrata editus fuit, longè integriorem esse eo, qui in Bibliotheca Cæsarea etiamnùm reperitur. In Codice enim Cæsareo desunt Pontifices Anicetus, Eleutherius, & Zephyrinus, qui in nostra editione extant: cùm autem iidem tres Pontifices etiam desiderentur in editione Bucherii, valdè verosimile mihi visum est, membranas, quas Bucherius penès se habuit, ex Codice Cæsareo descriptas fuisse. In qua sententia vel maximè confirmatus fui, dum collatis lectionibus Codicis Cæsarei, easdem ferè omnes, duabus vel tribus exceptis, in editione Bucherii reperiri animadverti. Alio itaque exemplari Bucherius, alio ante nos Henschenius usus est. Quæ tamen nihil obstant hujus Catalogi & germanitati, & antiquitati, cùm facilè contingere potuerit, sicut in cæteris antiquorum operibus frequenter contigit, librarios, & tabellarios non exactè descripsisse Codices, sed cum multis mendis, & lacunis ad posteros transmisisse. Undè affirmare audeo, menda & lacunas signum esse, quòd opera ab antiquis Scriptoribus profecta sint. Quæ cùm ita esse, passim ex manuscriptis Codicibus doceamur, restat, ut de auctoribus hujus Catalogi, & quibus temporibus scripserint, paucis inquiramus.

4. Putavit quidem Henschenius Tom. Primo Sanctorum Aprilis, hujus Catalogi duas partes esse, singulasque à diversis auctoribus conscriptas fuisse: *Prima*, inquit, *ejus pars completur cum S. Urbano Pontifice anno 230. martyrium passo. In hac priori parte nulli Consules bis repetuntur, quamvis sub iisdem, sub quibus sedere inceperunt, quidam fuerint vita functi, aut martyrio coronati eorum decessores.... Auctor hujus partis videtur posse statui Sanctus Antherus Papa, qui gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit. Sedit is solùm uno mense in suo Pontificatu, videturque gesta Martyrum, potissimum Summorum Pontificum exquisivisse necdum Pontifex sub Sancto Pontiano successore Sancti Urbani; imò Acta Sanctorum Urbani, & Calisti hujus decessoris videri à Sancto Anthero scripta, dicemus 25. Maji, quo colitur S. Urbanus, & 10. Maji, quo coluntur SS. Calepodius Presbyter, Palmatius Consul, Simplicius Senator, aliique Martyres, quorum res gestæ in Actis Sancti Calisti continentur. Secunda ergo pars inciperet à dicto Pontiano, & in hac passim majora Pontificum elogia referuntur, iidem Consules repetuntur dies, ordinationis, & mortis Pontificum assignantur. Et hæc pars ad finem ferè deducitur, ubi S. Julii elogium præter morem aliorum habet accuratam Basiliearum ab eo extructarum narrationem, ex qua XII. Aprilis ad hujus S. Julii vitam confirmamus hujus Catalogi eminentem soliditatem. Successit S. Julio Liberius, cujus tempore hunc veterem Indiculum Romanorum Pontificum contextum fuisse, asserit Dionysius Petavius libro 5. Rationarii temporum, cap. 5. qui eum penès se habuit. Post obitum Liberii constitutus est Pontifex Romanus S. Damasus, qui rogatus à S. Hieronymo gesta Pontificum, quæ potuit reperire in suæ Sedis studio, ad eum direxit. Quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de jam indicato Catalogo usque ad Liberium ejus decessorem deducto. Epistolas utriusque hac de re, & Sancti Hieronymi, & Sancti Damasi ex Codicibus M. SS. præponimus. Idem S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15. statuit, S. Clementem quartum post Petrum Romanum Pontificem, siquidem, inquit, secundus Linus fuit, & tertius Anacletus, etsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem. Ubi opinamur, nomine Latinorum indicari hunc Catalogum à S. Damaso missum ad S. Hieronymum, qui etiam lib. 1. adversus Jovinianum appellat Clementem successorem Apostoli Petri, & in cap. 52. Isajæ scribens ait, eum post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam, scilicet interposito ad modicum tempus S. Lino, cui successisse Clementem, tradunt Optatus Milevitanus lib. 2. & Sanctus Augustinus epist. 165.*

5. Hactenus Henschenius de antiquiore Catalogo, circa cujus sententiam nonnulla habuit V. C. Papebrochius, quæ corrigenda duxit. Duos enim Catalogi authores facit Henschenius, Antherum scilicet prioris, & Damasum posterioris partis, quam tamen posteriorem partem à quatuor diversis compositam fuisse, credidit Papebrochius; undè in Propylæo ad Acta Sanctorum Maji sequentia notavit: *Secunda ergo pars inciperet à dicto Pontiano, & in hac passim majora Pontificum elogia referuntur, iidem Consules repetuntur, dies ordinationis, & mortis Pontificum assignantur. Et hæc pars quatuor successivè auctores videtur habuisse nonnulla styli diversitate dignoscendos; quorum primus cum Sancto Felice finiverit, secundus tres hujus successores adjecerit, Eutychianum, Cajum, & Marcellinum; tertius junxerit Marcellum, & Eusebium; quartus à Melchiade usque ad Liberii initia scriptionem continuaverit, floruerit autem sub hujus decessore Julio, in cujus elogio præter morem in prioribus elogiis servatum, habetur accurrata Basilicarum ab eo extructarum narratio.* Omitto cætera, quæ cum Henschenii sententia superiùs indicata coincidunt, adeò ut juxta Papebrochium nihil corrigendum sit in ejus verbis, quàm quòd loco duorum antiquissimi Catalogi Auctorum, quinque omninò auctores substituendi sint. Circa quam correctionem, an feliciùs processerit, quàm Henschenius, jam inquirendum est; omnia enim, quæ de primæ, & secundæ partis auctoribus à duobus his Viris Cll. dicta sunt, nullatenùs subsistere existimo.

6. Et ut de prioris partis auctore in primis agamus, dicitur auctor fuisse S. Antherus Papa, de quo Catalogus secundus, qui in Felice IV. desinit, sæculo sexto conscriptus: *Hic gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit*. Alius Romanorum Pontificum Catalogus tempore Caroli Magni exaratus, & in Bibliotheca Palatino-Vaticana asservatus habet de Anthero: *Hic gesta Martyrum diligenter exquisivit*. Liber Pontificalis, prout hodie extat, repetit verba Catalogi sexto sæculo contexti, ita ut constanti Catalogorum, & Libri Pontificalis traditione constet, Antherum Papam gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisita, in Ecclesia condidisse. Sed quæso, quid hæc faciunt ad priorem partem Catalogi, in qua à Petro Apostolo usque ad Pontianum sola Romanorum Pontificum nomina exhibentur, nullaque Actorum, aut Martyrii mentio reperitur;

Digitized by Google

tur; præterquàm in Petro, qui unico verbo sub Nerone passus dicitur, & in Pontiano, qui in exilium missus perhibetur? Si hæc pars contineret illa, quorum antiqui Catalogi meminerunt, nonne gesta Pontificum, eorumque Martyrii genus in illa annotata fuissent? Hæc enim sunt, quæ Antherus Papa à Notariis diligenter conquisiisse, & in Ecclesia recondidisse fertur, non autem mera Romanorum Pontificum nomina cum Consulibus, quibus singuli cœperunt, & desierunt, ut in priori parte antiquioris Catalogi, de qua in præsenti agimus. Deindè notandum omninò est, *Antherum gesta Martyrum conquisiisse*, non solum Summorum Pontificum, sed aliorum quorumcumque fidelium, qui pro Christi fide in dies martyrium obibant, adeò ut gesta, quæ ipse in Ecclesia recondidit, potiùs Martyrologii, quàm Catalogi formam habuisse oportuerit. Subjungit verò auctor Libri Pontificalis in Fabiano: *Fecit septem Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integrum colligerent*. Quo loquendi modo indicatur, cunctos Martyrum processus, tormenta, verba, & gesta à Notariis jussu Fabiani diligenter quoque annotata fuisse.

7. Ut autem clariùs constet, Antherum Papam non esse auctorem prioris Catalogi partis, refert Catalogi auctor Clementem ante Cletum contra perpetuam Romanæ Ecclesiæ traditionem, quæ in antiquissimo Canone Missæ jam inde à tertio, vel quarto sæculo memoriam fecit *Lini, Cleti, Clementis*, qui est ordo primorum Pontificum juxta Romanam Ecclesiam. Fieri ergo non potest, quòd gesta Martyrum à Notariis Romanis diligenter conscripta, & ab Anthero Papa in scriniis Romanæ Ecclesiæ recondita, alium ordinem habuerint, & Clementem Cleto præposuerint. Neque ad hujus Catalogi auctorem respexit D. Hieronymus, dum scripsit in Clemente, eum fuisse *ordine quartum, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum fuisse putent*. Enimverò per plerosque Latinorum non intellexit D. Hieronymus Romanam Ecclesiam, aut ejus Pontifices, sed S. Optatum, nonnullosque scriptores Latinos, & forsan auctorem hujus Catalogi, qui tempore Liberii vixit, & non Damasus, sed privatus scriptor fuit; undè D. Hieronymus ab hujus auctoris, & S. Optati sententia discessit, & Clementem non secundum, sed quartum à Petro Pontificem fuisse statuit. Secundò ponit prior Catalogi pars Anicetum ante Pium, quod esse alterum Catalogi errorem, ostendunt istorum temporum scriptorum duo omni exceptione majores, Irenæus nimirùm Lugdunensis in Gallia Episcopus, & Hegesippus Historicus, qui sub Aniceto, & Eleutherio Romam venerunt, & quorum testimonia ante 1350. annos in libris de Historia Ecclesiastica retulit Eusebius Cæsareensis in Palæstina Episcopus. Sanè tam Irenæus, quàm Hegesippus tradunt, Anicetum fuisse post Pium. Quod etiam tradidit cum communi Romanæ Ecclesiæ sententia D. Hieronymus, ut facilè colligi potest ex iis, quæ Dissertatione II. de Romanis Pontificibus demonstravimus. Tertiò ponit annos Pontificum, & Consules exordio, & fini Pontificatuum assignatos, sed adeò in plerisque locis sibi repugnantes, ut tempus annorum, & mensium adversetur Consulibus, & Consulum tempora pauciores, pluresve annos, quàm à Catalogo exhibentur, designent. Unum è pluribus adduxisse sufficiet. Habet de octavo Pontifice antiquior hic Catalogus: *Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus 21. Fuit temporibus Hadriani, à Consulatu Nigri, & Aproniani, usque Vero III., & Ambibulo*. Anni numerantur decem, & menses tres, ubi Niger, & Apronianus Consules fuerunt æra vulgari 117. Verus autem III. & Ambibulus Consulatum obierunt æra 126. Ab anno autem 117. ad 126. non possunt numerari anni decem, & menses tres, sed tantùm anni novem: ideòque & Godefridus Henschenius in sua Chronotaxi protulit Pontificatum Sixti ad annum 127. Quod & alibi factum videtur contra morem Catalogi, qui ultimos Consules exhibere consuevit, quibus occubuerunt Pontifices. Atque hæc, ni fallor, sufficiunt ad evincendum, priorem Catalogi partem ab Anthero Papa conscribi non potuisse.

8. Videamus jam de secunda parte, quam Henschenius ab uno auctore, nimirùm Damaso Papa, Papebrochius verò à quatuor diversis auctoribus, qui ab Anthero usque ad Damasi tempora scripserunt, exaratam fuisse putarunt. Utque de primo horum quatuor agamus, credidit Papebrochius, eum cum S. Felice finiisse, cùmque Felix Dionysii successor vixerit circa annum 272. ejus partis auctorem ante sæculi tertii finem floruisse. Verùm si auctor tertii sæculi partem catalogi ab Anthero ad Felicem composuisset, perspectos proculdubiò habuisset sui temporis Pontificatus, & Consulatus, suisque Consulibus Pontifices assignasset: & tamen videmus, etiam in hac parte Catalogi, sæpiùs Consules unius Pontificatus misceri cum Consulibus alterius Pontificatui assignatis. Undè provenit, quòd frequenter recurrendum sit ad Vicariatum, ut quo tempore prædecessor adhuc sedebat verus Pontifex, successori assignaretur Vicariatus, ut sic verificari posset, eum quodam modo fuisse Pontificem. Ita de vigesimoquarto Pontifice habet Catalogus: *Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani, & Gallieni à Consulatu Volusiani, & Maximini usque Valeriano III. & Gallieno II.* Volusianus, & Maximinus fuerunt Consules anno 253. quibus ponitur à Catalogo initium Pontificatus Lucii, undè tunc S. Stephanum Lucii Vicarium fuisse, scribit Henschenius, qui Stephano tantùm tribuit menses quinque post mortem Lucii, iisdem Consulibus Valeriano III., & Gallieno II., seu anno 255. assignatam in Catalogo. Sed quamvis hic locus communis de Vicariatu aptus esset ad supplendum multos Catalogi defectus, tamen in Pontificatu Stephani vix ulla ratione adhiberi posset, cùm ei non solùm duos, aut tres annos Pontificatus tribuant antiquiores, & moderni omnes, sed plures res ipsa postulet. Enimverò S. Stephanum, ut verum Pontificem ultra quinque menses contra rebaptizantes egisse, testatur Cyprianus, dum hac in re eum auctoritate Pontificia tanquam *Episcoporum Episcopum* egisse insinuat. Idem significat Firmilianus agens de petra Ecclesiæ fundamentali, de qua Stephanum gloriari solitum, manifestè declarat. Adderem hìc plura in hujus rei confirmationem, nisi Papebrochius ipse in notis ad Stephani vitam, quas exhibet in Conatu Chronico-Historico confessus fuisset, hæc rectè à me notata fuisse, ipseque observasset, ejusdem Firmiliani epistolam datam esse, cùm ferè vigesimus secundus annus esset à morte Alexandri Imperatoris, ut notat Baronius in Annalibus: ea autem acciderit anno CCXXXV. Quare Firmiliani epistolam necesse est scriptam fuisse anno circiter CCLVII. quo tempore inter Stepha-

Digitized by Google

phanum, & Cyprianum Carthaginensem, Dionysium Alexandrinum, aliosque adhuc agitabatur controversia de valore baptismi ab Hæreticis collato, adeòque anno CCLV. extinctus non fuerit Stephanus, ut Consules à Catalogo assignati indicabant. Hæc ferè Papebrochius, qui frustrà conatus est in notis supradictis tempus Stephani in antiquiori Catalogo ex Consulibus assignatum suæ æræ restituere.

9. Neque majori fundamento nituntur ea, quæ de secundo, tertio, & quarto secundæ partis auctoribus notantur. Sine ullo namque teste, sine ullo scriptore, sine ullo antiquitatis monumento affirmatur, secundam Catalogi partem à tot auctoribus fuisse conscriptam, & gratis omninò statuitur, altero auctore Eutychianum, Cajum, & Marcellinum; altero Marcellum, & Eusebium; altero demùm reliquos omnes à Melchiade usque ad Liberium fuisse Catalogo adjectos. Ut enim à primo incipiamus; quid in Eutychiani, Caji, & Marcellini actis reperitur, quod non in aliis anterioribus Pontificibus legitur? De Eutychiano habet Catalogus: *Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani III. & Marcellini usque in diem VII. Idus Decembris, Caro II. & Carino Consulibus*. De Dionysio autem uno ex Eutychiani prædecessoribus: *Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die XI. Kalendarum Augusti Æmiliano, & Basso Coss. usque in diem septimum Kal. Januarii Coss. Claudio, & Paterno*. Quid quæso in his duobus Pontificibus est, quod diversitatem auctorum indicet? Idem omninò est stylus, eadem methodus notandi tempus, quo uterque Pontifex sedit, adeò ut omnia verba unum, eundemque, non plures auctores fuisse indicent. Idem planè de Marcello, & Eusebio dicendum, quos Papebrochius ab altero auctore adjectos credebat. De Marcello enim ita habet Catalogus: *Marcellus anno uno, mensibus septem, dies viginti. Fuit temporibus Maxentii à Consulatu ..... X. & Maximiani VII. usque post Consulatum X. & VII.* Et de Eusebio: *Eusebius menses IV. dies XVI. à XIV. Kal. Majas usque in diem XVI. Kalendas Septembris*. In quibus nihil omninò quoad stylum, scribendi methodum, & temporis notas diversum est, solùmque in Eusebio desideratur Consulatus: quod tamen mirum videri non debet, cùm non pluribus annis, & sub diversis Consulibus, sed paucis dumtaxat mensibus, eodem anno federit; huic autem anno Consulatum addere auctor omiserit, quia in Melchiade Eusebii successore Consulatus illius anni allegandus erat. Ita enim Catalogus: *Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem, ex die 6. Nonas Julias à Consulatu Maximiano VIII. solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano, & Rufino, usque in III. Idus Januarii Volusiano, & Aniano Coss.* Maximianus solus Consul fuit anno, quo periit: tumque suffecti sunt Volusianus, & Rufinus, adeò ut omnes hi Consules in annum incidant, quo ab Auctore Catalogi superiùs assignata fuit mors Marcelli. Undè manifestè colligitur, in Pontificatu Marcelli ab auctore Catalogi studio omissa fuisse Consulum nomina, ne ea repeterentur in Melchiade. Quod certè numquam factum esset, si Marcelli tempus à tertio, Melchiadis à quarto auctore, ut V. C. Papebrochius credebat, huic Catalogo inserta fuissent. Ab uno itaque, & eodem auctore secunda pars Catalogi conscripta fuit, utsuprà indicavimus, tantumque abest, ex Catalogo colligi posse, eundem à diversis auctoribus contextum fuisse, ut potiùs ex perpetuo temporum nexu colligatur, ab uno eodemque auctore confectum fuisse. Nisi quis dicere velit, auctorem hujus Catalogi, annos, menses, & dies ex aliquo anteriori monumento desumpsisse, eò quòd illi perpetuo à Consulum notis discrepare soleant.

10. Porrò non à diversis, sed ab uno, eodemque authore compositum fuisse hunc antiquiorem Catalogum, judicavit Cuspinianus, qui eum primò ex manuscripto codice eruit, & commentariis suis in Cassiodori Consules inseruit, scribens ad Consulatum duorum Geminorum: *Oblatum est mihi pervetus Opusculum anonymi autoris, quo Pontifices maximi, sub quibus Coss. fuerint, enumerantur. In eo ita scribitur: Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus JESUS CHRISTUS duobus Geminis Coss. 8. Kalend. Aprilis. Et post ascensum ejus beatissimus Petrus Episcopatum suscipit &c.* Ex primis hujus Opusculi verbis, quæ eadem omninò sunt cum primis verbis Catalogi, de quo in præsenti agimus, facilè colligitur, Catalogum eundem esse, quem Cuspinianus olim habuit, quemque anonymo Auctori tribuit, prout tribuere pergit in Operis progressu, ubi Catalogi istius mentionem facit, & signanter ad Consulatum Saturnini II. & Venusti, agens de Petro his verbis; *Vetustissimum comperi in Bibliotheca quadam Opusculum anonymi autoris, quo continentur Pontifices Romani, sub quibus Coss. fuerint à D. Petro usque ad Marcellinum, qui sub Diocletiano fuit, quemadmodum deinceps narrabimus*. Constanter, & rectè affirmat Cuspinianus, vetustissimum Opusculum esse antiqui scriptoris anonymi; sed memoria lapsus videtur, dum refert, Pontifices Romanos usque ad Marcellinum dumtaxat in eo contineri. Nam post Marcellinum ex eodem Opusculo recenset ad Post Consulatum X. & VII. iterum, Marcellum; ad Consulatum Maximi VIII & Licinii Melchiadem; ad Consulatum Volusiani, & Anniani Sylvestrum; & ad Consulatum Feliciani, & Titiani Julium, & hunc quidem his verbis: *Autor ille incertus de Pontificibus horum Coss. sic commeminit: Julius annis XV. M.I.D.XI. Fuit temporibus Constantini à Coss. Feliciani, & Titiani ex die VIII. Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis Constantio V. & Constantio Cæsare Coss. Hactenus autor de Pontificibus Maximis, quem citavi, progreditur, nec quidquam ulteriùs offendi, quoad Papæ dicti sunt*. Ubi Cuspinianus expressè affirmat, Pontifices cum Consulibus ultra Marcellinum usque ad Julium Primum procedere, prout etiamnum procedunt in nostra Catalogi editione, in qua Liberius quidem adjungitur, sed absque Consulum adnotatione, eò quòd author Liberii quidem initium, non tamen finem assecutus sit, sed ante Liberium obierit.

11. Neque hoc nostrum dumtaxat, sed etiam aliorum de hujus authoris ætate judicium est, scribente Bucherio, qui integrum Catalogum primus edidit: *Hucusque*, ad Liberium scilicet, *Pontificum Romanorum Catalogus ante Liberii mortem concinnatus, quam membrana nonnisi punctis exprimit*. Ubi membranæ meminit, in qua tria alia Opuscula eodem tempore, iisdemque Consulibus scripta reperiebantur. Ac primum quidem erat fragmentum Fastorum ab anno Christi 205. ad 354. quo Consules erant Constantius VII. & Constantius III. Extabat quoquè Opusculum de Præfectis Urbi cum hoc titulo: *Ex temporibus Gallieni, quis quantum temporis* Præ-

Digitized by Google

Præfecturam Urbis administraverit; in quo jidem Præfecti ab anno 254. usque ad annum 354. recensentur, finiente illo his verbis: *Constantio VII. & Constantio III. Vitrasius Orsitus Præfectus Urbi*. Demùm Calendarium antiquum continebatur Valentino cuidam inscriptum sub Constantio, quem ultimum Imperatorum recenset, & non Divum, ut cæteros omnes, sed Dominum vocat; signum manifestissimum, quòd auctor sub Constantio scripserit, idemque ille sit, qui usque ad Consulatum Constantii septimum præfata Opuscula perduxit, & Catalogum Romanorum Pontificum sub Constantio his verbis terminavit: *Liberius fuit temporibus Constantini ex die XI. Kal. Junias in diem ...... à Coss. Constantii V. & Constantio Cæsare*. Ubi neque Consulatus, quo Liberius obiit, neque dies mortis ejus apponitur, quia, ut rectè Bucherius observat, ante Liberii mortem concinnatus fuit. Idem sentit eruditus Petavius libro 5. cap. 5. Rationarij temporum, ubi scribit: *Vetus indiculus Romanorum Pontificum Liberii tempore contextus, quem penès nos habemus*. Et post Petavium Pearsonius à religione quidem Catholica alienus, sed vir acutissimi ingenii, & magni judicii, qui Diss. 1. de successione primorum Romæ Episcoporum, capite 13. num. 2. ingenuè fatetur: *Scriptus est hic Catalogus sub Pontificatu Liberii, cui successit Damasus. Fuit igitur ejus auctor ipso Hieronymo paulò antiquior*. Edidit hanc Dissertationem inter opera ejus posthuma Londini anno 1688. Dodwellus Dubliniensis, qui licèt prolixioribus notis, & Commentariis suis antiquitatem nonnumquam illustrare conetur, & id quoquè de præsenti Catalogo facere contendat; ejus tamen antiquitati absque ullo fundamento, aut ratione detrahit.

CAPUT TERTIUM.

An antiquior Catalogus à Damaso Papa conscriptus sit? Et an duæ epistolæ Damasi, & Hieronymi ea de re editæ suppositit iæ censendæ sint?

1. *Antiquior Catalogus Damaso Papæ tribuitur auctoritate duarum epistolarum; quarum altera à D. Hieronymo ad Damasum, altera à Damaso ad D. Hieronymum scriptæ sunt.*
2. *Harum litterarum germanitatem ex similibus litteris inter opera Damasi à Martio Milesio editis, comprobat Godefridus Henschenius.*
3. *Adjungit Henschenius nonnulla, ex quibus probare conatur, duos libri Pontificalis auctores fuisse Antherum, & Damasum Papas.*
4. *Primum Henschenii fundamentum ex litteris à Martio Milesio editis, refutatur, eò quòd litteræ illæ suppositit iæ sint, rectè Erasmi, & Labbei censuris notatæ.*
5. *Epistolæ quoquè Damasi, & Hieronymi de libro Pontificali suppositit iæ sunt, ut in primis probatur ex stylo Hieronymi, qui plurimùm differt à stylo epistolæ suppositit iæ.*
6. *Idem confirmatur ex nonnullis epistolæ suppositit iæ insertis, quæ veritati repugnant, ut in primis, quòd Hieronymus post sumptum Presbyteratus gradum Damasi ad Pontificatum assumptionem cognoverit, & scire cupierit, quis Romanorum Pontificum contra canones excessisse cognoscatur.*
7. *Neque juvat dicere, Hieronymum id scire cupiisse, quia Martyrologio operam dabat. Nam pro illo sufficiebat scire, quinam pro Christiana religione martyrii palmam adepti fuerant.*
8. *Damasi quoquè epistolam suppositit iam esse, ex stylo inculto, & rudi ostenditur.*
9. *Antiquiorem Catalogum neque à Damaso conscriptum, neque ejus auctoritate probatum prodiisse, neque ad Divum Hieronymum transmissum fuisse, monstramus.*

1. INquisivimus superiori capite de pluribus auctoribus, an ab illis tertio sæculo antiquior Catalogus editus fuerit, ostendimusque, auctorem illius tempore Constantii Imperatoris quarto sæculo scripsisse, sed nomen hucusque ignoratum esse. Nunc inquirendum est de Damaso Papa, qui quarto sæculo sedit, num illi fortè Catalogus adjudicari possit. Occasionem huic quæstioni præbuerunt duæ epistolæ, quarum alteram à D. Hieronymo ad Damasum Papam, alteram à Damaso ad D. Hieronymum his verbis conscriptas fuisse ferunt.

Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus.

Gloriam Sanctitatis Tuæ nostra humilitas deprecatur, ut secundùm Apostolicæ Sedis authoritatem, quam cognovimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus gestorum à Beati Petri Apostoli Principatu usque ad vestra tempora, quæ scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris, quatenùs nostra humilitas sentiens recognoscat, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur. Ora pro nobis Beatissime Papa.

Damasus Episcopus Urbis Romæ Hieronymo Presbytero.

Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata; & ampliùs sitit curiositas temporum Sacerdotalium, ut quod dignum est, cognoscatur; quod indignum, respuatur. Veruntamen gesta Pontificum, quæ potuimus reperire in Sedis nostræ studio, ad tuam charitatem gaudentes direximus. Ora pro nobis ad sanctam resurrectionem, frater, & compresbyter. Vale in Christo Deo, & Domino nostro. Dat. X. Kalend. Junii, & accepta Kalendas Octobris: missa de Roma Hierosolymam.

2. Primus has epistolas typis descripsit Godefridus Henschenius: Tomo enim Primo Aprilis ante Catalogos Romanorum Pontificum eas ex antiquis M.SS. edidit, ac pro germanis habuit, laudans Martium Milesium Sarazanium J. C. Romanum, eò quòd typis Vaticanis anno 1638. inter opera Sancti Damasi alias epistolas his planè similes ediderit; pag. enim 121. & sequenti habet epistolam Damasi ad Hieronymum, ex qua suprà memoratus Henschenius sequentia excerpsit.

Digitized by Google

Damasus Episcopus fratri, & compresbytero Hieronymo in Domino salutem.

Dum multa corpora librorum in meo arbitrio allata fuissent, contigit, ut & librum Psalmorum in meo animo festinus cognoscerem detineri, & memoriam capacitatis meæ imbuere cogitavi, frater amantissime, & in Christo semper sacerdos, secundum septuaginta Interpretes . . . invenire vestigia. Peto etiam charitatem tuam, ut Græcorum psallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delectetur . . . . Peto ergo per fratrem, & compresbyterum nostrum Bonifacium, ut jubeat fraternitas tua rei hujus nobis aperire vestigia. Missa V. Calend. Novembris.

Subnectit responsionem Hieronymi presbyteri ad Damasum.

Beatissimo Papæ Damaso Sedis Apostolicæ Urbis Romæ, Hieronymus supplex.

Legi litteras Apostolatus Vestri, poscentes, ut secundùm simplicitatem septuaginta Interpretum canendum Psalmographum interpretari festinem . . . . . . Precatur ergo cliens tuus, ut vox ista psallentium in Sede tua Romana die noctuque canatur, & in fine cujuslibet psalmi conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio &c.

3. Editis hisce duabus epistolis, adjungit idem Henschenius: *Non videtur autem S. Damasus ipse conscripsisse priorem Catalogum de Vitis Pontificum, sed solùm has ad Liberium decessorem suum à variis deductas approbasse, & ad Sanctum Hieronymum direxisse. Igitur cum Ptolomæus Lucensis apud Milesium pag. 21. dicit, quòd usque Damasum Chronica summorum Pontificum vigorem recipiunt, Damaso scribente, eodem approbante, seu subscribente id fieri intelligimus, & quòd ipsi vitæ Pontificum, ut primo scriptori passim tribuantur à Sabellico, Panvinio, & aliis, minùs approbamus.* Ipsò itaque Henschenio fatente, Damasus non erit propriè auctor hujus antiquioris Catalogi, sed approbator dumtaxat. Auctor tamen vixit sub Liberio, ut Petavii testimonio Henschenius comprobat: *Sancto Julio Liberius, cujus tempore hunc veterem Indiculum Romanorum Pontificum contextum fuisse, asserit Dionysius Petavius lib. 5. qui eum penès se habuit. Post obitum Liberii constitutus est Pontifex Romanus S. Damasus, qui rogatus à Sancto Hieronymo, gesta Pontificum, quæ potuit reperire in suæ Sedis studio, ad eum direxit. Quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de jam indicato Catalogo usque ad Liberium ejus decessorem deducto. Epistolas utriusque hac de re & S. Hieronymi, & S. Damasi ex Codicibus manuscriptis præponimus. Idem S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis capite 15. statuit S. Clementem quartum post Petrum Romanum Pontificem, siquidem (inquit) secundus Linus fuit, & tertius Anacletus, etsi plerique Latinorum, secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem. Ubi opinamur, nomine Latinorum indicari hunc Catalogum à S. Damaso missum ad Sanctum Hieronymum, qui etiam libro primo adversùs Jovinianum appellat Clementem successorem Apostoli Petri. Et in caput Isajæ 52. scribens ait, eum post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam, scilicet interposito ad medium tempus S. Lino, cui successisse Clementem, tradunt Optatus Milevitanus lib. 2. & Sanctus Augustinus epist. 165.*

4. Hactenus Henschenius, qui ex litteris à Martio Milesio publicatis probare nititur litterarum commercium inter Damasum Papam, & D. Hieronymum de similibus materiis, ut faciliùs persuadeat, litteras de gestis Romanorum Pontificum à se primùm editas, & germanas esse, & Damaso Papæ, ac Hieronymo presbytero tribui posse. Verùm in prima Antiquitatis illustratæ editione miratus fui, quòd Henschenius non observaverit, epistolas de psalmodia Basileæ anno 1516. publicatas fuisse per Erasmum, qui de priori circa psalmodiam epistola à Damaso ad Hieronymum conscripta sequentem censuram tulit: *Clarius est, quàm ut admoneri debeat, hanc epistolam ejusdem esse artificis, cujus est ea, quæ proximè sequitur, & eadem febri laborantis. Deum immortalem! quæ fuit impudentia, hoc tribuere Damaso?* Addit de responso Hieronymi ad Damasum: *Mirum est, inventum fuisse, qui speravit futurum, ut hæc epistola, qua nihil fingi potuit insulsius, nec indoctius, nec infantius, à quoquam pro Hieronymiana legeretur.* Et ne Erasmi auctoris suspecti judicio niti velle videamur, censuras ejus novissimè confirmat Tomo 2. Collectionis Conciliorum in notis marginalibus ad duas epistolas à Milesio publicatas Philippus Labbeus: *Suppositítiæ, apocryphæ, & ineptissimæ viris doctis habentur, tantumque à stylo Damasi, & Hieronymi distant, quantum cœlum à terra, & Polus antarticus ab Artico.* Neque ulteriori probatione hæc indigent, cùm vel litteras inspicienti eadem planè occurrant, prout ex epistolis per Martium Milesium publicatis adeò clarè ostenderam in prima Antiquitatis Ecclesiasticæ editione, ut V. C. Papebrochius in Propylæo ad Quartum Tomum Maji, pag. 3. sententiam Henschenii prædecessoris sui retractandam duxerit, adjungens, se rationibus meis convictum malle epistolas illas ex Tomo 1. Aprilis expunctas.

5. Agnoverat Papebrochius, quàm eleganti, quàm florido stylo usi erant D. Hieronymus, & S. Damasus, quorum plurima opera, de quibus nullus est ambigendi locus, ad manus nostras pervenerunt. Utque de D. Hieronymi operibus id in primis probemus, extant Epitaphia Paulæ, Fabiolæ, Lucinii, Marcellæ, & Nepotiani à Sancto illo Doctore edita; extant complura opuscula adversùs Helvidium, Jovinianum, Vigilantium, Pelagianos, Montanum, Rufinum, aliosque ipsius Hieronymi, vel Religionis Catholicæ adversarios composita: extant plerique tractatus de virtutibus, innumera Commentaria de Scripturis sacris; &, ut finiam, inter diversas Epistolas, duæ insignes ad Damasum Papam conscriptæ, quarum altera ordine 57. sic incipit: *Hieronymus Damaso. Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacos contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi. Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam; indè nunc meæ animæ postulans cibum, undè olim Christi vestimenta accepi &c.* Altera autem 58. sic orditur: *Hieronymus*

Digitized by Google

mus Damaso. Importuna in Evangelio mulier tandem meruit audiri : & clauso cum servis ostio, media licèt nocte, ab amico panes amicus accepit. Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur. Ninive Civitas, quæ peccato periit, fletibus stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio? Videlicet, ut parvum magnus aspicias &c. Atque ex his, ni fallor, abundè constat, quàm eleganti stylo, quàm ornato usus sit Hieronymus in litteris ad Damasum Papam conscriptis, quantumque ab ipsius scribendi modo differat epistola de gestis Pontificum superiùs exhibita.

6. Dum enim D. Hieronymus aliquid à Damaso Papa petebat, ornato sermone, & longo repetita exordio Damasum exorare solebat, ut ex duobus prædictarum literarum fragmentis colligere licet. At epistola de gestis Romanorum Pontificum Hieronymo tributa stylo humili, & abjecto, sine ullius exordii ornamento statim indicat, quod petitur, ut patet ex hoc illius initio: *Gloriam Sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur*. Post quod statim prosequitur: *Ut secundùm Sedis Apostolicæ auctoritatem, quam cognovimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus gestorum à Beati Petri Apostoli Principatu usque ad vestra tempora, quæ scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris*. Ubi etiam notanda sunt illa verba: *Quam cognovimus per tuam Sanctitatem gubernari*: quibus indicatur, hanc epistolam scriptam esse, cum D. Hieronymus in Syria percepit, Damasum Papam Sedi Apostolicæ præfectum fuisse: quod repugnat iis, quæ in secunda Damasi epistola supponuntur; ibi enim innuitur, D. Hieronymum, cum hanc epistolam scripsit, fuisse presbyterum: factus est autem presbyter à Paulino Antiochiæ Episcopo, postquàm discesserat ex eremo Syriæ, ex qua duas suprà memoratas epistolas scripserat ad Damasum Papam. Adeò ut falsum omninò sit, D. Hieronymum jam presbyterum primò cognovisse Damasi promotionem ad Pontificatum, & pateat, ab homine aliquo actorum Hieronymi ignaro prædictam epistolam conscriptam fuisse. Neque ex hoc parachronismo tantùm, sed etiam ex sequenti barbarismo, *quatenùs nostra humilitas sentiens recognoscat*, constat, prædictam epistolam D. Hieronymo abjudicandam esse, qui eandem nunquam his verbis conclusisset, *vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur*. Nam sensus horum verborum obscurus est contra morem scribendi D. Hieronymi, qui declarasset, de quibusnam Apostolorum canonibus, & de quonam excessus genere ibi agebat.

7. Quamvis autem supponi posset, quòd D. Hieronymus tunc Martyrologio operam dabat, & ideò à Damaso Papa Catalogum Romanorum Pontificum petebat, ut ex eo dignosceret, quinam martyrii palmam adepti erant: tamen mirum videri potest, D. Hieronymum petiisse à Damaso, ut indicaret, si quis Pontificum prævaricator Apostolicorum canonum existens ex hoc mundo discessisset, quum ad Damasum scripserat, se Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam ideò consulere, quòd hæc Cathedra sit petra Evangelica, supra quam ædificatam Ecclesiam sciebat; quòd Romanorum fides sit illa, quam à Paulo laudatam, & nunquam defecturam credebat, ita ut apud solos Petri successores incorruptam Patrum hæreditatem servari profiteretur. Hæc enim cum Hieronymus in epistolis ad Damasum tradiderit: quo consilio, qua ratione se de quorundam Petri successorum prævaricatione dubitare, ad Damasum ipsum scripsisset? An fortè, si quisquam Romanorum Pontificum in aliquo deliquisset, illud ad Martyrologium D. Hieronymi spectare poterat? De Sanctis Pontificibus, eorumque martyriis D. Hieronymus pro conficiendo suo Martyrologio sollicitus esse debebat, & cùm Romæ in juventute sua studuerit, ac sæpiùs cryptas Martyrum, ac Apostolorum templa, in quibus SS. Pontificum corpora recondita erant, perlustraverit; vix credibile est, D. Hieronymum latuisse Romanorum Pontificum martyria, multòque inverisimilius est, Damasum Papam solùm tria, aut quatuor Pontificum martyria enumeraturum fuisse in antiquiori Catalogo, si illum ad D. Hieronymum cum epistola superiùs allata transmisisset. Qua de re statim agemus, cùm monstraverimus, quòd de Damasi epistola ex stylo dijudicari possit, eam esse supposititiam.

8. Ineptus equidem scribendi modus, qui in epistola conspicitur, longè est à Damasi stylo, & loquendi puritate alienus. Incipit namque epistola his verbis: *Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata, & amplius sitit curiositas temporum sacerdotalium*. Quæ sola sufficere deberent ad epistolam Damaso abjudicandam: præterquàm enim quòd D. Hieronymus, dum munus presbyteri primùm obtinuerat, non tam multa scripserit, ut Ecclesiam operibus suis repleverit, adeòque verum non sit, quòd Ecclesia jam esset ipsius fonte satiata, subjungitur: *Tamen & amplius sitit curiositas temporum sacerdotalium*. Quæ verba sicut ineptum sensum reddunt, ita Damaso nequaquam tribui possunt. Quid enim significant tempora sacerdotalia? Num Sacerdotes tunc Imperium tenebant, aut tunc primùm in Ecclesia esse cœperant, in qua ante non fuerant? Nonne temporibus Damasi Papæ Imperatores regnabant sicut sub Damasi prædecessoribus Imperii gubernacula tenuerant? Si Imperatores ante Damasum gubernarunt, si anteà Pontifices, & Sacerdotes in Ecclesia extiterant, quid quæso sibi volunt tempora Sacerdotalia? *Quomodo sitiebat curiositas temporum Sacerdotalium*? An curiositate ducebantur Sacerdotes ad audiendas à D. Hieronymo interpretationes Scripturarum, ut quondam Athenienses rerum novarum cupidi à D. Paulo? Quòd si Damasus Papa exprimere voluisset hanc Sacerdotum cupiditatem, dixisset *curiositas Sacerdotum*, non *curiositas temporum Sacerdotalium*, ut in prima Antiquitatis editione animadvertimus. Quibus adjungere possumus, totam hanc Damasi epistolam stylo adeò rudi, & inculto scriptam esse, ut nulla periodus in ea reperiatur tam erudito, & eloquente Pontifice digna, de quo D. Hieronymus libro de Scriptoribus testatur, quòd elegans in versibus componendis ingenium habuit. Ejus epistolæ eleganti stylo conscriptæ editæ sunt à Martio Milesio, & à Luca Holstenio: pleraque item carmina etiamnum reperiuntur in Bibliotheca Patrum edita, & alia marmoreis tabulis insculpta, quibuscum si conferamus constructionem epistolæ superiùs editæ, facilè constabit, has phrases, *in nostra Sedis studio, & gaudenter direximus*, alio auctore, quàm Damaso editas. Prodit autem se ipsum auctor hac clausula: *Data X. Kalendas Junii, & accepta Kalendas Octobris, missa Roma Hierosolymam*, quæ sicut in nulla aliarum Damasi epistolarum reperitur, ita ab illo fabricata est, qui integram epistolam Damaso supposuit.

Digitized by Google

9. Atque hæc quidem sufficiant de suppositione epistolarum. Nunc solùm monstrandum est, antiquiorem Catalogum nequidem Damaso tribuendum esse, licèt epistolæ illæ germanæ essent. Quod facili negotio comprobatur, si perpendere velimus illa, quæ in priori epistola petit Hieronymus, & in posteriori respondet Damasus Papa. Petit enim D. Hieronymus, ut transmittantur actus gestorum à B. Petri Apostoli Principatu usque ad sua tempora, quatenùs agnoscat, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur. Et respondet Damasus, Catalogum Pontificum à D. Hieronymo petitum, & à se transmissum continere *actus gestorum*, *aut gesta Pontificum*, quibus eorum obitus, & mortis genus adnectebatur. De his autem omnibus vix quidquam reperitur in antiquiori Catalogo. Nam vix ulla gesta Pontificum in eo commemorantur, & inter tot Pontifices, quot à Sancto Petro Apostolo usque ad Damasum Papam sederunt, tantùm quatuor martyria enumerantur, Petri nimirum, & Pauli Apostolorum, de quibus dicitur: *Petrus passus cum Paulo die III. Kalend. Julii*; Pontiani, de quo refertur: *In eadem Insula* (Sardinia) *discinctus est 4. Kalend. Octobris*; Fabiani, de quo narratur: *Passus 13. Kal. Febr.* & Cornelii, de quo asseritur: *Centumcellas expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit*. Horum itaque Pontificum martyria solummodò commemorantur in Catalogo, qui si à Damaso Papa conscriptus, aut ipsi probatus fuisset, illeque esset, cujus in litteris mentionem facere supponitur, credi ne potest, Damasum cætera Pontificum martyria ignorasse? Ignorabat forsan Clementis martyrium toto terrarum orbe celeberrimum? Nihil ne omninò supererat de gestis Martyrum, quæ jubente Anthero à Notariis fideliter conscripta, & in Ecclesia recondita erant? An mente exciderat, quod de Stephani Papæ martyrio ejus Acta testabantur? Ignorarene poterat, quæ de Xysti obitu retulerat Clerus Romanus, scripserat Cyprianus, & in festo Sancti Laurentii, qui Xystum post triduum secutus erat, legebat Ecclesia? Latebat ne ipsum, quid continebat Canon Missæ seculo tertio compositus? Hæc, ni fallor, nimis clara sunt, quàm ut à quoquam in dubium vocari possint.

CAPUT QUARTUM.

De secundo Catalogo, qui cum Actis Felicis ejus nominis Quarti finit.

1. Catalogus ex M. S. Codice Reginæ Sueciæ editus, & ex eodem post primam editionem correctus est, ac Clementi locus suus restitutus.

2. Dodwelli hac de re cavillationes refutantur, & Catalogum sexto sæculo conscriptum esse, convenit inter omnes.

3. In Codice M. S. post Felicem IV. duodecim Pontificum nomina adduntur cum nota temporum, quæ ab imperito aliquo adjecta esse, ex erroribus, qui in hanc appendicem irrepserunt, ostenditur.

4. Codex Reginæ Sueciæ hanc appendicem exhibens, non continet autographum Catalogum, sed post sæculum sextum scriptus est circa Pontificatum Paschalis Primi.

5. Ex alio antiquiori Codice descriptus est Catalogus, qui etiam continetur in Codice Colbertino tempore Caroli Magni exarato, teste V. C. Baluzio in litteris ad me datis.

6. Adferuntur lectiones ex utroque Codice, quæ differunt ab editione Henschemiana, inter se tamen conveniunt.

7. Ex dictis colligitur, utrumque M. S. Codicem ex uno, eodemque antiquiore Codice descriptum esse.

8. Catalogus Consules, quos ad initium, & finem Pontificatuum à D. Petro ad Liberium adducit, ex antiquiore Catalogo desumpsit.

9. Pontificum Acta partim ex antiquiore Catalogo, partim aliundè desumpsit auctor secundi Catalogi, ut variis exemplis probatur.

10. Idem confirmatur ex aliis Pontificum gestis, quæ commemorat.

11. Martyrum Acta, quibus auctor Catalogi utitur, sæculo sexto antiquiora sunt. Ordinationes, earumque numerum desumpsisse videtur ex regesto Sedis Apostolicæ, quod desinebat in Hormisda.

12. Auctorem igitur Romanum fuisse, & forsan præfectum Archivi, plerisque Catalogi verbis comprobatur.

1. Catalogum, de quo in præsenti agimus, ex Codice Bibliothecæ Christinæ Svecorum Reginæ primi nostris temporibus publicarunt Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius in prolegomenis ad Tomum 1. Aprilis, ex quibus & ego in prima Antiquitatis illustratæ editione anno 1678. partem illius usque ad Sylvestrum eadem fide descripsi, qua ipsum clarissimi viri in lucem emiserant. Ubi autem Romam pervenissem, & nonnullos errores in editionem irrepsisse, suspicatus essem, à sapientissima Regina facultatem videndi Codicem, & cum edito conferendi petii, quod pro sua erga me benevolentia facilè concessit. Codicem itaque M. S. penès me habui per menses plurimos, & diligenter Catalogum, de quo agimus, cum edito contuli, & quantum inter se discreparent, animadverti. Non solùm enim pleraque verba in edito omissa sunt, quæ in Manuscripto reperiuntur, sed nonnulli quoque Pontifices præpostero ordine in edito exhibentur, quæ rectè in Manuscripto leguntur. Fidem huic rei facit ordo quinque primorum Pontificum, quo in hoc Catalogo editi sunt ad Tomum primum Aprilis. Ibi enim primo loco Petrus, secundo Linus, tertio Clemens, quarto Cletus, & quinto Anacletus recensentur, cùm tamen in Manuscripto Codice Reginæ Sveciæ, qui post ejus mortem cum cæteris Bibliothecæ suæ Manuscriptis in Vaticanam migravit, expressè habeatur ordo Pontificum, ut sequitur: 1. Petrus, 2. Linus, 3. Cletus, 4. Clemens, 5. Anacletus. Quo etiam ordine Romana Ecclesia Pontifices illos recenset in Canone Missæ, dum

Digitized by Google

dum meminit *Lini*, *Cleti*, *Clementis*. Ubi Cletus medius ponitur inter Linum, & Clementem, non verò post Clementem collocatur.

2. Atque ex hac Catalogi emendatione refutari potest Henricus Dodwellus, qui in Differtatione singulari de Rom. Pontificum primæva successione cap. 9. §. 1. conqueritur, ab auctore Catalogi ordinem immutatum esse, præpositumque genuino Clementi Cletum supposititium ab iis, qui auctorem secundi Catalogi subsecuti sunt: id enim falsum esse, jam ostendimus ex ipso Codice manuscripto, quem in Bibliotheca Alexandrina habemus, & unicuique monstrare possumus. Auctor enim hujus Catalogi Cletum Clementi præposuit jam indè à Felicis IV. temporibus, sub quibus ipsum scripsisse Dodwellus fatetur his verbis: *Anno enim 530. secundum Catalogum collegit autor incertus sub Justiniano ad finem Felicis Quarti*. Concinit Pearsonius Differt. 1. de successione primorum Romæ Pontificum cap. 12. num. 6. Ubi Catalogum illum *sexto sæculo exaratum esse affirmat*. Et ante Pearsonium viri clarissimi Papebrochius, & Henschenius, qui ante procemium hujus Catalogi notant, *tempore Justiniani Imperatoris conscriptum esse*. Qua quidem in re viris eruditis consensio, cum ex Catalogo ipso deducatur, sub Justino, & Justiniano, quorum temporibus illum promiscuè in hoc Opere adscribimus, fuisse concinnatum: finem namque facit in Felice Quarto, qui Consulatu Orestis anno Imperatoris Justiniani quarto, & æræ vulgaris 530. obiit.

3. Neque his obstare debet, quòd in Codice Reginæ Sveciæ post Felicem IV. addantur aliorum duodecim Pontificum nomina sine ullis actis modo, quo sequitur.

57. Bonifacius sedit ann. 2. dies 25.
58. Joannes sedit ann. 2. menses 3. dies 25.
59. Felix sedit ann. 4. menses 2. dies 12.
60. Bonifacius sedit annos 2. dies 26.
61. Joannes sedit annos 2. menses 3. dies 5.
62. Agapitus sedit menses 11. dies 17.
63. Silverius sedit annum 1. menses 5. dies 11.
64. Vigilius sedit annos 16. menses 6. dies 25.
65. Pelagius sedit annos 4. menses 10. dies 28.
66. Joannes sedit annos 12. menses 11. dies 26.
67. Benedictus sedit annos 4.
68. Pelagius sedit annos 10. menses 2. dies 10. *A B. Petro usque nunc fiunt anni 444. & mensis sex, excepto intervallo Pontificatus*. Nam ab imperita planè manu adjuncta sunt post tempora Justiniani Imperatoris, cum nec anni respondeant Catalogo, neque Pontificum ordo in hac Catalogi appendice observetur. Ut enim ab ultimo incipiam: hic tres Pontifices Felix, Bonifacius, & Joannes in sex Pontifices dividuntur, repetitis ipsorum nominibus, ut vel ex eo patet, quòd inter Felicem IV. in quo definit Catalogus, & Silverium, quem septimum à Felice Quarto recenset appendix, tantùm tres Pontifices Bonifacius II. Joannes Secundus, & Agapitus in vera Pontificum serie reperiantur. Redundant igitur tres Pontificatus in appendice, errore planè inexcusabili, cui accedit erronea temporum nota, de qua secundo loco dicendum suscepimus. Nota enim illa significat, à B. Petro usque ad Pontificatum Pelagii II. absque tempore sedis vacantis, numerari 444. annos, quod sive à principio Pontificatus Petri, sive à fine illius sumas, à vera Chronologia mirum in modum aberrat. Pelagius enim Secundus Pontificatum gessit ante Gregorium Magnum ad finem sexti sæculi, adeò ut plusquàm sexaginta anni in computo desiderentur. Non solùm enim à Petro, usque ad tempus, quo appendix illa conscripta est, anni 444. sed etiamsi à Petri excessu, qui anno æræ vulgaris 68. contigit, Pontifices computemus, anni 522. usque ad Gregorii Pontificatum, qui anno 590. cœpit, intercedunt; à quibus detracto temporum intervallo sedi vacanti tribuendo, semper manebit, ultra quingentos annos inter Petri, & Pelagii Secundi tempora intercedere.

4. Neque mirum cuiquam videri debet, quòd in appendice hujus Catalogi tam fœdi errores reperiantur. Codex enim Reginæ Sveciæ, ex quo Catalogum typis edimus, non continet ipsius Catalogi autographum, sed transumptum ante plura sæcula conscriptum. Codex enim, in quo continetur hic Catalogus, continet pag. 1. breve Chronicon ab anno 815. quo Carolus M. mortuus est, & Ludovicus ejus filius Imperium assumpsit, usque ad annum millesimum, quo consequenter hunc Codicem conscriptum fuisse dicerem, nisi ab anno 918. usque ad annum 1000. soli anni descripti essent, & si quid rei gestæ annotetur, aliena manu adjectum esse videatur: ex quo coniicere licet, hujus Chronici Auctorem vixisse ante annum 918. Solent enim aliqui Chronographi in M. SS. Codicibus annos continuata serie ponere, etiam illos, qui ipsorum ætatem subsequentur, & si quid vita illorum durante memoratu dignum contigerit, propria manu annotare, vel si post vitam ipsorum evenerit, posteris annotandum relinquere. Ex his quidem de ætate Manuscripti Codicis judicare liceret, si certum esset, Chronicon præfatum ab eodem amanuensi conscriptum fuisse, quo reliqua in opere contenta scripta sunt, qua de re non sine ratione dubium moveri potest. Quantum enim ex charactere judicare possum, hoc Chronicon initio Codicis positum cum notitia Provinciarum, & arbore consanguinitatis Chronicon immediatè subsequentibus, recentiori manu adjecta sunt, sicut & in fine nonnulla post ætatem codicis addita leguntur. Porrò codex est in folio, forma quadrata, & characteribus ævo Caroli Magni usitatis conscriptus. Undè facilè crediderim, illis temporibus fuisse exaratum, quo scriptus est Catalogus Romanorum Pontificum, qui pag. 10. exhibetur, & definit in Paschali I. cui subiicitur nota temporum his verbis: *A passione Domini nostri JESU Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini Papæ sunt anni 276. menses 8. De Apostolatu jam facto Christi Martyris Marcellini usque tempus gloriosissimi Domini Caroli Regis 25. annis regni ejus, hoc est usque VIII. Kal. Aprilis, sunt anni 490. & menses 13*. Circa hoc igitur tempus, idest paulò post initium noni sæculi conscriptus videtur codex quondam Reginæ Sveciæ, nunc Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, ex quo secundum Romanorum Pontificum Catalogum edimus, quem hujus Codicis tabellarius ex alio antiquiori codice descripsit.

5. Certum hujus veritatis argumentum suppeditarunt nuper litteræ Viri Cl. Antonii Pagii, quibus retulit, aliud hujus Catalogi exemplar M. S. reperiri in Bibliotheca Colbertina: *In Bibliotheca Colbertina*, inquit, *extat Catalogus, à quo Baluzius Vir Clarissimus existimat, Catalogum Reginæ Sveciæ fuisse descriptum*. De hoc codice frequentibus vicibus, quibus Parisiis fui, nihil audiveram, nec quidquam ante Pagii litteras ad finem anni 1680. ad me datas perceperam. Quare magno addiscendæ veritatis studio du-

ductus, Lutetiam scripsi ad V. Cl. Joannem Harduinum, ut à Baluzio & varias illius Codicis lectiones, & judicium de ætate, qua conscriptus est, peteret. Utrumque pro sua humanitate præstitit Vir Clarissimus Baluzius, cunctaque quàm celerrimè ad me misit Harduinus. Quarè illorum benevolentiæ debeo ego, debet Respublica litteraria notitiam Codicis Colbertini, quæ non parum conferet ad discernendum fontem, ex quo auctor libri Pontificalis acta successorum Petri hausit, ut suo loco videbimus. Adjungo itaque verba Clarissimi Baluzii, quibus judicium de M. S. Codice Colbertino, & varias lectiones Catalogi nostri exhibet: *Codex 1868. Bibliothecæ Colbertinæ, quem constat esse similem ei, qui extabat in Bibliotheca Reginæ Christinæ, scriptus est sub Imperio Karoli M. Catalogus Pontificum Romanorum incipit à S. Petro, & habet hunc titulum: Hic sunt Pontifices Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Beati Petri Apostoli. Desinit autem in Adriano I. hoc modo XCVII. Adrianus sedit ann. XXIII.M.X.D.XVII. Postea quidam vetus addidit: XCVIII. Leo Papa.* Atque hæc sunt prima Baluzii verba, quibus constat de antiquitate Codicis M. S. ex Catalogo simili, ut puto, illi, quem nos diximus contineri in Codice Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, qui desinit in Paschali Primo.

6. Porrò de Secundo Catalogo, de quo hic agimus, notat, varias lectiones *in Gestis Pontificum* rperiri, quas hìc paucis exceptis referemus, eò quòd variæ illæ lectiones potiùs respectu editionis Henschenianæ, quàm nostri Codicis M. S. locum habere animadverterim. Sic notat Vir Cl. legi in Petro: *In territurium triumphale via Aurelia III. Kal. Julii*, quo modo etiam legitur in M. S. Codice Alexandrino-Vaticano, licèt habeat editio Henscheniana: *Inter Zetarium triumphale III. Kal. Junii*. Deindè notat Baluzius ex suo codice: *Cletus ponitur ante Clementem*. Quod idem habet codex Alexandrino-Vaticanus, quamvìs Henscheniana editio, nescio qua ratione, aut quo fundamento, Cletum Clementi postponat. Notat insuper Baluzius ex Codice Colbertino, in Victore legi, *cum Theophilo Episcopo Alexandriæ de Luna*. Quod idem legitur in Codice Reginæ Sveciæ, licèt editio Henscheniana loco *Alexandriæ*, ponat *Cæsareæ*, & Theophilus non Alexandriæ, sed Cæsareensis Episcopus fuerit. Deindè Baluzius ex Codice Colbertino in Lucio Papa: *Capite truncatus est VI. nonas Martii*; quod etiam habetur in Codice Alexandrino, licèt in Henscheniana editione legatur: *III. nonas Martii*. Baluzius iterum ex codice Colbertino legit in Damaso: *Sedit annos XVII. menses III. dies XI. Fuit temporibus Juliani, fecit Bibliothecas duas*. Quod idem legitur in Codice nostro, licèt in editione Henscheniana omittatur: *Fuit temporibus Juliani*. Demùm in Felice Papa legit ex suo codice Baluzius: *Cessavit Episcopatus die 1.* prout etiam habetur in nostro, licèt Henscheniana editio habeat: *Cessavit Episcopatus per dies III.* cum quibus verbis Henschenius finem Catalogo imponit, ubi tamen in nostro M. S. Codice, ex quo Catalogum describi curavit, sequuntur illa duodecim Pontificum nomina cum nota annorum 444. qui à B. Petro usque tunc intercesserunt, quæ eadem sequuntur in Codice Colbertino, ut V. Cl. Baluzius in variis lectionibus ad me transmissis testatur.

7. Et ex his quidem manifestè constat, utrumque Codicem M. S. Colbertinum, & Alexandrino-Vaticanum exhibere eumdem omninò Catalogum esse, & vel secundum ex primo descriptum esse, ut Pagius retulerat, vel utrumque Codicem ex altero antiquiori fuisse desumptum; quod ultimum facilè contingere potuit, cùm uterque codex Colbertinus & Alexandrino-Vaticanus antiquissimus sit, & caracteribus Carolinis conscriptus, & nonnullæ variantes lectiones, licèt paucæ admodùm, in utroque reperiantur. Sic Colbertinus in Petro legit *Territuriem, & via Aurelia*: ubi Alexandrino-Vaticanus habet *Territurium, & via Aurelia*. In Telesphoro Colbertinus: *Et cessavit Episcopatus dies VII.* ubi Alexandrino-Vaticanus habet: *dies VI.* In Ygino Colbertinus: *Episcopos per diversa loca VII.* Alexandrino-Vaticanus, *per diversa loca VI.* In Aniceto Colbertinus, *per diversa loca IX.* Vatic. *per diversa loca VIII.* Item primus: *cessavit Episcopatus dies VII.* secundus, *dies VI.* Colbertinus in Zephyrino: *Episcopus interest, tantum Clericus sustinerit*. Alexandrino-Vaticanus: *Episcopo interest, tantum Clerus sustineret*. Atque hæ, aliæque variantes lectiones facilè convincunt, antiquiores codices extitisse, ex quibus Catalogus Colbertinus, & Alexandrino-Vaticanus descripti fuerunt, omnesque hos habuisse originem ex autographo, quod sub Justiniano Imperatore post mortem Felicis Quarti conscriptum fuit: quòd enim in utroque Manuscripto Codice Colbertino, & Alexandrino-Vaticano post Felicem adjungantur 12. Pontificum nomina, cum annis, mensibus, & diebus, quibus federunt, ab aliquo imperito librario adjunctum fuisse ostendimus, idque temporibus Pelagii Secundi factum putamus, quibus librarius ille Catalogum ex autographo describens Pontifices post Felicem adjecit, & erroneam illam temporis notam de 444. annis à Petro usque ad Pelagium Secundum, qui anno 577. Pontificatum adeptus est, adjunxit. Atque satis hactenus de Manuscriptis Codicibus, ex quibus Catalogus publicatur. Nunc de illis, quæ Catalogo continentur, paucis agendum est.

8. Habet hic Catalogus Consules, quibus singuli Pontifices creati sunt, & decesserunt, incipiendo à Petro Apostolorum Principe, & primo Romano Pontifice usque ad Liberium, cum quo finit prior Catalogus, & ex quo auctor secundi Catalogi eò usque Consulum nomina descripsit, ut tribus potissimùm rationibus comprobatur, quarum prima ex Consulum nominibus, quæ eadem ubique reperiuntur, desumitur. Secunda ex erroribus, qui in utroque quoad Consulum nomina iidem fermè comparent. Tertia ex eo, quòd auctor post Liberium nullos Consules posuit in sequentibus Pontificibus, eò quòd deficiente priori Catalogo non habebat, undè desumeret Consulum notitiam. Deficiunt itaque in hoc secundo Catalogo à Liberio usque ad tempora Joannis I. & Felicis Quarti, quorum duorum tempora auctor per Consules designat, quia sub illis vixit, scripsitque; undè & cum iis finem Catalogo imponit.

9. Nec sola Consulum nomina, sed nonnulla quoquè Pontificum acta ex primo Catalogo, Auctor secundi Catalogi eo modo desumpsisse videtur, ut tamen licitum sibi crediderit, iis quandoque neglectis, aliundè acta referre. Sic quamvìs in primo Catalogo habeatur de Petro: *Passus autem cum Paulo die 3. Kalendas Julias, Coss. suprascriptis, imperante Nerone*: & auctor secundi Catalogi ex priori habeat: *Hic*

martyrio

Digitized by Google

martyrio cum Paulo coronatur..... adjungit tamen : *qui & sepultus est via Aurelia in templo Apollinis juxtà locum, ubi crucifixus est juxtà Palatium Neronianum in Vaticano, inter Zetufium triumphale III. Kal. Junias*. Quæ aliundè desumpta sunt, & errorem continent circa Kal. Junii, cùm legendum sit *III. Kal. Julias*. Idem probatur ex actis, quæ prior Catalogus in Pio refert his verbis : *Sub hujus Episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus, cùm venit ad eum in habitu Pastoris*. Quæ verba omninò transcripsit auctor secundi Catalogi, adjungens tamen : *& præcepit ei, ut Sanctum Pascha die Dominica celebraretur*. Quæ aliundè quoquè desumpsit. Confirmatur etiam ex iis, quæ prior Catalogus exhibet in Pontiano : *Eo tempore Pontianus Episcopus, & Hyppolytus presbyter, exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam Severo, & Quintino Consulibus. In eadem Insula discinctus est IV. Kal. Octobris, & loco ejus ordinatus est Anteros XI. Kal. Decembris, Consulibus suprascriptis*. Quæ auctor secundi Catalogi partim descripsit, partim aliis verbis retulit, partim omisit. Sic enim habet in Pontiano : *Eodem tempore Pontianus Episcopus, & Hyppolytus presbyter exilio sunt deportati ab Alexandro in Sardiniam Insulam Bucinam Severo, & Quintiano Coss. in eadem Insula afflictus, fustibus maceratus, defunctus est III. Kal. Novembris*. Ubi licèt pleraque sint ex priori Catalogo descripta, adjuncta tamen sunt nomen Alexandri Imperatoris, & modus, quo martyrium subiit; mutatum quoquè est nomen loci, & dies XI. Kalend. Decemb. in diem III. Kal. Novembris commutatus. Quibus accedit, quòd auctor secundi Catalogi sub Pontiano nullam mentionem faciat Antheri ; undè facilè apparet, auctorem secundi Catalogi acta quidem nonnulla ex antiquiori Catalogo descripsisse, non tamen eum in omnibus fuisse secutum, sed aliundè quoquè ea desumpsisse.

10. Confirmari nec possunt ex iis, quæ Auctor prioris Catalogi habet in Fabiano, Cornelio, & Lucio summis Pontificibus : nam quæ refert in Fabiano, partim descripsit, partim omisit auctor secundi Catalogi. Quæ prior Catalogus exhibet in Cornelio, secundus Catalogus planè omisit, & ne verbum quidem ex iis retulit. Quæ auctor prioris Catalogi refert in Lucio, auctor secundi ferè omnia verbatim descripsit, ut conferenti utrumque hunc Catalogum manifestè patebit. Præter hæc autem acta habet antiquior Catalogus in Marcellino : *Quo tempore fuit persecutio, & cessavit Episcopatus ann. VII. mens. VI. dieb. XXV.* Quæ secundus Catalogus sic refert : *quo tempore fuit persecutio magna..... & cessavit Episcopatus annos sex, menses sex, dies vigintiquinque, persequente Diocletiano Christianos*. In quibus verbis, quæ ad persecutionem spectant, ex priori Catalogo descripta sunt : quæ ad annos sedis vacantis pertinent, mutata sunt ; quæ ad persecutoris nomen faciunt, aliundè desumpta sunt. Sequuntur demùm nonnulla acta in Julio Primo, cujus ædificia sacra auctor prioris Catalogi recenset, quorum ne verbum quidem in secundo Catalogo. Undè satis superque ex actis ipsis confirmatum esse putamus, quod probandum suscepimus, auctorem secundi Catalogi acta quidem nonnulla ex priori Catalogo descripsisse, licitum tamen sibi existimasse, iis quandoque omissis, aliundè acta desumere, quæ quàmplurima in singulis Pontificibus refert.

11. Adducit enim complura ex antiquis Sanctorum Actis desumpta, quorum aliqua licèt non iis ipsis temporibus conscripta sint, quibus contigerunt, sæculo tamen sexto antiquiora sunt omnia, & plerunque ex Proconsularibus Martyrum gestis, & veris Sanctorum Actis deducta videntur. Sic dicendum de iis, quæ auctor hujus Catalogi tradit in Alexandro I. de Eventio, & Theodulo : quæ de Valeriano S. Cæciliæ sponso refert in Urbano, quæ de B. Lucina tradit in Cornelio : quæ de B Laurentio narrat in Xysto, cujus martyrii Acta D. Ambrosii temporibus reperiebantur. Nec sola Martyrum Acta, sed statuta quoquè pro disciplina Ecclesiæ edita exhibet auctor in singulis Pontificibus : refert enim in Lino, quòd statuerit, ut mulier in Ecclesia velato capite introiret ; in Xysto, quòd constituerit, ut ministeria sacra non tangerentur, nisi à ministris : in Aniceto, quòd jusserit, ne Clericus comam nutriret : in Victore, quòd statuerit, ut Pascha die Dominico celebraretur : in Lucio, quòd præceperit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Episcopum non desererent : & sic in aliis Pontificibus, quæ nimis longum esset singula enumerare, & facilè videri possunt in ipso Catalogo, ex quo hoc unum dumtaxat adjungam, quòd in singulis Pontificibus referat, quot ordinationes fecerint, & quot Episcopos, Sacerdotes, ac Diaconos consecrarint, incipiendo à Clemente I. in quo refert : *Hic fecit ordinationes tres, presbyteros 10. diaconos 2. Episcopos per diversa loca 5.* In Evaristo : *Hic fecit ordinationes quatuor, presbyteros 17. diaconos 9. Episcopos per diversa loca 15.* & ita in aliis Pontificibus usque ad Hormisdam, in quo auctor non annotat numerum ordinationum, Diaconorum, Sacerdotum, vel Episcoporum, sed simpliciter refert. *Hic fecit ordinationes, presbyteros, Episcopos per loca*. Et in Joanne Hormisdæ Successore : *Hic ordinationes fecit per loca*. In Felice autem Joannis Successore, in quo Catalogus desinit, rursùs habet numerum his verbis : *Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinquaginta quinque, Diaconos quatuor, Episcopos per loca viginti novem*. Ex quibus colligo, auctorem ex aliquo Romanæ Ecclesiæ regesto, aut monimento ante Hormisdæ tempora conscripto desumpsisse notitiam ordinationum ; ideò autem neque in Hormisda, neque in Joanne, sed solùm in Felice IV. annotasse, quia definente regesto, aut monimento, non habebat aliam hac de re notitiam, quàm quæ tempore Felicis Quarti, sub quo vivebat, ad aures suas pervenerat.

12. Atque hæc quidem sufficiant de secundo Catalogo, de quo, quia sequentibus Capitibus multa alia observabimus, hoc loco inquirendum restat, à quonam auctore hic Catalogus, & ubinam compositus fuerit. Ac de nomine auctoris nihil mihi compertum est, cùm Catalogus scriptus sit sexto sæculo, quo nemo è veteribus acta Romanorum Pontificum collegisse memoratur. Quantum tamen ex Actis ipsis colligi videtur, auctor Romæ floruit, & Archivo Apostolico forsan præpositus fuit. Quòd enim auctor Romæ scripserit, indicat magna rerum Urbis, & agri Romani notitia, quam habuit. Omnia Cœmeteria, etiam quamlongissimè ab Urbe sita, omnia sepulchra Martyrum, etiam in cryptis, & cavernis posita, omnes Ecclesias, & regiones Urbis, omnes reliquias, & titulos, omnes vias, viarumque distantias, cætera demum omnia perspecta habuit. Quòd autem Archivo Apostolico forsan præfectus fuerit, deduci

Digitized by Google

ci videtur ex iis, quæ habet de Leone Magno: *Hic fecit epiſtolas multas exponens Fidem Catholicam rectam, quæ hodiè Archivo Eccleſiæ Romanæ tenentur*. Et ex actis Hormiſdæ, in quibus auctor refert, ex mandato Juſtini omnes Epiſcopos libello Catholicæ fidei ſubſcripſiſſe: *Qui textus libelli*, inquit, *hodiè Archivo reconditus tenetur*. Quomodò enim auctor Romanum Archivum citaſſet, niſi illud vidiſſet, eique for- | A | ſan præpoſitus fuiſſet? Illa ſanè, quæ de ſingulorum Pontificum decretis, de eorum geſtis, de Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordinationibus ubique affirmat, clarè indicant, auctorem ea omnia ex regeſtis Archivi deſumpſiſſe, adeò ut, ſi Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarius non fuerit, acceſſum ad Bibliothecam Pontificiam habuiſſe cenſendus ſit.

CAPUT QUINTUM.

De Libro Pontificali.

1. *Liber Pontificalis primùm à Petro Crabbe Tomis Conciliorum inſertus, ſæpiùs deinde à Baronio citatus in Annalibus, typis demùm Moguntiæ anno 1602. integrè excuſus eſt.*

2. *Poſt Moguntinam editionem prodiit Pariſienſis Annibalis Fabrotti, qui ei variantes lectiones ex quinque M. SS. Codicibus ſubjecit, quorum duo in Bibliothecis Germaniæ, tres in Galliarum Bibliothecis extant.*

3. *Opus, quod Annibal Fabrottus ſe incorrectum reliquiſſe fatetur, Lucas Holſtenius ex Codicibus Vaticanis, Regiis, Medicæis, Caſſinenſibus, & Farneſiano omnium antiquiſſimo corrigendum ſuſcepit; ejuſque verba de M. SS. Codicibus, quibus uſus eſt, adferuntur.*

4. *Ex Codice Farneſiano adducitur fragmentum vitæ Sergii II. hactenus ineditum, & variantes lectiones ex Autographo Holſtenii exhibentur.*

5. *In Libro Pontificali additæ ſunt complures donationes piæ Baſilicis Urbis factæ.*

6. *Complura quoque Martyrum Acta, inter quæ licèt nonnulla ex monumentis dubiis deſumpta ſint, illa tamen ab antiquiori ævo, & quandoque à primis Eccleſiæ ſæculis extitiſſe conſtat.*

7. *Acta Pontificum à Petro Apoſtolo, uſque ad Conſtantinum Papam breviora, à Conſtantino, uſque ad Stephanum Sextum ampliora ſunt, adeò ut totam fermè hiſtoriam Eccleſiaſticam comprehendant.*

1. POſtquàm egimus de duobus antiquioribus Catalogis Romanorum Pontificum, reſtat, ut de libro Pontificali tractemus, quem primus ex M.SS. codicibus eruiſse videtur Petrus Crabbe, qui eum editioni Conciliorum Colonienſi anni 1538. inſeruit hoc titulo: *Liber Pontificum à Petro Papa uſque ad Nicolaum Papam I. in quo eorum geſta deſcribuntur, primorum per Damaſum Papam, reliquorum autem per alios veteres, ac fide dignos*. Vitas primorum Pontificum à Petro uſque ad Liberium citat ex libro Pontificali Damaſi, reliquorum verò à Damaſo uſque ad Leonem Tertium citat *ex libro Pontificali*. Cujus veſtigiis inhærentes Laurentius Surius, & qui Surium ſubſecuti ſunt, Conciliorum compilatores, Romanorum Pontificum vitas ſparſim collectioni Conciliorum inſeruerunt, uti & Annalibus plura libri Pontificalis fragmenta inſeruit Baronius, qui cum ex M. SS. Codicibus libri iſtius lectiones frequenter emendaſset, occaſionem præbuit auctori præfationis, quæ libri hujus editioni Moguntinæ anno 1602. typis Joannis Albini publici juris factæ præponitur, aſſerendi: *Quòd variæ lectiones, vel ex duobus Conciliorum Tomis Surianæ editionis, vel ex Annalibus Baronianis, in quibus verba Anaſtaſii paſſim in ſingulis Pontificibus, paucis prætermiſſis citantur, ſunt deſumptæ*. Porrò Anaſtaſii mentionem facit, quia ſub nomine illius librum Pontificalem ediderat, hoc illi præfixo titulo: *Anaſtaſii S. R. E. Bibliothecarii hiſtoria de vitis Romanorum Pontificum à B. Petro Apoſtolo, uſque ad Nicolaum I. numquam hactenùs typis excuſa. Deindè vita Hadriani II. & Stephani VI. auctore Guillelmo Bibliothecario ex Bibliotheca Marci Velſeri Auguſtanæ R. P. III. viri.*

2. Quòd ſi quiſquam petat, qua ratione editio Moguntina anni 1602. vocetur prima hujus libri Pontificalis editio, cùm ante tot annos eum edidiſſet Crabbe in editione Conciliorum Colonienſi; facilis eſt hujus quæſtionis reſponſio, quòd nimirum Crabbe hunc librum Pontifica- | B | lem neque integrum, neque uno, & continuo contextu edidiſſet, prout ex M. S. Codice Marci Velſeri Triumviri Auguſtani prodiit addito nomine auctoris, qui Anaſtaſius Bibliothecarius ſupponitur, ſub quo nomine Annibal Fabrottus anno 1648. in fol. typis regiis eumdem librum Pontificalem edidit cum pleriſque variis lectionibus, quas ex variis M. SS. Codicibus deſumptas operi ſubjecit. Ac primò quidem ex binis M. SS. Codicibus Marquardi Freheri, quorum alter in Leone IV. alter in Stephano VI. deſinit. Deindè adjungit alias variantes lectiones ex duobus Codicibus, Regio nimirùm, & Mazarino, quorum ultimus hunc titulum præfert: *Incipit Series Pontificum Romanorum, qui in Sede B. Petri Apoſtoli ab ipſo uſque ad hoc* | C | *tempus ſederunt*. Refert autem inter alia ex his duobus Codicibus in Sylveſtro fragmentum donationis Conſtantini ſatis amplum, quod in nullis aliis libri Pontificalis Codicibus hucuſque reperi. Undè conjeci, librum in illis codicibus interpolatum eſſe, eoſque recentiori manu conſcriptos fuiſſe, qua in re confirmatus ſum ex iis, quæ Annibal Fabrottus annotavit circa finem harum lectionum de Romanorum Pontificum vitis, quas continent *uſque ad Martinum V.* Antiquior proindè eſt Codex Thuanus, cujus variantes lectiones prædictis ſubjecit cum hoc Codicis titulo: *Incipit liber Epiſcopalis, in quo continentur Acta B. Pontificum Urbis Romæ*. | D | Mutilus eſt, & deſinit in Stephano Quarto, ut Annibal Fabrottus fatetur in fine, præfatus initio operum Anaſtaſii, hunc librum Pontificalem mendis ſcatere. *Auctorem hunc mendis ſcatere non inficior*, inquit, *& fortaſſe præſtabat paucorum eum manibus teri, quàm denuò cum tot mendis prodire. Sed omninò melius eſt, etiam inemendatis auctoribus frui, quàm eis penitùs carere. Interim dum melior editio curetur, varias lectiones ex tribus Codicibus veteribus exceptas adjecimus, quorum ope ſine dubio caſtigatior editio poterit adornari*. *Uſi autem ſumus regio Codice*, &

Digitized by Google

& Mazarino, quo Gabriel Naudæus præcellentis doctrinæ vir, Eminentissimi Cardinalis Bibliothecam auxit. Uterque autem videtur ab eodem exemplari manasse: in paucis enim invicem differunt. Contuli etiam cum Codice Thuano, antiquissimo illo quidem, sed scribæ librarii inscitia in multis haud satis emendato.

3. Cùm ex prædictis Annibalis Fabrotti verbis manifestè appareat, editiones libri Pontificalis ad suum usque tempus mendis repletos fuisse, & meliorem editionem ex M. SS. Codicibus curari posse; curam hanc in se susceperat vir doctissimus prædecessor quondam meus Lucas Holstenius, qui Anastasii historiam de vitis Romanorum Pontificum editionis Moguntinæ cum præstantissimis totius Italiæ M. SS. Codicibus contulit, ut illam correctiorem, emendatioremque ederet. Autographum Holstenii ex libris Moroni emptum in Bibliotheca Vaticana reposui, in cujus primo folio manu Holstenii annotata sunt sequentia. *De M. SS. Codicibus, ad quos Anastasium contulimus. Quæ à principio libri usque ad paginam 53. atramento notata sunt in margine, variæ lectiones sunt ex Codice M. S. Vaticano, qui fuit Sacri Monasterii Casinensis, vel ex Sanctuario Mombritii, vel etiam collectione Canonum Anselmi Lucensis, quæ manuscripta extat in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini. Quæ minio notata à principio usque ad eandem paginam 53. sunt variæ lectiones optimi Codicis manuscripti Florentini, ex Bibliotheca Conventus S. Marci. Indè pagina 54. incipiunt collationes M. S. Farnesiani scriptis litteris majusculis, quo nihil antiquius extare puto in hoc genere, & codex haud dubiè ante natum Anastasium scriptus fuit, vel sanè eo tempore, quo ipse Anastasius vixit. Et quia collationes Farnesiani Codicis minio scriptæ sunt usque ad paginam 63. hoc est usque ad Bonifacium IV. idcirco ad distinguendum codicum diversorum lectiones, à pagina 54. usque ad 63. collationes Codicis Florentini atramento notavi. Indè à pagina 63. usque ad 72. . . ad vitam S. Eugenii, Farnesianæ collationes atramento, Florentinæ minio notatæ sunt, iterum à pagina 72. usque ad paginam 107. ubi incipit vita Zachariæ PP. Farnesiana minio, Florentiniana atramento collata sunt. Pag. 107. vita Zachariæ in Farnesiano desideratur, collationes ex Florentino Codice minio notatæ sunt usque ad paginam 115. ubi Farnesianus iterum incipit. Ubi iterum Florentinæ lectiones atramento notantur usque ad paginam 136. indè rubro usque ad mediam paginam 138. Indè enim iterum atramento notantur usque ad principium paginæ 143. nam indè usque ad paginam 158. Florentini Codicis lectiones signantur rubro, atque ibi in vita Hadriani desinit. Habui deindè alium Codicem manuscriptum Longobardicum, antiquissimum ex eadem Bibliotheca Conventus S. Marci multò vetustiorem priore, ejus lectiones atramento notavi, ubi cum Farnesiano, & Florentino I. convenit, lectiones dictorum codicum linea nigra subduxi, qua hujus optimi codicis consensus notatur: sed ubi peculiare quid habet, atramento signavi, apposita nota Fl. 2. hoc est Florentinus Codex 2. Desinit autem codex iste in Leone II. pag. 80. Præterea mutilus est à pagina 47. usque ad pag. 58. Cum hoc Codice Florentino 2. in omnibus fermè consentit Cod. Vatic. 5269. qui desinit in Gregorio II. Hujus Codicis notæ sunt Vatic. minor, vel V. M.*

4. Fideliter hucusque retuli, quæ Lucas Holstenius initio annotavit, ex quo nemo non videt, quàm immensi laboris opus vir æterna memoria dignus ex præstantissimis Vaticanæ, Regiæ, S. Marci Florentinæ, Cassinensis, & Farnesianæ Bibliothecarum Codicibus inchoaverit, & morte præventus nobis imperfectum reliquerit, ex quo, ne tantus labor pereat, post hanc Dissertationem librum Pontificalem à B. Petro usque ad Felicem Quartum edemus, cætera reliquentes iis qui integro libro Pontificali edendo animum intendunt. Sunt enim complures post Felicem Quartum lectiones, quæ ad corrigendum opus illud facere possunt. Sunt etiam quædam fragmenta in vita Sergii Secundi, quæ ex antiquissimo Codice Farnesiano in fine retulit, ex quibus pro specimine sequentia referimus. In vita namque Sergii II. post illa verba: *Quod nullus Pontificum per tot annorum curricula ad tanti decoris speciem perducere arbitratus est*. Sequitur in M. S. Farnesiano: *Hic Sanctissimus Præsul formam, quæ Jovia vocatur, quæ per evoluta annorum spacia demolita, atque à ruinis plena existebat, prospiciens, sicut benignus, & pius pastor à noviter eam restauravit: & tanta aqua abundanter præfulsit, qua penè totam Civitatem satiavit. Hujus temporibus fluvius, qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est, & per campestria dedit. Intumuit etiam inundatione aquarum multarum per Indict. octavam mensis Novembris die XXII. quod agebatur Sabbatum Natalis Sanctæ Cæciliæ Martyris, & ingressus est per posterulam, quæ appellatur Sanctæ Aghatæ, in Romanam Urbem, hora prima diei. Transcendit interea in aliquibus locis, & muros Urbis, & egressus est in Ecclesiam B. Laurentii, quæ appellatur Lucinæ, & exinde ingressus est ad Beatam, semperque Virginem Dei Genitricem, quæ posita est in via lata: & indè transivit ad Beatum Marcum, per plateas se extendit, agros desertavit, eradicans arbusta. Hujus hora noctis aquam amovit, & fluvius ad proprium suum regressus est alveum &c.*

5. Atque ex his quidem patet, quo in pretio habendæ sint variæ illæ lectiones, & fragmenta ex MSS. Codicibus à Luca Holstenio excerpta; cùmque omnia edere, ad institutum nostrum minimè pertineant, à reliquis recensendis abstinebimus, & ad ipsum librum Pontificalem redeuntes nonnulla observabimus, quæ ad rem nostram magis faciunt. Ac illud in primis notatu dignum ducimus, librum Pontificalem ultrà Pontificum Acta à secundo Catalogo exhibita continere quàmplura alia, ut inter alia videre est in Clemente, Cornelio, & Marcello Pontificibus. Quæ autem in Sylvestro addunctur, longè clariùs monstrant id, quod probandum suscepimus. Acta enim S. Sylvestri sunt triplò ampliora, quàm illa, quæ exhibentur à secundo Catalogo. Consistunt autem præcipuè in donationibus piis, quas Constantinus fecit pro Urbis, & agri suburbani Ecclesiis. Post Sylvestrum frequenter addita sunt ab auctore libri Pontificalis, quæ à Pontificibus Romanis oblata sunt Urbis Ecclesiis, & Basilicis. Sic in Damaso Papa, Innocentio, Bonifacio I. Sixto III. Leone I., Hilaro, Simplicio, Symmacho, & reliquis Pontificibus eorumdem Successoribus, ut quisque ex ipso libro Pontificali facilè videbit.

6. Præter donationes verò in libro Pontificali continentur plura Martyrum Acta, inter quæ licèt nonnulla supposititia sint, antiqua tamen, & primis Ecclesiæ sæculis conscripta videntur. Sic in Clemente citatur quidem epistola ejus ad Jacobum, illa tamen, licèt Clementis non sit, ei ante Eusebii tempora tributa fuit. In Marcellino mentio fit ejus lapsus, & pœnitentiæ, quæ

Digitized by Google

quæ quamvis desumpta sint ex Actis antiquissimis Concilii Sinuessani, Acta tamen illa ante Isidori Mercatoris ætatem concinnata fuerunt. In Eusebio mentio fit inventionis S. Crucis opera Cyriaci Judæi, quæ licet desumpta sint ex Actis à Gelasio Papa rejectis, Gelasii tamen ætate antiquiora sunt. Pauca quædam alia narrantur de Pontificum martyriis, quæ licèt ex Actis interpolatis excerpta sint, Acta tamen semper reperientur ab antiquioris ævi auctoribus conscripta fuisse, ut quæ de Pontii, aliorumque nonnullorum Martyrum Actis vidimus Dissertatione II. superiùs adducta. Reliqua omnia ex sinceris, & minimè interpolatis Martyrum Actis, vel ex publicis Notariorum Sedis Apostolicæ tabulis, vel ex probatorum Scriptorum operibus desumpta sunt.

7. Omitto Acta ipsa Romanorum Pontificum, in quibus à Petro Apostolo usque ad Constantinum Papam recensendis, auctor libri Pontificalis breviter se expedire solet. A Constantino autem Papa, usque ad Stephanum Sextum adeò diffusus est, ut meritò dici possit, totam historiam Ecclesiasticam sub istorum Pontificum vitis comprehendisse: exhibet enim quæcumque in Italia, quæcumque in Europa, & Oriente ipso acta sunt in rebus Ecclesiasticis ab Imperatoribus. Sic in Constantino narrantur, quæ Constantinopoli contigerunt. Sub Justiniano, & Philippico in Gregorio Secundo, quæ contra Agarenos; in Hispania à Gallis; Constantinopoli à Leone Principe peracta sunt. Describit Longobardorum invasiones, Francorum pro Ecclesia bella, aliaque quamplurima, quæ vix alibi reperire est adeò exactè, adeò clarè descripta. Desinit in Stephano Sexto cum illis verbis: *Eos de Cœlo auxilium petere debere contra flagellum imminens, & mox læta*. Cetera desiderantur: undè patet, vitam hanc esse mutilam, & aliquid desiderari in libro Pontificali, quod ex integriori exemplari suppleri poterit.

CAPUT SEXTUM.

1. *Duæ epistolæ Damasi Papæ & Hieronymi presbyteri in M. SS. Codicibus libro Pontificali præposita sunt. Unde à nonnullis liber Pontificalis Damaso Papæ tribuitur.*

2. *Damasum non esse auctorem libri Pontificalis, D. Hieronymi auctoritate ostenditur, & ex omnibus scriptorum testimoniis comprobatur, qui post Bedam librum Pontificalem sine ulla Damasi mentione citarunt.*

3. *Adducuntur S. Anselmi Lucensis, & Card. Deusdedit loca ex gestis Damasi citata, quæ tamen non ex libro Pontificali Damaso Papæ tributo, sed ex specialibus Damasi gestis per Mombritium editis, desumpta sunt, & nihil faciunt ad præsentem quæstionem.*

4. *Neque M. SS. Codices Vaticani, quibus liber Pontificalis continetur, Damasum auctorem habere potuerunt, eò quòd plurium Damasi successorum vitas contineant, unde tertii codicis scriptor expressè notavit, Damasum non potuisse nisi usque ad sua tempora scribere.*

5. *Petri Lambecii sententia adfertur de priori libri Pontificalis parte à Notariis Apostolicæ Sedis, diversis quidem temporibus, sed eodem stylo conscripta, & à Damaso Papa in tabulis Vaticanis reperta, ac ad Hieronymum transmissa.*

6. *Lambecii sententia examinatur, & ostenditur, quòd Notariis Apostolicæ Sedis tanquam auctoribus prior libri Pontificalis pars tribui non possit.*

7. *Neque à Damaso Papa probata fuit, ut ex pluribus, quibus scatet, erroribus, & ex styli ruditate, ac uniformitate à Petro usque ad eos, qui septimo sæculo sederunt, monstratur.*

1. CUm superiori capite monstraverimus, antiquiorem Catalogum non esse illum, cujus mentio in epistolis Hieronymi & Damasi Papæ reperitur: inquirendum est hoc capite, an forsan de libro Pontificali in prædictis litteris agatur. Rationem dubitandi præbent plerique Codices MSS. in quibus hæ duæ epistolæ libro Pontificali præponuntur. Sic libro 2. Commentariorum testatur Lambecius, quòd sub numero 277. asservatur in Bibliotheca Cæsarea *volumen membranaceum pervetustum magnique pretii in 4. quo continetur historia Rom. Pontificum, quæ vulgò quidem Anastasio Bibliothecario tribuitur, in hoc autem, & aliis quatuor Bibliothecæ Cæsareæ Codicibus MSS. adscribitur S. Damaso Papæ, nempe propter præfationis loco illi præfixas epistolas, quarum una incipit: Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus. Gloriam Sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur. Et secunda: Damasus Episcopus urbis Romæ Hieronymo, Gaudet Ecclesia tuo fonte satiata. Propter has igitur duas epistolas* (pergit idem Lambecius) *quæ non solùm in jam memoratis Augustissimæ Bibliothecæ Cesareæ, verùm etiam aliarum illustrium Bibliothecarum Codicibus quibusdam MSS. historiæ isti de vitis Pontificum Romanorum præfixæ sunt, creditum à nonnullis est, omnium illarum vitarum, quæ eo opere continentur à S. Petro Apostolorum Principe usque ad S. Damasum, ipsum S. Damasum esse authorem.*

2. Quamvis autem Lambecius hanc quorumdam opinionem proponat, rectè tamen observat, complures illi contradicere tum ob alias rationes, tum ob eam præcipuè, quòd D. Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis opera Damasi Papæ recensens, nullam libri Pontificalis mentionem faciat: *Damasus*, inquit, *Romanæ urbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia opuscula heroico metro edidit, & propè octogenarius sub Theodosio Principe mortuus est*. Huc etiam accedit, quòd nemo librum Pontificalem Damaso tribuerit ex omnibus illis, qui eum citarunt à Venerabilis Bedæ temporibus usque ad posteriora hæc sæcula. Ut enim omittamus tempora, quæ inter Damasum Papam, & Venerabilem Bedam media sunt, quibus apud nullos scriptores libri Pontificalis mentio reperitur, Beda primus, quod sciam, mortalium, citavit in Martyrologio suo ad 8. Idus Aug. nonnulla de morte Sixti *ex gestis Pontificalibus*, quæ nec Damaso, nec alicui particulari auctori tribuit. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui sæculo nono scripsit, epistola 28. ad Nicolaum I., hujus libri sub titulo *libri Episcopalis* meminit, quem nulli planè auctori adscribit. Rodulphus presbyter, qui eodem tempore cum Hincmaro Rhemensi vixit, in vita Rabani Abbatis per Browerum lib. 3. inter antiquitates Fuldenses edita, quædam de Reliquiis

Digitized by Google

quiis Sanctorum *ex gestis Pontificalibus* citavit, sed nequaquam ea Damaso tribuenda esse dixit. S. Ivo Carnotensis Episcopus sæpiùs parte 4. Decreti librum Pontificalem citat, sed nullibi eum à Damaso auctore conscriptum fuisse prodit. Titulus capitis 94. est iste: *De libris Gelasii ex libro Pontificali* Titulus cap. 124. *Item de confirmatione VI. Synodi ex libro Pontificali*. Romualdus qui à Luca Holstenio presbyter, ab aliis Salernitanus Episcopus dicitur, in historia, quæ M. S. Romæ asservatur, hunc librum simpliciter *Pontificalem* vocat: *Ut*, inquit pag. 80. *in Pontificali legitur*. Et ut finiam, Laborans Cardinalis in compilatione decretorum hactenus non edita, quæ in Archivo Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, cui hæc scribens præpositus sum, reperitur, bis mentionem facit hujus libri, cui titulum *gestorum Pontificalium* tribuit: parte enim 2. cap. 10. gesta Pontificalia citat & parte II. cap. 6. *ex Gestis Romanorum Pontificum*. Agatho natione Siculus &c. Ubi videre licet, Laborantem Cardinalem nulli auctori tribuisse librum, quo gesta Romanorum Pontificum continentur.

3. Ea Damaso Papæ tributa esse à S. Anselmo Lucensi, aliquandiù credidi, eò quòd libro tertio Decreti, quod MS. reperitur in Bibliotheca Barberina, legatur: *De Liberio Papa, & admonitione ejus: ex gestis Damasi Papæ tit.* 120. *iratus est vehementer Constantinus Imper. contra Liberium, & jussit eum extra Civitatem habitare. Habitabat autem ab Urbe Roma milliario tertio quasi exul in cœmeterio .... via salaria. Veniente autem die Pascha vocavit universos presbyteros Romanos, & Diaconos, & sedit in eodem cœmeterio, & dixit: Nolite timere, quia vobiscum non habito in civitate, habetis Vicarium nostrum fratrem, & Compresbyterum Damasum, cujus testimonium vos mihi perhibuistis*. Et paulò post: *Domini Sancti, & Compresbyteri, nolite cogitare de crastino, sic enim dixit Magister noster*. Eadem omninò habet Cardinalis Deusdedit in MS. collectione Victori III. nuncupata, cujus unicum, ut puto, exemplar in Bibliotheca Vaticana asservatur. Libro enim 2. capite 26. cùm in margine auctor collectionis notasset *ex gestis Damasi Papæ*, ponit textum ut Anselmus Lucensis his verbis: *Liberio vehementer Constantius Imperator iratus est; & jussit eum extra civitatem habitare &c.* Hæc enim cùm primo intuitu legissem, credidi, à duobus his scriptoribus ex libro Pontificali testimonium adferri, illumque librum Damaso Papæ ab ipsis tribui. Verùm ubi prædictum testimonium in libro Pontificali nullatenus reperi, errorem meum animadverti, & nequaquam hic librum Pontificalem, sed vitam, seu gesta Damasi Papæ, quæ à Mombritio ex antiquis MSS. Codicibus edita sunt, citari cognovi: Non tribuit itaque Beatus Anselmus gesta Romanorum Pontif. Damaso Papæ, & librum Pontificalem ibi non citavit, idque manifestum fit ex tit. 121. *De exilio Liberii Papæ, & Felice ejus consilio ordinato ex Pontificali*. Testimonium enim, quod hac de re exhibet, in libro Pontificali reperitur, quem ut ex titulis ipsis apparet, à gestis Damasi distinguit, prout etiam distinxit Cardinalis Deusdedit, qui libro 2. nu. 75. ex Romano Pontificali plura Pontificum decreta refert, quæ omnia in libro Pontificali reperiuntur, quem nequaquam Damaso tribuendum esse, affirmat.

4. Cùm ex prædictis sufficienter constet, ab antiquis scriptoribus librum Pontificalem nequaquam Damaso Papæ tributum fuisse; videndum nunc est de MSS. ejusdem libri Codicibus, an in iis liber ille Damaso inscribatur. Reperiuntur in Bibliotheca Vaticana tria hujus libri exemplaria, quorum alterum sub numero 3762. custoditur. Ubi exhibitis folio 1. suprà citatis Damasi, & Hieronymi epistolis, subnectitur hic titulus: *In nomine Domini incipit series Pontificum Romanorum, qui in Sede B. Petri Apostoli ab ipso, usque ad hoc tempus sederunt*. Exhibet autem vitas usque ad Honorium III. qui anno 1131. decessit, itaut hìc Pontifices reperiantur, qui per 700. annos post mortem Damasi sederunt, adeòque Damasus nequaquam hujus libri Pontificalis auctor esse possit. Secundum exemplar sub num. 5269. pagina 49. post prædictas litteras refert Catalogum Romanorum Pontificum à Petro, usque ad Gregorium II. illorumque vitas sine ullo titulo subnectit, quia optimè cognoverat tabellarius, Damasum auctorem esse non potuisse Pontificalis hujus libri, qui tot Pontifices à morte Damasi, usque ad Gregorium II. adjungit. Tertium autem exemplar sub num. 3760. Romanorum Pontificum vitas à Petro ad Martinum V. prosequitur, ac folio primo quidem duas præfatas epistolas ponit, sed hoc titulo eis præfixo: *Liber iste intitulatur, Damasus de gestis Pontificum: sed cùm non potuerit nisi usque ad sua tempora scribere, quod superadditum est, alterius est auctoris, cujus nomen non teneo*. Notanda sunt Codicis verba: licet enim auctor illius manifestè affirmet, librum Pontificalem, quo vitæ Romanorum Pontificum à Damaso, usque ad Martinum V. continentur, Damaso Papæ adscribi non posse; indicare tamen videtur vitas Pontificum à D. Petro, usque ad Liberium Damasi prędecessorem à Damaso ipso fuisse conscriptas. Quam opinionem quodammodo amplexus est Petrus Lambecius libro 2. Comment. Bibliothecæ Cesareæ capite 8. ubi sub nu. 277. mentem suam explicat sequentibus verbis.

5. *Verisimile*, inquit, *mihi videtur, primam historiæ istius de vitis Pontificum Romanorum originem non tantùm S. Damaso multo esse antiquiorem, verùm etiam inde à prima Notariorum S. Sedis Apostolicæ per S. Papam Clementem institutione derivandam, & repetendam esse. Cùm enim horum Notariorum præcipuum munus fuerit, gesta SS. Martyrum sollicitè, & curiosè perquirere, & diligenter annotata in Ecclesia recondere; simul etiam tunc necessario cœperunt scribi vitæ Romanorum Pontificum instar simplicis alicujus Catalogi, quo compendiosè indicaretur cujusque nomen, patria, pater, tempus Pontificatus, ordinationes, constitutiones, obitus, ac sepultura, & cessatio Episcopatus usque ad successionem novi Pontificis. Post libertatem autem Ecclesiæ Christianæ ab Imperatore Constantino Magno promulgatam, uti paulatim crevit Ecclesiæ Romanæ splendor, & opulentia, sic etiam catalogus ille evasit amplior, & grandior. Quoniam præter supra enarrata inseri etiam illi cœperunt, quasi cuidam rationario, extructiones, instaurationes, & exornationes templorum, aliorumque locorum sacrorum unà cum speciali recensione omnis sacræ supellectilis, omniumque donationum, tam mobilium, quàm immobilium, cum suis redditibus. Hic ergo Catalogus, qui licèt diversis temporibus, & à diversis auctoribus componeretur, ordine tamen, & stylo, ut in aliarum solemnium tabularum continuatione plerumque fieri solet, ubique sibi erat similis, latuit reconditus in Tabulario, sive Archivo Basilicæ Vaticanæ S. Petri Apostolorum Principis usque ad Pontificatum S. Damasi, à quo cùm S. Hieronymus per supra*

Digitized by Google

supra exhibitam epistolam petiisset, ut acta Pontificum Romanorum à S. Petro, usque ad sua tempora sibi enarret; curavit antiquam istam historiam Pontificalem ex tabulis Vaticanis describi, & Roma mitti Hierosolymam, ideoque tam in responso suo ad S. Hieronymum epistolam non appellat studium suum, sed Sedis Apostolicæ studium. Sic enim reverà interpretanda sunt hæc verba. Tamen quod gestum est, quod potuimus reperire nostræ Sedis studium, ad tuam charitatem gaudentes direximus. *Ipse igitur S. Damasus non composuit historiam illam Pontificum Romanorum, sed studio sanctæ Sedis Apostolicæ inde à S. Clementis Primi temporibus ex diversorum annotationibus paulatim conflatam, publici tantum fecit juris, & cum Sancto Hieronymo communicavit.*

6. Plura sunt in hac Lambecii sententia, quæ ad trutinam revocari merentur, ut de auctore libri Pontificalis manifestè constare possit. Quamvis enim Lambecius verè asserat primam historiæ de vitis Romanorum Pontificum originem S. Damaso multò esse antiquiorem, & à Notariorum S. Sedis Apostolicæ institutione derivandam, repetendamque esse; probare tamen non possum quod subjungit his verbis. *Cùm enim horum Notariorum præcipuum munus fuerit gesta SS. Martyrum sollicitè, & curiosè perquirere, & diligenter annotata in Ecclesia recondere, simul etiam tunc necessariò cœperunt scribi vitæ Romanorum Pontificum instar simplicis alicujus Catalogi, quo compendiosè indicaretur, cujusque nomen, patria, pater, tempus Pontificatus, ordinationes, constitutiones, obitus, ac sepultura, & cessatio Episcopatus usque ad successionem novi Pontificis.* Cùm enim fatente Lambecio horum Notariorum præcipuum munus fuerit, gesta SS. Martyrum sollicitè, & curiosè perquirere, & diligenter annotata in Ecclesia recondere, sequitur omnino, hos Notarios præcipuam operam in describendis Romanorum Pontificum Martyriis impendisse, & acta illa in Romana Ecclesia reposuisse, adeoque initio Ecclesiæ simplicem, & brevem aliquem Catalogum sed integram Pontificum Martyrum historiam exaratam fuisse, quæ sub Diocletiano forsan deperdita fuit, vix enim ejus memoria apud posteros relicta est, apud quos tamen remansit brevis quidam Catalogus Romanorum Pontificum, qui non à Damaso, sed ab homine privato tempore Liberii Papæ Damasi prædecessore conscriptus fuit, ut capite præcedenti perspicuè ostendimus. Ille autem Catalogus est, & non alius, qui successu temporum variis notitiis auctus fuit, & tempore Justiniani Imp. in illud opusculum excrevit, de quo sub secundi Catalogi titulo egimus. Probare itaque non possum quod dicit Lambecius, Notariorum Catalogum tempore Constantini Magni variis actis, & gestis augeri cœpisse, & in Archivo Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe repositum fuisse, ex quo eum usque ad Liberii Pontificatum à variis auctoribus deductum Damasus Papa desumpsit, & descriptum Roma Hierosolymam ad Hieronymum misit.

7. Sanè inter rationes evidentes, quas sibi obstare ipse Lambecius cognoverat, prima quidem illa est, quòd historia ipsa multis Chronographiæ erroribus, & nonnullis incertis assertionibus referta sit: ut facile probari potest ex iis, quæ præcedenti capite de antiquioribus Catalogis diximus, quos auctor Pontificalis adeò manifestè secutus est, ut eos descripsisse, & in usum suum assumpsisse cognoscatur. Undè eadem ratio, ob quam Anthero priorem partem antiqui Catalogi, & Damaso posteriorem abjudicavimus, demonstrat, librum Pontificalem Damaso Papæ tamquam auctori, vel approbatori abjudicandum esse. Secunda verò ratio, ob quam Lambecii opinionem admittere non possumus, ex stylo, ejusque uniformitate desumitur: cùm enim stylus incultus, rudis, & impolitus sit, primorum Ecclesiæ sæculorum ætatem, qua Latinæ linguæ elegantia excellebat, nequaquam sapere videtur: cùmque uniformis sit in omnibus Pontificum vitis à S. Petro Apostolo, usque ad eos, qui sexto, vel septimo sæculo sederunt, omninò colligitur, nequaquam à diversis, sed ab uno eodemque auctore, qui posterioribus sæculis vixit, scripsitque, fuisse compositum. Atque hoc omninò in causa fuit, quòd communi recentiorum sententia liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario noni sæculi Scriptori tributus fuit, ut statim videbimus. Neque igitur licebit mihi admittere, quod Lambecius his verbis adjungit: *Hic ergo Catalogus, qui licèt diversis temporibus, & à diversis auctoribus componeretur, ordine tamen, & stylo, ut in aliarum solemnium tabularum continuatione plerumque fieri solet, ubique sibi erat similis.* Quamvis enim idem omninò stylus servari possit in illis tabulis, quæ vix unum, aut aliud verbum continent, ut in fastis Consularibus, in Sedium Patriarchalium tabulis, Romanorum Impp. Catalogis, mortuorum diptychis, & similibus, quibus vix quidquam præter nomina exhibentur; in illis tamen tabulis, quæ ultra nomina Pontificum acta plurima exhibent, ut in libro Pontificali, vix possibile est, à diversis auctoribus eumdem stylum servari, ut cuique perito manifestius patere existimo, quàm quòd in hac veritate comprobanda tempus teram, & Lectoribus prolixitate sermonis tædium adferam.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

An liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario tribuendus sit?

1. *Velseri, Bellarmini, & Onuphrii Panvinii sententia, quòd liber Pontificalis tribuendus sit Anastasio Bibliothecario.*

2. *Baronii, & Holstenii sententia, qua liber Pontificalis Anastasio tamquam auctori abjudicatur, tribus modis probari posse videtur.*

3. *Primò ex eorum testimoniis, qui vel cum Anastasio, vel ante eum scripserunt, & tamen sine Anastasii nomine libri Pontificalis mentionem faciunt, ut Rodulphus presbyter, Hincmarus Rhemensis, auctor libri Ritualis Carolo Magno tributus, & Ven. Beda.*

4. *Ideo confirmatur eorum testimoniis, qui post Anastasium scripserunt, & librum Pontificalem absque Anastasii mentione citarunt, ut Anselmus Lucensis, Cardinalis Deusdedit, & Ivo Carnotensis, Romualdus, Laborans Cardinalis, & Bernardus Papiensis Præpositus.*

5. *Demum ex eo, quòd, licèt aliqui priorem partem Damaso Papæ, nemo tamen ante hæc ultima sæcula repertus sit, qui posteriorem partem Anastasio tribuerit, ut probatur testimoniis Martini Poloni, & Zenonis Patavini Episcopi.*

6. *Secundò probatur auctoritate MSS. Codicum, qui antiquitate sua Anastasii ætatem superant, & tamen librum Pontificalem continent.*

7. *Tertiò probatur ex diversitate styli, ex qua Lucas Holstenius rectè collegit ultimam libri Pontificalis partem à diversis Auctoribus conscriptam fuisse, adeòque uni Anastasio tribui non posse, quamvis id nonnulli recentiores existimarint.*

1. CUm pateat ex iis, quæ superiori capite diximus, librum Pontificalem nequaquam Damaso Papæ tribui posse, hoc capite inquirendum est, num Anastasio Bibliothecario tribuendus sit. Sic enim habet Marcus Velserus in præfatione ad librum Pontificalem, quem anno 1602. sub nomine Anastasii Bibliothecarii edidit. *Quia stylus, totaque scribendi ratio, quæ est in vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis (uti quivis non obesæ naris lector facilè odorari, & advertere poterit) prorsus in eam sententiam inclinamus, omnium illarum, licèt nonnullis in locis adulterina aliorum adjectione, vel detractione ob summam superiorum sæculorum inscitiam depravatæ sint, verum & Germanum Parentem esse Anastasium S. R. E. Bibliothecarium, quare ejus nomenclatura totum opus ornare non dubitavimus*. Et cum Velsero Bellarminus libro de scriptoribus in Damaso: *Tribuitur S. Damaso liber de Vitis Pontificum, qui extat in primo tomo Conciliorum; sed liber ille est Anastasii Bibliothecarii, non Damasi, ut notum est*. Et in Anastasio Bibliothecario. *Scripsit Vitas Pontificum Romanorum à S. Petro usque ad Nicolaum I.* Et ante Bellarminum Onuphrius Panvinius in notis ad Platinam, in vita Nicolai I. *Anastasius Monachus, & S. R. E. Bibliothecarius usque ad Nicolaum I. Romanorum Pontificum vitas, quæ adhuc apud me sunt scripsit, sub quo, & ejus successoribus Hadriano II. & Joanne VIII. in Urbe floruit. Quæ sequuntur, concinnavit Gulielmus quidam alter Bibliothecarius, quæ in libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, extat*. Atque hæc quidem viri illi eruditi, quorum sententia à cæteris minimè probatur.

2. Eminentissimus namque Card. Baronius ad annum Christi 867. agens de Anastasio Bibliothecario scribit: *Collectorem potiùs, quàm scriptorem vitarum præteritorum Pontificum Romanorum affirmamus*. Et qui post Baronium scripsit eruditus Holstenius in illo Anastasii operis exemplari, quod ad præstantissimos Codices Bibliothecæ Vaticanæ, Regiæ, Mediceæ, Farnesianæ, & Cassinensis recensuit, agens de hoc Baronii loco, ita in MSS. suis notis observat. *Baronius Anastasium collectorem potiùs, quàm scriptorem vitarum Pontificum, usque ad Nicolaum I. affirmat ad annum Christi 867. num. 139. sequentem autem Hadriani vitam ab eo scriptam existimat, & meo quidem judicio rectissimè*. Hæc paucis Lucas Holstenius, cujus opinionem firmare licet tribus potissimum rationibus, quarum prima nititur testimonio scriptorum, qui vel ante Anastasii tempora librum Pontificalem citarunt, vel post Anastasii mortem, eum nequaquam Anastasio tribuerunt: Secunda ex MSS. Codicum antiquitate desumitur, utpotè ex qua librum Pontificalem ante Anastasii tempora extitisse monstratur. Tertia demum ex styli diversitate repetitur, nam ex ea constat, plures vitas à diversis auctoribus libro Pontificali adjectas esse, adeoque Anastasium collectorem potiùs, quàm auctorem fuisse.

3. Ut autem à prima ratione incipiamus, proferenda sunt nonnullorum testimonia, qui vel cum Anastasio Bibliothecario vixerunt, vel diù, antequam fuit natus Anastasius, scripserunt. Extat sanè in Annalibus Francorum editis ex Bibliotheca P. Pithœi ad annum 865. mentio Rudolphi Fuldensis Cœnobii presbyteri, qui tunc florebat, & pro Doctore egregio, ac præstantissimo *Historiographo* habebatur, quem in charta donationis pro Scholasticis Fuldensibus egregiè laudat Ludovicus Ludovici Pii frater Rex Germaniæ, & Orientalium Francorum. Hic verò Rudolphus in vita Rabani Abbatis edita à Browero lib. 3. inter antiquitates Fuldenses ita scribit: Theodorus *attulit quoquè Ossa SS. Agapiti, Januarii, & Magni Diaconorum B. Xisti Papæ, qui cum eo sub Decio decollati sunt, sicut in gestis Pontificalibus legitur*. Ubi à Rudolpho presbytero citatur, non quidem Anastasii opus de Vitis Pontificum, *sed gesta Pontificalia*; adeòque colligitur, quòd Rudolphus, qui eodem tempore cum Anastasio vixit, jam librum Pontificalem penès se habuerit. Hincmarus quoquè Remensis Archiepiscopus, epistola 26. ad Nicolaum Papam *libri Episcopalis* meminit, qui alius esse non potest, quàm Pontificalis, ex quo refert tomo 2. pag. 305. de Ebdone à Sergio ad Synodum evocato, quòd ad eam non convenerit, videlicet *sicut superiùs memoratæ litteræ auctoritatis vestræ demonstrant. Talis à Sede Apostolica, & Papa Sergio habitus, quo lis ab aliis non ignorabatur haberi, idest, ut Codex Episcopalis ostendit, pro criminibus suis honore privatus, & ab Ecclesia pulsus*. Et paulò in-

infrà. *Sicut Sanctus Gelasius de Acacio dicit, qui à Sede Apostolica damnatus, & non restitutus, licèt Anastasius Papa, sicut in libro Episcopali legimus, eum recipere* voluerit, vitam finivit. Quæ ultima de Anastasio II. habentur in libro Pontificali, itaut nullum dubium esse possit, quin Hincmarus Rhemensis per librum Episcopalem, gesta Pontificalia intellexerit. His adjungi pòtest liber ritualis, quem Onuphrius Panvinius in notis MSS. (1) ad Cencium Camerarium Carolo Magno attribuit, in quo de Purificatione S. Mariæ: *De hac festivitate, & aliis festivitatibus S. Mariæ in gestis Pontificalibus legitur, quòd Sergius Papa præceperit letanias fieri in die Præsentationis Domini in templo. Ita enim scriptum est, ut in diebus Annunciationis Domini, Dormitionis, ac Nativitatis S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Simeonis, quod Hypapante dicitur græcè, cum letaniis exeant à S. Hadriano, & ad S. Mariam populus occurrat*. Hæc ibi quæ non sub Caroli Magni, sed incerti auctoris nomine edita sunt post fragmenta Caroli Magni, sed quid hæremus in hujus ritualis testimonio, cùm habeamus locum clarissimum Ven. Bedæ, qui plusquàm centum annis ante Anastasii tempora obiit, & tamen gesta Pontificalia citavit? In Martyrologio enim ad 8. Idus Augusti: *Romæ S. Sixti Episcopi, Felicissimi, & Agapiti Diaconi, qui decollati sunt cum eo, & alii quatuor Subdiaconi Januarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus, ut in Gestis Pontificalibus legitur*. Ita Beda in Martyrologio, quod Henschenius ex pluribus antiquis MSS. Codicibus correctiùs edidit, & quod in duobus octingentorum annorum MSS. Codicibus Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ reperitur. Quare certò constat, quòd ante Anastasium liber Pontificalis temporibus Bedæ jam conscriptus fuerit, & idcirco Anastasius illius auctor esse non possit.

4. Idem confirmatur ex iis auctoribus, qui licet post Anastasium Bibliothecarium scripserint, & librum Pontificalem citarint, numquam tamen Anastasii mentionem fecerunt: Anselmus Lucensis Episcopus sub Gregorio VII. lib. 3. Decreti cap. 120. agens de exilio Liberii Papæ, & Felice ejus consensu ordinato, librum, ex quo locum desumpsit citat his verbis: *ex Pontificali*, & lib. 1. cap. 77. habet hunc titulum *De obedientia, & humilitate, quam Rex Pipinus Stephano Papæ exhibuit ex Pontificali*, ubi nullatenus Anastasii meminit, eo quòd liber Pontificalis Anselmi temporibus nondum Anastasio tributus fuerit. Cardinalis Deusdedit in Collectione Canonum, quam Victori III. nuncupavit lib. 2. num. 75. plura de Conone Papa citat *ex Romano Pontificali*, ubi liber Pontificalis vocatur Romanus, quia in eo Romanorum Pontificum acta continentur, quæ tamen præfatus Cardinalis sine ullo auctoris nomine refert, eo quòd liber ille temporibus suis nulli auctori tributus esset, idem constat ex Ivone Carnotensi Episcopo parte 4. cap. 79. ubi habet: Sergium Papam propter quædam capitula extra ritum Ecclesiasticum annexa, non subscripsisse Synodo, quam Justinianus Imperator in Regia urbe collegerat ex libro Pontificali, & cap. 94. de libris Gelasii ex libro Pontificali. Et cap. 124. *Item de confirmatione sextæ Synodi ex libro Pontificali*. Idem planè Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in historia M. S. librum Pontificalem his verbis citans: *Hic idem* (Leo IV.) *ut in Pontificali legitur invidiosè super quibusdam criminibus pulsatus Synodum congregavit, & sese juramento innoxium demonstravit*. Eodem ferè modò intitulat librum illum Laborans Cardinalis, qui anno 1182. scripsit, ut ex ejus compilatione, quæ M. S. in Archivo Basilicæ S. Petri asservatur, licet colligere; parte enim 2. cap. 10. & parte 11. cap. 6. citat absolutè *Gesta Pontificum*, nullumque illorum gestorum auctorem indicat. His accedit Bernardus primùm Papiensis Præpositus, postea Faventinus Episcopus in Collectione Decretalium, quam Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus, inter antiquas Decretalium Collectiones primo loco edidit: libro namque tertio, titulo 4. cap. 2. habet: Ex gestis Romanorum Pontificum Leo III. Natione Romanus consilio Lotharii, & Ludovici Imperatorum sanctam, & venerabilem 77. Episcoporum in Ecclesia B. Petri Synodum congregavit: & lib. 5. tit. 5. cap. 2. Ex gestis Romanorum Pontificum: *tempore Zachariæ natione Græci contigit &c.* ubi gesta Romanorum Pontificum citantur, nulli tamen auctori tribuuntur, quòd nimirùm illis temporibus nondum sub Anastasii Bibliothecarii nomine liber Pontificalis circumferretur, ut jam supra indicavimus.

5. Porrò quamvis Scriptores veteres reperti sint, qui vitas Pontificum à Petro ad Liberium Damaso tribuerunt; neminem tamen reperi, qui posteriorum Pontificum vitas à Damaso Papa usque ad Nicolaum Primum, sub quo Anastasius Bibliothecarius scripsit, Anastasio adjudicavit. Martinus Polonus in Chronici sui procemio citat omnes auctores, ex quibus historiam Imperatorum, & Pontificum Romanorum desumpsit: *Compilavi*, inquit, *præsens opusculum ex scriptis Titi Livii; item ex Chronicis Orosii; item ex Chronicis Damasi Papæ de gestis Pontificum; item ex Chronicis Pauli Romani Diaconi Card. de gestis utrorumque; item ex Chronicis Richardi Monachi Cluniacensis* &c. Hæc Martinus Polonus, qui nullibi Anastasii Bibliothecarii meminit, licèt omnes enumeret, quos de Romanis Pontificibus legerat, & inter illos Damasum Papam ponendum esse existimarit. Eodem modo Jacobus Zenus Episcopus Patavinus in libro de vitis Pontificum nondum typis descripto, habet quidem Damasum Papam pro auctore prioris partis libri Pontificalis, sed nequaquam Anastasium Bibliothecarium posterioris partis auctorem agnoscit, ut enim Felicem Secundum verum Pontificem fuisse ostendat, Damasi auctoritate id in primis comprobat: *Damaso*, inquit, *de Antecessoribus suis Romanis Pontificibus, & his potissimum, qui eo agente vitam præfuerunt, fides probabilior adhibenda videtur. Si enim Damasus ipse hujus conditor operis fuit, quod epistolæ initio operis sitæ præseferunt; quis dubitare poterit, certiùs tenuisse illum, qui Maximi Pontifices per sua tempora præfuerunt?* Et hæc quidem Zenus Patavinus de priori libri Pontificalis parte à Petro Apostolo ad Damasi Pontificatum ob duas epistolas, quas ostendimus suppositias esse. Audiamus nunc, quid dicat de vitis Pontificum, qui Damasum Papam subsecuti sunt. Ita enim habet ad finem vitæ Felicis Secundi: *Quamquam enim tot Scriptores alii fuerunt, qui post Damasum, sequentium Pontificum gesta adjicere conati sunt; tamen quoniam Scriptorum ipsorum obscurum est nomen, auctoresque admodum incerti; incul-*

(1) *Cod. MS. Vatic.*

Digitized by Google

cultus verò, & perhorridus sermo, barbariem redolens: magis nec multo profectò nobis usui erant &c. Ex quibus manifestum fit, Zenum Patavinum existimasse, verum esse, quod probandum suscepimus, non quidem ab Anastasio Bibliothecario auctore notissimo, sed à pluribus, iisque ignoti nominis auctoribus librum Pontificalem compositum fuisse.

6. Secunda ratio, qua constat librum Pontificalem Anastasio Bibliothecario tribuendum non esse, nititur auctoritati Manuscriptorum Codicum, qui antiquitate Anastasii ętatem superant. Qua de re audiendus est Philippus Labbeus libro de scriptoribus in Damaso, ubi affirmat, Anastasium non posse esse auctorem prioris partis. *Cùm*, inquit, *viderim MS. codicem optimæ notę tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitę illę Damaso jam tum tribuebantur, antequā aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundiis emersisset.* Repetit hęc Labbei verba Lambecius lib. 2. Bibliothecæ Cæsareæ cap. 8. ad codicem 177. quem membranaceum, & pervetustum vocat, & ejusdem generis esse perhibet cum eo, quem Labbeus se vidisse affirmat: *Ejusdem generis est etiam*, inquit, *prę stantissimus ille, & collatu dignissimus Codex MS. Ambrasianus, de quo in præsens agitur, utpotè non tam ex scriptura, quàm aliis circumstantiis certò constet, eũ ad Imperatoris Ludovici Pii tempora pertinere.* Pertingit autem ibi historia Pontificum Romanorum tantùm usque ad Papam Stephanum Secundum, vel, ut alii supputant, Tertium, qui anno 752. electus est, & anno 757. obiit. Accedunt demum Codices Manuscripti tres, quorum alter in Bibliotheca Vaticana reperitur sub numero 5269. in quo vitæ Romanorum Pontificum desinunt in Gregorio II., qui centum annis ante Anastasium Bibliothecarium obiit, alii duo in Bibliotheca Reginæ Sveciæ, & Bibliotheca Sancti Marci Florentiæ asservantur; qui Codices in Hadriano Primo finiunt, quo nondùm natus erat Anastasius. Ex quibus satis superque constat, librum Pontificalem Anastasio antiquiorem esse, adeoque illum istius libri auctorem esse non posse.

7. Tertia ratio, qua probatur, non quidem uni Anastasio Bibliothecario, sed pluribus auctoribus ultimam libri Pontificalis partem tribuendam esse, ex diversitate styli desumitur, de qua extat accurata Lucæ Holstenii sententia in notis Manuscriptis ad Anastasium de vitis Pontificum, in quibus observat, partem illam, quæ vitas à Zacharia usque ad Nicolaum Primum complectitur, à variis auctoribus stylo diverso conscriptam fuisse. Sicque notat de vita Zachariæ: *Stylo non nihil puriore, & nervoso scripta, totamque historiam Pontificatus complectitur, contra quod in superioribus Pontificibus, quorum gesta eumdem stylum, & auctorem præ se ferunt, factum erat.* De Paulo Papa Stephani Tertii successore notat idem Holstenius. *Hæc vita valde jejuna nihil historicum habet, ejusdem cum superioribus styli.* Itaque juxta mentem Holstenii idem auctor tres supradictorum Pontificum vitas adjecit. De Stephano Quarto autem habet sequentia: *Vita Stephani Papæ scripta est diverso stylo à superioribus, modosque loquendi, sive barbaricos peculiares habet, quæ nescio quem africanismum sapere videntur.* Ad Hadriani verò vitam, quæ totam ejus Pontificatus historiam continet, nihil notat, nisi ad finem, ubi in margine: *Hìc finit Codex Florentinus Sancti Marci, & MSS. Serenissimæ Reginæ*, indicans, ut infra videbimus, hanc vitam ab auctore illo forsan conscriptam, vel adjectam fuisse, qui librum Pontificalem, ex quo Codices Bibliothecæ Reginæ Sveciæ, & Bibliothecæ Sancti Marci descripti sunt, in unum volumen collegit. De Hadriani Primi Successoribus, Leone tertio, Stephano Quinto, Paschali Primo, & Eugenio Secundo, nihil omninò observat Lucas Holstenius: de Valentino tamen Eugenii successore notavit in margine: *Hæc vita peculiari stylo phalerata agnoscitur.* Post quem omissis ad trium successorum vitas notis, de Benedicto Tertio ità habet: *Hic affectatum, & ineptissimum exagerandi profluvium observa, & numeros poëticos.* Et ad Nicolai Primi vitam sequentia: *Hanc vitam à Sedis Apostolicæ Bibliothecario scriptam, docet frequens scrinii Ecclesiastici mentio.* Hactenus Lucæ Holstenii notæ de vitis Pontificum à Gregorio Tertio, sub quo Venerabilis Beda vixit, usque ad tempora Nicolai Primi, quibus Anastasius Bibliothecarius floruit, quas notas eò lubentiùs hìc adduximus, quòd vir Eruditissimus magnam vitæ partem consumpserit in conferendis cum edito Anastasii opere Manuscriptis Codicibus, & in discernenda stylorum diversitate acutissimi judicii fuerit. Ex quibus facilè unicuique patebit, ut ego certò existimo, ultimam libri Pontificalis partem non quidem uni Anastasio, sed pluribus, & diversis Auctoribus adjudicari debere, prout sequenti Capite ostendemus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

A quibusnam Auctoribus, & quandonam liber Pontificalis conscriptus sit?

1. *Liber Pontificalis, quoad priorem partem, quæ complectitur vitas Pontificum usque ad Constantinum Papam, conscriptus est post sextam Synodum, idque eo tempore, quo Exarchi Ravennæ sedebant.*

2. *Post mortem Constantini Papæ prodiit circà initium octavi sæculi, cui ab eodem auctore prima appendix adjecta fuit vitarum Gregorii II. & Gregorii III. quod probatur ex Manuscripto codice Vaticano, & Bedæ testimonio, ac Holstenii judicio comprobatur, qui omnes Rom. Pontificum vitas à B. Petro usque ad Zachariam uno eodemque stylo conscriptas esse docet.*

3. *Satisfit testimonio Legatorum Agathonis ab Humberto Cardinali allato, quod supposititium esse ostenditur.*

4. *Prior illa libri Pontificalis pars habet auctorem Romanum, & forsan Bibliothecæ Pontificiæ, aut Archivo Apostolico præpositum.*

5. *Ab alio auctore adjectæ sunt vitæ Zachariæ, Stephani III. & Pauli Primi, quæ secundam appendicem efficiunt, & eodem stylo conscriptæ sunt ab uno ex Clero Romano, qui Archivum Apostolicum citat in Vita Stephani Tertii.*

6. *Vita Stephani IV. non habet auctorem Africanum, ut putat Holstenius, sed Romanum contemporaneum, ut probatur ex Actis, & confirmatur ex vita Hadriani Primi, quam ab eodem auctore Lateranensis, aut Vaticanæ Basilicæ Clerico conscriptam fuisse, constat. Et hæc est Tertia Appendix libro Pontificali addita, quacum finiunt duo Codices MSS. Regius, & Florentinus S. Marci.*

7. *Vita Leonis III. alium planè auctorem habet, qui forsan Basilicæ S. Pauli adscriptus erat, & Stephani V. Vitam Pontificali quoque adjecit. Unde hæc esset quarta Appendix ad librum Pontificalem.*

8. *Vita Gregorii III. auctorem Romanum habet, & stylo eleganti conscripta est, à quo stylo vitæ Eugenii II. Valentini, & Gregorii IV. non nihil differunt.*

9. *Sergii II. vita stylo differt à prioribus, & ab eodem auctore libro Pontificali adjecta est, à quo Leonis IV. vita conscripta fuit, quem Romæ in magna dignitate constitutum fuisse, acta ipsa testantur.*

10. *Anastasius Bibliothecarius non fuit auctor vitarum Sergii II. & Leonis IV. multò minus Benedicti III. qui Leoni IV. successit, cujus vita affectato, & peculiari stylo conscripta est. Probatur itaque illorum sententia, quæ Anastasium vitæ Nicolai I. auctorem facit.*

1. POstquàm superioribus capitibus monstratum est, librum Pontificalem, qui vitas Pontificum à Petro ad Nicolaum Primum complectitur, Anastasio antiquiorem esse, & non ab uno, sed diversis auctoribus compositum fuisse: inquirendum est hoc capite, quinam illi auctores esse possint, & quandonam scripserint? Notandum autem est, librum Pontificalem hìc rectè in duas partes dividi, in priorem nimirum, quæ diverso stylo à pluribus auctoribus exarata videtur. De priori parte, quæ vitas Pontificum unà complectitur, habetur primùm temporis, quo conscripta fuit, indicium in vita Leonis II. in qua de hoc Pontifice narratur: *Hic suscepit Sanctam Sextam Synodum, quæ per Dei Providentiam nuper in Regia Urbe celebrata est.* Cùm enim auctor testetur, nuper in Urbe Constantinopolitana celebratam fuisse Sextam Synodum, celebrata autem sit Sexta Synodus sub Aghatone Leonis II. Prædecessore anno 681. auctor hæc scribere debuit non procul à fine septimi sæculi; aliàs enim verum esse non potest, quod dixit, nuper *celebratam fuisse Sextam Synodum*. Secundum indicium habetur in vita Cononis: ibi enim legitur de ejus assumptione ad Pontificatum, quæ anno 686. contigit: *& missos pariter unà cum clericis, & populo ad excellentissimum Theodorum Exarchum, ut mos est, direxerunt*. Notanda sunt hæc verba, *ut mos est*: non enim dixit auctor, *ut moris fuit*, vel, *ut fieri solebat*, sed *ut mos est*: significans illis verbis, hanc vitam conscriptam fuisse, quo tempore ad Exarchos de electione novi Pontificis referebatur, adeoque tunc, cùm Exarchi Ravennæ erant: fuerunt autem ducentis fermè annis: Longinus enim primus à Justino Juniore institutus est Exarchus anno 567. postremus Eutychius ab Aistulpho Longobardorum Rege pulsus ann. 752. Unde ex prædicto loco patet, auctorem vitæ Cononis scribere debuisse ante medium octavi sæculi, quo Exarchi, seu Præfecti Imperatoris Constantinopolitani, in Italia esse desierunt: scribere autem potuisse circa octavi sæculi initium, quo Ravennæ nondum sedere desierant Exarchi, ad quos de electione novi Pontificis referri solebat, ut ex libro Diurno constat.

2. Videtur itaque liber Pontificalis conscriptus fuisse post mortem Constantini Papæ, qui anno 714. obiit, idque firmatur auctoritate Manuscripti Codicis Vaticani 5269. qui licèt ante 500. circiter annos exaratus sit, ex antiquiore tamen descriptus fuit, utpotè finiens Catalogum Pontificum, quem libro Pontificali præponit, in Gregorio II. Constantini successore: liber verò Pontificalis, qui Catalogum in Codice subsequitur, finit his verbis, *Gregorius Natione Romanus, ex Patre Marcello sedit annos XVI. menses IX. dies XI. fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis, atque Constantini Augustorum*, ubi tantùm refert tempus Pontificatus sine ullis actis, ex quo colligitur, auctorem quidem inchoasse vitam Gregorii, sed non absolvisse, dum liber Pontificalis prodiit. Putarem igitur, post obitum Constantini prodiisse librum Puntificalem: quod omninò couvenit iis, quæ suprà notavimus de Venerabili Beda, à quo omnium primo liber Pontificalis citatus reperitur. Vixit enim Beda ab anno 673. usque ad annum 735., cùmque post Gregorii Secundi Pontificatum, qui anno 714. cœpit, & anno 731. desiit, Venerabilis Beda superstes fuerit, librum Pontificalem videre, & citare potuit. Ut igitur mentem meam de libri Pontificalis tempore, quo primùm in lucem prodiit, paucis absolvam; crediderim ante ann. 732. publici juris factum, & huic collectioni appendicem posteà ab eodem auctore adjunctam, quæ vitas Gregorii II. & Gregorii III. complectabatur. Quod firmatur ex iis, quæ observavit Lucas Holstenius: cùm enim omnes Pontificum vitas sedulò pervolvisset, annotavit, gesta Pontificum à Petro Apo-

Digitized by Google

Apostolo usque ad Zachariam Gregorii III. successorem eodem omninò stylo, adeòque ab eodem auctore conscripta fuisse: *Superiorum Pontificum gesta*, inquit Lucas Holstenius in notis ad vitam Zachariæ, *eundem stylum, & auctorem præferunt*. Idque cum ex lectione ipsius libri constet, nulla probatione indigere existimo.

3. Objici tamen potest huic nostræ sententiæ auctoritas Humberti Cardinalis Sylvæ Candidæ, qui in opusculo contra Nicetam Pectoratum edito ab Henrico Canisio Tomo 6. Antiquarum lectionum, refert, à Legatis Agathonis Papæ in Sexta Synodo citatum fuisse locum ex gestis Pontificalibus, adeòque librum Pontificalem conscriptum fuisse ante tempora Constantini Papæ, cum Agatho per 30. fermè annos ante Constantinum obierit. Verùm antequàm huic objectioni respondeam, locus ipse adferendus est, qui ita habet apud Canisium: *Tunc piissimus Princeps. Constantinus interrogavit eos, qualiter Romana Ecclesia de Sacrificio Corporis, & Sanguinis D. N. Jesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt. In Calice Domini non debet solùm offerri vinum, sed aquam mixtum*. Et postea: *oblatio verò, quæ in Sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem fermenti debet habere, sicut Beata Virgo Maria, absque omni corruptione Christum concepit, & peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, ut Sacrificium Altaris non in serico, aut in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut Corpus Domini fuit in Syndone munda sepultum, sic & oblatio munda debet esse à fermento*, juxta *quæ in gestis Pontificalibus à B. Sylvestro legimus statutum*. Hactenus Legati, & prosequuntur acta: *Tunc placuit Piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ Sedis &c.* Partem hujus loci ab illis verbis, *hinc in Ecclesia mos obtinuit*, pro libri Pontificalis antiquitate citavit Pearsonius in operibus posthumis, dissert. 1. qui nullatenus animadvertit, acta, quæ Humbertus refert, penitùs apocrypha esse, & ab aliquo latino haud dudum ante Humberti tempora fuisse conficta: non enim reperitur in Sexta Synodo prædicta allocutio Constantini Imperatoris, vel Legatorum Sedis Apostolicæ responsio. Sed nec Legati ex gestis Pontificalibus citare potuerunt quæ in illis non reperiuntur, sicut non reperiuntur apud Anastasium Bibliothecarium in Sylvestro, neque apud Auctorem secundi Catalogi in eodem, ubi tantummodo legitur, quòd S. Sylvester constituerit, *ut Sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto celebraretur, nisi tantùm in lineo: & sicut Corpus Domini Nostri Jesu Christi in Syndone linea sepultum est, sic Missa celebraretur*. Hæc sunt verba auctoris secundi Catalogi, apud quem nulla similitudo instituitur inter Conceptionem B. Mariæ Virginis absque omni corruptione, & oblationem Sacrificii, absque omni fermento, quin immo nulla planè mentio fermenti reperitur, quod verbum auctor prædictorum actorum loco ex gestis Pontificalibus desumpto adjunxit post tempora Anastasii Bibliothecarii, utpote qui ultima verba ita refert: *Sicut Corpus Domini Nostri Jesu Christi in Syndone lintea munda sepultum est, sic Missa celebraretur*. Ubi nemo non videt hæc significare, quòd sicut Corpus Christi in Syndone lintea sepultum est, sic Sacrificium Corporis Christi in linteo mundo offerretur, quæ, tamen in alienum sensum detorta sunt, & ad quæstionem de fermento inter Græcos, & Latinos post Photii tempora ortam translata his verbis: *sic & oblatio munda debet esse à fermento*. Auctor igitur testimonii ab Humberto Cardinale allati post ortam inter Græcos, & Latinos de pane azymo, & fermentato quæstionem vixit, adeòut nihil planè pro antiquitate libri Pontificalis ex ejus verbis statui possit. Verùm proinde est, quod jam annotavimus, Bedam primum fuisse, qui ea citavit, eo quòd ipsius temporibus liber Pontificalis in lucem editus fuerit.

4. Cùm igitur de tempore constet, quo liber Pontificalis scriptus fuit, restat, ut de auctore inquiramus, de quo Pearsonius dissert. 1. cap. 12. num. 8. *Auctor ejus anonymus, & incertus sæculi sexti scriptor, & status primitivæ Ecclesiæ ignarus fuit, unde pluribus, & fœdis erroribus scatet, fictisque narrationibus plenus est*. Hæc vir eruditus quidem, sed à Religione Catholica alienus, cui proinde non placet illa rituum, & doctrinarum antiquitas, quæ Religioni Catholicæ hoc in libro tribuitur, & de qua sequentibus capitibus agemus Revertamur proinde ad libri auctorem, quem malè sæculi sexti auctorem dixit, rectè anonymum vocavit. Non enim sexto, sed septimo sæculo auctor libri Pontificalis vixit, integroque sæculo recentior est, quàm Pearsonius credidit: anonymus tamen fuit, quia nomen suum tacere voluit, aliique vel ignoraverunt, vel memoriæ prodere omiserunt. Hoc tamen nihil ejusdem scriptoris auctoritati officere videtur, cùm pro ea sufficiat, quòd locum, & officium, quo functus est commemorarit. Nam ex iis quisque facilè colligere poterit, fuisse virum de statu Ecclesiæ optimè instructum, neminemque res Ecclesiasticas magis perspectas habuisse. Ut autem, quod dicimus, ipsius auctoris testimoniis comprobemus, in Sisinio sic habet: *Erat autem constans animo, & curam agens pro habitatoribus hujus Civitatis*. Addit Holstenius *ex MS. Codice Vaticano Romanæ*. Adeò ut constet auctorem Romæ scripsisse, quod ex gestis in unoquoque Pontifice memoratis apertè comprobari potest. Sicut namque de secundi Catalogi auctore ostendimus capite 2. eum magnam Urbis, & agri Romani notitiam habuisse, omnes Urbis regiones, & Ecclesias, omnes Ecclesiarum reliquias, & titulos, omnes agri Romani vias, omnesque viarum distantias, perspecta habuisse: sic & de libri Pontificalis auctore dicendum videtur, quia eum omnia illa loca apprimè novisse, ex ipso libro colligitur. Allegat nonnunquam instrumenta publica in Archivo Sedis Apostolicæ asservata, ut patet ex vita Leonis Secundi, ubi agens de ordinatione Ravennatensis Archiepiscopi scribit; pro pallio non solvendo edictum constitutum, *quod Archivo Ecclesiæ continetur*. Et ex vita Joannis V. qui anno 685. ad Pontificatum assumptus est, ubi de Novelli Sardiniæ Episcopi ordinatione Sedi Apostolicæ restituta affirmat: *Quod ejus Chyrographus Archivo Ecclesiæ detentus est*. Ex quibus non obscurè colligi videtur, auctorem fuisse Bibliothecæ Pontificiæ, aut Archivo Sedis Apostolicæ præfectum, nisi quis dicere velit, eum ad Archivum, aut Bibliothecam habuisse accessum, sicque ex Archivo citasse, quod in eo asservari viderat, vel cognoverat.

5. Atque hactenùs quidem de illa libri Pontificalis parte, quæ eodem stylo, ab eodem auctore scripta videtur, complectens Pontifices à Petro Apostolo usque ad Gregorium III. nunc de altera parte præfati libri agendum, quæ diverso stylo exarata sunt, & incipit cum vita Zachariæ, qui anno 742. Gregorio III. successit,

sit, de cujus gestis censuit Lucas Holstenius in MSS. suis annotationibus: *Vita Zachariæ Papæ stylo nonnihil puriore, & nervoso scripta est, & tota historia*. Quòd nimirum hæc vita contineat totam Pontificatus historiam, & Auctor diversus eam libro Pontificali adjecerit, à quo stylo nonnihil puriore differre videtur. Dixi *nonnihil*, quia in plerisque quidem locis id locum habet, in aliis tamen stylus abjectus, & vilis videtur, uti in sequentibus, quamvis & illa puriori stylo conscripta sint: *Nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundùm meritum tribuens, sed pius, ac misericors à tempore ordinationis suæ omnibus factus &c.* Cætera barbariem istius ætatis sapiunt: *egressus ex hac Romana civitate cum Sacerdotibus, & Clero perrexit fiducialiter, & audacter ad ambulandum in locum Interamnensium urbis*, & infra: *esum sumpsit ..... conviavit .... præpeditionem nitebantur facere .... sibi redonaret .... eum repedandum absolvit ..... in quo & suam finiri vitam jure professus est jurando*. Hæc in vita Zachariæ, quæ tamen Romæ scripta sunt, ut patet ex loco jam citato, ubi auctor dicit: *ex hac Romana Civitate*: Illis enim verbis se Romæ scripsisse significat, quod etiam sequentibus indicavit: *Et sic regressus est Deo propitio cum victoriæ palma in hanc Urbem Romam*, & infra: *Hujus denique temporibus magnum Thesaurum Dominus Deus noster in hac Romana urbe per eumdem almificum Pontificem propalare dignatus est. In venerabili itaque Patriarchio Sacratissimum Beati Georgii Martyris, idem Sanctiss. Papa in capsa reconditum reperit caput ...... in Venerabili Diaconia ejus nominis sita in hac Romana civitate regione secunda ad Velum aureum illud deduci fecit*. Quibus omnibus locis auctor Romanam urbem eam esse significat, in qua præsentem vitam scripsit, ubi & eodem stylo scripsit vitam Stephani III. qui Zachariæ successit, utpote de quo affirmat, quòd restauravit *quatuor in hac Romana urbe sita antiquitùs Xenodochia*, & perpetuò *Romanam hanc urbem* citat, additque versùs finem de Civitatibus ope Pipini Ecclesiæ redditis: *Donationem in scriptis B. Petro, atque S. R. E. vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis misit possidendam, quæ & usque hactenus in Archivo S. nostræ Ecclesiæ recondita tenetur*. Ubi auctor affirmat, se non solùm Romanum, sed etiam Romanæ Ecclesiæ clericum fuisse, indicatque, se Archivo Apostolico præpositum Stephani vitam conscripsisse. Addit autem *usque hactenus*, eò quòd auctor post Paulum Stephani successorem, cujus quoquè vitam eodem stylo conscripsit, superstes fuerit. Trium itaque horum Pontificum vitæ eodem stylo scriptæ, & ab uno ex Clero Romano Pontificali libro adjectæ sunt.

6. Sequitur in libro Pontificali vita Stephani IV. de qua Lucas Holstenius ita censuit: *Vita Stephani Papæ scripta est stylo diverso à superioribus, modosque loquendi, sive barbarismos peculiares habet, qui nescio quem africanismum sapere videntur*, hæc ille, nihil aliud indicans: quare divinare oportet quos loquendi modos peculiares ipse notaverat. An inter illos censendi sint sequentes, judicet prudens lector. *Monachicum fore suscepturos habitum*. *Item absolutis omnibus eorum rebus .... in Monasterio clivi Staturi retrudi fecerunt, ubi fame, & siti cremans, clamansque aquam ita exhalavit spiritum ..... temeritatis præscriptione .... insurrexerunt super ipsum Michaëlium .... causas de justitiis B. Petri .... conspicientes, se in magno deceptu esse positos &c.* Hæc prudentis Lectoris judicio subjeci, ego enim hos peculiares loquendi modos Africanismum sapere, nescio qua ratione asseruerit, & undè collegerit Holstenius. Videntur namque mihi indicare illorum temporum barbariem, quæ etiam Romanas aures occupaverat, præsertim cum constet ex plerisque hujus vitæ locis auctorem ejus Romæ scripsisse: quando enim de urbe Roma agit, hoc loquendi modo utitur: *In hanc Romanam urbem*. Et paulò ante medium: *Et huc*, vel ut habet alia lectio, *hic Romam attulerunt*. Et ibidem: *Postmodum verò quidam iniqui Campani, qui huc Romam advenerant*. Et infra: *Dum Tuscani, & Campani hic Romæ aggregati fuissent*. Et postea: *Simulavit se quasi orationis causa ad B. Petrum Romam properaturum*. Quibus verbis nemo non videt, auctorem Romæ scripsisse. Notanda quoquè sunt verba sequentia: *Confundentes atque anathematizantes execrabilem illam Synodum, quæ in Græciæ partibus nuper facta est*. Quæ intelligenda sunt de Synodo sub Constantino Copronymo anno 754. Constantinopoli celebrata, quam cùm nuper factam esse auctor scribat, necesse est, eum circa hæc tempora Romæ scripsisse. Quod ex sequentibus clariùs patebit. Sequitur enim in libro Pontificali vita Hadriani I. quam (licet de ea Lucas Holstenius nihil adnotaverit) ab eodem auctore scriptam esse puto, tum ob styli similitudinem, tum ob phrases easdem, & eosdem barbarismos, qui phrasibus miscentur. Citat ubique hanc *Romanam urbem*. Et alicubi dicit: *Secum eum huc Romam reduceret*. Ex quibus loquendi modis colligitur, quòd auctor Romæ scripsit, prout facilè confirmatur ex iis, quæ initio hujus vitæ de Hadriani patre commemorat: *Patre Theodato dudum Cons., & Duce postmodum verò Primicerio S. nostræ Ec.* Ex his enim clarissimè patet auctorem fuisse, ex Clero Rom., & forsan Lateranensi, aut Vatic. Basilicæ adscriptum, unde facilè putarem Stephani IV. & Hadriani I. vitas fuisse tertiam appendicem ad librum Pontificalem: in cujus veritatis confirmationem adduci possunt duo antiquiss. Cod. MSS. Florentinus nimirum S. Marci, & alter Christinæ Svecorum Reginæ, qui post vitam Hadriani I. finiunt, eo quòd ex illis libri Pontificalis Codicibus descripti essent, qui ante Leonem III. Hadriani I. successorem exarati erant.

7. Sequitur vita Leonis III., quæ alio stylo, alioque auctore conscripta est. Nullæ enim phrases ex supra relatis in ea reperiuntur: nullibi, dum Rom. urbis mentionem facit pronomen *hanc* adjungit: non dicit Pontificem dum ex Gallia Romam rediit, *huc venisse*, sed simpliciter Rom. urbis meminit. *Franci*, inquit, *Romam illũ remeare in suam Sedem Apostolicã honorificè cũ nimio, ut decuit, emiserunt honore, qui per unamquamque civitatem, tamquam ipsum suscipientes Apostolum usque Romam deduxerunt*. *Tunc Romani præ nimio gaudio suum recipientes Pastorem*. Et infra *Romam intrans cum multo gaudio, & lætitia in Patriarchium Lateranense intravit*. Ex quo loquendi modo facilè intelligitur, authorem hujus vitæ non modo alium esse à priori, sed dubitari etiam posse, nùm Romæ scripserit; nihil enim in tota illa vita occurrit, undè ea de re suspicari licet, nisi ex illis verbis: *Nona verò indictione peccatis nostris imminentibus subitò terræ motus factus pridie Kalendas Maji, & Ecclesia B. Pauli Apostoli ab ipso terræ motu concussa, omnia sarta tecta ruerunt*. Ex his enim posset quis colligere, quòd auctor hujus

vitæ

Digitized by Google

vitæ adſcriptus fuerit Eccleſiæ Sancti Pauli extra Urbem, quam ubique vocat *Baſilicam Doctoris Mundi Beati Pauli Apoſtoli*. Quod ideò adnoto, quia forſan D. Paulum tanquam Patronum ſuæ Baſilicæ diſtinguere voluit à cæteris Apoſtolis, quos dum nominat, ſimpliciter Apoſtolos vocare conſuevit. Ab eodem forſan Auctore conſcripta eſt vita Stephani V. qui Leoni III. ſucceſſit; nam paucis de ejus geſtis enarratis, ferè totus eſt in deſcribendis donis, quæ diverſis Eccleſiis obtulit, quod idem in Leonis vita obſervare licet.

8. De Paſcalis Primi vita conſtat, eam ab auctore Romano conſcriptam fuiſſe; meminit enim Urbis Romæ, tanquam Civitatis, in qua ſcribebat. Sic narrat de translatione corporis S. Cæciliæ cum magno honore intra muros: *Hujus Romanæ Urbis in Eccleſia ipſius S. Martyris dedicata ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, ejuſdem Virginis corpus cum chariſſimo Valeriano Sponſo, atque Tiburtio, & Maximo Martyribus, necnon Urbano & Lucio Pontificibus ſub ſacroſancto altari collocavit*. Ex quibus verbis non modò conſtat de loco, ubi hæc vita ſcripta eſt, ſed etiam de ſtyli elegantia, qua ab auctore adornata eſt Paſchalis hiſtoria. Illam ſanè colligere licet ex iis, quæ de incendio Civitatis Leoninæ enarrat: *Sed neque hoc ſilentio præterundum eſſe arbitramur*, inquit, *quòd eodem tempore diabolica operante verſutia, per quorumdam gentis Anglorum diſſidium, ita eſt omnis illorum habitatio, quæ in eorum lingua Burgus dicitur, flamma ignis exundante combuſta, ut etiam nec veſtigia priſtinæ habitationis in eodem loco inveniri potuiſſent, cujus exuberante incendio penè totam porticum, quæ ducit ad Baſilicam Principis Apoſtolorum ignis fomes devaſtavit*. Hæc & plura ibidem auctor ſtylo ſatis eleganti, à quo nonnihil differre videtur ſtylus, quo conſcriptæ ſunt vitæ ſucceſſorum Eugenii II. Valentini, & Gregorii IV. ex cujus geſtis colligitur: auctorem poſt Gregorii ætatem ſcripſiſſe. Agens enim de Monaſterio S. Calixti trans Tyberim, ſcribit. *In quo etiam Monachos Canonicos aggregavit, qui uniti officium facerent, & omnipotenti Deo grates, & laudes diebus ſingulis, & noctibus proſecuti intimo cordis ſpiramine decantarent, quod ſicut in præſentiarum cernimus, magno certamine, magnoque ſtudio Pastor eximius hoc opus valdè firmiſſimum ampliavit*. Ex quibus verbis planè deducitur, auctorem Romæ quidem vixiſſe, ſed poſt tempora Gregorii Quarti.

9. De Sergio Secundo, qui Gregorio IV. ſucceſſit, facilè colligitur ex primis geſtorum verbis, vitam ejus ab alio quodam auctore conſcriptam eſſe, ſiquidem initio repetuntur omnes anni Romanorum Pontificum à Leone Tertio uſque ad Sergium Secundum, quod minimè factum eſſet, ſi unus, idemque auctor vitas Pontificum, qui à Leone uſque ad Sergium Secundum deerant, libro Pontificali adjeciſſet. Auctor itaque geſtorum Sergii Secundi diverſus eſt ab iis, qui ſuperiorum Pontificum vitas conſcripſerunt, idque manifeſtè monſtratur ex ſtylo, qui ſingularis videtur, interjectis ubique inter nomina, & adjectiva pluribus verbis. Sic dicitur initio geſtorum: *Ingenti capit cum ſtudio.... actibus pollere videretur piis ab omnibus, & moribus clareſcere majorum cœperit nobilium..... communibus tradidit litteris, & ut mellifluis inſtruerentur cantilenæ melodiis... omne literalis diſciplinæ ſumpſit ingenium*. Omitto reliqua, nihilque peculiariter notandum occurrit, niſi quòd pleriſque in locis acta mutila ſint, quæ Lucas Holſtenius ex præſtantiſſimo Codice Farneſiano ſupplevit in illis variis lectionibus, & notis, quæ ad marginem, & finem ſui exemplaris adjecit. Eodem ſtylo conſcripta videtur vita Leonis IV. quæ phraſes auctorem Romæ ſcripſiſſe indicat his verbis: *Monaſterium Beati Martini Confeſſoris Chriſti, quod extra muros hujus civitatis Romanæ juxta Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli ſitum eſt*. Alibi indicatur, auctorem fuiſſe contemporaneum, ut quando narrantur Agarenorum ſtrages. Dum enim vento divinitùs immiſſo diſperſæ Agarenorum naves ad portum pervenire nequiverant: *Super his novis, myſticiſque miraculis*, inquit auctor, *quam noſtris licèt non meritis temporibus Divina oſtendere, ac demonſtrare dignata eſt.... Clementia*. Ubi nemo non videt, auctorem teſtari, hæc, quæ narrat, ſuis temporibus contigiſſe. Indicat quoque, cujus auctoritatis fuerit dum refert ſe unà cum Romanis proceribus juſſiſſe ut Saraceni, qui capti erant, ligarentur. Et addit: *Poſteà per diverſa Artificum opera, quidquid neceſſarium videbatur, per eos omnia jubebamus deferri*. Quiſnam autem hujus, & præcedentis vitæ auctor ſit, nullibi exprimitur, nullibi indicatur.

10. Putabat quidem non nemo auctorem eſſe Anaſtaſium Bibliothecarium, qui prędictus Sergii II. & Leonis IV. ac ſubſequentes Benedicti III. & Nicolai I. vitas Pontificali adjecit. Verum obſtat vita Benedicti III. quę nequaquàm Anaſtaſio Bibliothecario tribui poteſt, *ob affectatum, & in ptiſſimum exaggerandi profluvium, ac numeros poëticos*, quæ in ea reperiri obſervavit Lucas Holſtenius. Tantùm initium iſtius vitam legendum eſt, ut id comprobetur: *Beatus vir iſte dilectiſſimis viſceribus editus, ſiderio pollens rore, creſcenſque celeriùs divinorum ſtudio apicum, Patris ad erudiendum arbitrio traditur*. Simili inepto exaggerandi profluvio plena eſt hujus Pontificis vita, in qua nequaquam repetita fuiſset ſucceſſio Romanorum Pontificum Gregorii IV. & Sergii II. quæ in Leonis IV. vita exhibita erat, ſi unus & idem auctor vitam Leonis, & Benedicti compoſuiſſet. Magis igitur probanda videtur illa eruditorum virorum ſententia, quæ Anaſtaſio Bibliothecario vitam Nicolai Primi tribuit. Fuit hæc ſententia Lucæ Holſtenii, qui initio vitæ Nicolai annotavit: *Hanc vitam à Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario ſcriptam docet frequens ſcrinii Eccleſiaſtici mentio*. Unum iſtius veritatis exemplum adducere ſufficiet. De geſtis namque Lotharii ita ſcribit auctor: *Sicut in illis malè compoſitis geſtis in ſcrinio hujus ſedis repoſitis declatur*. *§. tunc Emilienſes* Bibliothecæ Apoſtolicæ meminit, *ſicut in geſtis, quæ in Bibliotheca rejacent, quiſquis inveſtigaverit, poterit reperire*. Quibus verbis auctor manifeſtè indicat, ſe ſcrinio, & Bibliothecæ Apoſtolicæ præpoſitum fuiſſe. Unde non immeritò Eminentiſſimus Cardinalis Baronius Tomo 9. Annalium geſta Nicolai Primi paſſim Anaſtaſio Bibliothecario, qui ſub Nicolao Primo in Urbe floruit, attribuit, Bellarminus autem libro de ſcriptoribus immeritò Anaſtaſio omnes Romanorum Pontificum vitas, quæ libro Pontificali continentur, tribuit: *Scripſit vitas Romanorum Pontificum*, inquiebat Bellarminus, *à Sancto Petro uſque ad Nicolaum Primum*. Si enim tot auctores vitas Pontificum ſcripſerunt ante Anaſtaſium, dicendum cum Luca Holſtenio, Anaſtaſium potiùs collectorem quàm auctorem vitarum Pontificum eſſe potuiſſe. Undè non alia ratione uti potuit Velſerus, qui primùm librum Pontificalem typis ſub hoc titulo

Digitized by Google

titulo edidit : *Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii Historia de vitis Romanorum Pontificum à Beato Petro Apostolo usque ad Nicolaum primum, numquam hactenùs typis excusa*. Quamvis enim rationem reddat in præfatione ad lectorem, *quia stylus, totaque scribendi ratio, ordo, & methodus earum vitarum, quæ post B. Damasi vitam in hoc Codice extant, omninò consentire videtur cum phrasi, universaque scribendi ratione, quæ est in vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis, uti quivis non obesæ naris lector facilè odorari, & advertere poterit, prorsùs, omnium illarum (licet nonnullis in locis adulterina aliorum adjectione vel detractione, ob summam superiorum sæculorum inscitiam depravatæ sint) verum, & germanum parentem esse Anastasium S. R. Ecclesiæ Bibliothecarium. Quare & ejus nomenclaturâ totum opus ornare non dubitavimus*. Quamvis, inquam, his verbis auctor, ab uno eodemque Anastasio omnes Pontificum vitas conscriptas fuisse, indicet, mirum tamen in modum à vero aberrat, ut facilè ex supradictis colligi potest. Atque hæc quidem sufficiant de libro Pontificali, ejusque auctore. Restat ut videamus, ex quibusnam antiquitatis monimentis liber ille conscriptus sit, & quænam ei fides à viro cordato adhiberi possit, vel debeat.

CAPUT NONUM.

Ex quibusnam antiquitatum monimentis liber Pontificalis concinnatus sit, & quænam ei fides adhiberi possit.

1. *Auctor prioris partis libri Pontificalis à Petro ad Zachariam usus est Catalogo sexto sæculo exarato, ut patet in primis ex diversis locis, quæ ex Catalogo descripsit.*
2. *Secundò id constat ex Consulum notis, quas auctor libri Pontificalis, ex secundo Catalogo desumpsit, nam nullos alios Consules, quàm in secundo Catalogo assignatos exhibet.*
3. *De actis, quæ auctor Pontificalis aliunde habuit, partim scitur, partim ignoratur, unde desumpta sint.*
4. *Inter illa, quorum fons, & origo scitur, sunt nonnulla acta Cornelii Papæ ex antiquiore Catalogo descripta: Acta Stephani, Marcelli, aliorumque ex ipsorum Vitis, seu martyrii actis collecta sunt.*
5. *Quæ de donationibus in Silvestro, & Marco adduntur, ex instrumentis Ecclesiarum, & Archivo Sedis Apostolicæ prodierunt, undè de libri Pontificalis præstantia constat.*
6. *Ex posteriori parte libri Pontificalis à Zacharia usque ad Nicolaum Primum de ejus præstantia constat, quia ab auctoribus synchronis conscripta est.*
7. *Deindè, quia ex authenticis istorum temporum monimentis concinnata fuit.*
8. *Ex dictis, enim patet, qua veneratione accipienda sint, quæ de historia, disciplina, ritibus, & fide in libro Pontificali reperiuntur.*
9. *Hæretici ipsi id negare non sunt ausi, ut ex illorum testimoniis eruitur.*

1. UT de priori parte libri Pontificalis, qua vitæ Romanorum Pontificum à Petro usque ad Gregorium II. ab uno eodemque auctore descriptæ continentur, nullum inprimis dubium esse videtur, quin auctor pro hac parte usus sit Catalogo Romanorum Pontificum sub Justiniani principatu concinnato. In singulorum namque Pontificum vitis tot tantaque hujus veritatis exempla occurrunt, ut auctor Pontificalis plerumque verba Catalogi exscripsisse videatur. De Simplicio Papa habet Catalogus: *Hic constituit ad Sanctum Petrum, & ad Sanctum Paulum, & ad Sanctum Laurentium, hebdomadas, ut presbyteri manerent propter Baptismum & pœnitentiam petentibus, de regione prima, ad Sanctum Paulum, de regione tertia ad S. Laurentium, de regione septima ad S. Petrum.* Quæ auctor Pontificalis his verbis refert: *Hic constituit ad Sanctum Petrum Apostolum, & ad Sanctum Paulum Apostolum, & ad Sanctum Laurentium Martyrem hebdomadam, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & Baptismum, regionem tertiam ad S. Laurentium, regionem primam ad Sanctum Paulum, regionem sextam, vel septimam ad S. Petrum.* Hæc auctor libri Pontificalis, quæ nemo non videt, ex Catalogi loco superiùs allato desumpta esse. Habet quoque Catalogus in Simplicii antecessore Hilaro Papa: *Hic fecit decretalem & per universum Orientem direxit, & epistolas de fide Catholica.* Quæ auctor Pontificalis his verbis tradit: *Hic fecit decretalem, & per universum Orientem sparsit epistolas de fide Catholica, & Apostolica confirmans tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem.* Quæ verba constat desumpta esse ex præfato Catalogi loco, in quo tamen nihil de tribus Synodis legitur, adeò ut necesse sit, auctorem libri Pontificalis hoc Catalogo posteriorem esse, cùm illi nonnulla addiderit forsan ex eodem fonte, ex quo auctor alterius Catalogi tempore Caroli Magni ante 850. annos sequentia desumpsit in Hilaro Papa: *Hic spargit epistolas de fide Catholica per orbem Orientalem, & confirmavit tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Calcedonensem.* Quæ ex gestis Hilari Papæ primùm ab auctore libri Pontificalis, deindè ab auctore Catalogi tempore Caroli Magni contexti desumpta videntur.

2. Secundo constat hoc ipsum ex Consulum notis, quæ in libro Pontificali, ad unumquemque Pontificatum occurrunt, & quas auctor secundi Catalogi, partim ex antiquiore Catalogo tempore Liberii conscripta desumpsit, partim de suo addidit, ita ut ex eo constare existimem, quòd omnes Consules à Lini Pontificatu, usque ad Marcum Papam sint iidem omninò, qui in utroque Catalogo, & libro Pontificali assignantur, & sic auctor secundi Catalogi, ex antiquiore Catalogo, libri verò Pontificalis Auctor ex secundo Catalogo Consules desumpsisse credantur. Ut autem hac de re exemplum clarissimum adferamus, habet antiquior Catalogus in Marco: *Fuit temporibus Constantini Nepotiano, & Facundo Consulibus, ex die XV. Kalendas Febr. usque in diem nonarum Octobrium Consulibus supradictis.* Quæ Auctor secundi Catalogi sic refert: *Fuit temporibus Constantini, & Nepotiani secundò Consulibus ex d. Kalend. Febr. usque in diem Kalend. Octobris.* Error librariorum hic est in Consulum nominibus, nonnullaque mutatio

Digitized by Google

tatio facta videtur in diebus, quibus Marcus sedere cœpit, & desiit. Porrò Auctor Pontificalis errores hos retinuit, nam ait: *Fuit autem temporibus Constantini, & Nepotiani, ac Secundi Consulum, ex die Kalend. Febr. usque in diem Kalend. Octobris*. Ex quibus confirmari videtur, quòd auctor libri Pontificalis Consules, & dies Pontificatus Marci desumpserit ex secundo Catalogo sæculo sexto conscripto, qui tunc librariorum incuria depravatus est. Porrò antiquiorem Catalogum fontem esse, ex quo Auctor secundi Catalogi Consulum nomina protulit, nemo in dubium vocabit, qui considerat, post Pontificatum Liberii, in quo antiquior Catalogus finem accipit, in secundo catalogo nullos ampliùs Consules assignari. In Damaso enim Liberii successore habet auctor secundi catalogi: *Sedit annos* 17. *menses* 3. *dies* 11. *Fuit temporibus Juliani*; auctor verò Pontificalis: *Sedit annos decem, & octo, mensibus duobus, diebus decem*. Et post enarrata illa, quæ ad intrusionem Ursicini spectant: *Fuit autem temporibus Juliani*: nulla omninò mentione facta consulatus, quibus Damasus cœperat, finieratque Pontificatum. Idem videre licet in Siricio, Anastasio, Innocentio Primo, Zosimo, aliisque Damasi successoribus, usque ad Joannem, cujus tempori cùm auctor secundi catalogi vicinus fuerit, ejusdem Pontificatus initium, & finem certis Consulibus assignavit: *sedit* inquit de Joanne, *annos duos, menses octo, dies quindecim, à consulatu maximi usque ad consulatum Olibri*. Quæ eadem repetit auctor Pontificalis in hoc Pontifice, uti & in Felice quarto, quocum auctor secundi catalogi finit: *A consulatu Aburti usque in consulatum Lampadi, & Orestis, à die* 4. *Idus Juliarum usque in diem* 4. *Idus Octobris*. Aburti loco auctor Pontificalis legit *Mavortini*. cætera verba eadem omninò sunt. Undè auctor libri Pontificalis ea à secundò catalogo mutuatus videtur. Cujus manifestum signum illud quoque censendum est, quòd post Hormisdam, & Felicem, qui duo ultimi sunt ab auctore secundi catalogi exhibiti, nullius alterius Pontificatus per Consules designetur in libro Pontificali.

3. Cùm itaque ex dictis pateat, undenam auctor libri Pontificalis Consulum notas, & pleraque gesta descripsit, videndum est, undè cætera acta, quæ in secundo catalogo minimè reperiuntur, desumpserit. Plura equidem reperiuntur in libro Pontificali, quàm in secundo catalogo, ut patet in primis ex verbis sequentibus, quæ habentur in D. Petro: *Obiit post passionem Domini* 38. Hæc namque de tempore obitus Petri, non in secundo catalogo, sed apud D. Hieronymum libro de scriptoribus Ecclesiasticis reperiuntur, ex quo auctor illa desumpsit. In vita Pii Papæ habentur quidem sequentia: *Hic ex rogatu Beatæ Praxedis dedicavit Ecclesiam Thermas Novati in Vico Patritii in honorem sororis suæ Sanctæ Potentianæ, ubi & multa dona obtulit, ubi sæpè Sacrificium Domino offerens ministrabat, imò, & fontem baptismi construi fecit, manu sua benedixit, & consecravit, & multos venientes ad fidem baptizavit in nomine Trinitatis*. Hæc tamen verba, ut Lucas Holstenius notavit, absunt à Florentinis codicibus manuscriptis, & Regio, & quia extra ordinem apposita sunt ad finem vitæ, posteà eidem libro Pontificali adjecta fuisse creduntur. Adjecta quoquè sunt quæ in libro Pontificali habentur sub Victore: *Hic fecit constitutum ad interrogationem Sacerdotum de circulo Paschæ cum Presbyteris, & Episcopis facta collatione, & accersito Theophilo Episcopo Alexandriæ facta congregatione, ut à quarta decima luna primi mensis usque ad vigesimam primam die Dominica custodiatur Sanctum Pascha*. Hæc enim ibi extra ordinem reperiuntur, postquàm de ordinationibus actum erat, ubi & notandum, quòd illa, quæ de *Theophilo Alexandrino* narrantur, falsa sint, cùm Theophilus Cæsareensis fuerit, ad quem Victor, teste Beda, hac de re scripsit. Adjecta tamen, non sunt, sed semper in libro Pontificali extitisse videntur sequentia, quæ in secundo catalogo non reperiuntur: *Fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Ecclesiam ministri portarent, donec Episcopus Missas celebraret, ante se Sacerdotibus astantibus, & sic Missæ celebrantur, excepto quod jus Episcopi interesset, ut tantùm Clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi jam coronam consecratam, & acciperet presbyter tradendam populo*. Quæ undenam desumpta sint, fateor me ignorare.

4. Nequaquam tamen ignoratur, unde desumptum sit quod in Cornelio Papa habet auctor libri Pontificalis his verbis: *Sub cujus Episcopatu Novatus Novatianum extra Ecclesiam ordinavit, & in Africa Nicostratum. Hoc facto Confessores, qui se separaverunt à Cornelio cum Maximo Presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi; & facti sunt Confessores fideles. Post hoc Cornelius Episcopus Centumcellis pulsus est, & ibi scriptam epistolam de sua confirmatione, missam à Cypriano, quam Cyprianus in carcere scripsit, & de Celerino lectore suscepit*. Hæc enim desumpta sunt partim ex antiquiore Catalogo, partim ex Cypriano ipso, ut auctor non obscurè indicat. Reliqua quæ habentur post Beati Petri translationem de causa, ob quam Beatus Cornelius martyrio coronatus est, ex Actis Sancti hujus Pontificis desumpta sunt, ut & ex actis Stephani, quæ auctor libri Pontificalis habet ab his verbis: *suis temporibus*, usque ad illa: *Fecit ordinationes*. Quæ omnia in secundo Catalogo desiderantur. Pauca omninò addita sunt in vitis Caji, & Marcellini, plura verò in vita Marcelli, in qua sequentia leguntur: *Hic rogavit quamdam Matronam nomine Priscillam, & fecit Cœmeteria via salaria, &* 25. *titulos in urbe Roma constituit, quasi Diœceses propter Baptismum, & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis*. Et ut cætera omittam; plura de Lucinæ domo in Ecclesiam consecrata, & per Maxentium in stabulum conversa, in illis Marcelli actis, quæ manuscripta etiamnùm supersunt, reperiuntur; adeò ut ex his, vel similibus Actis desumpta esse constet.

5. Porrò sicut actis Pontificum usus fuit auctor libri Pontificalis pro vitis illorum, qui tribus primis sæculis vixerunt, ita in vita Sancti Sylvestri usus videtur variis donationibus piis, & instrumentis Ecclesiarum, quæ in Archivo Sedis Apostolicæ asservabantur. Additiones enim libri Pontificalis consistunt ut plurimùm in donationibus ab Imperatore Constantino, ejusque pietatis hæredibus, & Romanis ipsis Pontificibus factis. Omitto eas, quæ quamplurimæ in vita Sylvestri continentur; Satis namque erit pauca ex vita Sancti Marci delibasse, in qua legitur: *Hic fecit duas Basilicas, unam viâ Ardeatinâ, ubi requiescit, & aliam in urbe Roma juxta Palacinis. Hujus suggestione obtulit Constantinus Augustus Basilicæ, quam Cœmeterium constituit viâ Ardeatinâ, fundum rosarum cum omni agro campestri præstantem solidos* 40. *in Basilica*, in

Digitized by Google

in urbe Roma obtulit hæc : patenam argenteam pensantem libras 30. *urneas argenteas duas pensantes libras* 20. *scyphum argenteum pensantem libras* 10. *Calices ministeriales argenteos* 3. *pensantes libras binas : coronam argenteam pensantem libras* 10. *fundum Antonianum viâ Claudiâ præstantem solidos* 30. *fundum Vaceanum viâ Appiâ præstantem solidos* 40. *& trimisios duos : fundum Orrea viâ Ardeatinâ præstantem solidos* 55. *& trimisium unum*. Hæc omnia auctor libri Pontificalis, qui cùm Romæ scripserit, si Bibliothecæ Apostolicæ, aut Archivo non præpositus fuerit, accessum saltem ad ea habuit, & inde notitiam donationum habuisse videtur, eaque pro augendis Pontificum gestis usum fuisse. Unde colligere licet, quanti fieri mereantur illa, quæ hac de re in libro Pontificali continentur, cùm vel ex Sedis Apostolicæ Archivis, vel ex Catalogis quarto, & sexto seculo concinnatis, desumpta sint, atque hæc quidem de priori parte libri Pontificalis, quæ ab uno, eodemque auctore à D. Petro, usque ad Zachariam Papam contexta est.

6. De Zachariæ & sequentium Pontificum Actis usque ad Nicolaum Primum faciliùs nos expediemus, cùm jam suprà monstratum sit, quòd ab auctoribus coætaneis, qui Romæ vixerunt conscripta sint. Sic Zachariæ, Stephani III. & Pauli gesta scripsit auctor Romanæ Ecclesiæ Clero adscriptus, & forsan Archivio Apostolico præpositus. Sic etiam vitæ Stephani IV. & Hadriani primi ab auctore synchrono, qui Basilicæ Lateranensis aut Vaticanæ Clero adscriptus erat, editæ fuerunt, ut cap. 6. num. 5. ostendimus. Auctor vitę Leonis III. forsan è Clero Basilicæ Sancti Pauli fuit, ut eodem capite innuitur num. 6. Paschalis, & trium Successorum Eugenii II. Valentini, & Gregorii III. vitas ab auctoribus Romanis conscriptas esse circa eorundem Pontificum tempora, patet ex numero 7. Sergii II., & Leonis IV. gesta non modo ab auctore Romano, & contemporaneo, sed magnę auctoritatis viro, & oculato teste fuisse descripta, monstravimus numero 8. Et quamvis ignoretur, quis Benedicti III. vitam exararit, ab auctore tamen contemporaneo editam fuisse, oportuit; si quidem concinnata fuit ante Anastasium Bibliothecarium, qui vitam illam cum vita Nicolai Primi, qui Benedicto successit, à se conscriptas libro Pontificali adjecit, ut facilè conjicere licet ex iis, quæ numero 9. capitis sæpe citati tradidimus.

7. Nec solùm ab auctoribus coævis, sed etiam ex authenticis Romanæ Ecclesiæ monimentis historia Pontificia secundę hujus partis conscripta fuit. Si enim Romanorum Pontificum, qui ab anno 742. usque post noni sæculi medium sederunt, vitas pervolvamus, reperiemus profectò auctores vitarum illarum ex Romanæ Ecclesiæ, regestis, ex scriniis Apostolicæ Sedis desumpsisse ea, quæ retulerunt. Omnes enim Romæ scripserunt, & vel Basilicarum Lateranensis, Vaticanæ, & D. Pauli Archivis præpositi fuerunt, vel earumdem Basilicarum Clero adscripti chartas, & regesta Archivorum consulere potuerunt. Sic Auctor Stephano III. Zachariæ successore : *De omnibus receptis civitatibus donationem in scriptis à Beato Petro, atque à Sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis misit possidendam, quæ hactenùs in Archivo Sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur*. Sic quoque in vita Hadriani Primi citat auctor donationem Caroli Magni Beato Petro factam : *sicut* inquit, *in eadem donatione contineri monstratur*, addit exemplar illius donationis super Corpus B. Petri positum : *Aliaque* inquit, *ejusdem donationis exempla per scriniarium hujus Sanctæ nostræ Ecclesiæ descripta ejus Excellentia secum deportavit*. Quibus quidem verbis indicat auctor, se non fuisse scriniarium Archivi Vaticani, fuisse tamen ejusdem Ecclesiæ adscriptum, & donationum exempla à scriniario exarata conspexisse. Quid plura? In vitis reliquorum Pontificum usque ad Nicolaum I. toties scriniorum Apostolicæ Sedis mentio facta reperitur, ut vel ob hanc rationem eorum omnium auctorem Anastasium Bibliothecarium statuerint Onuphrius Panvinius, Ciaconius, aliique viri eruditi.

8. Atque ex his omnibus patet, quantæ auctoritatis posterior pars libri Pontificalis habenda sit, utpotè quæ ab auctoribus contemporaneis, ex antiquis Romanæ Ecclesiæ monumentis in Archivis ejus asservatis contexta est. Licèt autem prior pars non conscripta sit ab auctoribus synchronis; ex antiquis tamen Romanæ Ecclesiæ monimentis pariter concinnata fuit: adeò ut pro discernendis Romanæ Ecclesiæ ritibus, pro ejusdem disciplina, & dogmatibus cognoscendis, hic liber meritò allegari possit, cùm ex eo horum omnium notitia eruatur. Si enim de ritibus sacrificii, qui jam indè à primis temporibus cœperunt; si de ordinationibus Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & inferioris Cleri, eorumque nunciis; si de reliquiis Martyrum, de invocatione Sanctorum, de psalmis, & orationibus in Ecclesia recitari solitis; si de varia Summi Pontificis electione; si de sexcentis aliis disciplinæ, rituum, & dogmatum Ecclesiasticorum capitibus agamus, reperiemus profectò in hoc libro Pontificali, undè cunctis satisfiat: perspectos habebimus Hæreticorum errores, & cognoscemus quando, & à quibus damnati sint; Conciliorum Generalium Acta, Pontificum decreta, Synodorum nationalium, & provincialium statuta observabimus; & quibus modis Ecclesiæ regimen octo primorum sæculorum spatio constitit, facilè conjiciemus. Ita ut vix sciam, an in tota antiquitate opus aliud reperiatur, ex quo tam multa, ac ex libro Pontificali, addisci possint.

9. Atque hæc sufficiant de libri Pontificalis præstantia, & auctoritate, quam Hæretici ipsi non contemnendam esse declarant. Blondellus enim, dum contra Turrianum scribit de epistolis decretalibus primorum Pontificum, observat in prolegomenis capite 12. libri Pontificalis Scriptorem vixisse ante annum septigentesimum, & citari *à Beda, Amalario, Fortunato, Walfrido, Strabone, & aliis Anastasio Bibliothecario antiquioribus*. Adjungit cap. 16. *Scriptorem fortè non malum esse*. Alibi fatetur, *eo veteres Ecclesiæ Romanæ tabulas contineri, nihilque eo scripto incorruptius editum, nihilque à falsi suspicione alienius reperiri posse*. Hanc Blondelli sententiam secutus est Salmasius, qui fatetur cum Blondello, authorem quasi Solis radio scripsisse, quorum sententiam, dum in operibus posthumis Disertatione I. de serie Romanorum Pontificum, capite 12. improbare studet Pearsonius, rationem num. 12. adducit : Quia auctor ejus anonymus, vel incertus sexti sæculi Scriptor, & status primitivæ Ecclesiæ ignarus fuit. Adjungit nonnulla, quæ præoccupati animi indicia spirant, & aversæ religionis hostem produnt : undè mirum nemini videbitur, quòd narrationes in libro Pontificali contentæ ipsi displi-

Digitized by Google

ſpliceant, ritus Romanæ Eccleſiæ ibidem exhibitos contemnat, doctrinas, ſive dogmata primitivæ Eccleſiæ in eo expreſſa ſugillet, & repudiet. Oſtendimus ſanè, ex quibus fontibus ea, quæ in libro Pontificali traduntur, deſumpta ſint. Ex quibus facilè quiſque diſcernet, Pearſonium humani quid paſſum eſſe, dum contra libri Pontificalis authorem inſurgit, quem dum ſæculo ſeptimo ſcripſiſſe fatetur, meliùs A de Romana Eccleſia, ejuſque diſciplina, ritibus, & fide inſtructum fuiſſe, quàm noviſſimis his temporibus natos, agnoſcere debuiſſet. Atque hoc meum de libro Pontificali judicium eſt: nunc librum ipſum cum Catalogis, ex quibus magna ejus pars deſumpta eſt, lectorum oculis exhibebimus, ut cuncta unico intuitu agnoſcantur.



Digitized by Google

EXAMEN LIBRI PONTIFICALIS, SIVE VITARUM ROM. PONTIFICUM,

Quæ ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur.

A U C T O R E

JOANNE CIAMPINO ROMANO

MAGISTRO BREVIUM GRATIÆ, &c.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DAvidicum illud : Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, *quàm maximè in ſtudio verum eſſe, diuturno Scriptorum omnium experimento probatum eſt. Aſſiduitas enim illa, & egregia pertinacia ſtudendi id efficit, ut opus aliquod aliud excitet, & in illud acuto, atque amabili quodam ſtimulo ſcribentis animum impellat : Id ego ſatis in dies experior, dum Sacrorum Muſivorum operum deſcriptioni operam do : Namque vix aliquâ re abſolutâ, alia ſupervenit adeò, ut ſuaviſſimâ quadam rerum eruditorumque laborum catenâ videar trahi. Verùm ſi id unquam, præteritis hiſce menſibus maximè ſum expertus, cùm Religioſiſſimi Imperatoris Conſtantini Magni memoriam in Chriſtianorum animis excitaturus, omnia Sacra ædificia ab ipſo tam in Occidente, quàm in Oriente conſtructa, deſcriberem. Adfuit enim Vir cæteroquin eruditiſſimus, qui præter alia, me, quibuſnam ab Auctoribus pro ea diſſertatione conficienda notitias haurirem, efflagitavit; cui ego pro ædificiis Occidentalibus multas ab Anaſtaſio Bibliothecario, pro Orientalibus verò ab Euſebio, aliiſque depromere ingenuè faſſus fui. Tum ille : Quænam, inquit, fides habenda eſt Anaſtaſio, qui Scriptor fuit quingentis, & ultra annis Conſtantino Magno poſterior ? & ego non ſinè gravi animi motu loquentem interpellatus : Si fides, inquam, Anaſtaſio neganda eſt, cui per tot ſæcula, ut Hiſtorico quolibet exceptione majori, & tanquam textui auctoritas tributa fuit, quid de quamplurimis aliis Hiſtoricis dicendum, qui longè pluribus ſæculis poſt quàm res evenère, eas tradiderunt ? num fides omnibus abroganda ? non equidem. Etenim pro certo habendum eſt fabulas, aut ſomnia non cònſcripſiſſe : alioquin tandiu ſub ſpecioſa veritatis perſona deliteſcentes Reipublicæ haud impoſuiſſent. Qualibet enim ætate Viri eruditiores, & ut ajunt, emunctæ naris, vixére, vivuntque, qui fabularum, figmentorumque inventores ſatìs ſubolent, ut de fictis Scriptoribus à Joanne Annio Viterbienſi inventis notum eſt. Inde verò mecum, quæ objecta fuére contra Anaſtaſium, ſeriò recogitans, tanti Auctoris tutelam ſuſcipere, illumque à calumniis invidorum hominum pro virili, hujuſcemodi diſſertatione vindicare conſtitui; qua equidem ſpero fore, ut quid de Anaſtaſio, ac de Libro Pontificali, ſive de Vitis Romanorum Pontificum, qui ſub ipſius nomine circumfertur, ſentiendum, quantave ipſi fides habenda ſit, luculentiſſimè appareat. Quamobrem, nè te pluribus morer, amice Lector, hæc, quæ candidiori Judicio tuo ſubjicio, libens adi.*

INDEX CAPITUM

OPERIS PROPILÆUM.

Digitized by Google

OPERIS PROPILÆUM.

An Vitæ Romanorum Pontificum in libro Pontificali sub Damasi nomine vulgatæ, & reliquæ sequentes spectent ad Anastasium Bibliothecarium, & quænam ipsi fides præstanda sit.

EO' devenit in re literaria præsentium ingeniorum acumen, ut quò majori felicitate in omni studiorum genere proficit, eò altiori indagine in perscrutandis illorum principiis insudet, adeò ut venerandam antiquitatis dignitatem in dubium revocari, sanctissimaque Religionis avitæ monumenta denigrari, aut everti non sinat. Fatendum quidem est, nullum aptius instrumentum ad sinceriores eruditarum messium fructus colligendos excogitari potuisse critico cribro, si moderatè, ac discretè eo utamur.

Quòd si arguté nimis, & ad ingenii potiùs ostentationem, quàm ad veritatem è tenebris educendam adhibeatur, adeò usque cuncta conturbat, pervertitque, ut veritas ipsa lacera potiùs, fœdataque mendacii cœno sordescat, ac involuta remaneat, quàm pristinæ integritati restituatur.

Prodiit olim in Italia ad sacrarum, humanarumque rerum subsidium censura primis Ecclesiæ sæculis, cùm Gelasius Summus Pontifex genuinos, ac germanos Codices ab apocryphis secrevit, ut videre est in Synodo Rom. relata in dist. 15. c. 3. Adolevit exinde pedetentim multorum Scriptorum judiciis, qui præcedentium Auctorum Catalogos instruxerunt, eorumque opera examinarunt: circa finem superioris sæculi longè severior exiliit, ut ex Catholicis, & Heterodoxis facillimè arguere quisque potest, ex Baronio scilicèt, Bellarmino, Magdeburgensibus, aliisque. Nostro tandem sæculo, & præsertim hac ætate affluentibus undequaque Criticis ad summum elata fastigium ulteriùs provehi censura non valet. Exemplo sit Historia Roman. Pontif. quæ sub titulo *Libri Pontificalis*, sive *Damasi*, aut *Anastasii Bibliothecarii* circumfertur, de cujus Auctore cùm graviter ambigatur, & varii varia autumaverint, eos proinde hìc subjicere cum eorumdem conjecturis, si quas afferant, nobis decretum est, ut cæterorum opinionibus præviis, libratisque, cui nos adhærere velimus, & adhærendum putemus, non temerè delegisse videamur. Has autem, ut certius, clariusque judicium proferri possit, in septem classes digerimus.

SECTIO PRIMA.

Opiniones diversæ circa Auctorem Libri Vitarum Romanorum Pontificum.

PRima opinio illorum est, qui vitas Romanorum Pontificum à Sancto Petro usque ad Liberium S. Damaso adscribunt, ac gesta illa eadem fuisse arbitrantur, quæ D. Hieronymus à S. Damaso literis expostulaverat: reliquas verò vitas usque ad Nicolaum I. Anastasio tribuunt. Hujus sententiæ sunt Ptolemæus Lucensis Ordinis Prædicat. qui in principio lib. 6. Hist. Eccl. ex M.S. Barber. an. 1296. *Attende* (ait) *quòd usque ad Damasum Chronica Summorum Pontificum vigorem accipiunt Damaso scribente*. Landulphus de Columna, qui floruit Anno 1330. in suo Breviar. Hist. Sabellicus. Ennead. 7. lib. 8. Anno 1494. *Damasus historiarum cupidus, omnium, qui ante se fuerunt, Pontificum vitas, monumentis tradidit literarum, deditque id opus Hieronymo recognoscendum*. Petrus Crinitus de Poëtis An. 1500. hisce verbis: *Item Librum de Romanis Pontificibus soluta oratione, quem ad Hieronymum misit*, adhærent Philip. Bergom. 1494. Trithem. in Damaso, Wernerius Westphalus in fasciculo temporum Anno 1504. Franciscus Joannettus de Vitis Pontificum. Angelus Rocca de Bibl. Vatican. Anno 1590. Maurolycus Abbas Siculus in Martyrol. Anno 1564. ubi sic: *S. Damasi Papæ, qui scripta D. Hieronymi probavit, ad quem Pontificum Gesta scripsit, Psalmodias, & Gloria Patri primus edidit*: Annuit Platina in Damaso his verbis. *Placatâ tandem Ecclesiâ Damasus otio delectatus vitas Pontificum omnium, qui ante se fuere, conscripsit, easque ad Hieronymum misit*. Quibus adde Pagannum Gaudentium in dissertatione de Sancti Marci Evangelio, ubi contra negantes vulgatum opus, hæc ait: *Neque est quòd argutator aliquis obstrepat, & dicat Librum Pontificalem non esse Damasi; quæso enim id unde colligit? ac si semel fas fuerit tàm facilè Scriptorum nomina in dubium revocare; quid deinceps non vacillabit?*

Secunda opinio ad illos spectat, qui memorata Pontificum gesta à Sancto Petro usque ad Liberium, non ad Damasum, sed ad incertum Auctorem referunt; ita sentit Baronius ad An. 69. N. 35. ubi duos tantùm Auctores fuisse conjicit, quos tamen non indicat: ait enim: *Hæc accepta esse noscuntur ex libro vulgato nomine Damasi de Romanis Pontificibus, sed à diversis Auctoribus (ut verius puto) collecto: Nam demonstrabimus pluribus in locis continere repugnantia inter se, ferè in unoquoque Pontifice in annis cuiusque consignandis, ut satis perspicuè intelligi possit è duobus saltem Auctoribus illum consarcinatum, nulla habita ratione à Collectore eorum, quæ inter se pugnantia esse viderentur*. Baronium sequitur P. Labbeus in suo Tractatu de Script. Eccl. in vita Damasi, ubi etiam improbat id, quod asserit Papyrius Massonius de quodam Damaso Episcopo Portuensi, quem equidem perlustrato Portuensium Præsulum Catalogo in Italia Sacra Ughellii notatum haud reperi.

Tertiam opinionem tutantur ii, qui Damaso, & Anastasio prætermissis, vitas Pontificum Guilielmo Bibliothecario, sive Pandulpho Ostiario Lateranensi tribuunt. Ita præ cæteris Tortelius in sua Orthographia: Matth. Sylvagius Franciscanus inter sua Colloquia Venetiis edita anno 1542. qui etiam cuidam Petro Lateranensis Ecclesiæ Bibliothecario opus adscribere videtur; quæ opinio comprobari posset ex veteri quodam M S. notato in Bibliotheca Vaticana num. 3762. in quo circa medium sub Stephano II. titulus hic grandiori rubroque charactere conspicuus est. *Petrus Guilielmus Bibliothecarius apud Accium, dum ibi moraretur Anno Dominicæ Incarnationis* 1142. ut annotavit Floravantes Martinellus in sua Roma Sacra, cùm scriberet contra Anastasium, quem alium censet ab eo, qui Vitas Pontificum scripsisse dicitur, con-

conjecturâ desumptâ ex eo, quòd fuerit alter Anastasius tempore Nicolai I. Papæ, *qui Abbas S. M. Transtyberim nominabatur, non autem Bibliothecarius*, ut dignoscitur in præfatione vitæ S. Basilii Confessoris existente in vetustissimo illo Codice *ad Martyres* in eadam Bibliotheca Vaticana num. 5696. fol. 184. à tergo, ubi hæc: *Urso Ven. Subdiacono S. R. E. seu Medico, & Domestico D. N. Sacratissimi Papæ Nicolai Anastasius exiguus Abbas Monasterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Virginis, siti Transtyberim, ubi olim circa Domini Nativitatem fons olei fluxit.*

Quarta opinio eos respicit, qui integram historiam Romanorum Pontificum ab Anastasio Bibliothecario consarcinatam agnoscunt, quorum primus videtur esse Panvinius præteriti sæculi Scriptor eruditissimus; is enim in vita Joannis VIII. *Anastasius*, inquit, *Romanæ Sedis Bibliothecarius vir Latinâ, & Græcâ linguâ eruditus, qui Pontificum Romanorum vitas à Beato Petro Apostolo ad obitum Nicolai I. diligenter perscripsit*. Idemque confirmat in notis ad Platinam post vitam Nicolai I. Ivit in hanc sententiam Ludovicus Jacobus à S. Carolo in sua Bibliotheca Pontificia lib. 2. Sed usque ad Stephanum VI. Anastasium scripsisse asserit. Annuit his Papyrius Massonius in Benedicto III. ubi hæc: *Anastasius Bibliothecarius, qui vitas Romanorum Pontificum usque ad Benedicti III. successorem Nicolaum scripsit*. Cui concors omninò est Scriptor novissimus Antonius Teisserius in Catalogo Auctorum. Papyrium autem haud ex integro percurrisse videtur idem Martinellus in sua Roma Sacra, ubi controversum hujusce Codicis Auctorem perquirens, postquam asseruit Massonium in Damasum non inclinare, subdit eundem nihil de Anastasio excogitasse, sed Auctorem alium inquirere: qui profectò non scripsisset, si Papyrium, & præcipuè locum allatum accuratiùs lustrasset.

Maximè præterea favet Anastasio Codex vitarum Pontificum Romanorum, qui è celebri Bibliotheca M. Welseri Augustanæ Reipubl. Duum-viri sub Anastasii nomine Moguntiæ editus fuit anno 1602. curâ & studio Joannis Bussei Noviomagensis è Societate Jesu, ut tradit Labbè de Script. Eccl. & colligitur ex Bibliotheca Scriptorum Societ. Jesu. Ideò autem Anastasio Bibliothecario prædictus Codex adscriptus fuit, quia tota scribendi ratio, stylus, ac methodus vitarum, quæ in eo post illam Damasi continentur à præcedentibus Damaso hucusque attributis, nihil omninò differre videntur, quod fortasse in eandem hanc opinionem impulit Bellarminum, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis plura referens, ait: *Anastasius Bibliothecarius & Abbas Romanus vir doctus Græcè & Latinè scripsit vitas Pontificum Romanorum à Divo Petro, usque ad Nicolaum I.*

Quinta opinio docet vitas Pontificum ex tribus antiquissimis Catalogis ab Anastasio depromptas. Eamque amplectuntur Clarissimi Viri Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius è Societate Jesu, qui in ingens opus scribendi Acta Sanctorum jamdiù à Joanne Bollando ejusdem Societatis incoeptum anno scilicet 1643. sedulò incumbunt.

Porrò Henschenius & Papebrochius ad Tomum primum Aprilis in Diatriba præliminari ad Catalogos veteres Romanorum Pontificum, maxima cum solicitudine inquirunt Codices Acta Pontificum continentes, ab antiquissimis Scriptoribus tradita, fidendumque in hac parte Latinis potiùs, quàm Græcis Auctoribus protestantur, cùm illi Ecclesiæ Alumni propriùs dici possint.

Narrant præterea sibi cùm Romam venissent anno 1660. & cum Viris eruditione præstantibus consultò de Gestis Pontificum sermonem instituerent, ut de eorum Auctore quid certius indagarent, apprimè laudatum fuisse librum, *Pontificale* appellatum, ex quo vitæ Pontificum editę sunt ab Aloysio Lippomano Tomo V. Vitarũ Sanctorum Patrum usque ad Sanctum Felicem II. Et tempora Constantii Imperatoris, quæ & in Tomis Conciliorum saltem usque ad Gregorium M. allegantur, continuanturque deinde ab Anastasio Bibliothecario, & aliis, passimque in Annalibus laudantur.

Inter alios, quos colere, & familiariùs adire consueverant, fuit, ut ipsi testantur, Eruditissimus, ac Clariss. vir Lucas Holstenius tunc temporis Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, qui, ut eorum literariam solicitudinem temperaret, vel promoveret, obtulit illi Catalogum Summorum Pontificum ex antiquissimis membranis Palatinis Vaticanæ Bibliothecæ descriptum, & usque ad Stephanum III. sive ad tempora Pipini, & Caroli M. Regum Francorum deductum. Verùm hoc sedulò fidelissimèque transcripto; cùm in Regia Augustissimæ Christinæ Reginæ Svecorum Bibliotheca versarentur, alium ibi, & quidem pervetustum Catalogum reperierunt usque ad Felicem IV. & ad tempora Justiniani Imperatoris productum. Cùm itaque tertium quendam longè melioris notæ Catalogum haberent, ex Cæsarea Bibliotheca depromptum, qui ad initium Liberii Pontificis, & tempora Constantii Imperatoris deducitur; censuere in editione illa mensis Aprilis primo loco Cæsareum magno charactere exaratum proponere; secundò, quem ex Regia Bibliotheca desumpserant, sed parvo Charactere conspicuum: omisso Vaticano tanquam crebris erroribus, mendisque scatente. Asserunt in hoc Tomo prædicti Scriptores Historiam eisdem Catalogis contentam latiùs explicari in aliis Codicibus MSS. de vitis Pontificum usque ad Stephanum III., & Pipinum, & Carolum M. protensis, quorum alterum fuisse existimo, quem vidisse se narrat Labbeus in Damaso, illumque ut optimæ notæ decantat; censetque Anastasium tunc temporis, vel nondum natum, vel ad summum ex infantia egressum fuisse. Hasce vitas ab Anastasio Bibliothecario usque ad Nicolaum I. continuatas, & à Guilielmo Bibliothecario usque ad Martinum V. deductas autumant: docentque Codices MSS. pro titulo in fronte præseferre *Gesta Pontificum*: quibus infrascriptæ Damasi, & Hieronymi Epistolæ præponuntur.

Hieronymi Presbyteri ad Damasum Papam Urbis Romæ.

Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus. Gloriam Sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur, ut secundùm Apostolicæ Sedis authoritatem, quam cognovimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus Gestorum à B. Petri Apostoli Principatu, usque ad vestra tempora, quæ scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris, quatenus nostra humilitas sentiens recognoscat, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis Martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur; ora pro nobis Beatissime Papa.

Digitized by Google

Damasi Papæ. Ad Hieronymum Presbyterum. Damasus Episcopus Urbis Romæ Hieronymo Presbytero.

G*Audet Ecclesia tuo fonte jam satiata, & amplius sitit curiositas temporum Sacerdotalium, ut quod dignum est cognoscatur, quod indignum respuatur. Veruntamen gesta Pontificum, quæ potuimus reperire in nostræ Sedis studio ad tuam Charitatem gaudenter direximus. Ora pro nobis ad S. Resurrectionem Frater, & Compresbyter: vale in Christo Deo & Domino nostro; Dat. X. Kal. Junii, & accepta Kal. Octobris Missa de Roma Hierosolymam.*

Porrò primum Catalogum bipartitum exponunt. Primam ejus partem à S. Petro ad S. Urbanum Pontificem & Martyrem Anno 230. productam Sancto Anthero Papæ adscribendam esse arbitrantur, cùm is gesta Martyrum summa cum sedulitate exquisierit, antequam ad Pontificatus munus ascenderet, eaque in Ecclesiæ Scriniis condiderit. Secundam verò, quæ initium facit à Sancto Pontiano, S. Julio Pontifici asseverant, cui deinde successit Liberius, ejusque tempore vetus hic index seu Catalogus Romanorum Pontificum conscriptus fuit, ut ipsi sentiunt cum Dionysio Petav. lib. 5. *Ration. temp.* cap. 5. quem apud se habuisse ajunt; mox hæc habent: *Post obitum Liberii constitutus est Pontifex S. Damasus, qui rogatus à S. Hieronymo, Gesta Pontificum, quæ potuit reperire in suo Sedis studio, ad eum direxit.* Quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de jam indicato Catalogo usque ad Liberium ejus Decessorem deducto. Notandum hìc est, præfatos viros Epistolas supra allatas Damasi, & Hieronymi tanquam genuinas admittere. Sed de his plura nobis inferiùs dicenda, quum de alio ipsorum Judicio sermo erit.

Ad secundum deinde Catalogum, ad Regium videlicet descendunt, eumque conscriptum volunt tempore Joannis I. & Felicis III. sive ut alii malunt, IV. qui Annis 523. & 530. floruerunt. Concludunt denique priorem Catalogum neutiquam à S. Damaso conscriptum fuisse, sed dumtaxat approbatum. Atque hoc est prædictorum virorum judicium de Authore Vitarum Pontificum in Tomo I. Mensis Aprilis in principio.

Sexta opinio est Cl. V. Petri Lambecii Cæsaris Historiographi & Bibliothecarii; is enim Anno 1669. secundum Librum Bibliothecæ Cæsareæ Vindocinensis edidit, in quo pag. 924. citat Librum Pontificalem, ac suam profert opinionem, quam prout ipse exaravit, exponimus.

Historia Pontificum Romanorum, *quæ vulgo quidem attribuitur* Anastasio S. R. E. Bibliothecario, *in hoc autem & aliis quatuor* Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codicibus MS. adscribitur S. Damaso Papæ; *nempe propter* duas *præfationis loco illi præfixas* Epistolas, *quarum exempla hic exhibeo*.

Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus.

GLoriam &c. Sed jam nos has Epistolas paulò supra retulimus. Subdit postea Lambecius, *Propter has igitur* duas Epistolas, *quæ non solùm in jam memoratis* Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ, *verùm etiam aliarum Illustrium Bibliotbecarum Codicibus quibusdam MSS. Historia ista de Vitis Pontificum Romanorum præfixæ sunt*; Creditum à nonnullis est, omnium illarum vitarum, quæ eo opere continentur à S. Petro *Apostolorum Principe, usque* ad S. Damasum, *ipsum* S. Damasum *esse auctorem. Sed reclamant alii obstare auctoritatem* S. Hieronymi, *utpote qui in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, omissâ historiæ istius mentione*, de S. Damaso *nihil aliud scribit, quàm hoc*: Damasus Romanæ Urbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque, & brevia opuscula heroico metro edidit, & propè octogenarius sub Theodosio Principe mortuus est. *Huc etiam accedere ajunt, quòd non solùm* stylus *ejusdem Historiæ, totaque forma, & series orationis, tanquam inculta, rudis, & impolita, ab Epistolis aliisque monumentis* S. Damasi *valde discrepet, verùm etiam Historia ipsa multis* Chronographicis erroribus, *& incertis, ac à veritate alienis assertionibus referta sit. De qua celebri controversia etsi aliàs prolixiùs acturus sim, paucis tamen hìc in antecessum indicabo, in quam inclinem sententiam. Verisimile nimirùm mihi videtur* primam *Historiæ istius de Vitis Pontificum Romanorum originem non tantùm* S. Damaso *multò* esse *antiquiorem, verùm etiam indè* à prima Notariorum S. Sedis Apostolicæ per S. Papam Clementem I. institutione *derivandam, & repetendam esse. Cùm enim horum* Notariorum *præcipuum munus fuerit* Gesta Sanctorum Martyrum *solicitè, & curiosè perquirere, & diligenter annotata in Ecclesia recondere, simul etiam tunc necessariò cœperunt scribi* Vitæ Romanorum Pontificum *instar simplicis alicujus Catalogi, quò compendiosè indicaretur cujusque Nomen, Patria, Pater, Tempus Pontificatus, Ordinationes, Constitutiones, Obitus, ac Sepultura, & Cessatio Episcopatus, usque ad successionem novi Pontificis. Post libertatem autem Ecclesiæ Christianæ*, ab Imp. Constantino Magno *promulgatam, utì paulatim crevit Ecclesiæ Romanæ splendor, & opulentia, sic etiam* Catalogus *ille evasit amplior, & grandior, quoniam præter supra enumerata inseri etiam illi cœperunt, quasi cuidam* Rationario, *exstructiones, instaurationes, & exornationes templorum, aliorumque locorum sacrorum, unà cum speciali recensione omnis Sacræ Suppellectilis, omniumque Donationum tam mobilium, quàm immobilium cum suis redditibus. Hic ergo* Catalogus, *qui, licèt diversis temporibus, & à diversis Auctoribus componeretur*, ordine *tamen*, & stylo; *ut in aliarum solemnium Tabularum continuatione plerunque fieri solet, ubique sibi erat similis, latuit reconditus* in Tabulario, *sive* Archivo Basilicæ Vaticanæ S. Petri *Apostolorum Principis, usque ad Pontificatum* S. Damasi. *A quo cùm* S. Hieronymus *per supra exhibitam* epistolam *petiisset, ut acta Pontificum Romanorum* à S. Petro, usque *ad sua tempora sibi enarraret, curavit is antiquam istam historiam Pontificalem ex* tabulis Vaticanis *describi*, & Româ mitti Hierosolymam, *ideoque eam in responso suo* ad S. Hieronymi *epistolam non appellat studium suum, sed Sedis Apostolicæ studium. Sic enim revera interpretanda sunt hæc verba*: Tamen, quod gestum est, quod potuimus reperire Nostræ Sedis studium, ad tuam Charitatem gaudentes direximus. *Ipse igitur S. Damasus non composuit historiam illam Pontificum Romanorum, sed studio Sanctæ* Sedis Apostolicæ inde à S. Clementis I. *temporibus ex diversorum annotationibus paulatim conflatam, publici tantùm fecit juris, & cum S. Hieronymo communicavit, eamque ob rem haud mirum est, nullam ejusdem Historiæ fieri mentionem à S. Hieronymo in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi agitur de* S. Damaso; *utpote*

Digitized by Google

pote cùm is eam non composuerit. Utinam autem etiam nunc superesset, vel si alicubi adhuc latitat, reperiri posset genuinum, & incorruptum *aliquod exemplar istius Historiæ, quale à* S. Damaso ad S. Hieronymum *missum est! cùm enim hoc opus jam memorato modo evulgatum, promiscuè cœpisset describi, & versari in manibus omnium, variis modis illud partim negligentiâ, & inscitiâ Librariorum, partim autem imperitâ, ac temerariâ addendi, & detrahendi licentiâ depravatum, & interpolatum est, ut etiam nunc satis manifestè cernitur. Cæterùm quod ad ejusdem historiæ* continuationem *post tempora* S. Damasi attinet, ea quid paulatim *à diversis* S. R. E. Bibliothecariis, *tanquam* Tabularii *seu* Archivi Vaticani Præfectis, *prout quisque sub uno vel pluribus Summis Pontificibus vixit, composita est, observata tamen quantum fieri potuit similitudine* ordinis, & styli, *quibus antiquiores ejusdem Scriptores ante* Sancti Damasi *ætatem usi fuerant. Celeberrimus autem omnium jam memoratorum continuatorum* est Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, *qui sæculo post Christum nono floruit sub Papa* Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. *Et secundùm Card. Baronii Chronologiam, vitam produxit usque ad annum ferè 886. Quòd enim* solus Anastasius *non sit Auctor totius istius continuationis, satis patet ex antiquis illis Codicibus, qui sinè ulla controversia ante ipsius ætatem scripti sunt. Cujusmodi fuit ille Codex, quem* R. P. Philippus Labbeus *in dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur se vidisse, tempore* Imp. Caroli Magni *exaratum, in quo Vitæ illæ Romanorum Pontificum* S. Damaso Papæ *jam tum tribuebantur, antequam aut natus esset* Anastasius, *aut saltem ex primæ infantiæ crepundiis emersisset. Ejusdem generis est etiam præstantissimus ille, & collatu dignissimus Codex manuscriptus* Ambrasianus, *de quo in præsens agitur; utpote cùm tam ex Scriptura, quàm aliis circumstantiis certò constet, eum ad* Imp. Ludovici Pii *tempora pertinere. Pertingit autem ibi* Historia Pontificum Romanorum *tantùm usque* ad Papam Stephanum Secundum, *vel ut alii supputant*, Tertium, *qui A. C. 752. electus est, & A. 757. obiit; ultima vitæ ipsius verba sunt ibi hæc*: Et annuente Deo Rempublicam dilatans, & universam Dominicam plebem, videlicet rationabiles sibi commissas oves, ut bonus Pastor, animam suam ponens, omnes insidias eruit inimicorum, cursumque consummans (interea renovavit in atrium ante fores B. Petri Apostoli, qui Quadriporticus dicitur; columnas marmoreas octo miræ pulchritudinis sculptasque desuper quadris composuit, & æreum desuper conlocavit tegumen: fecit autem & juxta Basilicam B. Petri Apostoli, & ab alia parte B. Andreæ Apostoli, in loco qui Musileus appellabatur, Basilicam in honorem S. Petronillæ, quæ prædicto benignissimo Pipino Regi in Francia spoponderat, ut B. Petronillæ corpus ibidem conlocaret, ubi posuit canistra argentea multa, & ornamenta alia pluraque dedicavit:) & omnia utiliter perficiens, Dei vocatione vitam finiens, ad æternam migravit requiem. Qui fecit ordinationem per mensem Martium, Presbyteros II. Diaconos II. Episcopos per diversa loca numero XV. (& dum in Francia esset positus; Rodigango Sanctissimo Episcopo Pallium tribuit, & Archiepiscopum ordinavit). Qui etiam sepultus est in Basilica Beati Petri Apostolorum Principis V. Kal. Maji Indictione X. & cessavit Episcopatus mensem unum dies V. Hucusque historia illa de vitis Pontificum Romanorum, quæ in supra memorato Codices MS. Ambrasiano primum locum obtinet.

Conjecturam præallegatam Petri Lambecii, nempè quòd Vitæ Pontificum, quamvis diversis temporibus descriptæ, similem tamen stylum præseferre possint, optimè adstruit Clarissimus Vir Raphaël Fabrettus in explicatione Fragmenti suæ inscriptionis ad Fratrum Arualium Collegium pertinentis; ubi nedum formarum scribendi, sed ipsius characteris identitatem per longum tempus retentam ostendit in suis Inscriptionibus dum hæc scribimus quantocitiùs in publicam lucem è domestico Urbini Musæo prodeuntibus.

Septimam opinionem patrocinatur Clarissimus Vir Emmanuel à Schelestrate, qui in libro Antiquitatis Illustratæ Antuerpiæ edito Anno 1678. Cap. 2. Dissertationis præviæ, pluribus Successorum Petri usque ad Nicænum Concilium Chronotaxim expungit, qua occasione supradictum primum Catalogum allegat, & præmemoratas Damasi, & Hieronymi Epistolas exhibet unà cum notis Henschenii & Papebrochii, ac deinde omnia ad trutinam revocat, libratque. Negat primò prædictum Catalogum ab Anthero confectum, & à Damaso approbatum, licèt omnium antiquissimum credat, quòd ex eo, veluti fonte, omnes alii corriventur. Secundò contendit Epistolas Damasi, & Hieronymi, aliasque de Psalmodia à M. Milesio Sarazanio publici Juris factas, & ab Henschenio ad probandam aliarum de gestis Pontificum ingenuitatem adductas, subjacere censuræ Erasmi, qui Anno 1516. Basileæ prædictas Epistolas de Psalmis publicaverat, censuræque tenorem supra Epistolam Damasi ad Hieronymum refert, & is est: *Clarius est. quàm ut admoneri debeat, hanc Epistolam ejusdem esse, cujus est ea, quæ proximè sequitur, & eadem febri laborantis, Deum Immortalem! quæ fuit imprudentia hoc tribuere Damaso?* Item super Epistolam Hieronymi ad Damasum, quæ sic habet: *Qui speravit futurum, ut hæc Epistola, qua nihil potuit fingi insulsius, nec indoctius, nec infantius, à quoquam pro Hieronymiana legeretur?* Has Erasmi censuras prælaudatus D. Schelestratus scribit confirmasse Labbeum tom. 2. Collect. maximæ in notis marginalibus ad duas Epistolas editas à Sarazanio, ubi sic: *Supposititiæ, apocryphæ, & ineptissimæ Viris doctis habentur, tantumque à stylo Damasi & Hieronymi distant, quantum Cœlum à terra, & polus Antarcticus ab Arctico*. Infert ex his Schelestratus contra Henschenium, Epistolas Damasi, & Hieronymi, ducto ex similitudine argumento, eadem labe sordere, & apocryphas prorsus esse, ac asserit præfatum Henschenium ambas Epistolas iis assimilare, quas de Psalterio edidit Sarazanius, propterea ipse Schelestratus easdem improbat ex inculta styli ratione, utpote quæ à Damasiana scribendi methodo longè differat; ponderatque fragmentum Epistolæ Damasi, illud scilicet: *Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata, & ampliùs sitit curiositas temporum Sacerdotalium*: deinde sic: *Si dixisset: sitit curiositas Sacerdotum, sensus fuisset optimus, sed sitit curiositas temporum Sacerdotalium nec sensum reddunt, nec Damaso Papæ adscribi possunt, cujus elegantissima scribendi methodus à similibus imposturis est longè aliena*, ut colligi potest ex ejus Epistolis per Lucam Holstenium publicatis in Romana historia bipartita parte I. Urget præterea atque asserit, quòd adhuc data, & admissa Epistolarum veritate, nequaquam ex eo convincatur, Gesta Pontificum

Digitized by Google

eum ad Damasum pertinere, cùm antiquior Catalogus ipsi adscriptus, ille dici non possit, quem ab ipso Hieronymus expostulavit. Tum sic: *At in priori quærit Hieronymus à Damaso Papa actus Gestorum à B. Petri Apostoli Principatu usque ad sua tempora, & quæ in Sede Apostolica gesta sunt, per ordinem paucis enarrari, ut agnosceret*, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis Martyrio coronari. Vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur: *& ad hanc Hieronymi Epistolam rescribit Damasus*. Gesta Pontificum, quæ potuimus reperire in Nostræ Sedis studio ad tuam Charitatem gaudenter direximus: *quæ omnia clarissimè indicant Catalogum Pontificum ab Hieronymo expostulatum, & à Damaso transmissum continuisse* actus gestorum, aut Gesta Pontificum, *in quibus eorum obitus, & mortis genus breviter adnectitur. Horum autem omnium nil habet antiquus Catalogus. Ut nec prior pars S. Anthero adscribi possit, qui traditur gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisiisse, & recondidisse in Ecclesia, nec posterior pars Notariis aut aliis à Damaso adhibitis, cùm nec Gestorum nomine secunda indiculi pars venire possit, nec gesta Martyrum contineat, quæ ultra duorum Pontificum martyria non attingit, adeoque nec Catalogus esse possit, quem Magnus Hieronymus expostulavit, aut Damasus ad Hieronymum transmisit, sed si Epistolarum auctoritas sustinenda foret, alius de Romanis Pontificibus Catalogus desiderandus esset, Ubi Pontificum gesta, & Martyria pleniùs exponuntur*. Postea varias, & quidem non ineruditas censuras afferens, probat priorem Catalogum esse illum non posse, quem S. Hieronymo expostulanti transmisit S. Damasus.

Examinat indè posteriorem Catalogum ex inclyta Bibliotheca Augustissimæ Reginæ Svecorum deprompium, aitque habere annos Pontificum in plerisque à priori Catalogo valde discordes; unde elicit, liquidò patere ab alio elucubratum. Addit insuper Auctorem hujus Catalogi Consules à Petro usque ad Liberium à priori Catalogo mutuasse; tum acta ex variis antiquorum monumentis excerpta sub eisdem Imperatoribus, sub quibus prior Catalogus ordinatus erat, statuisse, errore etiam in nonnullis retento.

Denique ad tertium Catalogum, nempe Vaticanum, accedens, postquam plura congessit, sententiam suam statuit hisce verbis: *Enimverò non ex duobus, sed tribus hisce Catalogis Vitas Pontificum consarcinavit Anastasius Bibliothecarius, qui ex primo Catalogo posuit Consules usque ad Liberium Papam, vitio tamen Excriptorum in plerisque mutatos, ex secundo Catalogo mutuavit acta Pontificum à Petro usque ad Felicem IV. omittens cum secundo Catalogo Consules post Liberium, & cum eodem illos ponens in vita Joannis I. & Felicis IV. cujus tempore Auctorem secundi Catalogi floruisse diximus; ex tertio autem Catalogo sumpsit annos Pontificum, quos unicè ex illo vitis singulorum præposuit. Ut patebit consideranti. Et ex hisce paucis mutatis, & additis Pontificale, quod sub nomine Damasi circumfertur, edidit quondam Anastasius Bibliothecarius*. Hactenus Schelestratus: atque hoc ipsius de hac controversia judicium. Postmodum iidem Clarissimi Viri Henschenius, & Papebrochius præsenti nempe anno 1686. ediderunt Propylæum ad acta Sanctorum mensis Maji, quod Conatum Historicum ad Catalogum Pontificum denominarunt: cùmque Henschenius editionis tempore è vivis migrasset, Papebrochius superstes, eique adjuncti eruditi Viri ejusdem Societatis JESU Franciscus Baërtius, & Conradus Janingus amicus noster in prologo de vetustioribus Catalogis MSS. rursus supradictorum trium Catalogorum historiam in mense Aprilis excussam enunciant, eamque altiùs examinant.

Scrutantes primi Catalogi Auctores, plures illum in partes dividunt, primamque terminant cum S. Urbano Pontifice anno 230. Martyrium passo. In hac nullos Consules bis repeti ostendunt, quamvis sub iisdem, quibus sedere cœperunt, quidam Pontifices vitâ functi, & Martyrio coronati fuerint. Ejus partis iterum, ut supra diximus, si non Scriptorem, scribendæ certè Auctorem statui posse censent S. Antherum Papam, quem Gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivisse, ac in Ecclesia recondidisse notant.

Secundam partem à S. Pontiano constituunt, in qua majora passim Pontificum elogia haberi, eosdem Consules repeti, diesque ordinationis, & mortis Pontificum recenseri observant. Hujus partis quatuor succesivè Auctores fuisse conjiciunt ex styli diversitate noscendos: quorum primus, ut ii tradunt, hanc partem usque ad Sanctum Felicem produxit; Secundus tres tantùm hujus Successores adjecit. Quartus à Melchiade usque ad Liberii primordia eosdem protulit. De tertio ne verbum quidem. Quibus præmissis, ajunt veterem hunc Indiculum Romanorum Pontificum Liberii Papæ tempore fuisse contextum. Citantque iterum Dionysium Petav. Lib. 5. Ration. Temp. Cap. 5. deinde plura loquuti de Damaso, epistolam ejus unà cum epistola Hieronymi Gesta Pontificum expostulantis, ad trutinam severiorem adducunt, recedentes ab eo quod jam dixerant, his verbis: *Frequens communio literarum, & librorum inter hunc, & Hieronymum faciebat non omninò incredibile videri hunc ipsum antiquiorem Catalogum petitum ab Hieronymo, eique à Damaso missum fuisse, sed quæ ad hoc probandum proferuntur epistolæ, decurrunt stylo tam hiulco, & inculto, ut jam pridem Viri aliqui eruditi, & nuper Clarissimus Schelestratus in primo suæ Illustratæ Antiquitatis conatu, utramque censuerit auctoribus tam cultis, quales ambo isti Sancti fuerunt, non convenire, & ipsi etiam quod à Damaso Hieronymus requisivisse supponitur argumento minus quadrare, nec verò ante hujus vetustissimi Catalogi exemplaria eas epistolas reperit Henschenius, sed ante posteriorem Catalogum, qui usque ad Felicem IV. pertingit, & non uno loco deprehenditur interpolatus, nullam etiam earum rationem habendam putavit M. Milesius Sarazanius J. C. Romanus, vitam, & opera S. Damasi Papæ à se collecta edens anno 1638. licèt præ oculis haberet, proferretque alias, quibus Damasus ab Hieronymo petit psalterium Græcæ fidei reddendum, & hic eidem quod petierat mittit. Illas igitur satis est in Aprili legi, unde eas jam mallemus expunctas*.

Hactenus Papebrochius, & Collegæ, è quibus quis apertissimè non agnoscat recedere, ac diversum omninò sentire ab iis, quæ in supra relato Tomo Aprilis cum Henschenio censuerant? ibi enim epistolas Damasi, & Hieronymi non modò non improbat, verùm etiam illarum ingenuitatem suadere, & adstruere nititur, argumento desumpto ex epistolis Sarazanii persimilibus, quas ibi adducit, approbatque, & hìc confirmat. Nescio tamen quo pacto, quave ratione, illas de gestis Pontificum epistolas impugnat tanquam apocryphas, *& has de Psalterio reci-*

Digitized by Google

recipiat, cùm planè simillimam phrasim redoleant, ut ipse jam in mense Aprili indicavit: debuisset profectò nunc & eas de Psalterio improbare, ac plenè D. Schelstratio deferre, qui illas ex censura Erasmi, & Labbei acerrimè inculcat; asseritque Henschenium Erasmi censuram fugere. Tum ex eo pergit arguere, quòd epistolæ Damasi, & Hieronymi eodem suppositionis vitio laborent: *Adeoque* (inquit) *nec juvari possint aliæ duæ epistolæ nunc primùm publicatæ, quæ dum fatente Henschenio, à Milesio editis planè similes existunt, & similis suppositionis indicia non obscurè præseferunt*. Itaque Papebrochius sentiens cum Schelstratio quoad Damasi, & Hieronymi de Gestis Pontificum epistolas, deberet utique eodem argumento uti contra epistolas de Psalterio, quas cùm similes faciat in Aprili, eâdem suppositionis, & falsitatis labe coinquinatas deprehendi constat. Sed jam ad octavam opinionem pergamus.

Porrò opinionis istius Auctor est Floravantes Martinellus, Vir multæ eruditionis, qui in Bibliotheca Vaticana pluribus annis Scriptoris munere functus est. Is namque in sua Roma ex Ethnica Sacra pag. mihi 409. secundæ editionis, fusiùs quàm cæteri, hanc dissertationem expendit, asseritque, librum istum, qui retroactis sæculis circumferebatur, continebatque MSS. Pontificum vitas, aliquos Pontificale, plerosque Damasum Papam, plures Petrum Guilielmum Bibliothecarium, alios Pandulphum Pisanum, nullos, vel paucos Anastasium Bibliothecarium appellasse. Postea subdit anno 1602. Moguntiæ impressum prodiisse cum Anastasii titulo ex exemplari, quod transcribi curaverat M. Welserus Augustanæ Reipublicæ Duum-vir.

Verùm quia hujus libri controversus est Auctor, immo ex eo quòd multi istiusmodi Libri Auctorem Anastasium non esse arbitrentur, nonnullis rationibus, & conjecturis tam alta è caligine veritatem educere, & luci suæ restituere conatur.

Prima ratio, quæ pro Anastasio adducitur, desumpta est ex præfatione ad ipsum Librum Anastasii, ubi redditur causa, cur hujusmodi Liber Anastasii titulo fuerit insignitus; quia videlicet *Stylus, totaque scribendi ratio, ordo, & methodus earum Vitarum, quæ post B. Damasi vitam in hoc Codice extant, omninò consentire videtur cum phrasi, universaque scribendi ratione, quæ est in Vitis prioribus, Damaso hactenus inscriptis*. Allatis observationibus opponit idem Martinellus, nullibi probari à Welsero stylum præcedentem, & subsequentem Damasi vitam fuisse Anastasii.

Notandum verò hìc est, Martinellum perperam existimasse Anastasium à M. Welsero typis mandatum fuisse, cùm illum Joannes Russeus Noviomagensis è Societate Jesu imprimi curaverit, ut supra fusè demonstravimus.

Secundam rationem ad probandum prædictum Codicem malè tribui Anastasio Martinellus eadem præfatione deducit, ubi ejus libri exemplar transcriptum dicitur à Welsero ex Codice Vaticano: additurque hoc idem tradere Cardinalem Baronium Bibliothecarium anno 303. num. 125. Ipseque Martinellus eundem Codicem in Bibliotheca Vaticana signatum n. 3764. se vidisse testatur, in quo, ut in aliis ibidem existentibus, nulla aderat mentio Anastasii, sed solummodo Damasi Epistola ad Hieronymum præmittebatur: Subditque recenseri hanc Epistolam à S. Isidoro inter Canones Apostolorum; ex qua nemini dubium habendum arguit, Damasum Auctorem fuisse, atque adeo Welserum non debuisse Vaticani Codicis fide diversum Auctorem præstare, vel hunc aliorum Codicum auctoritate, dubiisque rationibus confirmare; etiamsi spuria ab aliquibus ipsa Epistola existimetur.

Tertia, qua utitur, ratio tota est in adducendis pluribus Scriptoribus, qui Damasum Vitarum Pontificum Auctorem faciunt, ac ultra Trithemium, Platinam, Panvinium, & Landulphum de Columna superiùs relatos, addit Blond. in Lib. I. Romæ instauratæ cap. 41. ubi sic: *Non leve testimonium habet vita Beati Petri Apostolorum Principis à B. Hieronymo Presbytero, ut titulus præfert, sive ut aliqui volunt à Damaso Papa scripta*.

Huc enim Hispanicæ Bibliothecæ elogium affert, Pontificum Vitas usque ad sua tempora Damaso attribuens, addit insuper auctoritatem Anonymi de Benvoglientis, qui Pii II. Pontificatui synchronus de Senarum Urbis ejusque Episcopatus antiquitate scripsit, ubi ait: *Librum scriptum de Vitis Pontificum, qui & in Vaticana, & in nonnullis privatorum Bibliothecis extat, Anastasii non esse, multis, iisque validis argumentis compertum habeo, multique studiosi fuere, qui freti verbis Onuphrii Panvinii Viri alioquin doctissimi, librum illum se in Vaticana annis proximè elapsis legisse affirmantes, magna hilaritate eò tendentes spe sua frustrati fuerunt*. Cogor autem hìc redarguere incuriam, turpemque lapsum Martinelli, qui citans Anonymum de Benvoglientis, eum Pio II. synchronum extitisse ait, postea verò fragmentum ejusdem refert, in quo mentio habetur Honuphrii Panvinii, qui penè sæculo Pio II. posterior fuit Præterea qua fide, quo teste fragmentum illud cuidam de Benvoglientis adjudicet, nescio: cùm Auctoris nomen omninò lateat, immo alterius esse constans opinio sit, Senis præcipuè, ut mihi solicitè de hoc undequaque quærenti testatus est Vir æquè doctus, ac nobilis Pyrrhus M. de Gabriellis, qui verba præallata legisse se ait in quodam libello prorsus Anonymo Senis impresso sub an. 1572. pag. 44. in nonnullis privatis Bibliothecis extante, eumque attribui Cæsari Orlando Senensi, quem anno 1571. Romæ Procuratorem fuisse ob negotia Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Senensis ex publico instrumento perspicuum est. Quapropter hujusmodi anachronismum, lapsumque silentio prætereundum non esse arbitrati sumus, ne eâdem incuriæ notâ, qua Martinellum afficimus, nos à Lectoribus inuramur. Sed hæc obiter. Postremo Martinellus Paganini Gaudentii auctoritatem expendit in Differt. de Evangelio S. Marci, qui à Damaso Papa Vitas Pontificum recognoscit.

Quarto loco, cùm Welserus ideo priores Vitas Damaso tribuendas non esse opinetur, quia ex stylo prorsùs incultæ, & inelegantes sunt, Damasus verò & soluta oratione elegantissimus sit, & in texendis carminibus excellens: retorquet Martinellus in Anastasii fautores argumentum, præcipuè cùm non vulgaris notæ Scriptores eundem in Divinis Scripturis eruditum, & in Sæcularibus literis nobiliter doctum, Græcâque, & Latinâ linguâ spectabilem esse testati fuerint.

Opponit quintò contra Anastasium, quòd cùm fatente Welsero, aliisque, prædictum opus multa contineat à veritate aberrantia, integrisque, ac validis testimoniis destituta, præterea multi sint chronographici lapsus, & pleraque secum pugnent; ex iis omnibus infert Codicem hunc

hunc ab Anastasii integritate nimium abesse: quem *Solertissimum* ad annum 843. num. 32. & ad annum 844. num. 11. *Candidissimum* Scriptorem vocat Baronius.

Sextam rationem deducit à Joanne Tortelio in sua Orthographia, ubi de Ecclesiis, aliisque Urbis locis è Libro Pontificali excerptis plura referens, nullibi Anastasii, sed Damasi, Petri Bibliothecarii, & Pandulphi Ostiarii Lateranensis unicè meminit.

Septimò tradit à Matthæo Sylvagio inter sua Colloquia edita Venetiis anno 1542. ubi pluries de Gestis Summorum Pontificum agit, Petrum Lateranensis Ecclesiæ Bibliothecarium Auctorem vocari. Subditque pag. 313. *sive ille Scriptor B. Hieronymus, sive B. Damasus Papa fuit. Et inferiùs pag. 325. Pandulphus autem Lateranensis Ecclesiæ Ostiarius, quod Petrus omiserat Bibliothecarius habet.*

Octavam rationem eruit ex eo, quòd opinio Tortelii, & Sylvagii probari dicatur ex vetusto manuscripto dictarum Vitarum, notato in Bibliotheca Vaticana num. 3762. de quo supra. In eo enim sub vita Stephani II. grandioribus, ac rubris literis conspicuus habetur hic Titulus: *Petrus Guilielmus Bibliothecarius. Apud Accium dum ibi moraretur anno Dominicæ Incarnationis* 1142. Unde innui certò tenet, eundem Petrum Guilielmum, vel Auctorem totius operis extitisse; vel Vitarum, quæ sequuntur à Damaso usque ad Gelasium II. Compilatorem, seu Correctorem.

Nonò suspicatur magis quàm asserit, Anastasium ab eo diversum esse, qui Vitas Pontificum scripsisse dicitur, de quo tertia opinione jam diximus.

Instat decimò, urgetque, eò quòd phrasis Vitæ Nicolai I. quam Welserus absque controversia tribuit Anastasio, contradicere omninò videtur cum ea, quæ sequitur in Hadriano II. Guilielmo Bibliothecario attributa. Ideoque cùm utraque haud multum ab antecedentibus Vitis ferè usque ad Damasum discrepet; ultimum ex eo certumque Pontificalis Libri Auctorem præfatum Guilielmum, non autem Anastasium fuisse arbitratur.

Tandem allegat Petrum Halloix in annot. ad cap. 15. defensionis Origenianæ, dicens, tantùm abesse, ut idem Petrus Anastasio hoc opus tribuat, ut quinimò Deformatorem, ac fœdarum hallucinationum Collectorem appellet, quod non nisi temerè de integerrimi Auctoris candore dici posset.

Hæ sunt Auctorum omnium opiniones, rationesque, quas contra Anastasium congerit Martinellus; easque uberrimo calamo expungit, ac nulli in statuendo Codicis Auctore subscribit: en ejus verba: *Quis igitur erit hujus Pontificalis Libri Auctor? perpendendo verba Epistolæ Damasi,* Gesta Pontificum, quæ potuimus reperire nostræ Sedis studio, *credendum est, opus, Damasi jussione, fuisse consarcinatum ex traditionibus, & Scripturis Archivi, Cancellariæ, vel Bibliothecæ Apostolicæ per ejusdem Sedis Ministros, qui Damasi nomen operi indiderunt: sic Bullæ à Pontificibus auctoribus, non à Datario compilatore nomen accipiunt. Item Pontificalis liber appellatur, quia Gesta Pontificum æternitati committit; sic Martyrologium à Martyrum actis. Postea asservatum in eisdem locis ab ejus Ministris continuatum fuit, tunc cum in commune haberi cœptum, facilè fuit sub Ministris, & Amanuensibus, inscitiâ, vel malitii, illud deturpare; tribuuntur enim Pontificibus Damasi prædecessoribus multa commenta, ut observavit Doctissimus Holstenius; quæ quadringentis demum annis post Damasum conficta fuere. Cùmque lis sit circa Auctoris personam, absque controversia Ministrum Sedis Apostolicæ, certum est ante Damasum ignorari compilatorem; & post Damasum, nullum præter dictos Petrum Guilielmum Bibliothecarium, & Pandulphum Lateranensem Ostiarium his Pontificiis rebus gestis operam navasse, qui aliqua ex Anastasii historia Ecclesiastica forsan deprompserunt. Phrasim opus habet incultam, rudem, & impolitam, licèt uniformem; quia Cancellaria, Dataria, & similes Officinæ S. R. E. habent certam formulam & phrasim, licèt incultam, qua Officiales, & Ministri, alius alio purior, & luculenter utuntur, ut cuique Romanam Curiam sequenti notissimum est. Postremò non quærimus an Anastasius Bibliothecarius scripserit Vitas Pontificum, sed inquirimus identitatem Codicis Autographi, cùm Liber editus à M. Welsero abhorreat ab Anastasii stylo ex supradictis.* Qua de re sic tandem concludit: *Cæterùm de Libri Auctoritate & fide hæc scripsit Paganinus Gaudentius supra citatus: Sed si non habeat Damasum Scriptorem an propterea nullius erit Auctoritatis & fidei? At clam non est librum illum esse antiquum, & non contemnendæ notæ, cùm Bibliothecarius totum præposuerit, præfixeritque luculento operi de Vitis Pontificum, quod beneficio Welseri hodie in manibus eruditorum versatur. Quàm verò temerè nescio quis dixit, omnes Scriptores cùm de Pontificali libro Damasi loquuntur, dicere,* fertur Damasus scripsisse, *non sic loquitur Bellarminus jam adductus, non sic qui collegit tomos Conciliorum, non ita alii.* Etsi verò satis clara sit Martinelli sententia, nihilominus eam summatim aliqua perpendentes iterum referemus.

Primo loco Librum, qui sub *Pontificalis* titulo circumfertur, ex tribus supra relatis Catalogis confectus, jussione Damasi scriptum fuisse opinatur, atque ideo ipsius nomen Libro præfixum exemplo Bullarum, quæ à Pontificibus Auctoribus non à Datario Compilatore nomen accipiunt: quod tamen perperam tradit, cùm Datarius Bullas non compilet, sed Abbreviatores de Parco majori, & Prosummator Literarum Apostolicarum, quæ duo munera multis jam ego ab annis exerceo.

Secundo Librum Pontificalis Amanuensium inscitiâ, vel malitiâ corruptum, ac deturpatum fuisse, cùm multa commenta, ut observavit Holstenius quadringentis annis post Damasum confecta fuerint. Porrò hic ego loqui Martinellum putarem de tertio Catalogo, videlicet de Vaticano, quem ab Henschenio, & Papebrochio rejectum, omissumque ut mendosum, retulit Schelstratius. Quod si res ita se habet, quænam ista multa commenta sunt, cùm apud Schelstratium eundem videri possit? qua propter suspicor valdè confundi à Martinello Librum Pontificalem, cum integra historia Romanorum Pontificum.

Tertio asserit post Damasum Compilatores Vitarum Pontificum fuisse Petrum Guilielmum Bibliothecarium, ac Pandulphum Ostiarium Lateranensem. Quod an sufficienter ab ipso probetur, necne Lector dijudicet.

Quarto Historiam hanc phrasim habere incultam, rudem, & impolitam, licèt uniformem. Id autem quàm immeritò asseveretur, ex his, quæ in pluribus Vitis Pontificum infra dicenda sunt, liquidò damonstrabitur.

Quinto denique se non inquirere protestatur an Anastasius Pontificum Vitas scripserit, sed

Auto-

Digitized by Google

Autographi Codicis identitatem, cùm Liber editus à Marco Welsero ab Anastasii stylo nimis abhorreat. Concludit inde cum Paganino Gaudentio, licèt hic Liber non habuerit Scriptorem Damasum, ejus tamen fidei neutiquam derogandum esse, cùm non contemnendam antiquitatis notam præseferat, eundemque Bibliothecarius præposuerit operi de Vitis Pontificum, quod Beneficio Welseri in manibus eruditorum versatur. Verùm in istiusmodi conclusione, quis perturbatam, erroneamque Scriptoris hujusce mentem non videat: cùm, ut supra innuimus, integram Rom. Pontificum seriem, historiamque Anastasio attributam confundat cum Libro Pontificali, qui tantùm priores Vitas per tria sæcula ad Damasum usque complectitur?

SECTIO SECUNDA.

Quid observandum, ut certior de stylo censura proferri possit.

Antequam hujus nostræ assertionis momenta expendamus, aliqua de stylo ejusque collatione sunt prælibanda, præcipua quippe hujus controversiæ ratio præter Auctoritates, in comparando stylo sita videtur, cùm ji, qui jam dicti Codicis Auctorem Damasum, vel Anastasium fuisse negant, id ex diversitate styli conjiciant, hunc ipsum cum cæteris eorundem Scriptorum operibus conferentes. Verùm cùm aliquis & investigare, & conferre stylum constituit, arduum sanè, ac non vulgaris ingenii opus aggreditur: nam ad hoc via difficillima est, cæterisque periculosior, atque eò magis fallax, ac lubrica, quo generalior censura, judiciumque profertur. Quapropter hìc obiter ad styli varietatem, similitudinemque securiùs attingendam, ac certiùs dijudicandam, aliqua nobis tradere decretum est, diversa tamen ab eis, quæ scripsit Gaspar Scioppus de Arte Critica, & Franciscus Robortellus de Arte, sive ratione corrigendi libros antiquos.

Enimverò tria præcipuè intendenda, ac styli cujuslibet collatione maturiùs animadvertenda sunt. Primò scribentis ætas inspicienda est, utrum scilicet opus quod confertur, adolescens elucubrarit an vir junior, an senior. Scriptor cùm juvenis est, flosculis lepidisque ornatibus indulgentior omnem propemodum orationem variegabit, ac multo acumine, salibusque consperget, decet namque exultantiùs loqui juvenilem sermonem, ut ait Plinius; grandævus autem priora fastidiens, graviori, & virili sanè scribendi methodo eminebit. Primo loco exemplum sit nobis temporibus nostris Torquatus Tassus Poëta Italicus, qui Thusco Idiomate Poëma composuit, quod inscripsit: *Il Goffredo, overo la Gerusalemme Liberata*. Is enim cùm adhuc ætate floreret hoc opus exaravit, crescentibus verò annis illud ad trutinam revocans, multa expunxit, multaque addidit, ac immutavit; verùm poëseos amantes magìs quidem primum, quàm secundum opus probant, tanquam floridius. Hoc tamen in Poësi contingere solet, quia illi potiùs annorum fervor, quàm judicii maturitas contribuere videtur. In secundo verò casu ubi firmum, ac grave judicium requiritur, aliud nobis suggerit exemplum Divus Hieronymus, cui jam senio confecto sublimiora rimanti, adeò humilia visa sunt opera, quæ junior elucubrarat, ut illa omninò spreta recuderit. Et equidem cùm aliquando jam senex audivisset, Commentarium in Abdiam Prophetam, quod adolescens confecerat, & oblivioni jam datum credebat, per manus hominum in Italia circumferri, obstupefactus erubuit, & aliud elucubravit, ad cujus finem hæc ait: *In hoc Propheta, & adolescentes lusimus, & senes præsumpsimus*.

Præterea dum styli collationes instituuntur, scriptionis materiam priùs cognoscere, ac bene perpendere oportet, videlicet an Historica sit, Oratoria, aut Epica, sive Epistolaris, vel etiam alterius generis. Secundò, si Epistolaris materia sit, quodnam genus Epistolarum redoleat. Tertiò ipsum idioma, Latinum præcipuè, an cultum, vel rude, aut barbarum sit. Quartò, phrasis an concinna, aut incondita, & præpostera; an ornata vel simplex, an prolixa, sive Laconica videatur.

Porrò materies comparanda, si Historica sit, Oratoria, vel Epica, cum aliis ejusdem speciei operibus conferri necesse est. Historica scilicet cum Historica, Oratoria cum Oratoria, Epistolaris cum Epistolari: si enim hujusmodi generis elucubrationes alicujus scriptoris cum aliis ejusdem, sed diversæ speciei quis compararet, maximam sanè distantiam unius ab altero stylo concipit, ut videre est in Ciceronis Orationibus, ac Epistolis. Perperam igitur arguet à diversitate styli Auctoris diversitatem. Siquidem ut collatio rectè procedat, à simili ad simile instituenda est, ut ex characterum collationibus quisque similitudinariè capere posset, in quibus si quis characterem v. g. rotundum cum cursivo, ut ajunt, conferret, quàm incongruè, & ineptè id efficeret, nemo est, qui non videat.

Si autem quæ confertur materies Epistolaris sit, quàm cautè solicitèque scrutari opus est. Adeo enim multa sunt, quæ in hujusmodi collationibus ingens æquivocum pariunt, ut ullam plerumque de Auctore certitudinem attingere minimè valeamus. Hoc verò ea de causa solet accidere, quia innumera propemodum sunt, quæ in Epistolis tractantur. Recta autem scribendi Epistolas norma poscit, quòd secundùm materiei qualitatem, forma styli mutari debeat, qui tamen semper facilis, & apertus, non autem putidus, & perturbatus esse debet; cùm stylus Epistolaris aliud non sit, nisi colloquium, quod consideratè cum illo habetur, cui de quo agitur negotium scribitur.

Immò si eodem tempore idem negotium diversis personis, diversi gradus scribatur, diverso stylo uti necesse est. Exemplum sit, si quis aliquo munere donatus esset, idque alicui Principi vellet significare, diversum certè stylum servare deberet in hujusmodi concinnanda Epistola, quàm in illa ad fidum amicum scribenda.

Arduum quoque, maximisque plenum difficultatibus negotium agemus, si in Principum, & Magnatum epistolis conferendis versemur: id autem ideo evenire necesse est, quia Principes, & Magnates, ac cæteri Viri sive Ecclesiastica, sive Seculari dignitate conspicui per interpositas personas scribunt, quas à Secretis, sive ab Epistolis appellamus. Munus eorum est Literas exarare, quæ Dominorum nomine circumferuntur, & vim, auctoritatemque perinde habent, ac si ab ipsis immediatè conscriptæ forent. Literis hisce codices passim referti sunt, ubi Regum & Principum missivæ epistolæ continentur, quæ tametsi proprio stylo ab eisdem confectæ non sint, minimè tamen id officit, quin & illis attribuantur: cùm hujuscemodi styli diversitas ex Ministrorum diversitate provenire

Digitized by Google

venire valeat, quia sub eodem, aut variis temporibus epistolas concinnarunt, sive concinnandis operam dederunt. Unde nequaquam ille ferendus esset, qui ex eo quòd aliqua epistola, proprio stylo alicujus Regis conscripta non fuerit, eam rejiceret ut apocrypham, & ad ipsum Regem ullatenus pertinere negaret.

Cum hujuscemodi considerationum severitate in ferenda sententia procedendum est, quando dubitatur an aliqua epistola noviter, ac recens reperta certi Auctoris sit nec ne, quoniam in stylo dignoscendo, illud accidisse solet, quod in picturis, ad quas discernendas multum quidem experientia conducit, cùm ille qui scribit, ac qui pingit, quid peculiare habeat, quod facilius longo usu, quàm arte dignoscitur.

Sermo quoque & idioma præsertim Latinum an purum sit, aut barbarum, an cultum, vel humile in styli collatione summopere rimandum est, ut innuimus ad notata per Gerard. Joan. Vossium in suo tractatu de vitiis Latini Sermonis, quàm enim difficilis ac fallax censura sit, quæ ex Latinis dictionibus erui debet, ostendit Olaus Borrichius in suis Cogitationibus de variis Linguæ Latinæ ætatibus ubi evincit, nonnullas dictiones à Vossio damnatas, partim vitio prorsus carere, partim verò antiquiores longè esse, quàm Vossius credidit. Multa quoque de vitiis Linguæ Latinæ congessit Du Cange, in præfatione sui magni Glossarii mediæ ac infimæ Latinitatis, ac præsertim num. 25. quo loci asserit Religionem Christianam in Romanum ac Latinum orbem propagatam nova vocabula introduxisse; ex quibus quàm cautè in collatione styli procedendum sit, quisque viderit.

His observatis, prætermittenda non est, ut jam diximus, phraseos animadversio; num scilicet prolixa sit, aut Laconica: mollis aut aspera: incompta vel cincinnata? atque ita qui stylum comparat, sanum, certumque, aut saltem valdè probabile judicium profert; secus verò fallax, erroneum, ac ipsi sibi nil constans.

Gravi hac, immò fortasse majori animadversione procedendum est, quando ab uno Auctore, opus jam à longa annorum serie illi attributum, auferendum est, quoniam eidem tot præcedentium sæculorum, & temporum plenius edoctorum, utpote viciniorum, judicium favet. Nec satis est stylus in apparentia, immò in substantia diversus; sed validæ requiruntur probationes, utpote solœcismi, qui Amanuensium errori tribui minimè possunt, doctrinæ error, aut mentis sensuum ineptia, denique argumenta, quæ tot hominum, qui præcesserunt opinionibus præponderent. Absque his rationibus similes materiæ decidendæ non sunt. Namque infirmo hoc inæqualis styli fundamine, innumera tam Sacrorum, quàm Profanorum Scriptorum opera, in dubium revocari possent, qua quidem re gravium malorum semina in Ecclesiastica, ac Literaria Republica spargerentur. Sed his præmissis, jam tandem ad Codicis Anastasiani comparationem accedamus.

SECTIO TERTIA.

Generalis censura circa stylum de Vitis Romanorum Pontificum in Codice Anastasiano.

QUanta profectò styli diversitas sit in Romanorum Pontificum Historia, facilè dijudicari potest à quocunque, si seriò ac per otium eorundem Pontificum Vitæ perpendantur. Quapropter id nos pro virili demonstraturi, servato temporum ordine ac serie, censuram à Lino, primo post B. Petrum Pontifice, auspicabimur.

Hujus autem Pontificis Vitam hìc subjiciendam existimavimus, ut ex ea sequentium stylus dignosci possit. Hæc verò sic habet: *Linus natione Italus Regionis Thusciæ ex Patre Herculano sedit annos quindecim, menses tres, dies duodecim, fuit autem temporibus Neronis à Consulatu Saturnini, & Scipionis, usque ad Capitonem, & Rufum Consules; martyrio coronatur. Hic ex præcepto B. Petri constituit, ut mulier in Ecclesia velato capite introiret. Hic fecit ordinationes &c. sepultus est &c.* Hæc formula sive phrasis, usque ad Liberium observatur, exceptâ vitâ Sylvestri, quæ aliis prolixior est, sed inconcinna, & in plurimas sectiones divisa, quæ eisdem vocibus incipiunt: ut. *Hic fecit, Hic constituit, Hic fecit constitutum; eodem tempore; eisdem temporibus:* plures insuper dictiones barbaræ occurrunt, ut *Palla linostbima; argentum battutile. Alavandinæ gemmæ; dolaticum argentum, Amæ argenteæ. Medemni*, aliaque peraspera longè ab ævo Sylvestri semota, quo Lingua Latina nondum confluentiâ Exterorum, & invasionibus corrupta, candorem penitùs non amiserat.

Vita verò Liberii, bonum fluvidumque stylum sapit, usque ad Sylverium inclusivè. Propterea centum & octoginta annorum spatio, eumdem omninò stylum, earum Vitarum obtinuisse in aperto est; cùm id temporis intervallum à Liberio; qui vixit sub an. 352. ad Sylverium sub 536. intercesserit.

A Gestis autem Vigilii, Sylverii Papæ Successoris, usque ad Martinum exclusivè, mutationem aliquam stylus perpessus est, vix enim divertit ab Evangelico, qui est stylus planus, & apertus, absque ullo fuco, ulloque verborum delectu. Igitur cùm ad Summum Pontificatus apicem anno 649. Martinum evectum habeamus, centum & novem annorum decursu alium stylum invaluisse fateri oportet.

Exinde verò Vitam Martini meliori stylo confectam, atque eo ipso, qui à Sancto Liberio, usque ad Vigilium deducitur, fluvidiorem putamus. Inter cætera enim, formulam initialem, quam in omnibus Vitis observatam notavimus, mutatam habet, quod ex ipsius Vitæ tenore innotescet, qui talis est: *Martinus de Civitate Tudertina, Provinciâ Thusciæ natione Campanus &c.* (in aliis dicitur natione Romanus) *Sedit annos sex, mensem unum, dies viginti sex. Hujus temporibus Paulus Constantinopolitanæ Urbis Episcopus inflatus superbiæ spiritu adversùs rectum S. Dei Ecclesiæ dogma audacter præsumpsit paternis definitionibus contraire: insuper studuit ad cooperimentum proprii erroris quibusdam surreptionibus, ut & Clementissimo Principi typum exponere, qui Catholicum dogma destrueret*: Cum hac Martini Pontificis Vita concors videtur illa Eugenii ejus Successoris.

Vitalianus verò, qui Eugenium sequitur sub anno 656. stylum pariter Evangelicum, ut de Vigilio diximus, olet, quem ulteriùs continuatum animadvertimus, usque ad Cononem anno 687. ab hac luce subtractum, qua temporis intercapedine octo Pontifices continentur. Sergii Vita, qui in fine anni 687. Pontifex electus fuit, diversis interpolationibus referta est, ut pote, *Hic; Hic; Hic*. Cui Vitas Joannis VI. Joannis VII. Sisinnii, & Gregorii II. similes facimus. Gregorii autem III. stylus ab aliis discrepat, cùm tot participiis careat, quibus prædictus

Digitized by Google

dictus Gregorius II. abundat, ac peculiari periodorum terminatione notanda sit, veluti hac: *depositor, atque destructor, & prophanator, vel blasphemus &c.*

Zachariæ Gesta, eodem stylo, ac præfati Gregorii III. descripta sunt: quamvis diversis epithetis Pontificis nomen quandoque notetur v. g. *Sanctus Vir, Pontifex almificus, Beatissimus vir, Præcipuus Pastor*. In fine autem ponitur: *creavit Presbyteros*; cùm in aliis legatur *fecit*.

Stephanus III. qui gessit Pontificatum anno 752. nobiliori stylo insignis est, eidemque quædam epitheta singularia apponuntur, ut: *Sanctissimus Pater, Præcipuus Pater, Almificus Vir, Venerabilis Pontifex*. Et in fine legitur: *cessavit Episcopatus*. Hujus quoque speciei videntur esse Paulus, & Stephanus Quartus.

Gesta verò Hadriani I. rudi, malèque disposito, hiulcoque stylo constant, ac longè ab aliis diverso. Occurrunt tamen, & peculiaria Pontificio nomini adjecta epitheta, nempe *Sanctæ recordationis Prædecessor*, (in aliis legitur; *Piæ memoriæ*) *Sanctissimus Præsul, Præcipuus Pastor, Egregius Pontifex, Vicarius D.Petri, Almificus Pastor, Ter beatitudo, Ter beatissimus*. Sequuntur & alia passim epitheta, Bonus Pastor, & Pater, Præsagus Vir, Præcipuus Antistes, Præsul egregius, Eximius Sacratissimus Pontifex. Quæ sanè non ita variè, fusèque in prædecessores Pontifices cumulata sunt; habet quoque permulta barbarè dicta, & à Latini Sermonis legibus dissona, veluti hoc quod unum adducimus participium *abstultas* civitates, pro *ablatas* acceptum. Demùm in calce hujus Vitæ, ubi mors Pontificis annotari solet, phrasis est, quæ nullibi in antecedentibus Vitis legitur: nempe: *Vitam finiens ad æternam migravit requiem*.

Vita Leonis Papæ III. qui vixit anno 795. styli prioris est, plurimisque & insulsis digressionibus plena, ad nauseam usque repetitis, & his epithetis gaudet: *Præcipuus Præsul, Magnus & Præclarus Pontifex, hic autem Venerabilis, & Sanctissimus Præsul, Venerabilis Pontifex, Summus Pontifex, Beati Petri Clavigeri Regni Cœlorum, à Deo protectus, & Præclarus Pontifex: Qui Beatissimus Pontifex*. Tandem in fine Gestorum habetur phrasis: *ex hac luce subtractus ad æternam migravit requiem*. Quæ cum superiori Hadriani I. concordat.

Stephanus V. qui vixit Anno 817. quamvis iisdem transgressionibus sordeat, styli tamen melioris apparet.

Paschalis & stylo, & digressionibus elegantior est v. g. *In Sedem Apostolicam Pontifex elevatus est, porrò &, Item, Iterum, Denique, Christi namque, Enim verò, Verùm enim verò, Præterea idem Summus & Orthodoxus, Hic Sanctissimus, & Coangelicus Præsul*. Postremò ubi mors narranda est, hanc phrasim habet: *Hic denique Divina ordinatione defunctus est*, quem dicendi modum in aliis nullibi, (ni fallor) offendes.

Paschali autem Eugenius II. in omnibus par est.

Excipit hunc Valentinus II., qui Anno Sal. 827. Cathedram Beati Petri conscendit. Porrò hujus Vita aliorum omnium, quæ in hoc volumine continentur elegantissima est, si illorum temporum in Latino Sermone barbariem consideres, ibi enim & fluidioris styli suavitas, & varietas figurarum, & crebrioris metaphoræ pulchritudo lectorem allicit; nec habet in principio usitatam formulam electionis v. g. *Pontificali est ab omnibus electus in honore, & positus in Sede Apostolica. Sacratissimæ Sedis Rector, & in Pontificali positus est Throno, Summum consecravere Pontificem. Qui mox Almificæ Sedis culmen scandens B. Petri Apostoli, & Cœlestis Regni Clavigeri*. Clauditur denique hac singulari, cultissimaque periodo: *Quibus multiplicibus bonis ornatus ad Cœlestia Christo vocante corporis oppressus molestiâ, exitu pretioso transivit, atque cum desiderabili beatissimique operis fructu ad conspectum Summæ Majestatis lætus ascendit*. Quæ planè phrasis nullatenus aliis cómmunis est.

Gregorius Papa IV. ad Pontificatum assumptus Anno 827. bonum quidem stylum habet, sed non ejusdem elegantiæ, ac Valentinus. In eo sunt hæc epitheta. *Pastor eximius à Deo protectus & Præclarus Pontifex, Religiosissimus Papa, Sanctissimus Pater & Papa*. Quæ ferè cum aliis antecedentium Vitarum conveniunt.

Sergii II. Anno 844. Vitæ principium ad Vitam Gregorii comparatum dices inordinatius, finem tamen ob digressiones eruditiorem.

Vita Leonis IV. sub Anno 855. Gregorii IV. stylum redolet, quamvis fusiori calamo descripta, ita ut à cæteris plurimum discrepare videatur: habet etiam hoc singulare, quod priusquam propria ipsius Pontificis gesta enunciet, aliqua de Prædecessore prælibat. Præterea cuique pio eximioque facinori semper addit: *Divinâ inspirante clementiâ, Christo solatiante, Christi solatiante potentiâ &c.* Epitheta autē parū, immò aliqua ab antecedentibus nihil differunt. E. g. *Insignis & præclarus Antistes, Hic verò insignis, ac prudentissimus Præsul, item & alia: Præclarus Pontifex, Universalis Papa, ipse à Deo præcipuus Antistes, & hic solertissimus Deo opitulante Catholicus, & Apostolicus Vir, Serenis. Præsul; Ter Beatis. D. Nostro Leoni IV.*

Benedictus III. qui floruit Anno 858. concordare videtur cum stylo Leonis IV. veluti in his: *Pontificatus Infulâ perornarunt, Dei famulus, Christi Minister, Beatissimus Deique Omnipotentis Antistes*. Et in hujusmodi reliquis.

His præmissis, rei ordo posceret, ut Nicolai I. Hadriani II. & Stephani VI. Vitas examini pariter trutinæque subjiceremus; At prius quàm ad id fusiùs exequendum veniamus, Baronii judicium de Hadriani Gestis hic interjicere cogimur, ut dicendorum ratio cohæreat, pateatque recipiendum rè sit, an recusandum. En igitur ejus verba de Hadriani Vita ad Ann. 869. num. 78. *Hanc primùm accipe ab eodem Anastasio, qui res gestas Hadriani conscripsit hoc ipso tempore*, quibus ejusdem Vitæ fragmentum adjicit, quod incipit: *His expletis &c.* Idemque hoc prolixè confirmat ad Annum 885. num. 7. apud me in Appendice, ubi sic. *Porrò Anastasii Bibliothecarii nomine ista citavimus, eò quòd in ejus Codice de rebus gestis Romanorum Pontificum includantur, nec in uno volumine dumtaxat, sed omnibus, quæ hactenus reperire potuimus exemplaribus. Qui autem res Anastasii parum compertas habuerunt, putarunt ipsum cum Vita Nicolai finem scribendi fecisse, reliqua autem quæ in ejus Codice reperiuntur, sive de Hadriano II. sive de Stephano VI. scripta, esse Petri Guilielmi, sive Guilielmi Bibliothecarii: sed scias fuisse istam divinationem Panvinii. Verùm cùm constet superstitem diù fuisse post Nicolaum Anastasium, & adhuc vixisse tempore Joannis Papæ Octavi, ut quæ de eo sunt superiùs recitata declarant, & ab obitu Joannis VIII., ut vidisti, usque ad Stephanum hunc, de quo est sermo, non nisi anni tres intercedant: haud adeo impossibile erit, ista etiam de Stephano VI. ab eodem Anastasio esse conscripta, quæ (ut diximus) eò quòd eodem ejus Codice* inclu-

Digitized by Google

includuntur, nomine Anastasii haud perperam puto, citare consuevimus. Cùm præsertim nullus sit Codex in Vaticana Bibliotheca vel extra (quod viderim) in quo Romanorum Pontificum Vitæ scriptæ legantur, qui habeant Guilielmum Bibliothecarium ab Hadriano II. vel Stephano VI. scribere cœpisse Vitas Romanorum Pontificum. Sed nec adeo repugnat, ut non possit eorum esse Auctor Anastasius, eò quòd in Hadriano II. ejusdem Anastasii summa cum laude mentio fiat. Nam non est novum ut Auctor de se ipso tanquam de alio in suis scriptis mentionem ingerat: Atque hoc Baronii judicium est, quod quidem inhærere memoriæ debet, dum Nicolai Pontificis Vitæ cum certis quibusdam Anastasii scripturis comparationem aggredimur, eam quoque ipsiusmet fœtum esse arbitrantes.

SECTIO QUARTA.

Comparatio Anastasiani styli cum stylo Vitarum Nicolai I. Hadriani II., & Stephani VI.

NIcolai I. Vita, cujus tempore floruit Anastasius Bibliothecarius, optimi styli est, & quod nostræ dissertationis magis interest, cum aliis ejusdem certis operibus, quo ad phrasim, & situm verborum, convenit.

Hoc autem ut in aperto sit, juxta ea, quæ supra diximus observanda, circa styli comparationem, aliqua hujus generis historia ex Anastasio afferenda est: Propterea diligentissimè quibuscumque Auctoris istius operibus perquisitis, cùm inciderim tandem in Vitam Joannis Eleemosynarii apud Bollandum in Act. SS. Mensis Jannuarii die 23. quam inter tot alias, unicam legi, hanc in prototypum comparationis adducerem. Verùm cùm illam ex Græco traduxerit Anastasius, atque adeò non nisi interpres Leontii Auctoris extiterit, minùs rei nostræ opportuna, & accommoda mihi visa est; quamvis ipse Anastasius in Præfatione testetur se Græci idiomatis ordinem non servasse, nec verbum verbo, sed sensum sensui reddidisse.

Qua de re dum aptioribus Anastasii scripturis destituimur, uti iis cogimur, quæ non tam à stylo Vitarum diversæ, ac discordes esse videntur. En igitur duas ejusdem Epistolas, quarum prioris tenor hic est: *Ecclesiasticam Scripturæ ad multorum instructionem historiam industriæ tuæ promiseram ex Græco me tibi sermone quædam in Latinum versurum eloquium. Dixeras enim & summa veritate docente perhibueras, Ecclesiasticam te ordiri non posse fidenter historiam, nisi utriusque linguæ quædam rerum gestarum conscripta series ad tuam notitiam devenisset. Quapropter qui tantæ me imperitiæ recognosco, ut nec ipsius linguæ meæ, in qua natus sum, nè dixerim alienæ vim penetrare sufficiam, ac per hoc nunquam interpretandi quacumque ratione conamen arripere præsumpsissem, consentiens à Magistris reprehendi, quàm te à prædicta torpore meo texenda historia removere, satisfacere tibi ecce pro viribus maturavi.*

Secundæ verò, quæ ad Martinum Narniensem Episcopum directa est, fragmentum tale est: *Quia cum Episcopatus apice Præpositura Sanctitati tuæ ob meritum Summæ Religionis Beati Martini Monasterii penès Urbem positi, est à Summis Pontificibus delegata, hortari me visa est, quatenus, quæ apud Græcos reperiissem ex iis, quæ B. Papæ Martino pro fide, ac rectis dogmatibus acciderunt, in Latinum converterem stylum, quamvis alius sit Martinus cujus cerneris cœnobio piè præesse, & alius cujus affectas ad liquidum accidentia nosse*; Potuisset etiam hic adjici particula Præfationis ad VIII. Synodum cujus Auctor est Anastasius, sed eam comparationi nostræ minus consentaneam reputavimus; quamvis enim historiam contineat, nihilominus cùm celeberrimæ Synodo prævia sit, ac Pontificem alloquatur, profectò cultiori stylo, puriorique idiomate debuit eminere, sicuti revera eminet. Sed jam ad Nicolai Vitam gradum facientes modicam ipsius partem hìc apponamus, ut non mediocrem inter ipsam, & Epistolas concordiam quinimmo uniformitatem esse constet: *Nicolaus &c. Hujus insignis Beatissimi actus omnibus à primordio pueritiæ suæ fulserunt, intactisque moribus claruerunt. Tanta enim sacrorum comptus erat pulchritudine operum, ut nihil ludis, nilque ut pueri solent inhonestè delectaretur. Vacabat autem patientiæ, & sobrietati, fragrans humilitate, puritateque præcipua, Pater verò ejus Liberalium cùm fuisset amator artium, & nobilissimum polleret fomitem, cunctis* (alii legunt castis) *eum elementis, almificisque ritibus imbuens literarum studiis, & optimis artibus perornabat, ita ut nulla sacrarum species remaneret disciplinarum, quam internis conceptam visceribus, suæque cognitioni traductam non haberet. Gliscit autem membris, gliscit & sapientiâ clarus, modestiâ fretus, scientiâ decoratus, probabilium nempe morum, si quocumque viros conspiceret loco concitus adhærere studebat, illisque gratulabatur opimè, cùmque cum prudentissimo Patre ad quendam Beatissimum crebrò virum accederet, qui Sancti per illustrationem Spiritus plura Fidelibus prædicabat, amplo eum asserebat in culmine ascensurum, decoris enim intimi magnitudinem intuens, mentisque dulcedinem coruscare, hujus ordinatione ad Clericatus perductus est ordinem, ut quod divino senserat nutu, futuris temporibus impleretur.* Hæc retulisse sit satis, cùm ad plenam censuram edendam integras supradictas Epistolas ob oculos habere, ac diù perpendere oporteret. Interim quæ ipse pro ingenii mei tenuitate, ociique inopiâ, rimatus sum, quæve non prætereunda putavi libens accipe. Præter alia levioris notæ, quæ in Vita Nicolai I. voluminis lectio mihi suggessit; animadvertendum est, hujus Vitæ Scriptorem ubique ferè adjectiva à substantivis adverbio, vel relativo, vel verbo seponere, qui sanè dicendi modus Anastasianæ Scriptioni valdè affinis est, ut in præmissis Epistolis Anastasii videre est: præcipuè verò in his operis utriusque fragmentis; & primò quidem prædictæ Vitæ, videlicet: Ecclesiasticam *Scripturæ ad multorum instructionem* historiam, *ex* græco *me tibi* sermone, *in* Latinum *versurum* eloquium; *ac per hoc nunquam* interpretandi *quacunque ratione* conamen. *Quidquid* repertum *fuerit impolitum*. Deinde verò Epistolæ ad Martinum Narniæ Præsulem, nempe: *Quia cum Episcopatus apice* præpositura *Sanctitati tuæ etiam & à Summis Pontificibus* delegata, *in* Latinum *converterem* eloquium. Cujus cerneris cœnobio &c. Quæ fragmenta profectò inter se plurimum convenire cuique fatendum erit. Perpendendæ quoque hìc essent digressiones Epistolæ Anastasianæ, in quibus adverbia postponuntur, ut, ille *quippè*, *iste verò*, *pauci ergò*, *scio namque*, & hujusmodi; quod adhuc & in Nicolai Vita observabis; quare in comperto jam satis esse arbitror, illam Anastasium sapere, ipsique tribuendam esse, cùm peculiares, quamplurimasque ejus phrasis, ac styli notas præseferat.

Verùm cùm plura hucusque congesta sint circa Anastasii stylum cum Vita Nicolai I., congruum

Digitized by Google

gruum esse crediderim ad alias Vitas accedere, nempe Hadriani II. & Stephani VI. Quibus in conferendis non parva nobis dissentio erit cum Eminentissimo Cardinali Baronio, ac propterea sententiam ejus, quam supra attulimus, committendamque memoriæ admonuimus, huc revocare opus est, ut rei veritas, quam unicè indagare conamur è sibi adversantibus, oppositisque juxta se positis opinionibus clariùs eniteat.

Vita igitur Hadriani Papæ II. si conferatur cum Vita Nicolai I. diversum proculdubio ab Anastasio Auctorem habuisse quisque concipiet. Nicolai enim Gesta crebrioribus, amplioribusque epithetis gaudent, tum uberiori amplificatione trahuntur, idque etiam constantissimè servatum habent, ut adjectiva à substantivis adverbio, vel relativo, vel verbo interposito secernantur, periodusque nomine substantivo, vel adjectivo claudatur.

Gesta verò Hadriani, tum etiam Stephani, præter quàm quòd ferè semper periodos verbo terminent, si digressiones intueamur, meliori arte instituta, dispositaque censebimus.

Sed ut quamplurima alia prætereantur, quæ longè diversos harum Vitarum Auctores arguunt, id nobis maximè contra Baronii sententiam suadere videtur, quòd in Hadriani II. Vita & quidem non semel, Anastasius egregiis & summis laudibus efferatur, disertissimusque, ac prudentissimus appelletur.

Hoc enim præter inverisimilem, ac improbabilem Auctoris de se ipso loquentis tumorem vanitatemque, videtur prorsus cum Anastasii humilitate pugnare, qui semper modestissimè de se loquitur; ut plura ejusdem loca testantur; & præcipuè titulus præallegatæ Epistolæ ad Joannem Diaconum, nempe: *Charissimo Fratri Joanni digno Christi Levitæ Anastasius exiguus in Domino salutem*. Immò & infra: *Quapropter* (inquit) *qui tantæ me imperitiæ recognosco, ut nec ipsius Linguæ meæ, in qua natus sum, ne dixerim alienæ, vim penetrare sufficiam*. In literis pariter Martino Narniæ Antistiti datis eodem *exigui* titulo usus est, immò humiliùs in præfatione ad Vitam Sancti Joannis Eleemosynarii se gerit, ubi ingenium suum *ingeniolum* appellat, suamque ut exiguitatem exprimeret Nicolao Pontifici vocem *hanc tantillitatis* usurpat. Inde autem quoad styli bonitatem inter Hadrianum II. & Stephanum VI. vix ullum discrimen concipi potest. At si aliqua major styli elegantia, fluidumque per omnia cursum, etiam in ordinationibus Ecclesiæ factis (qui in aliis narratorius, & quandoque hiulcus est) necnon figuratum hinc inde scribendi modum spectaveris; Hadrianus præferendus videtur.

Vita verò Stephani VI. si comparetur cum Vita Nicolai I. stylo quidem est uniformis, sed phrasi ornatior, fluidiorque: utraque tamen id commune habet, quòd virtutes Pontificum post longiorem enarrationem in epilogum redigit, v. g. in Nicolao: *Erat autem aspectu pulcher, formâ decorus, doctus in verbo, loquelâ humilis, actu præclarus*. In Stephano pariter sic: *Erat enim corpore castus, animo benevolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio facundus, mœrentium consolator &c.* Habetur & illud in eodem Stephano: *Sanctissimus Papa, & omnium vitiorum fortissimus expugnator*. Quod in Nicolao paululùm mutata phrasi sic legitur: *Solertissimusque vitiorum corrector*. In describenda autem Pontificis electione, quoad materiem, eundem modum inire comperimus.

Ex his igitur, quæcunque fuerint, animadversionibus Vitam Nicolai I. neutiquam ab Anastasii stylo differre satis persuasum putarim, ac propterea genuinam ipsius operam esse censendam: Contra verò, Vitas Hadriani II. & Stephani VI. quæ prædictas sequuntur, non parum cum stylo ejus Auctoris pugnare, ideoque Minervam alienam sapere, atque alteri quàm Anastasio tribuendas. Verumtamen cùm Eminentissimus Cardinalis Baronius, ut supra innuimus, aliud omninò diversum sentiat, asseratque eas Vitas ut alias priores, esse Anastasii, gravissima, & penè ineluctabili auctoritate sua id assequitur, efficitque, ut viri tanti judicio, an contraire, an potiùs stare debeam, incertus sim. Tuum sit ergo, erudite Lector, opinionum alterutri palmam, ac primas dare, dum satis superque mihi futurum est, & si non attigerim veritatem, aliquem saltem ad eam attingendam, aucupandamque lapidem movisse.

SECTIO QUINTA.

Comparatio aliarum Vitarum cum stylo Nicolai.

Facta superiùs est comparatio cum stylo Anastasiano, & Vita Nicolai I. deinde cum Vitis Hadriani II. & Stephani VI. tum etiam uniformitas, ac diversitas inter has pluribus animadversa, assertaque: superest modò ad pleniorem hujus voluminis, seu libri Pontificalis, ejusque Auctoris indagationem, cum cæteris antecedentibus prædictam Vitam Nicolai I. conferre, & inquirere, an, sicut ista tribuitur Anastasio, aliæ quoque Vitæ tribui jure possint. Hoc autem ut ea, qua par est, brevitate, facilitateque assequamur, præposterus ordo tenendus est, & à Nicolao I. ad Prædecessores ejus Pontifices retrogradiendum. Quibus denique perlustratis, à quonam Pontifice Anastasius Historiam hanc Romanorum Pontificum scribere incœperit, & quot eorum Vitas scripserit, aperietur.

Primò igitur ante Nicolaum I. legitur Vita Benedicti III. quæ plura cum illa Nicolai communia habet, præcipuè quoad adjectiva, interjecto passim adverbio, vel relativo, aut etiam verbo, à substantivis disjuncta. Atque ut ea quæ dicimus oculo teste mens capiat, en hujus Vitæ fragmentum: *Beatus vir iste dilectissimis visceribus editus, sydereo pollens rore crescensque celeriùs divinorum studio apicum, Patris ad erudiendum arbitrio traditur*. Item aliud: *Evidenter autem in eo divina permanere sapientia cognoscebatur, quia largifluis, purisque ejus omnes favebat affectibus, & luce clariùs perornabat*. Quin & alterum: *In Sancta illum constituit Romana Ecclesia Subdiaconum*. His adde illud: *Qui illum pro felicissimis actibus diligens superno compunctus nutu cœlesti cum titulo ingenti presbyterum consecravit honore*. Possent & alia plurima adduci, quæ Lectori observanda relinquimus, ne nimia prolixitate fastidio simus. Non parum etiam uniformitatis, ne dicam identitatis, invenies in digressionibus, veluti in hac: *Sed quia cuncta non sufficimus per ordinem enarrare, ad ea quæ diversis Sanctorum locis obtulit, extendere calamum studeamus*: Quæ ferè eadem est ac ista in Nicolao: *Sed quia cuncta quæ Sacri operis gessit, huic tradere scripturæ non possumus, ad ea quæ Sanctis locis obtulit, redeamus*; necnon in sequenti nempe: *His itaque peractis*. Quæ in utrisque Vitis usurpata est.

Quod autem magis rem probat, narratio est obla-

Digitized by Google

oblationis cujusdam, ac doni, quæ sic se habet: *Hujus temporibus Michael Filius Theophili Imperatoris Constantinopolitanæ Urbis Imperator, ob amorem Apostolorum misit ad B. Petrum Apostolum donum per manum &c.* Hæc enim alteri in Nicolao I. tam consona est, ut ne verbo quidem ab illa differat, & repetita quodammodo, transcriptaque esse videatur.

In hac etiam Vita, ut superiùs in Nicolao observavimus, breve dilucidumque compendium præcedit virtutum Pontificis, veluti: *Erat enim mitissimus, & omnibus Sacris decoratus operibus, vultu pulcher, & mente clarus, dulcis verbo, doctrinâ benevolus.* Sed omissis cæteris, illud potissimè afferri debet fragmentum, quod unum ad styli identitatem probandam, eumdemque utriusque Vitæ Auctorem validè adstruendum satis est: adeò adamussim cum alio sub Nicolao in eadem re describenda, videlicet funestissima Tiberis inundatione coincidit. Tale autem est: *In mense verò quinto consecrationis hujus præclari Pontificis, idest, mense Januario die.... fluvius, qui appellatur Tyberis alveum egressus est suum, & per campestria se dedit, intumuitque inundatione aquarum multarum, & ingressus est per posterulam, quæ appellatur Sanctæ Agathæ in Urbem Romanam horâ diei. Transcendit interea aliquibus locis, & ingressus est in Ecclesiam B. Silvestri, ita ut & gradus omnes ascenderet, in Basilicam B. Dionysii præ multitudine aquarum, excepto uno, qui superiùs erat, & exinde expandit se super plateam, quæ vocatur* Via Lata, *& ingressus est in Basilicam Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, & ibidem tantum intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius Ecclesiæ non viderentur præ multitudine aquarum. Ac inde ascendit per plateas, & vicos usque ad Clivum Argentarii, exinde verò reflexus, ingressus est per porticum, quæ est posita ante Ecclesiam Sancti Marci, mense supradicto, die sexto Apparitionis Domini Nostri Jesu Christi secundùm carnem, idest; Theophaniæ. Inde autem impetum faciens, cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta Monasterium Sancti Silvestri, & Sancti Laurentii Martyris, quod vocatur Pallacini. Et ab ipso die, & deinceps cœpit paulatim aqua minui, & fluvius post, multo damno facto, in suum alveum reversus est. Nam domos evertit, agros desertavit, evellens segetes, & eradicans arbusta.*

Et hæc quidem de Benedicto: modò verò de tribus aliis ipsum proximè præcedentibus, nempe Leone IV. Sergio II. & Gregorio IV. aliqua videamus. Porrò eorundem stylus licèt quoad Adjectivorum, & Substantivorum dispositionem omnimodam cum Nicolai stylo legem servare non videatur, cùm ea perraro seponat, ut in Leone IV. *In cujus etiam Beatissimo pectore, Amator enim Religiosorum hominum*, & passim alibi: hujusmodi tamen Vitæ eam discrepantiam minimè involvunt, ut à diverso Scriptore exaratas fuisse argui possit. Quinimmo illas nos Anastasio Bibliothecario tribuimus, cùm facta comparatione duorum ipsius Operum cum supradicta Vita Nicolai, observemus Ecclesiasticam scribendi formam nonnullis Sacræ Scripturæ locis ditatam: quibus ubique ferè Anastasium uti in suis operibus constat. Neque hic obstare posse videtur, quòd eædem præfatæ Vitæ elegantiæ minùs habeant, quàm Vita Nicolai; cùm hæ primæ fuerint, quas Anastasius descripserit: idque confirmatur ex quodam fragmento Vitæ Gregorii IV. deprompto argumento ex Martinello, in quem propria inferiùs arma acuemus. En igitur quæ habentur in Vita Gregorii IV. non perfunctoriè, sed maximâ curâ pendenda: *Cœpit* (idest Pontifex) *indifferenter post curam gregum de cultura, sive meliorationibus Venerabilium tractare locorum, ut suis temporibus novo culturæ formatu consolidata essent. Quod intercedente Apostolorum Principe Petro, juxta votum sui desiderii factum est. Ideo cùm talia Præsulatus sui animo volveret, & hæsitans cogitaret, repentè ad memoriam sui recurrunt, quod justum non esset si ampliùs Ecclesia S. Dei Genitricis, quæ more veterum nunc usque Calixti trans Tyberim dicitur, sine Monachorum officio constitisset, maximè cùm in ea Signorum non minima frequenter fiant miracula, & virtutes diversæ. Ac demùm divinitus compunctus corde, & Dei omnipotentis roboratus, ac fretus juvamine, juxta latus prænominatæ Basilicæ Monasterium à fundamentis statuit, & novis fabricis decoravit, in quo etiam Monachos Canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent, & omnipotenti Domino grates, & laudes diebus singulis, & noctibus prosequuti, intimo cordis spiramine decantarent. Quod sicut in præsentiarum cernimus, magno certamine, magnoque studio; Pastor eximius hoc opus valdè firmissimum ampliavit. Nam ubi antea nulla erat cultura præcipua, modò Deo dispensante pulchra sunt habitacula Monachorum, & loca, quæ nuper ab hominibus videbantur vepribus, vel immunditiis plena, nunc in eis Cellulæ constructæ sunt, quibus oves Christi cum suis simul utilitatibus post laudum officia largissimè cohabitant, & dormiunt:* Patet autem, hujus Vitæ Scriptorem cum ipso Pontifice synchronum extitisse, quem Anastasium Bibliothecarium interpretamur, eundemque esse, quem alium à Bibliothecario facit Martinellus, arguens id ex præfatione S. Basilii Confessoris, extante in antiquissimo Codice S. MARIÆ ad Martyres, signato in Bibliot. Vatic. n. 5696. fol. 184. à tergo, ut supra in referenda opinione ipsius Martinelli dictum est; quæ Epist. talis est: *Urso Ven: Subdiacono S. R. E. seu Medico, & Domestico Domini Nostri Sacratissimi Papæ Nicolai Anastasius exiguus Abbas Monasterii S. Dei Genitricis MARIÆ Virginis siti trans Tyberim, ubi olim circa Domini Nativitatem fons olei fluxit.* Eruit ex eo Martinellus hunc Anastasium, qui se Abbatem Monasterii S. Dei Genitricis trans Tyberim profitetur, alium esse à Bibliothecario; at facili negotio improbari istiusmodi illatio posset, dum fortè eo tempore, quo Anastasius scripsit ad Ursum Subdiaconum, munus Bibliothecarii nondum obierat, atque ideo neutiquam se titulo Bibliothecarii poterat insignire, eumque præfigere suis literis, ut post munus obitum præfixit, & nos paulò infra videbimus. Quod autem sæpe laudato Martinello admirationem suspicionemque inducat denominatio Abbatis Monasterii S. DEI Genitricis siti trans Tyberim, minimum est, si præallatam Vitæ Gregorii IV. particulam intueamur. Verisimile enim, immò veritati maximè consentaneum duco, Anastasium à Gregorio IV. Pontifice eidem Monasterio in Abbatem præfectum fuisse, cujus ipse Cœnobii, ut jam vidimus pluribus, tanquam oculatum testem deceret, mentionem habuit; præcipuè cùm omnes, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis Catalogum texuerunt, Abbatem Romanum eundem faciant. Datur & hic alia quædam ansa denuo Martinellum redarguendi eo loci negantem, Vitam S. Joannis Eleemosynarii ab Anastasio jussu Nicolai Papæ scriptam fuisse, seu potiùs è Græco traductam. Hoc enim constare ait ex antiquo Codice MS. S. Cæciliæ trans Tybe-

Digitized by Google

Tyberim, in quo de passione Sanctorum mille quadringentorum octoginta, sic Anastasius: *Petro egregio Episcopo S. Gavinensis Ecclesiæ, Anastasius Summæ, & Apostolicæ Sedis Bibliothecarius in Domino salutem. Post translatam à me, appetitu Sanctitatis tuæ, Passionem præcipui Doctoris, & Martyris Petri Alexandrinæ urbis Episcopi, mihi præcipere voluisti, quo passionem SS. mille quadringentorum octoginta Martyrum apud Græcos, Latino traderemus eloquio, quod, considerată imperitiâ scientiolæ meæ, primùm quidem hoc aggredi non præsumpsi, deinde verò Paternitati tuæ inobediens apparere refugiens, parui, & quod jussisti cœlitus adjutus explevi.* Quid autem sibi ex his inferat, ut verum fatear, nescio: enimverò si demonstrare conetur Anastasium in hac Epistola se Bibliothecarium, & in alia minimè talem dicere, id jam supra abundè, non pugnare probavimus. Si autem sentiat, eatenus S. Joannis Elemosynarii Vitam non elucubrasse, quatenus Petri Doctoris, & Alexandrini Episcopi martyrium, unà cum mille quadringentorum octoginta Martyrum Passione, jussu Petri Gavinensis Episcopi transtulit: cur etiam Vitam præfati S. Joannis Eleemosynarii in Latinum sermonem vertere non potuit: cùm & alias complures Vitas è Græca in Latinam linguam traduxerit? quod colligitur ex P. Labbe, de Scriptor. Eccles. & aliis. Hic tamen minimè reticendum, quod de prædicto Petro Episcopo Gaviensi observavi, videlicet pro Gavinensi additâ Litterâ R. *Gravinensi* reponendum, illumque Petrum Episcopum esse, quem subscripsisse scimus Romanis Conciliis, sub Leone IV. & Hadriano II. Summis Pontificibus celebratis, testante Baron. ad Annum 853. nu. 33. Quod etiam legitur in Synodo VIII. Generali Act. IV. Neque obstat, quòd in priori habetur *Gabinensis*, cùm vulgatissimum fuerit iis Sæculis Literam B. pro V. usurpare. Hæret tamen Ughellius in sua *Italia Sacra*, an iste Petrus inter Episcopos Gravinenses connumerandus sit, existimatque eum fortè esse, qui Concilio Romano sub Hadriano II. interfuit Anno 871. Sed subjungit mendosè ibi legi *Gravinensis* pro *Canensi* sive *Cavensi* cum Baronio in emendatione ad annum 867. Ego autem lecta subscriptione ejusdem Episcopi ad Concilium Romanum sub Hadriano II. non inveni *Gravinensis*, sed *Gavinensis*, quidquid tamen fit, concludit Ughellius legendum vel *Salinensis*, vel *Canensis*, at qua ratione non aperit; præterea dici posse *Cavensis*, haud probat, cùm Episcopatus Cavensis non nisi sub Bonifacio IX. exordium habuerit. Verùm in hujus nomenclaturæ divinatione nimium se implicavit, asserens legi oportere *Salinensis*, vel *Canensis*; nec erroneum lapsum Amanuensis animadvertit, qui loco *Gravinensis*, *Gabinensis*, seu *Gavensis* exscripsit, vocum affinitate deceptus; quod profectò verisimilius est, quàm quod ille adstruit de lectione *Salinensis*, vel *Canensis*, ut rectè animadvertenti patebit.

SECTIO SEXTA.

Vitas Romanorum Pontificum præter Anastasium diversos alios habuisse Auctores ostenditur.

Ut autem clariùs pateat, Vitarum Pontificum Romanorum diversos fuisse Auctores, eosdem cum Pontificibus, quorum Vitas scripsere, ut plurimum contemporaneos fuisse ostendemus. Qua in re diù, multumque nobis laborandum non est: cùm id apertè ex earundem Vitarum lectione deducatur. Et quidem quid aliud innuit illud in Leone II. *Hic suscepit Sanctam Sextam Synodum, quæ per Dei providentiam nuper in Regia Urbe celebrata est?* Ubi si particula *nuper* observetur, Auctor hujus Vitæ, ævo Pontificis, immò & ipsius Synodi celebrationi proximus arguetur. Quod tamen Anastasio tribui non potest, cùm à die celebrationis sextæ Synodi usque ad Nicolai I. obitum, centum & octoginta circiter anni intercesserint.

Quatuor etiam insignia loca in Leone IV. observantur, quæ opinionem nostram confirmant. Et primò ibi. §. *Ex quibus* (videlicet Saracenis) *per quasdam Insulas nostras famis laborantes penuriâ, plurimi à nostris hominibus interfecti sunt. Cæteros autem causâ veritatis, ac testimonii vivos comprehendentes, Romam duxerunt, quorum Romani Proceres, ne multiplicatus numerus videretur, multos propè Portum nostrum Romanum in ligno suspendi jusserunt, aliquantos etiam nos ferro constrictos vivere jussimus, per hanc solummodo causam, ut & spem nostram, quam in Deum habemus, & illius ineffabilem pietatem, necnon & propriam Tyranidem luce clariùs scire valuissent. Et post hæc nè otiosè aut sinè angustia apud nos viverent, aliquando ad murum, quem circa Ecclesiam Beatissimi Apostoli Petri habebamus inceptum, aliquando ter diversa Artificum opera quidquid necessarium videbatur per eos omnia jubebamus deferri.* Quæ sanè verba non modò coævum Pontifici, sed etiam magnæ in Ecclesia Romana Auctoritatis fuisse Scriptorem insinuant.

Quapropter cùm aliquandiu mecum anxius cogitassem, haud parum dubitare cœpi, an hoc fragmentum ab ipso Leone Pontifice scriptum esset, ac si ille sua Gesta, ut à plurimis supremisque Principibus factitatum novimus, adnotaret: atque inde à Scriptore, prout se habebat historiæ insertum. Verùm id quisque videat, ac pro arbitrio dijudicet, dum nobis obiter hoc dicentibus quælibet aliorum sententia probabitur.

Secundò, quæ supra diximus liquidò innotescunt ex eadem Vita in §. *Deinde*, ubi hæc: *Indè magis dignum est, atque conveniens, ut pro tanto Præsule, tantoque Pastore cuncti; otentem Dominum toto corde, puroque animo jugiter imploremus, per quem tam admirabile, perhonestumque opus Christi solatiante potentia cel ri exercitatione expletum ob salutem Christianorum omnium, consummatumque cognoscimus in nostris orationibus, quatenus & hic diutissimè vigeat, & illic cum Sanctis omnibus pro suis innumeris certaminibus, ac laboribus perpetualiter æterna mereatur præmia possidere.* Id etiam patet & §. *His autem*, ibi: *Portas, quas destruxerat Saracena progenies, argentoque nudarat, erexit, multisque argenteis tabulis lucifluis, salutiferisque historiis sculptis decoravit, & in meliorem speciem, quàm pridem fuerant reparavit, ut omnes qui in eandem Basilicam ingredi volunt, laudes Deo omnipotenti Sanctoque suo Præsulatui referant, & exposcant, ut multa annorum suæ Vitæ curricula extendantur, qui tanti fulgoris opere &c.* Quartò denique ex §. *Quatenus omnes*, ubi de Anastasii Cardinalis depositione hæc traduntur: *In hac denique, post cætera, Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli ab omnibus canonicè est depositus, eo quòd Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, & in aliena usque hodie demoratur.* Hic autem liceat animadvertisse hunc Anastasium Cardinalem tituli Beati Marcelli ex nominis affinitate cum nostro Anastasio Biblio-

Bibliothecario confundi à Vossio de Scriptoribus Latinis. Sequitur Vossium Petrus Lambecius in suis commentariis *de Bibliotheca Cæsarea* lib. 8. pag. 271. At iste patulus error evincitur ex Baronio ad Annum 853. 855. & 867. ubi fusè narratur historia istius Anastasii Presbyteri.

His præterea plurimùm confert alia animadversio in Vita Hadriani I., ubi in principio habemus Pontificem adhuc puerum perseverasse in Ecclesia Sancti Marci, quæ vicina domui suæ esse videtur. Nam si Scriptor longè post obitum Hadriani Vitam elucubrasset, profectò simpliciter non dixisset, *videtur*, sed addidisset *adhuc*, vel *usque ad præsentem diem*. Idque maximè confirmatur ex eo, quòd alibi id observatum videmus, ut in Leone I. ubi legimus istum Pontificem multas Epistolas conscripsisse, *quæ hodie reconditæ in Archivo tenentur*. Et in Stephano III. cùm de Pipini donatione agitur de Civitatibus &c. *Quæ usque hactenus* (verba Vitæ) *in Archivo Sanctæ nostræ Ecclesiæ reconditæ tenentur*. Et alibi passim. Unde ex hac forma loquendi in apertum deducitur, Auctores tam ii, qui ab obitu Pontificis longiùs distabant, quàm qui synchroni, vel interitui Papæ proximiores erant, ex ipsa scribendi specie id ostendere.

E quibus omnibus evidentissimè, ac necessariò cuicumque asserendum arbitror, Vitas Pontificum, præter Anastasium, qui plurimorum opinione, eas omnes elaboravit, nostra tamen solummodo Vitas Greg. IV. Sergii II. Leonis IV. Benedicti. III. & Nicolai I., quamplures alios Auctores agnoscere. Ad quas meas firmandas conjecturas addo Judicium Davidis Blondelli in suis prolegomenis ad Epistolas Decretales pag. mihi 61. ubi censet Scriptorem libri Pontificalis vixisse circa annum Domini 700. quia citatur à Beda, qui vixit in principio Octavi sæculi, ac ab Amalario Fortunato, & Walafrido Strabone, qui floruerunt in principio sæculi IX. & aliis Antiquioribus, atque adeò ante Anastasium Bibliothecarium, qui obiit circa finem ejusdem IX. sæculi; ex qua Blondelli animadversione elicitur hujusmodi collectionem Vitarum Romanorum Pontificum jam sæculo VII. factam fuisse, non autem illas ab unico Auctore scriptas, ut ipse perperam existimavit.

SECTIO SEPTIMA.

Quisnam fuerit Auctor Vitæ Hadriani II.

QUæri præterea posset, quisnam fuerit Auctor Vitæ Hadriani II. quam Panvinius Petro Guilielmo, sive Guilermo Bibliothecario tribuit, & Baronius ad Ann. 885. malè illum divinasse ait, & huic ego sententię subscribo, nam Eminentissimus Cardinalis Rasponus in sua Basilica Lateranensi lib. 3. Cap. 13. Bibliothecariorum Catalogum texit, ac ad Annum 865. ponit Anastasium, & ad Annum 870. quendam Christophorum Primicerium Notariorum. Ubi notat eundem, absente fortè Bibliothecario, ipsius munus gessisse prædicto Anno 870. Hanc conjecturam ut sequar suadet Baronius, qui ab Hadriano Pontifice missum fuisse tradit Anastasium Bibliothecarium unà cum Cæsario Abbate Neapolim, ut ejus Urbis Populum, si mandatis Apostolicis non parêret, Excommunicationis vinculo innodarent. Quare verisimiliter conjici potest, dictum Christophorum per Anastasii absentiam se pro Bibliothecario gessisse. Subdit inde Rasponus ad Annum 872. quendam Petrum Diaconum: non tamen refert, an fuerit Bibliothecarius, necne. Postea verò Anno 900. Guilielmum Bibliothecarium constituit. Inter Petrum autem, & Guilielmum duos alios fuisse Bibliothecarios reperio, nempe Anno 882. Zachariam Episcopum Anagninum ex Baronio ad dictum Annum num. 1. & ad Annum 884. Benedictum Episcopum Sylvæ Candidæ ex Ughellio in eisdem Episcopis num. 121. quare potiùs crediderim Hadriani II. Vitam à Zacharia, veluti proximiori conscriptam, quàm à Guilielmo, qui paulò posterior fuit. Quædam etiam pro Zacharia concurrunt, quæ non vulgaris, sed præcipuæ notæ virum prædicant, quòd Guilielmo non accidit, cujus dotes qualitatesque ignorantur. Zacharias enim cum Rodealdo Episcopo Portuensi à Nicolao I. Summo Pontifice Constantinopolim legatus est Anno 860. Eo consilio, ut ambo dejecti Ignatii, intrusique Photii causas cognoscerent, utque toties definitam causam de cultu Sacrarum Imaginum decreto firmarent. Cùm autem prohibita eis esset communio cum Photio, corrupti muneribus non modò cum eodem communicarunt, sed etiam indignam, injustamque depositionem Ignatii ratam habuerunt. Quamobrem Romam reversos idem Nicolaus Pontifex in Vaticana Basilica convocata Synodo mox eâdem ad Basilicam Constantinianam translatâ eos damnavit, omnibusque muneribus, ac dignitatibus expoliatos Ecclesiasticæ Censuræ supposuit. Verùm cùm postea præfatus Zacharias se reum, Ignatium autem Patriarcham, & Photium intrusum à Constantinopolitani Throni invasore confiteretur, ab Hadriano II. in pristinum gradum restitutus fuit, & à Joanne VIII. Hadriani Successore honorifico Bibliothecarii munere decoratus. Propterea verisimilius est Zachariam, utpote qui Vir doctus erat, & in Hadrianum II. suæ dignitatis, ac famæ reparatorem optimo jure officiosus, ipsius Vitam literis consignasse, quod de Nicolao fecisse Anastasium retulimus.

Neque ullo pacto nostræ opinioni officeret, si objiceretur: Ideo Zachariam prædictæ Vitæ Scriptorem haud esse, quia in hac de ipsomet fit sermo, diciturque à Nicolao I. Sacerdotio depositus; quod quidem ipsi, ut ignominiosum prætereundum fuisse videretur, si Vitam scripsisset. Id, inquam, nihil officeret: nam post depositionem adjicitur restitutio, quæ tanti eidem honoris fuit, quantæ illa fuerat ignominiæ. Ideoque neutra prætereunda, non prima, quia notissima: nec posterior, quia cùm dedecus à priori obliteraretur, dignissima sanè erat, quæ omnium hominum, ac sæculorum notitiæ, memoriæque committeretur.

SECTIO OCTAVA.

Cur Anastasius Vitas Hadriani II. & Stephani VI. non scripserit.

UT in hac nostra dissertatione nihil omninò eorum, quæ claritati, copiæque conducunt; quoad fieri possit, præteriisse videamur: illud etiam enucleandum est, cur Anastasius, ad quem pro munere Bibliothecarii fortè, ut jam diximus, pertinebat Pontificum sui temporis Vitas conscribere, Nicolaum non excesserit, potuerit tamen & Hadriani II. & aliorum quorumdam Gesta congerere, cùm usque ad Joannem VIII. floruerit, si Panvinio, Labbeo, aliisque

Digitized by Google

que Scriptoribus fides præstanda est? quare ut hæc breviùs, & faciliùs diluamus, id unicè in causa fuisse putaverim, quòd Anastasius sub Hadriano II. tempore Celebrationis VIII. Synodi missus à Ludovico piissimo Imperatore, ferensque ab Apostolica Sede Legationem Byzantium petiit: Quod & Baronius ad annum 869. n.47. & 48., atque ipsemet in sua præfatione his verbis testatus est: *Igitur cùm hæc celebraretur venerabilis Synodus accidit me famulum vestrum missum à Ludovico piissimo Imperatore cum duobus aliis viris insignibus interesse, ferentem etiam Legationem ab Apostolicis meritis*. Adeòque licuit illi quidem ante hanc profectionem absolvere Vitam Nicolai I. & præcipuè quia ejus Gestis plenissimè imbutus erat, & oculatus testis adfuerat: non tamen Vitam Hadriani, cùm peregrè profectus esset, ut arduis, maximisque Synodicis negotiis vacaret. Immò neque id efficere unquam potuit postquam Romam Constantinopoli regressus fuit. Namque absoluta die ultima Februarii anni 870. Sancta Synodo, secum illius Acta Romam detulit, præsentavitque Hadriano; qui cùm perhumaniter eadem excepisset, commisit ipsi Anastasio, qui tunc Bibliothecæ curam gerebat, ut in Latinum Sermonem verteret: qua propter præceptis Pontificiis obtemperans, ad elucubrandam VIII. Synodi traductionem animum applicuit, quod pariter prædicta sua præfatione ad Hadrianum, sic docet. *Unde factum est, ut eisdem loci Servatoribus in prædones incidentibus, & Codicem ipsum cum omnibus supellectilibus suis amittentibus, ego Codicem, quem detuleram Romam vexisse dignoscerer; quem Sanctitas vestra grato suscipiens animo mihi ad trasferendum in Latinam tradidit dictionem, ad quod opus ego idoneum me esse denegavi, licèt in interpretandis ex Archivo in Romanum Sermonem scripturis præsenti tempore quoddam conamen arripere nitar, & nonnulla jam ad ædificationem plurimorum, & præcipuè vestri Decessoris hortatu interpretatus edidisse dignoscar. Verùm vicit jussio tanti Pontificis, dum non deest obedientia prompti Ministri*.

Absoluto deinde hoc eximiæ eruditionis opere, scholiisque dignissimis illustrato, Septimam Synodum ex Græco in Latinum Idioma transferre operæpretium duxit, infirmo corpori minimè parcens, ut ipse ait in præfatione ad Joannem VIII. Summum Pontificem, Hadriani Successorem, hoc pacto: *Quod ipse intuens, nec proprio infirmo corpori parcens, auxiliante Domino hanc nisus sum interpretari Latinis, indecens & incongruum censens vestram maximè omnium Ecclesiarum Magistram, Romanam videlicet Ecclesiam eadem Synodo defraudari, cùm videam posteriori, idest Octava, magnificentissimè decorari; præsertim cùm Sacræ Bibliothecæ vestræ, cujus minister vestra dignatione consisto, ex hoc, quod desuper mihi datum est, debitor sum ministrare*. Constat igitur Anastasium post suum è Byzantina Urbe reditum vixisse, usque ad tempora Joannis VIII., qui floruit usque ad finem Anni 882. cùm post istius Pontificis obitum nullum aliud Anastasii opus reperiatur, totamque hujus temporis intercapedinem in Græcorum operum interpretatione verisimiliter insumpsisse, ad hanc fortè Provinciam suspiciendam illectum, quod Constantinopoli per triennium immoratus, Græcam Linguam sibi familiarissimam fecerat. Quare hoc eodem tempore incongruum prorsus est credere, eundem Hadriani Vitam, ac multò minùs aliorum Pontificum Hadriani Successorum, præsertim verò Stephani VI. scripsisse. Cùm enim tot occupationibus, ac infirmitatibus detineretur inhabilis ad hosce alios labores subeundos efficiebatur. Nec valet objicere Stephani VI. Vitam in multis Anastasium redolere, quia si in quibusdam eidem affinis videtur, in plerisque discrepat: ac multoties stylum Antecessoris imitari Scriptores consueverunt.

SECTIO NONA.

Cur multæ Vitæ rudi stylo descriptæ fuerint.

QUòd autem rudi Minerva varioque stylo permultæ Vitarum descriptiones sparsim toto Codice offendantur, nullam prorsus admirationem animis Eruditorum incutiat; ex eo enim hæc styli varietas, rusticitasque emanasse mihi videtur, si conjecturis uti liceat, quòd nempe Sedes Apostolica sicuti in primis Ecclesiæ sæculis, grassantibus contra Chistianam Religionem Persecutoribus, suos habebat Notarios, quorum Acta Martyrum scribere munus erat, horum autem stylus est planus, & apertus, absque ullo verborum splendore, & elegantia, reddita deinde Ecclesiæ pace, constituit, vel eosdem Notarios, vel quos *Bibliothecarios* appellavit, aut etiam alios, qui Romanorum Pontificum Gesta describerent: & hi fortè ob imperitiam, vel quadam consuetudine Antecessorum formulis utebantur. Quinimmò quæ potior causa fuerit inelegantiæ harum Vitarum, quàm extranearum immaniumque nationum irruptio in Italiam, urbemque ipsam, quæ omnia subsque deque vertentes, linguam Latinam adeò fœdaverunt, ac depravarunt, ut vix ullum sui candoris vestigium præseferret, ac penè oblivioni mandata videretur? liquet hoc ex Anastasio Germonio, qui in sua Promeridiana Sessione 2. puritatem Latini sermonis tempore Justiniani Imperatoris in principio nempe sexti sæculi excidisse testatur. Multò etiam ante hunc Anastasium inscitiam, imperitiamque, gravissima eorum temporum infortunia deploravit Agatho Summus Pontifex in quadam sua Epistola ad Constantinum Imperatorem, & Heraclium, ac Tyberium Augustos, qui in fine VII. sæculi fuerunt, his verbis: *Ideoque* (inquit) *Christianissimi Domini Filii secundùm piissimam missionem à Deo protegendæ mansuetudinis vestræ, pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiæ, quos dirigimus præsentes Confamulos nostros Abundantium, Joannem, & Joannem Reverendissimos fratres nostros Episcopos, Theodorum, & Georgium dilectissimos Filios nostros Presbyteros, cum dilectissimo Filio Nostro Joanne Diacono, & Constantino Subdiacono Sanctæ hujus Spiritualis Matris Apostolicæ Sedis, necnon & Theodorum Presbyterum, Legatum Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, & Religiosos Servos Dei Monachos cum Scripturarum cordis devotione curavimus demandare. Nam apud homines in medio Gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa exercitatione* (alii legunt *hæsitatione*) *conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia?* Hinc est, quòd si illius ævi calamitatem eò usque crevisse legimus, ut Ecclesiasticæ quoque, & supremæ dignitatis Viri gravi labore, summaque exercitatione corporis victum sibi quærere, Sacrarumque Scripturarum studia seponere cogerentur: sequi necesse est eos, & Latini Sermonis elegantiam, puritatemque amisisse, & in maximam, turpissimamque barbariem

Digitized by Google

fuisse prolapsos. Propterea que quid mirum, si tot Pontificum Romanorum Vitas tam vario, tam hiulco stylo conscriptas quis invenerit?

SECTIO DECIMA.

Quid sentiendum de duabus superiùs relatis Epistolis, Hieronymi ad Damasum, & Damasi ad Hieronymum.

Retulimus supra Henschenii, & Papebrochii opinionem sub mense Aprili, ubi memoratas Hieronymi ad Damasum, & Damasi ad Hieronymum Epistolas utpote genuinas approbant, prioremque Catalogum Vitarum Pontificum respicere annuunt. Ad hoc firmandum duas alias eorundem Sanctorum Epistolas ibidem in medium ferunt à M. Milesio Sarazanio transcriptas, Psalmodiæ versionem è Græco in Latinum eloquium continentes, quam Damasus ab Hieronymo expostulavit: Exinde has de Psalterio Literas planè similes illis de Gestis Pontificum faciunt, arguuntque inter Damasum, & Hieronymum Epistolarum commercium. Concludunt denique Damasum primum Catalogum non scripsisse, sed tantummodo approbasse. Hoc Henschenii, & Papebrochii judicium ad trutinam posuit Vir Clarif. Schelstratius in sua *Antiquitate illustrata*, ubi negat priorem Catalogum à Damaso approbatum fuisse, ambasque Epistolas subjacere censuræ asserit, easque tanquam apocryphas, & Hieronymi stylo indignas damnat; tum ad illas prosternendas utitur severissimis Erasmi, ac Labbei censuris, quas contra præfatas de Psalmodia Epistolas ferunt, ducto ex similitudine argumento. Schelstratii opinionem sectatus est Henricus Goezius, Vir à Catholica religione alienus, qui ejus auctoritate fultus in eandem Epistolarum censuram invehitur in Lib. de ritu Lectionum Sacrarum num. 46. Ubi sic: *Præterea non desunt hodie inter Pontificios, qui consuetudinem Literarum circa libros inter S. Damasum, & Hieronymum ex Epistolis publicatis nullatenus ostendi posse censent, quemadmodum videre est apud Schelstratium Antiq. Eccles. Illustr. Dissertationis præviæ Cap. II. pag. 16.* Nos autem his non obstantibus, prædictas Epistolas Hieronymi ad Damasum, & Damasi ad Hieronymum genuinas esse pro viribus adstruemus.

Scopus itaque, præcipuumque hujus Censuræ fundamentum in eo situm est, ut diximus, quòd Epistolæ controversæ cum aliis nullam suspicionem habentibus, minimè ratione styli conveniant. At hæc comparatio nimis sicca est, deficitque ante omnia in eo, quod necessariò requiritur, videlicet, quòd fiat de simili ad simile.

Epistola enim de qua est controversia, an sit Damasi, perbrevis est, & familiaris; aliæ autem cum quibus in comparationem adducitur, eæ scilicet, quas Lucas Holstenius edidit, longè altioris, graviorisque materiæ sunt, cùm ambæ Synodicæ sint, & una quidem ad Orientales Episcopos, altera verò ad Patriarcham directæ, ac dogma contineant. Quare stylus earum Oratorius est, phrasibusque refertus, quæ Synodi, Pontificisque, immò rerum ipsarum dignitatem decerent.

Secundò, in allata Censura nihil attenditur, an Epistolæ sint proprio stylo, manuque Domini eas mittentis conscriptæ, an verò alterius personæ, quæ dicitur *à Secretis*; cùm Antiqui quoque Pontifices, licèt alioquin doctissimi, talibus viris uti consueverint; & ipse Damasus ultimis tribus sui Pontificatus annis in hoc magni Hieronymi operâ usus fuerit, qui hoc fatetur in Epist. II. ubi: *Ante annos plurimos cùm in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis, & Occidentis consultationibus responderem.* Quæ egregia Hieronymi monumenta unà cum Synodicis Actis periisse narrat Cardinalis Baronius ad annum 382. num. 24. atque inde postea ante Hieronymum alterum Damaso ad conscribendas Epistolas inservisse; tum etiam sub uno eodemque Pontificatu plures hujuscemodi ministros, vel ob mortem, vel ob promotionem inservientis, vel alio quovis impedimento variasse: quod præcipuè de Damaso conjiciendum putamus, qui annis decem & octo Pontificiam Cathedram rexit: tanto enim temporis intervallo res non immutari difficillimum est. Unde ne à censura discedamus, Epistolæ comparatio cum stylo proprio Damasi, si quæ diximus rectè perpendantur, ipsam haud infirmat, cùm verisimile, & probabile maximè sit, illam non utique ab ipso Damaso, sed à Viro, qui eidem ab Epistolis erat, fuisse compositam: præsertim cùm de re haud magni momenti ageretur. Unde etsi concedamus Epistolam hanc à Damasi stylo discrepare, cùm ut plurimum stylus ejus, qui à Secretis est, differat à stylo Domini, qui aliquando sublimior, & elegantior est, aliquando verò humilior: non per hoc evincitur, quòd ad Damasum non pertineat, cùm ea quæ Domino imperante confecta sunt, nonnisi ipsi tribuantur: qua de re legimus apud Paulum Warnefridum, vulgò Diaconum appellatum, de Gestis Longobard. Lib. 3. Cap. 10. aliàs 20. Epistolam VII. Pelagii II. quæ est tertia ad Heliam Aquilejensem Episcopum, & alios Istriæ Episcopos, qui damnationi trium Capitulorum in Chalcædonensi Synodo promulgatæ consentire nolebant, scriptam fuisse à S. Gregorio PP. I. cùm adhuc Diaconus esset. Legimus etiam apud Trithemium de Scrip. Eccl. quem sequitur eruditissimus Quesnel in Notis ad Epistol. 24. num 39. S. Leonis, eundem Sanctissimum Pontificem hujus nominis primum, ob insignes virtutes Magnum denominatum, suum habuisse ab Epistolis S. Prosperum natione Aquitanicum. Verum quidem est, quòd huic Trithemii opinioni assentire minimè potui, cùm Magni Leonis Epistolæ cum ejusdem Sermonibus uniformes sint, atque ideo cogimur dicere, aut omnes Epistolas, & Sermones à S. Leone, aut à S. Prospero exaratos fuisse. Qua de re, liceat hìc aliquantulum ad expiscandam veritatem, suaque unicuique reddenda, non sine utili errore, ab instituto cursu deflectere.

Primùm igitur, servata temporum serie, qui de Sancto Prospero quoad superiùs notata meminerit, reperio fuisse Gennadium Presbyterum Massiliensem in suo Catalogo *Illustrium Virorum* apud D. Hieronymum in Tom. I. nuperrimæ Francofurtanæ editionis, ubi Gennadius hæc de Sancto Prospero asserit: *Epistolæ quoque Papæ Leonis adversùs Eutychem de vera Christi Incarnatione ad diversos dictatæ, ab ipso* (videlicet S. Prospero) *dictatæ creduntur*. Vivebat autem Gennadius circa finem Sæculi V. atque ita Leoni synchronus fuit, cùm ille obierit Anno 461. ac proinde Gestorum ejus memoriam recenserat; quæ ratio videtur pro confirmanda istius assertione plurimum facere. Attamen si dubium subtiliùs discutiatur, nonnullæ difficultates insurgent. Primò enim, si Epistolæ S. Leoni attri-

Digitized by Google

tributæ, inter se, vel cum ipsius Sermonibus conferantur, in stylo uniformes inveniuntur, præter unam, nempe decimam septimam, nuperrimæ Parisinæ editionis, ut observavit Eruditissimus Quesnel, qui hanc decimam septimam tantummodo quoad stylum in dubium revocavit, reliquas verò omnes, inter quas illa contra Eutychem annumeratur, tanquam veras, & autographas reputandas esse censuit. Verùm si prædictæ Epistolæ cum operibus Sancti Prosperi comparentur (utrumque enim ad hoc, ut quid certi afferatur, fieri necesse est) ab ejus stylo sunt remotissimæ.

Secunda difficultas ex eo oritur, quòd etiam si concedatur S. Prosperum tantummodo Epistolas contra Eutychem scripsisse, alias verò S. Leonem; superest adhuc dubitationi locus, cùm istæ Epistolæ contra Eutychem aliarum stylo similes sint, ac propterea unum eundemque Scriptorem præseferant. Quamobrem ego, ut his dubiis satisfaciam, respondeo, Gennadium Scriptorem fuisse parum de Romana Curia earumve Ministris instructum, & eò minùs, quò magis ab ea distabat, cùm & eum Presbyterum Massiliensem fuisse, & Romæ nunquam commoratum, sat constet, quia etiam S. Prosperum Notarium Pontificis facit, confunditque munus Notarii cum illius munere, qui à Secretis est. Ulteriùs ignorat, an doctissimus Pontifex per se, vel interpositam personam scriberet. Addi præterea potest Gennadium amore propriæ Nationis deceptum hæc tradidisse, audiebat enim S. Prosperum Virum in literis celeberrimum, ac Notarium Pontificis extitisse, propterea nullo facto descrimine inter Pontificem, & Prosperum, ambos doctissimos, ipsum Prosperum Literas dictitasse, arbitratus fuit. Dixi amore propriæ Nationis deceptum, id ex ipsiusmet Scriptis eliciens: nam quando loquitur de Musæo, & Honorato, & Salviano, Scriptoribus Concivibus suis, eorum laudibus haud parcit, secus autem cùm loquitur de S. Augustino, ac S. Hieronymo, ut rectè animadvertit Erasmus, qui in præfatione ad Catalogum Gennadii, sic ait: *Hic Scriptor non videtur caruisse humanis affectibus, nam D. Hieronymum apertè mordet, favens Ruffino, & D. Augustinum, ut Polygraphum, non sinè fastidii significatione commemorat, vix eximens eum de numero Hæreticorum, nec ullum opus ejus sinè exceptione probat, præter libros de Trinitate*. Quæ autem scripsit Gennadius, cæteri omnes post eum Scriptores sequuti sunt, quos inter prior est Marcellinus Comes, Gennadio quinquaginta ferè annis posterior. Porrò hic in suo Chronico, Indictione I. Viviano & Felice Coss., eisdem fermè Gennadii verbis utitur, scilicet: *Epistolæ quoque B. Leonis adversùs Eutychem de vera Christi Incarnatione datæ, ab illo* (videlicet à S. Prospero) *dictatæ creduntur*. Trithemius verò Abbas, qui floruit in principio præteriti Sæculi, in suo Tract. de Scrip. Ecclesiast. de eodem S. Prospero sic scripsit: *Hic B. Leonis Papæ Magni Notarius fuit, & multas in ejus persona Epistolas dictavit*. Ab his autem reliqui recentiores eruditionem suam hausêre, ab unico fonte, videlicet à Gennadio, profluentem. Collatis igitur hisce Auctoribus, dicendum esse puto, S. Prosperum, S. Leonis Magni Notarium tantummodo, non autem ab Epistolis fuisse; & Epistolas, quæ sub nomine Leonis circumferuntur, veras, & genuinas ipsius Pontificis esse: sed jam unde discessimus, redeamus. Principes Viros ut plurimùm aliorum ministerio in Epistolis conscribendis usos fuisse, unicum tantùm brevitatis causâ clarissimum testem afferam, magnum Aurelium Cassiodorum, qui Theodorici Ostrogothorum Regis à Secretis fuit, cujus adhuc per hominum manus impressi duodecim variarum Epistolarum libri circumferuntur; cæterùm penè innumera ex antiquo deducta praxis sufficere potest.

Justam verò dici minimè posse judico supra relatam Censuram, videlicet Epistolam hanc Damasi genuinam non esse, quia barbaro sensu incondita est, quo ad illa verba: *Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata, & ampliùs sitit curiositas temporum Sacerdotalium*: Quid enim (ait Censor noster) significant hæc verba: *Sitit curiositas temporum Sacerdotalium?* si dixisset: *sitit curiositas Sacerdotum*, sensus fuisset optimus; sed *sitit curiositas temporum Sacerdotalium*, nec sensum reddunt, nec Damaso Papæ adscribi possunt, cujus elegantissima scribendi methodus est longè aliena à similibus imposturis. Pace tamen amici, ac doctissimi Viri, respondeo, tantum abesse, ut phrasis ista inelegantiam, ac imposturam oleat, ut potiùs ipso etiam Damaso digna sit: quid enim aptius, elegantiusque in familiari Laconica Epistola de Hieronymo dici potuit, quàm: *Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata?* nonne fontes Ecclesiæ Doctores sunt, de quibus dicitur in Psalmo 150. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris?* Hæc enim verba mysticè exponens Bruno Episcopus Herbipolensis, fontium Salvatoris nomine Apostolos, & Evangelistas, ac Patres intelligi asserit in Epistola ad Psalterium à Joanne Cochlæo instauratum in Bibl. PP. Tomo 18. Quisnam autem maior magno Hieronymo fons? ne dicam altum Doctrinarum Evangelicarum Oceanum, quem jure meritò S. Matris Ecclesiæ Bibliothecam Scriptores passim deprædicant? Notanda hinc peculiariter est connexio Epistolæ ad posteriora verba censuræ supposita, videlicet, *Sitit curiositas temporum Sacerdotalium*. Nam cùm Hieronymus Romæ agens, multa egregia opera jam elucubrasset, ut tradit Baronius ad Annum 382. quæstionem scilicet *de Osanna*: appendicem ad quæstionem *de Seraphim*: tractatum *de filio Prodigo*: item translationem duarum Originis Homeliarum in Cantica Canticorum: Emendationem quoque quatuor Evangeliorum editionum inter se discrepantium, & alia plura, inclytaque, & Ecclesiæ apprimè utilia reliquisset; cùmque etiam absens plurima elaboraret, ideo verisimiliter congruum Damasus existimavit, petenti Hieronymo Gesta Pontificum, respondere, quòd licèt Ecclesia eloquentiæ, ac doctrinarum ejus fonte satiata esset, sitiebat adhuc temporum Sacerdotalium curiositas: quod elegantiùs meo judicio dictum est, quàm si diceretur *curiositas Sacerdotum*. Fortasse enim Damasus animo volvens gravissima primævæ Ecclesiæ tempora, & persecutionis calamitates, præcipuè verò Diocletianæ, omnium maximæ, qua eousque Tyranni immanitas, ac furor desæviit, ut omnes Codices ad Christianam Religionem spectantes publicè cremari jusserit, quod se vidisse in Oriente declamat Eusebius Hist. Eccl. Lib. 8. Cap. 2. inter ea, suaque tempora, uti rerum, sic nominum varietatem, distinctionemque habendam putavit; nec priora, in quibus furor, impietasque regnaverat, Sacerdotalia appellanda fuisse, sua verò, jure Sacerdotalia dici potuisse, cùm jam sedatis, dissipatisque persecutionum turbinibus per Constantinum Ma-

Digitized by Google

Magnum, in Ecclesia Dei pax summa vigeret, inque ea Sacerdotium; ita ut Ecclesiasticis Viris sua munera tutò exercere, Sacra ministrare, deperditaque Fidelium inquirere monumenta, quod nefas ante, fas esset. Cui sanè loquendi modo in Epistola familiari, quid inculti, ac indigni vel ejusdem Damasi stylo, si hanc illi immediatè tribueremus, imputare quis valeat? deinde verò prædicta Epistola hæc habet: *Veruntamen Gesta Pontificum, quæ potuimus reperire in nostræ Sedis studio, ad tuam charitatem gaudenter direximus*. Quorum verborum tenor satis admodum petitioni Hieronymi consonus est; rogaverat enim Damasum, ut Gesta Pontificum à Beati Petri Apostoli Principatu usque ad sua tempora, sibi transmitteret, ut cognosceret, quis ex Episcopis Apostolicæ Sedis Martyrio meruerit coronari. Hieronymus enim; si quid investigari conjecturâ potest, texendo tunc temporis Martyrologio vacabat, quod ab ipso compilatum, & absolutum eruditè probat Henricus Valesius in sua Dissertatione, quam habes in fine Annot. ad Euseb. Perpendenda enim sunt verba illa, *nostræ Sedis studium*. Damasus enim, ut observavit Lambecius, non appellat *studium suum*, sed Apostolicæ Sedis, quia ipse præfatum Catalogum non consarcinaverat, sed ab alio ex Apostolicæ Sedis studio, idest diligentia factum, direxit. Alludere fortasse Damasus hìc voluit ad Protonotarios, qui Clementis Papæ jussu Martyrum Acta describebant. Particulari etiam animadversione digna sunt verba illa Damasi: *Quæ potuimus reperire*. Satis enim superque indicant ejus temporis difficultatem Codices reperiendi, quos plurimi Christianorum edictis, & minis territi, jussique, Tyrannorum Ministris tradebant, à quibus, ut diximus, hæc sanctiora fidei nostræ pignora, monumentaque igni absumenda dabantur; adeo ut ad cohibendam utcumque, vel improbandam hanc Sacros Libros tradendi nostrorum facilitatem, quicumque hoc egissent probroso nomine Traditorum appellarentur.

In aperto quoque est Damasi ejusdem solertia, sanctissimaque in earundem Scripturarum reliquiis conquirendis, colligendisque solicitudo, qua tamen vix brevem illam Epitomen, notulamque primo Catalogo jam supra tributam, potuit Hieronymo postulanti transmittere, ut observavit etiam supra laudatus Lambecius in dicta sua *Bibliotheca Cæsarea* Tom. 2. pag. 96. cujus sententiam hìc repetere incongruum non erit. Hic ergo Catalogus (inquit Lambecius) *qui, licèt diversis temporibus, & à diversis Auctoribus componeretur*, ordine *tamen & stylo*, *ut in aliarum solemnium tabularum continuatione plerumque fieri solet, ubique sibi erat similis, latuit reconditus in* Tabulario *sive* Archivo Basilicæ Vaticanæ S. Petri *Apostolorum Principis usque ad Pontificatum* S. Damasi. *A quo cùm* S. Hieronymus *per supra exhibitam* Epistolam *petiisset, ut Acta Pontificum Romanorum* à S. Petro *usque ad sua tempora sibi enarraret, curavit is antiquam istam Historiam Pontificalem ex* Tabulis Vaticanis *describi, & Româ mitti* Hierosolymam; *ideoque eam in responso suo ad* S. Hieronymi *Epistolam non appellat* STUDIUM SUUM, sed SEDIS APOSTOLICÆ STUDIUM. *Sic enim revera interpretanda sunt hæc verba*: Tamen, quod gestum est, quod potuimus reperire, Nostræ Sedis studium, ad tuam Charitatem gaudentes direximus. *Ipse igitur S. Damasus non composuit Historiam illam Pontificum Romanorum, sed* Studio Sanctæ Sedis Apostolicæ *inde à* S. Clementis I. *temporibus ex diversorum annotationibus paulatim conflatam, publici tantùm fecit juris, & cum* S. Hieronymo *communicavit, eamque ob rem haud mirum est, nullam ejusdem Historiæ fieri mentionem à* S. Hieronymo *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi agitur de* S. Damaso; *utpote cùm is eam non composuerit*.

Neque urgeat hìc argumentum illud, quòd etiam admissa Epistolarum veritate, cùm Catalogus Damaso adscriptus, non contineat nisi duobus tantùm locis Martyria, atque ideo petitioni Hieronymi non respondeat, sustineri non possit. Nam præter illa duo loca, sunt & alia duo, adeoque quatuor, in quibus Martyria exprimuntur; nempe SS. Petri, & Pauli, Pontiani, Fabiani, & Sixti Pontificum. In aliquibus etiam Locis non solùm ipsorum Pontificum, sed & aliorum Gesta narrantur. Scribitur enim in Fabiano, quòd Regiones Diaconibus diviserit, quòd fabricas per Cœmeteria jusserit, & post ejus Passionem, Moyses, & Maximus Presbyteri, & Nicostratus Diaconus comprehensi, & in carcerem missi fuerint, item quòd eo tempore supervenerit ex Africa Novatus, & separaverit ab Ecclesia Novatianum, & quosdam Confessores, & quòd Moyses Presbyter in carceribus ultimam vitæ suæ diem clauserit. Legimus quoque in Lucio, ipsum primò exulasse, deinde ad Ecclesiam reversum fuisse. In Marcellino Pontifice, notatur persecutio. In Pio, Hermetis fit mentio, & quòd scripserit Librum ea continentem, quæ eidem sub Pastoris habitu Angelus imperaverat, quem tamen librum scio reprobatum fuisse in Concilio Romano, Gelasio Summo Pontifice Præsidente, ut habetur in Cap. *Sancta Rom. Eccl.* Dist. 15. In Pontiano etiam habemus, Pontianum Episcopum, & Hippolytum Presbyterum fuisse in Insulam deportatos. Ex quibus non inconsultè conjici potest, Damasum eo modo, quo Catalogum illum reperiit, Hieronymo transmisisse; quippe ab ultima Persecutione, usque ad Damasi creationem non intercesserunt nisi 53. circiter anni; quo præ brevi temporis spatio post datam Ecclesiæ pacem, non ita fortè distinctæ, & prolixæ notitiæ Vitarum Romanorum Pontificum colligi potuerunt, cùm Pontifices Damasi prædecessores potiùs in describenda certa norma Ecclesiæ circa dogma, & Ecclesiasticos ritus, quàm in eo, quòd consarcinarentur historiæ, intenti essent. Huic conjecturæ fidem facit illorum temporum Ecclesiasticorum Scriptorum raritas.

Hactenus Epistolam Damasi expendimus, nunc ad Hieronymi Epistolam descendamus. Hæc autem pariter ut apocrypha ex styli humilitate rejicitur, gratis verò, & verbo tantùm, Quod enim ajunt, Epistolam hanc abhorrere à stylo Hieronymi, quem Tullianum sapere scimus, ac longè breviorem esse, quàm ejus scribendi mos erat: respondeo, non ita facilè stylum dijudicari posse ex duabus, vel tribus Epistolæ Familiaris periodis, cùm brevitas omnem penè scribendi elegantiam excludat. Si autem præfatam Epistolam, ideo suspectam habeas, quia brevior est, quàm Hieronymus literas scribere consueverit, nimis acerbè agis, cùm Epistolarum nulla mensura sit, sed juxta rei exigentiam, modò breviores, modò fusiores scribantur, quod in ipsomet Cicerone animadvertimus, qui quandoque etiam brevissimas literas exaravit, cujusmodi sunt illæ ad Basilium, ad Terentiam, & aliæ id generis.

Addo

Addo etiam, quòd eadem Epistola à Davide Blondello, maximo nostri temporis Censore, in fine suorum Prolegomenon absque ulla censura refertur, ex quo colligo, quòd licèt dubitaverit, non potuit tamen legitimas dubitandi causas apponere: Aliud quoque ad id probandum argumentum desumitur ex silentio Cl. Viri Antonii Possevini in suo *Apparatu Sacro*, Verbo *Damasus*, ubi de nonnullis Epistolis falsò Damaso adscriptis differit, ac prædictarum nullam facit mentionem, quare ex hujusmodi silentio quis non videat Possevinum, Virum in Sacris eruditionibus versatissimum, ambas has Epistolas genuinas existimasse?

Itaque cumulatis omnibus, contractisque rationum nostrarum momentis, habemus unde afferi liceat controversas Damasi, & Hieronymi Epistolas, genuinas, atque germanas esse, illamque Damasi, styli ejus proprii, vel saltem illius, qui ipsi ab Epistolis esset: quandoquidem neque materies, neque stylus, neque verborum sensus repugnat. Pro majori etiam dictorum robore, adjicimus, quòd in censuris ferendis, basis, & fundamentalis intentio est, nullum opus tanquam apocryphum jure existimandum, nisi prius aliqua ratio allegetur, qua tale, opus confictum, seu falsò alicui Auctori attributum adjudicetur; nemo enim sibi unquam suasit, opus aliquod, aut actionem effingi posse, nisi ad hæc effingenda Auctor aliqua utilitate, vel alia causa impulsus fuerit.

Cùm igitur nulla appareat ratio, per quam elici possit, quòd ambæ Epistolæ efficta fuerint, genuinæ propterea existimandæ sunt.

Etsi allegetur, easdem Epistolas efficlas fuisse ad inducendam fidem Catalogo, cui ipsæ Epistolæ præmittuntur, ut ille reputaretur, quem S. Damasus ad D. Hieronymum misit; inane prorsus est dubium, quoniam licèt eædem Epistolæ veræ essent, aut pro veris habitæ, non ob hanc causam sequitur, hujusmodi Catalogum esse illum, cujus in dictis Epistolis mentio fit, dum ex ipsis Epistolis id non constat.

Cæterùm objectiones, quæ sæpè laudatis Epistolis quoad stylum opponuntur, nihil concludunt, quoniam Erasmus, & Labbè nulla allegata ratione, sicco calamo prætereunt, solùm exclamantes, & admirantes. Primus de Epistola S. Damasi, inquiens: *Quæ fuit imprudentia hoc tribuere Damaso?* ac illius S. Hieronymi: *Quis speravit futurum, ut hæc Epistola, qua nihil potuit fingi insulsius, nec indoctius, nec infantius, à quoquam pro Hieronymiana legeretur?* Secundus verò afferens, quòd: *Suppositæ, apocryphæ, & ineptissimæ viris doctis habentur, tantumque à stylo Damasi, & Hieronymi distant, quantum Cælum à Terra, & Polus Antarcticus ab Arctico.*

Papebrochius in consarcinandis Sanctorum Vitis eorundemve historiis texendis intentus, minùs accuratè varietate rerum distractus censuram Epistolis factam examinavit; quare bona fide Palinodiam cecinit, asserens has Epistolas non esse Damasi, neque Hieronymi, quia sunt styli hiulci, & inculti; quale autem sit hoc hiulcum, ac styli neglectus non ostendit, pro auctoritate adducit supra memoratam censuram, quæ, ut diximus, innititur illis verbis: *Sitit curiositas temporum Sacerdotalium*. De quibus aliquid jam supra exposuimus, & hìc superaddimus pro *temporibus Sacerdotalibus*, posse intelligi Chronologiam Sacerdotalem, sive *ut melius explicem* Chronicon Ecclesiasticum. Et hæc pro harum Epistolarum defensione sufficiant.

SECTIO UNDECIMA.

Summa totius Examinis.

POstquam in perquirendo Vitarum Pontificum Auctore, qui vulgò dicitur *Anastasius*, utpote qui earum Codici præfigatur, satis, ut mihi videtur, elaboravimus, & intricatissimum multarum rerum, ad quas sumus necessariò digressi, labyrinthum evasimus: ut omnia sub oculos unico obtutu cadant, eorum hìc brevi stylo epilogum subjicere, non inopportunum arbitramur.

Primò igitur omnium, quos de hac re verba fecisse sciremus allatis sententiis, mox pro iis elucidandis ostendimus, quid observandum potissimum sit, ut certior de alicujus Auctoris stylo, censura ferri possit, quo posito ad comparationem certi Anastasiani styli Vitarum Nicolai I. Hadriani II. & Stephani VI. devenimus. Deinde etiam Nicolai Vitam cum Anastasii scriptione concordiam habere firmavimus: illas verò Hadriani II. & Stephani VI. differre. Præterea cursim, peculiarem comparationem instituimus aliarum Vitarum, cum illa Nicolai I. tum concordiam, & discrimina, quæ cognovimus, præviis animadversionibus patefecimus. Exploravimus inde Gestorum Hadriani II. & Stephani VI. Auctorem, quem Zachariam Bibliothecarium fuisse suspicati sumus, hinc indagantes rationem, cur Anastasius adhuc vivens has duas posteriores Vitas non exaraverit, id probabiliter accidisse conjecimus ob aliarum rerum molem, qua tunc temporis premebatur. Causam etiam indagare conati sumus, cur multæ Vitæ rudi stylo conscriptæ sint, quòd sæculorum, ingeniorumque infelicitati tribuimus, quæ grassantibus undequaque, præsertim verò in Italia sævissimis bellis, exterisque Nationibus, huc ingruentibus, omnem cultum, speciemque purioris, elegantiorisque sermonis in turpem asperitatem, barbariemque mutaverant.

Denique demonstrare conati sumus Epistolas Damasi ad Hieronymum, & Hieronymi ad Damasum, quæ primum Romanorum Pontificum Catalogum respiciunt, Sanctorum doctissimorumque virorum non abs re dici, & esse posse germanas.

Propterea ex omnibus his, quæ sunt à nobis hucusque tradita, conjecturisque quas ipsi habuimus confirmata: Anastasium Bibliothecarium non nisi paucas Romanorum Pontificum: scilicet Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I. Vitas elucubrasse, cæteras verò, quæ Gregorium præcedunt, & Nicolaum sequuntur, diversis ab Auctoribus confectas fuisse concludimus. Veruntamen licèt à pluribus exaratum Codicem Romanorum Pontificum existimemus: nihilominus ut autographo, genuinisque è scripturis excerpto maximam, ac summam fidem eidem habendam esse censemus; præcipuè cùm propter antiquitatem eximiæ venerationis sit, constantemque historiam contineat, quam tot sæculorum consensu Ecclesia recepit, utpote quæ literis consignata fuerit à Scriptoribus, qui vel Pontificibus, quorum Gesta scripsere, coævi, vel paulò juniores fuerunt.

Hæc igitur, benigne Lector, mea sententia est, quam discussis aliorum opinionibus teneo, ipsam tamen Eruditorum virorum judicio, ac censuræ, hilari, ut decet, animo subjicio, eosdemque

Digitized by Google

demque deprecor, ut si quid magis congruum reperiant, libenter nos doceant. Malumus enim discendo proficere, quàm inconsulta, & inutili pertinacia opinionem nostram tueri.

SECTIO DUODECIMA.

In qua Anastasius Bibliothecarius ab Heterodoxorum calumniis vindicatur.

QUia Librum Vitarum Romanorum Pontificum, qui sub Anastasii nomine circumfertur, suis Auctoribus, licèt eorum ignorentur nomina, hucusque restituere conati sumus, decet modò eundem Anastasium ab Hæreticorum calumniis, quibus ejus fides & gloria denigratur, vindicare. Horum enim qui cum Anastasio mitiùs agunt, ut Hermannus Conringius in suo tractatu de Electoribus Rom. Imperii, maximum Dignitatis Pontificiæ Assertorem, Anastasium appellant, qui verò de eodem temerè agunt, Auctorem suspectum esse asserunt, utpote qui sua scripta ex vetustis quibusdam scripturis apocryphis, repertis in scriniis Pontificiæ Bibliothecæ, cui præerat, modò in Domini sui favorem essent, consarcinaverit. Hujus sententiæ fuit à Catholica religione alienus, Carolus Molinæus, ut refert Hospinianus, ipsius Sectator, in suo tractatu *de Origine Templorum* Lib. 2. Cap. 14. §. 7. editionis Genevensis An. MDCLXXII. Verùm hi cæterique ejusdem farinæ homines, cùm nihil aliud ob oculos habeant, quàm Apostolicam Sedem calumniis divexare, nodum in scirpo quærunt, ut ipsam si lacerare non possunt, aliqua saltem parte ejus famam denigrent.

Cogor hìc etiam Catholici quidem; sed à Molinæi sententia, ut opinor, decepti, duram censuram, seu potiùs calumniam referre Petri Halloix, qui suam inconsultè contra Anastasium, sive Librum Pontificalem protulit opinionem; hæc scribens: *Quæ cùm haud satis cohæreant: meliùs ut quidem sentio, credetur Eusebio, & veteribus Martyrologiis, atque Chronographis, quàm Anastasio Bibliothecario, aut ejus libro*. De Romanis Pontificibus, *qui falsò attributus Damaso Papæ, plurimos antehac decepit, & hìc præcipuè in re non parva, sed longè maxima, per Severinum Binium editorem Conciliorum, qui licèt errorem animadvertit, non tamen destiterit ante omnium Pontificum Vitas usque ad Nicolaum I. Præfigere titulum hunc*: Ex libro Pontificali Damasi Papæ, *cùm Damasus talem librum scripserit nullum: sed illæ omnes Vitæ à dicto Anastasio sint deformatæ, & fœdis hallucinationibus plenæ*. Hanc ego censuram, quamvis invitus, apposui, ne mihi vitio tribueretur, quòd ab hoc etiam Auctore inultum Anastasium relinquam.

Cæterùm hæ meræ, turpissimæque imposturæ sunt, cùm ne umbratili quidem ulla ratione fulciantur.

Enimverò si sedulò historiam hanc, ut ipsi fecimus, Molinæus, ac Petrus Halloix examinasent, utique ab his calumniis inferendis abstinuisent, liquidò enim nosent eas Vitas non unicè Anastasium scripsise, sed alios quamplures.

Quapropter esto quidem, quod nefas asserere, Anastasium scripturis Apocryphis usum fuisse, ante alios omnes hac labe sordere, & mendaces esse aliquis dixerit?

Porrò si id admittas, Historicorum quorumcunque fides labat: dici enim potest eorumquemque ea solummodo tradidisse, quæ suis Regnis, ac Regibus favent, atque adeo falsa esse, & ex fictis, apocryphisque scripturis desumpta.

Hoc autem contendere quàm turpe sit, quàm invisum, latère neminem arbitror, cùm omnium Scriptorum potissima, atque una meta, veritas sit.

Hisce profectò tam subdolæ, tamque improbæ mentis hominibus aptari posse videtur Parabola Evangelica, quam refert Matt. Cap. 13. n. 24. nempe: *Simile factum est Regnum Cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania. Accedentes autem servi Patris familias dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? & ait illis: inimicus homo hoc fecit*. Nonne inimicus homo descriptus in hac parabola eos respicit, qui talem tantamque cordibus insitam habent Romano Pontifici Christi Vicario, cunctisque, qui ejusdem auctoritatem, & jura scriptis, ac verbis propugnant detrahendi, eosdemque calumniandi libidinem, ut veritatem ipsam variis ac fallacibus velaminibus deturpare, & obtegere enitantur, maligna Zizaniæ semina projicientes, unde infelicissima posteris errorum messis exuberet? Ita inter cæteros egit supracitatus Carolus Molinæus, cujus noxiorum seminum fructus supra relatus Hospinianus, ac fortasse etiam Petrus Halloix collegit, & nuperus Scriptor Daniel Francus in sua Disquisitione Academica *de origine prohibendi libros* cap. 4. num. 62. ubi conatur ostendere, Anastasium Bibliothecarium, in Præfatione ad Vitam Sancti Joannis Eleemosinarii, quæ habetur apud Bollandum in Actis Sanctorum Mensis Januarii sub die 23. fœdissima adulatione erga Nicolaum I. Pontificem usum fuisse, quæ tamen haud in alio consistit, quàm in quibusdam epithetis Summo Pontifici debitis, utpote *Vicarii Dei, Clavigeri Cœli, Aurigæ Spiritualis Israëlis, Universalis Pontificis, Unici Papæ, Singularis Pastoris, specialis Patris; omnium Arbitri, tenentis claves David, habentis claves Scientiæ, in cujus pectoris Arca Tabulæ Testamenti, & Manna Cœlestis saporis requiescunt, illius enim, qui quod ligat nemo solvit, quod solvit nemo ligat, qui aperit, & nemo claudit; Claudit, & nemo aperit, ac vicem in terris possidet Dei*. Quænam autem in hisce epithetis fœda adulatio est? utinam hæc animo pacatiori nuperus iste Scriptor protulisset! nonne S. Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 24. Romanum Pontificem Christi Vicarium appellat? S. Joannes Chrysostomus illum in plurimis locis Pastorem nominat? nonne arbitrum esse ligandorum, ac solvendorum pronunciavit S. Leo serm. 2. de sua assumptione? sed innumera similia immò universaliora epitheta Romano Pontifici Patres attribuêre, quæ legi possunt apud Divum Bernardum lib. 2. de Consideratione cap. 8. & lib. 4. cap. 7. quæque uberiùs congessit Raynaudus in sua *Corona aurea* Tom. X. postremæ editionis, quod non maximo Jure Summum Pontificem deceat? nonne ex hoc apertissimè colligas quanta sit, quàm altè in impiis cordibus sedeat calumniandi prurigo?

F I N I S.

IN

Digitized by Google

IN VITAS PONTIFICUM ROMANORUM ANASTASIO BIBLIOTHECARIO

Attributas,

Earumque ad editionem Romanam

PRÆFATIO

IN SEQUENTES SECTIONES DISTINCTA,

AUCTORE

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

FRANCISCO BLANCHINO VERONENSI

Basilicæ Libcrianæ Canonico, & Subdiacono Sacelli Pontificii.

1. *Utilitas inquirendi de Auctoris Vitarum Pontificum Romanorum, quas complectitur hic Liber dictus* PONTIFICALIS : *eorumque de Auctorum ætate, stylo, præstantia, illustrata per Eruditos Præsules Holstenium, Ciampinum, & Schelestratium in Operibus Romæ editis.*

2. *Labores Holstenii commendant plurimum Operis dignitatem in præclara Dissertatione Schelestratii : quæ recenset exemplaria Italicarum Bibliothecarum præcipua, ab utroque Præsule consulta.*

3. *Illius Dissertationis integra editio reservatur Tomo secundo, complexuro Notas Variorum ad hunc Librum Pontificalem.*

4. *Interea meditata potiora utriusque Præsulis (Holstenii, & Schelestratii) indè seliguntur, pertinentia ad Criticen istius Libri, augenda novis observationibus in hac Præfatione : ubi agendum proponitur,* De nomine Libri, ejusque ætate, Auctoribus, origine, & incrementis, necnon de illius historiæ fide, ac documentis.

5. *Nomina vetustiora hujus Libri sunt* : LIBER PONTIFICALIS, seu LIBER GESTORVM PONTIFICALIUM, seu VITÆ PONTIFICUM ROMANORUM. *Licèt novissimè appellatus à Velsero fuerit* LIBER ANASTASII BIBLIOTHECARII DE VITIS PONTIFICUM ROMANORUM ; *attamen pars maxima ejusdem sæculo integro ante Anastasium conscripta fuit. Enumerantur exemplaria Libri, Anastasii ætate antiquiora.*

6. *Ab Holstenio probatur pars prima Libri complectens Vitas Summorum Pontificum à S. Petro ad Gregorium III. edita istius ætate circa annum Christi 730., ex hujus Vita incompleta in vetustis codicibus m. s. ibi desinentibus.*

7. *Schelestratius confirmat sententiam Holstenii ex testimoniis Libri in Vita Leonis II., & in Vita Cononis : quæ indicant earumdem Auctorem scripsisse ante annum 750.*

8. *Primæ huic collectioni Vitarum, usque ad Gregorium III. accesserunt Appendices duæ, à diversis Scriptoribus adjectæ. Prima complectitur Vitas Zachariæ, & Stephani III. Posterior reliquos, usque ad Hadrianum Secundum : quas inter Anastasius Bibliothecarius unicam scripsit Nicolai Papæ Primi, & Guillelmus Anastasii successor duas postremas.*

9. *Hic Liber Pontificalis, licèt contextus ab Auctoribus octavi, & noni sæculi, desumptus est magna sui parte ex duobus Catalogis Pontificum Romanorum, quorum prior conscriptus fuit quarto Christi sæculo sub Liberio Papa, alter sub Felice Papa IV. ætate Justiniani. Sed priori Catalogo genuino adjecit impostor aliquis sequioris ætatis commentitias epistolas duas, Hieronymi ad Damasum, & Damasi ad Hieronymum : quæ in errorem traxerunt incautè appellantes hunc Librum nomine Damasi.*

10. *His delibatis ex Dissertatione Schelestratii, & ex meditatis Holstenii, proponitur in hac Præfatione agendum de origine, auctoritate, ac fide historiæ in hisce Vitis expressæ, ejusque documentis, seu probationibus.*

11. *Origo prima debetur duobus Catalogis indicatis, primo scilicet sub Liberio, & altero sub Felice IV. Auctor secundi Catalogi sexto sæculo transcripsit verba prioris jam contexti quarto sæculo : & ex aliis documentis addidit plura in Liberianæ ætatis Catalogo, utpote breviori, non expressa. Scriptor verò primæ partis Libri Pontificalis retulit octavo sæculo in Vitas Pontificum verba secundi Catalogi, & plura similiter adjecit aliunde percepta.*

12. *Additiones Libri Pontificalis supra Catalogum secundum plerumque sunt expositiones, ac veluti notæ uberiores, clariùs exponentes ea, quæ contractiùs, & obscuriùs in secundo Catalogo indicabantur.*

13. *De auctoritate rerum in utroque Catalogo enunciatarum. Et primùm agitur de utriusque Catalogi ætate, exemplaribus, & editione.*

14. *Prior Catalogus sub Liberio conditus circa annum*

Digitized by Google

annum 354. editus fuit à Bucherio cum aliis reliquiis Opusculorum ejusdem sæculi quarti, plurimo in pretio habitis apud Eruditos. Descriptus fuerat in vetustis membranis, olim spectatis à Cuspiniano. Indè transcriptus, atque iterum collatus cum aliis exemplis, castigatior editus est à Schelestratio.

15. *Alter Catalogus sub Felice IV. ætate Justiniani contextus circa annum Christi 530. vulgatus fuit à Schelestratio ex codice scripto ætate Caroli Magni, olim in Regia Bibliotheca Christinæ Svecorum Reginæ, nunc in Vaticana asservato: collata opera Stephani Baluzii, ministrantis lectiones variantes codicis Colbertini, ejusdem ætatis Caroli Magni.*

16. *De auctoritate rerum in Catalogis expressarum, quæ sunt: In priori quidem nomen Pontificis, anni regiminis, & patria Consulum, quibus inivit, & quibus desiit: In secundo autem Catalogo additur nomen Patris, & Regio Urbis, si Romanus est, vel Patria, si extraneus: Et numerus ordinationum: Et aliquot Decreta, seu Constitutiones illius Pontificis, de quo agitur.*

17. *Nomen Pontificis reddere cum Patris nomine probatur fuisse ex more ætatum, quibus Catalogi scribebantur. Regionis nomen, in Pontificibus natione Romanis observatum, videtur ex institutione Clementis Primi, & indicat Catalogum illum fuisse collectum ex actis Martyrum, scriptis per septem Notarios, ab eodem S. Clemente constitutos in Urbe. Quæ Acta in persecutionibus Decii, & Diocletiani fuerant absumpta, supplebantur satis per historiam Hegesippi superstitem ætate Eusebii, necnon ex testimoniis Irenæi, & aliorum scriptis, unde Eusebius potuit successionem Pontificum Romanorum edere, adeòque etiam Auctor Catalogi scribens Eusebii sæculo eamdem successionem potuit exhibere.*

18. *Chronologia Pontificum Romanorum, per Consulatus in utroque Catalogo consignata, haberi etiam potuit quarto, & sexto sæculo, partim ex inscriptionibus Martyrum, depositorum in Cœmeteriis suburbanis, partim ex actis eorumdem Pontificum, & Martyrum, necessariò memorantibus Principes, & Magistratus sub quibus martyrio afficiebantur.*

19. *Acta genuina passionis S. Ignatii probant, ætate S. Clementis eadem Acta signari consuevisse Epocha Imperatoris, & Consulum. Alia verò Acta Romana cùm recenseant Præfectum Urbi; & Provincialia cùm memorent Præsidem, aut Præfectum Provinciæ; continent characteres ætatis satis definitos, ad contexendum sæculis quarto, & sexto, primum, & ultimum Catalogum.*

20. *Ordinationes per secundum Catalogum memoratæ in singulis Pontificibus probantur haberi debuisse in Ecclesia Romana ex prima institutione Sacerdotalis Hierarchiæ, servato exemplo veteris Sacerdotii, Epocham ordinationum memorantis in divinis literis.*

21. *In Urbe tanta fuit existimatio Sacerdotii etiam profani apud Ethnicos; ut hi diligenter expresserint cooptationes, & initiationes suas æreis, & marmoreis documentis, & Fastis Collegiorum, per Consules, & annos Urbis referentibus successiones Sacerdotum etiam minorum; & in Kalendariis, ætate Augusti, & Claudii publicè propositis, adnotaverint diem Pontificatus Maximi per eosdem Principes assumpti.*

22. *Mos incidendi tabulis marmoreis Acta Sacerdotalia apud Romanos viguit à primo Christi sæculo ad quartum, ut probatur testimoniis lapidum, quæ supersunt.*

23. *Quare Episcopi Romani Petri successores in Pontificatu verè Maximo per Christum instituto, necnon primi fideles, de tanto Sacerdotio, ejusque Hierarchiæ gradibus pro dignitate sentientes, secuti morem sacrarum literarum, & usum pariter suorum temporum, studuerunt etiam prioribus Ecclesiæ sæculis diligenter curare tabulas ordinationum Sacerdotalium. Quin etiam tempore persecutionum nobis reliquerunt decreta marmoribus impressa (ut in marmorea Sede S. Hippolyti cernimus) de Paschate, ac jejunio, referenda ad Acta Pontificum.*

24. *Pace Ecclesiæ reddita sub Constantino, multò plura documenta marmoreis tabulis insculpta fuerunt à successoribus Petri in Sede Apostolica Romana, ut comprobant genuinæ inscriptiones S. Damasi Papæ, & aliorum adhuc superstites.*

25. *Ex utroque numero inscriptionum tempore persecutionis, & in pace Ecclesiæ contexti sunt Indiculi depositionum Episcoporum, & Martyrum, ad usum Ecclesiæ Romanæ quarto Christi sæculo: quorum aliquot edidit Bucherius, unà cum priori Catalogo Pontificum Romanorum sub Liberio.*

26. *Mos in Romana Ecclesia custoditus signandi Epochas Pontificum per Consulatus, & colligendi ex eis diptyca, & indiculos, ac successiones, apparet transmissus ad alias proximas Sedes Episcopales; in Italia subinde fundatas auctoritate Summi Pontificis. Afferuntur exempla Ecclesiæ Nolanæ Episcoporum ita signatorum in antiquis lapidibus, spectantia ad ætatem inter utrumque Catalogum interceptam. Quare multò diligentiùs servatus est mos non interruptus istius Chronologiæ in Ecclesia Romana, omnium matre per Beatum Petrum instituta.*

27. *Summi Pontifices Christiani quarti, & quinti sæculi, sacras ordinationes plerumque celebrantes in Basilica Vaticana (uti constat ex sermonibus Leonis Magni) jure merito curarunt tot monumentis publicè incisis celebrare dignitatem Maximi Sacerdotii, à Christo Domino percepti, & communicati B. Petro, & successoribus, ut apponerent sacra veræ Religionis, hoc præsertim in loco Vaticani collis, quem Roma Ethnica fœdaverat Actis Sacerdotalibus profanarum suarum religionum, sive superstitionum.*

28 *Recensentur Acta marmorea Collegii Fratrum Arvalium, & cooptationes Ethnici Sacerdotii, & initiationes Isiacorum, Mithræ, Sarapidis, Matris magnæ, Solisque Sacerdotum, reperta in ipsa crepidine collis circa Basilicam Vaticanam, quæ ostendunt, ibi fuisse ab Ethnicis frequentatas hujusmodi superstitiones, quibus abolendis, ut ait Leo Magnus, feliciter destinatus Petrus Apostolus sedem veritatis in Urbe fixit, omnium errorum tunc temporis magistra sub Impp. Claudio, & Nerone, & à se reddita discipula veritatis.*

29 *Ex veteri ara insculpta anno Eræ Christianæ 160. & Lugduni reperta, atque illustrata per R. P. Dominicum de Colonia Soc. Jesu Theologum, percipimus, secundo Christi seculo ab Ethnicis usum inductum transmittendi ex Vaticano colle Romano ritum superstitiosum Ideæ Matris Deorum ab iisdem dictæ in Colonias: æmulante diabolo, ut ait Tertullianus, in Idolorum mysteriis irrito conatu subvertere nostra sacra per sacrilegam imitationem.*

30 *Conatus Ethnicorum irriti, non secus ac Dagonis simulacrum coram Arca Testamenti conciderunt: nostrique Romani Præsules super ruinas confractæ idololatriæ erigentes Crucis trophæum, & Acta Sacerdotii Christiani semper illustriora, ac firmiora ostendentes, eadem signarunt marmoreis tabulis, & ad perennem rei memoriam fixerunt publicè, præsertim in Vaticana Basilica, etiam ætate S. Gregorii Tertii, qua scilicet edebatur hic Liber*

Digitized by Google

ber Pontificalis. Quare satis constat de fide, & auctoritate rerum in utroque Catalogo memoratarum, unde Liber Pontificalis desumptus fuit.

31 Gradus fit ex documentis Catalogorum ad documenta reliquæ historiæ super Catalogos additæ in eodem Libro Pontificali. Ostenditur, ætate Sancti Gregorii Tertii plurima documenta superfuisse rerum, quæ narrantur in Libro Pontificali, non solùm in Archivis, sed etiam in publicis inscriptionibus: quibus hæc ipsa historia comprobatur juxta tria potiora rerum capita in Libro enunciata. Ea verò sunt 1. Chronologia, & successio Pontificum. 2. Eorum sacræ ordinationes, Hierarchiam Ecclesiæ constituentes, & decreta, seu constitutiones. 3. Sacrarum Ædium fundationes, instaurationes, donaria, & reliqua gesta Pontificalia.

32 Dum Liber Pontificalis conscribebatur sub Gregorio III. primum caput pertinens ad Chronologiam Pontificiam præter adjumenta duplicis Catalogi, firmamenta obtinuit in diptychis Ecclesiarum, in Actis Conciliorum, Historia, & Chronicis Eusebii, & cæterorum Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ Scriptorum, aliorumque Orientalium, in genuinis inscriptionibus Cœmeteriorum SS. Martyrum, præsertim Romanis, quæ nostra etiam ætate supersunt post annos mille ab editione Libri Pontificalis.

33 Caput alterum referendum ad decreta, & ordinationes colligi poterat ex iisdem fontibus, tum etiam ex ritibus liturgiæ in Ecclesia Romana observatis, necnon ex epistolis Pontificum Romanorum:

34 Harum epistolarum aliquot fragmenta, producta in Eusebii historia, continent indicia decretorum Sedis Apostolicæ Antistitum, præcedentium easdem epistolas ab Eusebio relatas.

35 Ordinationes Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, memoratæ in Catalogis, & indè descriptæ ab Auctore Libri Pontificalis mirificè confirmantur ex memoriis genuinis consecrationis Ecclesiarum, & Altarium, quæ marmoribus mandari cœperunt etiam prioribus Ecclesiæ sæculis. Profertur consecratio Ædis sacræ marmori commendata à S. Damaso Papa: aliæque Epochæ fundationum Ecclesiarum eodem sæculo signatæ, & insculptæ marmoribus etiam in Provinciis Occidentalibus.

36 Sacri Fontes à SS. Damaso, Sixto III., & Hilario constructi, aut amplificati, necnon aliæ structuræ Ecclesiarum cognoscuntur ex eorumdem Pontificum inscriptionibus genuinis.

37 Ætate S. Gregorii III. etiam Acta Concilii Romani, memorati in hoc Libro Pontificali, leguntur marmori incisa, & asservata in cryptis veteris Basilicæ Vaticanæ.

38. In Basilica S. Pauli via Ostiensi legitur incisum ætate ejusdem S. Gregorii III. ipsius Diploma, seu Breve, ut vocant, de numero quotidiano Missarum, & oblationum ibidem constituto. Quare complura genuina documenta decretorum Apostolicæ Sedis Antistitum ab initio tertii sæculi ad nonum non modò legebantur in marmoreis tabulis ætate Scriptorum Libri Pontificalis, sed etiam nostra leguntur.

39 Eadem monumenta inscriptionum barbaro stylo incisarum ostendunt ætatem Libri Pontificalis: primùm contexti paulò post initium octavi sæculi, quando barbaries à Longobardis in Italiam invecta, & latè producta per ducentos annos eorumdem dominationis, Latinæ linguæ cultum ita fœdaverat, ut etiam Regii diplomatum Magistri, ac Notarii latini sermonis regulas omnes negligerent.

40 Producuntur exempla duorum diplomatum Desiderii Longobardorum Regis postremi, & Adelchis ejus filii; ex Autographis asservatis Brixiæ in Archivo Monasterii S. Juliæ.

41 Eadem barbaries irrepserat in Galliæ partem littoralem Italiæ proximam, tunc temporis turbatam à Saracenis, ut ostendit inscriptio Massiliensis, incisa circa ætatem Gregorii III.

42 Notarii Principum Longobardorum Capuæ, & Spoleti nihilò clementiùs habuerunt per eadem tempora Latinas literas: quos deinde posteri sunt imitati usque ad sæculum decimum. Quare comprobatur undequaque ex stylo ætatis proprio in publicis monumentis, Scriptores Libri Pontificalis octavo, & nono sæculo illum dictasse.

43 Tertium caput rerum in Vitis Pontificum memoratarum complectitur dona mobilia, & immobilia Ecclesiis donata, quæ partem non modicam Libri constituunt. Horum pariter donorum complura documenta, eaque publica, ministrabant Scriptoribus Libri Pontificalis Archiva Ecclesiarum, ex legibus sacrorum Canonum, & Pontificum Decretis instruenda regestis, ac documentis genuinis ejusmodi donationum.

44 Præter membranas Archivorum, etiam marmora Ecclesiarum incidebantur, non raro nominibus fundorum, & Actis donationum.

45 Donatio S. Gregorii Magni ad luminaria concinnanda in Basilica Vaticana, adhuc legitur incisa marmoribus ejusdem ætate: & modò cernitur parieti affixa in porticu ejusdem Basilicæ.

46 In Basilica S. Pauli legitur diploma ejusdem Pontificis, commendatum tabulæ marmoreæ simili de causa, datum verò ad Felicem Subdiaconum, & Rectorem Provinciæ Patrimonii viæ Appiæ in primo Phocæ Augusti Consulatu Indict. vii. viii. Februarii: hoc est anno Christi 604. ex quo marmore apparet jussio Pontificia de autographo præcepto scriniis Apostolicis inferendo.

47 In alio marmore Basilicæ Liberianæ sub Gregorio Quarto non modò legitur enumeratio fundorum Ecclesiæ donatorum, sed etiam producitur causa, & comprobatur usus per eadem tempora frequentatus incidendi marmoribus documenta publica donationum, post Acta genuina in Archivum relata. Unde colligitur abundasse documentis donationum ætatem Scriptorum Libri Pontificali tam in Archivis, quàm in parietibus sacrarum Ædium.

48 Leguntur etiam insculptæ vetustis lapidibus formulæ precum à Summis Pontificibus incisæ, & præsertim à S. Gregorio III. quæ supersunt in cryptis Vaticanis.

49 Præter Basilicas Patriarchales Urbis, etiam Tituli Presbyterorum, & Diaconiæ, aliæque Ædes sacræ, & Monasteria servant marmorea documenta fundorum ad eadem sacra loca pertinentium. Videmus exemplum in Titulo Pammachii, sive SS. Joannis, & Pauli, in Diaconia S. Mariæ in Cosmedin, quæ etiam Schola Græca dicitur, eique proxima in Ecclesia, nunc diruta, Sancti Valentini: necnon in Græca inscriptione destructi Monasterii S. Erasmi prope titulum S. Stephani in Monte Cælio: & in dotatione sepulchri anno Christi 577. servata in Sacrario S. Angeli in Burgo.

50 Communis hæc praxis, & consuetudo urbana in Basilicis, Titulis, Diaconiis, Ecclesiis etiam minoribus, Monasteriis, imò & in sepulchralibus donationibus Romæ observata à sexto sæculo ad decimum, derivata etiam fuit ad proximos Urbi Episcopatus: ut comprobant inscriptiones Ecclesiæ Cathedralis Anagninæ, ac Tiburtinæ.

51 Quin etiam in Ecclesias, & Regiones Italiæ ab Urbe remotiores id moris penetrasse docet inscriptio, ætate S. Gregorii III. incisa propè Ravennam in celebri Æde S. Apollinaris in Classe.

52 Pleraque hæc monimenta in Urbe, & extra

Digitized by Google

Urbem producta cùm pertineant ad ætatem Scriptorum Libri Pontificalis, abunde docent studium peculiare illorum temporum in proponendis publicè Indicibus bonorum mobilium, & immobilium ad Ecclesias pertinentium: in quibus propterea describendis tantam operam collocarunt indicati Auctores Vitarum, pro more, & ingenio suorum æqualium. Universa verò docent, superfuisse tunc temporis copiam documentorum ad universa comprobanda, quæ Libri contextus, & historia complectitur.

53 Illustrantur hæc documenta ex numismate Crispi Cæsaris, edito per Cardinalem Baronium, nunc denuo reperto inter cimelia Excellentissimi Principis Burghesii, & huic Præfationi præfixo, Numisma describitur.

54 Numisma jam tum recognitum à Fulvio Ursino Antiquariorum Principe, ab eoque comparatum, & vindicatum affertur à Card. Baronio ad annum 324. tanquam indubitatæ antiquitatis testimonium, & documentum publici cultus Christianæ Religionis in Urbe à Constantino susceptæ.

55 Et donorum ab eodem Principe oblatorum in Lateranensi Basilica Salvatoris; cùm in adversa parte expressa videatur statua sedens vel Christi Domini, vel Apostoli Petri, quales ex argento utrique positæ à Constantino in eadem Basilica memorantur in hoc Libro Pontificali.

56 Ea donaria Principum cùm superessent ætate Scriptorum Libri Pontificalis, ostendunt cuique patuisse complura documenta publica rerum in illo memoratarum.

57 Hactenus de observationibus generatim pertinentibus ad Vitas Pontificum hoc in Libro collectas. Quæ speciatim de singulis dicenda sunt Tomus secundus exhibebit. Ratio Notarum in editione observanda proponitur.

58 Cùm in hoc Tomo Typographus ea collegerit, quæ pertinent ad germanam Libri lectionem, ejusque usum, & commoda indè percipienda; spondet in secundo Tomo collectum iri potiores Adnotationes Variorum in Vitas Pontificum, partim descriptas ex impressis ab Altaserra, Binio, Ciacconio, Labbeo, partim ministratas ab aliis historiæ Ecclesiasticæ Studiosis, quorum nomina singillatim præfixa juxta ordinem alphabeti tribuent cuique suas notationes.

59 Chronologicæ observationes in Tomo secundo prætermittentur, cùm edendæ sint Tomo Tertio: cui etiam reservatur totum systema Chronologiæ restitutæ, sive Reparationis temporum ab exordio Æræ Christianæ.

60 Epilogus rerum, de Opere, & editione dictarum in Præfatione.



PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

1 ERunt fortasse qui judicent minimè necessarium præfari in Vitas Pontificum Romanorum, & de Anastasii nomine illis præfixo, tum de vero Auctore, sive Auctoribus, eorumque ætate, stylo, præstantia diligentiùs inquirere hoc nostro sæculo, quo præclara illustrium Criticorum judicia prælo commissa teruntur omnium manibus, non modò apud Scriptores Bibliothecarum, sed etiam apud eos, qui hoc de argumento Dissertationes, aut Libros nominatim, & in Urbe ediderunt. Qui enim nesciat, examen *Libri Pontificalis* (quo nomine donatur hæc Vitarum collectio) ab erudito Præsule Joanne Ciampino Typis Romanis editum anno 1688. & post quadriennium ab illa editione in Tomo primo *Antiquitatis Ecclesiæ Illustratæ* per alium celeberrimum Præsulem Emmanuelem à Schelestrate Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum fuisse vulgatam Dissertationem tertiam, in primis eruditam, & gravem, hoc titulo insignitam: *De antiquis Romanorum Pontificum Catalogis, ex quibus Liber Pontificalis concinnatus fuit, & de Libri Pontificalis Auctore, & præstantia?*

2 Hanc certè Dissertationem, novem capitibus distinctam, tanti faciendam judico, ut operæ pretium ducam eandem integram edere quando Notæ in Anastasium prodibunt: cùm complectatur matura judicia, & observationes tum ipsius Schelestratii, tum ejus decessoris in Bibliothecæ præfectura clarissimi Lucæ Holstenii: cujus laboribus, per annos plurimos assiduè impensis potiora quæque deberi, quæ de præclaro hoc monumento Ecclesiasticæ historiæ ad nos pervenerunt, satis ostendet testimonium, ejusdem Holstenii manu signatum in eo exemplari Anastasiano, in quo variantes lectiones præstantissimorum totius Italiæ codicum m.s. à se collatas retulit ex Bibliothecis Vaticana, Regia Christiniana, S. Marci Florentina, Cassinensi, & Farnesiana. Præstat, ut numerum tertium capitis V. Dissertationis Schelestratii describam integrum: ut ex Holstenii verbis in eo relatis resultet, quæ dignitas libri sit, tantum virum occupantis parte non modica ætatis suæ in vera ejus lectione restituenda; quæ etiam antiquitas codicum, unde eandem collegit, in aliquibus superans sæculum Anastasii, & ostendens, priorum Vitarum scriptores esse Anastasio vetustiores:

„ Cùm ex prædictis Annibalis Fabrotti verbis (ait Schelestratius num. 3.) manifestè appareat, editiones Libri Pontificalis ad suum usque tempus mendis repletas fuisse, & meliorem editionem ex m.s. codicibus curari posse; curam hanc in se susceperat vir doctissimus prædecessor quondam meus Lucas Holstenius, qui Anastasii historiam de Vitis Romanorum Pontificum editionis Moguntinæ cum præstantissimis totius Italiæ codicibus contulit, ut illam correctiorem, emendatioremque ederet. Autographum Holstenii ex libris Moroni emptum in Bibliotheca Vaticana reposui, in cujus primo folio manu Holstenii annotata sunt sequentia: *De m.s. codicibus, ad quos Anastasium contulimus. Quæ à principio libri usque ad paginam 53. atramento notata sunt in margine, variæ lectiones sunt ex codice m. s. Vaticano, qui fuit Sacri Monisterii Casinensis, vel ex Sanctuario Montbritii, vel etiam collectione Canonum Anselmi Lucensis, quæ manuscripta extant in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini. Quæ minio notata à principio usque ad eandem paginam 53. sunt variantes lectiones optimi Codicis manuscripti Florentini ex Bibliotheca Conventus S. Marci. Indè pagina 54. incipiunt collationes m.s. Farnesiani scripti literis majusculis, quo nihil antiquius extare puto in hoc genere, & codex haud dubiè ante natum Anastasium scriptus fuit, vel saltèm eo tempore, quo ipse Anastasius vixit. Et quia collationes Farnesiani codicis minio scriptæ sunt usque ad paginam 63. hoc est usque ad Bonifacium IV. idcirco ad distinguendum codicum diversorum lectiones à pag. 54. usque ad 63. collationes Codicis Florentini atramento notavi. Indè à pag. 63. usque ad 72. ad Vitam S. Eugenii, Farnesianæ collationes atramento, Florentinæ minio notatæ sunt. Iterum à pag. 72. usque ad paginam 107. ubi incipit Vita Zachariæ PP. Farnesiana minio, Florentiniana atramento collata sunt. Pag. 107. Vita Zachariæ in Farnesiano desideratur. Collationes ex Florentino Codice minio notatæ sunt usque ad paginam 115. ubi Farnesianus iterum incipit. Ubi iterum Florentinæ lectiones atramento notantur usque ad paginam 136. indè rubro usque ad mediam paginam 138. Indè enim iterum atramento notantur usque ad principium paginæ 143. nam indè usque ad paginam 158. Florentini Codicis lectiones signantur rubro, atque ibi in vita Hadriani desinit. Habui deinde alium Codicem manuscriptum Longobardicum antiquissimum, ex eadem Bibliotheca Conventus S. Marci, multo vetustiorem priore: ejus lectiones atramento notavi; ubi cum Farnesiano, & Florentino I. convenit, lectiones dictorum codicum linea nigra subduxi, qua hujus optimi Codicis consensus notatur: sed ubi peculiare quid habet, atramento signavi, apposita nota Fl. 2. hoc est Florentinus Codex 2. Desinit autem codex iste in Leone II. pag. 80. præterea mutilus est à pag. 47. usque ad pag. 58. cum hoc codice Florentino 2. in omnibus ferme consentit cod. Vatic. 5269. qui desinit in Gregorio II. Hujus codicis notæ sunt Vatic. Minor. vel V. M.*

3 Hæc itaque cùm ego sentiam de Holstenii, & Schelestratii, laboribus planè admirandis, limatoque judicio circa Librum Pontificalem ab eis prolato; actum agere fortasse arguar novam Præfationem attexens:. & videbor Lectorem non relevare meditatis præstantium virorum, sed inutilibus meis onerare; si differam in Tomum Notarum referre Dissertationem integram Schelestratii, & hanc obtrudam, utinam non improbandam.

Abstinuissem utique à pertractatione argumenti, adeò feliciter tentati, & promoti per tantos viros; si ad nos integra pervenissent Holstenii meditata, nec præmatura ejus morte surrepta fuissent complura, quæ is addere proposuerat, utì Schelestratius observat; aut si hujus Scriptoris secundi Dissertatio tota de Anastasio foret, quæ præcipuè conscripta est *De Antiquis Romanorum Pontificum Catalogis*, & capita nonnulla continet, edita ad eos *Catalogos* illustrandos, qui opus Anastasianæ collectionis pluribus sæculis præcesserunt.

4 Cùm igitur viderem, excerpi posse ab illa

illa Differtatione ea quæ Librum Pontificalem pressiùs attingunt, & præstantibus, quæ supersunt, observatis Holstenii addi non pauca posse, quæ rectè per eum constituta confirment magis, & vitarum hujusmodi historiam, criticen, ac documenta propemodum præsentia reddant, ac demonstrata; non inutiliter me adlaboraturum speravi, si contraherem potiora ab iisdem Scriptoribus fusiùs pertractata, & probata: eaque nectendo invicem, & inosculando cum recentibus observatis, definitum undequaque judicium referre satagerem de origine, incrementis, usu, documentis, & præstantia hujus *Libri Pontificalis*.

5 *Librum Pontificalem* hunc appellatum fuisse ante Velseri editionem, qui complectitur Vitas Pontificum Romanorum à S. Petro ad Nicolaum Primum, omnes consentiunt (1). Anastasio Monacho S. R. E. Bibliothecario primus Velserus attribuit, Bellarmino, & Panvinio consentientibus citra ullam afferti rationem. Baronius (2) intercessit præjudicatæ opinioni Velseri: & collectorem potiùs, quàm Scriptorem earundem Vitarum ante Hadrianum II. affirmavit habendum esse Anastasium: cui sententiæ Holstenius subscribit, & cum eo Schelestratius, triplicem causam proferens ita sentiendi.

6 Prima posita est in testimonio Scriptorum, vita functorum ante Anastasium, qui disertè proferunt *Librum Gestorum Pontificalium*: Quos inter Beda, sæculo integro præcedens ætatem Anastasii. Alii verò Scriptores postea insequuti hunc Librum *Pontificalem vocant*, *& Gesta Romanorum Pontificum*; nunquam verò appellant *Librum Anastasii*. Altera ratio ducitur ex ætate codicum, observata à Labbeo, & Lambecio, judicibus optimis scripturæ librorum. Labbeus libro de Scriptoribus in *Damaso* affirmat, Anastasium non posse esse Auctorem prioris partis; *cùm* (inquit) *viderim manuscriptum codicem optimæ notæ, tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitæ illæ Damaso jam tribuebantur antequam aut natus esset Anastasius, aut saltèm ex prioris infantiæ crepundiis emersisset*. Lambecius indicat alium præclarum codicem, ad Ludovici Pii tempora pertinentem, qui Vitas Pontificum Romanorum claudit in Stephano II., aliis III. dicto. Hujus autem electio cadit in annum 752., obitus in 757. Schelestratius producit tres alios Codices, Vaticanum 5269. desinentem cum Vita S. Gregorii II. qui obiit annis centum ante Anastasium; Regium Christinæ, & Florentinum S. Marci, quorum uterque desinit in Hadriano I., nondum nato Anastasio: *Ex quibus, inquit, satis superque constat, Librum Pontificalem Anastasio antiquiorem esse: adeòque illum istius Libri auctorem esse non posse*. Tertiam rationem colligunt Holstenius, & Schelestratius ex diversitate styli, quæ observatur in Vitis Successorum S. Gregorii Tertii, scilicet Zachariæ, & subsequentium; *cùm præcedentes Vitæ usque ad Gregorium Tertium eumdem stylum, & auctorem præseferant*. Differentias singulorum enumerant cap. 7. num. 7. & cap. 8. num. 5. & seqq.

His autem diligenter expensis, de Libri ætate, atque Auctore, ita definiunt. (3) „ Videtur itaque Liber Pontificalis conscriptus „ fuisse post mortem Constantini Papæ, qui „ anno 714. obiit, idque firmatur auctoritate „ manuscripti codicis Vaticani 5269. qui licèt „ ante 500. circiter annos exaratus sit, ex antiquiore tamen descriptus fuit, utpote finiens „ Catalogum Pontificum, quem Libro Pontificali præposuit, in Gregorio II. Constantini „ successore. Liber verò Pontificalis, qui Catalogum in codice subsequitur, finit his verbis: *Gregorius natione Romanus, ex patre Marcello sedit annos xvi. menses ix., dies xi. Fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis, atque Constantini Augustorum*: Ubi „ tantùm refert tempus Pontificatus sine ullis „ actis. Ex quo colligitur, auctorem inchoasse quidem vitam Gregorii, sed non absolvisse, dum Liber Pontificalis prodiit. Putarem „ igitur, post obitum Constantini prodiisse Librum Pontificalem: quod omnino convenit „ iis, quæ supra notavimus de Venerabili Beda, à quo omnium primo Liber Pontificalis „ citatus reperitur. Vixit enim Beda ab anno „ 673. usque ad annum 735. cumque post Gregorii Secundi Pontificatum, qui anno 714. „ cœpit, & anno 731. desiit, Venerabilis Beda superstes fuerit, Librum Pontificalem videre, & citare potuit. Ut igitur mentem „ meam aperiam de Libri Pontificalis tempore, „ quo primùm in lucem prodiit, paucis absolvam. Crediderim ante annum 732. publici „ juris factum; & huic collectioni appendicem postea ab eodem auctore adjunctam, „ quæ vitas Gregorii II., & Gregorii III. complectebatur. Quod firmatur ex iis, quæ observavit Lucas Holstenius. Cùm enim omnes „ Pontificum Vitas sedulò pervolvisset, annotavit, gesta Pontificum à Petro Apostolo usque ad Zachariam Gregorii III. successorem „ eodem omnino stylo, adeòque ab eodem Auctore conscripta fuisse.

7 Eandem ætatem colligit Schelestratius (4) ex ipsius libri verbis in vita Leonis Secundi. *Hic suscepit Sanctam Sextam Synodum, quæ per Dei providentiam* NUPER *in Regia Urbe celebrata est*. „ Cùm enim, inquit, auctor testetur, „ *Nuper* in Urbe Constantinopolitana celebratam fuisse sextam Synodum; celebrata autem sit sexta Synodus sub Agathone Leonis „ Secundi prædecessore anno 681., auctor hæc „ scribere debuit non procul à fine septimi „ sæculi &c. Addit indicium par ex vita Cononis, de cujus assumptione ad Pontificatum, quæ contigit anno 686., ita scribit: *Et missos pariter unà cum Clericis, & Populo ad Excellentissimum Theodorum Exarchum*, UT MOS EST, *direxerunt*. „ Notanda sunt, ait, hæc verba *ut* „ *mos est*. Non enim dixit Auctor *ut moris fuit*, „ vel *ut fieri solebat*, sed *ut mos est*: Significans „ illis verbis, hanc vitam conscriptam fuisse „ quo tempore ad Exarchos de electione novi „ Pontificis referebatur: adeòque tunc, cùm „ Exarchi Ravennæ erant. Fuerunt autem ducentis fermè annis. Longinus enim primus „ à Justino Juniore institutus est Exarchus anno 567. postremus Eutychius ab Aistulpho „ Longobardorum Rege pulsus anno 752. Unde ex prædicto loco patet, auctorem vitæ „ Cononis scribere debuisse ante medium octavi sæculi, quo Exarchi, seu Præfecti Imperatoris Constantinopolitani in Italia esse desierunt: scribere autem potuisse circa octavi „ sæculi initium, quo Ravennæ nondum sedere desierant Exarchi, ad quos de electione „ novi Pontificis referri solebat, ut ex Libro „ Diurno constat.

Satis igitur evidenter patet, tum ex ipsomet Libri

(1) Schel. diss. 3. cap. 7. num. 1.
(2) C. Baronius ad ann. 867. num. 130.
(3) Schel. cap. 8. num. 2.
(4) ibi num. 1.

Digitized by Google

Libri Pontificalis Auctore, tum ex æqualibus, & proximè subsequentis ævi Scriptoribus, Vitas Pontificum, quæ à Sancto Gregorio pertingunt ad Constantinum Papam, conscriptas, & vulgatas esse à Viro in Urbe versante sub S. Gregorio II., & administrante Archivum Apostolicum, aut Bibliothecæ curam gerente: à quo Vitæ SS. Gregorii II. & III. post eorundem obitum adjectæ fuerunt.

8 Vitas autem Pontificum Romanorum à S. Petro ad SS. Gregorium II. & III. (quæ sunt pars potior, & prima istius collectionis) auxerunt appendices duæ, subinde additæ, quæ appellari etiam possunt pars altera, & tertia collectionis ejusdem. Illam, nempe secundam partem, tribuit Schelestratius anonymo alicui ex Clero Romano, cui Archivum patebat. Ea complectitur vitas Zachariæ, & Stephani III. Tertiam seu postremam partem, sive appendicem assignat compluribus, plerumque viventibus ætate illorum Pontificum, quorum scripserunt vitas: ita ut hæc tertia pars possit etiam jure subdividi in plures, si essent partes pro Scriptorum numero dividendæ. Anastasio autem Monacho, & Bibliothecario Sedis Apostolicæ (ut Panvinio dicitur) vitam Nicolai Primi esse assignandam non diffitetur; cui Guillelmus Bibliothecarius duas postremas adjecit, in Codice Fabrottiano expressas; cùm Velserianus codex desiisset in vita Nicolai per Anastasium contexta; unde illi placuit nomen Anastasii tribuere universæ collectioni, quod erat ejus coronidi tantummodo accommodandum.

9 Post assignatas Auctoribus octavi, & noni sæculi partes singulas Operis, quod recudimus, quæret aliquis non immeritò, cur Damasi liber à pluribus dicatur, & habeatur is, qui Vitas Pontificum illius decessorum complectitur, licèt stylus prodat Auctorem, sub Gregorio II. tum has, tum reliquas prioris, quam diximus, partis vitas conscribentem? Aperuit causam erroris sæpe laudatus Schelestratius, ostendens, ea quæ leguntur in Vitis Pontificum indicatis, & quæ priorem partem constituunt istius collectionis, descripta fuisse ineunte octavo sæculo totidem fermè verbis ex duplici Catalogo longè antiquiori Antistitum Romanæ Sedis, adhuc superstite in membranis. Prior autem ex his duobus Catalogis, indicans ætatem Liberii Papæ, qui Damasum habuit successorem proximum, occasionem referendi ad eundem Damasum Papam, tanquam ad Auctorem contextus aut approbationis illius Catalogi, obtulit nescio cui sequioris ætatis homini malè feriato: qui suo marte procudit duas Epistolas commentitias, Sancti Hieronymi ad Damasum, poscentis eundem Catalogum sibi communicari, & Damasi ad Hieronymum transmittentis Catalogum, quem popo[s]cerat. Fraus impostoris non difficulter obrepsit sæculis imperitis, quando post incursum Longobardorum concederant literæ: eaque de causa contigit, ut Carolina ætate in codice membranaceo ad Colbertinam Bibliothecam modo pertinente, & in altero paris antiquitatis ex Reginæ Svecicæ Libris, ab Alexandro VIII. comparatis, & dono datis Bibliothecæ Vaticanæ, in qua nunc asservatur, utraque Epistola, licèt fictitia, vitis præponeretur. Quod autem mirandum magis est, etiam hoc nostro sæculo, aut certè proximè superiori, quo studia historiæ, & critices, situ, & squallore deterso, non modò refloruerunt, sed etiam ad maturitatem perducta fuere, inventi sunt qui adeò oscitanter legerent tum eas Epistolas, tum etiam septimam cum responsione, à Martio Milesio editas inter opera Sancti Damasi, ut non attenderent contextum, chronologiam, & sententias Damasi, & Hieronymi scriptis esse planè contrarias. Quare Labbeus Tomo 2. Conciliorum easdem ita sigillat: *Supposititi[æ], apocryphæ, & ineptissimæ viris doctis habentur: tantumque à stylo Damasi, & Hieronymi distant, quantum cœlum à terra, & polus Antarcticus ab Arctico*. Subdit Schelestratius hac dissertatione num 4. cap. 3. *Neque ulteriori probatione hæc indigent; cùm vel literas inspicienti eadem planè occurrant, prout ex epistolis per Martium Milesium publicatis adeò clarè ostenderam in prima Antiquitatis Ecclesiasticæ editione, ut V. C. Papebrochius in Propylæo ad quartum Tomum Maji pag. 3. sententiam Henschenii prædecessoris sui retractandam duxerit, adjungens, se rationibus meis convictum malle Epistolas illas ex Tomo primo Aprilis expunctas*.

Supposititiæ igitur literæ Damasi Papæ ad Hieronymum, & Hieronymi ad Damasum, quæ ab inepto viro sequioris ætatis confictæ, & præpositæ fuerant Catalogis vetustioribus, uni scilicet collecto sub Liberio, & alteri post hunc proximo inter antiquos ad medium sæculi sexti referendo, illæ inquam Epistolæ per fraudem appositæ Catalogis quando describebantur ætate Caroli Magni, & præ oscitantia posterorum minùs attentè observatæ, in causa fuerunt, ut Martinus Polonus, aliique pauci crediderint, Damasum Papam auctorem esse nominandum sive Catalogi sive libri in quo gesta Pontificum continentur. Re autem vera neque Liber iste Pontificalis à B. Damaso scriptus est; cùm totis trecentis, & quadraginta circiter annis post Damasum Papam sub Gregorio II. primum contextus fuerit ex genuinis documentis publicæ auctoritatis, quæ servabantur in Bibliotheca Pontificia, aut in Archivis etiam præcipuarum Urbis Ecclesiarum; neque alteruter ex Catalogis Damaso est adscribendus; cùm vetustior ille prodierit sub Liberio Damasi decessore in quo definit, quare nec annos enumerat ejus Pontificatus nondum absoluti; alter verò Catalogus ad sæculum sextum pertineat, utpote pertingens ab Felicem IV. sub Justiniano.

10. Cùm itaque neque Damasus vetustiorum Vitarum hujusce collectionis Auctor habendus sit; neque Anastasius illarum, aut recentiorum: (quippe qui unicam Nicolai Papæ I. addiderit præcedentibus contextis sub Gregorio II.); sed Anonymos habeant Scriptores quotquot à Gregorio III. supersunt usque ad Nicolaum I.; dubitari fortasse continget de auctoritate, ac fide gestorum; quæ describuntur: aut si æquabiliùs agere Lector malit, saltèm requiret causam, cur fidenter asseramus, quæcumque in hoc Libro narrantur fuisse collecta ex genuinis documentis publicæ auctoritatis, quæ in Bibliotheca Pontificia, & Archivis, aut monumentis præcipuarum Ecclesiarum Urbis patebant Anonymis Scriptoribus, indè colligentibus vitas, & gesta Pontificum Romanorum.

Præfationis nostræ præcipuum caput hoc esse libenter agnosco: neque provinciam detrecto, aut difficultatem dissimulo; sed planè ostendendum assumo, Anonymos istos Auctores Vitarum ex genuinis documentis publicæ auctoritatis ea desumpsisse, quæ in hunc codicem retulerunt. De singulis distinctè ut id probem, præfationis modus minimè patitur; cùm potiùs hoc pertineat ad Notas, exponendas Tomo secun-

secundo; sed universim ut ostendam, ac veluti fontes indicem, unde Scriptores illi suas areolas irrigarunt, ita perspicuè præstari posse autumo, quàm quod maximè.

11. Certum in primis est, duos illos Catalogos, sive Indiculos Pontificum Romanorum, editos quarto sæculo sub Liberio I., & sexto sæculo sub Felice IV., esse texturam præcipuam earundem Vitarum in Libro Pontificali, quæ hanc ætatem metiuntur. Tantâ id evidentiâ constat; ut oculis judicandum subjecerit admodum providenter cum Holstenio sæpe laudato proximam ab eo laudem promeritus Schelestratius. Plures in columnas divisit spatia paginarum. Tres autem adhibuit ad exhibendam in singulis Pontificibus historiam Vitæ, juxta triplicem contextum primi, & secundi Catalogi, & Libri Pontificalis, ut in hoc specimine percipere unusquisque poterit, & comparare.

Verba primi Catalogi.	*Verba secundi Catalogi.*	*Verba Libri Pontificalis.*
Clemens annis ix. mensibus xi. diebus xii. Fuit temporibus Galbæ, & Vespasiani à Consulatu Trachali, & Italici usque Vespasiano VII. & Tito.	*Clemens* natione Romanus de Regione Cœlio Monte ex patre Faustino, sedit *annos ix. menses ii. dies x. Fuit* autem *temporibus Galbæ, & Vespasiani à Consulatu Trachali, & Italici usque Vespasiano IX. & Tito.* Martyrio coronatur. Hic fecit septem Regiones, & divisit Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicitè, & curiosè unusquisque per Regionem suam diligenter perquireret, & fecit duas Epistolas. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros x., Diaconos ii., Episcopos per diversa loca v. per mensem Decembris. Obiit Martyr tertio Trajani: qui sepultus est in Græcia ix. Kalend. Decemb. & cessavit Episcopatus dies xxi.	*Clemens natione Romanus de Regione Cœlio Monte ex patre Faustino, sedit annos ix. menses ii. dies x.* Vixit *autem temporibus Galbæ, & Vespasiani à Consulatu Trajani* (codex Vatic. Florent., & duo Cassin. *Tragali*) *& Italici usque Vespasianum IX. & Titum.* Hic dum multos libros zelo Fidei Christianæ Religionis adscriberet, *martyrio coronatur. Hic fecit septem Regiones* dividi (Cassinens. *& divisit*) *Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicitè, & curiosè unusquisque per Regionem suam diligenter perquireret.* Hic fecit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur. Hic ex præcepto B. Petri suscepit Ecclesiam (Florentin. Ecclesiæ Pontificatum) & Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à Domino JESU Christo cathedra tradita, vel commissa; tamen in Epistola, quæ ad Jacobum scripta est, qualiter ei à B. Petro commissa est Ecclesia reperies. Ideo Linus, & Cletus ante eum scribuntur, eo quòd ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium Episcopale exhibendum sunt Episcopi ordinati. *Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem. Presbyteros x. Diaconos ii. Episcopos per diversa loca xv. Obiit Martyr anno Trajani III. qui etiam sepultus est in Græcia viii. Kal. Decembris: & cessavit Episcopatus dies xxii.*

12. In prima columna exprimuntur verba prioris Catalogi sub Liberio editi, per characteres *rotundos*, ut vocant: In secunda verò eadem verba Catalogi vetustioris, quæ in alterum Catalogum relata sunt quando edebatur sub Felice IV., redduntur characteribus obliquis, quos *Italicos* appellant, ut ictu oculi percipiatur quidquid retinuit Scriptor sub Justiniano ex Indiculo sub Liberio, & quidquid addidit ex aliis documentis in priori Catalogo non expressum. Tertia verò columna, quæ destinatur excipiendo contextui Libri Pontificalis, eadem methodo refert characteribus *Italicis*, sive *obliquis* quæcumque descripta sunt totidem verbis ex Catalogo condito sub Justiniano; *rotundis* verò literis alia, quæ Scriptor Vitæ adjecit non expressa in Catalogis prædictis, sed aliunde percepta. Observare tamen licet hoc in specimine vitæ S. Clementis, additiones à Scriptore Libri Pontificalis appositas contextui verborum secundi Catalogi esse vix aliud, quàm notas, aut explicationes earundem rerum, quæ in Catalogo contractæ, & quodammodo involutæ continebantur. Duas additiones hoc in exemplo exhibet Liber Pontificalis, primam in martyrio Clementis, alteram in successionis ordine, & auctoritate, qua post B. Petrum Ecclesiæ præfuit. Martyrium expresserat Catalogus illis verbis: *Obiit Martyr tertio Trajani*: *Obiit Martyr anno Trajani tertio*. Sed istius Libri Auctor putavit recensendam esse occasionem martyrii Clementis: nempe cùm libros complures conscriberet beatus Pontifex zelo Christianæ Religionis, & acta Martyrum diligenter colligi

Digitized by Google

colligi curaret per Notarios fideles, septem Regionibus singillatim attributos; martyrio fuisse coronatum. Utraque scripta Clementis, & Notariorum etiam in Catalogo memorantur. Auctor Vitæ videtur in additione innuere, Clementis martyrium consequutum ex occasione Religionis nostræ per hujusmodi scripta propugnandæ, ac propagandæ. Constat enim sub Domitiano ex Svetonio in ejus vita cap. 12. Judaicum Fiscum acerbissimè actum, *ad quem deferebantur, qui velut professi Judaicam intrà Urbem viverent vitam* (quo censu Judaicæ vitæ Christianos passim confundi consuevissent per illam ætatem nemo dubitat;) unde etiam Clementi nostræ Religionis professio in scriptis edita negotium facessere per delatores facilius potuit. Quin etiam sub mitioris ingenii Principibus Antonino Pio, & M. Aurelio, cùm postea compertum sit scripta in defensionem Christiani dogmatis capitale judicium intulisse Justino, Quadrato, Tthenagoræ, Apollonio, pœnam supremam decernente Senatu, vel Magistratibus, adnitentibus plerumque Sacerdotibus Ethnicorum, ut in nos Christianos, tanquam impios violatores superstitionis suæ, etiam Augusti mitiores, utpote ceremoniarum suarum vindices, & maximè Gentilium sacrorum arbitri easdem pœnas decernerent, & ignorarent; mirum non est, sub Trajano primum, vel præcipuum post Apostolos, & Evangelistas Auctorem tot voluminum Christiana sacra tuentium occasionem martyrii subeundi ex iis operibus percepisse: quod videtur indicare in hac prima additione ad Catalogum secundum Liber Pontificalis.

Altera additio respicit ordinem successionis, qua B. Petro subrogatus est Clemens omnimoda cum potestate totius Ecclesiæ Christianæ gubernandæ. Hæc autem Periocha non admodum differt ab adnotatione, & quasi interpretatione textus Catalogi. Siquidem in priori Catalogo Clemens præponitur Cleto; cùm in secundo Catalogo, & in Libro Pontificali Clemens postponatur. Causam diversitatis Scriptor adjecit. Quantæ autem auctoritatis habenda sit hæc additio, colligi potest ex verbis S. Leonis Papæ Secundi, à Vendelino relatis apud Labbeum Conciliorum Generalium tomo 1. pag. 190. Postquam enim retulerat ex Anonymo Scriptore Græco, Beatum Petrum Romà abscedentem ordinasse Linum, veluti coadjutorem in iis exercendis, quæ sunt muneris Episcopalis, reversum in Urbem duodecimo Neronis anno invenisse Linum martyrio è vita sublatum: quare in ejusdem locum subrogasse Clementem, qui paulò post Petro in Crucem acto successit; addit testimonium Leonis Secundi, idem indicantis de Cleto. Verba Vendelini hæc sunt: „ Ecce, ut vivente adhuc Petro Linus sederit „ Episcopus: quem propterea Chorepiscopum „ Marianus, aliique scripserunt: inter quos „ Leo II. successor Agathonis: *Petrus*, inquit, „ *adjutores sibi adscivit Linum, & Cletum*, „ *non tamen Pontificiam potestatem eis tradidit*, „ *sed Clementi*. Tam certum semper fuit, unà „ cum Petro Linum præfuisse fidelibus Roma„ nis, & ab eodem Petro traditum Pontifica„ tum Clementi. Sic ergo liquidior incipit „ fluere hæc Chronologia in hunc modum.

Hic non assumo dirimendam quæstionem de Lini, & Cleti Pontificatu maximo, quæ reservanda potiùs est Tomo secundo, ut inferi possit inter Notas ad Librum Pontificalem. Id unum ostendere cupio, quod proponebam, nempe contextum *Libri Pontificalis* à S. Petro usque ad Felicem IV. desumi plerumque ex Catalogo Summorum Pontificum per eam ætatem condito: & additiones, quæ ab Auctore Libri Pontificalis adjectæ sunt, desumptas fuisse ex documentis auctoritatis non dissimilis ab enunciatis in primo, & secundo Catalogo.

13 Verùm ordo ratiocinii postulat, ut ipsa de auctoritate rerum in utroque Catalogo enunciatarum paulò diligentiùs inquiramus. Cùm enim hujusce Libri textura præcipua fuerit ex Catalogis desumpta; ignoraremus profectò, quantùm tribui possit Vitarum Collectoribus, nisi ante exploratam haberemus fidem utriusque Catalogi, totiusque Operis fundamentum. Age igitur primùm de exemplarium fide, ac vetustate videamus, unde Catalogi descripti sunt; mox de documentis genuinis, unde Scriptores Catalogorum potuerint illa desumere, quæ ad nos transmiserunt.

14 Catalogum priorem sub Liberio conditum circa annum 354. edidit primus Pater Ægidius Bucherius (1) in præclaro suo Commentario ad Canonem Paschalem Victorii Aquitani, unà cum quatuor aliis Opusculis ad eandem ætatem referendis; uti constat ex enumeratione Consulum Romanorum, expressa in primo Opusculo de Præfectis Urbi, & in secundo, complexo Fragmentum veterum Fastorum, cum Feriis, Epactis, & Cyclo Latinorum per annos 84. diffuso: de quo etiam librum celebrem ætate nostra conscripsit Henricus Cardinalis Norisius. Quinque hæc Opuscula, inter quæ principem locum obtinet Catalogus de quo agimus, continebantur in antiquis membranis, à Joanne Brennero Regio Secretario. & Actuario in Senatu Luxemburgensi dono datis Ansovillio, Regi Catholico à privatis Bruxellæ Consiliis: & ex iis Cuspinianus transcripserat nomina complurium Consulum, ut persæpe testatur in suo Libro Fastorum: ita etiam observante Bucherio. *Iis* (membranis) *plusculа ignoti quidem, sed antiquissimi, & qui sub Constantino Constantini Magni filio vixisse videtur, Scriptoris continebantur opuscula: quæ Cuspinianus in manus habuisse se pluribus Fastorum suorum locis significat.* His addit Cardinalis Norisius (2) eruditorum nomine commune votum, ut easdem potiùs membranas, quam illarum fragmenta Cuspinianus vulgasset. *Laterculos*, inquit, *Consulares ex laudato Anonymi codice excerptos suo volumini passim inseruit, quos sanè viri eruditi integros ab eodem editos maluissent*. Exemplum duplex hodie superest indicati Catalogi, descriptum à vetustiore aliquo Autographo, cujus apographum membranæ ipsæ censendæ sunt, Cuspiniano olim tractatæ, hodie deperditæ. Unum exemplum servat Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis inter MS. historicos consignatum num. 56. teste Lambecio lib. 4. Commentariorum, & Schelestratio dissert. 3. cap. 2. num. 1. Antiquitatis Ecclesiæ. Alterum visitur in Bibliotheca Antuerpiensi RR. PP. Societ. Jesu: quo usus est in sua editione Bucherius, conquestus membranas Brenneri ætate sua non esse superstites.

Schelestratius (3) curavit lectionem exempli Cæsarei Vindobonensis conferri cum Bucheriana, sive Antuerpiensi per R. P. Janningum; tum, ut lacunas hujus impleret ex Vindobonensi; tum etiam, ut variantes utriusque exempli

(1) *Bucherius c. xiv. pag. 244.*
(2) *Noris dissert. ad Fast. Consular. par. 1.*
(3) *Schel. Antiq. Eccl. diss. 3. cap. 2. n. 1.*

pli lectiones daret: quemadmodum Bucherius in margine adnotavit ea, quæ variant in suo codice à lectione Cuspiniani. Horum igitur illustrium virorum collatis laboribus deprehendimus, Catalogum quidem fuisse contextum sub Liberio Papa, sed ejusdem autographum non superesse. Ex pluribus tamen exemplis indè transcriptis unum membranaceum Cuspiniano spectatum hodie desiderari; duo chartacea superesse minoris antiquitatis: & in eis deprehendi aliquot errata Amanuensium, quæ Schelestratius curavit detergere per collationem utriusque codicis cum Cuspiniano: adeout in Schelestratii editione satis emendatum opusculum habeamus.

15 Alter Catalogus ad ætatem Justiniani refertur; cùm desinat in Felice IV. circa annum Christi 530. Editus primùm fuit ex codice membranaceo quadratæ formæ, scripto circa ætatem Caroli Magni: (1) quem Parisiis emptum à Regina Christina, & Romam translatum, post ejus verò mortem ab hæredibus coëmptum Alexander Papa VIII. Bibliothecæ Vaticanæ donavit cum cæteris codicibus MS. Ex eo codice Reginæ Christinæ vulgarunt primi RR. PP. Henschenius, & Papæbrochius in Prolegomenis ad tomum primum Aprilis. Verùm non satis accuratè descriptum deprehendit Ill. Præsul Schelestratius, cùm ab inclyta Regina Romæ commorante facultatem obtinuisset ejus videndi, ac penes se habendi per menses complures. Quin etiam cùm percepisset, aliud exemplum ejusdem Catalogi reperiri in vetusto codice Bibliothecæ Colbertinæ (num. 1868.) ejusdem antiquitatis, nempe ætatis Caroli Magni, impetravit à clarissimo Stephano Baluzio, ut inde fideliter transcriberetur. Plurimùm verò gavisus est, cùm utramque lectionem, codicis Reginæ Christinæ, seu Vaticani, & Colbertini planè consentire expertus est: leviori tantùm discrimine aliquando intercedente unius elementi in literis, vel unitatis in numeris: & per utrumque codicem vidit dari ordinatam seriem priorum Pontificum Romanorum, eamque respondentem Canoni: quam lectionem editio Henscheniana turbaverat. De codicum scriptura, atque ætate suppari Carolo Magno dubitare non sinit figura characterum, & libri, necnon adjectio sequentium Pontificum, in Colbertino quidem ad Adrianum Primum, & Leonem Quartum; in Vaticano verò, seu Christiniano, & Alexandrino ad Paschalem I.: ubi etiam legitur testimonium ætatis in periocha his concepta verbis: *A Passione Domini nostri JESU Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini Papæ sunt anni 276. menses 8. De Apostolatu jam facto Christi Martyris Marcellini usque ad tempus Domini Caroli Regis 25. annis Regni ejus, hoc est usque ad viii. Kal. Aprilis sunt anni 490. & menses 13.* Hæc de Catalogorum antiquitate, ac de vetustate, atque auctoritate codicum unde petita editio illorum fuit, delibasse sufficiat. Qui plura cupit, adeat laudatam Schelestratii dissertationem.

16 Gradus inde faciendus est ad inquirendum de auctoritate rerum, in utroque Catalogo enunciatarum. Summatim agendum est, quibus subnixus documentis Auctor quarti sæculi sub Liberio rescire posset, ac nobis tradere quæcumque scripta retulit in primum Catalogum: parique lege quærendum est de alterius Catalogi Auctore sub Justiniano, quibusnam de fontibus hauserit; tum ea, quæ adjecit supra Catalogum primum Pontificibus in eo memoratis usque ad Liberium; tum ea, quæ in cæteris post Liberium perduxit ad Felicem IV.

Ut justæ disquisitioni faciam satis, attendi velim, in priori Catalogo à S. Petro ad Liberium hæc recenseri in singulis Pontificibus: Nomen, annos, menses, ac dies eorundem regiminis; Consulum paria, quibus initium, ac finem Pontificatus consignat; & alicubi decreta nonnulla, ut in Fabiano; aliquot verò ædificia in Julio, quem Liberius excipit illius Catalogi postremus. In secundo autem Catalogo additur nomen Patris, & locus in urbe, aut in Provincia, ubi natus est is, qui Pontifex postea evasit. Adjecta sunt decreta, & institutiones rituum sacrorum, præsertim in sacrificio Missæ peragendo, aut circa publicam Ecclesiæ disciplinam inductæ. Adjectæ etiam ordinationes in duplici ordine hierarchico hujus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, Presbyterorum scilicet, ac Diaconorum, necnon Episcoporum extra Urbem, ab illis Pontificibus celebratæ. Per illas verò ætates, unde incipiunt, & in quas desinunt Catalogi prædicti, usu receptum erat hæc omnia memoriæ mandare, præsertim in describendis Indicibus Sacerdotum. Videndum est accuratè per singula.

17 Nomen Pontificis conjungere cum Parentis indicatione solemne fuit tum apud Christianos, tum apud Hebræos, immo & apud Romanos Ethnicos, constante vita B. Petri. Nullum documentum illustrius afferri potest, quàm quod sacrosanctis in Evangeliis veritas consignavit. JESUS Christus æternus Pontifex à Simone cùm diceretur, indicatione veri Patris, *Filius Dei vivi*, eundem Simonem designatum Vicarium suum nominat *Simonem Bar-Jona*, *Simonem filium Joannis*, deinde *Cephas*, *Petrum*. (2) Præcursor Christi Joannes de genere Sacerdotali dicitur *Joannes Zachariæ filius*. Joannes Evangelista, & Jacobus ejusdem frater vocati ad Apostolatum dicuntur *filii Zebedei*. Satis elucet his in exemplis consuetudo ætatis, ac regionis: quam ab Hebræis passim retentam ea tempestate addiscimus ab eorundem Sacerdote, atque Historico Josepho, proprium nomen ita consignante in prologo ad librum de bello Judaico: *Ego Josephus Matathiæ filius Hebræus, Sacerdos ex Hierosolymis*. Quid huic consuetudini similius, quàm ea, quæ servatur in secundo Catalogo? *Anicetus, natione Syrus, ex patre Joanne, de vico Amisa &c. Pius natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileja &c. Soter natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis &c. Eleuther natione Græcus, ex patre Abundantio, de oppido Nicopoli &c.* Apud Romanos verò, præsertim in Catalogis contexendis id passim servatum fuisse docent inscriptiones. Cùm enim in pluribus vitæ civilis usibus habenda esset ratio ætatis, familiæque plebejæ, aut patriciæ; ea necessitas memorandi parentes, patriam, ætatem induxit apud Romanos consuetudinem, ut illa plerumque consignarentur non modò in libris censoriis (unde pars maxima eorundem historiæ fluxit, teste M. Tullio) verùm etiam in tabulis marmoreis, auctoritate publica positis, aut privata. Quod autem attendi meretur præcipuè in secundo Catalogo, idest; in Pontificibus Romanis in Urbe natis, non memorari *tribum*,

(1) *Schel. ead. diss. 3. cap. 4.*

(2) *Matthæi xvi.*

bam, cui erant adscripti ut Cives, sed *regionem*. Id verò indicat, ut ego arbitror, hasce notiones, quæ in Catalogis reperiuntur, fuisse collectas ex tabulis, & regestis conscriptis per vii. Notarios Ecclesiæ Romanæ, à Clemente I. Petri discipulo, & successore assignatos totidem regionibus Ecclesiasticis Urbis, in quas contraxit xiv. ab Augusto constitutas, ad Martyrum gesta colligenda. Martyrum autem in numero sunt omnes Romani Pontifices usque ad Sylvestrum. *Hic fecit septem Regiones* (sunt verba Catalogi secundi in Clemente) *& divisit Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicitè, & curiosè UNUSQUISQUE PER REGIONEM SUAM diligenter perquireret*. Mos iste ad octavum sæculum perductus est; cùm infra Hadrianus I. (num. 291.) à Paulo I. fuerit constitutus *Notarius Regionarius*.

Legimus itaque in secundo Catalogo: *Cletus natione Romanus de Regione Cœlio Monte, ex patre Faustino &c.* Regionis Urbanæ indicatio omittitur in Zephyrino proximo decessore Callisti: quod scilicet Acta, quæ satis integra sub Antoninis servata fuerant, cùm illi Principes Ecclesiam mitiùs haberent, adeò turbata sunt in persecutionibus Severi, & Decii; ut providentia Fabiani sub Decio passi fuerit iteratò occurrendum, nè omnino interirent, & consulendum reparationi Actorum veterum, ac futurorum securitati per novam divisionem Regionum vii. in Urbe, totidem Diaconis assignatis, parique fermè numero Subdiaconorum, qui Notarios sollicitarent ad colligenda Martyrum gesta: quemadmodum uterque Catalogus testatur in Fabiano num. 21. *Hic regiones divisit Diaconibus*. Ita refert Catalogus primus. Addit secundus Catalogus: *& fecit sex Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum fideliter colligerent*. Verùm hæc ipsa gesta recentiora collecta post Fabianum, incendio plerumque sublata per immanem persecutionem Diocletiani, præclari operis reliquias admodum paucas nobis transmiserunt: quemadmodum Schelestratius adnotat ad hunc locum: *De paucis admodum Martyribus*, ait, *mentio fit in antiquiore Catalogo; & eorum Acta non describit, sed tantùm martyrii genus verbo indicat. Unde putem, Acta Martyrum à Notariis, & Subdiaconibus primitivæ Ecclesiæ descripta, in persecutione Diocletiani cum cæteris Ecclesiæ membranis periisse. Vel si quæ integra ex incendio evaserunt, ea ad manus nostras non devenisse; sed temporum vetustate fermè omnia consumpta esse*. Acta verò plura servata sunt Martyrum, qui præcesserant i. & ii. sæculo Æræ Christianæ; cùm descripta jam forent exiguo, aut nullo periculo sub Antoninis; ita ut Hegesippus Romæ agens indè potuerit ea tempestate contexere libros quinque Ecclesiasticæ historiæ sub Eleuthero Papa, testibus Hieronymo, & Eusebio, quorum ætate superstites fuisse idem Eusebius scribit lib. 4. cap. 22. Ex iisdem Commentariis Hegesippi, cùm iste fateatur (hist. Eccl. lib. 4. cap. 8.) se dedisse complura, quæ verissimam Apostolicæ prædicationis historiam complectebantur, & præcipuè Catalogum, & successionem Pontificum Romanorum colligat non in uno loco (ibi cap. 22.); arguere possumus, superfuisse Notariorum acta, exprimentia nomen, patriam, regionem, & annos illius Pontificis, qui martyrio afficiebatur: monente etiam Cypriano lib. 3. epistola 6. ad Presbyteros, & Diaconos Romanos data, ut ne omitterent consignare diem obitûs eorum, qui in carcere pro Christo decedentes erant Martyribus accensendi.

18. Quin etiam loculus sepulchralis non rarò consignabatur die, & anno depositionis indicato per Consules ordinarios: quod in privatis etiam fidelibus, nec martyrio affectis, nec sacerdotio insignitis passim occurrit, dum inspicimus cœmeteria suburbana, & titulos legimus vel in cryptis martyrum, vel in libris Romæ subterraneæ, effossas indè tabulas, & epigraphes memorantibus. Hinc Eusebius potuit Romanorum Pontificum initia, & successionis tempus finemque conferre cum annis Imperatorum (quod sæpe facit) ex indicio Consulatus, quo electus quisque fuerat ad regimen Ecclesiæ capessendum, & quo sacerdotium ac vitam expleverat. Exemplum demus in Telesphoro, & Hygino. Scribit Eusebius hist. lib. 4. cap. 10. *Cæterùm Hadriano vitâ perfuncto, cùm unum & viginti annos imperasset, Antoninus cognomento Pius administrationem imperii suscepit. Hujus anno primo cùm Telesphorus migrasset è vita anno suscepti Episcopatûs undecimo, Pontificatum Romanæ Urbis sortitus est Hyginus*. Historiæ Augustæ Scriptores Græci, ac Latini consignant annum emortualem Hadriani, & primum Imperantis Antonini cognomento Pii, Nigro, & Camerino Consulibus: confirmante lapide apud Gruterum fol. cclvi. n. 4. signato in adversa parte eorundem Consulum Collegio, ut advertit Eminentissimus Norisius epistolæ Consularis pag. 85. Catalogus secundus refert exordium Pontificatus Hygini ad Consules Camerinum, & Magnum (ita enim vitio amanuensium imperitorum factum est ut *Nigrum* in *Magnum* conversum videamus), nempe Camerinum, & Nigrum. Licèt in priori Catalogo lacuna impediat, ne consulum nomina legi possint; supplentur hæc facilè ex præcedentibus, & consequentibus, quibus tribuitur vitæ terminus decessoris, & initium Episcopatus in successore. Postremi Consules, quos idem catalogus numerat sedis Telesphori, sunt Cæsar, & Balbinus (Albinum corruptè reddidit amanuensis una litera dempta) nempe *L. Ælius Cæsar II. & P. Cælius Balbinus*, ita incisi in Auximati marmore apud Gruterum fol. ccccxlv. 10. posito vi. Idus Julii. Hos Consules proximè excipiunt Camerinus, & Niger in fastis Consularibus, quarto Christi sæculo descriptis (adeòque ætatis ejusdem cum priori Catalogo) & à Bucherio simul editis, illustratis verò à Card. Norisio in dissert. post Epochas Syromacedonum. Rectè igitur ponuntur postremi Consules Telesphoro assignati Ælius *Cæsar II.*, & *Balbinus*, & primi Hygino attributi *Camerinus*, & *Niger*. Rursus confirmantur ex aliis præcedentibus Collegiis in utroque Catalogo recensitis cum annis Pontificum, & pariatis cum annis Imperatorum. Nam uterque catalogus assignat Telesphoro annos Episcopatus undecim, & menses tres, ejusque proximo decessori Xysto annos decem, & menses duos vel tres: quorum sit exordium Collegium Consulum Nigri, & Aproniani, finis verò Coss. Verus, & Ambibulus. Summa Episcopatuum Xysti, & Telesphori dat annos xxi., & menses circiter sex. Hadrianus in imperio exegit annos xx., & menses xi. Dione teste in ejus vita: cui nummi, & lapides suffragantur, si Norisii observationes adhibeamus Epist. Consularis pag 85. Dio autem tradit, se accepisse ea quæ scripsit ab Aproniano patre suo, qui tunc Ciliciæ præerat, cum decedente Trajano in eadem provincia, Adriani adoptio, & im-

Digitized by Google

& imperium factione Plotinæ processit. Qui Consules igitur fuerunt ordinarii, Trajano decedente Selinunte die x. Augusti (fuerunt autem Niger, & Apronianus, ut universa monimenta comprobant, & historici cum Dione) eosdem incidisse fatendum est in exordium Xysti. Uterque autem catalogus pariat initium Xysti cum iisdem coss. Nigro, & Aproniano. Decimo autem ab illis loco subsequuntur in fastis Verus, & Ambibulus: quos pariter æquata ratio annorum undecim Xysto assignatorum ostendit respondere. Consensus itaque summæ annorum tam in imperio Principum, quàm in Episcopatu Pontificum Romanorum, respondens laterculis Consulum utrobique positis, tam in Catalogis memoratis, quàm in Eusebii Chronico, & historia, eodem sæculo scripta quo prior catalogus edebatur, demonstrat, illa ætate superfuisse indiculos, & documenta Notariorum Ecclesiæ Romanæ, unde Scriptores catalogi non minùs certam quàm Eusebius Chronologiam, & seriem Pontificum concinnarent.

19 Verùm quis dubitet, ætate Eusebii, & prioris catalogi ad Liberium pertingentis, in Ecclesia Romana extitisse indiculos annorum, & Consulatuum, unicuique Pontifici assignatorum? cùm Acta Martyrum, qui Romæ præsertim patiebantur ætate ab Apostolis proxima, persæpe exprimant nomina Consulum aut Præfectorum Urbi, aut imperii Principum, & diem passionis. In actis S. Ignatii n. ii. & n. viii. editionis Ruinartii legimus quoque annum Imperii cum Consulibus pariatum. *Facta autem sunt hæc die ante* xiii. *Kal. Januarias præsidentibus apud Romanos Syria, & cum Senecio secundo* (Ita habent num. viii. numero autem ii. scribitur *post annum* (1) *quartum Trajani, ejusque victorias de Scythis ac Thracibus* intellige *Dacis*) reportatas ea contigisse. C. Sosius Senecio III. & L. Licinius Sura II. coss. anno Trajani quarto processerunt; & interposito quinquennio cùm nonus annus ejusdem Imperii laberetur, iidem Consules Senecio IV. & Sura III. fastos aperuerunt. Victoria verò Trajani Dacica contigit, anno sexto Imperii Trajani, ejusque Tribuniciæ potestatis labente, ut ex nummismatibus luculenter probavit Eminentissimus Norisius Epistolæ consularis pag. *66*. Quare monebat rectè Ruinartius *post annum* iv. *Trajani* mendum esse amanuensis vertentis in iv. numerum ix. cui optimè convenit Epocha Dacicæ victoriæ ante triennium relatæ, & expeditio suscepta in Parthos, & in Armeniam, quæ in ejusdem Actis pariter memoratur. Et revera contextus verborum ita videtur requirere; cum Senecio, & Sura secundo præsidentes hoc est iterum collegæ in Consulatu (negligenter expresso per voces *Syria, & Senecio secundo*) recurrant anno Trajani nono. In sepulchralibus etiam titulis depositio martyrum signata non rarò legitur nominibus Consulum: ut passim ostendere possumus in fragmentis lapidum, quæ è sacris cœmeteriis quotidie extrahuntur. In Actis martyrum in Urbe passorum nomen Præfecti Urbis quandoque exprimitur: qui magistratus licèt non esset annuus, relatus tamen ad alias notiones expeditionum, victoriarum, mortis Principum, aut simile quidpiam, incidens in ea tempora, & in actis martyrii expressum, redditur character satis idoneus ad pariandum cum Consulatu. In actis Justini martyris Rusticus Præfectus Urbi eundem ac socios interrogat, & capite plectit. Publicus Præfectus Urbi legitur in actis S. Felicitatis sub Antonino. Si hodie haberemus integram seriem Præfectorum Urbi per duo priora sæcula Æræ Christianæ, quemadmodum integra series legitur successorum in eo Magistratu ex anno Christi 254. ad 354. in opusculo quarti sæculi edito per Bucherium ex jisdem membranis, in quibus reperit primum catalogum; ex indicio Præfectorum perinde ac ex notione Consulum Epochas martyrum (adeòque & Pontificum) colligi posse compertum foret. Quarto autem sæculo Christi dum catalogus prior conscribebatur, seriem Præfectorum fuisse perspectam arguit fragmentum illud præservans per solidos annos centum singulos successores. Hanc verò consuetudinem, sive etiam necessitatem historicam eosdem Magistratus commemorandi in gestis Ecclesiæ viguisse dixi ętate ab Apostolis proxima. Neque id moris justo maturius à me inchoari quispiam reputet; cùm Evangelicis oraculis doceamur, à Divino spiritu dictatam regulam ita definiendi Epochas illustrium gestorum Christi, ejusque Discipulorum. Natalis Domini consignatus à S. Mattheo (2) per annos postremos regni Herodis magni, à S. Luca (3) indicatur per descriptionem primam, ex edicto Augusti factam Præside Syriæ Cyrino. Ejusdem Baptismus ac prædicatio Joannis refertur ad annum quintumdecimum Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, (4) Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lysinia Abilinæ Tetrarcha, sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha: cujus etiam postremi annuo pontificatu dignatur à Matthæo, Marco, & Joanne (5) annus Dominicæ passionis. Apostolorum verò gesta per S. Lucam Romæ conscripta tot abundant indiciis Chronologiæ per successiones Præsidum Syriæ, & Magistratus, tum in Provinciis tum Romæ agente Paulo ibidem recensitos; ut S. Hieronymus (6) colligat, historiam pertingere *ad biennium Romæ commorantis Pauli, idest usque ad quartum Neronis annum*. His igitur exemplis eruditi scriptores Ecclesiasticæ historiæ, præsertim Romæ agentes, & cum Apostolis versati, aut cum viris Apostolicis, quemadmodum versatus est Hegesippus, inter cætera veritatis criteria, quibus opera sua confirmarunt, non omisere gestorum tempora ad notas Epochas revocare. Hegesippi locum produxit Eusebius de martyrio Jacobi fratris Domini. Epocham illius martyrii significavit proximam obsidioni Hierosolymitanæ paulo post subsequutæ. *Nec multo post*, inquit, *obsidio Vespasiani, & Judæorum captivitas subsequuta est. Hæc Hegesippus, cum Clemente consentiens*. Sunt verba Eusebii: (7) qui cùm adducat eodem loco testimonium Josephi, referentis cædem Jacobi Justi ad intervallum trium mensium, numeratum ex morte Festi ad Albinum Procuratorem à Nerone subrogatum, quo trimestri spatio Ananus junior gessit Pontificatum, confirmat morem gentis atque ætatis suæ, & Romæ scribentium historicorum, ut Epochas non omitterent identidem memorare gestorum quæ describebant: & historiæ suæ hoc lumen non denegare,

(1) *Ruin. corrigit* nonum.
(2) *Matth.* 1.
(3) *Lucæ* 2.
(4) *Lucæ* 3.
(5) *Matth.* 26. 3. & 37. *Marci* xiiii. 61. *Jo.* xi. 49. & xviii. 14.
(6) *S. Hieronym. in lib. de Script. Eccl. in Luca.*
(7) *Euseb. hist. Eccl. lib.* 2. *cap.* 23.

Digitized by Google

gare, quod Romana Archiva in gestis Provincialibus, & inscriptiones publicæ ministrabant. Eadem verò Archiva, & marmora, & indiculi, & historiæ adhuc integræ labente quarto Christi sæculo, quo Eusebius, & Hieronymus florebant, apertum ostendebant hoc ipsum lumen temporum Auctori Catalogi sub Liberio, cujus de documentis chronologicis inquirere duxi non omittendum.

20 Gradum hinc faciam ad cognoscendam, & aliis comprobandam certitudinem atque auctoritatem cæterarum rerum, quæ in utroque Catalogo memorantur. Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum Urbis, necnon Episcoporum hinc transmissorum ad alias Ecclesias vel fundandas vel gubernandas, obtinent locum potiorem, cùm in singulis Pontificibus reperiantur. Videndum igitur est, qui fieri potuerit, ut per tria priora sæcula à Christi Domini passione tam diligenter numeratas repererint ordinationes in Ecclesia Romana Auctores secundi Catalogi, pertinentis ad ætatem Felicis quarti, & Justiniani.

Nemo negaverit, ab exordio Mosaicæ legis fuisse consignatum annum ac diem erectionis tabernaculi, ejusque consecrationis, simulque Aaronis Pontificis, & Filiorum ejus Sacerdotum Exodi capite xl. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: mense primo, prima die mensis eriges tabernaculum testimonii, & pones in eo Arcam &c. Applicabisque Aaron, & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium æternum proficiat. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus. Igitur mense primo anni secundi prima die mensis collocatum est tabernaculum. Erexitque Moyses illud &c. Laveruntque Moyses, & Aaron ac filii ejus manus suas & pedes cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi.* Nec tantummodo in sacris literis consignatus est dies consecrationis Aaronis primi Pontificis summi, verùm & ejusdem obitus dies, mensis, & annus, & filii Eleazari successio & inauguratio ad maximum Sacerdotium expressè memoratur numerorum cap. xxxiii. vers. 38. *Ascenditque Aaron Sacerdos in montem Hor jubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cùm esset annorum centum viginti trium.* Indè incipit Pontificatus Eleazari filii Aaron. Domino enim præcipiente Moyses spoliavit Aaron vestibus suis, & induit eis Eleazarum, ut refertur numerorum xx. Et tunc Aaron decessit è vita collectus ad partes suos. Epocham Sacerdotii summi Mosaicæ legis diligenter relatam in divinas literas cùm animadverterent nostri Pontifices Christiani, censuerunt non minori cura esse referendam in Ecclesiæ tabulas dedicationem Cathedræ, quæ responderet erectioni Tabernaculi; ac statuerunt cujuslibet Episcopi ordinationis diem annua memoria celebrare, quæ Aaronis consecrationi compararetur. Quin etiam in ritualibus libris vetustissimis, & in Canonibus Conciliorum conspicimus, fuisse assignatas certas preces cuique Sacerdoti secundi ordinis, nempe presbytero, ut annuo sacrificio recoleret diem suæ ordinationis: quas preces edidit Cardinalis Thomasius libro 3. Sacram. Rom. Ecclesiæ pag. 211. hoc titulo: *Oratio in natali presbyteri, qualiter sibi missam debeat celebrare.*

Cùm itaque, & mos vetustissimus fuerit Sacerdotum prioris fœderis, ut consignarent diem inaugurationis, & obitus publicis tabulis, & in exordio Sacerdotii novi fœderis dies natalis Cathedræ non minùs quàm natalitius martyrii in Petro sit adnotatus; eaque ratio sit habita in successoribus Petri, & ad Episcopos minorum Urbium derivata sit, imò & in presbyteri consecratione adhibita deprehendatur; quis dubitet à Notariis Ecclesiæ Romanæ hæc potissimùm documenta in literas relata, & in Archivis custodita, unde postmodum catalogi, & diptycha, & indiculi sunt collecti?

21 Romæ verò accuratiùs curatas, & consignatas fuisse ordinationes Christiani ac verè divini Sacerdotii quis inficiabitur, qui observet, etiam prophanos Antistites ethnicarum superstitionum apud Romanos tanto in pretio fuisse habitos, ut cooptationes eorum insculperentur nummis, marmoribus, æris, tam in Augustis universi imperii moderatoribus, cùm occuparent deorum suorum maximum Pontificatum, quàm in privatis quibusque minus aliquod Sacerdotium adeptis? Omitto, annales Pontificum, eorumque libros linteos esse primam originem Romanæ historiæ, ut in libro secundo de oratore memorat Marcus Tullius: *erat historia nil aliud nisi annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ caussa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Satis fuerit inspicere tabulas cooptationum ad sacerdotia, quæ supersunt apud Gruterum descriptæ è marmoribus Romanis fol. ccc. & apud Panvinium in fastis ad annum Urbis DCCCCXLIII. Præter anni notam per Collegia Consulum indicatam, incisa est etiam Epocha annorum ab Urbe condita. Fragmentum dabo excollectione Excell. Domini Alexandri Albani

.. COELIO APOLLINARE COS
P. R. C. A. DCCCCXXII
Q. CLODIVS MARCELLINVS
COOPTATVS
T. AELIO CILONE II. FLABIO LIBONE...
P. R. C. A. CCCCL
M. VALERIVS PAETVS AQVIL....
COOPTATVS
C. IVNIO ASPRO II C. IVLIO ASPRO..
P. R. C. A. DCCCCLX...
FAVSTINIANVS
COOPTATVS
..... AVG. III ET COMA....
P. R. C. A. DCCCCLXX...

Digitized by Google

Nummos qui cupiat ejus rei testes, observet argenteos, & aureos Neroni Cæsari à Senatu cusos sub patre Claudio, cum epigraphe, SACERDOS COOPTATVS IN OMNE CONLEGIVM SVPRA NVMERVM EX S. C. Eandem cooptationem refert marmor vetustum apud Gruterum fol. CCC. ad Consulatum V. Claudii Augusti, Collega Orfito post Romam conditam anno DCCCIV. Pontificatus autem Maximi à se initi diem ita incidit Augustus in Kalendario marmoreo, olim apud Maffejos, nunc autem in Farnesianis ædibus asservato ad Campum Flore: HOC DIE CAESAR PONTIF. MAXIM. FACT. EST (ad diem pridie nonas Martii): & in alio Kalendarii fragmento nuper effosso apud Antium curâ, & impensis laudati vindicis eruditæ antiquitatis Excell. Alexandri Albani SS. D. N. Fratris Filii signatur dies XIV. Kal. Nov.

HOC DIE CAESAR TOGAM VIRILEM SUMPSIT

. . . . supplentibus fracturam marmoris, quæ sequentia surripuit, Nicolao Damasceno, & Svetonio, quorum ex testimoniis collegit Card. Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissert. 2. pag. 115. Augustum eadem die togam puram induisse, deposita puerili prætexta, & Pontificem creatum in locum L. Domitii. In alio lapide apud Gruterum pag. CCXXVIII. 8. non solùm indicatur dies, quo Tiberius Cæsar Pontifex Maximus creatus fuit, sed de industria asseritur idem dies adlectus ad dedicandas statuas Cæsarum, & Augustarum. PERPETVOQVE EIVS DIE DEDICATIONIS DATVROS NOS TESTATI SVMVS QVEM DIEM QVO FREQVENTIOR QVOTANNIS SIT SERVABITVR VI IDVS MARTIAS QVIA HAC TI CAESAR PONT. MAX. FELICISSIME CREATVS EST.

Solemne igitur erat apud Romanos Æræ Christianæ sæculis primo, secundo, ac tertio, ut memorati lapides docent, signare in Fastis Collegiorum Sacerdotalium (nedum in libris Pontificalibus) cooptationes novorum Sacerdotum, & electiones Pontificum minorum, & maximorum. Quin etiam diem certam cooptationis in Collegium fratrum Arvalium (in Sacerdotium scilicet collatum Romulo ab Acca Laurentia, adeòque inter antiquissima Urbis censendum) ita insculptum ostendunt monumenta ejus Collegii, quæ Musæum Albanum illustrant, à nobis sæpe consulendum. Dabo partem inscriptionis, quæ ad nostram rem pertinet; cùm reliqua videri possint descripta ex eodem marmore apud Sponium Miscellan. pag. 5. & apud Fabrettum Inscriptionum pag. 442.

. . . . . ISDEM COS (nempe L. Ceionio Commodo D. Novio Prisco) K. MART. IN AEDE CONCORDIAE ADSTANTIBVS FRATRIBVS ARVALIBVS EX TABELLA IMP. CAESARIS VESPASIANI AVG. MISSA C. SALVIVM LIBERALEM N. BASSVM IN LOCVM C. MATIDI PATRVINI DEMORTVI COOPTAMVS IN COLLEGIO ADFVERVNT L.VERATIVS.QVADRATVS C.VIPSTANVS APRONIANVS L.MAECIVS POSTVMVS C. SALVIVS LIBERALIS N. BASSVS. ISDEM COS. MAG. C. SALONI MATIDI PATRVINI IN CVIVS LOCVM SVCCESSIT OBIIT MAGISTERIVM EODEM ANNO ISDEM COS. K. MART P. SALLVSTIVS. BLAESVS. ISDEM COS. V. ID. MART. IN AEDE CONCORDIAE MAG. L. SALLVSTIVS BLAESVS COOPTATVS IN LOCVM C. MATIDI PATRVINI COLLEGI FRATRVM ARVALIVM CONVOCAVIT. ET . . . . . .

22 Tabulæ complures marmoreæ, actis hujus Collegii insculptæ, & in Gruteriana collectione memoratæ post fol. CXVIII. quæ olim apud Fulvium Ursinum, nunc verò in Palatio Farnesiano visuntur superstites, demonstrant, etiam sequentes ætates usque ad quartum, & quintum sæculum Christi, eandem consuetudinem custodisse, incidendæ scilicet diei, qua vota publica concipiebantur pro salute Cæsarum, & qua concepta solvebantur: ritu superstitionis ethnicæ diligenter explicato in aliis quoque marmoribus ejusdem Collegii, quæ ante annos circiter XX. effossa ad VI. lapidem extra Urbem, & indè à me reportata edidit recolendæ memoriæ Præsul Philippus à Turre Episcopus Adriensis, mihi dum viveret amicissimus. Eadem modo asservatur in paulò ante laudato Musæo Excell. D. Alexandri Albani

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO AVG. IIII. C. AVFIDIO VICTORINO II. COS. IN CAPITOLIO &c. ISDEM COSS. . . . VII ID IANVAR IN PRONAO . . . FRATRES ARVALES SACRIFICIVM DEAE DIAE INDIXERVNT. Q.LICINIVS NEPOS MAGISTER VELATO CAPITE CONTRA ORIENTEM . . . QVOD BONVM FAVSTVM FELIX FORTVNATVM SALVTAREQVE SIT IMP.CAES.M.AVRELIO (nomen Commodi abrasum) ANTONINO AVG PIO SARMAT GERM MAXIMO P M PP COS IIII OPTIMO MAXIMOQVE PRINCIPI DIVI M ANTONINI FIL DIVI ANTONINI DEPOTI DIVI HADRIANI PRONEPOTI DIVI TRAIANI ABNEPOTI SENATVI P Q R FRATRIBVSQVE ARVALIBVS SACRIFICIVM DEAE DIAE HOC ANNO ERIT ANTE DIEM XVI KAL IVNIAS ROMAE ANTE DIEM XIIII. K IVN IN LVCO ET DOMI XIIII. K IVN CONSVMMABITVR DOMI ADFVERVNT IN COLL Q LICINIVS NEPOS MAG &c. & pluribus interpositis ritus huiusce superstitiosi Sacrificii persoluti ita describitur ISDEM COS XVI K IVN. IN DOMVM LICINI NEPOTIS MAG FRATRES ARVALES PRAETEXTATI SACRIFICIVM DEAE DIAE TVRE ET VINO FECERVNT IBIQVE DISCVMBENTES TORALIBVS SEGMENTATIS MINISTRANTIBVS PVERIS PATRIMIS ET MATRIMIS SENATORVM FILIS AELIO AVIOLA ET ACILIO SEVERO &c.

ISDEM COS XIIII K IVN IN LVCO DEAE DIAE Q LICINVS NEP MAG AD ARAM IMMOLAVit. . PORCILLAS PIACVLARES N LVCI COINCHVENDI ET OPERIS FACIENDI IBIQVE BACCHAM HONORARIAM ALBAM AD FOCVLVM IMMOLAVIT SACERDOTES IN TETRASTVLO CONSEDERVNT ET EX SACRIFICIO EPVLATI SVNT SVMPTISQVE PRAETEXTIS ET CORONIS SPICEIS BITTATIS LVCVM DEAE DIAE SVMMOTO ASCENDERVNT ET PER Q LICINIVM NEPOTEM ET CATILIVM SEVERVM PROFLAMINEM AGNAM OPIMAM IMMOLAVERVNT PERFECTO SACRIFICIO OMNES TVRE ET VINO FECERVNT DEINDE CORONIS INLATS SIGNISQVE VNCTIS PETRONIVM PRISCVM EX SATVRNALibus PRIMIS IN SATVRNALIA SECVNDA MAG FECERVNT ET FL SVLPICIANVM FLAMINEM

Retuli

Retuli tot versus hujusce inscriptionis è multo pluribus quibus ea constat, ut ostenderem, imperante Commodo circa finem sæculi secundi viguisse morem incidendi in publicis tabulis Collegiorum Sacerdotalium apud Romanos annum, ac diem sacri eorundem concepti, ac persoluti, & Magistrorum Collegii, & Flaminum creatorum. Ad sæculum tertium pertinet alia inscriptio ejusdem Collegii sub Caracalla, quæ cum præcedenti reperta fuit, & legi potest in laudato libro Præsulis de Turre edita post dissertationes de Veteribus Monumentis Antii, & de Mithra. Referuntur verò ad quartum sæculum Æræ Christianæ marmora non dissimilis argumenti, licèt ad Mithram pertineant, quum ejusdem superstitiones adhuc ab Ethnicis in Urbe retinerentur. Apparent in iis inscriptionibus signati Consulatus, ac dies initiationis eorum, qui Sacerdotibus Mithriacis adscribebantur, ritu à Prudentio expresso. Lapides ejus rei testes à Grutero memorati folio MLXXXVII. visuntur adhuc in Palatio Barberino ad Quirinalem. Licèt enim traditio Persicorum, & Eliacorum, & Cryphiorum ostensio memorata sub initium inscriptionis sint potius verba sacrorum, quàm initiationis propria, ut placet laudato Auctori dissertationis de Mithra cap. V. pag. 203.; attamen dies, & annus consecrationis disertè exprimitur in eodem lapide peractæ ibi Consulatu V. Valentis, & Valentiniani junioris primo, quando Aurelius Victor Augentius Æmiliano Corfoni filio consecrato Sacerdoti Solis tradidit Coracica.

DATIANO ET CEREALE CONS
NONIVS VICTOR OLYMPIVS V. C.
PP. AVR· VICTOR AVGENTIVS V. C. P.
TRADIDERVNT PERSICA PRI. NON. APRIL. FEL
CONS SS. TRADIDERVNT ELIACA
XVI KAL. MAI. FELIC
OSTENDERVNT CRYPHIOS VIII
KAL. MAI. FELIC
DD. NN. VALENTE. V. ET
VALENTINIANO IVNIORE PRIMVM
AVGG. CONS. VI. IDVS. APRIL
AVR. VICTOR AVGENTIVS. V. C.
P. P. FILIO. SVO. AEMILIANO. CORFONI
OLYMPIO. C. P. ANNO. TRICESIMO
CONSECRATIONIS. SVAE. TRADIDIT. CORACICA
FELIC. CON. SS. OSTENDERVNT
CRYPHIOS. VIII. K. MAI. FELIC

Alias consecrationes die certo signatas ostendit Gruterus fol. xxviii. & sequentibus: quas inter singularis est illa, ubi Sextilius Agesilaus Ædesius se in æternum renatum dicit Taurobolio Criobolioque percepto D. NN. Valente V. & Valentiniano Jun. Augg. Coss. Idibus Augustis; unde dignoscitur posita circa finem sæculi quarti cum pluribus ejusdem ætatis inscriptionibus ibi relatis.

Cùm igitur Collegia Sacerdotalia ethnicæ superstitionis, quæ Romæ vigebant à primo Christi sæculo ad finem quarti, Sodalium suorum Fastos, & Acta, initiationes, ritus, decreta, dedicationes non modò mandarent literis in libris linteis, aut eburneis tabellis inscriberent, sed etiam marmoribus insculperent, & proponerent in atriis, & in pronao suarum ædium, tum etiam Kalendariis insererent in foro positis, ad auctoritatem, & perennitatem conciliandam suis institutis; Christianæ professionis cultores non minùs providi, & multò sanctioribus exemplis imbuti per divinas literas utriusque testamenti, meritò censuerunt ad dignitatem veræ Religionis pertinere, ut laterculos ederent Pontificales, & Martyrum passiones, veluti Fastos Ecclesiæ triumphales, ornarent notis chronologicis anni, seu Consulum, mensis, ac diei, quo veritati testimonium præbuerant sanguine, & confessione. Intelligebant enim, pergratum Deo futurum, & posteris maximè utile, ut fides publica Actis constaret, & annua memoria recoli posset eorum ingressus ad gloriam, in iis præsertim Cœmeteriis suburbanis, in quibus Martyres, atque Pontifices deponebantur. Decreta verò Pontificum, aut Conciliorum, quæ prioribus etiam sæculis ante Constantinum Magnum edita fuerant, aliquando expressa fuisse tabulis, aut cippis marmoreis apertè nobis ostendit inscriptio Canonis Paschalis in vetusto marmore exprimente Cathedram Pontificalem S. Hippolyti Episcopi, & Martyris sub Severo Alexandro cum ejusdem statua insidente: quam ex Cœmeterio Lucinæ in agro Verano translatam ad Bibliothecam Vaticanam tot eruditorum libri illustrarunt, chorum ducentibus Baronio, & Bucherio. Titulus ita inscriptus est ἔτους A &c. idest ANNO PRIMO REGIMINIS ALEXANDRI IMPERATORIS FACTA EST XIIII. PASCHAE IDIBVS APRILIBVS SABBATO CVM MENSIS EMBOLISMALIS FVISSET. ERITQVE SEQVENTIBVS ANNIS SICVT IN TABVLA SVBIECTVM EST. EVENIT VERO IN PRAETERITIS SICVT INDICATVM EST. SOLVERE AVTEM OPORTET IEIVNIVM VBI DOMINICA INCIDERIT. In hoc igitur lapide, inciso anno Christi 222. lex Sacrorum, quæ proponitur observanda in Festo præcipuo celebrando Paschatis Christiani, continet institutum jejunii solvendi Dominica die, ab Apostolica traditione perductum ad Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem, & confirmatum decretis Pii, Eleutheri, & Victoris Pontificum Romanorum, post coacta hujus postremi præsertim jussu Concilia à Theophilo in Palæstina, & alibi, uti suo loco dicendum erit. Quare supersunt vestigia non obscura Pontificiarum Constitutionum, & sacrarum legum observandi ritus festorum, & jejunii solvendi, incisa vetustis in marmoribus Romanis, etiam constante persecutione: ut jam tum addiscerent Hierarchæ summi hujus Ecclesiæ omnium Principis, Urbana marmora Christianis sacris insculpta erigenda esse ad instar cippi triumphalis supra confractas tabulas ethnicæ superstitionis: quæ tunc à fratribus Arvalibus, aliisque dæmonum mystis, & Sacerdotibus Isidis, Sarapidis, Mithræ, Solis, & Matris Magnæ dedicabantur, sub fallaci spe promissæ sibi æternitatis, tanquam præsidia profani cultus inanium deorum nunquam interituri; cùm

Digitized by Google

cùm eodem sæculo cederent in prędam, & verterentur in monimenta victoriæ de triumphatis erroribus partæ à veritate Religionis Christianæ. Verùm hæc aliàs. Nunc in ea digitum intendimus hac tantùm de causa, ut appareat auctoritas rerum, quæ enunciantur in vetustis Romanorum Pontificum Catalogis, quarti præsertim, & sexti sæculi (unde hic Liber Pontificalis agnoscitur contextus sub Gregorio II. & III.) cùm per eas ætates consuetudo vetus Romæ vigeret tam apud Christianos, quàm apud Ethnicos, consignandi marmoreis tabulis perinde, ac Libris Pontificalibus Acta, & Decreta Collegiorum, initiationes, & Sacerdotia eorum potissimùm, qui cœtui præessent.

24 Acta, & ordinationes Ecclesiæ Romanæ splendidiùs consignata leguntur post assertam libertatem Divini cultus à Maximo Constantino. Beatus enim Damasus Papa, qui tabulis marmoreis convestiri curavit atria Ecclesiarum, aditus Cœmeteriorum, sepulchra Martyrum, quæ tabulæ postmodum dictæ sunt *Platoniæ*, elegantibus etiam versibus complexus est in earundem inscriptionibus complura documenta historiæ decessorum suorum, & Martyrum: quorum aliqua integra supersunt ætate nostra in hypogæo Basilicæ Vaticanæ, in Æde S. Sebastiani extra muros, & in Titulo Equitii: alia leguntur apud Gruterum, & Tomo IV. Veterum Analectorum Mabillonii, descripta ætate Caroli Magni: alia denique collecta à Martio Milesio in editione operum B. Damasi.

25 Cùm verò, & in Cœmeteriis Martyrum appareat sæpè annus, ac dies depositionis, plerumque scalpro cælatus in tabulis marmoreis, occludentibus loculum, non raró in calce exaratus, aut minio coloratus in cœmento crustas marmorum jungente cum margine loculamenti; quis non videat, ex his autographis collectas fuisse tabulas, sive indiculos, & laterculos depositionum, & rudimenta illa Martyrologii Romani, à Bucherio reperta in membranis quarti sæculi, aut quinti, & ab eodem edita post Canonem Paschalem Victorii Opusculo tertio pag. 276.?

DEPOSITIO EPISCOPORUM (1)

Sexto Kalendas Januarias, Dionysii, in Callisti.
Tertio Kalendas Januarii, Felicis in Callisti.
Pridie Kalendas Januarii, Sylvestri in Priscillæ.
Quarto Idus Januarii, Miltiadis in Callisti.
Decimooctavo Kalendas Februarii (2) Marcellini in Priscillæ.
Tertio Nonas Martii, Lucii in Callisti.
Decimo Kalendas Maji, Caji in Callisti.
Quarto Nonas Augusti, Stephani in Callisti.
Sexto Kalendas Octobris, Eusebii in Callisti.
Nonis Octobris, Marci in Balbinæ.
Sexto Idus Decembris, Eutychiani in Callisti.
Pridie Idus Apriles, Julii in via Aurelia milliario III. in Callisti.

26 Verùm de diligenti cura Notariorum Apostolicæ Sedis tum in incidendis Epochis depositionum in loculis Summorum Pontificum, tum in colligendis diptychis, & catalogis ex earundem inscriptionum, & Actorum autographis nemo jure dubitaverit, cui perspecta sit diligentia, quam pari fermè studio impenderunt proximarum Italiæ Civitatum Episcopi in decessorum suorum memoriis præservandis posteritati. Liceat mihi proferre ex Nolana Ecclesia illustre documentum: quod ante annos quindecim indè collegi, cum à S. D. N. CLEMENTE XI. adscriptus comitatui eorum, quos Eminentissimo Cardinali Carolo Barberino Legato de latere ad Catholicum Regem Hispaniarum Philippum V. Neapoli tunc agentem administros delegerat Legationis, permissu ejusdem Cardinalis Nolam me contulissem ad sacras antiquitates perlustrandas ejus Ecclesiæ, & Cœmeterii S. Felicis in Pincis dicti: ubi supersunt complures Basilicæ partes, musivo, & inscriptionibus decoratæ à S. Paulino Episcopo Nolano. Tanti Sacrarii monumenta benè multa edere cùm possim publica luce dignissima, iis tantùm contentus ero, quæ pertinent ad argumentum à me susceptum ad pertractandum in hac Præfatione: nempe ad sarcophagos, & sepulchrales tabulas aliquot Episcoporum, insculptas die, & anno depositionis, per Consules indicato.

In Zophoro literis musivi operis legitur Epigramma S. Paulini, æquale testimonium ædis sacræ à se amplificatæ.

PARVVS ERAT LOCVS ANTE SACRIS ANGVSTVS AGENDIS
SVPPLICIBVSQVE NEGANS PANDERE POSSE MANVS.
NVNC POPVLO SPATIOSA PIIS ALTARIA PRAEBET
OFFICIIS MEDII MARTIRIS IN GREMIO.
CVNCTA DEO RENOVATA PLACENT. NOVAT OMNIA SEMPER
CHRISTVS ET IN CVMVLVM LVMINIS AMPLIFICAT.
SIC ET DILECTI SOLIVM FELICIS HONORANS
ET SPLENDORE SIMVL PROTVLIT ET SPATIO.

In arca marmorea apud Altare

DEP. SANC. FELICIS EPSC. V. ID. FEBR.
POS. CONS. FA. VS. TI. VC. (3)

Cum S. Paulini obitus referatur ad annum 430. Sanctus Felix octennio post depositus ejus ætatem æquat.

In alia proxima arca marmorea

DP. EP. PAVLINI IVNIORIS D. III. ID. SEPTE
FL. DIOSM(4)ORO VC CONS

In

(1) *nempe Romanorum à Lucio ad Julium.* (2) *Marcelli.* (3) *Anno Christi 438.* (4) *ita mendosè incisus Fl. Dioscori Consulatus incidens in annum Christi 442.*

Digitized by Google

In alio sarcophago detritæ sunt literæ inscriptionis : ita ut incertum sit, an Episcopus ibi recondatur. Sed nomina Consulum supersunt integra : quæ indicant annum 359.

SEMPER OB MERITVM VIVEIS PRAECONIA LAVDIS
ET BONA PROGENIES . . . .
PEVIA SV . . . . . .
RELIQVIAE . . .
IA . . . . . .
. . . . ELA . . . . SEMPER ERIS . . . . OMINE DVCI
A . . . . OR . . . .
. . . . FELICIS
EVSEBIO ET YPATIO COSS DP. IN PACE
VI KAL IVN

In alio marmore

DP. THEODOSI ~ EPC ~ DIE
VIII - IDVS - DECEMBRES - FL -
FAVSTO ~ IVNIORE ~ VC. CONS (1)

Non omittenda est inscriptio Aureliani Episcopi, licèt indicio Consulum destituta (nescio an ejus, qui Nolanorum Præsulum habetur quintus) : ubi anni ejusdem sedis ita memorantur.

† DPS. SANC.. M. DMN. AVRELIANI EPISC. IN PACE QVI BIXIT ANNS
PL M LXXX SEDIT ANN. XXXVIII. DEP. ES. OCTABV. KAL. AVG.

In sequenti marmore memoratur Leo Episcopus : Et inscriptio pertinere videtur ad annum 547. sextum post Consulatum Basilii

† HIC REQVIESCIT APOL
LONIA SACRA VIRGO
DOM SOROR LEONIS EPISC. VIX. ANN
PL M. LXXV.. DEPST I. . . .
SEXXIES. P. CONSVLATVM. . . .

Leonis Tertii Episcopi nomen legitur in marmore sepulchrali, sito in pavimento ante apsidem Basilicæ

LEO TERTIVS EP CREDO RESVRGERE

Alterius Leonis ex Monacho Antistitis est epigramma sepulchrale, quod sequitur, in pavimento situm

☧ HIC LEO VIR SCS. SOCIAT. . . .
. . . . ENS PIETATE POTENS: IC. . . .
QVI VITA EX MONACHO S. . . .
ABSTINVIT TANTVM TANTOQ. .
VT QVASI IAM ANGELICV. . . .

Luperci etiam Episcopi visitur epigraphe marmorea in structura, ipsius jussu adornata circa annum Christi 555. qua ætate præfuit Nolanæ Ecclesiæ.

† HOC QVOD CERNITIS DISCITE QVOD LVPERCVS EPISCOPVS COMPSIT ET
ORNAVIT IN HAC ECCLESIA
LVPERCVS EP FIERI PRECEP
AMORE DI ET SCORVM FELIC. ET PAVLINI RVFI LAVRENTI ET PATRICII

S. Patricius nepos B. Martini Turonensis Episcopi auditor fuit Sancti Paulini Maximi Episcopi Nolani.

Ab his non disjungendi sunt lapides sepulchrales Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & sacrarum Virginum, eadem in Ecclesia superstites: quorum aliqui memorant annos Sacerdotii, diem depositionis, aut Consulatum.

Adeodati Archipresbyteri tale est epitaphium marmoreum: in quo etiam visitur insculpta columba pro more Christianis familiari.

ADEODATVS INDIGNVS ARCHIPRESVITER. SCE. NOL. ECCL. REQVIE
SCIT HIC

Hæc videntur ejus jussu lapidi insculpta, cùm sibi pararet sepulchrum. Cætera, quæ sequuntur addita à Confratribus post ejus obitum:

DILECTVS A DO ET. HOMINIBVS. IN. SACERDOTIVM
ERAT. ENIM. SERMONE. VERAX. IN. IVDICIO. IVSTVS. IN. COMMISSO. FIDELIS
DVLCIS ET BENE SVADVS. IN. VERSIBVS. SVIS. SEMPER
ATDVXIT. MVNERA. QVOPIOSA. QVANDO. INGRESSVS EST. IN SCM FELICEM
TEMPORE. QVO NVLLVS. FVIT. PRETIOSIOR ILLOS SACERDOS
VIXIT. CVNCTIS DIEBVS. VITE. SVE. ANTE. ORDINATIONE ANN XXX
SEDET. SACERDOTALI ORDINE. ANN L ET DEP EST . . .

In abside antiqua tabula marmorea modò affixa parieti testatur depositionem Urani Presbyteri, quem à secretis fuisse S. Paulini Nolani Episcopi constat : cujus etiam literæ complures sunt ad Uranium datæ.

DEPOSITIO VRANI PRESB. XI KAL IANVARIAS

Leguntur etiam depositiones Presbyteri Patricii, Honorati Presbyteri, Presbyteri Florentii.

Diaconi Reparati depositio adjunctas habet Chronologicas notas diei 19. Octobris, & anni 553.

DEP. SANCTE. M. REPARATI
DIAC. DEP D. XIIII. KAL NOVEMB
XII P. C BASILI V C

Subdiaconi Filicelli depositio consignata est marmori, in quo Januariæ (fortasse ejus matris, aut consanguineæ, aut agnatæ) nomen, & Epocha conspicitur anni 536.

† HIC

(1) *h. c. anno* 490.

Digitized by Google

† HIC REQVIESCIT IN PACE IANVARIA †
. . Q VIXIT PL M ANN XXVIIII Cum MA
RITV FEC ANN XV. M XI. D. X. DEP
D XV KA FEBRVAR P C BILI
SARI VI P N D PRIMA †
† HIC REQVIESCIT IN PACE FILICELLVS SBD
QV . . . .

Sacrarum autem Virginum depositiones duæ pertinent ad sæculum quintum. Prior refertur ad annum Consulatus Aetii, nempe 431. vel 437. vel 446. vel 454.

DEP. SACR. VIRG. M. . . .
DIE XIIII. KAL MART AETIO ET
. . . . . ET PAVLI PRESB

Justæ Virginis nomen cùm legerem compositum cum Consulatu Flavii Severini, bis occurrente in Fastis ad annos 461. & 482.

SACRE VIRGINIS
DEP. IVSTI. V. IDS .NOBEBR
FLS. SEVERINO V.C. CONS

monuit pius Sacerdos hujus templi Præpositus, sacra hæc monumenta mihi indicans, repertam fuisse hanc postremam tabulam marmoream ita inscriptam sub columna Ecclesiæ dum paries reficeretur, occludens loculum in topho excavatum, ubi cernebantur Justæ Virginis ossa integra, deposita manibus cancellatis cum lamina plumbea pedibus apposita, in qua visuntur literæ, nomen, ac statum Virginis indicantes sub monogrammate Christi Domini:

A ☧ ω IVSTA VIRGO

Ibi etiam numisma Licinii repertum fuisse narravit.

Hæc omnia cùm reputo post Nolam à Gothis captam, & vastatam, adhuc reperiri unius in Ecclesiæ ambitu, quæ fuerat à B. Paulino restituta, & amplificata; atque in marmoribus quinti, & sexti sæculi video nomina, ætates, depositiones Episcoporum consignari per Consulatus: necnon memorari Presbyterorum ordinationes; Diaconos etiam (æquè ac Subdiaconos, & sacras Virgines) ibidem conditos fuisse, non neglectis temporum notis; universa demum aptata video ad exemplar cœmeteriorum Urbis; necesse est, ut indè colligam duo corollaria. Primum est, B. Paulinum ejus Basilicæ instauratorem, qui origine Romanus, licèt in Gallia natus, maximam ætatis partem in Urbe transegerat, in qua etiam inter Senatores relatus Consulatum quoque gesserat anno Christi 375., cùm perspectam haberet consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, hæc diligenter curantis per Notarios Regionarios, intulisse eandem consuetudinem in Ecclesiam Nolanam, vel antea inductam confirmasse. Alterum corollarium est, ætate Paulini & proxima, nempe sæculo quarto, quando Catalogus ille prior Pontificum Romanorum sub Liberio conscribebatur, abundasse tot documentis genuinis, & publicis historiam hujus Ecclesiæ Romanæ, ut sola ex inspectione brevium inscriptionum, quæ legebantur in Cœmeteriis Christianis Chronologia satis absoluta Romanorum Pontificum colligeretur: aut certè ita luxata ratio temporum Pontificiorum proferri nequaquam posset, cujus emendatio non esset facilis apud eos, qui attentè consulerent titulos sepulchrales Romanæ Ecclesiæ: præsertim si adhiberentur etiam Acta Martyrum, versibus inclusa per Damasum, & incisa eorundem memoriis, eaque conferrentur cum inscriptionibus Cæsarum, & Magistratuum, à quibus publico judicio fuerant damnati, & pro Christo occisi.

27 Redeo nunc ad intermissam comparationem Actorum, quæ Corpora, sive Sodalitates (ut Cato appellat apud Tullium de senectute) Ethnicorum Numinum cultui in Urbe adscriptæ, Fratrum scilicet Arvalium, Pontificum Majorum, Augurum, Epulonum, Sodalium Titiorum, Augustalium, Isiacorum, cultorum Herculis, Solis, Mithræ, aliæque hujusmodi sacra professæ, & in decurias plerumque distributæ, ut observat Fabrettus Inscript. cap. vi. pag. 429. & 449., solebant marmoreis tabulis insculpta affigere templorum aditis, & vestibulis. His verò Actis publica auctoritate propositis ab Ethnicorum superstitione visa est indicere singulare certamen nostræ Religionis à Deo protecta virtus, & constantia per Summos Hierarchas Ecclesiæ Christi militantis: ut Acta veri Sacerdotii Christianæ Legis ære perennius incisa nostris in Basilicis, Titulis, & Collegiis Triumphales veluti Fastos opponerent in Petri Capitolio profanis Ethnicorum initiationibus, & misteriis impietatis. Nam Romanæ Ecclesiæ Pontifices ad perennitatem memoriæ, & historiæ fidem, & documentum posteris transmittendum Æterni Sacerdotii Christo collati à Patre, ab eoque communicati Petro, & successoribus vices suas in terris obeuntibus, ibidem tropæa Apostolorum, & sacras leges, ac successionis jura, & seriem spectandam proposuerunt marmore, & ære incisam, ubi ad idolorum mystis *diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum*; quemadmodum observat S. Leo Magnus serm. I. de SS. Apostolis Petro, & Paulo. Ita nempe par erat, ut omni genere documentorum evidens redderetur, Christum Deum, Regem, *& Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech dominari* etiam per servos suos *in medio inimicorum suorum*. (1) Id clariùs ut percipiatur, quod plurimum refert ad asserendam firmitatem historicam rerum in Libro Pontificali memoratarum, præstat observare, ubinam reperta fuerint Acta illa paulò ante memorata cooptationum ethnicæ professionis sacerdotum, Fratrum Arvalium, & cultorum Isidis, Attidis, Matris Magnæ, Mithræ, & Solis, quibus nostræ Religionis Antistites veri Sacerdotii Christiani Acta esse opponenda censuerunt.

28 Cooptationes Decuriarum illius Sacerdotalis Collegii Ethnicorum, cui Nero Cæsar adscriptus legitur sub Claudio Imperatore, affirmat Gruterus pag. ccc. repertas fuisse *Romæ in æde nova S. Petri in Vaticano anno MDXCVI. mense Junio*. Acta Collegii Fratrum Arvalium sub Domitiano, quæ V. C. Fabrettus produxit In-

(1) *Psal.* 110.

Digitized by Google

Inſcriptionum pag. 443. docet aſſervari in Archivo Baſilicæ Vaticanæ: ubi etiam cuſtodiebatur fragmentum illud ætate ſua repertum, quod exhibuit fol. 494. Initiationes Sacerdotum Mithræ criobolio, tauroboliroque perfecto in aris pluribus inſculptæ, additis Conſulibus, & die dedicationis, effoſſæ ſunt prope flexum Circi Vaticani, dum fundamenta jacerentur meridionalis lateris tranſverſæ navis Baſilicæ, ubi SS. Simonis, & Judæ Apoſtolorum ara poſtmodum fuit excitata: aſſerente Jacobo Grimaldi, Notario ad hoc muneris adlecto; ut ſingula diligenter referret in literas, quæ in dejectione veteris Baſilicæ, atque in molitione novæ per dies ſingulos reperirentur. Id præſtitit diligenter in tabulis auctoritate publica exaratis, & munitis impreſſione ſignaculi: quarum autographum hodie aſſervatur in Archivo Canonicali ejuſdem Baſilicæ Principis Apoſtolorum. Enumerat igitur Grimaldus fol. 43. aras complures marmoreas circa Baſilicam eodem modo repertas, & à Pompejo Ugonio antiquitatis ſtudium profeſſo recognitas, quæ indicabant ab ethnicis Iſidem deorum ſuorum matrem ibidem cultam fuiſſe. Dabo Grimaldi verba „ In loco, ubi nunc eſt „ ſacellum Apoſtolorum Simonis, & Judæ in „ abſida novi templi, quæ ad meridiem vergit, „ mauſoleum S. Petronillæ à Scriptoribus ap„ pellatum &c. Id quidem Marti ſacrum fuiſſe „ ſcribitur. Sed vir doctus, & Urbis Eccle„ ſiarum antiquitatis indagator ſtudioſiſſimus „ Dominus Pompejus Ugonius, dictæ Baſilicæ „ Clericus Beneficiatus, orator inſignis, non „ *Marti*, ſed potius *Matri*, corrupto vocabulo „ in *Matrem* primitus dicatum fuiſſe exiſtimat. „ Idque inter alia potiſſimum elicit, quod hoc „ tempore cùm Pauli V. Pontificis Maximi juſ„ ſu anterioris faciei angulus versùs Campum „ Sanctum fundaretur, effoſſæ ſunt ibi quam„ plures aræ *Matri Deûm Magnæ Ideæ* ſacræ; „ ſculptæ Taurobolii, & Criobolii ſacrificiis, „ temporibus Conſtantii, & Maximiani Nobi„ liſſimorum Cæſarum, Gratiani Auguſti, & „ Merobaudis Coſſ., Valentiniani Aug. & Neo„ terii Coſſ., & aliæ hujuſmodi, quæ in ſpre„ tum acervatim projectæ huc illuc, ac fractæ „ à Chriſtianis olim fuerant. Nunc viſuntur in „ vinea Cardinalis Burgheſii extra Portam Sa„ lariam.

Inſcriptiones ex autographis deſcriptas exhibet fol. 164. quarum nonnullæ, licèt editæ legantur à Martinello in Opuſculo de Imagine B. Mariæ Virginis apud Moniales SS. Xyſti, & Dominici; paucæ etiam occurrant apud Fabrettum Inſcriptionum cap. 9. fol. 665. à neutro tamen univerſæ proferuntur. Quare ex Grimaldi codice præſtat tum impreſſas, tum ineditas hic exhibere.

1

M. D. M. I
DD. NN. CONSTANTIO
ET MAXIMIANO NOBB.
CAESS. V. CONSS. XVIII
KAL MAII. IVLIVS. ITA
LICVS . V. C. XV VIR
S. F. TAVROBOLIVM
PERCEPI. FELIC. (1)

2

ANTONIN. . . . . . (2)
V. C. PONTIF. ET DECEMVIR. SA. F
TAVROBOLIO. CONFECTO. III. KAL. MAI
FL. ANICIO. ET. NIGRINIANO. CON. ARAM.
EELICITER CONSECRAVIT (3)

3

M. D. M. I.
ET. ATTIDI MENO
TYRANNO CONSER
VATORIBVS SVIS CAE
LIVS HILARIANVS V.C.
DVODECEMBVR
URBIS ROMAE
P. S. ET. HIEROCERVX
I. M. S. D. L. S. D
HECATE
D. N. GRATIANO AVG
ET MEROBAVDE
CONSS. IIII. IDVS
MAIAS (4)

4

ANTONIN. . . .
V. C. PONTIF. E . .
DECEMVIR SA. F.
TAVROBOLIO
CONFECTO. III. KAL
MA. FL. ANICIO. ET
NIGRIANO CON
ARAM. FELICITER
CONSECRAVIT (5)

5

DIIS OMNIPOTENTIBVS
LVCIVS RAGONIVS
VENVSTVS. V. C.
AVGVR. PVBLICVS
P. R. Q. PONTIFEX
VESTALIS. MAIOR
PERCEPTO. TAVROBOLIO
CRIOBOLIOQVE
X. KAL. IVN.
D. N. VALENTINIANO
AVG. IIII. ET. NEO
TERIO. CONSS
ARAM. CONSECRA
VI (6)

6

M. D. M. I.
ET. ATTIDI. SANCTO
MENO TYRANNO
Q. CLODIVS. FLAVIANVS
V. C. PONT. MAIOR
XV. VIR. S.F. SFPTEM
VIR EPVLONVM
PONTIFEX DEI SOLIS
TAVROBOLIO CRIOBO
LIOQVE PERCEPTO
ARAM DICAVIT
NONIS APRILIBVS
FFLL. MEROBAVDE
ET. SATVRNINO
CONSS (7)

(1) *Anno Chriſti* 305.
(2) *Edita à Fabretto Inſcript. pag.* 665.
(3) *Spectat ad annum Chriſti* 350.
(4) *Anno Domini* 377.
(5) *Datam ex Fabretto num.* 2. *ita deſcribit Grimaldus.*
(6) *Chriſti* 390.
(7) *Chriſti* 383.

Digitized by Google

7

V. C. T
SACERDVS MAXIMA
M. D. M. I. TAVROBOLIO
CRIOBOLIOQVE REPETI
TO. DIIS. OMNIPOTENTI
BVS. M. D. ET. ATTI
ARAM. DICAVIT
NONIS APRILIBVS
FL. MEROBAVDE
V. C. ITERVM
ET. FL. SATVRNINO
V. C. CONSS. (1)

8

MATRI DEVM MAGNAE IDEAE (2)
SVMMAE PARENTI HERMAE
ET ATTIDI MENO TYRANNO
INVICTO CLODIVS HERMOGENIA
NVS CAESARIVS V. C. PROCONS
AFRICAE. PRAEFEC. VRBIS
ROMAE. XV. VIR. S. F. TAVROBOLIO
CRIOBOLIOQVE PERCEPTO
XIIII. KAL. AVG. DIIS. ANIMAE (3)
SVAE. MENTISQVE CVSTODIBVS
ARAM DICAVIT
D. N. GRATIANO AVG. TER
ET . . . AEQVITIO CONSS (4)

9

ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ
ΕΙϹ ΔΕΚΑΠΕΝΤΕ (5) ΑΝΔΡΙωΝ ΦΟΙΒΟΥ ϹΤΕΦΑΝΕΦΟΡΟϹ ΙΡΕΥϹ
ΚΡΗϹΗΝϹ ΗΓΑΘΕΟϹΤΕ ΛΕΟΝΤΙΟϹ ΕΝϹΟΦΟΙ ΑΝΔΡΕϹ
ΟϹ ΜΕΝ ΑΠ' ΑΝΤΟΛΙΗϹ ΟϹ Δ' ΑΡ' ΑΠ' ΕϹΠΕΡΙΗϹ
ΟΡΓΙΑ ϹΥΝΓΕΞΑΝΤΕ ΘΕΑΙ ΠΑΜΜΗΤΟΡΙ ΡΕΙΗΙ
ΚΡΙΟΒΟΛΟΥ ΤΕΛΕΤΗϹ ΚΑΙ ΤΑΥΡΟΒΟΛΟΙΟ ΦΕΡΙϹΤΗϹ
ΑΙΜΑϹΙ ΜΥϹΤΙΠΟΛΟΙϹ ΒωΜΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕϹΑΝ

Interpretatio autem retroscriptæ Græcæ Inscriptionis talis est

MATRI DEVM
XV. VIR. PHOEBI. CORONATVS. SACERDOS
CRESCENS. DIVINVSQVE. LEONTIVS. SAPIENTES. VIRI
ALTER. QVIDEM. AB. ORIENTE. ALTER. VERO. AB. OCCIDENTE
RITVS. SIMVL. PERAGENTES. DEAE. OMNIPOTENTI RHEAE
CRIOBOLII. VICTIMAE. ET TAVROBOLII. OPTIMAE
SANGVINIBVS. SACRIS. ARAM. EREXERE

„ Ex his (subdit Ugonius) duo versus sunt „ hexametri, & duo pentametri. Habebat à „ lateribus Cybelem cum arbore pini, & At- „ tidem cum capitibus Bovum. Mirandum „ valde est, quomodo humani generis hostis „ juxta sanctiorem totius Orbis Basilicam se in- „ gesserat ad tantam abominationem sacrificio- „ rum Idololatriæ celebrandam temporibus „ Christianorum Cæsarum: nec mirandum, si „ ab aliquo optimo viro malleo aræ ipsæ fra- „ ctæ, & acervatim sepultæ repertæ sint.

29 Hæc postrema Ugonii conjectura, tot lapidibus confirmata, quæ suadebat opinari, sacra Matris Magnæ, & Idææ peragi consuevisse in Vaticano, ætate nostra vim demonstrationis obtinuit ex alia celeberrima inscriptione, reperta in summo colle Lugdunensis Coloniæ in Gallia. Eandem vulgavit, & lectissima, qua pollet, eruditione exposuit Adm. Rev. Pater Dominicus de Colonia Soc. Jesu Theologus, multis mihi nominibus spectatissimus, & singularis benevolentiæ æquè ac doctrinæ causâ summopere colendus. Ante quinquennium cùm Romanas antiquitates secum lustrarem Lugduni non infrequentes, ostendit aram Taurobolii signis incisam, effossam in eo colle, & commentarium abs se de illa editum, hospitalitatis nostræ tesseram pretiosissimam largiri voluit: tum præ cæteris observandum insinuavit, in illius aræ inscriptione hæc verba perspicuè legi: VIRES EXCEPIT, ET A' VATICANO TRANSTULIT: Id enim de Vaticano colle Urbis Romæ intelligi oportere disertè tradit, cùm in Colonia Lugdunensi nullus occurrat locus ejusmodi nomine donatus. In Urbem reversus, cùm liber Grimaldi mihi oblatus fuisset, memorans inscriptiones jam relatas Matris Magnæ, & Taurobolii, atque Criobolii percepti, locumque effossionis designans in Vaticano; hac una Lugdunensi ara cæterarum usum demonstrari intellexi, apud Vaticanam Basilicam repertarum. Quin etiam hæc Lugdunensis ostendit, eam consuetudinem de qua loquitur, transferendi superstitiosum cultum Idææ Matris, Taurobolii, & Criobolii ex Vaticano colle Romanorum ad Colonias viguisse sub Antoninis. VIRES TAVRI, hoc est (ut cum Salmasio scitè exponit P. Colonia) cornua ejus animantis, seu victi-

(1) *Christi* 383.
(2) *Fabrettus fol. 666. n. 522. ita exprimit* M. D. M. I. *ubi etiam versus aliter distinguit, & aptius, ut videtur.*
(3) *Christi* 374.
(4) *Grimaldus in margine hæc addit: Hanc Inscriptionem multo labore exscripsi propter characteres jam propè deperditos.*
(5) *Ita, sed mendosè pro* ΑΝΔΡωΝ.

Digitized by Google

victimæ mactatæ in Taurobolio apud collem Vaticanum Romæ, transferebantur cum ARA, & BUCRANIO in Coloniam, ubi decretum fuerat sacra Matris Deum Magnæ Idææ peragere ritu Romano per Sacerdotes exornatos occabo, & corona à Quindecemviris sacris faciundis. Præstat inscriptionem illius aræ Lugdunensis cum prototypo à me inspecto exactè congruentem ex libro laudato P. de Colonia mutuari.

TAVROBOLIO MATRIS D M I D
QVOD FACTVM EST EX IMPERIO MATRIS D
DEVM
PRO SALVTE IMPERATORIS CAES T. AELI
HADRIANI ANTONINI AVG. PII PP
LIBERORVMQVE EIVS
ET STATVS COLONIAE LVGVDVN
L· AEMILIVS CARPVS IIIIII VIR. AVG. ITEM
DENDROPHORVS

Hic visitur insculptum Caput Tauri, seu Bucranium coronatum. Subtus legitur

VIRES EXCEPIT EX VATICANO TRANS
TVLIT ARA ET BVCRANIVM
SVO INPENDIO CONSECRAVIT
SACERDOTE
Q. SAMMIO SECVNDO AB XV VIRIS
OCCABO ET CORONA EXORNATO
CVI SANCTISSIMVS ORDO LVGVDVNENS
PERPETVITATEM SACERDOTI DECREVIT
APP. ANNIO ATILIO BRADVA T. CLOD. VIBIO
VARO COS

In sinistro latere ejusdem aræ insculptum est Cranium Arietis indicium Criobolii. Dextro autem in latere cultri figura visitur cum literis

CVIVS MESONYCTIVM
FACTVM EST V ID. DEC.

Aptè observat doctus Interpres hujus monumenti, ex Tertulliano, Ambrosio, Firmico Materno, aliisque Scriptoribus antiquis, *à Diabolo, cujus sunt partes invertendi veritatem*, institutum fuisse, *ut ipsas quoque res Sacramentorum Divinorum* (verbis utitur Tertulliani) *in idolorum mysteriis æmuletur. Tingit & ipse utique credentes & fideles suos, expiationem de lavacro repromittit*. Firmici quoque verbis ostendit, inter errores profanarum religionum à spiritu mendacii subdolè inductam credulitatem expurgandorum criminum per sanguinem victimæ, ante aras idolorum profusum, & ritu descripto per Ausonium in Taurobolio, & Criobolio ita consperfum, ut eo cruore, quasi rore depluente, perfunderentur membra, ac vestes Sacerdotis initiandi sub scrobe latentis. His nempe sycophantiis conabatur impietatis magister, & Deo rebellis spiritus illudere sanctioribus mysteriis utriusque Testamenti, traducens ad abusum superstitionis consperfionem sanguinis Divino jussu à Moyse adhibitam in consecratione Pontificis Aaronis, ejusque filiorum; & sacrilego ausu tentans fœda illa simulacra lotionis opponere dogmatibus spei, ac fidei nostræ, docentis, per Christi sanguinem pretiosum purgari nos, & consecrari filios in salutari lavacro baptismi; Sacerdotes verò dedicari in eodem sanguine per unctionem ordinis, & signi ab æterno Pontifice instituti. Sed inspectio marmorum memoratorum declarat, longius provectas artes, licèt irritas, & invidiam maligni spiritus. Eo enim dementiæ processit; ut cogitaverit de subvertenda Hierarchia Ecclesiæ, idque speraverit se assecuturum, si sectatoribus suis inspiraret, ut è Vaticano, ubi Christianæ communionis centrum fixerat Petrus, Auctore Christo, diffunderet ille mysteria Matris Deûm Idææ auctoribus Quindecemviris in orbem Romanum. Videbat hostis humani generis, à successoribus Petri post ejus obitum Episcopos ablegari, perinde ac Petrus consueverat, per orbem universum: & unitatem Ecclesiæ servari per nexum Sacerdotii Maximi divinitus institutum; cùm nutu Principes Episcopalis Ordinis omnia membra colligi in Conciliis, & dirigi legibus cerneret; moderante rem Christianam universam eo, qui in Petri cathedra successor, & navarchus sederet quasi ad clavum Reipublicæ Christi Vicarius Episcopus Romanus. Commentus itaque est inimicus veritatis, & religionis, ex vicinia Petri cathedræ suos hierarchas ablegare in Provincias, & Colonias Romani nominis. In Vaticano, nempe in crepidine solii Petri, aras Mithræ, Isidis, & Matris Magnæ, Taurobolia, Criobolia, & ejusmodi portenta numinum, ac mysteriorum ita fundare aggressus est, ut indè proferre impium cultum utrobique posset, in orientem & occidentem; quod insinuat non obscurè inscriptio Græca sup. n. 22. Neque aliter sentire suadet Epocha translationis sacrorum in Lugdunensi marmore consignata. Observat enim opportunè P. de Colonia cum pluribus eruditis, ante imperium Antonini Pii non reperiri ullum Taurobolium, ejusve ritum Româ translatum; sed neque ullum Romæ, aut in Provinciis peractum, aut perceptum antiquis in monumentis, aut historicis memorari. Quare colligere possumus, circa eam ætatem, qua ordinandis Imperii Provinciis Hadrianus, & Antoninus occupabantur, & qua Episcopalium sedium ordinandarum par cura detinebat Petri successores, dum isti ad Apostolorum tropæa paulò ante constructa per Evaristum, in confessione B. Petri Clerum colligentes, & Episcopos, Presbyteros, Diaconos initiatos sacris ordinibus hinc ablegantes ad Christiana sacra, qua in suburbicariis sedibus, qua in Titulis Urbanis, qua in Provinciis exercenda, etiam in toto divisis Orbe Britannis; eâ, inquam, ætate, qua nostræ Religionis Antistites summi ita procurabant sacrum Christi Principatum, & Sacerdotium, Quindecemviri sacris faciundis, aliique Dæmonum mystæ Idolum Dagon contra Arcam Domini erigentes, ad radices Vaticani collis instituerunt Taurobolia, & Criobolia Matris Magnæ, & occabo ornatos, & coronatos Sacerdotes *cum ara, & viribus, & bucranio* indè perceptis miserunt in Colonias ad contagium superstitionis suæ Provinciis inferendum.

30 Verùm pari sorte, ac olim Dagon truncus in frusta concisus, ac dejectus ante Arcam Domini stantem repertus fuerat, etiam ea monumenta Matris Deûm, Mithræ, fratrum Arvalium, & Quindecemvirûm confracta reperta sunt, ac tumultuariè disjecta à Christianis, & projecta in scabellum pedum Piscatoris: ante hujus Basilicam dum jacerent, futura indicia victoriæ per Fidem nostram de gentibus, earumque superstitionibus reportatæ. Apparet in his fragmentis vana æmulatio decidentis idololatriæ, à Tertulliano indicata in idolorum mysteriis, ut *ipsas quoque res Sacramentorum traduceret ad abusum superstitionis*: dum aspersione sanguinis, observatione mesonyctii, delectuque areæ Vaticanæ, & mensis Decembris conatur pervertere nostræ Religionis instituta sanctiora, & in aris, laterculis, marmoreis, æneisque tabulis profana sua mysteria ad posteros derivare. At nostri Præsules inter ruinas prostratæ superstitionis stantem Arcam Dei, & nunquam subvertendam infernarum potestatum viribus Petram ostendentes, supra quam Ecclesia constructa est, constanter perseverant per annos mille sexcentos, & quod excurrit cum Leone Magno, ejusque decessoribus, & successoribus *quartâ, & sextâ feriâ more majorum, jejunia indicere, & Sabbato apud beatum Petrum vigilias celebrare*: in quibus præsertim *mense Decembri* ordinationes Ministrorum, Sacerdotumque minorum, ac majorum perficiant. Nec segniori cura platonias Basilicæ inciderunt monumentis nunquam desituris Sacerdotii Christiani: unde Pontificalis historia colligi potuit, & confirmari in texendis Catalogis sub Liberio, & sub Felice Quarto, & in Vitis Pontificum colligendis sub Gregoriis Secundo, & Tertio.

31 Jucundum erit inspicere, quanta superesset per eam ætatem copia documentorum, non modò in codicibus Archivi Apostolici, sed etiam in parietibus, & marmoribus sacrarum Ædium, quæ res plerasque comprobarent in hoc Pontificali libro enunciatas. Tria ferme ad capita reduci possunt ea, quæ in Vitis Pontificum occurrunt Anastasio tributis. Primum caput est Chronologicum, indicans tempus sessionis in Petri cathedra, & Consules, quibus respondet uniuscujusque Pontificatûs initium, ac terminus. Caput alterum constat decretis, & ordinationibus Sacerdotum, ac Ministrorum. Tertium denique includit donationes fundorum, structuras Basilicarum, ac Titulorum, ornamenta, & supellectilem pretiosam Ecclesiæ oblatam à Pontificibus Romanis, Imperatoribus, aliisve Principibus. Documenta rerum triplici hocce capite enunciatarum ita erant in propatulo sub Gregorio Tertio, quando Liber iste Pontificalis in publicum prodivit, ut complura legi possent in marmoribus genuinis. Licet indicium desumere ubertatis documentorum ex iis, quæ post annos mille jam evolutos à Gregorii Tertii ætate ad nostram adhuc visuntur superesse in Titulis Urbanis, Cœmeteriis, Basilicis, & Archivis.

32 Quod pertinet ad primum caput Chronologiæ Pontificalis per Consules ritè comprobatæ, ostendimus, in actis Martyrum, in platoniis à B. Damaso incisis, in Cœmeteriis, loculisque Christianis tot superesse documenta consuetudinis illius ætatis; ut quarto, sextoque sæculo Christi abunde potuerint indè colligi indiculi, catalogi, diptycha, Martyrologia. Teritur omnium manibus liber impressus Romæ anno 1654. complexus Inscriptiones antiquas superstites in Basilica S. Pauli viâ Ostiensi. Placuit experimenti causa numerare; quot Consulatus illæ contineant. Legi duos supra octoginta in iis, quæ Christianorum sunt, & pertingunt ad numerum 436. Complures præterea sunt inscriptiones, quarum fragmenta cùm non retineant tot elementa dictionum in nominibus Consulum indicatis, ut intelligi possit ad quos Consules referantur, excludendas putavi à summa prædicta. Cùm igitur unica in Æde Sacra Romana supersint post annos mille à collectione Libri Pontificalis tot paria Consulum, ut septimam ferme partem Fastorum Consularium implere possint à Tiberio ad Justinianum, sive ab anno Passionis Dominicæ ad Felicem Quartum; quot putamus patuisse omnium oculis sub Liberio, & Damaso, dum Catalogi conscriberentur, & gesta Martyrum celebrarentur carminibus incisis in platoniis, Urbe nondum capta, & direpta à Gothis, Vandalis, & Hunnis? Si Gentilis Delfinius Romanos Fastos a Bruto, & Collatino ad Julium Cæsarem ordinavit, collectis marmoribus Capitolinis ex Fori Romani reliquiis, atque paucarum Urbis Ecclesiarum, quo temere translata fuerant fragmenta, quemadmodum Panvinius memorat, post annos mille quingentos, quàm fuerant in foro positi; quot præsidiis Chronologiæ suffultos fuisse credimus Auctores Catalogorum Pontificalium sub Liberio, & Damaso? præsertim cum illâ ætate post Chronicon ab Eusebio digestum per Consules ex Actis publicis, jussu Magni Constantini ab omnibus Imperii provinciis subministratis, non tam recudendi essent Fasti Consulares, ac Pontificii, quàm conferendi cum tabulis Latinis Notariorum, Cœmeteriorum, indicum, diptychorum, quibus Catalogi admovebantur veluti ad Lydium lapidem. Anonymus Collector Fastorum sub Constantio, quem Cuspinianus primùm nactus, mox etiam Bucherius, æquior æstimator præclari illius monumenti, feliciori curæ Cardinalis Norisii illustrandum reliquerunt, Anonymus, inquam, ille satis ostendit, etiam citrà opem Chronici Eusebiani, quot adjumentis suffulcirentur Epochæ Consulares in Occidente, quibus Pontificiæ facilè alligabantur. Minus itaque necessarium duco versari diutiùs in hujusce primi capitis firmamento; cùm Chronologiæ Pontificiæ, & Consularis opes essent in numerato iis, qui mediocrem curam adhiberent quarto Christi sæculo in observandis monumentis Romanis, nondum per Gothos, & Vandalos deturbatis. Quinto verò sæculo Christi ineunte, licèt colluvies Barbarorum Urbi superfusa bonis artibus bellum indiceret, & complura ornamenta deleret; maximam tamen partem documentorum abolere nequaquam potuit, neque destitutos relinquere testimoniis temporum, & gestorum Chronologos, & Historicos. Ut enim ante Gothorum irruptionem Eusebii Fastos, & Chronicon Hieronymus, Hieronymi Prosper perduxit ad Consulatum Valentis sextum, & Valentiniani secundum, Christi verò annum 378.; ita non destitit quinto sæculo Victorius Aquitanus Canonem Paschalem, & Periodum annorum DXXXII. ordinare per Consules à duobus Geminis Christi 28. ad Constantinum, & Rufum, Christi 457. quem laborem Anonymus sexti sæculi produxit ad finem Periodi Victorianæ post Consulatum Basilii XVIII. Christi 559. & adhuc legitur apud Bucherium. Quin etiam Fasti marmorei in Coloniis reperti, quorum fragmenta edidit Gruterus fol. CCIC. & Fabrettus Inscriptionum fol. 485. præter alia inedita,

dita, quæ suo tempore daturi sumus, dum pariant Consules ordinarios, Romæ procedentes cum Magistratibus ejus Coloniæ, aut municipii, ostendunt, nedum Romæ, sed etiam in Provinciis spectari potuisse documenta operum publicorum, in quibus Consulum Romanorum series cognosceretur. Quod igitur attinet ad primum caput Chronologiæ Consularis æquandæ cum Pontificia, satis constare arbitror de documentis, quarto, & sexto sæculo præservatis Auctoribus Catalogorum sub Liberio, & sub Felice Quarto.

33 Me itaque conferam ad alterum caput rerum enunciatarum in hisce Vitis Pontificum: quod complectitur eorundem Decreta nonnulla, & numerum sacrarum ordinationum, quas singuli peregerunt. Decreta, ut plurimum referebantur ad disciplinam, ad liturgiæ ministeria, ad ritum Sacramentorum. Nam dogmata Fidei nostræ, si qua fortè convellere hæretici conarentur, ab istorum audacia defendebant Pontifices redditione Symboli Apostolici, majorum traditionibus, & interdictione sacrorum. Hæc autem munimenta Fidei, licèt arcani disciplina plerumque contegeret, neque propterea forent in propatulo marmoribus incidenda per eam tempestatem, sed in Archivis Ecclesiæ asservanda cum divinis literis, & cum genuinis Patrum operibus; visuntur tamen indicata fidelibus in marmore Hippolyti Episcopi, & Martyris: ubi catalogus ejus lucubrationum indicat, jam tum collectas fuisse Apostolicas traditiones, per ea verba ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟΣΙΣ, & Opuscula dogmatica ΠΕΡΙ ΘΕΟΥ ΚΑΙ ΣΑΡΚΟΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ, *de Deo, & carnis resurrectione*, ΠΕΡΙ ΤΑΓΑΘΟΥ ΚΑΙ ΠΟΘΕΝ ΤΟ ΚΑΚΟΝ, *de bono, & unde malum*. Necessitate autem poscente, ut per Concilia apud Sedem Apostolicam graviores causæ judicarentur, & sententiæ Patrum confirmarentur auctoritate Pontificis Romani, hujus Epistolæ, & Acta Concilii transmittebantur ad Ecclesias præcipuas; ut in causa Novati celebre exemplum legitur apud Eusebium historiæ lib. 6. cap. 43. *Extant adhuc*, inquit, *Epistolæ Cornelii Romanorum Episcopi ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Præsulem missæ: in quibus & Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliorumque locorum illorum provincias sententiæ declarantur*. Epistolæ verò, quas Petri successores dedissent ad Ecclesias, tanta religione suscipiebantur, tantoque in pretio habebantur, ut eadem historia Eusebii nos doceat, (1) illam, quam Clemens nomine Romanæ Ecclesiæ scripserat ad Corinthios, *in plerisque Ecclesiis sua, & superiori memoria palàm recitari consuevisse*: & ita proximam fuisse habitam sententiis Epistolæ Pauli ad Hebræos; (2) *ut cum reliquis Apostoli scriptis non sinè causa eadem recenseri videatur*. Verùm, uti observabam, in hisce Vitis Pontificum decreta plerumque pertinent ad disciplinam, & potior pars refertur ad liturgiam. Hæc itaque pars historiæ Pontificalis nitebatur testimonio quotidiani ministerii, Apostolicæ Sedis ritu frequentati, & subinde digesti in Codicem Gelasianum, sive Ordinem Romanum quem vocant: itaut ære perennius monumentum ejusmodi rituum, ac decretorum dedicatum sit in praxi quotidiana Ecclesiæ Romanæ.

34 Quin etiam in Epistolis Romanæ Ecclesiæ Pontificum, quas pauló ante memoravi transmissas, & diligenter custoditas in Archivis sedium præcipuarum, elucet praxis disciplinæ Sacramentorum, aliorumque rituum, quæ comprobat, atque illustrat decreta, à decessoribus edita.

In laudatis literis Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum circa annum Christi 255. dum narratur, à Novato Presbytero subornatos fuisse, & accitos Episcopos tres, ut manuum impositione sibi traderent Episcopatum, mirificè comprobatur, ab Apostolorum ætate hunc ritum esse repetendum: quem in Græca etiam Ecclesia observatum fuisse ante annos mille quingentos colligit Morinus (sacrarum ordinationum par. 2. pag. 21.) ex ordine à Clemente Romano primùm vulgato, mandante Beato Petro, mox à posterioribus ætatibus aucto. Unde fit, Vitarum istarum Auctorem neque inutiliter, neque citra auctoritatem asseruisse in vita Clementis: *Ideo Linus, & Cletus ante eum conscribuntur, eo quod ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sunt Episcopi ordinati*. Princeps enim Apostolorum, cùm normam institueret hac in Ecclesia reliquarum ordinandarum, ac regendarum, non omisit designare duos Episcopos lateri suo adhæsuros, cum quibus manus imponeret Episcopis per diversa loca in Urbe ordinandis, nempe ad exhibendum id ministerium Sacerdotii majoris, quod tres Episcopos requirebat. Hinc inter Canones, quos vocant *Apostolorum*, omnium habetur primus, qui statuit, ministerio trium Episcoporum Episcopum ordinari.

In eadem Epistola Cornelii meritò culpatur Novatus, quod posteaquam morbo convaluit, in quo Baptismum susceperat, *reliqua non perceperit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab Episcopo sit consignatus*. Quis non videat hinc luculenter probari, Ecclesiasticas regulas constitutas ante Cornelium circa ritus Baptismi observandos etiam ab iis, qui necessitate urgente compendiarium beneficium Sacramenti obtinuissent juxta definitionem decreti Victoris Papæ, ante annos sexaginta conditi, & in ejusdem vita ita expressi? *Constituit, ut necessitate faciente ibi, ubi inventus fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantùm Christiana confessione credulitatis clarificata, quicumque hominum ex gentilitate veniens ut baptizaretur*. Quis non intelligat hinc percipi disciplinam Apostolicam chrismatis, ab Episcopo, non verò à simplici Presbytero ministrandi: quam à Novato posthabitam hic meritò culpat Cornelius? Rursus in Episcopis subdolè accitis per Novati fautores ad ejusdem consecrationem censuram exercet Cornelius, objurgans eos fuisse clanculum congregatos. Hoc nempe adversabatur decretis Sixti, ac Zephyrini, recensitis hoc in Libro Pontificali *de formatis à Patriarcha impetrandis, ut Episcopus relicta Sede sua Romam veniens redeundi potestatem haberet*. Imò & συγκλεισθέντας *conclusos*, ὥρᾳ δεκάτῃ *horâ decimâ*, μεθύοντας καὶ κραιπαλῶντας *temulentos, & crapula oppressos* irritam, & umbratilem consecrationem declarat ei contulisse: quibus vitiis ordinationis non obscurè indicantur oppositi Canones decessorum Romanæ Sedis Antistitum; nempe Telesphori, Missæ celebrationem aptantis ex hora tertia, qua Dominus noster ascendit in Crucem, ad horam nonam, qua in Cruce expiravit (ut infra in ejus vita disertè legitur,) excepta nocte Nativitatis Dominicæ; & Zephyrini, jubentis, *ut in præsentia omnium Clericorum*

(1) *Euseb. hist. lib. 3. cap. 16.*

(2) *Ibi cap. 38.*

Digitized by Google

rum, & Laicorum fidelium, sive Levita, sive Sacerdos ordinaretur : (1) quod etiam elucet alio in Epistolæ loco, ubi dicitur Novatus Presbyterii honore insignitus ab Episcopo, indulgentius cum illo agente, *etiamsi Clerus universus, multique ex populo refragarentur, eo quod non liceret quempiam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde, ac ille perfusi fuissent, in Clerum assumi*. Confirmat hæc Tertullianus in libro de Jejunio adversus Psychicos: ubi, licet suggillet praxim Ecclesiæ Romanæ, attamen eandem illustrat, ostendens, jejunium perductum *ad horam nonam* qua Dominus expiravit, refectionis modum tunc permisisse. Quare jure culpat Cornelius Papa eos Episcopos non jejunos, *sed crapula, vinoque distentos horâ decimâ* (2) manus impositionem exercuisse. Demum in Elencho delictorum Novati, dum illud gravissimum recitatur de sacrilego juramento, ab iis exacto, quibus Dominicum Corpus impertiretur, resultat contraria disciplina, Zephyrini decretis proscripta hoc in Libro Pontificali. *Fecit* (inquit Auctor in vita Zephyrini) *constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Ecclesiam Ministri portarent, donec Episcopus Missas celebraret, ante se Sacerdotibus adstantibus, & sic Missæ celebrarentur: excepto, quòd jus Episcopi interesset, ut tantùm Clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi jam coronam consecratam, & acciperet Presbyter tradendam populo*. Hæc disciplina fuerat à Zephyrino constituta. Quid contra eam molitus sit Novatus ex Cornelii Papæ epistola cognoscimus. *Oblatione*, inquit, *facta portionem singulis dividens, dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus, qui portionem accipit ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens, quàm jurati ista dixerint: ipsis enim utar illius verbis: Jura mihi per Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum. Ita miser ille non priùs gustare sinitur, quàm sibi ipse malum imprecatus sit. Et cùm panem illum accipiens dicere debuisset Amen, ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium*.

35 Mirum dictu est, quot firmamenta historiæ Pontificalis hujusce Libri contineantur in brevi fragmento unius ex epistolis S. Cornelii Papæ, nobis præservato per Eusebium. Quot igitur adjumenta supererant Notariis Ecclesiæ Romanæ æqualibus Eusebio, dum colligerent Acta, Vitasque Pontificum ex Tabulariis Ecclesiæ singulorum rescripta servantibus? Liceat unum adhuc observatum repetere ex eodem fragmento Epistolæ Cornelianæ, quod mirificè illustrabit documenta decretorum simul & ordinationem in eisdem Vitis ita diligenter memoratarum.

De Novati stupiditate ita scribit Cornelius Papa: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica. In qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset?) Presbyteros quidem esse quatuor & quadraginta: septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos: Acolythos duos & quadraginta: Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis quinquaginta duos*. In vita Hygini ita reperiemus perscriptum: *Hic Clerum composuit, & distribuit in gradus*. Septem Diaconorum numerum assignasse traditur Evaristus. Subdiaconos totidem hìc legimus institutos à proximo Cornelii decessore Fabiano. Ordinationem Clericorum præsente Clero, & Populo celebrandam didicimus in Zephyrino. Quare meritò Cornelius miratur, à Novato Presbytero Ecclesiæ Romanæ, ejusque Episcopatum ambiente non teneri numerum ordinatorum. Imò interrogat, quî fieri potuerit, ut rem adeò notam solus ignoraret. Certè cùm ordinum exercendorum tempora essent per regulas definita; cùm formatæ abeuntibus ab Episcopo dandæ forent; oportuit indiculos, & diptycha omnium Clericorum, eorumque ordinationis Epocham ab administris Pontificum, & Notariis Romanæ Ecclesiæ diligenter conscribi, & asservari. Quare scripturis vitas Pontificum deesse minimè poterant hæc publica documenta ex Archivis Ecclesiæ ad usus frequentes identidem producenda.

Ordinationibus Clericorum affinis est memoria consecrationum Tituli, Fontis, Altaris, & oblatio donorum, quæ hac occasione Episcopus erogabat. Delibandum leviter est, & indicandum, quanta documentorum copia parata esset operi Anastasiano, illis præsertim ætatibus, quibus Catalogi, & Vitæ conscribebantur. Fidenter dicam, non modò in membranis, & phyliris Archivi, sed etiam in marmoribus, metallis, & ornamentis Ecclesiæ quamplura superfuisse.

Consecrationem Tituli quarto sæculo incisam tabulæ marmoreæ per S. Damasum videmus adhuc superstitem inter præclaras illas Inscriptiones, à Fulvio Ursino olim collectas, post ejus verò obitum ab interitu vindicatas liberalitate Alexandri Cardinalis Farnesii: quas iste in palatio Serenissimæ Domus suæ ad Campum Floræ tutissimo loco repositas, & ferreis verubus septas posterorum curæ disponendas reliquit. Illas dum hæc scribo Serenissimus Parmæ, & Placentiæ Dux Franciscus, vindex avitæ gloriæ, bonoque Reipublicæ, & literarum incremento natus, pro singulari studio, quo eruditam antiquitatem prosequitur, fovet, ac protegit, in ejusdem palatio loco illustriori affigi, omniumque oculis proponi mandavit. Tabella quam memoro brevissima est, ut Titulo planè respondeat, ex marmorea crusta semipalmari, & hisce literis insculpta

T. I. X. N. EGO ꓷAMASI
VS. VRB ROME EPS AN
C ꓷOMV COSECRAVI
.. N. R· Q. S. M. S. PA· S·PE

quarum sententia talis videtur: *Titulus in Christi nomine. Ego Damasius* (ita enim promiscuè scriptum Damasium, & Damasum reperio in antiquis monimentis) *Urbis Romæ Episcopus hanc Domum consecravi*. Siglarum sequentium sensum non assequor: nisi fortè postremarum S. PA S. PE. quas *S. Paulus S. Petrus*, veluti signaculum hujus Ecclesiæ Romanæ proprium, &

(1) *Euseb. pag. 245. lit. hist. 6.*

(2) *Tertull. pag. 649. C. edit. Pamelii.*

Digitized by Google

& à successoribus custoditum in publicis documentis decretorum, & literarum, exponendas esse libenter credam. In aversa parte ejusdem Tabellæ leguntur nomina Sanctorum, quorum Reliquiæ sub eo signaculo Tituli, ac dedicationis concludebantur: ritu ad nostra etiam tempora derivato:

hic re QVIESCIT CAPVT
SCI CRESCENTINI. M
ET RELIQVIE · S. SVPANT

Unà cum titulo ita insculpto visitur facies anterior sarcophagi Christiani, in quo insculptum est monogramma nominis Christi Domini intrà coronam cum lemniscis, more familiari ætatis B. Damasi. Non est dissimilis figura, aut magnitudine alteri tabulæ, quam Card. Franciscus Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius in ara maxima Tituli sui S. Laurentii in Damaso ex marmore nobiliore substituit, veterem, ut arbitror, altaris frontem imitatus: quæ in Ædes Farnesianas translata fortasse fuit, quando Cardinalis Farnesius Titulum eundem, & aram maximam variis ornamentis decoravit, ut gentilitia ejusdem insignia testantur in laqueari, & parietibus auro, & coloribus expressa per Thaddæum Zuccherum: à quo etiam gesta vitæ, & martyrii B. Laurentii eleganter pingi curavit. Ecclesiæ Romanæ Libri Rituales, & Pontificales ex antiqua consuetudine præcipiunt in Ecclesiæ, & Altaris dedicatione, ut Epocha consecrationis scripto consignata reponatur cum reliquiis Sanctorum ad perennem rei memoriam ab Episcopo consecrante sub mensa Altaris. Observant quoque pii, & eruditi Collectores Rituum Sacrorum, & præcipuè Adm. R. P. Edmundus Martene Tomo tertio celeberrimi Operis *de Antiquis Ecclesiæ Ritibus* lib. 2. cap. xii., tum in Oriente, tum in Occidente ex ætate Constantini Magni ad consequentes in more positum, ut dedicationes Ecclesiarum, & Altarium, plerumque fierent in conventu Episcoporum, qui ea de causa invitari consueverant. Supersunt etiamnum in Actis Concilii Tyriensis apud Eusebium lib. 4. de Vita Constantini cap. 43., Constantinopolitani lib. 2. cap. 39. apud Socratem; Arausicani anno 441. cap. 10. Arelatensis II. cap. 37. & in Epistolis B. Ambrosii 22. ad Marcellinum, aliisque compluribus documenta diei ad dedicandum delectæ: ita ut Actis non solùm publicis, sed etiam Synodalibus insertæ dedicationum Epochæ teneantur. Quin etiam colligunt ex epistola 9. Gelasii Primi cap. 4. & 25. & S. Gregorii Magni lib. 5. ep. 45. adeò celebre habitum fuisse ministerium Ecclesiæ dedicandæ; ut in Italia id non præsumerent exercere Episcopi Diœcesani quarto, & quinto sæculo, *nisi impetratâ priùs à Summo Pontifice potestate*. Cæterum etiam in Provinciis receptum fuisse morem signandi Epocham primarii lapidis in fundamento Ecclesiarum jaciendo docet nos marmor Massiliense editum à V. C. Stephano Baluzio de Scriptoribus Ecclesiasticis in Comm. ad Lactantium, & ab illustribus Massiliæ Historicis Ruffis lib. 10. pag. 46. in quo legitur, jactum fuisse primarium lapidem illius Ecclesiæ à fundamentis restitutæ Consulatu sexto Valentiniani Augusti, scilicet anno Christi 445. xiii. Kal. Decembris anno xviiii. Episcopatus Rustici: ubi etiam consignantur nomina Episcoporum, subsidia corrogantium ad constructionem Sacri Ædificii, numeratâ summâ solidorum, quam quisque contulerat. Compendiariis autem literis ita concepta est, non secus ac Damasi inscriptio paulò ante recitata.

✠ DO. ET XPO MISERANTE. LIM. HOC. C. L. K. T. E. ANNO IIII. C. S. VALENTINIANO. AVG. VI. III. KL. D. XVIIII. ANNO EPTVS RVSTI........
Deo, & Christo miserante limen hoc conlokatum est anno quarto Consule Valentiniano Augusto VI. tertio Kalendas Decembris xviiii. anno Episcopatus Rustici.

In veteri musivo Ecclesiæ S. Sabinæ in Monte Aventino ejusdem Tituli Clerici ita expresserunt Epocham Pontificatus S. Cælestini, quo Ecclesiam regente Ædes illa sacra magnificentiùs fundabatur.

✠ *Culmen Apostolicum cum Caelestinus haberet*
Primus & in toto fulgeret Episcopus Orbe
Haec quae miraris fundavit presbyter urbis
Illyrica de gente Petrus &c.

Facilè igitur intelligimus, quæ monumenta dedicationum sacrarum Ædium tum temporis superessent, in tot marmoribus, & musivis, in epistolis dedicantium, & concedentium, in actis synodalibus, in diptychis, & Kalendariis Ecclesiarum, quotannis recolentium diem dedicationis.

30 Sacros Fontes Damasi, Hilari, Bonifacii, Cælestini, & Johannis Summorum Pontificum curâ constructos memorabant vetusta epigrammata Gruteriano in opere impressa pag. 1163. num. 11. & 1164. num. 2. & 4. Elegantes versus à Sixto III. incisi in Baptisterio Lateranensi octastylo, relati à Panvinio in libro de septem Urbis Ecclesiis, & à Card. Raspono de Basilica Lateranensi lib. 3. cap. 1. superstites adhuc leguntur in epistyliis Constantinianis: quemadmodum Ambrosii versus legebantur in fonte Ecclesiæ B. Theclæ ejusdem figuræ octogenæ (cujus mysterium ibi declarat Sanctus Episcopus) editi per Gruterum ex veteri m. s. pag. 1168. num. 8. cum reliquis epigrammatibus beati Doctoris, indicantibus dedicationes ab ipso peractas, & mysteria rituum, qui in illis adhibentur. Sub Siricio Papa æquali S. Ambrosio incisam videmus epocham restituti presbyterii in platonia S. Pudentianæ, seu Tituli Pastoris:

SALVO SIRICIO EPISCOPO FELICIQVE LEOPARDO ECCLESIAE SANCTAE: cætera desiderantur. Hilarus Archidiaconus, deinde Pontifex Romanæ Ecclesiæ, oratorium Sancti Laurentii à se refectum cælavit: quod repertum inter parietinas ejusdem Ædis apud S. Eusebium servat collectio marmorum vetustorum Musei Albani.

✠ AVXILIANTE DNO DO N XPO ORANTE BEATO LAVRENTIO MARTYRE HILARVS ARCHIDIAC FECIT.

His autem in celebritatibus consecrationum cùm dona plurima offerrentur, ac dicarentur, largitione Principum, sive Præsulum, tum mobilia, tum immobilia, quæ passim memorat Liber Pontificalis; eorundem donorum documenta, quæ tertium caput constituunt nostræ divisionis proferemus aptiùs; si priùs absolvere nobis liceat ea, quæ de Pontificum decretis super-

Digitized by Google

persunt breviter indicanda hoc in secundo capite, complexo decreta Pontificum, dedicationem sacrarum Ædium, & ordinationes Sacerdotum, ac Ministrorum.

37 Decreta Pontificum, & Conciliorum habenda sunt, quæ de natalitiis Martyrum, & Ecclesiarum, etiam constante persecutione conscripta legimus apud Cyprianum lib. 3. epist. 6. *Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*. Respondent enim legibus sancitis per Clementem, & Anterum de Actis Martyrum scribendis, & in Ecclesia reponendis: necnon iis, quas eodem sæculo Cypriani Felix Papa tulit, in ejus vita sic indicatas: *Constituit supra sepulchra Martyrum Missas celebrari*. Comprobantur per sæcula subsecuta diptychis, martyrologiis, & ea consuetudine confirmatrice, quam Tertullianus in libro de Corona Militis hæc eadem recensens commendat. Demum ætate S. Gregorii Tertii, quando Vitæ Pontificum colligebantur, & in hunc Librum compingebantur, Acta Concilii Romani, & decreta ejusdem Pontificis, quæ Auctor Vitæ commemorat circa finem, ita incisa fuerunt marmoreæ tabulæ in Basilica Vaticana expositæ, uti leguntur adhuc præservata post sæcula decem, & in hypogæo ejusdem Basilicæ custodita diligenter cum cæteris vetustis memoriis antiquæ Basilicæ repertis sub Paulo Quinto.

PETRO. THEOPHANO. SERGIO. IORDANE. SEV. IOHANNE
ADSTANTIBVS. QVOQVE. DIACONIBVS. MOSCHO. ARCHIDIACONO
ZACCHARIA. IOANNE. ET. THEOPHYLACTO. ATQVE. GEMMVLO
VEL. CVNCTO. CLERO. ANTEFATVS. DOMINVS. GREGORIVS. APOSTO
LICVS. PAPA. DIXIT. REDVCO. AD. ANIMVM. SCNSSIMI. FRATRES
MEI &c.

Reliqua legi possunt apud Torrigium de Cryptis Vaticanis pag. 70. & apud Ciampinum de sacris Ædificiis à Magno Constantino constructis cap. iv. sect. xv. pag. 101.

38 Cognoscimus itaque, Romanam Ecclesiam non omisisse Acta suorum Pontificum, & Conciliorum marmoreis tabulis consignare, & in celeberrimo Christiani conventûs loco, ad limina scilicet Apostolorum affigere, futura posteris documenta nostrarum legum, & tropæa victoriæ contra devictas in Urbe aliarum Domina ethnicorum superstitiones: ut ubi fratrum Arvalium, & Quindecemvirûm decreta, ritusque legebantur de profanis sacrificiis pro salute Cæsarum quotannis renovandis, quæ paulò ante produximus numeris 21. & 22. ibi conspicerentur responsa nostrorum Præsulum, & Acta Conciliorum, decernentium, ut in memoriam Martyrum Christi, & Confessorum Divina res fieret, & hymnodia sacra concineretur. Producendum est documentum Pontificiæ legis ejusdem Gregorii Tertii de quotidianis sacris, & oblatis inferendis supra confessionem beati Pauli, in ejusdem Basilica adhuc spectabile vetusto in marmore in hanc sententiam inciso, atque vulgato cum reliquis inscriptionibus antiquis ejusdem Basilicæ typis Monetæ 1654. Romæ. Extat etiam apud Baronium in fine tomi x. pag. 963. sed cùm editio Baronii errata sculptoris expunxerit, & castigatam lectionem reduxerit ad leges latini sermonis, placet cum Moneta hìc dare cum mendis in marmore satis frequentibus ad fidem prototypi. Indicant enim barbariem ætatis, accuratiori sculptore carentis: qui fortasse ut contraheret Gregorii III. diploma in breviorem modum, ausus est suo marte, vel imperito aliquo dictante ita insculpere, ac deformare Sancti Pontificis Constitutionem; quam non dubito in auctographo fuisse aptè conscriptam; tum quia Græcè, ac Latinè doctus describitur Gregorius III. in ejus vita, tum quia stylo satis culto nedum emendato dictasse cognoscitur ex ejus epistolis, quæ supersunt, apud Binium, & Labbeum editæ cum Conciliis.

† IN. N. DNI. DI. SALVATORIS. N
IHY. XPI. BREVE. FACTA. A. ME
GREGORIO. TERTIO. PAPAE.
DE. OBLATIONES. QVE. OFFER
RE. DEBENTVR. PER. SINGVLOS
DIES. IN. ECCLESIA. BEATI
PAVLI. APOSTOLI. STATVI
ENIM. OFFERRI. IDEST. IN
PRIMA. MISSA. AD. COR
PVS. OBLATAM. VNAM. IN. SEC
VNDA. MISSA. ADs SCM. TIMOTHEVM
OBLATAM. VNAM. IN. TERTIA. MI
SSA. AD. IMAGINEM. SALVATORIS
QVI. ET. APOSTOLORVM. OBLATA
VNAM. IN. QVARTA. MISSA. AD
SCM SCVM. GREGORIVM. AD. IANVAS
OBLATAM. VNAM. DEINDE. IN
MISSA. QVINTA. AD. ALTARE
MAIORE. OBLATAS. DVAS. QVOD
SIMVL. FIVNT. COTIDIANIS. DI
EBVS. OBLATAS. SEX. QVAE
AB. ECCLESIA. OFFERANTVR. IN
BASILICA. TVA. DOMINE. MEVS
BEATE. PAVLE. APOSTOLE. QVEM
BREVIS. TITVLVM. AVCTORITA
TE. APOSTOLICA. OMNI. TEMPO
RE. CONFIRMAMVS &.c:

Con-

Digitized by Google

Constant itaque monumenta non pauca marmorum vetustorum in Ecclesia Romana ab ætate Hippolyti Martyris ad Gregorium Tertium, sub quo vitæ hujus collectionis ante Anastasium conscribebantur: quæ nobis exhibent documenta genuina, & publica plurium gestorum in Conciliis apud Sedem Apostolicam celebratis, ac decreta Summorum Pontificum legesque latas: & enumerant hujus Ecclesiæ Presbyteros, & Diaconos, qui Synodis interfuerunt: ut planè constare possit, pleraque facta enunciata in hoc Libro Pontificali potuisse jam tum falsitatis redargui publico testimonio, si contra fidem eorundem monumentorum conscripta forent.

39 Liceat hic obiter indicare, quantùm auctoramenti concilient historiæ Libri Pontificalis hæc monumenta, quæ styli barbariem præseferunt propriam illius ætatis, qua sub Gregoriis II. & III. Vitæ Pontificum colligebantur ex catalogis, & tabulariis temporum superiorum. Una inscriptio, quam modò retulimus, ita negligenter curata ab illo, qui præerat incisioni, sive Notarius fuerit, sive Præpositus fabricæ, sive alius Administer Basilicæ, dum per singulos fermè versus in regulas Grammatices frequenter, & graviter peccat, vivum colorem exprimit infelicis illius ætatis: quam Longobardi duobus fermè sæculis dominationis in Italia expletis ita hospitem effecerant Latinæ locutionis, ut Actorum publicorum exceptores, ut Regum ipsorum Notarii, ac diplomatum Magistri nihilo correctius dictarent. Exemplum dabo ex Tabulario Monasterii olim Salvatoris Titulo, nunc S. Juliæ nuncupati, Brixiæ fundato per Ansam Reginam, Regis Desiderii conjugem, & Adelchis, sive Adelgisi matrem.

40 Ex autographis exscripsi exordia, & subsignationem duorum diplomatum, quæ ita perscribuntur. Primum spectat ad annum Æræ Christi 771.

. . . . *rius* (Fl. Desiderius) *vir excell rex. Monasterio Dñi & Redemptoris nostri sito intra civitate nostra brixiana, quam nos Xpo juvante unà cum reverentissima conjuge nostra ansa regina ad fundamentis construximus & sacrate domna anselperge abbatisse dilectæ filiæ nostræ detulisti excellentie regni nostri eo quod excellentissimus adelchis rex filius noster germanus tuus atque gloriosa conjux nostra ansa regina genitrix tua contulisset per preceptas dominationis singulis rebus in ipso sancto monasterio in finibus nostris austrie vel neustrie Spoleti & tuscie curtes cum massaritias &c. Scripsi ego petro notario acto brexia die mensis iulii anno filicissimi regn. . . . . per indict. viiii fel.*

Sequitur alterum diploma pertinens ad annum 772.

Flavius adelchis vir excell. rex Monasterio Dñi Salvatoris sito in civitate brixiana quod domna precellentissima ansa regina genitrix nostra & dicate dō anselperga abbatisse dilecte germane nostre &c. ex dicto domni regis pro advaldo notariu ex ipsius dictato scripsi ego ermoalde notario fel. acto civitate in brexia undecima die mensis novembri anno filecissimi regni nostri in di nomine quartodecimo p indic. xima.

41 In Galliis eodem sæculo, & superiori Regum diplomata complura nihilo felicius dictata leges apud R. P. Mabillonium de re diplomatica lib. vi. donec literæ sub Pipino, & Carolo Magno revivifcerent, quæ irruptione Sarracenorum etiam ibi deformatæ, ac fermè deletæ fuerant, ut infra leges in vita S. Gregorii II. num. 182. & quemadmodum in historia Massiliensi deplorat Ruffus lib. xi. cap. 1. proferens epitaphium Eusebiæ sanctimonialis S. Cyriaci pag. 128. quam Virginem pag. 58. ex antiquis documentis probat cum aliis xl. sacris Virginibus quibus præerat se deformasse narium abscissione, nè à barbaris violaretur, qui circa annos 725. & 730. nempe ætate S. Gregorii II. & III. Provinciam vastabant. Epitaphium nihilo melioribus grammaticæ legibus ita legitur incisum

P. HIC REQVIESCIT IN PASSE EVSEBIA RELIGIOSA
MAGNA ANCELLA DNI
QVI IN SÆCVLO AB HENEVNTE ETATE SVA VIXIT
SECOLARES ANNVS XIIII. ET VBI A DNO
ELECTA EST IN MONASTERIO SANCTORVM CYRICI
SERVIVET ANNVS QVINQVAGENTA RECESSET SVB
DIE PRIDIE KALD. OCTOBRIS INDICTIONE SEXTA

Aliam quoque profert pag. 55. ejusdem styli.

Quin etiam in Regiâ ipsâ Francorum diplomata Regis Chlotarii Secundi autographa, cortici, seu papyro consignata, leguntur edita ab Adm. Rev. Patre Felibien in historia Abbatiæ S. Dionysii, ita dictata circa annum Christi 620.

. . . . *viris inlustribus Chrodegario* . . . *iente per baselecabus de suis propriis facoltatebus per testamenti paginam voluerit legaliter delegari per nostris autboretatebus testamentum* . . *noster Dodo Abba de Baselecas Domni Dioninsii Martheris peculiares patroni nostri &c. Chlotacarius im Christi nomine rex hanc præceptionem subscripsi.*

Si quis verò cupiat barbariem earundem ætatum contemplari etiam in brevibus inscriptionibus, tum temporis positis intrà fines Italiæ; proferam ex Panvinio antiquit. Veronensium lib. v. cap. xi., & ex Co: Moscardo historiæ Veronensis lib. 4. pag. 70. epigraphen, incisam columellæ, olim sub ara maxima, nunc in ara laterali Ecclesiæ S. Georgii in Valle Pollicella ad sustinendam altaris mensam cum tribus similibus collocatæ. Epocham incisionis, & structuræ nobis exhibet sub Rege Luitprando, hoc est paulò ante annum Christi 743.

Non gravabor hanc inscriptionem, licèt à Panvinio, & à Co: Moscardo editam, iterum typis dare; cùm videri possit illorum neutri spectata, sed aliorum opera minùs diligenti transcripta. Mihi verò cùm contigerit Co: Ottolinum Ottolini optimè de studiis nostris meritum rogare, ut charta humectata marmori applicaretur, & characterum ductus singuli fidelissimè exprimerentur; is pro singulari, qua præstat eruditione, & cura quam adhibet in excolendis in patria nostra gravioribus disciplinis, historiæque firmamentis illustrandis, in se recepit, ut editam ab utroque historico epigraphen ex autographo ita exceptam ad me transmitteret, & columellæ alterius inscriptionem pariter daret, Panvinio, & Moscardo non observatam. In utraque attendere præstat literas complures ad Græci alphabeti formam incisas, præcipuè D, & L. Prior itaque inscriptio à laudatis Scriptoribus vulgata talis est:

Digitized by Google

✝ IN N ∆NI IHV XPI ∆E ∆ONIS	In nomine Dñi Iesu Xpi de donis
SCI IVHANNES	Sancti Iohannis
BAPTESTE E∆I	Baptistæ ædi-
FICATVS EST HANC	ficatum est hoc
CIVORIVS SVB TEMPORE	ciborium sub (tempore)
∆OMINO NOSTRO	Domino nostro
AIOPRANDO REGE	Luitprando Rege
ET VB PATERNO	Et Venerabili Paterno
∆OMNICO EPESCOPO	Domnico Episcopo
ET COSTODES EIVS	& custodibus eius
VV VI∆A∆IANO ET	Venerabilibus Viris Vitaliano &
TANCOR PRBRIS	Tancor Presbyteris
ET REFO∆ GASTA∆∆IO	& Resol Gastaldio.
GON∆EAME INDIGNVS	Gondelme indignus
∆IACONNVS SCRIPSI	Diaconus scripsi.

In alia columna ex quatuor memorati altaris mensam sustinentibus leguntur nomina Ursi Magistri, ejusque discipulorum, per quos structura ciborii peragebatur. Properantis præli necessitas prohibet, nè singularum literarum barbaram formam fusis ad earundem exemplar characteribus imitemur.

VRSVS MAGESTER	Vrsus Magister
CVM ∆ISCEPO∆IS	cum discipulis
SVIS IVVENTINO	suis Iuventino
ET IVVIANO E∆I	& Ioviano ædi-
FICAVET HANC	ficavit hoc
CIVORIVM	ciborium
VIRGON∆VS	Verecundus
TEGO∆∆∆	Tegodal (vel Theobald)
FOSCAR	Foscar &c.

Possem & ex Insubribus Langobardorum diplomatibus eundem stylum ostendere: quorum specimen sit donatio Theoperti, per quam is Basilicæ S. Ambrosii omnia bona sua mobilia, & immobilia largitur anno trigesimo Luitprandi Regis, Ildeprandi autem ab ipso assumpti in consortium Regni anno septimo, sub die octavo Idus Majas, indictione xiii. (Christi 740.) rogante Protasio Notario. Ejus autographum in eadem Basilica asservatum indicat Io: Petrus Puricellus in monumentis Ambrosianæ Basilicæ Mediolanensis pag. 10.

42 In alia Italiæ parte longè ab Insubribus dissita, quam Principes Langobardi possederunt, Capuana scilicet in ditione, planè similem scribendi barbariem Notariis reliquerunt usque ad sæculum Christi undecimum: utì ostendit præceptum Pandulphi IV. Principis Capuæ apud Camillum Peregrinum in hist. Principum Langob. pag. 229. anno 1034. Neque ab istorum exemplis desciverunt cæteræ Italiæ Regiones, quæ Langobardis paruerant: quod in Spoletani Ducatus historia per Comitem Campellum ex genuinis monumentis contexta demonstrant acta publica producta libro xv. sub Duce Hildebrando pag. 494. circa annum 779. sub Widone Duce pag. 496. anno 849. aliisque similibus apud eundem requirendis.

A Nemo itaque jure dubitaverit, quin ætate Gregorii III. conscribentibus Vitas Pontificum præsto forent documenta rerum enunciatarum non modò in Archivis, & Tabulariis, sed etiam in marmoribus Ecclesiarum; cùm legantur etiam nostro sæculo superstites inscriptiones, quæ comprobant tum gesta, tum decreta, tum etiam stylum ætatis proprium, qua decreta conscribebantur.

Pertinet ad hunc locum, scilicet ad monumenta oblationum, electionum, ordinationum, & Chronologiæ Pontificiæ, è Romanis lapidibus diligenti cura, ac fide translatæ in catalogos, vitasque Summorum Ecclesiæ Antistitum, tabella illa marmorea, memorans donum, à B Severo Presbytero Romanæ Ecclesiæ Tituli S. Petri ad Vincula oblatum sub patrocinio ejusdem Principis Apostolorum, post electionem Johannis ejus nominis Papæ Secundi: quam Em. Card. Baronius tanquam illustre documentum Ecclesiasticæ Historiæ inserendam curavit annalium tomo vii. ad annum Christi 531. Visitur marmor in eodem Titulo Eudoxiæ, sive S. Petri ad Vincula, ætate nostra custoditum, & affixum parieti navis lateralis à parte læva adorantibus ante altare Sanctissimi Sacramenti, ita incisum.

SALBO PAPA N IOHANNE COGNOME
TO MERCVRIO EX SCE ECCL ROM. PRESBYTE
RIS ORDINATO EX TIT SCI CLEMENTIS AD GLO
RIAM PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP PATRONO SVO A VINCvLis EIVS SEVERvS PB OFFERT
ET IT. P C LAMPADI ET ORESTIS VV CC &c.

Uno ex lapide addiscimus electionem, & ordinationem Pontificis, oblationem Severi Presbyteri, & Chronologiam Pontificiam videmus notis Consularibus illustratam auctoritate marmorum æqualium usque ad postremos Consules Occidentis. Juvat enim animadvertere, post exactum biennium à morte hujus Johannis Papæ II. anno Christi 534. signari Fastos Justiniano Augusto IIII & Decio Theodoro Paulino, quem Chronologi observant fuisse POSTREMUM CONSULUM OCCIDENTALIUM. Auctoritas itaque Libri Pontificalis æquè ac laudati ca- C talogi sub Justiniano subnixa est solido testimonio lapidum publicè positorum. Sed hæc diligentiùs expendentur suo loco in Notis ad vitam Joannis Secundi.

43 Accedo jam ad postremum caput documentorum, pertinens ad donationem fundorum, & ad ornamenta Ecclesiis collata, & in Libro Pontificali recensita. Cordatus quisque facilè intelliget, non fuisse curata negligenter in Archivis Basilicarum, ac Titulorum Urbis documenta publica Principum, ac privatorum, quibus prædia sive urbana, sive rustica donabantur; cùm

Digitized by Google

cùm in æstu quoque persecutionis mobilia Ecclesiæ bona Archidiaconis contraderentur: quemadmodum S. Lucius Papa ea commendavit Stephano, Stephanus Xysto, Xystus Laurentio, quæ erant eroganda in eleemosynas pauperum, & in usus sacrorum. Bona etiam immobilia ad Ecclesiam jam tum pertinuisse, quorum annuo reditu pauperes, aut ministri alerentur, rectè colligunt eruditi ex lege Constantini apud Eusebium in ejus vita lib. 2. cap. 39. qua jubet Ecclesiis restitui bona, quæ Fiscus abstulerat in persecutione. *Omnia ergo* (ait Constantinus) *quæ ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus, ac possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcumque alia nullo jure, quod ad dominium pertinet, imminuto, sed salvis omnibus, atque integris manentibus, restitui jubemus.* Videndus ea de re Thomasinus de Benef. par. 3. lib. 1. cap. 3. ubi ex Actis B. Abercii apud Baronium ad annum 163. probat, etiam ab Ethnicis Imperatoribus donatas fuisse aliquot Ecclesias Christianas annuis reditibus; cùm M. Aurelius legatur ter millibus frumenti modiis donasse Ecclesiam Hierapolitanam, cujus Episcopus filiam ejus à dæmone exagitatam sanaverat: neque illud donum, nisi à Juliano Apostata fuisse retractatum. Necesse igitur erat indiculos prædiorum conscribi per Notarios Ecclesiæ, ac Defensores; præsertim cùm idem Augustus Constantinus sanxisset, ut Martyrum, & Confessorum bona per Fiscum erepta hæredibus restituerentur; vel si hæredes deficerent, loci Ecclesiæ addicerentur: ita Eusebio testante cap. 36. & 37. ejusdem Libri. Quare in vita Sylvestri hic Liber Pontificalis num. 43. refert, Constantinum Ecclesiæ S. Laurentii in agro Verano à se constructæ donaria publica contulisse, & inter bona immobilia eidem addixisse *possessionem cujusdam Cyriacetis religiosæ fœminæ, quam Fiscus occupaverat tempore persecutionis.*

Vix erat Ecclesiæ pax reddita, & fundatæ, ac dotatæ Basilicæ visebantur per Constantinum sub Sylvestro, & Marco; cùm proximus Marci successor Julius Papa constituit, ut notitia rerum, & Actorum ad Ecclesiam pertinentium per Notarios colligeretur, & cum auctoritate Primicerii Notariorum, & Sanctæ Sedis Scriniarii celebrarentur. *Hic constitutum fecit* (ait Liber Pontificalis in Julio num. 50.) *ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia, & notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est per Notarios colligeretur, & omnia monumenta in Ecclesiam per Primicerium Notariorum confecta celebrarentur; sive causationem, vel instrumenta, aut donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel allegationes, aut manumissiones Clerici in Ecclesia per Scriniarium Sanctæ Sedis celebrarent.*

Indè autem profectæ leges Canonum, auctoritate Apostolica latæ sub Sylvestro in Concilio Gangrensi II. cap. 7. & 8. ut Symmachus Papa testatur in Concilio Romano, quòd Osius Sylvestri Legatus Concilio interfuisset anno 324. num. 44. observante Baronio, nec non Binio ad idem Concilium lit. h. aliæque sub Julio Papa anno ejus quinto, Christi 341. in Concilio Antiocheno primo can. 24. ubi ex Episcopis, qui convenerat, licèt complures ab Arianis partibus subdolè starent in causa Athanasii; attamen de rebus Ecclesiæ ita statuendum sanxerunt cum Catholicis, imitatis Julium Pontificem in suis legibus. *Rectè habet, ut ea, quæ sunt Ecclesiæ, Ecclesiæ serventur cum omni bona conscientia, & fide in omnium Præsidem, & Judicem Deum: quæ etiam administrari convenit cum judicio, & potestate Episcopi, cui est omnis populus creditus, & eorum animæ, quæ in Ecclesiam conveniunt. Sint autem manifesta, quæ ad Ecclesiam pertinent cum cognitione Presbyterorum, & Diaconorum, qui sunt circa eum, ut sciant, & non ignorent &c.* Sed Apostolicas Julii leges multò præstantiùs illustravit Concilium Chalcedonense anno 451. sub Leone Magno Act. xv. Can. 26. *Placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere Oeconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam Episcopi proprii: itaut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiæ facultates, & Sacerdotio maledictionis contumelia procuretur.*

Hanc autem disciplinam etiam ante Canonem Concilii Chalcedonensis pertinuisse ad universam Ecclesiam post Julii Constitutionem declarat epistola Cyrilli Alexandrini, conquerentis, quòd non ea tantùm exigerentur ab Episcopis, quæ providentia laudatæ legis firmata erant, ad præservandam indemnitatem rerum Deo dicatarum, sed etiam supra legis terminos, & contra Episcoporum dignitatem, ac jura, ipsi quoque Episcopi ad reddendas rationes vocarentur in dispensatione Ecclesiasticorum proventuum. Edita est epistola Cyrilli (qui obiit anno Christi 444. nempe septennio ante Concilium Chalcedonense) tomo v. par. 2. pag. 211. ubi hæc leguntur: *Malè habet, magnaque tristitia afficit Sanctissimos Episcopos QUI SUNT UBIQUE TERRARUM, quod sumptuum, qui illis eveniunt, dispensationis ratio ab eis exigatur, sive ex Ecclesiasticis reditibus, sive ex fructu aliunde percepto. Unusquisque enim nostrum dabit suorum malorum rationem omnium Judici. Vasa enim pretiosa, & possessiones immobiles oportet servari Ecclesiis. Episcopis autem, qui tunc temporis Divinum Sacerdotium administrant, incidentium sumptuum dispensationem securè credi.*

44 Cùm igitur ex legibus Apostolicæ Sedis ad Ecclesiam universam pertinentibus, & ex Regulis Conciliorum, & Patrum tanta diligentia præstanda foret in bonis mobilibus tuendis, & vasis pretiosis sacrarum Ædium servandis sub Oeconomi custodia, necnon in procuranda dispensatione redituum, & oblationum, arbitrio quidem Episcopi, sed sub testimonio Cleri; necessarium fuit commentarium bonorum conscribere, parare indicem, & syllabum sacræ supellectilis, & donorum, quæ dedicabantur, ac tabulas dati, & accepti ab Oeconomis exhiberi. Mirum propterea non est, si minutis adeò rationibus Auctor Libri Pontificalis recenset, ac dinumerat Antistitum, & Principum dona in singulis fermè Basilicis, ac Titulis. Nostrarum est partium ostendere, per illam ætatem superfuisse documenta publica, non tantùm in Archivis, & membranis, sed etiam in parietibus, & marmoribus, quæ comprobarent indiculos rerum descriptarum.

45 De possessionibus, ac fundis, eorumque annua præstatione si cui dubium suboriretur, is esset circumducendus per Basilicas, ac Titulos Urbis: ubi spectantur adhuc incisa non tantùm nomina prædiorum, & proventus, sed etiam consuetudo majorum, Romano more proponens oculis populi, ut olim Augustus Rationarium Imperii, sic ipsa censum Ecclesiæ.

In porticu Basilicæ Vaticanæ superest una ex tabulis marmoreis septem (tot enim numerat Ciampinus ex Alpharano, qui duas viderat suo ævo superstites) inscriptis nomine massarum, & prædiorum, ad eandem Basilicam pertinentium: eaque tabula à B. Gregorio Magno ita insculpta fuit fundis à se donatis ad concinnanda luminaria.

✠ DOMINIS SANCTIS AC BEATISSIMIS PETRO ET PAVLO APOSTOLORVM PRINCIPIBVS GREGORIVS INDIGNVS SERVVS. QVOTIENS LAVDI VESTRAE &c. STATVO ENIM ET A MEIS SVCCESSORIBVS SERVANDVM SINE ALIQVA REFRAGATIONE CONSTITVO VT LOCA VEL PRÆDIA CVM OLIBETIS QVI INFERIVS DESCRIBVNTVR QVOS PRO CONCINNATIONE LVMINARIVM VESTRORVM A DIVERSIS QVIBVS DETINEBANTVR RECOLLIGENS VESTRA VOBIS DICAVI IMMVTILATA PERMANERE IDEST IN PATRIMONIO APPIAE MASS. VICTORIOLAS OLIBETV IN FVND. RVMELLIANO IN INTEGRO OLIBETV IN FVND. OCTABIANO IN INTEGRO MASS. TRABATIANA OLIBET. IN FVND. BVRREIANO VT SVP. OLIBET. N FVND. APPIANO VT SVPRA &c.

Sequuntur alia quatuor & quadraginta nomina olivetorum, & maſſarum huic donationi incluſa: quæ legi poſſunt apud Paulum de Angelis in deſcript. Baſilicæ Vaticanæ pag. 81. apud Ciampinum de Sac. Ædif. à Magno Conſtantino conſtructis pag. 81. & 82. & in editione Pariſienſi Operum S. Gregorii Magni, aliosque apud auctores.

46 In Baſilica S. Pauli viâ Oſtienſi legitur ante gradus Presbyterii antiquitus inſculpta marmori epiſtola ejuſdem Pontificis Gregorii Magni, data ad Felicem Subdiaconum, & Rectorem Patrimonii Appiæ: quam integram dare præſtat; cùm ſola poſſit ſufficere ad comprobanda documenta, quæ in ſcrinio Apoſtolico ſervabantur tum donationum ejuſmodi pertinentium ad Titulos, & Baſilicas Eccleſiæ Romanæ, tum adminiſtrationis bonorum per Præpoſitos inſtructos brevibus, ſive indicibus rerum, & fundorum per ipſos curandorum. Jubet ſiquidem Pontifex, ut per antedictæ Eccleſiæ Præpoſitos, qui per tempora fuerint ab æra donationis, ideſt à ſeptima indictione, Imperii Phocæ anno ſecundo, & Conſulatûs ejus primo, ſcilicet ex anno Chriſti 604. ordinentur, ita ut impoſterum ipſi rationes ponant. Mandat enim, ut Felix Subdiaconus Rector Patrimonii Appiæ Maſſam, & fundos, hortos, ac terrulas in donatione recenſitas *de brevibus ſuis delere debeat, ac auferre, & cuncta ad nomen prædictæ Eccleſiæ B. Pauli Apoſtoli tradere*. Denique præcipit, ut autographum donationis Apoſtolico ſcrinio reſtituatur. VOLVMVS VT HOC PRAECEPTVM IN SCRINIO ECCLESIAE NOSTRAE EXPERIENTIA TVA RESTITVAT. Tria hæc mandata jam tunc marmori inſculpta nobis exprimunt univerſam diſciplinam, & praxim adminiſtrationis bonorum Eccleſiæ, quæ tunc vigebat: & manifeſtant publica documenta, quæ tam in ſcriniis, quàm in marmoribus Ædium ſacrarum conſignata ſexto, ac ſeptimo Chriſti ſæculo juxta morem præcedentium ætatum abundè miniſtrabant Scriptoribus Hiſtoriæ Pontificalis definitas notitias minutarum ejuſmodi rerum, Præſulis, & Miniſtri providam curam illâ etiam ætate non effugientium. Talis igitur eſt Gregorii Magni epiſtola, quam inciſam tabulæ marmoreæ vidėmus in Baſilica Doctoris gentium via Oſtienſi.

✠ GREGORIVS EPISC. SERVVS SERVORVM DI FELICI SVBDIAC. ET RECTORI PATRIMONII APPIAE. *Licèt omnia, quæ hæc Apoſtolica habet Eccleſia B. Petri, & Pauli, quorum honore, & beneficiis acquiſita ſunt, Deo ſint auctore communia, eſſe tamen debet in adminiſtratione actionum diverſitas perſonarum, ut in aſſignatis cuique rebus cura adhiberi poſſit impenſior. Cum igitur pro Eccleſia B. Pauli Apoſtoli ſolicitudo nos debita commoneret, ne minus illic* A *habere luminaria iſdem præco fidei cerneretur, qui totum Mundum lumine ſuæ prædicationis implevit, & valde incongruum, ac eſſe duriſſimum videretur, ut ulla ei ſpecialiter poſſeſſio non ſerviret, in qua palmam ſumens martyrii capite eſt truncatus, ut viveret: utile judicavimus, eandem maſſam, quæ Aquas Salvias nuncupatur, cum omnibus fundis ſuis, ideſt Cella vinaria Antoniana, Villa portuſa, Biſurco, Priminiano, Caſſiano, Silonis, Cornelii teſſellata, atque Corneliano, cum omni jure inſtructo, inſtrumentoque ſuo, & omnibus generaliter ad rem pertinentibus ejus cum Chriſti gratia luminaribus deputare: adjicientes etiam eidem ceſſioni hortos duos poſitos inter Tiberim, & Porticus ipſius Eccleſiæ euntibus à porta Civitatis* B *parte dextera, quos dividit fluvius inter adfines horti Monaſterii Sancti Stephani, quod eſt ancillarum Dei, poſitum ad Sanctum Paulum, & adfines poſſeſſionis Piſiniani: ſimul & terrulas, quæ vocantur foſſa latronis poſitas ibi juxta eandem porticum euntibus ſimiliter à parte ſiniſtra, ubi nunc Vineæ factæ ſunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere poſſeſſioni Eugenitis quondam Scholaſtici, & ab alia parte poſſeſſioni Monaſterii S. Ariſti: quæ omnia quoniam Deo adjuvante per antedictæ Eccleſiæ præpoſitos qui per tempora fuerint à præſenti ſeptima indictione volumus ordinari, & quidquid exinde acceſſerit luminaribus ejus impendi, atque ipſos exinde ponere rationes, idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut ſupraſcriptam maſſam* C *Aquas Salvias cum prænominatis omnibus fundis ſuis, necnon hortus, atque terrulas, quæ ſuperius continentur de brevibus ſuis delere debeat, ac auferre, & cuncta ad nomen prædictæ Eccleſiæ Beati Pauli Apoſtoli tradere: quatenus ſervientes ſibi præpoſiti omni poſt hoc carentes excuſatione de luminaribus ejus ita ſine noſtra ſtudeant ſolicitudine cogitare, ut nullus illic unquam neglectus poſſit exiſtere. Facta verò ſupraſcriptarum omnium rerum traditione volumus, ut hoc præceptum in ſcrinio Eccleſiæ experientia tua reſtituat. Bene Vale. Dat. viii. Kal. Februarias Imp. DN. N. Phocæ pp. aug. anno ſecundo, & Conſulatus ejus anno primo ind. ſeptima.*

47 Dabo alterum marmor antiquum ſub Gre- D gorio Quarto inciſum circa annum 943. & pertinens ad Baſilicam Liberianam S. Mariæ Majoris, cujus in porticu affixum ſpectatur. Ex hoc enim intelligemus providentiam illius ætatis planè ſingularem, à qua Anaſtaſius, & Guillelmus Bibliothecarii poſtremarum vitarum auctores non diſtant, niſi per annos paucos: dum ita conſulit perenni memoriæ, atque indemnitati fundorum Eccleſiæ; ut *Rado* Notarius Regionarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ex autenticis ſcriptis *relevatum fuiſſe* teſtetur quidquid in eo lapide perſcriptum eſt, & *pro cautela & firmitate temporum futurorum his marmoribus exaratum*. Initium ſcriptionis deſideratur.

NOTO

Digitized by Google

NOTO ROGATARIOQ MEO SCRIBENDAM DICTAVI CVIQ SVBTERMA
NV propria literis grecis subscripsi, & testib. à me rogatis op
tuli subscribendam allegandi etiam gestis quib. placuerint, &
tempore quo volueritis sine cessum non spectata denuo
mea professione ex more concedo licentiam de qua re quibus
Q omnib. SSTis STipulatione, & sponsionem solemniter inter
posita. act. ROM. IMP. die cons. & indict SSta.
✠ Fl. xanthipPi Filia qdm EGisTI imperialis à secretis huic char
tul usufructuarie donationis de SStã massa quã pagani
cense in integro cum fundis, & CaSALibus suis idest F. arturi
anus F. garganus F. mattianus F. Viarus F crisCianus F. turi
ta F. Solinianus F. Casa porcinare F. Calvisianus F. Rubianv
F. Sipicianus F. bubianus unc. sex F. ucupia F. Casaviti F. erut
tianus F. ferratulas F. casulari F. Calgianus unc. quat
tuor F. pistore F. petrociana F. casabili F. optavianus F. ar
buscianus F. gurgus F. casagini F. turanus F. rubianus F. fe-
lianus F. manilius F. oglata F. cottianus unc sex F. filipia
nus F. orcianus F. triscasas, & ortu vineatv intro civit.
Signina necnon & F. candiGianv. integro & omnibus
ad eis generaliter pertinentibus fact. à me in omnes man
sionarios essentibus, & introeuntibus perenniter ba
SiliCAE SC E DI genitricis Mariae q. ad praesepe pro obLATiONB.
animae nostrae sicut superius legitur ad omnia SSta
relegens CONsensi, & subscripsi, & testes qui subscbi Berent
rogavi () ✠ Fl. anastasius tribb. Sci petri. () ✠ theo
datus adorator numeri theodosiac. () ✠ Ego geor
gius opt. num. mil. Sermisiani () ✠ Fl. epiphanius auri
fex. () ✠ theodorus acol SC E ROM. Eccl. huic Char
tul. usufructuarie donationis de SSTa massa q a paga
nicense cum fundis, & casalibus suis in integro necnon
et fund. qa candidiani in integro omnibusq. ad eis gene-
raliter pertinenTib. excepto mancipiis, & mobilibus rebus
seseq; molentib. facta xantippi glf. in omnes mansiona
rios essentibus, & introeuntibus perenniter baSiLiC E SCAE
DI. genetricis qa ad præsepem sicut superius legitur ro
gitis à SSta Donatrice qnp scripsimus ipsa præsente te
tes subscripsimus, & hanc donationis chartulam in
praesenti traditam vidimus. ()
✠ ego theodorus VH tabell. Vrb. Rom Scriptor huius char
tul. usufructuariæ donationis post testium sub
scriptiones, & traditione facta complevi & absolvi
✠ Temporibus Domini nri Sanctissimi gregorii quar
ti papae ex rogatu Radonis Not. Reg. Scae Rom. eccl
hoc ex authenticis scriptis relevatum pro caute
la, & firmitate temporum futurorum his marmo
ribus exaratum est

48 Si quis conferat inscriptiones SS. Gregorii Magni, & Gregorii Tertii supra datas numeris 38. & 45., & hanc postremam sub S. Gregorio Quarto, translatas in marmoreas tabulas ex diplomatibus genuinis, & propositas oculis præsentium, ac posterorum in parietibus Ecclesiarum, facile intelliget quantam copiam documentorum à sexto sæculo ad decimum archiva, & marmora præservarent Scriptoribus Libri Pontificalis, præsertim in decretis Pontificum recensendis, & enumerandis bonis Ecclesiarum.

A

Nimius profectò sim pro modo Præfationis, (licèt pro assumpti argumenti serie videri possim monitor non importunus) si percensere velim omnia illius ætatis monumenta, marmoreis tabulis consignata, quæ studium juvabant illorum Scriptorum, ac nostrum acuunt in comprobanda historia, stylo, & auctoritate hujusmodi Vitarum. Legemus numeris 523. & 524. in vita S. Leonis Quarti formulas precum ab ipso conceptas, tum ad Ostia Tiberina in propulsandis à littore Saracenis, tum Romæ in dedicatione Urbis Leoninæ, ita de illius nomine nuncupatæ: *Deus cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus*; & *Deus, qui Apostolo tuo Petro &c.* In Triclinio autem Lateranensi, quod Leonianum à conditore Leone Tertio appellatum fuit, ejusque retinet effigiem, musivum, & inscriptionem, Zophorus illius absidæ, quæ dicebatur *Casa major*, & in nova structura Sixti V. disjecta fuit, Panvinio teste in libro de Septem Urbis Ecclesiis, & Card. Raspono de Patriarchio Lateranensi lib. 4. cap. 6. continebat epigraphem: per quam prior illa formula precum aptabatur invocando Apostolorum patrocinio supra hospites, ac peregrinos in itinere à periculis præservandos, & ibidem excipiendos convivio: *Deus, cujus dextera beatum Petrum, & coapostolum ejus Paulum ter naufragantem de profundo pelagi liberavit, tua sancta dextera protegat domum istam, & omnes*

B

fideles convivantes, qui de donis Apostoli tui hic lætantur &c. Oratorium Sancti Gregorii Tertii in veteri Basilica Vaticana ostendebat affixas tabulas marmoreas ab eodem Pontifice incisas formulis precationum abs se constitutis, quarum maximam partem superstitem legimus in earundem tabularum fragmentis, translatis in hypogæum memoratæ Basilicæ, & impressis per Ciampinium de Sacris Ædif. à M. Constantino constructis cap. 2. pag. 104., & per Torrigium de Cryptis Vaticanis, aliosque Scriptores: *Exaudi nos omnipotens, & misericors Dominus &c.*

Digitized by Google

&c. Inveniuntur itaque, & adhuc superant ætate nostra antiquitus incisa marmoribus Basilicarum Urbis præcipuarum non modò nomina, & chronologia, ac decreta complurium Pontificum Romanorum ante decimum sæculum, sed etiam formulæ precum ab ipsis institutæ.

49 Nè longius tamen abscedam à proposita indicatione marmorum incisorum nominibus, ac notitia fundorum Ecclesiæ; cùm eam testatam fecerint in præcipuis Basilicis Romanis allatæ inscriptiones nostro etiam ævo superstites, indicabo quoque in Titulis, & Diaconiis exempla ejusdem consuetudinis, in Urbe custoditæ per eadem tempora, de quibus nobis sermo est, & extra Urbem in proximis Ecclesiis Cathedralibus observatæ.

Titulus SS. Joannis, & Pauli, quem Emus, ac Rmus Card. Paulutius S. D. N. exemplum imitatus in proximo Titulo S. Clementis datum, magnificenter instaurat, & illustrandum curavit erudito Commentario per V. C. Philippum Rondininum Faventinæ Ecclesiæ Canonicum, præservat nobis specimen vetustæ diligentiæ in fundis Ecclesiæ recensendis. Exhibet enim tabulas marmoreas antiquitus insculptas diplomate S. Gregorii Magni inter ejusdem epistolas recensito num. 22. libri ix. ad Deusdedit Cardinalem, & Joannem Archipresbyterum ejusdem Tituli: ubi non solùm leguntur fundorum nomina, & locus indicatur in via Romana, & confirmatio Gregorii Magni, sed etiam Constantini Papæ nomen appositum in margine declarat, Notitiam fundorum ejus Tituli à decessore suo Gregorio confirmatorum sæculo præcedenti, ætate sua, nempe octavo Christi sæculo, rursus recognitam, & roboratam, per ea verba, quæ literis utrimque descendentibus exprimuntur, nempe à legentis læva parte ✠ NOTITIA FVNDORVM IVRIS HVIVS TITVLI, & à dextero latere ✠ CONSTANTINVS SERVVS SERVORVM.

✠ TERRIT BELTR. MIL. XXII. (1)

(left margin, vertical: ✠ NOTITIA FVNDORVM IVRIS HVIVS TITVL)

FVND MVCIANVS IN INTEGRO
FVND COSCONIS IN INTEG· VBI SVP
FND· PRETORIOLVS IN INT VBI SVPRA
FVND CASACATELLI IN INTEG· VBI SVPRA
FVND PROCLIS IN INT·VIA APPIA·ML·II·CVMPANTAN
FND VIRGINIS IN INT VIA APPIA·ML·XIII
FVND CAPITONIS VIA ARDEATINA MIL· III·
FND FONTEIANVS IN INT· VIA SVPRASCRIPTA·ML·V
FND FAVSIANVS IN INT·VIA·SSTA MIL·PLMXII
FND LAVSIANVS IN INT· VIA SSTA ML·SSTO
FND CARBONARIORVM IN INT· VIA·S·MPVIIII.
FND PVBLICA IN INT VIA LATINA MIL. PLMXI
FND CASAQVINTI IN INT·VIA LATIN·M·PL·M·XI
FND LACITIANVS IN INT·VIA LAVICANA MXV
FND SERGIANVS· IN INTEGRO VBI SVPRA
FVND SEPTEMINVS IN INT·VIA
FVN·CAESARIANVS IN INT. V. PENESTRINA MXXX
FN. STAGNIS IN INT·VIA LATINA ML· PL·M·XXX.
FVN· CASALVCI IN INT· VBI SVPRA
FVN CASACELLENSE·VIA APIA. ML·XIII
VESTRE AECCLE CONFIRMAREMVS
ET NOS ITA CONFIRMAMVS VT SI QVISQVE
TEMERATOR EXTITERIT ANATHE
MATIS VINCVLO SVBIACEAT IN PERPETVVM

(right margin, vertical: ✠ CONSTANTINVS SERVVS SERVORVM)

Celebris Diaconia S. Mariæ in Cosmedin à Sanctissimo D. Nostro, ejusque fratris filio Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali Albano in pristinum splendorem redacta, quam V. C. Jo: Marius Canonicus Crescimbeni post literas elegantiores in florentissimis Italiæ Academiis excultas illustrandam suscepit commentario solida eruditione referto præservat nobis documentum illustre sculptum anno Christi 901. sub Joanne VIIII. in quo apparet diligentia ejusdem ætatis in recensendis etiam mobilibus donis, & ornamentis Ecclesiæ. Marmor est vetus, ex ruinis proximæ ædis S. Valentini nunc dirutæ translatum in porticum S. Mariæ in Cosmedin, utì docet titulus à Canonicis appositus inscriptioni, & cum ea impressus pag. 81. lib. 2. cap. 1. laudati libri

Vetus monumentum ad annum DCCCCII.
ab Incarnatione, seu a Nativitate DCCCCI.
Ioanne IX. Pont. Max.
Donationis factæ à Theobaldo Ecclę S. Valentini
quæ è Regione huius S. Diaconię extabat
in diruto istius Secretario repertum
hoc loco Archipresb. & Canonici poss.
Vrbano VIII. P. M. anno Iub. MDCXXV.

SVME VALENTINE MARTYR HEC DONA BEATE. QVE TIBI FERT OPIFEX TEV
BALDVS CORDE BENIGNO. HEC ITAQ. SVNT. QVE TIBI BEATISSIME
MARTIR IDEM TEVBALDVS CONCESSIT QVATINVS SINT IN VSV
SACERDOTV IN PERPETVV DONO TIBIQ. HIC SERVIENTIVM
IDEST. DOMVS DVAS SOLARATAS IVNCTAS IN VICINIO TVÆ ECCLÆ
CELLA IVXTA EAMDEM ECCLAM ORITICELLVM CVM OLIVIS RETRO AECLIAM SCI
NICOLAI. VINEA IN ANTONIANO. MISSA
LEM. I. ANTIFONARIA. I', VNVM DIVRNI. ALIVMQ. NOCTVRNI OFFICII FERIALES II
LIBRV GENESEOS CVM ISTORIIS CANONICIS. PASSIONARIVM DIALOGV CVM
SCINTILLARIO IMNARIA II· LIBRVM EX MORALIB. CALICEM ARGENTEV. EXAVRA
TV. CV CALAMO ET SVA PATENA. TVRIBVLVM ARGENTEV. MANVALE. I.
SI. QVIS·VERO BEATISSIME MARTIR EX HIS QVE TIBI A IAM DICTO TEVBALDO CCES

SA

(1) *Fabretti pag.* 416.

Digitized by Google

SA SVNT VEL AB ILLO AVT AB ALIIS CONCEDENTVR TEMERARIO AVSV ALIQVID ABSTVLERIT. DISTRAXERIT. VENDIDERIT VL FRAVDAVERIT. SIT SEPATVS A DO OMIV Q. XPIANOR. CSORTIO. QVIN. ET. PPETVO PCVSSVS ANATHEMATE ATQ. CV DIABOLO ET OIBVS IMPIIS IVNCTVS. AETERNO INCENDIO EXCVRAT VR TEPORE PONTIFICIS NO NI SVMIQ. IOHIS. EST SACRATA DIE SVPREMO HEC AVLA NOVEBRIS DV QVITA ELABENTE INDICTIO CVRRERET ANNVM.

Fundorum enumerationem Græcis characteribus incisam edidit V. C. Fabrettus Inscript. cap. x. num. 629. pag. 757. quam indicavit effossam ad S. Stephanum in Burgo (legendum arbitror in Cœlio) dictum, & inde translatam ad Collegium Germanicum. Nam in Monte Cœlio Ecclesiam S. Stephani, & hortum possidet Coll. Germanicum, ac vineam, unde etiam ante paucos annos vetusta monumenta extracta sunt. Pertinuit inscript. ad Ecclesiam S. Erasmi, seu Monasterium, ut videtur colligi ex primo versu ejus fragmenti, quod superest.

. . . . ONΦNIA

. . . . ΟΥ ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟC ΕΡΑCΜΟΥ ΚΟΡΝΙΦΙΚΙC

. . ΑΜΠΙC ΒΙΛΛΙΚΙC ΦΠΙΑΝΟΝ ΦΟΥΝΔΟC ΑΦΡΙΚΑΝΙC ΚΑΙ ΗC ΤΟ ΠΑΛΟΥΜΒΑ-

(ΡΙΝ · ΦΝΟΡΑ

. . ΟΝ · ΟΜΕΡΑΝΟΝ · ΦΟΥΝΔΟC · ΑΝΤΙΚΛΙC ΠΟΝΠΙΝΙΑΝΟΝ · ΛΟΝΓΙΑΝΟΝ ·

(ΜΙΚΡΟ

. . ΟΝΤΙΑΝΟΝ ΜΕΤΑ · ΜΑΡΜΟΡΑΤΟΥΛΑ · ΛΑΚΚΥΜΕΓΙΑΝΟΝ · ΒΟΥΞΙΤΟΥΛΑ ·

(ΦΟΥΝΔΟC

. . ΑΤΡΕΓΙΑΝΟΝ · ΜΟΥΚΙΑΝΟΝ · ΚΟΥΑΡΤΙΛΙΑΝΟΝ · ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΝ · ΚΑCΑ

(ΦΕΡΡΑΤΑ

. . ΟΥΝΔΟC . ΜΟΥΚΙΑΝΟΝ . ΤΕCCΕΡΑΡΟΡΟΥΜ · ΑΡΙΠΟΥ · ΚΑCΤΕΗC · ΦΟΥΝ-

(ΔΟC · ΓΡΕΦΗC

. . ΟΥΝΔΟC · ΚΑΛΚΕΛΛΑΤΟΥΛΑ · ΦΟΥΝΔΟC · CΤΡΟΥΜΑΚΙΑΝΑ (1)

Celebre verò Monasterium Sancti Erasmi situm erat prope Titulum S. Stephani in Monte Cœlio, uti observat Martinellus cum Fulvio, & Ugonio, & sæpe memoratur in hoc ipso Libro Pontificali, & præcipuè in Adeodato num. 138., (2) in Leone III. num. 405., & in Gregorio IIII. num. 471. Adeodatus cùm ex Monacho ejusdem cœnobii electus fuisset Pontifex anno Christi 669., multa prædia illi contulit. *In Monasterio* (inquit) *S. Erasmi situm in Cœlio Monte, in quo concrevisse visus est prædictus Sanctissimus Vir, multa nova ædificia augmentavit, sed & Casalia coinquisivit* (al. & multa ibi prædia coinquisivit) *& in vita sua Abbatem, vel Congregationem ibidem instituit*.

Demum & in dote attributa ædi sacræ occasione sepulchri ad oblationes, & luminaria Boëtius depositus Octavo Kal. Novembr. Ind. xi. Imp. Dn. n. Justino perpetuo Augusto anno XII. & Tiberio Constantino Cæsare anno III. qui sunt Characteres anni æræ Christi vulgaris 577. (& mater ejus nomine Argentea assignant prædia, & insculpunt marmori posito in Sacrario S. Angeli in Burgo, ita apud Fabrettum edito Inscript. cap. 3. num. 447.

✠ Deputaui
mus in ista se
pultura nostra
ex tm̃ paginam ad o
blatione, vel lumi
naria nostri Orti
transtiberini unci
as sex foris muros ju
xta porta portuen
se quod fuit
---- qd Micini Camel
in l. urbs. p. d. pa
tre

✠ Set qua
ttuor unci
as fundi eucar
piani quod est consti
tutum iuxta Scm Cyprian
um via labicana inter a
ffines fundi capitiniani
juris Scae Eccl. Rom. se
d & fundi Flauiani
juris publici iuxta
Sabinianum
explicit

50 Videmus itaque in Urbe Basilicas, Titulos, Diaconias, Monasteria, & Sepulchra nobis ostendere, præsertim ex ætate B. Gregorii Magni, sexto scilicet sæculo desinente, & ineunte septimo, ad Leonem IIII. aliosque Pontifices decimi sæculi, nobis inquam ostendere indices fundorum, & prædiorum de more insculptos, quandoque etiam mobilium rerum ad eadem loca sacra pertinentium, ut earundem rerum præservationi sequentes ætates consulerent.

Exempla providentis consilii hujus Romanæ Ecclesiæ derivata sunt in proximos Urbi Episcopatus: quorum ex marmoribus descripsi ea, quæ sequuntur.

In Ecclesia Cathedrali Anagnina Grimaldus Episcopus incidi curavit Epigraphen fundos complexam, cujus fragmentum hoc superest.

. . . . PO.
. . . . LE.
. . . . . DI GENITRIX MARIA QVI DIGNASTI ABERE TA
. . . . . MALDV EPS PARBA PARABIMVS INTRA VRE ECCLESIA
CVM. . . . . LIBARV COT NOS PLANTABIMVS SEV ME DO
TAEVM. QVI. N. VI. KASALIS POSITI SVNT QVOS D N LEO PP. INTRA AM
ABIT ET NOS DET . . . TIBI DONIS CVMPARABIMVS DOMINA MEA IN
VNCIAS II. ET. IN. FVND. ORTI DIACONORVM VNCIAS DVAS CVM LASA
SVAS SEV MEDIV FVND. PELEGRINI VNCIAS II.
. . . . VINEA IN IPSO FVND. QVOD EVBARBARIKA CVM
. . . . DICITVR. AT BALNEV SEV MET. VINEA QVI ES SVICO GE
. . . . IN FVND. QVORIIANO QVANTVM ODO IBI TENERE DIBETVR
. . . . IVSSIONE DNI N. APOSTOLICI. RECOLLISSIM. FVND. MACERATA IN
. . . . DO. SIN PRINIANVM VNCIAS NOBE ED IN FVND. ILARIANO VNCIAM
. . . . ANI VNCIA III. DE FVND. BALNEAREA VNCIAS SEX SEV MET. FVND.
——— INTEGRO CVM CASIS ET BINEIS SILBIS TERRIS ET IN IPSO KASALI.
. . . . SCTA. DI GENETRIX . . . . . ET BINEA.

In

(1) *Fabretti pag. 757.* (2) *Intellige editionis Romanæ ab ipso paratæ.*

In Ecclesia Tiburtina descripsit Suaresius donationem bonorum mobilium, & immobilium antiquo marmori ita incisam sub Gregorio IIII. anno Christi 930. & vulgavit lib. 2. Prænestis antiquæ cap. 7. pag. 146.

✠ Attendite lumen cuncti qui cernitis hanc
„ Fulli domum, quam sarcire curavit Egreg.
„ P. Magister Militum Cultor Ecclesiarum, &
„ largitor pauperum. Eo magis sævum tem-
„ pus transierit, quod hujus vetusta fabrica
„ casu ruitura multis esse videbatur. Nunc ea
„ facit Vigil P. cum hac natos suos pro redi-
„ mendis facinoribus suis, seu & pro anima
„ conjugis suæ Agathæ facaciter ampliavit à
„ solo usque ad summum, & picturis bariis
„ decoravit. Itaque obnixe quæso. O Christe,
„ & Genitrix Virgo, simulque Beate Paule
„ vas electionis, sociique tui Romula Redem-
„ pta, Erundoque, quarum corpora recondere
„ in tribus sacris altaribus studuit, ut susci-
„ pere dignemini hoc exiguum munus, quod
„ ad utilitatem templi exhibuit, idest Patenam,
„ Calicem, Cortinas, Candelabra, Thuribu-
„ lum, Canthara ex argento, Canistrum ex
„ ære, Vestes, Cortinas, Codices, Imagines
„ tribus cum signaculis ad resonandum laudem
„ Dei, quæ super camera istius templi statue-
„ re feci. Casas verò fundum Valvianum, si-
„ mulque Vineam in Laureto, & silva, & in
„ Barvatiana Petia de terra, & Clausuram,
„ Pergulasque unam, & in prata pratum. Si
„ quis de his donis, quæ ego offerre curavi,
„ aliquid subtrahere præsumpserit, sive Epi-
„ scopus, sive magna parvaque persona hære-
„ des meos in sua teneat potestate. Nunc au-
„ tem qui aliquid temerari eorum præsumpse-
„ rit, sit illi alienum regnum Dei, & à tre-
„ centorumdecem VIII. patrum sententia, seu
„ decreto anathematis vinculo subjaceat, &
„ cum Juda traditore Domini partem habeat.
„ Felices qui hic ingressuri estis, prò me
„ quæso orate, & gaudere temporibus multis
„ donet Dominus, ut hìc celere mente depre-
„ cari eum valeatis. M. Amen Factum temporibus Domini Gregorii Quarti Papæ Roma per Indictio. III.

51 Non est disjungenda ab hoc loco vetus inscriptio marmorea, pertinens ad annum Christi 731. quam Ravennæ excripsi in Ecclesia S. Apollinaris in Classe. Ostendit enim consuetudinem Romanam consignandi lapidibus publico loco propositis donationes factas Ecclesiis, & Monasteriis, & in his recensendi fundorum nomina, fuisse perductam octavo labente sæculo etiam in proximas Italiæ regiones.

IN. N PATRIS ET FILII ET SPS SCTI IMP PIISSIMIS DO NN LEONE ET CONSTAN
TINO A DO. CORONAT PACIF. MAGNIS IMPB. LEONE
QVIDEM CLEMENTISS. IMP. ANNOXIS. CONSTANTINO VERO A DO CORONATO IMP.
ANNO XI. GVVERNANTEM ITALIA DN EVTVCHIO EXCELL. PATRICIO.

& exarch. IIII. Kal. Februarias ind. XIIII. hic titulus monstrat opus
laudabile factum, quod pio consilio concepit mente psul
Joannes almus Pontifex junior in nomine quintus qui cum per
vigili æterni praemia regni fidus ut possideat aegenorum agmina
praecant liminibus sacris hoc sibi monumentum locauit Apollenari Sco
commendans puluerea nembra, quæ surrectura credit
Carnis resumpto uigore contulit, & donum quod seruis Dni prosit
qui laudes assiduas marturis collibat fundum cammiliaria casalibus
Vndique uallatum cum suis terminibus sicut textus donationis designat.
Aptum seruis Dni rauennati terr situm fertilem fecundum ignis
Ad esum lignament & suest quod pabulent silicarum glandifera
poma dans scae eccl. commutata ad inuicem loca fundum trecintula
Fauentin terr. constituto atque fundum pitulis contul terr. reiacen
tem simulque argento quaterdeni pundera mundum quod sibi legitime
genitorum contulit iura quod sit inliuatum nec reuocetur unquam
quod uhic collegio monachorum stipendias ad uicem cessit ex cuius
Redditibus praeparentur affauiles dapes hisque ius nomini annuæ colu
erint, quò iussù dominantis migrauerit
Ad caelestia regna hoc quoram concilio statuit, atque firmauit ut si quis
Successor sedis ecclesieque actor uel abba.
praepositus huius ueneravilis templi prenominat fundum miliaria
ex partem, uel totum per quouis ingenio ab usum seruorum Dni
hic deseruientium alienare praesumpserit, uel commutare aut
perene acta u, chartula largire aeternam condemnationem
sustineat cum traditore juda & his qui petierit, etqui largire temptaverit constrictus anathemati
vinculs corum trecentordecetocto patruum. ✠

52 In omnibus hisce monumentis à me productis attendi velim, ea referri ad ætatem inter Gregorium Secundum, & Quartum: qua scilicet vitæ Libri Pontificalis conscribebantur: ut inde constare possit, cur Auctores isti operam tam sedulam & nimiam (ut ita dicam) impenderent in enumerandis Pontificum donis, quæ per ipsos offerebantur Deo in sacris ædibus, Romæ præsertim constitutis. Quocumque se verterent pii Scriptores, incurrebant in eorum oculos epigraphes donationum, indices fundorum, inscripta donaria, & usus ætatis occupatæ in his percensendis. Quid ergo haberent potius, quàm id scribendo præstare, quod æqualibus suorum temporum placere potissimum cognoscebant? Quid etiam ad fidem historiæ suæ commendandam diligentius consectarentur, quàm ut ea colligerent, quæ comprobari tot publicis documentis nemo non videat? Auctores Catalogorum ex quarti, quinti, ac sexti sæculi monumentis Chronologiam, successiones, & sacras ordinationes digesserant. Decreta non multa protulerunt, quæ ad usum catalogi vix pertinebant. Ea tamen colligere potuerunt Scriptores proximi ex Actis Conciliorum, ex Archivis Romani Patriarchii, & Pontificia Bibliotheca. Hæc enim loca patuisse Scriptoribus octavi, ac noni sæculi, qui collectionem hanc claudunt, manifesta conjectura deducitur ex verbis eorundem à Luca Holstenio,

&

& ab Emmanuele Schelestratio perpensis: quemadmodum ex minutorum donorum recensione perspicuum fit, hanc nobis fuisse ab iis præservatam ex oculata inspectione rerum plerumque inscriptarum memoria donantis; tum etiam ex indicibus rerum mobilium, & immobilium tum temporis custoditis, & in publica marmora sæpe translatis: uti luculenter probatum fuisse confido tot ex monumentis, post longam seriem decem sæculorum ætati nostræ feliciter præservatis.

Hæc igitur omnia satis commendant, ut ego arbitror, auctoritatem hujusce Libri Pontificalis, ea producentis per singulas ætates, quæ juxta temporum illorum usum, ac documenta ab Ecclesiæ Notariis, Historicis, & Bibliothecariis in literas referebantur.

53 Præfationi modum imponam; imò & signaculum apponam (si fas est dicere) observatione numismatis, quod ejus fronti de industria præfixum fuit, (1) non tam ut imitaremur editionem Fabrotti, à numismate sacro auspicati paginam primam, ubi vultus expressit SS. Apostolorum Petri, & Pauli; quàm ut indicaremus genuina documenta, quæ sola inspectione tuebantur fidem historiæ per ea tempora, quibus hæ Vitæ conscribebantur.



Numisma est Crispi Cæsaris ex ære maximo, & haberi potest omnium clarissimum, quæ Roma Christiana antiquitus procuderit. Licèt verò illustratum mirificè fuerit sæculo superiori in utraque editione suorum Annalium à Cardinali Baronio; attamen nobile archetypon non spectaremus, nisi Romæ præservatum fuisset beneficio Fulvii Ursini primùm, deinde Excellentissimæ Burghesiæ Domus: cujus inter cimelia lectiora jamdiu asservatum, & peculiari conceptaculo inclusum, unà cum alio insigni numismate Constantini Magni III. & Exc. Princeps Marcus Antonius nuper ostendit, dum pro singulari quod hausit unà cum Majorum sanguine, religionis studio & doctrinæ, sibi simillimos liberos exemplo docet, ut ex universa, & planè regia Avorum gaza illam præferant partem, quæ cultum animi promovet in utraque ea disciplina. Opportunè verò contigit quasi reservatus huic nostræ editioni iteratus conspectus nummi; ut in eo quodammodo intuerentur lectores ævi Constantiniani æquale testimonium, & vindicias rerum ex publicis documentis eodem sæculo in catalogos digestarum, ut ex catalogis Ecclesiæ in Vitas Pontificum sub inde transferrentur. Numismatis figura repetatur.

In antica parte nummi Crispus Cæsar pectore tenus exprimitur, laureatus (licèt lauri folia non satis expresserit delineator à Baronio adhibitus) ac togatus, scipionem eburneum sinistra tenens, cui aquila de more insistit, dexteram verò apertam elevans, tanquam pacator, & triumphator. Circa protomen leguntur literæ consuetæ CRISPVS NOBilis CAESar. Pars adversa multo est præstantior: Exhibet enim virum barbatum sedentem inter duos Cæsares stantes, & ornatos habitu militari cum hastis puris. Viri sedentis coma detonsa est ad aures: barba non quidem prolixa, sed plenior, & crispæ similior, qualis cernitur in vetustis S. Petri imaginibus præsertim musivis, & in sarcophagis, vasisque sacris ejusdem quarti sæculi. Dextera manus hujus figuræ ad benedicendum elevatur, inflexis tantisper articulis quarti, & quinti digiti more Ecclesiæ Latinæ: sinistra verò hastam tenet, cui venerabile Crucis signum supernè insigitur. Circumfunditur capiti nimbus circularis: corpori verò tunica, & pallium. Salvatoris Nostri imaginem unam aut alteram hìc repræsentari censet Baronius ex duabus: quas ex argento efformatas pondo librarum 120. & 140., altitudine verò pedum quinque statuit Magnus Constantinus in Basilica Lateranensi: quemadmodum in Vita Silvestri memorat hic Liber Pontificalis n. 36. *Hujus temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicas istas, quas & ornavit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona. Fastigium argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella in pedibus 5. pens. libras 120. Duodecim Apostolos in quinis pedibus, qui pensaverunt singuli libras nonagenas cum coronis argenti purissimi. Item à tergo respiciens in absida Salvatorem sedentem in throno in pedibus quinis ex argento purissimo, qui pensat lib.* 140.

54 In prima Annalium editione anni 1592. Tom. 3. pag. 215. Cardinalis Baronius differens de professione Christianæ religionis à Crispo susceptæ in baptismate, illustre documentum ejusdem se nactum fuisse affirmavit hoc in numismate: quod plerisque antiquariis ætatis suæ videbatur quidem antiquum; sed cùm nonnullis suspectum foret, ab eodem producendo abstinere tunc maluit, ne in suis Annalibus quidquam obtruderet, quod laboraret suspicione mendacii. Triennio autem post, cùm adornaret alteram operis editionem, Tomo Tertio idem numisma produxit, & illustravit, tanquam vindicatum ab omni periculo, & suspicione fraudis auctoritate omnium Antiquariorum, & præ cæteris Fulvii Ursini, illorum facilè Principis ea tempestate: qui pretio à possessoribus constituto nihil detrahens, comparavit quantiplurimi lectissimum hoc numisma, & in celebri musæo suo reposuit, adactis etiam paucis illis antiquariis sublestæ fidei, qui de industria revocabant in dubium numi antiquitatem, ut viliori pretio suum facerent, ad suffragium sincerè ferendum de indubitata fide monumenti. Præstat coronidis loco verba dare Eminentissimi Scriptoris pag. 233. Tomi Tertii secundæ editionis numero XIII. postquam ea retulit, quæ scripserat in prima editione ante triennium.

(1) Numisma Burghesianum, quod Blanchinus præfationi suæ præposuerat hic damus commoditati lectorum consulentes, ubi de illo sermo est.

Hæc quidem (inquit) *nos in prima editione professi sumus, dum de germanitate numismatis quæstio verteretur: in qua tutiorem illam partem existimavimus, qua omnis licèt levissimæ imposturæ suspicio penitùs tolleretur. Cùm sic igitur in ea editione hujus Tomi Romana nobilissimum Crispi numisma omiserimus* (in margine addit. *Extabat numisma in ære apud Horatium Tigrinum de Mariis dum viveret*) *quòd de ejus sinceritate à quibusdam dubitaretur; modò autem veluti pulvere omni dubitationis excusso, evictâ veluti causâ, operæ pretium nos facturos putavimus, si hoc loco illud in Secunda editione reponendum curaremus, ex eo quòd amicissimus meus Fulvius Ursinus rerum antiquarum solertissimus explorator (ad quem veluti Lydium lapidem quæquæ vetera monumenta probanda, elucidandaque afferri solent, cujus & apud me auctoritas plurimum valet) de hac re consultus sæpius, & diligenter inspecto numismate, eoque totis ingenii viribus, omni adhibito experimento, percognito, & explorato, præsentibus illis etiam, quos ob singularitatem numismatis nonnihil de impostura pulsari animo senserat, nullam prorsus in eo fraudem inesse affirmavit: sed sicut ab omni prorsus imposturæ suspicione ostensum numisma scitis probatisque rationibus vindicavit, ita contradicentium animorum latebras palàm fecit, ea nimirum ex causa illud ab ipsis improbatum, ut possent viliori emere pretio: quod ipse probè cognitum, examinatum, probatum, omnique ex parte approbatum ab heredibus possessoris, erogato quod petierunt pretio, emit, atque ex eo suum nobilissimis monumentis confertissimum musæum exornandum putavit.*

Prosequitur deinde Baronius exponens adversæ hujus partis epigraphen: *Salus, & Spes Christus Reipublicae* SALVS ET SPES X. REIPVBLICAE; quæ Christi nomen compendiosè continet in Græca litera X., eo sæculo, & subsequentibus usurpata ad illud exprimendum: uti se docuisse pridem memorat etiam ex Juliano in Misopogone. *Usus postea obtinuit* (inquit) ut *X. elementum, quod super Christi caput ab antiquioribus apponi solet ad nomen Christi significandum, idem postea fuerit eàdem de causa in diademate collocatum, eoque modo aptatum, ut Crucis formam exprimeret, cùm alioqui in antiquioribus Salvatoris nostri imaginibus parvum absque aliquo signo diadema in modum Sphæræ inveniatur expressum, cum additamento tamen juxta posito nominis Christi: quo si careat, tunc illud in diademate inveniatur per X notam appositum (X)*

55 Hæc omnia libenter produximus ex historiæ Ecclesiasticæ restitutore Baronio: ut non modò ejusdem suffragio, sed etiam exemplo constaret, quantum adjiciant momenti, ac ponderis historicæ veritati genuina monumenta, si à Scriptoribus consulantur. Unde colligi necesse est, quàm fideliter perscripserint Auctores vitarum per ea sæcula, quibus poterant tum à Scriptoribus, tum à Lectoribus eorundem argumenti capita ferme singula conferri cum superstitibus iisque publicis documentis. Placet ex hoc ipso numismate confirmare, quàm facile simul, & accuratum judicium utrique paratum haberent in inspectione æqualium documentorum.

Numisma Crispi à Baronio productum, beneficio Burghesiæ Domus ætati nostræ præservatum est. Ejus inspectio nos docuit, statuam illam in adversa parte sedentem inter duos Cæsares stantes, nimbo ornatam, elevatâ dexterâ benedicentem, & Crucis signum hastæ impositum sinistra manu gestantem referri debere, vel ad Christum Dominum, ut putavit Baronius, vel ut aliqui malunt ad Principem Apostolorum, & Vicarium suum in Ecclesia constitutum. Utrumvis exprimat, indubitatum est hoc in numismate testimonium Christianæ Religionis publicè exercitæ sub Constantino, antequam Crispus ejusdem filius Faustæ novercæ calumniâ necaretur. Baronius putat, uti diximus, Christi Domini imaginem in numo signatam referre statuam argenteam ejusdem Salvatoris, ac Dei, & Domini nostri à Constantino erectam in Basilica Lateranensi, ut refert liber Pontificalis. Qui verò Petri Apostoli simulacrum illa in figura deprehendunt, observant cultum corporis, & præcipuè tonsuram capitis, ac barbæ modum assimilari potius imaginibus antiquissimis Petri Apostoli, quàm Christi Domini. Nam in sarcophagis marmoreis quarto, & quinto sæculo cælatis, & ex cœmeterio Vaticano productis in Roma subterranea Aringhi tomo 1. Tab. pag. 293. & seqq., quoties exprimitur Christus Dominus sive imberbis, sive barbatus, prolixi semper crines ei tribuuntur, & barba in acutum desinens. At in Apostolo Petro eadem vetusta marmora fol. 293. 295. 297. 299. 301. 307. & cum his picturæ omnes, anaglypha, musiva antiqua crines exhibent attonsos ad aurem, barbam rigentem, & non admodum prolixam qualis in numo visitur. Crucem autem in memoratis anaglyphis gestat S. Petrus, non secus, ac in numismate. Cælator typi à Card. Baronio impressi imberbem exhibuit viri sedentis faciem contra fidem numi; licèt crines ad aurem attonsos expresserit fideliter. Imagines SS. Apostolorum Petri, & Pauli custoditæ in Sacrario Basilicæ Vaticanæ (easdem affirmant esse à B. Silvestro oblatas Constantino Magno, quarum historiam retulit Hadrianus I. ad Carolum Magnum in epistola edita cum actis Synodi Nicenæ secundæ) Petrum Apostolum exhibent crinibus abundantem, sed ad aurem detonsis, & Paulum recalvastrum, qualis à Luciano describitur eodem observante Baronio ad annum 69. num. xiv. & ab ejusdem epitomes auctore Spondano num. vi. & viii. In ænea icuncula S. Petri olim in Museo Bellorii à me quoque spectata, & à Petro Sancte Bartolo edita cum antiquis lucernis par. iii. tab. 27. eadem tonsura crinium, & barbæ modus apparet, quæ à Spondano verbis Nicephori refertur, capillis capitis, & barbæ crispis, & densis, sed non admodum prominentibus. Anaglypha autem indicata in Sarcophagis Vaticanis quarti, & quinti sæculi, præsertim id quod folio 294. Aringhii occurrit, ubi quater exprimitur Christus Dominus, ter S. Petrus, multo evidentius declarant eam consuetudinem ætatis Constantinianæ (quando servabantur imagines Apostolorum eisdem ferme coævæ, quas Eusebius narrat à se spectatas hist. Eccl. cap. 18.) tribuendi comam prolixam, & in humeros fluentem Christo Domino, crines autem truncatos ad Clericalis tonsuræ modum beato Petro, cùm in eisdem marmoribus ita constanter uterque cælatus sit. In argenteis etiam vasis ministerii sacri ante Constantinum Magnum elaboratis, uti ex operis elegantia, & antiquitate percipimus, repertis inter rudera vetustiorum ædium sacrarum, & cœmeteriorum, quæ dabimus Tomo proximo inter notas ad Vitas Pontificum in Urbano I. idem habitus oris observatur, ubi Christus Dominus claves tradit Petro: Qua etiam forma posteri fideles exhibuerunt in musivis vetustioribus Urbis, ut in Titulo S. Pudentianæ sub Siricio Papa constructo & per Hadrianum I. instaurato; in Triclinio Leonis III., in Laterano;

Digitized by Google

rano; in æde S. Constantiæ sub Honorio I., & passim in anaglyphis, picturis, & musivis. Quæ cùm ostendant vultum Petri planè similem expresso in hoc numismate; dubitare nos minimè sinunt, quin ætate Constantini Magni effigies Petri ab hoc nummo proposita respondeat reliquis inde expressis, juxta historiam ab Hadriano Papa relatam in epistola memorata.

Literæ autem S. P. in eodem numero extante sub imagine, quam diximus Principis Apostolorum, vel indicant SANCTUS PETRUS elementis capitalibus utriusque dictionis (ut litera X. supernè inclusa in epigraphe SALVS ET SPES X. REIPVBLICAE continet nomen Christi) vel significant SIGNVM PETRI. Nam SIRMII PERCVSSA moneta hìc non indicatur, ut ego autumo; cùm sit insolens in numis latinis ex ære maximo officinæ monetariæ locum exprimere. Si autem Petrum Apostolum indicat hæc figura, ejusque simulacrum impositum sedi quadratæ; arbitror referendum ad statuam ejusdem Apostoli, cum cæteris à Constantino positam in Basilica Salvatoris, altitudine quinum pedum, pondo librarum nonaginta, cum corona ex argento purissimo, quam refert Liber Pontificalis in Silvestro num. 38. Crucem verò cum ostendat idem Apostolus erectam fortasse illam indicat, quam Constantinus in Basilica Vaticana constituit supra confessionem Beati Petri *ex auro purissimo pensantem libras centum quinquaginta. In mensuram loci, ubi scriptum est hoc. Constantinus Augustus, & Helena Augusta: hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat. Scriptum ex literis nigellis in Cruce*. Ea quæ nos conjicere nitimur ex indicio numismatis, nec satis definire possumus post diuturnas inspectiones, eadem ictu oculi perspicuè noscere poterant Auctores Libri Pontificalis, legentes in Cruce Constantiniana eorum ætate superstite nomina donantium, & in argenteis Statuis Christi Domini, atque Apostolorum spectantes effigiem singulis attributam ætate Silvestri. Ex iisdem monumentis, si superessent, collatis cum nummo, fortasse constaret, ad exemplum imaginis B. Petri sub Silvestro, & Constantino propositæ ad cultum Cruci Dominicæ, ejusque Gestatori exhibendum à Cæsaribus stantibus, efformatas fuisse à successoribus Silvestri statuas duas B. Petri; marmoream unam, quæ asservatur in hypogæo Basilicæ Vaticanæ; æneam alteram in æde superiori constitutam, ad oscula fidelium excipienda in signum venerationis, consuetudine derivata ab incunabulis Ecclesiæ ad hæc nostra sæcula.

56 Non piguit versari paulo diutius in contemplatione numismatis, & Sacræ Imaginis, atque inscriptionis in illo expressæ sub Constantino. Quin hæc omnia præfigenda curavimus præfationi, utpote indicia eorum documentorum, quæ in numerato parata erant, atque exposita Scriptoribus Libri Pontificalis. Nàm satis ostendunt, hæc veluti specimina, seu reliquias monumentorum, tunc temporis unicuique constantium, & publica in luce propositorum, neque Chronologiæ documenta defuisse Scriptoribus Catalogi vetustioris; neque ordinationum memorias, & legum Pontificiarum Auctori secundi Catalogi; neque vitarum posteriorum enarratoribus indiculos Ecclesiarum, unde nossent patrimonia, latifundia, prædia rustica, & Urbana, dona mobilia, & immobilia, sacram supellectilem, & minuta quæque cimelia, Basilicis, Titulis, Diaconiis, Monasteriis, ædibusque sacris omnibus in Urbe oblata. Gesta verò Pontificum, quæ narrant, plerumque sibi æqualium post ætatem Catalogi secundi, vel ipsi viderunt historici Vitarum, vel à publicis Archivis paulo ante perscripta mutuati sunt, & à concordi testimonio seniorum, qui interfuerant, sibi tradita collegerunt.

Optimo itaque jure singulis Auctoribus hujusce libri debetur elogium, ab Annalium conditore Baronio, historicæ veritatis judiee emerito tributum Anastasio Tomo viiii. ad ann. Chr. 752. num. xix. *Etsi rudi stylo, fidelissimè tamen rerum gestarum historiam exaravit*.

57 Hæc fuerunt, amice Lector, à nobis generatim præmittenda de auctoritate codicum, ac documentis rerum in Libro Pontificali enunciatarum. Nam quæ speciatim de singulis ejusdem patribus suo loco proferenda erunt, ostendet Tomus alter, notis variorum excipiendis destinatus, quem Typographus pollicetur se quantocyùs editurum. (1)

(1) Reliqua, quæ ad Romanam hanc editionem spectant, utpotè nostro instituto minimè idonea consultò omittimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SPECIMEN CHARACTERUM ANASTASII BIBLIOTHECARII

ex Vetustissimo Codice Pergameno Bibl.a Amb.a Sig. L.11.N.

sficq

IN DI NOM · INCIP · GESTA SUPRA SCRIPTIS PONTI

Beatus petrus apls et princeps. aplor. Antiochen filius iohannis. puinciç galileç uico bersai da frater andreç. primu sedit cathedra episco patu inantiochia ann. vii. hic beatus petrus in gressus in urbe roma sub nerone cesare. Ibiq; sedit cathedra epatus ann. xxv. m. ii. diu. fuit. aut tporibus tiberii cesaris et gagi et tiberii. claudi et ne ronis. hic scripsit duces eplas quç catholicç nomi nant. et eugtm marci. - - - - - - - -

- -

- - - - Qui fecit ordinat. p mens. marcio pbros. ii. diac. ii epos p diuer sa loca numero xv. Et du in francia esset positus rodigungo scissimo epo palliu tribuit. et archi epm ordinauit. Qui etia sepult. e. in basilica beati petri apli principis. v kl. mai indic. x. Et cessauit episcopat. mense. i. dies v. EX PLICIT LIBELLUS DO GRAS

A M E N:



Ligavit eum per annos mille Apoc. 20.

ANASTASII BIBLIOTHECARII HISTORIA DE VITIS ROMANORUM PONTIFICUM.

I. S. PETRUS APOSTOLUS.

ANNO CHRISTI 45.

CLAUD. IMPER. 3.

Beatus Petrus Apostolus, & Princeps Apostolorum, Antiochenus (1) filius Joannis, Provinciæ Galileæ, vico Bethsaidæ, frater Andreæ Primus sedit cathedram Episcopatus in Antiochia annos 7. (2) Hic Petrus ingressus in urbem Romam sub Nerone (3) Cæsare, ibique sedit cathedram Episcopatus annos 25. mensem unum, dies 8. (4) fuit autem temporibus Tiberii Cæsaris & Caji, (5) & Tiberii Claudii, & Neronis. Hic scripsit duas epistolas, quæ Catholicæ (6) nominantur, & Evangelium Marci, quia Marcus (7) auditor ejus fuit, & filius ejus (8) de Baptismo. Post omnem (9) quatuor Evangeliorum fontem, quæ ad interrogationem, & testimonium ejus, hoc est Petri, firmata sunt, dum alius (10) latinè aliusque græcè, & alius hebraicè consonant, (11) tamen ejus testimonio sunt firmata. (12) Hic martyrio cum Paulo coronatur post passionem Domini annis 38. (13) qui sepultus est viâ Aureliâ in templo Apollinis juxta locum ubi crucifixus est, juxta palatium Neronianum in Vaticano, juxta territorium triumphale, in Calendas Julias. (14) Hic fecit ordinationes per menses Decembrios, (15) Episcopos 6. (16) Presbyteros 10. Diaconos 8. (17)

II.

(1) B. Antiochenus Episcopus.
(2) C. Verba *Hic Petrus*, usque ad *fuit* non leguntur hic, sed in fine post verba *anno* 39.
(3) B. *Sub Nerone* non legitur.
(4) A. & B. Menses duos, dies tres.
(5) B. *& Caii* non leg.
(6) B. pro *Catholicæ* Canonicæ.
(7) C. Qui Marcus.
(8) A. & filius de Baptismo.
(9) B. & C. Post omnium.
B. non leg. *quatuor*.
(10) B. Aliud *semper*.
(11) Consonent, *ita in omnibus*.
(12) A. *post firmata, legit*. Hic ordinavit duos Episcopos, Linum, & Cletum, qui præsentialiter omne Ministerium Sacerdotale in Urbe Roma populo, vel supervenientibus exhiberent. B. autem Petrus ad Orationem, & prædicationem Populum erudiens (vacabat.) Hic cum Simone Mago multas disputationes habuit tam ante Neronem Imp., quàm ante Populum, ut quos B. Petrus ad fidem Christi adgregabat, ille per Magias, & deprecationes segregabat, & dum diutius altercarentur Simon Divino nutu interemptus est. Hic B. Clementem Episcopum consecravit, eique Cathedram, vel Ecclesiam omnem disponendam commisit dicens; sicut mihi gubernandi tradita est à D. meo J. C. potestas ligandi, solvendique, ita & ego tibi committo, ut ordinans dispositores diversarum causarum, per quos actus Ecclesiasticus profligetur, & tu minimè in curis Sæculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem, & prædicare populo vacare stude. Post hanc dispositionem Martyrio cum Paulo &c.
B. *firmata, & habet reliqua ut in A. sed pro exhiberent*, exhibeant, *pro populum*, populos.

II. S. LINUS.

ANNO CHRISTI 69.

NERON. IMP. 13.

LInus, natione Italus, regionis Tusciæ, ex (1) patre Herculano, sedit annos 15. (2) menses tres, dies 12. fuit autem temporibus Neronis, à Consulatu Saturnini, & Scipionis, (3) usque ad Capitonem, & Rufum Consules. (4) Martyrio coronatur. Hic ex præcepto Beati Petri constituit, ut mulier in Ecclesiam velato capite introiret. Hic fecit ordinationes duas, Episcopos 15. Presbyteros 18. (5) qui sepultus est juxta corpus Beati Petri in Vaticano, sub die nono Calendas Octobrias.

III. S. CLETUS.

ANNO CHRISTI 81.

VESPASIANI IMP. 10.

CLetus, natione Romanus, de regione (1) Vico Patricii, patre Æmiliano, sedit annos 12. mensem unum, dies 11. fuit autem temporibus Vespasiani, & Titi à Consulatu Vespasiani 7. & Domitiani 5. usque ad Domitianum 9. & Rufum Consules. Martyrio coronatur. Hic ex præcepto Beati Petri (2) 35. (3) Presbyteros ordinavit in urbe Roma, mense Decembri, qui etiam sepultus est juxta Corpus B. Petri in Vaticano 6. Calend. Majas, & cessavit Episcopatus dies 20.

IV. S. CLEMENS.

ANNO CHRISTI 93.

DOMITIAN. IMP. 10.

CLemens, natione Romanus, de regione Cælimonte, ex patre Faustino, sedit annos 9. menses 11. (1) dies 10. fuit autem temporibus Galbæ, & Vespasiani, a Consulatu Trajani, (2) & Italici usque Vespasianum 9. (3) & Titum. Hic dum multos (4) libros zelo fidei Christianæ religionis (5) adscriberet, martyrio coronatur. Hic fecit 7. regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicitè, & curiosè unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent. Hic fecit duas epistolas, quæ catholicæ nominantur. Hic ex præcepto Beati Petri suscepit Ecclesiam, (6) & Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à Domino Jesu Christo cathedra tradita, (7) vel commissa. Tamen in epistola, quæ (8) ad Jacobum scripta est, qualiter ei à Beato Petro commissa est Ecclesia, reperies. Ideo (9) Linus, & Cletus ante eum conscribuntur, eo quòd ab ipso principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sunt Episcopi ordinati. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros 10. Diaconos 11. (10) Episcopos per diversa loca 15. (11) Obiit martyr anno Trajani (12) tertio, qui etiam sepultus est in Græcia, 8. Calendas Decembris, & cessavit episcopatus dies 22. (13)

V. S.

---

pro ut quos, & quos, *pro magias*, magicas deceptiones, *altercarentur*, altercaretur, *pro Hic B. Clementem*, Hic verò sentiens diem mortis sibi imminere B. Clementem &c. *post verbum ligandi non legitur* solvendique, *pro ordinans*, ordines, *pro actus Ecclesiasticus profligetur*, legit actus Ecclesiasticos profiteatur, *pro prædicare populo*, leg. prædicationem vacare.

C. *legit. ut in* A. hic ordinavit Romæ &c. *& post verba Simone Mago*, prius in Judæa, & postea Romæ, *pro ut quos*, & quos, *post interemptus est*, Petrus verò sentiens &c. ut in B. *post gubernandi leg.* ligandi, & solvendi tradita est à D. meo Jesu Christo potestas, ita &c. ordines *dispositores* ut in B., *ad verbum profligetur*, *in margine* dirigetur, *infra* orationem, & prædicationem, *cum* Paulo Coapostolo suo.

(13) C. annis 39.

(14) A. III. Kal. *ita in omnibus*.

(15) A. per mensem Decembrium. Presbyteros X. Diaconos VII. Episcopos per diversa locanum. III.

(16) B. Episcopos III. Presbyteros X. Diaconos VII.

(17) D. Diaconos VII.

LINUS.

(1) A. *non leg.* ex.

(2) A. sedit annos XI., *& ita* in B.

(3) D. *pro Scipionis leg.* Sciphyonis.

(4) C. *post Consules ommissis cæt. leg.* Hic ex præcepto B. Petri XV. Presbyteros ordinavit in urbe Roma. Hic Martyrio coronatus est, & sepultus juxta &c.

(5) A. Presbyteros XIX.

CLETUS.

(1) B. de Regione, & vico Patricii Emiliano, & ita in C.

(2) C. Hic ex præcepto B. Petri quindecim Presbyteros ordinavit in urbe Roma. Hic Martyrio coronatus est, & sepultus juxta corpus B. Petri in Vaticano V. Calend. &c.

(3) A. XXV. Presbyteros *& ita in B.*

CLEMENS.

(1) A. menses duos, *& ita in omnibus*.

(2) A. & C. *pro Trajani* Tragali. B. Regali. C. Trajani Eragali.

(3) A. usque Vespasian. IX., & Tito. B. usque ad Vespasiani Secundi, & Titi.

(4) C. *verba*. Hic dum multos *non leguntur*, *sed habet*. Hic fecit septem &c.

(5) B. *verbum* Religionis *non leg.*

(6) A. suscepit Ecclesiæ Pontificatum gubernandi. C. suscepit Ecclesiæ gubernandæ Pontificatum.

(7) A. dedita.

(8) C. Quod in epistola, quæ ab eodem Clemente ad Jacobum Episcopum Hierosolimam scripta est, qualiter ei à B. Petro commissa sit Ecclesia plenius reperitur.

(9) A., & D. *ideo* propterea Linus. C. ideo autem.

(10) A. Diaconos duos.

(11) C. Qui dum multos libros zelo Christianæ fidei Religionis adscriberet, Martyrio coronatus est sub Trajano, & sepultus in Græcia XIX. Kal. Decembrias, & cessavit &c.

(12) A. Trajano Tertio.

(13) A. dies XXI.

Digitized by Google

V. S. ANACLETUS.

ANNO CHRISTI 103.

TRAJANI IMP. 4.

ANacletus, natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho, fedit annos 9. (1) menfes duos, dies 10. fuit autem temporibus Domitiani, a Confulatu Domitiani decimo, & Savini ufque ad Domitianum 17. & Clementem Confules. Hic memoriam Beati Petri conftruxit, & compofuit, dum presbyter factus fuiffet a Beato Petro, (2) feu alia loca, ubi Epifcopi reconderentur fepulturæ. Ubi autem & ipfe fepultus eft juxta corpus Beati Petri. 3. Idus Julii. Hic fecit ordinationes duas per menfem Decembrem, Presbyteros 5. Diaconos tres, Epifcopos per diverfa loca numero 6. (3) & ceffavit epifcopatus dies 13.

VI. S. EVARISTUS.

ANNO CHRISTI 112.

TRAJANI IMP. 13.

EVariftus, natione Græcus, ex patre Judæo, nomine Juda, de civitate Bethleem, fedit annos 13. (1) menfes 6. dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani, & Nervæ Trajani, a confulatu Valentis, & Veteris ufque ad Gallum, & Braduam Confules: martyrio coronatur. (2) Hic titulos in urbe Roma divifit Presbyteris, & 7. Diaconos conftituit, (3) qui cuftodirent Epifcopum prædicantem propter ftylum (4) veritatis. Hic fecit ordinationes tres per menfem Decembris, Presbyteros 6. Diaconos 2. Epifcopos per diverfa loca 5. Qui etiam fepultus eft juxta corpus Beati Petri in Vaticanum, 6. Cal. (5) Novembris, & ceffavit epifcopatus dies 19.

VII. S. ALEXANDER.

ANNO CHRISTI 121.

HADRIANI IMP. 2.

ALexander, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput tauri, fedit annos 8. (1) menfes 5. dies 2. fuit autem temporibus Trajani ufque ad Helianum, & Veterem. Hic paffionem Domini mifcuit (2) in precationem facerdotum, quando Miffæ celebrantur. Martyrio coronatur, & cum eo Eventius presbyter, & Theodorus (3) diaconus. Hic conftituit aquam afperfionis cum fale benedici in habitaculis hominum. Hic fecit ordinationes tres per menfem Decembrem, Presbyteros fex, (4) Diaconos duos, Epifcopos per diverfa loca numero 5. Qui etiam fepultus eft viâ Numentanâ, ubi decollatus eft, ab urbe Roma non longe, miliario 7. (5) quinto Nonas Maji, & ceffavit epifcopatus dies 35.

VIII. S. SIXTUS.

ANNO CHRISTI 132.

HADRIANI IMP. 13.

SIxtus, (1) natione Romanus, ex patre Paftore, de regione Via lata, fedit annos 10. menfes tres, (2) dies 21. fuit autem temporibus Hadriani ufque ad Verum, (3) & Anniculum, martyrio coronatur. Hic conftituit, ut minifteria facrata non tangerentur, nifi à Miniftris. Hic conftituit, ut quicunque Epifcoporum evocatus fuiffet ad fedem Apoftolicam, & rediens ad parochiam fuam non fufciperetur nifi cum literis (4) Patriarchæ falutationis plebi, quæ eft formata. Hic fecit ordinationes tres per menfem Decembris, Presbyteros II. (5) Diaconos (6) quatuor, Epifcopos per diverfa loca numero quatuor. (7) Qui etiam fepultus eft juxta Corpus Beati Petri in Vaticanum 3. Nonas (8) Aprilis, & ceffavit Epifcopatus dies 2. (9)

IX.

ANACLETUS.

(1) B. XVI.
(2) B. *habet ad marginem*, ubi alia Epifcoporum corpora in fepultura reconderentur. Hic conftituit, ut Clericus comam non nutriret: Duas etiam decretales epiftolas omni fapientia plenas confcripfit. Hic fub Domitiano Principe Martyris gloriam capitis obtruncatione fufcepit.
C. *leg. ut in* B. *tamen pro nutriret*, nutriat, poft *fufcepit*, fepultufque eft juxta Corpus B. Petri IV. Id. Jul.
(3) B. Epifcopos fex *ommiffis cæteris*.

EVARISTUS.

(1) A. annos VIIII. menf. X. *& ita* B. *&* C.
(2) *poft Coft. non legit.* Martyrio coronatur, *fed ante verba*, qui etiam fepultus eft.
(3) A. & VII. Diaconos ordinavit.
B. Presbyteros XVII. Diaconos II. Epifcopos XV.
(4) C. *habet in margine*, *aliàs* ftimulum.
(5) B. XVI. Kal.

ALEXANDER.

(1) A. annos X. menf. VII. fuit &c.
B. annos X. menf. VII. dies II. *& ita* in C.
(2) A. mifcuit in prædicatione Sacerdotum, & ita in B., & C.
(3) A. Thedolus, *& ita in* B., *&* C.
(4) C. Presbyteros V. Diaconos III. Epifcopos per diverfa loca V. Hic Martyrio coronatus eft.
(5) B. milliario VI. IV. Nonas Maji, & ceffavit Epifcopatus diebus XXXII.
C. & ceffavit Epifcopatus dies XXV.

(1) XISTUS. in omnibus.

(2) B. menfibus II. dies I.
(3) B. ufque ad Neronem, & Anniculum. C., & Anniculum Coff.
(4) A. nifi cùm literas Patriarchæ Salutationis plebe, quod eft formata.
B. cum literis Sedis Apoftolicæ Salutationis plebi &c.
C. quod eft formata.
(5) A. Presbyteros X.
(6) C. Diaconos XI. D. Diaconos III.
(7) C. Hic Martyrio coronatus eft, & fepultus &c.
(8) A. IV. Nonas.
(9) B. menfibus II.

Digitized by Google

IX. S. THELESPHORUS

ANNO CHRISTI 142.

ANTON. PII IMP. 3.

THelesphorus, natione Græcus, ex Anachorita, (1) sedit annos 11. menses 3. dies 22. (2) fuit autem temporibus Antonini, & Marci. Hic constituit, ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur, & Natali Domini noctu Missæ celebrarentur, cùm omni tempore ante horæ tertiæ cursum, nullus præsumeret missam celebrare, qua hora Dominus noster ascendit crucem, & ante sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Martyrio coronatus est, qui sepultus est juxta corpus Beati Petri in Vaticano 4. Nonas Januarii. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, (3) Presbyteros 12. Diaconos 8. & cessavit episcopatus dies quatuor. (4)

X. S. HYGINUS.

ANNO CHRISTI 154.

ANTON. PII IMP. 15.

HYginus, natione Græcus, ex Philosopho de Athenis, cujus genealogia non invenitur, (1) sedit annos quatuor, (2) menses tres, dies octo. (3) Fuit autem temporibus Veri, (4) & Marci a Consulatu Magni, & Camerini usque Orfidum, & Priscum. (5) Hic clerum composuit, & distribuit gradus. Hic fecit ordinationes tres (6) per mensem Decem. Presbyteros 15. Diaconos 5. Episcopos per diversa loca septem, (7) qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano, tertio Idus Januar. & cessavit episcopatus dies tres. (8)

XII. S. ANICETUS.

ANNO CHRISTI 167.

M. AUREL. & L. VERI 5.

ANicetus (1) natione Syrus, ex patre Joanne de Vico Omisa, (2) sedit annos 9. (3) menses tres. (4) Fuit autem temporibus Severi, & Marci, a Consulatu Gallicani, & Veteris usque ad Præsentem, (5) & Rufinum. Hic constituit ut clerus (6) comam non nutriret secundum præceptum Apostoli. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decemb. Presbyteros 17. (7) Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero 9. qui etiam obiit Martyr, & sepultus est in cœmeterio Calixti 12. Cal. (8) Maji, & cessavit episcopatus dies 7. (9)

XI. S. PIUS.

ANNO CHRISTI 158.

ANTON. PII IMP. 19.

PIus, (1) natione Italus ex patre Rufino, frater Pastoris, (2) de civitate Aquileja, (3) sedit annos 19. (4) menses quatuor, dies tres, fuit autem temporibus Antonini Pii, a Consulatu Clari, & Severi (5) Sub hujus Episcopatu Hermes librum scripsit, (6) in quo mandatum continetur, quod ei præcepit (7) Angelus Domini, cùm veniret (8) ad eum in habitu Pastoris, & præcepit ei, ut sanctum (9) Pascha die Dominico celebraretur. Hic constituit hæreticum venientem ex Judæorum hæresi suscipi, & baptizari; Et constitutum de Ecclesia fecit. Hic fecit ordinationes (10) quinque per mensem Decembrem, Presbyteros 19. Diaconos 21. Episcopos per diversa loca numero 12. qui etiam sepultus est juxta corpus Beati Petri in Vaticano 5. Idus Julias, & cessavit Episcopatus dies 12. (11) Hic ex rogatu Beatæ Praxedis dedicavit Ecclesiam Thermas Novati in vico Patricii in honorem sororis suæ sanctæ Potentianæ, (12) ubi & multa dona obtulit, ubi sæpiùs sacrificium Domino offerens ministrabat, (13) immo & fontem baptismi construi fecit, manu sua benedixit, & consecravit, & multos venientes ad fidem baptizavit in nomine Trinitatis.

XIII.

THELESPHORUS.

(1) C. ex patre Anachorita.
(2) A. *non habet* dies XXII. B. dies XXI.
(3) C. Episcopos per diversa loca XIII. Hic Martyrio coronatur &c.
B. Episcopos per diversa loca XIII. cessavit Episcopatus diebus VII.
(4) A., & D. cessavit Episcopatus dies VII.

HYGINUS.

(1) A. cujus genealogiam non inveni, *& ita in omnibus*.
(2) D. sedit annos X.
(3) A. dies IV., *& ita in* B., *&* C.
(4) B. temporibus Severii, & Martii.
(5) A. Ursito, & Prispo. B. Orsidutam, & Priscum Coss. C. Orphiriniahum, & Priscum Coss.
(6) A., & D. ordinationes IV.
(7) A. Episcopos per diversa loca numero VI., *& ita in omnibus*.
(8) C. dies IV.

ANICETUS.

(1) A., & D. Anicitus.
(2) A. Umisa. B. Humisa. C. Humisia.
(3) A. B., & C. sedit annos XI. mens. IV.
(4) A. dies XVII.
(5) C. usque ad Rufinum, & Præsentem.
(6) B. ut Clericus. C. Clericus comam non nutriet.
(7) B. Presbyteros XIX. C. XVIII.
(8) C. XX. Kal. Maji.
(9) B., & C. dies XVII.

(1) PIUS. Qui in A. B., & C. est post Hyginum.
(2) D. fratre Pastoris.
(3) A. Aquilegia, *& ita* in B.
(4) C. *&* D. sedit annos XI.
(5) D. Claris, & Severi veteris, sub cujus Episcopatu. B. sub cujus.
(6) B., & C. librum scripsit, qui dicitur Pastoris.
(7) C. quod ei præceperit.
(8) B. cùm venit ad eum.
(9) A. B. & C. *deest verbum* Sanctum.
(10) In B., & C. Hic fecit ordinationes *usque ad illa*. Hic ex rogatu Beatæ Praxedis *sunt in fine*.
B., & C. Hic fecit ordinationes &c. B. Episcopos num. XII. &c., & cessavit Episcopatus dies XIV. C. Episcopos per diversa loca X. &c. cessavit Episcopatus dies XIII.
(11) A. dies XIV., *& reliqua usque ad finem non leguntur*.
(12) B., & C. Pudentianæ.
(13) B. ministravit, fontem Baptismi consecravit, & constitui fecit manu &c.
C. ministravit, ubi & fontem Baptismi consecravit, & constitui fecit, & manu &c.

Digitized by Google

XIII. S. SOTER.

ANNO CHRISTI 175.

M. AUREL. IMP. 13.

Soter, natione Campanus, ex patre Concordio de civitate Fundis, sedit annos 9. menses tres. (1) Fuit autem temporibus Severi (2) a consulatu Rustici, & Aquilini usque ad Cetegum, & Clarum. (3) Hic constituit ut nulla monacha (4) pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia. Hic fecit ordinationes tres (5) per mensem Decembrem, Presbyteros (6) octo, Diaconos novem, Episcopos per diversa loca numero 11. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calixti via Appia, 10. Calend. Maji, (7) & cessavit Episcopatus dies 22. (8)

XIV. S. ELEUTHERIUS.

ANNO CHRISTI 179.

M. AUREL. IMP. 17.

Eleutherius, natione Græcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos 15. menses 6. (1) dies quinque. Fuit autem temporibus Antonini, & Commodi usque ad Paternum, & Braduam. (2) Hic accepit epistolam a Lucio Britanniæ (3) Rege, ut Christianus efficeretur per ejus (4) mandatum, & hoc iterum firmavit, (5) ut nulla esca (6) usualis a Christianis repudiaretur, maxime fidelibus, quam (7) Deus creavit, quæ tamen rationalis, (8) & humana est. Hic fecit ordinationes tres (9) per mensem Decemb. Presbyteros 12. Diaconos octo, Episcopos per diversa loca numero 15. Qui etiam sepultus est juxta corpus Beati Petri Apostoli (10) in Vaticano, 7. Calend. (11) Junii, & cessavit episcopatus dies 5. (12)

XV. S. VICTOR.

ANNO CHRISTI 194.

COMMODI IMP. 13.

Victor, natione Afer, ex patre Fœlice, sedit annos 10. menses 2. dies 10. fuit autem temporibus (1) Helii Pertinacis & Severi a consulatu Commodi quinto & Glabrionis (2) usque ad Lateranum & Rufinum. Hic constituit ut S. Pascha die Dominico celebraretur, sicut & Eleuther. Hic fecit sequentes cleros. (3) Martyrio coronatur, & constituit ut necessitate faciente (4) ibi, ubi inventus fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum (5) christiana confessione credulitatis clarificata, quicunque hominum ex gentilitate (6) veniens, ut baptizaretur. (7) Hic fecit ordinationes (8) tres per mensem Decembrem, Presbyteros quatuor, Diaconos septem, Episcopos per diversa loca 12. Hic fecit constitutum ad interrogationem Sacerdotum de circulo Paschæ, cum Presbyteris, (9) & Episcopis facta collatione, & accersito Theophilo (10) episcopo Alexandriæ, facta congregatione, ut a quartadecima luna primi mensis, usque ad vigesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha. Hic sepultus est juxta corpus Beati Petri (11) in Vaticano 5. Calendas Augusti, (12) & cessavit episcopatus dies 12.

XVI. S. ZEPHERINUS.

ANNO CHRISTI 203.

SEVERI IMP. 9.

Zepherinus, natione Romanus, ex patre Abundio, sedit annos 17. (1) menses duos, dies 10. fuit autem temporibus Antonini, & Severi à consulatu Saturnini, & Gallicani usque ad præsentem, (2) & Striganum Consules. Hic constituit, ut in præsentia omnium (3) clericorum, & laicorum fidelium, sive Le-

SOTER

(1) A. menses VI diebus XXI., *& ita in* B. in C. menses III. dies XXI.
(2) C. fuit autem tempore Severi Rustici, & Aquillini usque ad Cetegum.
(3) A. Cetigo, & Cloro. D. Cetegium.
(4) B. nulla monialis
(5) B., & C. ordinationes V. A. VI.
(6) B. Presbyteros XVIII. Diaconos IX. Episcopos XI. C. Presbyteros XIX. Diaconos XIX.
(7) B. Junii.
(8) A., & B. & C. dies XXI.

ELEUTHERIUS.

(1) A. B., & C. mens. III. dies II.
(2) A. Bradua. B. Branduam Coss. C. Biduam Coss.
(3) B. Britannino. C. Britannorum.
(4) B. efficeretur per mandatum.
(5) B. & hoc firmavit.
(6) A. esca à Christianis repudiaretur, quę tamen &c.
(7) B. fidelibus quam quod Deus creavit.
(8) A. B., & C. rationabilis.
(9) B. ordinationes II.
(10) In B., & C. τὸ Apostoli *non legitur*.
(1) B. nono Kal.
(12) B. dies XV.

VICTOR.

(1) C. mens. III.
(2) A. temporibus Cæsaria Commodo V., & Gravio non usque ad Lat. &c.
B. temporibus Aug. Cæsaris à Commodo III., & Guvione usque ad &c. C. temporibus Cæ-

saris à Commodo V., & Gravione usque &c. D. temporibus Cæsarii, & Commodi V., & Gravionem &c.
(3) B. sequentem Clerum. A. sequentes Clerus. Hic constituit.
(4) A. faciente, & ubi B. faciente ubi inventum. C. faciente ubi inventus. D. ubi ubi.
(5) C. fontibus tam.
(6) A. hominum ex gentile veniens &c. B. ex gentili.
(7) C. veniens baptizetur.
(8) A. ordinationes II., *& ita in omnibus*.
(9) A. ut Dominico Paschæ cum Presbyteris &c. B. Paschæ ut Dominico celebraretur cum Presbyteris, & Episcopis custodiretur Sanctum Pascha, qui & sepultus &c.
(10) C. Theophilo Alexandrino Episcopo, ut à XIV. luna &c. *pro custodiatur*, custodiretur.
(11) B. C., & D. Petri Apostoli.
(12) A. Kal. Aug.

ZEPHERINUS.

(1) A. annos VIII. mens. VII. B. annos IX. mens. VII. C. annos VIII. mens. VII.
(2) A. usque præsente, & stricato Consulibus. B. stricatum Coss. C. strigatum Coss. & ita in D.
(3) A. constituit præsentia omnibus Clericis, & Laicis fidelibus, sive Clericus &c.
B. constituit præsentibus omnibus Clericis, & Laicis fidelibus, sive Clericus, sive Levita, sive Sacerdos ordinaretur. C. fidelium, sive Clericus Levita, sive Sacerdos.

Digitized by Google

Levita, five Sacerdos ordinaretur, & fecit constitutum de Ecclesia, (4) ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Ecclesiam ministri portarent, donec Episcopus missas celebraret, ante se Sacerdotibus astantibus, & sic missæ celebrarentur, excepto quod jus Episcopi interesset, ut tantum clerus sustineret (5) omnibus præsentibus ex ea consecratione (6) de manu Episcopi jam coronam consecratam, & acciperet presbyter tradendam populo. Hic fecit ordinationes quatuor, per mensem Decemb. Presbyteros 9. (7) Diaconos 7. Episcopos per diversa loca 8. (8) Qui etiam sepultus est in cœmeterio suo juxta cœmeterium Calixti via Appia 7. Calend. Septembris, & cessavit Episcopatus dies 6. (9)

XVII. S. CALIXTUS. (1)

ANNO CHRISTI 221.

ELAGABALI 2.

Calixtus, natione Romanus, ex patre Domitio, de regione Urberavennatio, (2) sedit annos sex, (3) menses duos, (4) dies decem, fuit autem temporibus (5) Macrini, & Heliogabali à consulatu Antonini & Alexandri. Hic martyrio coronatur. Hic constituit jejunium die Sabbati, ter in anno fieri, frumenti, vini, & olei secundum prophetiam, quarti, (6) septimi, & decimi. Hic fecit Basilicam trans Tyberim. (7) Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, Presbyteros 16. Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca octo. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calepodii, (8) via Aurelia, milliario (9) 3. pridie Id. Octobris, & fecit aliud cœmeterium via Appia, ubi multi Sacerdotes, & Martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem cœmeterium Calixti, & cessavit Episcopatus dies 6. (10)

XVIII. S. URBANUS.

ANNO CHRISTI 226.

ALEXANDRI IMP. 4.

Urbanus, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos octo, (1) menses 11. dies 12. (2) Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea, & patenas argenteas 25. posuit. Hic verus (3) confessor extitit temporibus Maximini, (4) Africani Consulum. Hic sua traditione multos convertit ad baptismum, & credulitatem, etiam Valerianum nobilissimum virum, sponsum Sanctæ Ceciliæ, (5) quos etiam usque ad martyrii palmam perduxit, & per ejus monita multi martyrio coronati sunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, Presbyteros 9. (6) Diaconos 5. Episcopos per diversa loca 8. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Prætextati, (7) via Appia, (8) 8. Cal. Junias, & cessavit Episcopatus dies 30.

XX. S. ANTERUS. (1)

ANNO CHRISTI 237.

MAXIMINI IMP. 1.

Anteros, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos 12. mense 1., diebus 12. Martyrio coronatur. (2) Fuit autem temporibus Maximini; & Africani Consulum. Hic gesta martyrum (3) diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit, propter quod (4) à Maximo Præfecto martyrio coronatus est. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Episcopum (5) unum. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia, 3. Non. Januarii, & cessavit Episcopatus dies 13.

XIX.

(4) B. de Ecclesia, & patenas vitreas ante Sacerdotes teneri in Ecclesia, & Ministri celebrarent ante Sacerdotes astantes, sic Missæ celebrarentur, excepto quod jus Episcopi interesset. C. fidelium, sive Clericus Levita, sive Sacerdos *pro* ut *portarent*, supportarent &c. celebraret Sacerdotibus astantibus &c. *pro ex ea*, quod ex ea. D. *pro ut patenas*, & patenas &c. in Ecclesia, & Ministros supportantes.

(5) B. sustineret omnes præsentes.

(6) B. consecratione quam de manu &c.

(7) A. Presbyteros III. B. XIV. C. XIII.

(8) A. XIII. *& ita in* C. B. XIV.

(9) A. dies VII. B. XI.

(1) CALISTUS. in omnibus.

(2) A. de regione Urbe Ravennantium, & ita in C. B. de Urbe Ravennantium. D. Urbe Ravennatio.

(3) B. sedit annis VII. &c.

(4) C. menses X.

(5) C. fuit autem temporibus Antonini, & Alexandri à Consulatu Macrini, & Hegliogabali, usque ad præsentem, & Gallicanum Coss. B. Macrini, & Theodoli, à Consulatu Antonii Alexandri.

(6) A. B., *verba*, quarti, septimi, & decimi *non leguntur*.

(7) B. quæ S. Maria appellatur.

(8) A. Callapodi. B. Callepochi. C. Calleopodii.

(9) B. milliario III. ab Urbe. C. milliario III. ab Urbe II. Id.

(10) A. dies VII. B. dies XVI.

URBANUS.

(1) In A. B., & C. sedit annos IV. menses X. &c.

(2) D. dies XI.

(3) A. Hic verò Confessor sua tradit. &c.

(4) B. Hic fuit temporibus Maximi, & Africani Coss., qui etiam Martyrio coronatur tempore Diocletiani. Hic sua &c. C. Hic fuit temp. Max., & Afr. Coss. Hic sua &c.

(5) B. & C., & fratrem ejus Tyburtium.

(6) B. Presbyteros novemdecim, Diaconos decemseptem, Episcopos octo.

(7) C. Prætaxati Calixti.

(8) A. Appia XIV. Kal. Jun. B. Appia, quem sepelivit. B. Tiburtius VIII. Kal. Junii.

(1) ANTHERUS. in A., & B. Antheros in D., qui Pontifex in MSS. A. B., & C. adest post Pontianum.

(2) B. diebus duodecim Martyrio coronatur temporibus &c.

(3) B. martyrum, & legentium.

(4) A. propter quondam Maximino Presbytero, qui Martyrio coronatus est. B. propter quendam Maximum Presbyterum, qui Martyrio &c. C. propter quondam Maximinum Presb. qui &c. D. propter quemdam Max. Presb. qui &c.

(5) B. Hic fecit unum Episcopum in civitate Fundis Campaniæ per mens. Decemb. qui etiam &c.

Digitized by Google

XIX. S. PONTIANUS.

ANNO CHRISTI 233.

ALEXANDRI IMP. 10.

Pontianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio, (1) sedit annos (2) 5. menses duos, dies duos. Martyrio (3) coronatur. Fuit autem temporibus Alexandri, à Consulatu Pompejani, & (4) Feliciani. Eodem tempore Pontianus Episcopus & Hippolytus presbyter exilio sunt deportati, ab Alexandro in Sardiniam in Insulam (5) Bucinam, Severo, & Quintiano Consulibus. In eadem Insula defunctus est. Tertio Calendas Novemb. & in ejus locum ordinatus est Anterus (6) 11. Calend. Decembris. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros 6. Diaconos 5. Episcopos per diversa loca numero 6. Quem Beatus Favianus adduxit cum clero per navim, & sepelivit (7) in cœmeterio Calixti, via Appia, & cessavit Episcopatus à dispositione ejus dies 10.

XXI. S. FABIANUS. (1)

ANNO CHRISTI 238.

MAXIMINI IMP. 2.

Fauianus, natione Romanus, ex patre Favio, sedit annos 14. menses 10. (2) dies 11. martyrio coronatur. Fuit autem temporibus (3) Maximini, & Africani usque ad Decium secundum, & Quadratum, & passus est 4. (4) Calend. Februarias. Hic regiones divisit Diaconibus, & fecit (5) 7. Subdiaconos, qui 7. Notariis imminerent, ut gesta martyrum in integro (6) colligerent, & multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit. Et post passionem ejus, Moyses, & Maximus Presbyteri, & Nicostratus Diaconus comprehensi sunt, & in carcerem missi sunt. Eodem tempore supervenit Novatus ex Africa, & separavit de Ecclesia Novatianum, & quosdam Confessores, postquam Moyses (7) Presbyter in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses 11. sicut & multi

A fuerunt. (8) Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros 22. (9) Diaconos 7. Episcopos per diversa loca numero 11. qui etiam (10) sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia, 14. (11) Calend. Februarii. Et cessavit Episcopatus dies septem. (12)

XXII. S. CORNELIUS.

ANNO CHRISTI 254.

DECII IMP. 2.

Cornelius, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annos tres, (1) menses duos, dies 10. martyrio (2) coronatur. Sub cujus (3) Episcopatu, Novatus (4) Novatianum extra Ecclesiam ordinavit, & in (5) Africa Nicostratum. Hoc facto Confessores, qui se separaverunt à Cornelio cum Maximo (6) Presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi, & facti sunt Confessores fideles. Post hoc Cornelius Episcopus Centumcellis pulsus est, (7) & ibi scriptam epistolam de sua confirmatione, (8) missam à Cypriano, quam Cyprianus in carcere scripsit, & de Celerino Lectore suscepit. (9) Hic temporibus suis rogatus à quadam Matrona Lucina, corpora Apostolorum Petri, & Pauli, de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem Corpus Beati Pauli Beata Lucina posuit in prædio suo via Ostiensi ad latus, ubi decollatus est. Beatus vero Cornelius Episcopus accepit Corpus Beati Petri Apostoli, & posuit juxta locum, ubi crucifixus est inter corpora Sanctorum Episcoporum in templo Apollinis in Montem aureum (10) in Vaticano Palatii Neroniani 6. Calend. Julii. (11) Post hoc (12) eodem tempore audiens Decius, quòd epistolam accepisset à Beato Cypriano Carthaginensi Episcopo, misit Centumcellis, & adduxit Beatum Cornelium, quem tamen jussit sibi præsentari cum Præfecto Urbis in interludo (13) noctu ante templum Palladis. Cui ita dixit. Sic definisti, ut nec Deos, nec præcepta (14) Principum, nec nostras minas timeas, ut contra Rempublicam litteras accipias, & dirigas? Cornelius Episcopus respondit

PONTIANUS.

(1) B. Calphurnio. C. Calburino.
(2) A. annos IX. menses V. &c., *& ita in* B., & C.
(3) C. *verba* Martyrio coronatur *non leg.*
(4) A., & B. Pompejani, & Peliniani. C. Pompejani, & Pelagii. D. Pompejani, & Pelicani.
(5) B. insulam Britianam. C. insulam Sardiniam Bricianam.
(6) C. Antheros. *in* B. *verba* II. Calend. Decembris *non leguntur*.
(7) A. Qui etiam sepultus in Cimiterio Calisti via Appia, & cessavit Episcopatus dies X. B. & cessavit Episcopatus dies X. C. & cessavit Episcopatus à Martyrio ejus dies X.

(1) FABIANUS. *in* A. *postpositus* Anthero.
(2) A. menses XII. B. C., & D. mens. XI.
(3) A., & C. temporibus Maximi.
(4) A. XIV. Kal. B. XIII. Kal. *in* C. *verba*, & passus est 4. Kal. Feb. *desunt*.
(5) B., & C. & fecit Diaconos VII.
(6) B. integro fideliter colligerent.
(7) A., & B. postquam Moyses in carcere &c.
(8) A. sic & multi fugerunt. B. & sic multi Christiani fugerunt per diversa loca. C. sicut multi alii fuerunt.
(9) A. Presbyteros XXI.
(10) B. Qui etiam Martyrio coronatus est, & sepultus &c. *ita in* C.
(11) A. XIII. Kal. *in* B. XIV. Calend. Feb. *non leg.*
(12) A., & C. dies VI.

CORNELIUS.

(1) A., & B. annis II. diebus III. C. annos II, dies....
(2) *In* A. Martyrio coronatur *non leg.*
(3) A., & C. sub hujus.
(4) B. Novatius, & Novatianus. A. *non l.* Novatius.
(5) A., & D., & Africa. B. ordinavit ex Africa.
(6) D. à Cornelio cum Maximino.
(7) C. expulsus est exilio.
(8) B. & ibidem scripta Epistola de sua confirm. missa, & apud Cyprianum, quam Cyprianus &c. C. & ibi scriptam Epistolam de sua conf. missam à Cypriano suscepit, quam &c.
(9) *In* A., & B. suscepit *deest*.
(10) B. aureum Palatii Neroniani tertio Kal. Julii.
(11) A. B. & C. III. Kal. Julii. Eodem tempore audivit Decius &c.
(12) B. post hoc ambulavit noctu Centumcellis &c. temp. Decius eo quod Epist. accepisset à B. &c.
(13) A. intellu de nocte, cui ita dixit. C. in tellure noctu, cui ita dixit. D. in interludem. B. in tellure ante templum Palatii, quem ita aggreditur dicens, sic despuisti ut nec Deos confitearis, nec præcepta majorum.
(14) A. ut nec Deos consideres, non præcepta Principum, vel minas, ut &c. C. Deos considerès nec præcepta Principum, vel minas timeas, & contra &c.

Digitized by Google

dit dicens. Ego de corona Domini (15) literas accepi, non contra Rempublicam, sed magìs (16) speciale consilium ad animas redimendas. Tunc Decius iracundia plenus jussit os Beati Cornelii cum plumbatis cædi, & præcepit duci eum ante templum Martis, ut adoraret: (17) quod si non fecisset, dicens, capite truncetur. Post hoc ideft 3. Nonas Martii, (18) jam ante passionem suam omnia bona (19) Ecclesiæ tradidit Stephano Archidiacono suo. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero septem, (*) qui etiam decollatus est in loco supradicto, & martyr effectus est. Cujus corpus noctu collegit Beata Lucina cum clericis, & sepelivit in crypta, juxta cœmeterium Calixti, (20) via Appia, in prædio suo, 8. (21) Calend. Septembris. Et cessavit Episcopatus dies 35. (22)

XXIII. S. LUCIUS.

ANNO CHRISTI 255.

GALLI, ET VOLUSIANI 2.

Lucius, natione (1) Tuscus, de civitate Luca, ex patre Lucino, sedit annos tres, menses octo, (2) dies tres, martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Galli, & (3) Volusiani usque ad Valerianum tertium, & Gallicanum. Hic exilio fuit relegatus, (4) postea nutu Dei incolumis ad ecclesiam (5) reversus est. Hic præcepit, ut duo presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium ecclesiasticum. Qui etiam a Valeriano (6) capite truncatus est 3. Nonas Martii. (7) Hic potestatem dedit omnis (8) Ecclesiæ Stephano Archidiacono suo, dum ad passionem pergeret. Hic fecit ordinationes duas (9) per mensem Decembris, Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero tres. (10) Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia, 8. Calend. Septemb. & cessavit Episcopatus dies 35.

XXIV. S. STEPHANUS.

ANNO CHRISTI 257.

GALLI, ET VOLUSIANI 4.

Stephanus, natione Romanus, ex patre Julio, (1) sedit annos quatuor, menses duos, dies decem. (2) Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Valeriani, & Gallicani, & Maximi usque ad Valerianum tertium, & Gallicanum secundum. Suis temporibus (3) exilio est deportatus, postea nutu Dei reversus est ad Ecclesiam incolumis. Et post dies 34. tentus a Maximiano missus est in carcerem cum novem Presbyteris, & duobus Episcopis Honorio, & Casto, & tribus Diaconis Xisto, Dionysio, & Gajo. Ibidem in carcerem ad arcum stellæ fecit Synodum, & omnia vasa Ecclesiæ Archidiacono suo Xisto in potestatem dedit, vel arcam pecuniæ, & post dies sex exiens sub custodia ipse simul capite truncatus est. Hic constituit Sacerdotes, & Levitas, ut vestes sacratas (4) in usu cotidiano non uti, nisi in Ecclesia tantùm. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrium, Presbyteros septem, (5) Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca numero tres. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia 4. (6) Nonas Augusti. Et cessavit Episcopatus dies 22.

XXV. S. SIXTUS (1) II.

ANNO CHRISTI 260.

VALER. ET GALLIENI IMP. 6.

Sixtus, natione Græcus (2) ex Philosopho, sedit annos duos, (3) menses undecim, dies sex martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Valeriani, & Decii, quo tempore fuit maxima persecutio. Eodem tempore hic comprehensus a Valeriano, (4) & ductus, ut sacrificaret dæmoniis, quia contempsit præcepta Valeriani, capite truncatus est, & cum eo alii sex Diaconi, Fœlicissimus, & Agapitus, Januarius, & Magnus Vincentius, (5) & Stephanus sub die sexto Idus Augusti. (6) Et Presby-

(15) B. de Corona. D. mei accepi &c.
(16) A. Rempublicam, sed spirituale consilium. Tunc jussit os ejus cum plumbatis &c. B. sed magis spirituale cons. ad &c. *& ita* in C.
(17) A. ubi adoraret. B. ut adoraret.
(18) A. post hoc idem III. non Martii postquam passus est, itaque jam ante &c. B., & C. post hæc jubente Decio passus est III. Nonas Martii ante &c.
(19) B, omnia bona sua.
(*) A. Qui etiam sepultus est juxta cimiterium Calixti in Arinario via Appia VIII. Kal. Septembris &c.
(20) D. juxta cimiterium in Arenario via &c.
(21) B. XIII. Kal. Octobris. C. XVIII. Kalend. Octobris.
(22) B, diebus LXVI.

LUCIUS.

(1) A. natione Romanus ex patre Porfirio, sedit &c., *& ita in* B. & C.
(2) A. B., & D. menses III. C. ann. III. mens. III. dies III.
(3) C. Galli, & Volupiani.
(4) *In omnibus* *τὸ* relegatus *non leg.*
(5) B. Ecclesiam suam.
(6) B. Qui etiam à Valerio truncatus est &c.
(7) A. IV. Nonas Martii.
(8) B. omnem.
(9) B., & C. tres.
(10) A., & B. per diversa loca numero septem. C. per diversa loca....

STEPHANUS.

(1) A. Jobio. B. Jobrio.
(2) A. annos VII. mens. V. dies II. B. annis septem, mensibus quinque, diebus duobus. C. annos VII., *& reliqua ut in* B.
(3) *In* A. B., & C. *verba* suis temporibus *usque ad* truncatus est *desunt*.
(4) B. Levitas vestibus sacratis in usum quotidianum non uti, nisi Ecclesia, fecit &c.
(5) A. Presbyteros VI., & ita in B., & C.
(6) B. tertio Non. Aug., & Presbyteri præfuerunt à Consulatu Maximi, & Glabrionis II. usque Tuscum, & Bassum à Consulatu Tusci, & Bassi usque XIII. Kal. Aug., quo tempore fuit magna persecutio. D. Secundo Non. Aug. &c.

(1) SIXTUS. in A. C., & D. XISTUS.
(2) B. Græcus, & Philosophus. C. Græcus de Athenis ex Philosopho.
(3) A. ann. I. mens. X. dies XXIII. B., & C. ann. II., *& reliqua ut in* A.
(4) B. *verba* à Valeriano *desunt*.
(5) C. Magnus Innocentius.
(6) A. Stephanus sub die VIII. Id. Aug. B. Stephanus Subdiaconus VIII. Id. Augusti.

Digitized by Google

Presbyteri præfuerunt a consulatu Maximi & (7) Ravionis usque ad consulatum Tusci, & Bassi 13. Calendas Augusti. (8) Quo tempore sævissima persecutione (9) arguebatur beatus Sixtus sub Decio, & post passionem beati Sixti post tertia die passus est & beatus Laurentius ejus Archidiaconus quarto Idus Augusti, & Claudius Subdiaconus, & Severus Presbyter, & Crescentius lector, & Romanus ostiarius. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros quatuor, Diaconos septem, Episcopos per diversa loca duos. Qui vero sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia. Nam & Diaconi supradicti sepulti sunt in cœmeterio Prætextati via Appia, 8. Idus Augusti. Beatus autem Laurentius sepultus est (10) via Tiburtina in cœmeterio Cyriacetis, in agro Verano in crypta cum aliis multis martyribus, 4. Idus Augusti, & cessavit Episcopatus dies 35.

XXVI. S. DIONYSIUS.

ANNO CHRISTI 261.

VALER. ET GALLIENI IMP. 7.

Dionysius, ex monacho, cujus generationem non potuimus reperire, sedit annos 2. menses 3. dies (1) septem. Fuit autem temporibus Gallieni ex die 11. Calendarum Augustarum, Æmiliano, & Basso Consulibus, usque in diem 7. Calendarum Januariarum, a consulatu Claudii & Paterni. Hic Presbyteris (2) Ecclesias divisit, & cœmeteria, & parochias Diœceses instituit. (3) Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros 12. Diaconos 6. Episcopos per diversa loca numero 8. (4) Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia, 6. Calendas Januarii, (5) & cessavit Episcopatus dies quinque.

B

XXVII. S. FELIX.

ANNO CHRISTI 272.

AURELIANI IMP. 2.

Felix, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annos duos, menses decem, (1) dies viginti quinque, martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Claudii Aureliani (2) a Consulatu Claudii, & Paterni usque ad consulatum Aureliani & Capitolini. (3) Hic constituit supra sepulcra (4) martyrum Missas celebrari. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros novem, Diaconos duos, (5) Episcopos per diversa loca numero quinque. Hic fecit Basilicam in via Aurelia, ubi & sepultus est miliario 2. ab urbe Roma, 3. Calendas Junii, (6) & cessavit Episcopatus dies quinque.

XXVIII. S. EUTYCHIANUS. (1)

ANNO CHRISTI 275.

AURELIANI IMP. 5.

Eutychianus, natione Tuscus, ex patre Marino, (2) de civitate lunæ, sedit annos octo, menses decem, dies quatuor. (3) Fuit autem temporibus Aureliani a consulatu Aurelini tertio, (4) & Marcellini usque in diem Idus Decemb. Caro secundo, & Carino Consulibus. Hic constituit, ut fruges super altare tantum, fabæ, & uvæ benedicerentur. Hic temporibus suis per diversa loca 342. Martyres manu sua sepelivit. Qui hoc constituit, ut quicumque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato nulla ratione sepeliret: (5) quod tamen ad notitiam (6) sibi divulgaretur. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris Presbyteros 14. (7) Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca novem. (8) Martyrio coronatur. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia octavo Calendas Augusti. Et cessavit Episcopatus dies (9) forte Cal. octo.

XXIX.

---

(7) B., & Presbyteri fugerunt à Coss. Max., & Gravionis. C. Gravionis.

(8) A. Maximi, & Gravionis II. usque Tusco I., & Basso à Cos. Tusci, & Bassi usque XIV. Kal. Aug.
D. Ravionis I. usque Tuscum, & Bassum, à Coss. Tusci, & Bassi usque XIII. Kal. Aug.

(9) A. persecutio fortè urgebatur sub Decio &c. B. persecutio vigebat sub Decio. C. urgebatur, *aliàs* agebatur sub Decio.

(10) A. Qui verò sepultus est in cimiterio Prætexati via Appia. Supradictus B. Laurentius in cimiterio Cyriaci in agrum Veranum in cripta cum aliis multis Martyribus, & cessavit &c. B., & C. ipse verò sepultus est in cimiterio Calisti via Appia. Nam sex Diaconi supradicti sepulti sunt in cimiterio Prætexati via Tiburtina in cimiterio Cyriaci in agro Verano in cripta cum aliis multis Martyribus IV. Id. Aug., & cessavit &c.

DIONYSIUS.

(1) A. B., & C. sedit annos VI. mens. II. diebus IV.
(2) A. Presbyteros Ecclesiæ dedit.
(3) Constituit *in omnibus*.
(4) B., & C. loca VII.
(5) *verba* VI. Calendas Januarii *in* B., & C. *non leguntur*.

FELIX.

(1) A. B., & C. sedit annos IV. menses III.
(2) A. temporibus Claudii, & Aureliani, *& ita in* D. B., & C. à temporibus Aureliani à Conf. Claudii, & Paterni usque ad Consulatum &c.
(3) A. Aureliani, & Capitali.
(4) supra memorias *in* A. B., & C.
(5) Diaconos V. *in* A. B., & C.
(6) A. milliario ab Urbe Roma III. Kal. Januar., & cessavit &c.

(1) EUTYCHIANUS *in* A., & B. EUTICIANUS.

(2) B., & C. Maximo.
(3) an. I. mens. I. diem I. *in* A. B., & C.
(4) A. temporibus Aureliani à Conf. Aureliani III. B., & C. temporibus Aureliani III., & Marcellini.
(5) B., & C. aut collobio purpura, ne ulla ratione sepeliret.
(6) A. quod tamen usque ad notitiam sibi divulgaretur. B. notitiam suam.
(7) D. Presbyteros XIII.
(8) D. VIII.
(9) A. Episcopatus dies octo, *& ita in omnibus*.

Digitized by Google

XXIX. S. CAJUS. (1)

ANNO CHRISTI 283.

CARINI, ET NUMERIANI 1.

CAjus, natione Dalmata, ex genere Diocletiani Imperatoris, (2) ex patre Gajo, ſedit annos 11. menſes quatuor, dies novem. (3) Fuit autem temporibus Cari, & Carini à die 14. (4) Calend. Januarii à Conſulatu Cari ſecundi, & Carini (5) uſque in diem 10. Calendarum Majar. Diocletiano quarto, & Conſtantio (6) ſecundo. Hic conſtituit ut ordinationes omnes in Eccleſia ſic aſcenderent. Si quis Epiſcopus eſſe mereretur, (7) ut eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, (8) ſequens Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Epiſcopus ordinaretur. Hic regiones diviſit Diaconibus. Hic fugiens perſecutionem Diocletiani in cryptis habitando, martyrio coronatur anno 9. (9) Hic fecit ordinationes (10) quatuor per menſem Decembrem, Presbyteros vigintiquinque, Diaconos octo, Epiſcopos per diverſa loca numero quinque, qui poſt annum 11. cum Gaviniano fratre (11) ſuo propter filiam Gavini Presbyteri, (12) nomine Suſannam, martyrio coronatur: (13) qui etiam ſepultus eſt in cœmeterio Calixti, via Appia, 10. Calendas Maji, & ceſſavit Epiſcopatus dies 11.

XXX. S. MARCELLINUS.

ANNO CHRISTI 296.

DIOCLET. ET MAXIMIANI. 13.

MArcellinus, natione Romanus ex patre Projecto, ſedit annis octo, menſ. 11. diebus 22. (1) Fuit autem temporibus Diocletiani, & Maximiani ex die Calendarum Juliarum a Conſulatu Diocletiano ſexto, & Conſtantini (2) 11. uſque ad Diocletianum 9. & Maximianum 8. quo tempore fuit perſecutio magna; ut intra 30. dies 17. milia (3) hominum promiſcui ſexus per diverſas provincias martyrio coronarentur Chriſtiani. De qua re & ipſe Marcellinus ad ſacrificium (4) ductus eſt, ut thurificaret, quod & fecit, (5) & poſt paucos dies pœnitentia ductus, ab eodem Diocletiano pro fide Chriſti cum Claudio, & Cyrino, (6) & Antonino (7) capite ſunt truncati, & martyrio coronantur, conjurans (8) Beatus Marcellinus Marcellum Presbyterum, dum pergeret ad paſſionem ſuam, ut præcepta Diocletiani non impleret. Et poſt hoc factum jacuerunt corpora ſancta in platea ad exemplum Chriſtianorum diebus 36. ex juſſu Diocletiani, & exinde Marcellus (9) Presbyter collegit nocta corpora cum Presbyteris, & Diaconibus cum hymnis, & ſepelivit via Salaria (10) in cœmeterio Priſcillæ, in cubiculo claro, quod patet uſque in hodiernum diem, quod ipſe præparaverat (11) pœnitens, dum traheretur ad occiſionem in crypta juxta corpus ſancti Creſcentonis (12) 7. Calendas Maji. Qui etiam fecit ordinationes duas per menſem Decembris, Presbyteros quatuor, Diaconos duos, Epiſcopos per diverſa loca numero quinque. Ab eodem die ceſſavit Epiſcopatus ann. 7. menſ. 6. diebus 25. perſequente Diocletiano Chriſtianos.

XXXI. S. MARCELLUS.

ANNO CHRISTI 304.

CONSTANTII, ET GALERII 10.

MArcellus, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Via lata, ſedit annos quinque, menſes ſex, (1) dies 21. Fuit autem temporibus Conſtantii & Galerii & Maxentii

---

(1) D. CAJUS. *in* A. B., & C. GAJUS.
(2) A. Imperatoris *non leg.*
(3) A. B., & C. dies XII.
(4) A. temporibus Carini à die XVI. Kal. Jan. B., & C. à die XVI. Januarii.
(5) B. Cari ſecundi uſque in diem &c.
(6) A. & Conſtantino II. B. C., & Conſtantio Vero Coſs.
(7) A. Hic conſtituit ut ordines omnes in Eccleſia ſic aſcenderentur, ſi quis Epiſcopus mereretur, ut eſſet &c.
D. Hic inſtituit ut ordinationem omnem in Eccleſia ſic aſcenderent.
B., & C. ſi quis fieri Epiſcopus mereretur, ut eſſet prius hoſtiarius.
(8) B., & C. Exorciſta, Acolitus, Subdiaconus &c.
(9) A. poſt annos VIII. B., & C. poſt annos novem. D. per annum nonum.
(10) A. Ordinationes III.
(11) B., & C. cum Gabinio fratre. D. cum Gavino fratre ſuo.
(12) A. cum Gavinio fratre propter filia Gavini Presbyteri.
(13) A. coronatur. Hic fecit Ordinationes IV. per menſ. Decembris. Presbyteros XV. Diaconos XV. Epiſcopos per diverſa loca numero quinque, qui etiam &c.

MARCELLINUS.

(1) A. ſedit an. IX. menſ. IV. dies XVI. B., & C. ann. IX. menſ. II. dies XVII. D. menſ. II.
(2) B., & C. Conſtantii II. D. Conſtantini II.
(3) B. XVI. millia. D. XVIII. millia.
(4) B., & C. Marcellinus ad ſacrificandum.
(5) B. qui & fecit, & poſt paucos dies Synodo facta in provincia Campaniæ in civitate, quæ vocatur Sueſſa ſuo ore pęnituit coràm CLXXX. Epiſcopis cum cinere in capite ſuo, & cilitio veſtitus pęnitentiam agens, & dicens ſe peccaſſe. Tunc iratus Diocletianus tenuit eum ad ſacrificium compellens. Ille autem clamabat dicens, pęniteo cum lacrimis ignorantia, quia graviter deliqui, & cœpit blaſphemare Diocletianum, & Idola Dæmoniorum manufacta. Tunc ab eodem Diocletiano &c. *& ita in* C.
(6) A. Claudio, & Cyrino capite ſunt truncati.
(7) B. Cyrino, & Antonio.
(8) A. coronatur, quem conjurans B. Marcellinus Marcellinum Presbyterum &c. B. coronati. Conjuraverat autem. B. Marcell. Marcellinum &c.
C. Adjuravit autem B. Marcellinus Marcellum.
(9) D. & exinde Marcellinus Presbyter.
(10) A. via ſalutaria in cubiculo claro in crypta, qui etiam fecit Ordinationes II. per menſem Decembris Presbyteros IV. Diaconos II. Epiſcopos per diverſa loca numero V. Qui etiam ſepultus eſt in cimiterio Priſcillæ via ſalutaria VI. Kal. Maji in cubiculum, quod patet uſque in hodiernum diem, quod ipſe præceperat ab eodem die, & ceſſavit Epiſcopatus ann. VII. dies XXV., perſequente Diocletiano Chriſtianos.
(11) B., & C. quod ipſe præceperat, dum traheretur &c.
(12) B., & C. Creſcentionis VI. Kal. D. Sanctæ Creſcentionis VIII. Kal. &c.

MARCELLUS.

(1) A., & D. menſes VII.

Digitized by Google

xentii (2) e Consulatu Maxentii quarto, & Maximi usque ad Consulatum. Hic rogavit quandam Matronam nomine Priscillam, (3) & fecit cœmeteria via Salaria, & 25. titulos in urbe Roma constituit, quasi Diœceses, propter baptismum, & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, & propter sepulturas Martyrum. Hic (4) ordinavit 26. Presbyteros in urbe Roma per mensem Decembris, Diaconos duos, (5) & Episcopos per diversa loca 21. Hic coarctatus est, & tentus, eo quod Ecclesiam ordinaret comprehensus à Maxentio, ut negaret se esse Episcopum, & sacrificiis se humiliaret Dæmoniorum, qui semper contemnens, deridens dicta, & præcepta Maxentii, damnatus est in catabulo, qui dum multis diebus serviret in catabulo orationibus, & jejuniis Domino servire non cessabat. Mense autem nono nocte venerunt clerici ejus omnes, & emerunt eum (6) de catabulo. Matrona autem quædam nomine Lucina, (7) quæ fecerat (8) cum viro suo Marco annos 15. (9) & in viduitate sua habebat annos 19. suscepit (10) Beatum Marcellum, quæ domum suam nomine Beati Marcelli titulum dedicavit, ubi die, noctuque hymnis, & orationibus Domino Jesu Christo confitebantur. Hoc audito Maxentius misit, & tenuit iterum Beatum Marcellum, & jussit in eadem Ecclesia iterum plancas (11) exsterni, ut ibidem animalia catabuli congregata starent, & ipsis Beatus Marcellus deserviret, qui tandem in servitio animalium nudus amictus cilicio defunctus est. Cujus corpus collegit Beata Lucina, & sepelivit in cœmeterio Priscillæ, (12) via Salaria, 17. Calendas Febr. & cessavit Episcopatus diebus 20. Lucina vero (13) proscriptione damnata est.

XXXII. S. EUSEBIUS.

ANNO CHRISTI 309.

CONSTANTINI 4.

EUsebius, natione Græcus, ex patre (1) Medico, sedit annos duos, mensem unum, dies 25. (2) Fuit autem temporibus Constantini. (3) Sub hujus temporibus inventa est Crux Domini Nostri Jesu Christi 5. Non. Maji, & baptizatus est Judas, qui & Cyriacus. (4) Hic (5) Hæreticos invênit in urbe Roma, quos verè ad manus (6) impositionem reconciliavit. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrium, Presbyteros 13. Diaconos tres, Episcopos per diversa loca numero 14. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calixti in crypta, (7) via Appia. 6. Nonas Octobris, & cessavit Episcopatus diebus 7.

XXXIII. S. MELCHIADES. (1)

ANNO CHRISTI 311.

CONSTANTINI 6.

MIltiades, natione Afer, sedit ann. 3. mens. 7. (2) diebus 12. ex die Nonas Julii a consulatu Maxentii 9. usque ad Maximum 11. (3) qui fuit mense Septembris Volusiano, & Rufino consulibus. Hic constituit nulla ratione die Dominico, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia hos dies Pagani, quasi sacrum jejunium celebrabant. Et Manichæi inventi sunt in urbe (4) ab eodem. Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias, (5) ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem Presbyteros septem, (6) Diaconos quinque, (7) Episcopos per diversa loca 12. Hic sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia, in crypta 3. Idus (8) Decembris & cessavit Episcopatus diebus 16. (9)

XXXIV. S. SILVESTER.

ANNO CHRISTI 314.

CONSTANTINI 9.

SIlvester, natione Romanus, ex patre Rufino sedit ann. 23. (1) mens. 10. diebus 12. (2) Fuit autem temporibus Constantini, & Volusiani ex die Calendar. Februariarum usque ad diem Calend. Januariarum, Constantio, & Volusiano consulibus. Hic in exilio fuit in montem Soractem (3) persecutione Constantini concussus, & postmodum rediens cum gloria, baptizavit Con-

(2) A. temporibus Maxenti à Consulatu Max. IV., & Maximi usque post Conf. Hic fecit cœmeterium via Salaria &c.
B. temporibus Maxentii IV., & Maximiani usque post Conf. &c.
C., & D. temporibus Maxentii IV., & Maximini usque post Consulatum &c.
(3) B. Pristillam.
(4) A. Martyrum. Hic fecit Ordinat. XXV. Presbyteros &c.
B., & C. Martyrum. Hic coronatus est, & tentus &c.
(5) A. & duos Diaconos per mens. Decembris, *reliqua de Episcopis desunt*.
(6) A. & exuerunt eum. B. C., & D., & eruerunt eum.
(7) A. B., & C. Lucina Vidua.
(8) B. quæ fuerat cum Viro &c.
(9) D. ann. XX.
(10) A. suscepit. Beatum Virum.
(11) B., & C. iterum paleas sterni.
(12) B. Pristillæ.
(13) *In* B., & C. *verba* Lucina verò *non leguntur*.

EUSEBIUS.

(1) A. Græcus ex Medico.
(2) A. sedit an. VI. mens. I. dies III., *& ita in* B., & C.
(3) A. temporibus Constantis, *& ita in* B. C., & D
(4) B., & C. Quiriacus, qui eam invenerat.
(5) B., & C. Hic Papa Hæreticos &c.
(6) A. quos ad manum impositionis. B., & C., quos ad manus impositionem.
(7) A. in crypta *non leg*.

(1) MELCHIADES. A. MELCIADIS. D. MELTIADES.
(2) A. sedit ann. IV. ex die &c. B., & C. ann. IV. mens. VII. dies VIII.
(3) II. *in omnibus*.
(4) A. in urbe Roma, & ab eodem fecit &c. B.C., & D. in urbe Roma. Ab eodem die fecit.
(5) A. fecit oblationes consecratas per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigeretur, quod declaretur &c. B. C., & D. fecit oblationes consecratas per Ecclesias, ut ex consecratu Episcopi &c.
(6) A. ordinationem I. Presbyteros VII. &c.
(7) B., & C. Diaconos VI.
(8) A. Appia IV. Id. Decembris. B., & C. Appia in crypta IV. Id. Decembris.
(9) B., & C. dies XVII.

SILVESTER.

(1) C. ann. XIII.
(2) B., & C. dies XI.
(3) A. montem Seracten, & postmodum rediens &c. D. Siractim.

Digitized by Google

Constantinum Augustum, quem curavit Dominus per baptismum a lepra. (4) Cujus persecutionem primo fugiens, in exilio fuisse cognoscitur.

Hic fecit in urbe Roma Ecclesiam in prædio cujusdam Presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, quem titulum Romanum constituit, juxta Thermas Domitianas, qui usque in hodiernum diem appellatur titulus Equitii, ubi & hæc dona constituit. Patenam argenteam pensan-

---

(4) A. Dominus à lepra, *deest* per baptismum.

B. Hic Constantinus Imperator, quarto die sui baptismatis privilegium Ecclesiæ Romanæ contulit Pontifici, ut in toto Orbe Romani Sacerdotes hunc itaque habeant, sicut omnes judices Regem. (a) In eo privilegio ita inter cætera legitur. Utile judicavimus unà cum omnibus Satrapis nostris, & universo Senatu Optimatibus etiam, & cuncto populo Romano Imperio subjacenti, ut sicut B. Petrus in terris Vicarius Filii Dei videtur esse constitutus: etiam & Pontifices ipsius Principis Apostolorum vicem, Principatus potestatem ampliùs quàm terrenæ nostræ Imperialis serenitatis mansuetudo habere videtur concessam à nobis, nostroque Imperio obtineant: eligentes nobis ipsum Principem Apostolorum, vel ejus Vicarios firmos apud Deum esse patronos. Et sicut est nostra terrena Imperialis potentia: ita ejus Sacrosanctam Romanam Ecclesiam decrevimus veneranter honorare, & ampliùs quàm nostrum Imperium, terrenumque thronum Sedem Sacratissimam B. Petri gloriosè exaltare, tribuentes ei & potestatem, dignitatem, atque vigorem, & honorificentiam Imperialem, atque decernentes: sancimus, ut Principatum teneat tam super quatuor Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in universo Orbe terrarum Dei Ecclesias, & Pontifex, qui pro tempore ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extitit celsiores, (b) & Princeps cunctis Sacerdotibus totius Mundi existat, & ejus judicio quæcumque ad cultum Dei, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur, & infra Ecclesias Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli pro continuatione luminariorum, possessionum prædia contulimus, & rebus diversis (c) eas ditavimus, & per nostram Imperialem Sacram, tam in Oriente, quàm in Occidente, vel & in Septentrionali, & Meridionali plaga, videlicet in Judæa, Græcia, Asia, Thrachia, Africa, & Italia, vel diversis insulis nostra largitate eis concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus Beatissimi Patris nostri Silvestri Summi Pontificis, Successorumque ejus omnia disponantur, & infra Beato Silvestro, & omnibus Successoribus ejus de præsenti tradimus Palatium Imperii nostri Lateranensis. Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrighium, necnon & superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum. Verùm etiam & clamidem purpuream, atque tunicam coccineam, (d) & Imperialia omnia indumenta, seu etiam dignitatem Imperialium præsidentium equitum. Conferentes ei etiam Imperialia sceptra, simulque cuncta signa, atque banda, & diversa etiam ornamenta Imperialia, & omnem processionem Imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ, Viris etiam Reverendissimis (e) Clericis diversi ordinis eidem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus illud culmen singularis potentiæ, & præcellentiæ habere sancimus. Cujus amplissimus noster Senatus videtur gloriâ adornari, idest, Patricios, & Consules effici: necnon & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari: & sicut Imperialis extat decorata militia: ita Clerum S. Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus, & quemadmodum Imperialis potentia diversis officiis cubiculariorum, nempe ostiariorum, atque omnium cubiculariorum ordinatur: ita & semper (f) Romanam Ecclesiam decorari volumus, & ut amplissimè Pontificale decus præfulgeat decernimus, & hoc ut Clerici ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mappulis ex linteaminibus, idest, candidissimo colore decoratis equos equitent, & sicut noster Senatus calceamentis utitur cum udonibus, idest candido linteamine illustrentur, & ita cœlestia, sicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus B. Silvestro, & Successoribus ejus ex nostro indulto; (g) quem placatus proprio consilio clericare voluerit, & in numero religiosorum Clericorum connumerare, nullus ex hominibus præsumat superbè agere decrevimus. Itaque & hoc, ut ipse, & Successores ejus diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo, & gemmis pretiosis, uti debeant pro honore B. Petri. Ipse verò Beatissimus Papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam B. Petri ipsâ ex auro non est passus uti coronâ. Phrigium verò candido nitore splendidum (h) resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frænum equi ipsius pro reverentia B. Petri, stratoris officium illi exhibuimus. Statuentes eodem Phrigio omnes Successores ejus singulariter uti in professionibus ad imitationem Imperii nostri, unde & (i) Pontificalis apex non vilescat, sed magis quàm terreni Imperii dignitas, gloria, & potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, quàm Romanam urbem, & omnes Italiæ, seu Occidentalium regionum provincias, loca, civitates, beatissimo Pontifici, & universali Papæ Silvestro contradimus, (l) & ab eo, & a Successoribus ejus per pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque juri S. Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda. Unde congruum perspeximus nostrum Imperium, & Regni potestatem Orientalibus transferri regionibus: & in Byzantiæ provinciæ optimo loco nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium: quoniam ubi Principatum (m) Sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc si omnia, quæ per hanc Imperialem sacram, & alia divalia decreta statuimus, & confirmamus usque in finem Mundi illibata, & inconcussa permanere decernimus. Unde coram Deo vivo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili ejus judicio obtestamur omnes nostros Successores Imperatores, vel cunctos Optimates, Satrapas etiam, amplissimumque Senatum, & universum populum in toto Orbe terrarum, nunc, & inposterum nulli eorum quoquomodo licere, aut confringere, vel in quoquam convelli. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator, aut contemptor extiterit, terrenis condemnationibus subjaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes Apostolorum Petrum, & Paulum sibi in præsenti, & in futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematos (n) cum diabolo, & omnibus deficiat impiis. Hujus ergo Imper. nostri decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus B. Petri posuimus. Datum (o) Romæ III. Kal. Aprilis. Fl. Constantino Augusto quarto consule, & Gallicano IV. cons.

C. *legit ut B. hisce tantùm variis lectionibus dissentiens.*

(a) *ut in toto orbe Romano Sacerdotes hunc ita caput habeant, sicut omnes judices Regem.*
(b) *celsior.*
(c) *diversas.*
(d) *coctineam.*
(e) *reverentissimis Clericis.*
(f) *ita & supra Rom. Eccl.*
(g) *ex nostro indicto.*
(h) *splendidam.*
(i) *unde ut Pontifical.*
(l) post contradimus leg., *atque relinquimus.*
(m) *ubi Principatus.*
(n) *concrematur.*
(o) *data.*

Digitized by Google

ſantem libras 20. ex dono Auguſti Conſtantini. Donavit autem ſcyphos argenteos duos, qui penſaverunt ſinguli libras denas. (5) Calicem aureum penſantem libras duas. Calices miniſteriales quinque penſantes ſinguli libras binas. Amas argenteas duas penſantes ſingulæ (6) libras denas. Patenam argenteam chriſmalem auro cluſam penſantem libras quinque. Phara coronata 10. penſantes ſing. lib. octonas. Phara ærea 20. penſantes ſingula libras denas. (7) Canthara ceroſtrata 12. (8) ærea penſ. ſingula libras tricenas. Fundum Valerianum in territorio Sabinenſi, qui præſtat ſol. 80. Fundum Statianum (9) in territorio Sabinenſi, qui præſtat ſolid. 55. Fundum duas caſas in territorio Sabinenſi, qui præſtat ſol. 40. Fundum Percilianum (10) territorio Sabinenſi, qui præſtat ſol. 20. Fundum Corbitanum (11) territorio Corano, qui præſtat ſol. 40. (12) Domum in urbe cum balneo Sicinini regione, (13) quæ præſtat ſol. 85. (14) Hortum intra urbem Romam in regione Adduoſramantes, (15) qui præſtat ſol. 15. Domum in regione Roſſea (16) intra urbem, quæ præſt. ſol. 58. (17) & tremis. (18)

Hic fecit conſtitutum de omni Eccleſia. Etiam hujus temporibus factum eſt Concilium cum ejus conſenſu (19) in Nicea Bithyniæ, & congregati ſunt 318. (20) Epiſcopi Catholici, (21) & quorum chirographum cucurrit, alii imbecilles 208. qui expoſuerunt fidem integram, Sanctam, Catholicam, immaculatam, & damnaverunt Arrium, Fotinum, & Sabellium vel ſequaces (22) eorum. Et in urbe Roma congregavit ipſe cum conſilio Auguſti Epiſcopos 277. (23) & damnavit iterum Calixtum, & Arrium, & Jotinum, (*) & Sabillium; & conſtituit ut Presbyterum Arrianum reſipiſcentem non ſuſciperet, niſi Epiſcopus loci deſignati; & chriſma ab Epiſcopo confici; Et privilegium (24) Epiſcopis dedit, ut baptizatum conſignarent propter hæreticam ſuaſionem. Hic & hoc conſtituit, ut baptizatum liniret Presbyter chriſmate levatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis. Hic conſtituit, ut nullus laicus crimen clerico (25) inferre audeat. Hic conſtituit, ut Diaconi dalmatica uterentur (26) in Eccleſia, & pallio linoſtimo læva eorum tegeretur. (27) Hic conſtituit, ut nullus Clericus propter cauſam quamlibet in Curiam introiret, nec ante Judicem cinctum cauſam diceret, niſi in Eccleſia. Hic conſtituit, ut ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno tincto celebraretur, niſi tantum in linteo ex terreno lino procreato, (*) ſicut Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti in ſindone lintea munda ſepultum (28) eſt, ſic miſſa celebraretur. Hic conſtituit, ut ſi quis deſideraret in Eccleſia militare, aut proficere, ut eſſet Lector annos haberet 30. Exorciſta dies 30. Acolytus annos 35. (29) Subdiaconus annos 5. Cuſtos Martyrum annos 5. Diaconus ann. 30. (30) & 7. Presbyter ann. 3. (*) probatus ex omni parte, etiam & ab his, qui ſunt foris teſtimonium (31) habere bonum, unius uxoris virum, uxorem (32) à ſacerdote benedictam. Et ſic ad ordinem Epiſcopatus aſcendere, (33) nullum majoris, vel prioris locum invadere, niſi ordinem temporum (34) cum pudore cognoſcere omnium clericorum votiva grata, (35) nullo omnino clerico vel fideli (*) contradicente. Hic ordinationes (36) Presbyterorum, & Diaconorum fecit 7. (37) per menſem Decembris, Presbyteros 42. Diaconos 37. Epiſcopos per diverſa loca diverſis temporibus in urbe Roma numero 75. (*)

Hujus temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicas iſtas, (38) quas & ornavit. Baſilicam Conſtantinianam, ubi poſuit iſta dona. Faſtigium argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem ſedentem in ſella in pedibus. 5. penſ. libras 120. (39) Duodecim Apoſtolos in quinis pedibus, qui penſaverunt ſinguli libras nonagenas cum coronis argenti puriſſimi. Item à tergo reſpiciens (40) in abſida Salvatorem ſedentem in throno in pedibus quinis ex argento puriſſimo, qui penſ. libras 140. (41) Angelos quatuor ex argento, qui ſunt in pedibus quinis coſtas cum crucibus tenentes, qui penſaverunt ſinguli libras 105. cum gemmis (42) alavandinis in oculos. Faſtigium ipſum (43) ubi ſtant Angeli vel Apoſtoli penſat libras

(5) B. ſinguli libras II.
(6) A. Amas argenteas II. penſ. libras denas.
(7) B., & C. penſ. ſing. lib. XX.
(8) B. canthera ceroſtana XXI.
(9) A. fundum ſtationum.
(10) C., & D. fundum Percilianum duas Caſas territorio Sabinenſi, qui præſtat ſol. XL. domum in urbe &c.
(11) A. fundum Corbianum, *& ita in* B., & C.
(12) A. ſol. LX. *& ita in* B., & C.
(13) A. in urbe cum balneo in Sicinini regione. B. in Sicininem regionem.
(14) B., & C. ſol. LXXX.
(15) A. in regione ad duo amantes. B., & C. ad duos adamantes. D. ad vos amantem.
(16) A. regione Orfea, *& ita in* B. C. & D.
(17) A. LXVIII.
(18) Et tremiſſium *in omnibus*.
(19) A. cum ejus præcepto.
(20) D. CCCXIX.
(21) A. Catholici, qui expoſuerunt fidem &c.
(22) B., & C. Sabelium, & ſequaces.
(23) A. Auguſti CCLXXVII. Epiſcopos, *non leg.*
(*) Fotinum in omnibus.
(24) C. confici. Hic privilegium &c.
(25) D. crimen de Clerico.
(26) B. Hic conſtituit, ut dalmatica tegerentur in Eccleſia, & palla limoſtina læva eorum tegeretur, *& ita in* C.
(27) A. pallia lino ſtima læva eorum tegeretur.
(*) A. in lineum terrenum procreatum.
(28) A. ſepultum. Hic conſtituit.
(29) B. ut eſſet primùm Hoſtiarius, deinde Lector, & poſtea Exorciſta per tempora, quæ Epiſcopus conſtituerat, deinde Acolytus an. V. Subdiaconus &c., *& ita in* C.
A. ut eſſet Lector ann. XXX. exorciſta d. XXX. Acolytus an. V. Subd. &c. D. Acolytus an. V.
(30) A. Diaconus ann. VII., *& ita in* D. ann. V. *in* B., & C.
(*) B., & C. V.
(31) A. etiam & à foris, qui ſunt teſtimonium habere bonum. Unius &c.
(32) B. unius uxoris vir, qui uxorem habeat à Sacerdote &c., *& ita in* C.
(33) A. Epiſcopatus accedere.
(34) A. nullum majorem, vel priores locum invadere, niſi ordine temporum. B. invadere per ordinem.
(35) A. votiva gratia, *& ita in omnibus*.
(*) vel fideli in A. *non leg.*
(36) *Verba*. Hic Ordinationes, *& ſequ. in* B., & C. *hic non leg.*, *ſed inferius*.
(37) D. fecit VI. A. fecit VI. per menſem Decembris Presbyteros XLII. Diaconos XXVII. D. Diaconos XXVII.
(*) LXV. *in* A.
(38) A. Baſilicas quas & ordinavit.
(39) B., & C. libras CXXX.
(40) B., & C. à tergo reſpicientem in abſida &c.
(41) B., & C. penſ. lib. CL. *in* D. lib. CCXL.
(42) A. ex argento, qui penſant ſinguli in ped. quinis lib. CV. cum gemmis &c. B., & C. ex argento, qui penſant ſinguli in ped. V. lib. CV. coronas V. cum gemmis alabandinis in oculis tenentes haſtas.
A. tenentes aſtras.
(43) A. faſtigium ipſum penſans lib. MMXXVI Farum ex auro puriſſimo ſub faſtigio &c.

libras duo millia vigintiquinque ex argento dolatico. Farum ex auro puriſſimo, quod pendet ſub Faſtigio (44) cum Delphinis quinquaginta, quæ penſ. cum catena ſua libras 25. Coronas quatuor cum Delphinis viginti ex auro puriſſimo penſantes ſing. libras 15. (45) Cameram Baſilicæ ex auro trimme in longum, & in latum (46) in pedibus quingentis. Altaria ſeptem ex argento (47) battuli penſ. ſing. libras 200. Patenas aureas ſeptem, quæ penſant ſingulæ libras 30. Patenas argenteas 13. (48) penſantes ſingulas libras 30. ſcyphos aureos 7. qui penſ. ſinguli libras decem, ſcyphum ſingularem ex metallo, corallo ornatum undique de gemmis praſinis, & hyacinthinis auro interclufum, qui penſat ex omni parte (49) libras viginti, & uncias tres, ſcyphos argenteos viginti penſantes ſingulos libras 15. Amas ex auro puriſſimo duas, penſantes ſing. libras quinquaginta portantes ſing. medemnos tres. Amas argenteas viginti, quæ penſant ſingulæ libras decem portantes ſingulæ medemnos ſingulos. Calices minores ex auro puriſſimo quadraginta, penſantes ſingulos lib. ſingulas. Calices minores miniſteriales (*) quinquaginta penſantes ſinguli libras binas, ornamenta in Baſilica. Farum cantharum ex auro puriſſimo ante altare in quo ardet oleum Nardinum piſticum cum delphinis octuaginta, qui penſant libras triginta, (50) ubi candelæ ardent ex oleo Nardino piſtico in gremio Eccleſiæ. Pharum cantharum argenteum cum delphinis centum & viginti, quod penſat libras quinquaginta, ubi oleum ardet nardinum piſticum. Phara canthara argentea in gremio Baſilicæ quadraginta (51) penſ. ſingula libras triginta, ubi ardet oleum quod ſupra. Parte dextra Baſilicæ. (52) Phara argentea quadraginta penſ. ſingula libras viginti. Phara canthara in læva Baſilicæ argentea vigintiquinque penſ. ſingula libras viginti. Canthara cyroſtrata in gremio Baſilicæ argentea quinquaginta penſ. ſingula libras viginti. Singularum librarum metræ (53) tres ex argento puriſſimo, quæ penſant ſingulæ libras 300. portantes ſingulæ medemnas decem. Candelabra aurichalcha ſeptem ante altaria, quæ ſunt in pedibus 10. cum ornatu ſuo ex argento interclufa ſigillis Prophetarum penſ. ſingula libras triginta, (54) quæ conſtituit in ſervitio luminum, ideſt, (55) Maſſam Garilianam (56) in territorio Sueſſano præſtantem ſingulis annis ſolidos quadringentos. (57) Maſſam Muronicam (58) in territorio ſupraſcripto præſtantem ſolidos 340. (59) Maſſam Aurianam territorio Laurentino præſtantem ſolidos quingentos. Maſſam urbanam territorio Antiano præſtantem ſolidos ducentos quadraginta. Maſſam (60) Sentilianam territorio Ardeatino præſtantem ſolidos ducentos quadraginta. Maſſam Caſtis territorio Catinæ præſtantem ſolidos mille. Maſſam Trapeam (61) territorio Caſinenſi præſtant. ſolidos mille ſexcentos & quinquaginta. Thimiamateria duo ex auro puriſſimo penſ. (62) libras triginta. Donum aromaticum ante altaria annis ſingulis libras 150. Fontem ſanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus (63) ab eodem Epiſcopo Silveſtro. Ipſum ſanctum fontem ex metallo prophyretico ex omni parte coopertum, intrinſecus, & foris, & deſuper, & quantum aqua continet ex argento puriſſimo (64) in pedibus 5. qui penſavit argenti libras, tria millia, & octo. In medio fontis columnas prophyreticas, quæ portant phialam auream, ubi candela eſt, penſans ex auro puriſſimo libras (65) ubi ardet in diebus Paſchæ balſamum lib. 200. nixum vero ex ſtippa (66) amianti. In labium fontis baptiſterii (67) agnum ex auro puriſſimo fundentem aquam, qui penſat libras 30. Ad dexteram Agni Salvatorem ex argento puriſſimo in pedibus 5. penſ. libras 170. In læva Agni Beatum Joannem Baptiſtam ex argento in pedibus 5. tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habet. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, penſantem libras centum, cervos ex argento 7. fundentes aquam, qui penſant ſinguli lib. 80. (68) Thimiamaterium aureum cum gemmis praſinis & hyacinthinis 42. (69) penſans libras decem.

Donum fontis Baptiſterii Maſſam Feſti præpoſiti ſacri cubiculi, quem donavit Auguſtus Conſtantinus præſtantem ſolidos 300. (70) Maſſam Gaba territorio Gabinenſi præſtantem ſolidos 202. Maſſam Pictas territorio ſupraſcripto præſtantem ſolidos 205. Maſſam Statibanam territorio Corano præſtantem ſolidos 200. (71) Maſſam intra Siciliam Taurana territorio Paramp-

(44) B. penſans ſinguli lib. XXV. Fari ex auro puriſſimo ſub faſtigio. C. penſans lib. XXV. Fari ex auro puriſſimo ſub faſtigio.
(45) A. lib. XVI.
(46) A. ex auro trimita in longum, & in latum, lib. D. B., & C. ex auro crinitam in longum, & in latum habentem lib. D.
(47) A. ex argento puriſſimo, *& ita in* B., & C. *in* D. ex argento battutili.
(48) A. B., & C. XVI.
(49) *Verba* ex omni parte *non leg. in* B., & C.
(*) B., & C. Calices majores miniſteriales ex argento quinquag.
(50) A. libras XXX. Farum cantharum argenteum cum delphinis XX. &c. ubi ardet oleum nardinum &c.
B., & C. lib. XXX. Farum cantharum argenteum, ubi ardet oleum nardinum piſticum cum delphinis XX, penſ. lib. unam.
(51) A, Baſilicæ XLV., *& ita in omnibus*.
(52) B. ubi ardet oleum commune ſupra in dextera parte Baſilicæ penſant. ſingula lib. XXX., *& ita in* C.
(53) lib, XX. Metretas tres &c. *in omnibus*.
(54) libras CCC, *in* A. B., & C.
(55) ideſt *non leg. in* A., *nec in* B.
(56) A. Maſſam Gargilianam, *& ita in* B., & C.
(57) A., & B. territorio Sueſſano præſt. ſol. CCC. C. ſol. CCCLX. *nec verba* ſingulis annis *leguntur in* A. B., & C.
(58) A. B., & C. Maſſam Bauronicam. D. Maſſam Muriconam.
(59) A. B., & C. CCCLX.
(60) Maſſam Sentilianam, *& reliqua uſque ad* Maſſam caſtis *non leguntur in* A. B., & C.
(61) A. Maſſa trapeas in territ. Catenenſe. D. Maſſa trapeas in territ. Catin., *& ita in Edit. Pariſ.*
(62) B., & C. penſ. ſing. lib. XXX.
(63) A. baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus ex lapide porphyrico &c., *& ita in* B., & C.
(64) A. continet ex argento puriſs. lib. MMMVIII. B., & C. libras VIII.
(65) A. lib. LIII. ubi ardet balſami lib. CC. B. lib. L., *& ita in* C.
(66) B., & C. Nuxum verò, & ſtuppa amianti.
(67) A. in labio Fontis agnum, *& ita in* B., & C.
(68) A. lib. LXX. D. lib. XXX.
(69) A. timiaterium ex auro puriſs. penſ. lib. LX. cum gemmis praſinis, & yacquintis ex undique num. gemmas 42. Donum &c.
B., & C. penſ. lib. X. cum gem. praſ., & yacint. undique ornatum XLII.
(70) A. Donum S. Fontis. Maſſa feſti territ. peneſtrino præſt. ſol. CCC.
B., & C. donum ad S. Fontem. Maſſam veſti in territorio præneſtino præſtantem &c.
(71) A. Maſſa Eſtatiliana territorio, corona præſt. ſol. CCC.
B. Maſſa Statiliana in territorio Corano præſt. lib. CCC.
C. præſt. ſolid. CCC.
D. Maſſam Statinam &c.

Digitized by Google

rampnienſi (72) præſtantem ſolidos quingentos. Intra (73) Romam domos, vel hortos præſtantes ſolidos duo millia ducentos. Fundum Baſſi, qui præſtat ſolidos centum viginti. Maſſam Laninam (74) præſtantem ſolidos ducentos. Fundum Caculas territorio Momentano (75) præſtantem ſolidos quinquaginta. Maſſam Statianam territorio Sabinorum præſtantem ſolidos 350. Maſſam Murinas (76) territorio Appiano Albanenſi præſtantem ſolidos 300. Maſſam Virginis territorio Corano præſtantem ſolidos ducentos. (77) Et transmarina infra partem Africæ. Maſſam Vineis territorio Micaria (78) præſtantem ſolidos octingentos. Maſſam Capſis (79) territorio Capſitano præſtantem ſolidos ſexcentos. Maſſam Varia Sardana (80) territorio Monenſi præſtantem ſolidos quingentos. Maſſam Cameras territorio Curalupi (81) præſtantem ſolidos 405. (82) Maſſam Mimas territorio Numidiæ præſtantem ſolidos 710. (83) Maſſam Baldarioleario (84) territorio Numidiæ præſtantes ſolidos octingentos, & decem. Item in Græcia territorio Cretas Maſſam Cefalinam (85) in Creta præſtantem ſolidos quingentos. In Mengaulo Maſſam (86) Amaron præſtantem ſolidos 222.

Item his temporibus fecit Auguſtus Conſtantinus ex rogatu Silveſtri Epiſcopi Baſilicam Beato Petro Apoſtolo in templo Apollinis. (87) Cujus loculum cum corpore S. Petri recondidit, ipſum loculum undique ex ære cyprio conclufit, quod eſt immobile. Ad caput pedes quinque, ad pedes pedes quinque. Ad latus dextrum pedes quinque. Ad latus ſiniſtrum pedes quinque, ſubtus pedes quinque, ſupra pedes quinque. Sic incluſit corpus Beati Petri Apoſtoli, & recondidit, & ornavit ſupra ex columnis (88) porphyreticis, & alias columnas vitineas (89) quas de Græcia perduxit. Fecit autem & cameram Baſilicæ (90) ex trimma auri fulgentem, & ſuper corpus Beati Petri æs & quod concluſit. (91) Fecit crucem ex auro puriſſimo penſantem libras centum quinquaginta. In menſuram loci, ubi ſcriptum eſt hoc. Conſtantinus Auguſtus, & Helena Auguſta hanc domum regali ſimili fulgore coruſcans aula circundat, ſcriptum ex literis puris nigellis in cruce. Fecit autem Candelabra aurochalca in pedibus 10. numero quatuor argento concluſa cum ſigillis argenteis. Actus Apoſtolorum, penſant ſinguli libras 300. Calices aureos tres cum gemmis praſinis, & hiacynthinis (*) ſinguli, qui habent gemmas 45. penſ. ſinguli libras 12. Metretas argenteas 2. penſ. lib. 200. Calices argenteos viginti penſ. ſing. lib. 10. Amas aureas duas penſ. ſing. lib. 10. (*) Amas argenteas quinque penſ. ſing. lib. tres. (*) Patenam ex auro puriſſimo unam cum turre & columba ornatam gemmis praſinis, & hiacynthinis, quæ ſunt numero cum margaritis albis 215. penſ. libras triginta. Patenas argenteas quinque penſ. ſing lib. 15. Coronam auream ante corpus, ubi eſt Phamecantharus (*) cum Delphinis quinquaginta, qui penſ. lib. 35. Phara argentea (92) in gremio Baſilicæ 32. (*) cum Delphinis penſ. ſing. lib. 10. Ad dexteram Baſilicæ Phara argentea 30. penſ. ſing. lib. 8. Ipſum altare argento & auro cluſum cum gemmis praſinis, & hiacynthinis, & albis 210. ornatum undique (93) penſ. lib. 350. Thimiamaterium ex auro puriſſimo cum gemmis undique ornatum num. 51. (94) penſ. lib. 15.

Item in reditus domum, (95) quod obtulit Conſtantinus Auguſtus Beato Petro Apoſtolo per diœceſem Orientis in civitate Antiochia. Domum Datiani præſtantem ſolidos ducentos quadraginta, (96) Domunculam incœne præſtans ſolidos viginti, & Trimiſium, Cœle in Aphrodiſia præſtans ſolidos viginti, (97) Balneum in cerateas (98) præſtans ſolidos 42. Priſtinum (99) ubi ſupra præſtans ſolidos viginti tres. Popina (*) ſupra præſtans ſol. decem. Hortum Maronis, (100) præſtantem ſolidos decem. Hortum alium ubi ſupra, præſtantem ſolidos undecim, ſub civitate Antiochia. Poſſeſſio Sibillæ donata ab Auguſto præſtans ſolidos 323. (101) Cartas decadas centum & quinquaginta, (102) aromatum lib. 200. Nardini olei lib. 200.

---

(72) B., & C. Paramnenſe præſtantem ſol. CL.
(73) A. intra urbem Romam &c. præſtantes ſol. MMCCC., *& ita in* B., & C.
(74) A. Maſſa laninas territorio Cartiolano præſt. &c., *& ita in* B., & C.
(75) B. Nomentano.
(76) A. Maſſa Maurinas.
(77) B., & C. ſol. MMCC.
(78) A. Maſſa vincis in territorio Mucario. C. Mucano. B. Maſſa inutis in territ. inutano. D. Maſſa vincis.
(79) A. Maſſa capiſterio.
(80) A. Maſſa varia Sardona. B. Maſſa farina in Sardinia. C. Maſſa faria in Sardinia.
(81) A. Maſſa camaras territorio Curtalupi. B., & C. Maſſa cameras in territorio Cultalupi.
(82) A. Maſſa Nummas territorio Numid. præſt. ſol. 650. Maſſa ſulphurata territ. Numidiæ præſt. ſol. DCCXX.
B. Maſſa Numas &c. ſol. 720. Maſſa ſulpharata &c. *ut in* A.
C. Maſſa Nummas &c., *reliqua ut in edito*.
(83) D. ſol. DCCCX.
(84) A. Maſſa Baldarioliaria. B. Baldanolaria.
(85) A. in Gręcia Maſſa cephalina præſt. ſol. D., *& ita in* B., & C.
(86) A. in mengaulum Maſſa Amazon. B., & C. in mengaulum Maſſa Amaſon.
(87) A. eodem tempore Aug. Conſt. fecit Baſilicam B. Petro Apoſtolo in templo Apol. &c.
B. in quo loco corpus ejuſdem Apoſtoli mirificè collocavit loculum ipſum in quo SS. poſuit corpus, undique ex ære cuproque concluſit, quod ſi immobile ad caput, & ad pedes ad lat. &c. ſubter, & ſuper pedes V. habens groſſitudines &c., *& ita in* C.
(88) B. concluſit, & ornavit ſuperius ex columnis &c.
(89) A. columnas III. tineas, quas &c.
(90) A., & B. Baſilicæ extremam ex auro fulgentem ſupra corpus B. Petri ſuper os, unde concluſum eſt, *& ita in* C. *præter pro ſuper os* ſupra æs.
(91) A. ſupra ærea, quod concluſit.
(*) A. B., & C. praſinis XLV.
(*) A. lib. XX. Patenam auream &c.
(*) B., & C. lib. XX.
(*) A. B., & C. Pharus cantharus.
(92) B. Fara argentea ad ſiniſtram XX. cum Delphinis XV. penſantes ſinguli libras VIII.
(*) XXXII. *deeſt in* A.
(93) *Verba* ornatum, undique *deſunt in* A., B., & C.
(94) A. Timiamaterium aureum cum gemmis ex undique ornatum penſans l. XV., *& ita in* B., & C.
(95) A. in reditu donum &c. B. in reditus domus B. Petri obtulit Conſtantinus per Diœceſes Orientis, hæc in Civitate Antiochię domum Daciani pręſt. ſol. DCCXL., *& ita in* C.
(96) A. ſolid. XX.
(97) B., & C. domunculam Nicenæ pręſtant. ſolid. DXX., & trimiſs. cellam mafrondiſia præſt. ſolid. DXX. *verba* domunculam incæne &c., *uſque* ad balneum in Cerateas *deſunt in* A.
(98) A. balneum in Ceretheas B., & C. balneum in Ceretias.
(99) A. piſtrinum.
(*) A. B., & C. Popina ubi ſupra.
(100) A. ortum Aronis.
(101) A. ſolidos XI. ſub civitate Antiochia poſſeſs. Sibillis donata Aug. pręſtant. ſolid. CCCXXII.
B., & C. ſub civit. Antioch. poſſeſs. Sibillæ donat. Auguſto præſt. ſol. CCCIII. D. CCCXXII.
(102) B. Cathedre Chadas CL.

Digitized by Google

200. Balsamum lib. 35. (103) sub civitate Alexandria possessio Timialia (104) donata Augusto Constantino ab Ambronio præstans solidos sexcentos & viginti. Cartas decadas 300. olei nardi 300. Balsamum libras quadraginta. (105) Aromata lib. 150. storacis Isauricæ. lib. I. (106) Possessio Euthimica ducis præstans solidos quingentos. (107) Donavit Augustus Constantinus possessionem Pattinopolim præstans solidos octigentos, Cartas decadas 400. Piper medemnos quinquaginta, crocos libras centum, (108) storace libras centum & quinquaginta, aromata cassia libras 200. olei nardi libras 300. balsami lib. 100. lini saccos centum, (109) casei sillum libras centum & quinquaginta, oleum Cyprium lib. centum, papyrum rucanas (110) libras mundas mille. Possessio quam donavit August. Constant. Hybromias (111) præstans solidos quadringentos quinquaginta, (112) cartas decadas 200. (113) Aromata cassiæ lib quinquaginta. Olei nardini (114) libras ducentas. Balsami libras quinquaginta. In provincia Euphratensi sub civitate Cyro possessionem Armanalanan (115) præstantem solidos 380. possessio Mobaris (116) præstans solidos 260.

Eodem tempore fecit Augustus Constantinus Basilicam Beato Paulo Apostolo ex suggestione Silvestri Episcopi. Cujus corpus sanctum ita recondidit in ære, & conclusit, sicut & Beati Petri, Constantinus Augustus, cui Basilicæ donum hoc obtulit, sub Tarso Ciliciæ in Insula Cordionis (117) præstans solidos octingentos. Omnia enim vasa sacrata aurea, argentea, aut ærea ita posuit, sicut & in Basilicam Sancti Petri (118) Apostoli, ita & Beati Pauli Apostoli ordinavit. (119) Sed & crucem auream super locum Beati Pauli Apostoli posuit pensan. libr. centum & quinquaginta. Sub civitate Tyria (120) possessio comitum pręstans solidos quingentos & quinquaginta. Possessio Timia (121) præstans solidos ducentos & quinquaginta. Possessio Fronimusa (122) pręstans solidos septingentos, oleum nardinum libras septuaginta, aromata libr. quinquaginta. Cassia libr. centum. (123) Sub civitate Ægypti (124) possessio Cyrias præstans solidos septingentos & decem, (125) oleum nardinum libr. (126) septuaginta, balsamum libr. triginta, aromata libr. septuaginta, storace libr. triginta, stacten lib. centum & quinquaginta. Possessio Basilea (127) præstans solidos quingentos, & quinquaginta, Aromata libr. quinquaginta; oleum nardinum libr. sexaginta, balsamum libr. viginti; crocos libr. septuaginta. (128) Possessio Insula Machabeo præstans solidos quingentos, & decem, papyrum mundum racanas quingentas, linum saccos trecentos.

Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in palatio Sessoriano, (129) ubi etiam de Ligno Sanctæ Crucis Domini Nostri Jesu Christi posuit, & auro, & gemmis conclusit, (130) ubi etiam & nomen Ecclesiæ dedicavit, quæ cognominatur usque in hodiernum diem Hierusalem. In quo loco (131) constituit donum, candelabra aurea, & argentea ante Lignum Sanctum lucentia secundum numerum evangeliorum quatuor, quæ pensaverunt singula libras triginta, (132) phara canthara argentea (133) quinquaginta, quæ pensaverunt singula libras 15 scyphum aureum purissimum, qui pensavit lib. 10. calices (134) ministeriales aureos quinque pensantes singulos libras singulas. Scyphos argenteos (135) tres pensantes libras octo, calices ministeriales argenteos decem, (136) pensantem libras binas, patenam auream (137) pensantem libras decem, patenam argenteam auro clusam cum gemmis pensantem libras quinquaginta. Ipsum Sanctum Altare (138) aureum quod pensat libras ducentas & quinquaginta, Amas argenteas (139) pensantes libras viginti. Et omnia agrorum (140) circa Palatium Ecclesiæ dono dedit. Item

(103) A. aromata lib. CC. balsamum lib. XXXV. *verba* Nardini olei, *usque ad* sub civitate Alexandria &c. *desunt*.
C. Catedre Chadas CL. aromatum lib. DCC. balsami lib. XXXV. Nardi &c.
B. balsami lib. CC. Nardi oleum lib. CC.
(104) A. possessio timialica. B., & C. possessionem timialicam.
(105) A. B., & C. lib. LX.
(106) A. storacheis aurica lib. L.
B., & C. storice isaurice lib. L.
(107) A. possessio eutimica Duci pręstant. solid. D. Cartadecadas LXX. per ægyptum sub civitate Armenia possessio agapi, quod donavit Aug. Constantino possessio passinopulim &c.
B. possessionem Eutuini caduci &c., *& reliqua ut in* A. sub civitate Armantana possessionem, Agapi, quam donavit &c., *ut in* A.
C. possessionem Eutumi &c. *reliqua ut in* A., & B. sub civitate Armentana &c. *reliqua ut in* A., & B.
(108) B. Croci lib. CL.
(109) A. linum saccos. C. gariophilos lib. CL., *& ita in* B., & C.
(110) Papirii racanas *in omnibus*.
(111) A. possessio Ypromius. B. possessio Ubromius.
(112) C. solid. CCCL.
(113) B., & C. carta decadas CCC.
(114) *Verba* olei Nardini &c. *desunt in* A., B., & C.
(115) A. sub civitate Ciro possessio Armanazon pręst. sol. CCCLXXX. eodem tempore &c., *reliqua desunt*. B., & C. sub civitate Tyri possess. Armanason &c.
(116) B., & C. possessio Obariæ.
(117) A. sub TarsoCiliciæ insul. Cordionum pręst. &c.
B., & C. sub Tarso siculo insulam Cordianam.
(118) B., & C. vasa quoque sacrata aurea, vel argentea, aut ærea, ita ordinavit sicut in Basilicam B. Petri.
(119) A. ita, & B. Pauli Apost. ornavit.
(120) B., & C. sub civitate Tirrei possessionem Comitii &c.
(121) B. possessionem.
(122) A. possessio Fromimisa. B., & C. possessionem Formiusam.
(123) A. Cassia lib. L.
B., & C. Cassiæ. lib. L.
(124) B., & C. sub civitate Ægyptia possessionem Tyrrei. A. possessio Cyrios.
(125) B. sol. DCC.
(126) B. olei Nardini lib. CLXX.
(127) A. possessio Basilia.
(128) A. lib. LX. *ita* B., & C.
(129) A. palatio sossorianum, *& ita in* D.
(130) B., & C. conclusit, atque Basilicam dedicari fecit, quæ cognominatur &c.
(131) A. in quo loco constituit dona ista.
B. in quo loco ista dona contulit.
C. in quo loco ista dona obtulit.
(132) A. candelabra ante lignum sanctum lucentes argentea IV. pensantes singuli lib. LXXX. verbum aurea *deest in* A. B., & C.
B. quatuor candelabra argentea ante lignum sanctum lucentia pensan. singuli lib. LXXX., *& ita in* C.
(133) B. phara canthara argentea lib. L.
C. lib. L. pensantia.
(134) B., & C. calices aureos ministeriales X. pensan. singuli lib. V.
(135) B., & C scyphos argenteos IV. pensan. sing. lib. VIII.
(136) *verba* calices ministeriales argenteos &c. *desunt in* B., & C.
(137) *verba* patenam auream &c. *desunt in* A.
(138) Altare argenteum pens. CCL. *in* A. B., & C.
(139) A. amas argenteas III. pensan. sing. &c., *ita in omnibus*.
(140) B., & C. omnes quoque agros circa &c.

Digitized by Google

Item possessio Sponsas via Lavicana præstans solidos ducentos sexaginta, (141) & duo. Sub civitate Laurentium (142) possessio Patras præstans solidos centum, & viginti. Sub civitate Nepesina possessio Anglesis præstans solidos centum quinquaginta. (143) sub civitate suprascripta possessio Terega præstans solidos centum quadraginta. (144) Sub civitate suprascripta Falisca (145) possessio Herculis, quæ donata est Augusto Constantino, & Augustus obtulit Ecclesiæ Hierusalem, præstans solidos 140. (146) Item sub civitate Falisca possessio Nimphas præstans solidos centum & quindecim. Sub civitate (147) Juder possessio Angulas (148) præstans solidos centum quinquaginta tres.

Eodem tempore fecit Basilicam Sanctæ Martyris Agnetis ex rogatu Constantiæ filiæ suæ, & baptisterium in eodem loco, ubi & baptizata est soror ejus Constantia cum filia Augusti (149) a Silvestro Episcopo, ubi donum constituit hoc. Patenam ex auro purissimo pensan. libras viginti, calicem aureum pensantem libras decem. Coronam, pharum cantharum cum Delphinis triginta ex auro purissimo pensantem libras quindecim, patenas argenteas duas pensantes sing. libras viginti. calices argenteos quinque pensantes singul. libras decem (150). pharacanthara argentea triginta pensantia sing. libras octo. (151) pharacanthara ærea auri-chalca quadraginta. Cerostrata aurochalcha argento (152) clusa sigillata quadraginta. lucernam ex auro purissimo (153) nixorum duodecim super fontem, quæ pensabat libr. 15. (154) & donum in reditum circa civitatem Fidenas omnem annum præstans solidos centum & sexaginta. Via Salaria (155) sub Pavetinas usque omnem agrum S. Agnes præstantem solidos centum & quinque. Agrum Muci præstantem solidos octuaginta. Possessio Vicopisonis (156) præstans solidos ducentos & quinquaginta. Agrum Caculas (157) præstant. solid. centum.

Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam B. Laurentio martyri, via Tiburtina in agrum Veranum (158) supra Arenarium cryptæ, & usque ad corpus B. Laurentii m. in qua fecit gradum ascensionis, & descensionis. In quo loco construxit absidam, & exornavit marmoribus porphyreticis, & de superiori loco conclusit (159) de argento, & cancellos ex argento purissimo ornavit, qui pens. libras mille, (160) & ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purissimo nixorum (161) decem pensantem lib. triginta. Coronam argenteam cum Delphinis (162) quinquaginta pens. lib. trig. candelabra ærea duo in pedibus denis pensantia sing. libr. trecentas. Ante corpus Beati Laurentii martyris argento clusam passionem ipsius, (163) sigillis ornatam cum lucernis byssinis argenteis pensantes sing. libr. quindecim. (164) Donum quod obtulit. Patenam auream pensantem libr. viginti, patenas argenteas duas pensantes sing. libr. 30. scyphum ex auro purissimo pensantem libr. 15. scyphos argenteos duos pensantes sing. libr. decem. calices ministeriales argenteos decem pensantes sing. libras viginti, Amas argenteas duas pensantes sing. libras viginti, Amas argenteas duas pensantes libras 10. phara argentea triginta pensantia singula libr. 15. Metretum ex auro pensans libras centum quinquaginta portantem medemnas tres. In eodem loco possession. cujusdam (165) Cyriacetis religiosæ fœminæ, quam Fiscus occupaverat tempore persecutionis. Veranum fundum præstan. solidos centum (166) quadraginta. possession. aqua Turia (167) ad latus præstan. solidos centum quinquaginta tres, possession. Augusti, (168) territorio Sabinensi præstan. nomine Christianorum solidos 120. possessio Susuratarum (169) præstan. solidos sexaginta sex. possession. Micinas (170) Augusti præstan. solidos centum quinquaginta. possession. Thermulas præstant. solidos sexaginta. possession. Aranas præstant. solidos septuaginta. possession. Septimiti (171) præstant. solidos centum triginta.

Eisdem

---

(141) A. præst. solid. CCLXXIII. B., & C. solid. CCLXIII.
(142) Laurentum *in omnibus*.
(143) B., & C. sub civitate Nephesina possessionem &c. erogam præst. solid. CLX. A. solid. CCL.
(144) A. sol. CLX.
(145) A. sub civitate Falisca possessio Nimphas præst. sol. CXV.
B. sub civitate Vatisca possessionem Mimphas præst. sol. CXV. item sub civitate Valisca possess. Herculis, quam donavit Augustus, & Augusta eam obtulit Ecclesiæ Hierusalem præst. sol. CLX., *& ita in* C.
A. *legit ut* B., & C. præter pro sol. CLX. sol. CXL.
(146) A. *omissis cæteris leg.*
Eodem tempore fecit Basilicam S. Mart. Agnę.
(147) A. sub civitate Tuder, *& ita in* B., & C.
(148) B. Anguli, *& ita in* C.
(149) A. cum filia Aug., & ibidem constituit &c. B. & filia Augusti Constanti à S. Silvestro, & baptisterium ibi constituit &c., *& ita in* C.
(150) A. lib. VIII.
(151) A. *verba* phara cantara *usque* ad phara ærea *non legit*.
(152) B. phara canthara argentea XXX. pens. sing. lib. XIII. phara ærea auricalca XL. cerostata auricalca XL. cerostata auricalca argentea sigillata XL., *& ita in* C.
A. argento clusa XL.
(153) B., & C. lucernas aureas nixorum &c.
(154) A. lib. XV. in reditum circa civitatem Fidelinas omnem agrum præst. &c.
B., & C. in reditu Ecclesiæ circa civitatem Fidelenas agros præst. sol. CLX.
(155) A. via salutaria sub parietinas usque omnem agrum præst. sol. CV.
B. via salaria salubria sub parietibus usque agros præst. sol. CV., *& ita in* C.
(156) A. vicum Pissonis. B., & C. vici Pisonis.
(157) A. casulas, *& ita in* B., & C.
(158) B., & C. agrum veranum cryptæ &c.
(159) B. conclusit, & de argento purissimo ornavit, *& ita in* C.
(160) lib. MM. *in* B., & C.
(161) nixorum X. pens. lib. XX. *in omnibus*.
(162) B. coronam ex argento purissimo cum delphinis pens. lib. XXX.
(163) B., & C. ante corpus Beati Laurentii argento clausis sigillis fecit passionem ipsius cum lucernis nixis arg. X. pens. sing. lib. XV.
A. cum lucernis vinixis arteas pens. sing. lib. XV.
(164) *in* A. *verba* donum, quod obtulit &c. usque ad illa in eodem loco &c. *non leguntur*.
(165) A. possessio cujusdam Quiriacetis religiosæ fœminæ &c.
(166) A. sol. CLX., *& ita in* B., & C.
(167) aqua Tusciæ *in omnibus*.
(168) C. possessionem Augusti in Mutinas præstan. sol. CX. possessionem Termulas præst. sol. LX. possessionem Deanas præst. sol. LXX. B. *legit ut* C. *habet tamen* Terinulas *pro* Ternulas.
(169) A. *verba* possessio suffuratarum *usque* possessio Micinas *non leg*. D. possessio suffuratarum præst. sol. LXII. possessio Nicinas &c.
(170) A possessio Micinas cum Augustus præst. sol. CX. possessio Termulas præst. sol. LX.
(171) A. *verba* possessio Septimiti *non legit*.

Digitized by Google

Eisdem temporibus Augustus Constantinus fecit Basilicam (172) Beatissimis martyribus Marcellino Presbytero, & Petro exorcistæ inter duas lauros, & Mausoleum, (173) ubi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta, in sarcophago porphyretico via Lavicana miliario ab urbe Roma tertio. In quo loco & pro amore matris suæ, & veneratione Sanctorum posuit dona voti sui. Patenam ex auro purissimo pensantem libr. trig. quinque. candelabra argentea auro clusa quatuor (*) in pedibus 12. pensantia singula lib. ducentas. (174) Coronam ex auro purissimo, quæ est pharus cantharus cum Delphinis centum & viginti (175) pensantem libras 30. calices aureos tres pensantes singuli libras decem cum gemmis prasinis, & hiacynthinis. Amas aureas duas pensantes singulas libras 11. (176) Altare ex argento purissimo pensans libras 200. (177) Ante sepulcrum Beatæ Helenæ Augustæ fecit ex metallo porphyretico ex sculptis sigillis, pharacanthara viginti ex argento purissimo pensan. singula libras viginti. Item in Basilica Sanctorum Petri, & Marcellini donum, quod dedit, tale est. Altare argenteum purissimum pensans libras ducentas. Patenas aureas purissimas duas pensantes (178) libras quindecim. Patenas argenteas duas pensantes singulas libras 15. scyphum aureum majorem (179) pensantem libras viginti, ubi nomen Augustæ (180) designatur. scyphos argenteos quinque pensantes singuli libras 12. calices ministeriales (181) argenteos viginti pensantes singuli libras tres. Amas argenteas quatuor pensantes singul. libras 15. Annis singulis olei nardi pistici libras noningentas, balsami lib. centum, aromata incensum (*) ante corpora Sanctorum Marcellini & Petri libras centum. Fundum Laurentium juxta formam cum balneo, & (182) omnem agrum à porta Foforritana via itineraria usque ad viam Latinam, ad Montem Albium. Ipse mons Galbius possessio Augustæ Helenæ præstans solidos mille centum & viginti. Insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus (183) ad eandem pertinentibus præstantem solidos mille & viginti quatuor. Insulam Mosenum cum possessionibus ad eandem pertinentibus præstan. solidos octingentos, & decem. Insulam Attitiæ (184) & Montem Argentarii præstantem solidos sexcentos. Possessio in territorio Sabinensi, quæ cognominatur ad duas casas sub monte Lucretio (*) præstans solid. ducentos.

Eodem tempore fecit Basilicam Constantinus ex suggestione Silvestri in civitate (185) Hostiensi juxta portum urbis Romæ (186) Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sancti Joannis Baptistæ, ubi (187) & donum obtulit. patenam argenteam pensantem libras triginta. Calices argenteos decem, pensantes (188) libras quinque. Amas argenteas (189) duas pensantes singulas libras decem. Phara argentea triginta, pensan. singula libras quinque. scyphos argenteos (190) duos, pensantes singuli libras novem, patenam argenteam chrismalem singularem pensantem libras decem, pelvim ex argento ad baptismum, pensantem libras viginti. Insulam, quæ dicitur Assis (191) in territorio Portuensi, & Hostias possessiones omnes maritimas usque ad digitum solis præstantem solidos trecentos. Possessionem Græcorum in territorio Ardeatino (192) præstantem solidos octuaginta. Possessio Quiriti territorio Hostiensi præstans solidos trecentos (193) & undecim. Possessio Balneolum territorio Hostiensi præstans solidos quadraginta duos. Possessio Nunsula (194) præstans solidos triginta. Item quod obtulit Gallicanus Basilicæ suprascriptorum Sanctorum Petri, & Pauli, & Joannis Baptistæ, idest, coronam argenteam cum Delphinis, pensantem libras viginti. calicem argenteum anaglyphum pensantem libras quindecim. Amam argenteam pensantem libras 18. (195) Massam Mallianam territorio Sabinensi præstantem solidos centum & quindecim, & trimisium. Fundum picturas territorio Velliterno præstantem solidos quadraginta tres. Fundum Surorum via Claudia

(172) A. Via lavicana inter duos lauros B. Petro, & Marcellino Martyribus, & Moyseleum ubi Beatissima Augusta matrem suam posuit in sarcofago purpurico, ubi & donavit patenam auream purifs. &c.
(173) B. Mausoleum construxit, ubi Beatifs. Helenam matrem suam posuit in sarcofago &c., *& ita in* C.
(*) *in* A. quatuor *deest*.
(174) B. lib. CCL., *& ita in* C.
(175) B., & C. Delph. CCXX.
(176) A. lib. XL., *& ita in* B., & C.
(177) A. *post* CC. *sequitur*. Fara Canthara arg. &c.
(178) A. pensantes singulæ libras &c., *& ita in* B., & C.
(179) A. scyphum aureum majorem purissimum pensantem &c., *& ita in* B., & C.
(180) A. nomen Augusti designat. pens. lib. XX. scyphum aureum minorem pens. lib. X. scyphos &c.
B., & C. *legunt ut in* A., *sed pro* aureum minorem *habent* argenteum.
(*) A. in incenso. B., & C. incensi Beatis Martyribus lib. &c.
(181) A. calices arg. ministeriales pens. sing. lib. XX. pens. sing. lib. III. hamas &c.
B., & C. calices argenteos III. ministeriales XX. pens. sing. lib. III.
(182) B. & omnes agros à porta Seforiana usque ad viam prænestinam, & usque ad viam latinam, & usque montem Galbum possessionem Aug. Helenæ præstantem sol. CCCXX.
A. à porta Sofforianea via etinerarium usque ad viam latinam ad montem Gabum, ipsum montem Gabum possessio &c.
D. ipse mons Albius Gavum possessio &c.
(183) B. præst. sol. XXXIV. Mesenam &c. C. Mecnam. D. insulam Mesenum.
A. cum possessionibus omnibus præstan. sol. MXXIII. Messeno cum possessionibus suis omnibus præst. sol. &c.
(184) A. insulæ Matizyæ, quod est montem argentarium &c.
B. insulam Matiniæ cum monte Argentario.
C. insulam Matinię, quę est mons Argentarius &c.
(*) A. sub monte Lucretei.
(185) A. Constantinus Augustus Basilicam in civitate Hostiæ.
(186) B., & C. urbis Romæ in honorem BB. Apost.
(187) A. ubi obtulit hæc. Patenam &c.
B., & C. ubi obtulit hæc dona &c.
(188) A. pensantes singuli lib. V., *& ita in* B., & C.
(189) B. Hamas argenteas XX. pens. sing. lib. V.
C. Hamas argenteas II. pens. &c.
(190) A. scyphos argenteos II. pens. sing. lib. VIII., *& ita in* B., & C.
(191) A. quæ dicitur Assis, quod est inter portum, & Hostiam.
B. quæ dicitur Assis, quæ est inter portum, & Hostiam civitatem &c.
(192) B. possessiones Græcorum in territorio Ardeatino Hostiensi præst. &c.
(193) B. præst. sol. XLIII. Possessiones in insulis præst. sol. XXX.
C. Possessiones Quirini &c. præst. sol. XLII. *cætera ut in* B.
(194) A. Possessio Nynpholas. B. Possessio Nufula. C. in Insulas.
(195) A. lib. XIX. Massam Gallianum. B., & C. Massam Mallianum &c. præst. sol. CXC., & in tremissum fundum in territorio Bellino &c.

Digitized by Google

Claudia territorio Vegentano præſtantem ſolidos quinquaginta ſex. (196) Maſſam Gargilianam territorio Sueſſano præſtantem ſolidos ſexcentos quinquaginta quinque.

Eodem tempore fecit Baſilicam Auguſtus Conſtantinus in civitate Albanenſi, videlicet Sancti Joannis Baptiſtæ, ubi & poſuit donum hoc. Patenam argenteam penſantem libras 30. ſcyphum argenteum deauratum penſantem libras duodecim, calices miniſteriales (197) decem penſantes ſing. libras tres. Amas argenteas duas penſantes ſing. libras viginti, poſſeſſio lacum Turni cum adjacentibus campeſtribus præſtans ſolidos quadraginta, (198) poſſeſſio Molas præſtans ſolidos quinquaginta. poſſeſſio Albanenſis, cum lacu Albanenſi præſtans ſolidos ducentos & quinquaginta. Maſſam Muci præſtantem ſolidos centum ſeptuaginta. Omnia Sceneca deſerta vel domos (199) intra urbem Albanenſi Sanctæ Eccleſiæ donum obtulit Auguſtus Conſtantinianæ. poſſeſſiones Horti præſtantes ſolidos viginti, poſſeſſio Tyberii Cæſaris præſtans ſolidos octuaginta, poſſeſſio Maritanas (200) præſtans ſolidos quinquaginta. Maſſam Nemus præſtantem ſolidos ducentos, & octuaginta. Poſſeſſio Armatiani in territorio Carano præſtans ſolidos centum, & quinquaginta. Poſſeſſionem Statilianam præſtant. ſolidos ſeptuaginta. poſſeſſionem Medianæ (201) præſtant. ſolidos triginta.

Eodem tempore fecit beatiſſimus Conſtantinus Auguſtus intra urbem Capuam Baſilicam Apoſtolorum, quam cognominavit Conſtantinianam, ubi poſuit dona hæc. Patenas argenteas duas penſan. ſingulæ libras viginti, ſcyphos argenteos tres (202) penſantes ſing. libras 8. calices miniſteriales (203) 15. penſantes ſinguli libras duas. Amas argenteas duas penſantes ſingulæ libras 10 candelabra ærea in pedibus denis (204) penſantia ſingula libras 180. pharacanthara (205) ex argento triginta, & donum, quod obtulit poſſeſſionem in territorio Menterno. Maſſam Statilianam (206) præſtantem ſolidos trecentos & quindecim, poſſeſſionem in territorio Cagetano (207) præſtantem ſolidos octuaginta quinque, poſſeſſionem Paternum territorio Sueſſano præſtantem ſolidos centum quinquaginta, (208) poſſeſſionem ad centum territorio Capuano, præſtantem ſolidos ſexaginta. poſſeſſionem in eodem territorio Sueſſano Gauronicam præſtantem ſolidos quadraginta. (209) poſſeſſionem Leonis præſtantem ſolidos quadraginta. (210)

Eodem tempore fecit Baſilicam Beatiſſimus Conſtantinus Auguſtus in urbe Neapolitana, cui obtulit & dona hæc. Patenas argenteas duas penſan. ſing. libras viginti quinque. ſcyphos argenteos duos penſan. ſing. libras decem, calices miniſteriales 15. penſan. ſing. lib. duas. Amas argenteas 2. penſan. ſing. libras quindecim. phara argentea 20. penſan. ſingula libras octo. phara ærea 20. penſan. ſing. libras decem, fecit autem formam aquæductus per milliaria octo. fecit vero & forum in eadem civitate, & donum obtulit hoc. Poſſeſſionem Machari præſtantem ſolidos centum & quinquaginta, poſſeſſionem & (211) Cymbranam præſtan. ſolidos centum & quinque, poſſeſſionem (212) Hyrclinam præſtan. ſolidos 108. poſſeſſionem Affilas præſtan. ſolidos 150. poſſeſſionem Ninfulas præſtan. ſolidos 90. poſſeſſionem Inſulam cum Caſtro præſtantem ſolidos 80. (213) Hic Silve-

(196) B., & C. ſol. LVII.
(197) B., & C. calices miniſteriales argenteos penſ. ſing. lib. VI.
(198) A. ſol. LX. fundum molas &c., *& ita in* B., & C.
(199) A. vel domus civitatis, in urbe Albanenſe omnia in circuitum Eccleſiæ Conſtant. obtulit Auguſtus.
B. omnia Scenica deſerta, vel domos civitatis in urbe Albanenſi omnia in circuitu Eccleſiæ Conſtantinianæ obtulit Aug. poſ. Tyberii Cæſaris præſt. ſol. LXXX., *& ita in* C.
(200) A. Poſſeſſio Marinas præſt. ſolid. L. Poſſeſſio Armatianum in territorio Carano &c.
B. Poſſeſſionem Maritimam &c.
C. Poſſeſſionem Maritimam præſt. ſol. L. Poſſeſſionem Armatinianam in territorio Corano &c. præſt. ſol. XC.
(201) B., & C. Poſſeſſionem Medinam.
(202) B., & C. Scyphos argenteos IV.
(203) B., & C. calices miniſteriales XVI. penſ. ſing. lib. VII.
(204) A. candelabra ærea in pedibus X. numero IV. penſ. &c., *& ita in* B., & C.
(205) A. Fara canthara argentea num. X. penſ. ſing. lib. V. Fara canthara ærea num. XXX. & obtulit poſſeſſiones Maſſam Statilianam territorio Menturino præſt. ſol. CCCCXV.
B., & C. Fara canthara arg. penſ. ſing. lib. VIII.
(206) B. Maſſam ſtabilianam in territorio Mercorano. C. territorio Mercorano.
(207) B., & C. Poſſeſſionem munera in territorio Gajetano.
A. territorio Gaitano.
(208) A. ſol. CLI.
(209) B., & C. Poſſeſſionem paternam &c. ſol. CL. Poſſeſſionem Gauronicam in territ. Sueſſano præſt. ſol. XL. Poſſeſſionem ad centum in territorio Capuano præſt. ſol. LX. eiſdem temporibus fecit Baſilicam &c. *deſunt*.
(210) A. ſol. LX.
(211) A. Poſſeſſio Cibrana &c.
(212) A. Poſſeſſio Sclina præſtan. ſol. CIX. Poſſeſs. Aſilias præſt. ſol. CXL.
B. poſs. Seliviam. C. Scliviam.
(213) A. Eiſdem temporibus conſtituit. B. Silveſter Urbe Roma titulum ſuum in regione Teſtia juxta thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanas (a) titulum Silveſtri (b) ubi donavit Conſtantinus Aug. Patenam argen. penſ. lib. XX. Hamam argenteam penſ. lib. X. Scyphos argenteos II. penſ. ſing. lib. VIII. Fara canthara argentea X. penſ. ſing. lib. V. Canthara circoſtrata ærea XVI. penſ. ſing. lib. XL. Calices argent. miniſteriales V. penſ. ſing. lib. II. Fundum Percilianum (c) territorio Sabinenſe præſt. ſol. L. Fundum Barbatianum territorio Ferentes (d) præſtat ſol. XXXV. & trimiſſium. Fundum ſtatianum territorio Tribulano præſtant. ſolid. LXVII., & trimiſſium (e) Fundum Berucles territorio Corano præſtat. ſolid. XL. Fundum Sulpicianum (f) territorio Corano præſtat. ſol. LXX. Fundum Tauri territorio Veggentano præſtat. ſol. XLII. Fundum Sentianum territorio Tiburtino præſtat. ſolid. XXX. Fundum Cœtanum (h) territorio Peneſtino præſtan. ſolid. L. (i) Fundum Thermulas territorio Peneſtrino præſtat ſolid. XXXV. Poſſeſſio Cilonis territorio Preneſtino præſtat. ſol. LVIII. obtulit, & omnia neceſs. titulo Equitii.
B., & C. *habent idem præter ſequentes varias lectiones*.
(a) B. *III.*
(b) B. *& titulum Trajanæ*.
C. *& titulum Equitii*.
(c) B. *Fundum Priſtilium*.
C. *Fundum Priſcilium*.
(d) B. *territorio Ferenſis*.
(e) B. *Fundum Staphiarium in territorio Tribulano præſt. ſol. XLVI., & trimiſſum. Fundum berrulas in Territorio Corano &c.*, & ita in C.
(f) B., & C. *Fundum Suplitianum*.
(g) B., & C. *LII.*
(h) B., & C. *Ceranum*.
(i) B., & C. *ſol. XXXV. Poſſeſſionem Ciloni in territorio Praneſtino præſt. ſol. LVIII.*

Digitized by Google

Silvester fecit ordinationes 6. per mensem Decembris, (214) Presbyteros 42. Diaconos 26. (215) Episcopos per diversa loca 65. Hic sepultus est via Salaria in cœmeterio Priscillæ miliario ab urbe Roma tertio. (216) 11. Calendas Januarias. Qui verè Catholicus, & confessor quievit, & cessavit Episcopatus dies quindecim.

XXXV. S. MARCUS.

ANNO CHRISTI 336.

CONSTANTINI IMP. 31.

MArcus, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos duos, menses octo, (1) dies viginti. (2) fuit autem temporibus Constantini, & Nepotiani, ac (3) Secundi consulum ex die Calendarum Februarium, usque in diem Calendarum Octobris. Hic constituit ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur, & ab eodem Episcopo urbis Romæ consecraretur, & constitutum de omni Ecclesiastico ordine fecit. Hic fecit duas Basilicas, unam via Ardeatina, (4) ubi requiescit, & aliam in urbe Roma juxta (5) pallacinis. Hujus suggestione obtulit Constantinus Augustus Basilicæ, quam Cœmeterium constituit via Ardeatina, fundum Rosarum cum omni agro campestri præstant. solidos quadraginta. (6) In Basilica in urbe Roma obtulit hæc: Patenam argenteam pensantem libras triginta. Amas argenteas duas, pensantes (7) libras viginti. Scyphum argenteum unum pensan. libras decem. Calices ministeriales argenteos tres pensan. (8) libras binas. Coronam argenteam pensantem libras decem. Fundum Antonianum via Claudia præstantem solidos triginta. Fundum Vaccanas (9) via Appia præstantem solidos quadraginta, & trimisios duos. Fundum Orrea (10) via Ardeatina præstan. solidos quinquaginta quinque, & trimisium unum. Hic fecit ordinationes duas (11) per mensem Decembris, Presbyteros viginti quinque, Diaconos sex, (12) Episcopos per diversa loca viginti septem. (13) Qui etiam sepultus est in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina. (14) Secundo nonas Octobris, & cessavit Episcopatus dies viginti. (15)

XXXVI. S. JULIUS.

ANNO CHRISTI 336.

CONSTANTINI 31.

JUlius, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos 11. (1) menses 2. dies 7. (2) fuit autem temporibus Constantii hæretici filii (3) Constantini, à consulatu Fœliciani & Maximi. (4) Hic in multa tribulatione, (5) & exilio fuit mensibus 10. & post hujus Constantii (6) mortem cum gloria est reversus ad Sedem Beati Petri Apostoli. Fecit duas Basilicas (7) in urbe Romana, unam juxta forum, & aliam via Flamina. Fecit autem & cœmeteria tria, unum via Flaminia, & aliud via Aurelia, atque aliud via Portuensi. Hic constitutum fecit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia; & notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est, per Notarios colligeretur, & omnia monumenta in Ecclesiam per Primicerium Notariorum confecta celebrarentur, sive causationem, (8) vel instrumenta, aut donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel allegationes, (9) aut manumissiones Clerici in Ecclesia per Scriniarium Sanctæ Sedis celebrarent. Hic fecit ordinationes tres (10) in urbe Romana per mensem Decemb., Presbyteros decem & octo, Diaconos quatuor, (11) Episcopos per diversa loca novem. Qui etiam sepultus est via Aurelia in cœmeterio Calepodii milliario ab urbe Romana tertio pridie (12) idus Aprilis, & cessavit Episcopatus diebus 25.

XXXVII. S. LIBERIUS.

ANNO CHRISTI 352.

CONSTANTII 16.

LIberius, natione Romanus, ex patre Augusto, (1) sedit annos 10. menses 7. dies 3. (2) fuit autem temporibus (3) Constantii filii Constantini usque ad Constantinum Augustum tertium. Hic exilio deportatur à Constantio, eo quod noluisset hæresi Arrianæ consentire, & fecit in exilio annos (4) duos, & congregantes se Sacerdotes cum consilio (5) Liberii ordina-

(214) C. diversis temporibus.
(215) B. Diaconos XXVII., & C. Diac. XXXVI.
(216) B. pridie Kal. C. II. Kal.

MARCUS.

(1) B. mens. VII.
(2) A. dies XXI.
(3) A., & C. Nepotiani, & Fecundi. B. Facundi.
(4) A. unam viam Ardianam.
C. unam via Ardeatina, ideft via Sancti Pauli in qua sepultus est.
(5) A. juxta Palatinis. B., & C. Palatinas primi prope Capitolium.
(6) B. *verba de donis, usque ad.* Hic fecit ordin. &c. *non legit.*
(7) C. pensantes singuli libras &c.
(8) C. pensantes singuli libras &c.
(9) A., & C. Fundum Baccanas.
(10) C. Fundum Marmoreum via &c.
(11) A. in Urbe Roma, *& ita in* B., & C.
(12) B. Diaconos X.
(13) C. XXVIII.
(14) A. via Ardiana, quem ipse insistens fecit pridie Nonas Octobris.
C. qui ipse insistens fecerat &c.
(15) B. pridie Nonas Octobris, & cessavit Episcopatus dies XXV.

JULIUS.

(1) A. annos XV. *ita* B., & C.
(2) A. dies XI. B., & C. dies VI.
(3) A. fuit autem temporibus Constantini filii Constantini Hæretici. B., & C. fui autem tempore Constantii filii &c.
(4) A. Maximiani. B. Maximini.
(5) B. Hic multas tribulat. passus est, & exilio &c.
(6) A., & C. Constantini.
(7) B. Basilicas II. unam in Urbe Roma juxta forum, & aliam Transtiberim.
(8) A., & C. cautiones.
(9) A., & C. vel collegationes per Scrinium Sanctum celebraretur.
(10) C. ordin. V.
(11) C. Diac. III.
(12) C. II. Idus.

LIBERIUS.

(1) B., & C. ex patre Ligusto.
(2) A. B., & C. annis VI. mens. III. dies IV.
(3) A. temporibus filii Constantini usque ad Constantium Aug. III.
C. fuit autem temporibus Constantini Hæretici filii &c.
(4) A. B., & C. annos III.
(5) A. & congregans Sacerdotes cum consilio ordinaverunt &c.
B. cum consilio eorum Liberius in locum suum ordinavit Felicem &c.

Digitized by Google

dinaverunt in locum ejus Fœlicem Presbyterum Episcopum, venerabilem virum, & fecit concilium Fœlix, (6) & invenit 2. Presbyteros consentientes Constantio Augusto Arriano nomine Ursatium, & Valentem, (7) & exegit (*) eos in concilio quadraginta & octo Episcoporum. Post paucos autem dies zelo (8) ducti Ursatius, & Valens, rogaverunt Constantium Augustum, ut revocaret Liberium de exilio, ut una tantum communione participarent, extra secundum baptismum. Tunc missa auctoritate per Catulinum Agentem in rebus, simul Ursatius, & Valens venerunt ad Liberium. Qui consensit præceptis (9) Constantii, ut una participatio conveniret communionis cum hæreticis tantum, ut non rebaptizarent. Rediens autem Liberius de exilio, habitavit in cœmeterio Sanctæ Agnetis (10) apud germanam Constantii, ut quasi per ejus interventionem, (11) aut rogatum rediret Liberius in civitatem. Tunc Constantia (12) Augusta, quæ fidelis erat Domino Jesu Christo, noluit rogare Constantium Augustum germanum suum, quia senserat consilium (13) doli. Eodem tempore Constantius una cum Ursatio, & Valente convocaverunt aliquos, qui ex fide (14) Arriana erant, & quasi facto concilio misit, & revocavit Liberium de cœmeterio sanctæ Agnetis, (15) & ingressus Romam in ipsa hora fecit Constantius concilium cum hæreticis simul etiam cum Ursatio, & Valente, & ejecit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus, & revocavit Liberium.

Ab eodem die fuit persecutio in clero, ita ut intra Ecclesiam Presbyteri, & clerici necarentur, & martyrio coronarentur. Qui Felix depositus de Episcopatu, habitavit in prædiolo suo, via Portuensi, ubi & requievit in pace 4. Cal. Augusti. Ingressus Liberius in urbem Romanam 4. nonas Augusti consensit Constantio hæretico, non tamen rebaptizatus est Liberius, (16) sed consensum præbuit, & tenuit Basilicam Beati Petri Apostoli, & Beati Pauli, & Basilicam Constantinianam annos septem. Et persecutio magna fuit in urbe Romana, ita ut clerici, & Sacerdotes neque in Ecclesias, neque in balnea haberent introitum. Hic Liberius ornavit de platinis (17) marmoreis petris sepulchrum sanctæ Agnetis martyris. Omnes itaque anni Felicis in ejus ordinatione dinumerantur. (18) Hic fecit Basilicam nomini suo juxta macellum Libiæ. Hic fecit ordinationes duas in urbe Romana per mensem Decembrem, Presbyteros decem & octo, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca decem & novem. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria octavo calendas Maji, & cessavit Episcopatus diebus septem. (19)

S. FELIX II.

ANNO CHRISTI 355.

CONSTANTINI 19.

FElix, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit anno uno, mensibus duobus (1). Hic declaravit Constantium filium Constantini hæreticum, & secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi juxta Nicomediam in Aquilone villa, & per hoc (2) declaratum ejusdem Constantii Augusti filii Constantini, præcepto martyrio coronatur, & capite truncatur. Hic fecit basilicam via Aurelia (3) cùm Presbyterii honore (4) fungeretur. Et in eadem basilica emit agrum circa locum, quem obtulit Ecclesiæ, quam fecit, (5) milliario ab urbe Romana 2. Hic fecit ordinationem unam (6) per mensem Decembris, Presbyteros 21. Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca 19. Qui etiam (7) passus est in civitate Corana cum multis clericis, & Fidelibus, occultè juxta muros urbis ad latus formæ Trajani 3. idus Novembris, & exindè raptum est corpus ejus (8) noctu à Presbyteris, & clericis cum Damaso Presbytero, & sepultum est (9) in supradicta ejus Basilica, quam ipse construxit via Aurelia 12. calendas Decembris milliario (10) secundo in pace. Et cessavit Episcopatus diebus 39. (11)

XXXVIII.

(6) C. qui Felix fecit Concilium cum Episcopis XLVIII. & invenit &c.
(7) B. Valentem, & damnavit eum in Concilio. C. Valentem quos ab Ecclesia sequestravit.
(*) A. eregit.
(8) C. Valens zelo malo, rogaverunt &c.
(9) A., & D. qui consensit præceptis, ut una participatio conveniret communionis cum Hæreticis tantùm ut non rebaptizarent, tunc vocaverunt Liberium de exilio. Rediens &c.
B., & C. qui Liberius consensit præceptis Augusti, ut unam tantam participationem participaret communionis, conveniret cum Hæreticis tantùm ut non rebaptizarent, tunc revocarunt Liberium de exilio. Rediens &c.
(10) A. Sanctæ Agnæ apud Germanam Constantis Augusti.
B. C., & D. Constantii Aug.
(11) B., & C. interventionem rogatus rediret &c.
(12) A. Constantina Aug. quæ fidelis &c.
(13) A., & D. quia senserat consilium eodem tempore &c.
(14) A. qui ex fæce Ariana &c.
(15) C. de cœmiterio S. Agnetis, & Felicem, qui erat Catholicus de Episcopatu ejecit (*vel sic infertur*) & ingressus Romam in ipsa hora fecit Constantius Aug. concilium cum Hæreticis simul etiam cum Ursatio, & Valente, & expulit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus, & revocavit Liberium.
(16) C. non tamen rebaptizatus est Hæreticus, sed &c.
B. *verba*, sed consensum præbuit, *non leg.*

(17) A. de Platonnis marmoreis sepulcrum &c.
B., & C. de Platonniis marmoribus sepulcrum &c.
(18) A. *verba*. Hic fecit Basilicam &c. *usque ad* Hic fecit Ordinationes, *non legit.*
(19) A. B., & C. diebus VI.

FELIX.

(1) A. B., & C. mens. III. diebus II.
(2) B. Nicomidiensi Episcopo in villa, quæ appellatur Aquilone, & pro hoc declaratur ab eodem Constantio præcepto Augusti filii Constantini Augusti Martyrio &c.
A. ab eodem declaratum ejusdem Constantii præcepto Augusti filium Constantini Augusti Martyrio &c.
(3) A. via aurea.
(4) B. cùm Presbyteratus honore &c.
(5) *verba* milliario ab urbe Romana 2. *desunt in* A. B., & C.
(6) A. in urbe Roma.
(7) B. qui etiam capite truncatus est cum multis Clericis, & Fidelibus occultè juxta muros urbis ad latus fori Trajani &c.
(8) A. in civitate Carana III. Id. Novembris, & exinde raptum est corpus ejus à Presbyteris &c.
(9) B., & C. corpus ejus à Christianis cum Damaso &c.
(10) B., & C. sepultum est in Basilica ejus supradicta via aurelia XVII. Kal. Decembris in pace, & cessavit Episcopatus diebus XXXVIII.
(11) A. milliario II., & cessavit Episcopatus dies XXXVIII.

Digitized by Google

XXXVIII. S. DAMASUS.

ANNO CHRISTI 367.

VALENTINIANI, ET VALENTIS 3.

DAmasus, natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annis decem & octo, mensibus duobus, (1) diebus decem, & cum eodem ordinatur sub contentione Ursicinus. (2) Et facto concilio sacerdotum constituerunt Damasum, quia fortior, & plurima (3) multitudo erat, & sic constitutus est Damasus, & Ursicinum ejecerunt ab urbe, & constituerunt eum Neapoli Episcopum. Et mansit Damasus in urbe Romana Præsul in Sede Apostolica. Fuit autem (4) temporibus Juliani. Hic fecit basilicas duas, unam juxta theatrum Sancto Laurentio, & aliam (5) via Ardeatina, ubi requiescit in catacumbis, & ædificavit platoniam, ubi corpora Apostolorum jacuerunt, idest, Beati Petri, & Pauli, quam & versibus ornavit. Hic multa corpora Sanctorum Martyrum requisivit, (6) quorum etiam concilia versibus decoravit. Hic constitutum fecit de Ecclesia. Hic accusatus est invidiosè, & incriminatus de adulterio, & facta Synodo purgatus est à quadraginta quatuor Episcopis, qui etiam damnaverunt Concordium, & Calixtum Diaconos accusatores, & projecerunt de Ecclesia. Hic constituit titulum in urbe Romana, scilicet Basilicam, quam ipse construxit, ubi & donavit patenam argenteam pensantem libras 15. (7) Scyphum anaglyphum (8) pensan. libras decem. Calices ministeriales argenteos quinque pensan. singul. libr. tres Coronas argenteas quinque pensan. singul. libras octo. (9) Canthara cerostrata ærea (10) pensan. libras 16. Domos in circuitu Basilicæ præstantes solidos quinquaginta quinque. (11) Possessionem Papyrianam territorio Ferentino cum adjacentibus (12) antiquis, præstantem solidos ducentos & viginti, & trimisium. Possessionem Antonianam (13) in territorio Casin. præstantem solidos centum & tres. Balneum juxta titulum præstans solidos septem & viginti. (14) Hic constituit, ut Psalmos diu, noctuque canerent per omnes Ecclesias: qui hoc præcepit Presbyteris, & Episcopis, vel Monasteriis. Hic fecit ordinationes in urbe quinque per mensem Decemb. Presbyteros 31. Diaconos 11. Episcopos per diversa loca sexagin. duos. Qui etiam sepultus est via Ardeatina in Basilica sua, 3. idus Decembris juxta matrem suam, & germanam. Et cessavit Episcopatus per dies 31. (15)

XXXIX. S. SIRICIUS.

ANNO CHRISTI 385.

VALENTINIANI 10. THEODOSII 7.

SIricius, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos 15. (1) menses 11. dies 25. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, (2) vel contra omnes hæreses, & dispersit (3) per universum mundum, ut in omnis Ecclesiæ (4) Archivio teneantur ob impugnationem contra omnes hæreses. Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Hic (5) Manichæos, quos exilio deportavit, hoc constituit, ut non participarent cum Fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret Sanctum Corpus Dominicum vexari. (6) Hic constituit, ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantum relegatione Monasterii diebus vitæ suæ teneretur obnoxius, ut jejuniis, (7) & orationibus maceratus, & probatus sub omni examinatione usque ad ultimum diem transitus sui, & ob humanitatem Ecclesiæ viaticum (8) eis largiretur. Hic constituit Hæreticum sub manus impositionis recipi, præsente cuncta Ecclesia. Hic fecit ordinationes quinque in urbe per mensem Decembris, Presbyteros 31. Diaconos 16. Episcopos per diversa loca triginta & duos. (9) Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, nono calendas (10) Martias, & cessavit Episcopatus per dies 20.

XL.

DAMASUS.

(1) A. B., & C. mens. III. diebus XI.
(2) A. ordinatur sub intentione Ursinus, *& ita nominat semper sicut etiam in* D.
B., & C. sub contentione Ursinus.
(3) B., & C. plurima cum eo.
(4) A. eodem tempore.
(5) A. & aliam in Catacumbis, ubi jacuerunt corpora SS. Apostolorum Petri, & Pauli, in quo loco Platonniam ipsam ubi jacuerunt corpora SS. versibus exornavit.
(6) A. requisivit, & invenit, quorum etiam versibus declaravit.
B. requisivit, & invenit, quorum vitam etiam versibus decoravit.
C. requisivit, & invenit, quorum etiam Tumbas, & Martyria versibus decoravit.
(7) A. pens. lib. XX. Amam argenteam pens. lib. XV., *& ita in* B., & C.
(8) B., & C. scyphum arg. annagliphum &c., *& in utroque verba* calices ministeriales &c. *usque ad* coronas arg. *desunt*.
(9) A. lib. IX.
(10) A. cirostata ærea XVI., *& ita in* B., & C.
(11) A. sol. CLV., *& ita* C.
(12) A. cum jacentibus adtiguis præst. sol. CXX. B. cum adjacentibus attignis præst. sol. CXXV. C. cum adjacentibus adtignis præst. sol. CXXV. D. præst. sol. CXX.
(13) B., & C. Possessionem Antoninam.
(14) B., & C. sol. XXVIII.
(15) C. XXI.

SIRICIUS.

(1) A., & B. sedit annos XV. Hic constituit. C. annos XV. mens. XI. dies XXV. D. mens. X.
(2) B. Hic constitutum fecit per omnem Ecclesiam, vel &c
(3) A. & exparsit per &c., *& ita in* C., & D. B. sparsit.
(4) B. ut in omni Ecclesiarum Archivo teneretur oppugnatio contra omnes Hæreses. A. C., & D. ob oppugnationem contra &c.
(5) B. Hic invenit Manichæos in Urbe, quos &c. A. C., & D. Hic invenit Manichæos, quos &c.
(6) A. Domini convexare. B., & C. vexare.
(7) A. ut jejunus.
(8) A. Beaticum. C. Viatum, & in fine tradatur.
(9) B. XXXIV.
(10) A., & B. VIII. Kal. C. XVIII. Kal. &c.

Digitized by Google

XL. S. ANASTASIUS.

ANNO CHRISTI 398.

ARCADII, ET HONORII 4.

ANaſtaſius, natione Romanus, ex patre Maximo, ſedit annos duos, (1) dies viginti quatuor. Hic conſtituit, ut quotieſcunque Evangelia Sancta recitantur, Sacerdotes (2) non ſederent, ſed curvi ſtarent. (3) Hic fecit conſtitutum de Eccleſia. Hic fecit Baſilicam, quæ dicitur Creſcentiana (4) in regione ſecunda in via Mamertinia in urbe Roma. Et hoc conſtituit nulla ratione tranſmarinum hominem in Clericatus honorem ſuſcipi, niſi quinque (5) Epiſcoporum deſignaret chirographum (6) propter Manichæos. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembris, Presbyteros novem, (7) Diaconos quinque, Epiſcopos per diverſa loca 11. (8) Qui verò ſepultus eſt cœmeterio ſuo ad Urſum pileatum (9) 5. Calendas Maji, & ceſſavit Epiſcopatus dies 21.

XLI. S. INNOCENTIUS.

ANNO CHRISTI 402.

ARCADII, ET HONORII 8.

INnocentius, natione Albanenſis, ex patre Innocentio, ſedit annos quindecim, menſes duos, dies viginti. (1) Hic coſtitutum fecit de omni Eccleſia, & de regulis Monaſteriorum, & de Judæis, & de Paganis, & multos Cataphrygas (2) in urbe invenit, quos exilio, & monaſteriis relegavit: Et hic invenit Pelagium, & Cœleſtium (3) hæreticos, & damnavit eos. Et hoc conſtituit, ut qui natus fuerit de Chriſtiana, (4) denuo per baptiſmum renaſci debeat, hoc eſt baptizari, quod Pelagius damnabat. Eodem tempore dedicavit Baſilicam SS. Gervaſii, & Protaſii ex devotione (5) teſtamenti cujuſdam illuſtris fœminæ Veſtinæ laborantibus Presbyteris Cuſicino, (6) & Leopardo, & Diacono Libyano. (7) Quæ fœmina ſupraſcripta (8) teſtamenti paginam ſic ordinavit, ut Baſilicam Sanctorum Martyrum ex ornamentis, & margaritis, venditis juſtis æſtimationibus conſtrueretur, & conſtructa eſt uſque ad perfectum. (9) In quo loco Beatiſſimus Innocentius ex delegatione illuſtris fœminæ Veſtinæ titulum Romanum conſtituit, (10) & in eodem Dominico loco (11) obtulit patenas argenteas duas, penſantes ſingulæ libras viginti. Coronas argenteas duodecim penſantes ſingulæ libras quindecim. Amas argenteas duas, (12) penſantes ſingulæ libras viginti. Pharum cantharum (13) argenteum unum, penſans libras 22. Ceroſtrata argentea quatuor penſan. ſingula libras triginta quinque. (14) Turrem argenteam cum patena, & columba deaurata penſantem libras triginta. Ad ornatum baptiſmi, Cervum argenteum fundentem aquam, penſantem libras viginti quinque. Vas ad oleum Chriſmatis argenteum, penſans libras quinque. Vas aliud ad oleum Exorcizatum, penſans libras quinque. Patenas duas ad Chriſma, penſantes ſingulæ libras quatuor. (15) Scyphum argenteum (16) anaglyphatum, penſantem libras decem. Scyphum alium argenteum, penſantem libras decem. Calices argenteos quinque, penſantes ſinguli libras tres. Calices argenteos Baptiſmi numero tres, penſantes ſinguli libras duas; (17) & alia dona multa largitus eſt. Aquæmaniles argenteas, penſantes ſingulæ libras 16. Pharacanthara ærea ſexdecim, penſantia ſingula lib. 10. Item Pharæcantharæ æreæ ceroſtatæ in gremio Baſilicæ numero viginti, penſantes ſingulæ libras quadraginta.

Domos juxta Baſilicam Libyanam, (18) præſtantem ſolidos 32. Domum in clivo ſalutis balnearium, præſtantem ſolidos 88. (19) & trimiſium. Poſſeſſionem Corras in territorio Cluſino, præſtantem ſolidos ſeptuaginta unum, & trimiſium. Poſſeſſionem Corvianam in territorio

ANASTASIUS.

(1) A. B., & C. annos III. dies X.
(2) A. ut Sacerdotes non ſe erecti, ſed curui ſtarent.
(3) C. *verba*. Hic fecit conſtitutum de Eccleſia, *non legit*.
(4) A. Creſcentia.
(5) B. niſi ſui Epiſcopi deſſignaretur Chirographum, quia eodem tempore Manichæi inventi ſunt in urbe Roma. C. niſi quinque Epiſcopi deſſignarent Chirographa. Hic fecit Ordinationes &c.
(6) A. quia & eodem tempore Manichæi inventi ſunt in urbe Roma. Hic fecit Ordinationem in urbe Roma per menſem &c.
(7) B. Presbyteros XXIX.
(8) C. V.
(9) A. pilatum. B. piliatum.

INNOCENTIUS.

(1) A. dies XXV. B. dies XXI. C. XXXI.
(2) A. & multos cataprigas invenit, quos exilio Monaſterii religavit. B. multos catafragos invenit, quos Monaſterio relegavit. C. multos catafrigas invenit, quos in exilio in Monaſteriis relegavit. D. multos cataphragas.
(3) B. C., & D. Cœleſtinum.
(4) C. qui natus fuerit de Chriſtiano, denuò naſcatur per Baptiſmum.
(5) B. ex devotione cujuſdam fœminæ.
(6) A. Urcino, & Leop. B. Urſicino. C. Urſiano, & Leopardos.
(7) B. Liviano, & C. Librano.
(8) B. quæ fœmina Sancta. C. quæ fœmina Religioſa.
(9) A., & D. uſque ad perfectum Baſilica. B. uſque ad perfectum Baſilicæ. C. uſque ad perfectum conſumaretur.
(10) B. conſtituit, & præcepit Sabatho jejunium celebrari, quia Sabatho Dominus in Sepulcro poſitus eſt, & diſcipuli ejus jejunaverunt &c. *reliqua de donis non leguntur*.
(11) C. & eidem loco hæc dona obtulit.
(12) *verbum* duas *in* C. *non leg*.
(13) A., & C. Farum cantharum I.
(14) libras XXV. *in* A. C., & D.
(15) A., & C. lib. III.
(16) C. ſcyphos argenteos anagliphos II. penſ. ſing. lib. X. calices argenteos baptiſmi IV. penſ. ſing. lib. II. Aquamanules II. penſ. ſing. lib. XV. Fara canthara ærea Geroſtata in gremio Baſilicæ XX. &c.
(17) A. libras II. Aquamanilis argentea penſ. lib. XVI.
(18) A. domos juxta Baſilicam Libianam præſt. ſol. LXXXV., & trimiſſ. Balneum in eodem loco juxta templum Mamuri præſtat ſol. XXXII. domus inclivium ſalutis valœata præſt. ſolid. LXXVII., & trimiſs. Poſſeſſio Sorras territorio Cluſino præſtat ſol. LXXI. Poſſeſſio Fundanenſis &c.
C. domus juxta Baſilicam Blianam præſtantem ſol. XXXV., & trimiſs. Balneum eodem loco juxta templum Mamurti præſtat ſolid. XXXII. Domus in clivo ſalutis Balneatæ præſt. ſolid. LXXVII., & trimiſs. Poſſeſs. Sorras in territorio Cluſino præſt. ſolid. LXXIX. Poſſeſſio Fundanenſis in territ. Fundano cum adjacentibus adtrignis XV. prȩſt. ſol. CLXXI., & trimiſs.
(19) D. ſol. LXXXIX., & trimiſſ.

Digitized by Google

rio Clusino, præstantem solidos octuaginta octo. Possessionem Fundanensem in territorio Fundano, cum adjacentibus attiguis 15. præstantem solidos centum octuaginta unum, & trimisium. Possessionem Figlynas in territorio Casinate, præstantem solidos sexaginta tres, (20) & trimisium. Possessionem Antonianam in territorio Clodiano, præstantem solidos quadraginta duos. (21) Possessionem Amandani, (22) quam donavit illustris fœmina Vestina consobrinæ suæ, in territorio Vegetano, præstantem solidos quadraginta sex, & trimisium. Domos Emeriti in clivo mammori intra urbem juxta Basilicam, præstantem solidos sexaginta duos. Domum in clivo Patricii arbitratam (*) domum juxta Basilicam in vico longo, quæ cognominatur ad lacum, præstantem solidos octuaginta duos. Domum ad cathedram lapideam florianam, præstantem solidos quinquaginta octo. Pristinum in vico longo, quod cognominatur Castorano, præstans solidos sexaginta unum. Balneum in vico longo, quod cognominatur Templum, præstans solidos quadraginta. Siliquas tres, uncias portæ Nuntanæ tres, præstantes sol. septem & decem, (*) & trimisium. Hic constituit Sabbatho jejunium celebrari, quia Sabbatho Dominus in sepulchro positus est, & Discipuli ejus jejunaverunt. Hic constituit Basilicam Beatæ Agnetis Martyris à Presbyteris Leopardo, & Paulino cum sollicitudine gubernari, & regi, (23) & ornari. Et ex dispositione Vestinæ tituli suprascripti Presbyteris est concessa potestas. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembris, Presbyteros 30. Diaconos 12. (24) Episcopos per diversa loca quinquaginta quatuor. Qui etiam sepultus est (25) ad Ursum pileatum 5. calendas Augusti; & cessavit Episcopatus per dies 22. (26)

XLII. S. ZOSIMUS.

ANNO CHRISTI 417.

HONORII 13. THEODOSII 12.

Zosimus, natione Græcus, ex patre Abrahamio, sedit annum unum, menses octo, (1) dies viginti quinque. Hic multas constituit Ecclesias, & fecit constitutum, ut Diaconi levas tectas (2) haberent de pallis linostimis, & per Parochias concessa licentia (3) cereos benedici. Et jussit, ut nullus Clericus poculum (4) in publico propinaret, nisi tantùm in cellis Fidelium, maximè Clericorum. Hic fecit ordinationem unam in urbe per mensem Decembrem, Presbyteros decem, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca octo. Qui etiam sepultus est juxta corpus Beati Laurentii martyris via Tiburtina 8. (6) calendas Januarias, & cessavit Episcopatus per dies 11. (7)

XLIII. S. BONIFACIUS.

ANNO CHRISTI 419.

HONORII 15. THEODOSII 12.

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo Presbytero, sedit annos tres, menses quatuor, (1) dies 13. Hic sub contentione (2) cum Eulalio ordinatur una die, & fuit dissensio in Clero mensibus septem, & per dies 15. Eulalius verò ordinatur in Basilica Constantiniana, Bonifacius autem in Basilica Juliæ. (3) Eodem tempore audiens hoc Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, dum sederent Ravennæ, retulit Honorio Augusto Mediolani sedenti, eodem tempore ambo Augusti missa auctoritate hoc præceperunt, ut ambo (4) exirent Civitatem. Qui dum compulsi exissent, habitavit Bonifacius in cœmeterio Sanctæ Felicitatis martyris via Salaria. Eulalius vero in Civitate Antii (5) ad Sanctum Hermen. Veniente autem proximo die Paschæ, præsumpsit Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in Basilica Constantiniana, & introivit Urbem, & baptizavit, & celebravit Pascha in Basilica Constantiniana. Bonifacius vero, sicut consuetudo erat, celebravit baptismum Paschæ in Basilica Sanctæ Martyris Agnetis. Hoc audito, Augusti utrique miserunt, & ejecerunt Eulalium, & missa auctoritate revocaverunt Bonifacium in Urbem, & constituerunt Episcopum. Eulalium verò miserunt foras in Campaniam. Post annos tres, & menses octo defunctus est Bonifacius. Clerus (6) autem, & plebs petierunt Eulalium revocari, quod tamen non consensit Eulalius, Romam reverti. Qui etiam in eodem loco Campaniæ post annum (7) mortis Bonifacii, defunctus

---

(20) A., & C. sol. LVIII. Possessionem Antonianam &c. *usque ad* Possessionem Amandani *in* C. *non leg. hìc, sed infra*.
(21) A. LXII., *& ita in* C.
(22) A. Amandini: C. Amandum, quam donavit illustri fœminæ Vestinæ &c.
(*) A. dom. in clivium Patricii orbitata.
(*) A. sol. XXII., & trimiss.
(23) A. tegi, & ornari eorum dispositione tituli supradicti Vestinę Presbyt. concessa potestas &c.
B. regi, & gubernari eorum dispositione ordinari tituli supradicti Vestinæ Presbyt. concessa potestas &c.
C. ornari similiter dispositionis tituli supradictæ ab eodem Presbyteris est concessa potestas.
D. ornari eorum dispositione titulum super scriptæ Bestinæ Presbyteris concessa potestas &c.
(24) A. Diaconos XV. B. Diac. XI.
(25) A. sepultus est in cœmiterio ad Ursum Piliatum. C. sepultus est in cœmiterio ad Ursum &c.
(26) A. dies XXXII.

ZOSIMUS.

(1) A. mens. III. dies XI. Hic multa constituit in Ecclesia. B. mens. III. dies II. Hic multa constituit Ecclesiæ. C. mens. III. dies XII. Hic multa constituit in Ecclesia.
(2) A. lebatecta. D. levatesta.
C. levas tectas haberent hora sacrificii de palliis limostumis.
(3) A. concessa licentia cereum benedici, & præcepit ut nullus Clericus in poculum publicum propinaretur, *& ita in* B., & C.
(4) D. & jussit ut nullus Clericus in populo publico propinaretur, nisi tantùm Cellæ fidelium maximè Clericorum.
(5) A. nisi tantùm Cellæ fidelium. B. nisi tantùm Cellis &c.
(6) C. VII. Kal., *& ita in* A., & B.
(7) XI. *in omnibus*.

BONIFACIUS.

(1) A. menses VIII. dies VII., *& ita in* B., & C. D. mens. VIII.
(2) A. sub intentione, *& ita in* D.
(3) A., & C. Basilica Julii.
(4) B. ambo electi exirent. C. ambo electi exirent. Qui cùm pulsi &c.
(5) B. civitate Antiochiæ. C. civitate Antino. A. Antio.
(6) A. Clerus, vel Presbyteri petierunt &c.
B. Clerus, & populus petierunt &c.
C. Clerici autem, & plebs petierunt &c.
(7) A. post annum mortis Bonifacii defunctus est Eulalius. Hic Bonifacius &c., *& ita in omnibus*.

Digitized by Google

ctus est. Hic Bonifacius constituit, ut nulla mulier, vel Monacha pallia sacrata (8) contingeret, aut lavaret, aut incensum poneret in Ecclesia, nisi minister: (9) nec servum Clericum fieri, nec obnoxium curiæ, vel cujuslibet rei.

Hic fecit oratorium in cœmeterio Sanctæ Felicitatis juxta corpus ejus, & ornavit (10) Sepulcrum Sanctæ Martyris Felicitatis, & Sancti Livanii, (11) ubi & posuit hæc: Patenam argenteam pensantem libras viginti, scyphum argenteum pensantem libras 10. Amam argenteam pensantem libr. 13. Calices minores (12) argenteos duos pensantes libras quatuor. Coronas argenteas tres pensantes libras 15. Hic fecit ordinationem unam (13) per mensem Decembris, Presbyteros 13. (14) Diaconos 3. Episcopos per diversa loca 36. Qui etiam sepultus est (15) in cœmeterio Sanctæ Felicitatis martyris, via Salaria, octavo calendas Novembris, & cessavit Episcopatus per dies novem.

XLIV. S. CÆLESTINUS.

ANNO CHRISTI 423.

THEODOSII 16.

CÆlestinus, natione Campanus, (1) ex patre Prisco, sedit annos novem, mensem unum, dies 9. (2) Hic fecit multa constituta, & constituit, ut centum quinquaginta Psalmi David ante Sacrificium psallerentur antiphonati, (3) quod ante non fiebat, nisi tantum recitabantur Epistolæ Pauli Apostoli, & Sanctum Euangelium, & sic missæ fiebant. (4) Hic fecit constitutum de omni Ecclesia, maxime & de regione, (5) quæ hodie archivio Ecclesiæ tenentur reconditæ. Hic dedicavit Basilicam Juliæ, (6) in qua obtulit post ignem reticum patenam argenteam pensantem libras quindecim, scyphos argenteos duos pensantes singuli libras octo. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras decem. (7) Candelabra argentea duo, pensan. singula libras triginta. Cantharas cerostatas æreas 14 pensan. singulæ libras triginta. Item Coronas argenteas decem pensantes singulæ libras 10. Ad Beatum Petrum Apostolum Pharum cantharum pensan. libras vigintiquinque ex argento purissimo. Cantharas argenteas cerostatas in gremio Basilicæ viginti quatuor pensan. singulæ libras viginti. Hic fecit ordinationes tres (8) per mensem Decembrem, Presbyteros 32. (9) Diaconos 12. Episcopos per diversa loca 46. (10) qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria 8. idus Aprilis, & cessavit Episcopatus per dies 21. (11)

XLV. S. SIXTUS (1) III.

ANNO CHRISTI 432.

THEODOSII 25. VALENTINIANI 8.

SIxtus tertius, (2) natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annos octo, (3) dies 19. Hic post annum primum, & menses octo, à quodam (4) Basso incriminatus, accusatusque est. Eodem tempore audiens hoc Valentinianus Augustus, jussit Concilium Sanctæ Synodi congregari, & facto conventu cum magna examinatione judicio Synodico purgatus (5) à quinquaginta sex Episcopis, & condemnatus Bassus à Synodo, ita tamen ut ad ultimum diem viaticum ei non negaretur propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Hoc audiens Valentinianus Augustus cum matre sua Placida (*) Augusta furore sancto commoti proscriptione Bassum condemnaverunt, & omnia prædia facultatum ejus Ecclesiæ Catholicæ sociaverunt. Qui Bassus nutu divinitatis intra menses tres defunctus moritur. Cujus corpus Sixtus Episcopus cum linteaminibus, & aromatibus manibus suis tractans, recondensque sepelivit ad Beatum Petrum Apostolum in cubiculo parentum ejus.

Hic fecit Basilicam Sanctæ Mariæ, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur juxta macellum Libyæ, ubi & obtulit hæc: Altare argenteum purissimum pensans libras trecentas. Patenas argenteas tres pensan. (6) libras sexaginta.

---

(8) A. pallam sacratam, *& ita in* C.
B. pallam sacram contingeret, aut incensum poneret &c.
(9) A. in Ecclesia aut ministraret, nec servum &c.
(10) A. & ordinavit sepulcrum.
(11) & S. Silvani *in* A. B., & C.
(12) A. calices minores duos pens. lib. III.
B., & C. calices minores duos pens. sing. lib. IV.
(13) A. B., & C. in urbe Roma.
(14) B. XIV.
(15) A. Qui etiam sepultus est juxta corpus S. Fœlicitatis via salutaria.
B. Qui etiam sepultus est via salaria juxta corpus S. Fœlicitatis &c.

CÆLESTINUS.

(1) A. natione Romanus. C. Campanus, vel Romanus.
(2) A. sedit annos VIII. mens. X. dies XVII., *& ita in* B., & C.
D. annos VIII., *reliqua ut in edito*
(3) A., & B. Antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat. Sic tantùm Epistola Beati Pauli Apostoli recitabatur, & S. Evangelium. Hic fecit &c.
C. Antiphonatim ab omnibus &c.
(4) B., & C. & constituit graduale post ufficium ad Missas cantari, idest responsorium in gradibus. Hic fecit &c.
(5) A., & B. maximè, & de Religione. C. maximè de regionibus.
(6) A. Basilicam Julii, in quo obtulit post ignem Zeticum Patenam arg. pensan. lib. XXV.
B. Basilicam Juliam, in qua multa dona obtulit Patenam argenteam pens. lib. XXV. scyphos argenteos II. pens. sing. lib. X. calices minores arg. V. pens. lib. VI. aquamaniles II. pens. sing. lib. X. candelabra argentea II. pens. sing. lib. XXX. canthara Cirostata ærea XXIV. pens. sing. lib. XXX. coronas arg. X. pens. sing. lib. X. Ad B. Petrum Apost. cantharum arg. pensan. lib. XXVI. canthara Cirostata ærea XXIV. pens. sing. lib. XX. Hic fecit &c.
. in qua post ignem Zelari obtulit hæc dona &c. *reliqua ut in* B. *præter ad* calices minores *pro* lib. VI. *habet* III. *post* B. Petrum Apost. *habet* Farum canth. *ad* cantharum arg. *pro* lib. XXVI. *habet* XXV.
(7) A. calices minores argenteos V. pensan. sing. lib. IV. aquamaniles argenteas pens. lib. X.
(8) A., & C. in urbe Roma.
(9) B. Presbyteros XXII.
(10) C. Episcopos &c. XLII.
(11) C. dies XXII.
(1) XISTUS *in* B., & C. XYSTUS *in* A., & D.
(2) τὸ tertius *deest in* A. B., & C.
A. C., & D. Xysto.
(3) A. sedit an. VII. dies XIX.
(4) A., & B. octo, incriminatur à quodam Basso eodem tempore &c.
(5) A. B., & C. Judicii Synodici purgatur &c., & condemnatur Bassus à Synodo.
Xistus hic fecit Basilicam.
(*) Placidia *in omnibus*.
(6) B., & C. patenas arg. III. pens. sing. &c.
A. lib. X.

Digitized by Google

ta. Amas argenteas quatuor, pensantes (7) libras sexaginta. Scyphum aureum (8) purissimum pensantem libras quinquaginta, scyphos argenteos quinque pensantes libras quinquaginta. (9) Calices ministeriales argenteos decem pensantes singuli libras tres. (10) Aquæmaniles argenteos pensantes singuli libras octo. Coronam pharam ante altare argenteam, pensan. libras triginta. (11) Coronas argenteas pharales triginta quatuor pensan. libras decem. Candelabra argentea (12) quatuor pensant. libras viginti. Thimiamaterium argenteum, (13) pensans libras quinque. (14) Canthara ceroftata aurochalca viginti quatuor, pensan. libras 15. Possessionem Scaurianam in territorio Gacitano, (15) præstantem omnia inibi cum adjacentibus adtignis solidos 312. & trimisium. Possessionem Marmoratam (16) in territorio Prænestrino, (17) præstantem solidos centum quinquaginta duos. (18) Possessionem celeris in territorio Afilano, præstantem solidos centum & undecim, & trimisium. Domum Palmati (19) intra Urbem, juxta inibi Basilicam cum balneo, & pristino, præstantem solidos 154. Cervum argenteum in fonte fundentem aquam, pensan. libr. (20) triginta. Omnia vasa Baptismi (21) sacrata argentea, (22) libr. 15. Cenacula (23) regie gradorum adhæren. Basilicæ, vel quicquid videtur esse intrinsecus. Hic ornavit de argento confessionem Beati Petri Apostoli, quæ habet libras quadringentas.

Hujus supplicatione obtulit Valentinianus Augustus imaginem auream (24) cum duodecim portis, & Apostolos duodecim, & Salvatorem in gemmis preciosissimis ornatam super confessionem Beati Petri Apostoli. Fecit autem Valentinianus ex rogatu Sixti Episcopi Fastigium argenteum in Basilica Constantiniana, quod à Barbaris sublatum fuerat, quod pensabat libras quingentas & undecim. (25) Hujus temporibus fecit Valentinianus Augustus confessionem Beati Pauli Apostoli ex argento purissimo, quæ habet libras ducentas. Item fecit Sixtus Episcopus confessionem Beati Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, & ornavit transennam, & altare, & confessionem Sancti martyris Laurentii de argento purissimo. Fecit altare pensans libras quinquaginta, Cancellos argenteos supra Platonias porphyreticas, pensantes libras trecentas. Absidam super Cancellos cum Statua Beati Laurentii martyris argentea, pensant. libras ducentas. Fecit autem Basilicam Beato Laurentio, quod & Valentinianus Augustus concessit, ubi & obtulit dona hæc: Patenas argenteas tres, pensantes singulæ libr. viginti. Amas argenteas tres, pensantes libras (26) quindecim. Scyphos argenteos quatuor, pensan. (27) libras octo. Scyphum (28) aureum ornatum de margaritis, pensantem libras decem. (29) Calices argenteos ministeriales duodecim, (30) pensantes libras duas. Aquæmaniles argenteos, (31) pensantes libras octo. Ministerium (32) ad baptismum, vel pœnitentiæ ex argento, pensant. libras quinque. Concham aurochalcam, pensant. libras viginti. Coronas argenteas pharales (33) triginta, pensant. (34) libras sex. Pharacanthara argentea tria, pensantia singula libras quindecim: Candelabra argentea duo, pensantia singula libras triginta. Cantharas ceroftatas in gremio Basilicæ æreas viginti quatuor. Pharas æreas 21. (35)

Hic fecit in Basilica Constantiniana ornamentum super fontem, quod ante ibi non erat, idest, epistylia marmorea, & columnas porphyreticas erexit, quas Constantinus Augustus congregatas dimisit, & jussit ut erigerentur, quas & versibus exornavit. Hic fecit Platoniam in cœmeterio Calixti, via Appia, ubi nomina Episcoporum, & Martyrum scripsit (36) commemorans. Hic fecit ordinationes (37) in urbe Roma per mensem Decembris, Presbyteros viginti octo, Diaconos duodecim, Episcopos

(7) B., & C. Amas argenteas IV. pensan. sing. lib. &c.
(8) A. scyphum aureum &c. pens. lib. XII. B., & C. *pro* aureum, *ponunt* argenteum.
(9) C. calices minist. arg. X. pens. sing. lib. XII. A. ante calices ministeriales arg. *habet* calices ministeriales aureos pens. sing. lib. sing.
(10) B., & C. Aquamaniles argenteos X. &c. A. sing. *non habet*.
(11) A. pens. sing. lib. &c.
B., & C. farales XXVIII. pens. sing. &c.
(12) A. candelabra arg. IV. pens. sing. &c. B. candelabra argentea V. pens. sing. &c.
(13) B., & C. Timiamaterium arg. pens. lib. XV.
(14) A. canthara Ceroftata &c. pens. sing. lib. XV. B., & C. canthara Ceroftata aurochalca XXV. pens. sing. lib. XX.
(15) B., & C. in territorio Gajetano cum omnibus adjacentibus adtignis præst. sol. CCCVII., & tremiss. A. adjacentibus adtignis. B. à tignis.
(16) B. Possessionem Marmoratam *usque ad* Possessionem Celeris &c. *non leg.*
C. possess. Marmor. &c. sol. CXI., & tremiss. D. Possess. Marmor. &c. sol. CLII. A. Possessio Mar. VI. orata &c. territorio Penestrino.
(17) A. Prænestrino præst. sol. XCII.
(18) A. Possess. Cerelis territorio afiliano. B., & C. afiliano.
(19) A. Domus Palmati &c. sol. CLIV. filiq. III. Domus Claudii in Sicinum præst. sol. CIV. inibi *non leg,*
B. Domus Palmas &c. sol. CXI., & tremiss. Domum Claudii in Fitinium præst. sol. CIV.
(20) A. lib. XX. B., & C. lib. XXV.
(21) B. omnia vasa &c. *usque ad* Cenacula *non legit.*
(22) C. pens. sing. lib. XV.
(23) B., & C. Genacula quoque è regione graduum adhærentia &c.
(24) B. auream Salvatoris gemmis ornatam, & XII. Apost. cum XII. portis argen. &c., *& ita in* C.
(25) A. pens. lib. MDCX.
B., & C. lib. MMDCC.
(26) A. pens. sing. lib. &c.
B., & C. Amas argenteas, *usque ad* scyphos arg. &c. *non legunt*.
(27) A. pens. sing. lib. &c.
(28) A. scyphum singularem aureum &c., *& ita in* B., & C.
(29) A. lucernam nixorum ex auro pens. lib. X.
(30) B., & C. ministeriales X. pens. sing. lib. II. A. lib. II.
(31) B., & C. aquamaniles arg. II. pens. sing. lib. VIII.
(32) B. ministeriales arg. V, ad Bapt., vel pœnit. pens. sing. lib. V.
C. minist. arg. &c. II. &c. pens. sing. &c.
A. minist. ad Bapt. &c. lib. XV.
(33) B. feriales. C. ferales.
(34) B., & C. pens. sing. &c. A. pens. sing.
(35) A. B., & C. LX.
(36) B. Episcoporum & numerum scripsit commemorans. Hujus temporibus fecit Petrus Episcopus Hyllirica degente Athenis Basilicam S. Sabinæ in monte Aventino in urbe Roma juxta Monasterium S. Bonifacii, in quo & S. Alexius jacet.
Et ita legit. C. *post quæ habet etiam*. Fecit etiam in Ecclesia S. Sabinæ fontem ad Bapristerium.
(37) B. Ordinationes III. per mensem Decembris.
C. Hic Xistus fecit ordinationes III. in urbe Roma &c.

Digitized by Google

pos per diversa loca quinquaginta duos. (38) Et hujus temporibus fecit Petrus Episcopus Basilicam in Urbe Sanctæ Sabinæ, ubi & fontem construxit. Qui etiam sepultus est via Tiburtina in crypta, juxta Corpus Beati Laurentii, & cessavit Episcopatus per dies 22. (39) *A morte Silvestri usque ad hunc primum Leonem sunt anni nonaginta novem, menses quinque, dies viginti sex.*

XLVI. S. LEO.

ANNO CHRISTI 440.

THEODOSII 33. VALENTIN. 16.

LEo, natione Tuscus, (1) ex patre Quintiano, (2) sedit annos 21. mensem 1. dies 26. (3) Hujus temporibus fecit Demetria ancilla Dei Basilicam Sancto Stephano via Latina milliario 4. (4) in prædio suo. Hic invenit duas hæreses (5) Eutychianam, & Nestorianam, per quosdam Episcopos. Hic ordinavit præcepta sua auctoritate, & misit ad Marcianum Augustum fidelem Principem Catholicum. Et facta collatione cum eodem Principe, collecti sunt Episcopi, & factum est Concilium Sanctum Episcoporum in Chalcedona (6) in martyrio Sanctæ Eufemiæ, & congregati sunt 256. Sacerdotes, & alii, quorum chirographum cucurrit (7) 406. Episcopi, qui congregati una cum Thomo, hoc est fide Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ cum chirographo Sancti Archiepiscopi Leonis. Sed & in præsentia Catholici Principis Marciani Augusti congregatum concilium (8) numero 400. Episcoporum, una cum Augusto Marciano. Qui exposuerunt fidem Catholicam, & Apostolicam, (9) duas naturas in uno Christo Deo simul & Homine. In quo loco piissimus Augustus Marcianus, una cum uxore sua Augusta Pulcheria, deposita regia majestate, fidem suam exposuerunt ante conspectum Sanctorum Episcoporum. Ubi & damnaverunt Eutychem, Nestorium, (10) & Dioscorum. Et iterum fidem suam Imperator Marcianus Augustus cum conjuge sua Pulcheria Augusta chirographo proprio fidem suam exponentes, postulaverunt Sanctum Concilium, ut dirigerent ad Beatissimum Papam Leonem (11) rogantes, ut fidem Catholicam exponeret. Beatus vero Leo direxit fidei Catholicæ tomum & exposuit, damnans omnes hæreses: iterum multas epistolas fidei misit Beatissimus Leo Archiepiscopis, quæ hodie reconditæ in archivo tenentur. Hic firmavit frequenter suis epistolis Synodum Chalcedonensem. Ad Marcianum Augustum epistolas duodecim, ad Leonem Augustum epistolas 13. (12) ad Flavianum Episcopum epistolas octo, (13) Episcopis per Orientem epistolas decem & octo, per quas fidem confirmavit Synodi.

Hic renovavit post cladem Vandalicam omnia ministeria (14) sacrata argentea per omnes titulos conflata, hydrias sex, (15) duas Basilicæ Constantinianæ, duas Basilicæ B. Petri Apostoli, duas Basilicæ B. Pauli Apostoli: (16) quas Constantinus Augustus obtulerat, quæ pensaverunt singulæ libras centum. Quæ omnia vasa renovavit sacrata. Hic fecit cameram Basilicæ Constantinianæ, & aliam cameram Basilicæ Beati Petri ornavit, & Basilicam Beati Pauli Apostoli renovavit, fecit autem & Basilicam Beato Cornelio Episcopo, & martyri juxta cœmeterium Calixti, via Appia. Hic propter nomen Romanum suscipiens legationem ambulavit ad Regem Unnorum, nomine Athilam, & liberavit totam Italiam à periculo hostium. Hic constituit monasterium apud B. Petrum Apostolum, (17) quæ nuncupatur Sanctorum Joannis, & Pauli. Hic constituit, ut Monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate sexaginta annorum. Hic constituit super sepulcra Apostolorum custodes, qui dicuntur cubicularii ex clero Romano. Hic fecit ordinationes quatuor in urbe Roma per mensem Decembris, Presbyteros octuaginta & unum, Diaconos unum & triginta, Episcopos (18) per diversa loca numero centum octuaginta quinque. Qui etiam sepultus est apud Basilicam Beati Petri Apostoli 3. idus Aprilis; (19) & cessavit Episcopatus dies 7.

XLVII. S. HILARUS.(*)

ANNO CHRISTI 461.

LEONIS 5. SEVERI 1.

HIlarus, natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annis sex, (1) mensibus 3. diebus 10. Hic fecit decretalem, & per universalem

(38) B. Episcopis in diversis locis LIII.
A. *verba* & hujus temporibus *usque ad illa*, qui etiam sepultus est *non legit*.

(39) C. *habet ad marginem hanc lectionem variam*. Fecit autem Monasterium in Catacumbas. Fecit ad Fontem Baptisterii ad S. Mariam, & Columpnis Porphyreticis exornavit. Hic constituit Columpnas in Baptisterio Basil. Constantinianæ, quæ à tempore Constantini Aug. fuerant congregatæ ex metallo Porphyretico num. VIII., quas erexit cum epistiliis suis, & versibus exornavit.

LEO.

(1) C. natione Romanus.
(2) A. ex patre Quintiniano.
(3) A. B., & C. dies XIII.
(4) A. Milliario III., *& ita in* B., & C.
(5) A., & D. duas hæreses per quosdam Episcopos, & ordinavit &c. B. duas hæreses Eutichianam, & Nestorianam, & ordinavit &c.
(6) A. B., & C. in Calcedonia.
(7) B., & C. cucurrit 408. Episcoporum &c.
(8) A. congregatum Concilium MCC. Epis., *& ita in* B., & C.
(9) *Verba*, & Apostolicam *desunt in* A. B., & C.
(10) A. damnaverunt Eutycium, & Nestorium, & iterum &c. B. Eutycium, & Nestorium. Fidem suam Imperator &c. G. Eutychem, & Nestorium. Et iterum &c.
(11) A. Papam Leonem damnantes omnes hæreses, *& ita in* B. C., & D.
(12) B. Epistolas duodecim.
(13) A., & B. Epistolas novem.
(14) A. Omnia ministeria sua. Cratera argentea &c.
(15) B., & C. Hydrias sex argenteas.
(16) A. Pauli Apost. renovavit, *sequentia usque ad* Hic fecit Ordinationes, *desunt*.
(17) B. hoc quoque constituit, ut intra actionem Sacrificii diceretur S. Sacrificium. Hic etiam constituit ut Monachæ non acciperent benedictionem velaminis capitis, nisi fuerint in virginitate quadraginta annorum, *& ita in* C.
(18) B. Episcopos CLXXXII.
C. Episcopos CLXXXVI.
(19) B. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum. A. sepultus est apud Beatum Petrum Apostolum. C. apud S. Petrum Apost. IV. Idus Aprilis.

(*) HILARIUS. *in* A. B. & C.
(1) C. sedit annos septem.

Digitized by Google

versum Orientem sparsit Epistolas de fide Catholica, & Apostolica, (2) confirmans tres Synodos Nicenam, Ephesinam, & Calcedonensem, vel tomum S. Archiepiscopi Leonis, & damnavit Eutychem, & Nestorium, (3) & Dioscorum, vel omnes sequaces eorum, & omnes hæreses, & confirmans auctoritatem, (4) & principatum Sanctæ Sedis Apostolicæ. Hic fecit constitutum de Ecclesia in Basilica ad Sanctam Dei Genitricem Virginem Mariam (5) consulatu Basilisci, & Hermenerichi, 16. calendas Decembris.

Hic fecit oratoria tria in baptisterio Basilicæ Constantinianæ, S. Joannis Baptistæ, & S. Joannis Evangelistæ, & S. Crucis, omnia ex argento, & lapidibus pretiosis. Confessionem Sancti Joannis Baptistæ fecit ex argento, quæ pensabat libras centum, & crucem auream. Et confessionem S. Joannis Evangelistæ fecit ex argento, quæ pensabat libras 100. & crucem auream: & in ambobus oratoriis januas æreas, & argento clusas. In oratorio S. Crucis fecit confessionem, ubi lignum (6) Dominicum posuit, cum cruce aurea, cum gemmis, quæ pensabat pondus librarum 20. Fecit ex argento purissimo in confessione januas, (7) pensantes pondus librarum 50. Supra confessionem aureum arcum, qui pensabat libras 4. quem portant columnæ Onychinæ, ubi stat agnus aureus, pens. libras duas. Coronam (8) auream ante confessionem. Pharos cum delphinis, quæ pens. libras quinque. Lampadas aureas (9) numero quatuor, pensantes libras duas. Nymphæum, & triporticum ante oratorium S. Crucis, ubi sunt columnæ miræ (10) magnitudinis, quæ dicuntur hecaton, penta. Lacus, & conchas triantas 2. cum columnis porphyreticis ragiatis, (11) foratis aquam fundentes, & in medio lacum porphyreticum cum concha (12) assirta in medio aquam fundentem, circundatam à dextris, vel sinistris. In medio cancellis æreis, & columnis cum fastigiis, & epistyliis undique ornatum ex musivo, & columnis Aquitanicis, & tripolitis, & porphyreticis. Ante confessionem Beati Joannis coronam argenteam, pens. lib. viginti. Pharumcantharum, (13) pensan. libras viginti quinque.

Item ad Sanctum Joannem intra Sanctum fontem lucernam auream cum nixis luminum decem, pensantem libras quinque. (14) Cervos argenteos tres fundentes aquam, pensantes sing. libr. triginta. Turrem argenteam cum delphinis, pens. libras sexaginta. Columbam (*) auream, pensan. libras 2. In Basilicam Constantinianam pharacanthara argentea, quæ pendent ante altare (15) decem, pensan. singula libras viginti. Scyphum aureum, pensan. libras sex. (16) Calices aureos, pensan. singuli libr. 1. Scyphos argenteos duos, (17) pensan. singuli libras decem. Alium scyphum aureum, pensan. libr. quinque. Calices ministeriales argenteos (18) viginti, pensan. singuli lib. 2. Amas argenteas quinque, (19) pensantes libras decem. Ad Beatum Petrum Apostolum, scyphum aureum, pensan. libras quindecim, (20) alium scyphum aureum cum gemmis prasinis, & hiacynthinis, pensan. libr. quatuor. Calices argenteos ministeriales decem, pensan. sing. lib. 2. Amas argenteas duas, pensan. sing. libras octo. Pharacanthara argentea viginti quatuor, pensan. singula libras quinque. Ad Beatum Paulum Apostolum scyphum aureum, pensan. libras (21) quinque. Scyphos argenteos quatuor, pensan. sing. libras sex. (22) Calices ministeriales argenteos decem, pensantes sing. libras septem. Amas argenteas duas, (23) pensantes sing. libras decem. Ad Beatum Laurentium martyrem scyphum aureum cum gemmis prasinis, & hiacynthinis, pensan. libras quatuor. Lucernam auream nixorum decem, pensan. lib. quinque. Scyphum aureum purissimum, pensan. libr quinque. (24) Lampadas aureas duas, pensan. sing. libr. 1. (25) Pharamcantharam auream, pensan. lib. 2. Turrem argenteam (26) cum delphinis, pensan. libras viginti quinque. Scyphos argenteos tres, (27) pensantes sing. libras triginta quatuor. Calices argenteos ministeriales (28) duodecim, pens. sing. lib. 2. Altare argenteum, pensan. libr. quadraginta. Lampadas argenteas decem, (29) pensan. libr. 2. Amas argenteas duas, pensantes (30) libras decem In Basilica Beati Laurentii martyris pharacanthara argentea decem, pensantia singula (31) libras decem, canthara ærea 26. Ministeria

(2) *verba* & Apostolica *desunt in* A., & B.
(3) A. & damnavit Euticium, & Nestorium, vel omnes sequaces &c. B. Eutichem, & Nestorium, & omnes sequaces.
(4) A., & B. confirmans dominationem, & Principatum.
(5) A. in Basilica ad S. Mariam Consulatu &c. B., & C. ad Sanctam Mariam fuit autem à Consulatu Basilici &c.
(6) A. lignum posuit Domini. Crucem auream cum gemmis &c. B., & C. posuit lignum Dominicum in Cruce aurea cum gemmis &c.
(7) B., & C. fecit januas argenteas &c. pens sing. lib. XX.
(8) B. fecit & argenteam coronam ante confessionem pensantem lib. X. farum argenteum &c. C. fecit coronam auream ante confessionem pens. lib. X. farum argenteum &c.
(9) B. lampadas aureas II. pens. sing. lib. IV., *& ita in* C.
(10) A. columnæ Ecaton pentalaicas, & concas striatas duas &c. B., & C. columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur Ecaton, fecit & pentalaicas, & concas castriatas duas &c. D. columnæ Ecaton pentalacias &c.
(11) A. rajatas aquam fundentes. B., & C. columnas Porphyreticas aquam fundentes circumdatis à dextris, & à sinistris cancellis cereis, & columnis &c.
(12) A. lacum porphyreticum cum carajata in medio &c. D. cum conca usata in medio.
(13) B., & C. farum cantharum argenteum &c.
(14) B. luminum X. pens. lib. X.
(*) B., & C. Columpnam.
(15) B., & C. ante altare pens. sing. lib. X.
(16) A. alium scyphum aureum pens. lib. V. calices aureos V. pens. sing. lib. singulas.
(17) A. scyphos argenteos V. pens. sing. lib. X. B., & C. scyphos argenteos IV. pens. sing. lib. VI. scyphos aureos duos pens. sing. lib. VI.
(18) A. calices minist. XX. pens. lib. II. B., & C. calices minist. argenteos X. pens. &c.
(19) A. amas arg. V. pens. sing. lib. X. B., & C. amas arg. II. pens. sing. &c.
(20) A. B., & C. lib. V.
(21) A. pens. lib. V. alium scyphum aureum pens. lib. V. B., & C. pens. lib. V. alium scyphum aureum cum gemmis pens. lib. V.
(22) A. pens. sing. lib. V. calices ministeriales X. pens. sing. libras duas. B. calices ministeriales X. pens. sing. lib. VI. C. calices ministeriales X. pens. sing. lib. XI.
(23) B. amas argenteas V.
(24) B., & C. scyphum aureum puriss. pens. lib. X.
(25) A. pens. lib. sing. B., & C. pens. sing. lib. XV.
(26) A. Turrem argenteam &c. pens. lib. V. B., & C. turrem auream &c. pens. lib. V.
(27) B. argenteos IV. pens. lib. XXIV., *& ita in* C. A. argenteos III. pens. lib. XXIV.
(28) A. calices minist. XII. pens. libras II.
(29) A. lampadas arg. X. pens. lib. XX. B., & C. lampadas arg. X. pens. singulas lib. XX.
(30) A. B., & C. pens. singulæ lib. X.
(31) A. = singula *deest*.

Digitized by Google

ria ad baptismum argentea, libras decem. Phara ærea, libras (32) quinquaginta. (33)

In urbe Roma constituit ministeriales, qui circuirent constitutas stationes. Scyphum aureum ansatum, (34) pensantem libras octo. Scyphos argenteos per titulos (35) viginti quinque, pensan. sing. lib. decem. Amas argenteas viginti quinque, pensan. singulæ libras decem. Calices argenteos ministeriales (36) quinquaginta, pensantes sing. libr. duas. Hæc omnia in Basilica Constantiniana, vel ad Sanctam Mariam constituta recondidit. Hic fecit monasteria ad Sanctum Laurentium, & Balneum, & Prætorium Sancti Stephani. Fecit autem oratorium Sancti Stephani in baptisterio Lateranensi. Fecit autem & bibliothecas duas in eodem loco. Item monasterium intra Urbem ad Lunam. Hic fecit ordinationem (37) in Urbe per mensem Decembris, Presbyteros viginti quinque, Diaconos sex, (38) Episcopos per diversa loca viginti duos. Qui etiam sepultus est ad Sanctum Laurentium in crypta juxta corpus Beati Episcopi Sixti; & cessavit Episcopatus per dies decem. (39)

XLVIII. S. SIMPLICIUS.

ANNO CHRISTI 467.

LEONIS 2. ANTEMII 1.

Simplicius, natione Tiburtinus, ex patre Castino, (1) sedit annos quindecim, dies septem. (2) Hic dedicavit Basilicam S. Stephani in Cælio monte in urbe Roma, & Basilicam Beati Andreæ Apostoli juxta Basilicam Sanctæ Mariæ, & aliam Basilicam Sancti Stephani juxta Basilicam Sancti Laurentii, & aliam Basilicam intra Urbem juxta Palatium Licinianum Beatæ martyris Bibianæ, ubi corpus ejus requiescit. Hic constituit ad Sanctum Petrum Apostolum, & ad Sanctum Paulum Apostolum, & ad Sanctum Laurentium martyrem hebdomadam, (*) ut Presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & baptismum. Regionem tertiam ad Sanctum Laurentium, Regionem primam ad Sanctum Paulum, Regionem sextam, vel septimam ad Sanctum Petrum. Sub hujus Episcopatu venit relatio de Græcia ab Acacio Constantinopolitano Episcopo, & affirmavit Petrum Alexandrinæ urbis Eutychianistam hæreticum, facta petitione ab Acacio Episcopo chirographo ejus constructa. Eodem tempore fuit Ecclesia prima, hoc est, (3) Sedis Apostolicæ executrix. Tunc Simplicius Episcopus præsul hoc audiens damnavit Petrum Alexandrinum, eo quod (4) Acacius innumerabilia crimina affirmabat, ita tamen, ut pœnitentiæ reservaret tempus. Eodem tempore rescripsit Timotheus Catholicus, & Acacius, dicentes, quod etiam in morte Proterii Catholici Petrus esset permixtus. Tunc Archiepiscopus Simplicius dissimulans, nunquam rescripsit Acacio, sed damnavit Petrum expectans tempus pœnitentiæ. Hic fecit in Ecclesia Romana scyphum aureum, pensantem libr. quinque. Canthara argentea ad Beatum Petrum Apostolum sexdecim, pensan. sing. libras duodecim. Hic fecit ordinationes tres in urbe Roma per mensem Decembrem, & Februarium, Presbyteros quinquaginta (5) novem, Diaconos undecim, Episcopos per diversa loca septem & triginta. Hic sepultus est in Basilica Peati Petri Apostoli 6. nonas Martii, (6) & cessavit Episcopatus dies sex. (7)

XLIX. S. FELIX III.

ANNO CHRISTI 476.

ZENONIS IMP. 10. ODOACRIS REG. 8.

Felix tertius, (1) natione Romanus, ex patre Felice Presbytero, de titulo Fasciolæ, sedit annos octo, menses undecim, dies viginti tres. (2) Hic fuit temporibus Odoacris Regis usque ad tempora Theodorici. Hic fecit Basilicam Sancti Agapiti juxta Basilicam Sancti Laurentii martyris. Sub hujus Episcopatu iterum venit relatio de Græcia Petrum Alexandrinum revocatum ab Acacio Episcopo Constantinopolitano. Tunc venerabilis Felix Archiepiscopus Sedis Apostolicæ urbis Romæ mittens defensorem cum consilio Sedis suæ, facto concilio damnavit Acacium Constantinopolitanum, & Petrum Alexandrinum. Post annos tres iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, ut pœnitens rediret Acacius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos Mesenum, (3) & Vitalem, ut

(32) A., & B. τ libras *deest*.
(33) B. *post* quinquaginta *habet*, fecit quoque particulos XXV. scyphos pensantes sing. lib. X. scyphum aureum pens. lib. VIII., *&* *etiam* *in* C.
(34) A. scyphum aureum asatum. B., & C. scyphum autem stationarium pens. &c.
(35) A. scyphos per titulos XXV. pens. lib. X. Amas argenteas &c. *non leguntur*.
B. scyphos argenteos per titulos pens. sing. lib. X., *& ita in* C.
(36) A. calices ministeriales L. pens. sing. lib. II., quæ ad Sanctam Mariam constituta recondit.
D. calices ministriales argenteos L. pens. sing. lib. II., quod ad Sanctam Mariam constituta recondit &c.
B., & C. calices ministriales L. pens. sing. lib. IV., quæ ad S. Mariam recondi jussit, & constituit in urbe ministriales, qui circumirent constitutas Ecclesias, & Stationes. Fecit quoque Oratorium S. Stephani in Baptisterio Lateranensi, fecit autem & Bibliothecas duas in eodem. Item fecit Monasterium intra urbem ad Lunam.
(37) A. Hic fecit Ordinationes in urbe Roma &c.
B. Hic fecit Ordinationes in urbe Roma mens. Decembris, & Februarii.
C. Hic fecit Ordinationes duas &c.
(38) C. Diaconos V.
(39) A. die I.

SIMPLICIUS.

(1) B. ex patre Castorio.
(2) A. sedit annis XV. mensem unum &c., *& ita in* B., & C.
(*) B., & C. hebdomadas.
(3) A. eodem tempore fuit Ecclesia, hoc est prima Sedes Apostolica executrix. B., & C. eodem tempore fuit Ecclesia Romana, hoc est prima Sedes Apostolica executrix.
(4) A., & B. Petrum Alexandrinum, de quo Acacius.
(5) A. Presbyteros XVIII. Episcopos per diversa loca XXXVI.
B. Presbyteros LVIII. Episcopos per diversa loca LXXXVIII. Diaconos XI., *& ita in* C. *præter pro* Episcopos &c. LXXXVIII. *legit*. LXXXVI.
(6) A. V. Nonas Martii.
(7) C. dies XXVI.

FELIX.

(1) τ tertius *deest in* A. B., & C.
(2) A. B., & C. dies XVII.
(3) B. misit duos Episcopos, Messenum & Vitalem, ut si invenerint complicem Petrum, Acacium iterum damnarent eos, si non afferrent libellum pœnitentiæ, qui dum &c.

Digitized by Google

ut si invenirent complicem Petri Acacium, damnarent eos. Qui dum introissent in civitatem Heracleam, corrupti sunt pecunia, data supraſcriptis Episcopis, & non fecerunt secundùm præceptum Sedis Apostolicæ. Venientibus vero Romam ad Sedem Apostolicam eodem tempore venerabilis Felix Papa fecit Synodum, (4) & operata est discussio, & invenit indicium ambos (5) Episcopos, idest, Mesenum, & Vitalem reos, & corruptos pecunia, & ejecit (6) Mesenum, & Vitalem Episcopos a communione. Tunc Mesenus Episcopus non se tacuit corruptum pecunia (7). Hoc factum est tempore Odoacri Regis. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per mensem Decembrem, Presbyteros viginti octo, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca numero triginta & unum. (8) Hic sepultus est in Basilica Beati Pauli Apostoli, & cessavit Episcopatus dies quinque. Et post transitum ejus factum est à Presbyteris, & Diaconibus constitutum de omni Ecclesia, ut nullus aliquando in ea causa præsumeret se festinum ostendere de ea re, quæ aliquando ad requisitionem pervenire debet. (9)

L. S. GELASIUS.

ANNO CHRISTI 482.

ANASTASII IMP. 1. ODOACRIS REG. 16.

Gelasius, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos quatuor, menses octo, (1) dies novem. Fuit autem temporibus Theodorici Regis, & Zenonis Augusti. Hujus temporibus inventa est Ecclesia Sancti Angeli in Monte Gargano. (2) Hujus temporibus inventi sunt Manichæi in urbe Roma, quos exilio deportari præcepit. Quorum codices ante fores Basilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremavit. Hic sub gestam Synodicam revocavit Mesenum Episcopum ad communionem, & restituit eum Ecclesiæ suæ sub satisfactione libelli, & purgatus est receptus. Hic fuit amator cleri, & pauperum, & clerum ampliavit. Hic liberavit à periculo, & fame civitatem Romanam. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia. Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, (3) eo quod multa mala, & homicidia fierent à Petro, & Acacio. (4) Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus (5) venit Romam ad Sedem Apostolicam. (6) Ipsis temporibus Beatus Gelasius suscepit Joannem, & iterum misit, & damnavit in perpetuum Acacium, & Petrum, si non pœniterent. Tamen expectans Sedis Apostolicæ satisfactionem secundum humanitatem primæ Sedis Ecclesiæ. Hic dedicavit Basilicam Sanctæ Euphemiæ martyris in civitate Tiburtina milliario vigesimo ab urbe Roma. Dedicavit autem & Basilicam Sanctorum Nicandri, & Eleutherii (7) via Lavicana in fundum Villa pertusa; & aliam Basilicam Sanctæ Mariæ via Laurentina in fundum Crispini milliario ab urbe Roma vigesimo. Sub hujus Episcopatu clerus crevit. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per menses (8) Februarii, & Decembris, Presbyteros triginta duos, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca numero sexaginta septem. Qui etiam sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli II. calendas Decembris. Hic fecit tractatus, & hymnos, (9) sicut Beatus Ambrosius Episcopus, & libros (10) adversus Eutychen, & Nestorium, qui hodie in Bibliotheca, (11) & Ecclesiæ Archivo reconditi tenentur, (12) & post obitum ejus cessavit Episcopatus dies octo. (13)

LI. S. ANASTASIUS.

ANNO CHRISTI 497.

ANASTASII IMP. 7. THEODORICI R. 5.

Anastasius, natione Romanus, ex patre Petro, de regione Quinta Tauma caput tauri, sedit annum unum menses undecim (1) dies viginti quatuor. Hic fuit temporibus Theodorici Regis. Hic fecit (2) confessionem Beati Laurentii martyris ex argento, quæ pensabat libras centum. Eodem tempore multi Clerici, & Presbyteri se a communione ipsius erexerunt, (3) eo quod communicasset sine consilio Episcoporum, (4) vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, Diacono Thessalonicensi nomine Fotino, qui communis erat Acacio, & quia voluit occulte revocare Acacium, non potuit, qui nutu divino percussus est. Hic fecit ordinationem

(4) B., & C. venientibus illis Romam præfatus Papa Synodum fecit, & facta est discussio, & invenit Episcopos &c.
(5) A., & D. & invenit judicium ambos.
(6) A. & segregavit Mesenum &c.
(7) B. tunc Messenus Episcopus non reticuit corruptum se pecunia, cui concilium concessit tempus pœnitentiæ &c., *& ita in* C.
(8) B., & C. Episcopos per diversa loca XXX.
(9) *verba* ut nullus *usque ad finem non leguntur in* A. B., & C.

GELASIUS.

(1) A. mens. VII. dies XVIII. B. dies XVIII. C. mens. VIII. dies XVII.
(2) *verba* hujus temp. inventa est &c. *usque ad illa* hujus temp. inventi sunt &c. *desunt in* A. B., & C.
(3) C. venit relatio de Ecclesia Græciæ, quod &c.
(4) B. & Acacio Constantinopolim, eodem &c.
(5) B., & C. Jo. Alexandrinus Episcopus Catholicus venit &c.
(6) B. Apostolicam, quem B. Gelasius suscepit cum gloria, cui etiam & Sedem secundam præbuit. Ipsis temporibus fecit Synodum, & misit per tractum Orientis, & iterum misit, & damnavit in perpetuum Acacium & Petrum, si non pœniterent sub satisfactione libelli, & postularent pœnitentiam.
C. quem B. Gelasius benignè suscepit: iterum misit præfatus Papa, & damnavit in perpetuum Acacium & Petrum, si non pœniterent, expectabat enim Sedes Apostolica satisfactionem eorum secundùm &c.
(7) B. Eleutherii, & Andreæ in via lavicana in villa Perensa.
C. Eleutherii via lavicana in territorio ab urbe villa Pertusa.
(8) C. per menses Januarii, & Decembris.
(9) B. fecit & hymnos in modum S. Ambrosii, & fecit quinque libros adversùs Nestorium & Eutichem.
(10) C. libros quinque adversùs &c.
(11) C. Qui hodie Bibliothecæ Ecclesiæ Archivo &c. D. Qui hodie Bibliotheca dicitur.
(12) B., & C. Item duos libros adversùs Arium. Fecit etiam & Sacramentorum præfationes, & orationes cauto sermone, & Epistolas fidei delimato sermone multas, & post obitum &c.
(13) Dies VII. *in* A. B., & C.

ANASTASIUS.

(1) C mens. X.
(2) Hic ornavit confessionem.
(3) A. ipsius eruerunt. B. alienaverunt. C. subtraxerunt. D. eregerunt.
(4) B. vel Presbyterorum, vel Diaconorum &c.

Digitized by Google

tionem unam in urbe Roma, per mensem Decembrem, Presbyteros duodecim, Episcopos per diversa loca sexdecim. Qui sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli 13. Calendas Decembris, & cessavit Episcopatus dies quatuor.

LII. S. SYMMACHUS.

ANNO CHRISTI 498.

ANASTASII IMP. 8. THEODOR. R. 6.

SYmmachus, natione Romanus, (1) ex patre Fortunato, sedit annos 15. menses octo, (2) dies 26. Hic fuit temporibus Theodorici Regis, & Anastasii Augusti a die 10. Calendarum (3) Decembriarum, usque in diem 14. Calendarum Augustarum. Hic sub contentione ordinatus est uno die cum Laurentio. Symmachus in Basilica Constantiniana, Laurentius vero in Basilica Beatæ Mariæ. Ex qua causa separatus est Clerus, & divisus est & Senatus. Alii cum Symmacho, alii vero cum Laurentio. Et facta contentione (4) hoc constituerunt partes, ut ambo ad Ravennam pergeret, ad judicium Regis Theodorici, qui dum ambo introissent in Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt: Ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in Sede Apostolica. Quod tandem æquitas (5) in Symmacho invenit, cognitionem veritatis. Et factus est Præsul Symmachus.

Eodem tempore Papa Symmachus congregavit Synodum, & constituit Laurentium in Nuceriam civitatem Episcopum, intuitu misericordiæ. Post annos vero 4. zelo ducti aliqui ex Clero, & alii ex Senatu, maximè Festus, & Probinus, incriminarunt Symmachum, & subornaverunt testes falsos, quos miserunt Ravennam ad Regem Theodoricum, accusantes Beatum Symmachum, & occulte revocaverunt Laurentium, post libellum Romæ factum, & fecerunt schisma, & divisus est iterum Clerus. Et alii communicabant Symmacho, alii Laurentio. Tunc Festus, & Probinus Senatores miserunt relationem Regi, & cœperunt agere, (6) ut Visitatorem daret Rex Sedis Apostolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Alticinæ (7) civitatis Episcopum, quod canones prohibebant. Eodem tempore Beatus Symmachus congregavit Episcopos centum & quindecim, & facta Synodo, purgatur a crimine falso. Et damnatur Petrus Altinus (8) invasor Sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus, quia (9) vivo Episcopo Symmacho pervaserunt Sedem ejus. Tunc ab omnibus Episcopis, & Presbyteris, & Diaconibus, & omni Clero, vel plebe reintegratur (10) Sedi Apostolicæ Beatus Symmachus, ut cum gloria apud Beatum Petrum (11) sederet Præsul.

Eodem tempore Festus caput Senatus exconsul, & Probinus exconsul cœperunt intra urbem Romam pugnare cum aliis Senatoribus, & maximè cum Fausto exconsule, & cædes, & homicidia (12) in Clero ex invidia fiebant. Qui vero communicabant Beato Symmacho (13) juste, publice qui inventi fuissent intra Urbem gladio occidebantur. Etiam & sanctimoniales mulieres, & virgines deponentes de monasteriis, vel de habitaculis suis, denudantes sexum fœmineum cædibus plagarum afflictas vulnerabant, & omni die pugnas contra Ecclesiam in medio civitatis gerebant. Etiam multos Sacerdotes occiderunt, inter quos Dignissimum & Gordianum Presbyteros ad vincula Sancti Petri Apostoli, & ad Sanctos Joannem & Paulum, quos fustibus, & gladio interfecerunt, & multos alios Christianos, ita ut nulli esset securitas die, vel nocte de Clero in civitate ambulare. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. Post hæc omnia Beatus Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra, vel codices ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremavit, & eos ipsos exilio relegavit. Fuit autem à consulatu Paulini, usque ad consulatum Senatoris. (14)

Hic fecit Basilicam Sancti Andreæ Apostoli apud Beatum Petrum Apostolum, ubi fecit tigurium (15) ex argento, & confessionem, pensan. libras centum & viginti. Arcus argenteos tres, pensan. sing. (16) libr. sexaginta. Oratorium Sancti Thomæ Apostoli ex argento, pensan. libr. 300. In confessione libr. viginti. (17) Arcum argenteum, pens. libr. sexdecim. Confessionem Sancti Cassiani, & Sanctorum Prothi, & Hyacinthi ex argento (18) pensan. libras viginti. Arcum argenteum, pens. lib. 12. Oratorium Sancti Apollinaris ex argento, & confessionem cum arcu ex argento, pens. libr. triginta (19). Oratorium Sancti Sosii ex argento in confessione, pens. libr. viginti. Item ad fontem in Basilica Beati Petri Apostoli, oratorium Sanctæ Crucis ex argento, confessionem, & crucem ex auro cum gemmis, ubi inclusit lignum Dominicum, ipsa crux aurea pensan. libr. decem. Fecit autem oratoria duo Sancti Joannis Baptistæ, & Sancti Joannis Evangelistæ, in quorum confessione arcus argenteos posuit, pensan. libr. triginta. Quæ cubicula omnia a fundamento perfecta construxit. Basilicam vero Beati Petri marmoribus ornavit. Et cantharum Beati Petri cum quadriporticu marmori-

SYMMACHUS.

(1) A. natione Sardus, *& ita in* B., & C.
(2) A., & C. mens. VI. dies XXVII. B. mens. VII. dies XXVII.
(3) A. à die Kal. Aug. Hic sub intentione ordinatus est &c. B. à die X. Kal. Aug. Hic sub contentione.
(4) A. & facta intentione hoc &c.
(5) A. quod tamen æquitas &c.
(6) A. & cœperunt agere ut pastorem daret.
(7) A. Petrum Altinæ, *& ita in* B., & C.
(8) A. Petrus Altinas. C. Petrus Altinensis.
(9) C. quia invito eo invaserunt Sedem &c.
(10) C. reintegratur Symmachus cum gloria apud B. Petrum in Sede propria.
(11) B. apud B. Petrum sederet Præsul in Sede Papa.
(12) A. & homicidia in Clero, & invidia. Qui verò &c. B., & C. in Clero ex invidia exercere.
(13) B., & C. Symmacho privatim, vel publicè &c.
(14) B., & C. Consulatum Senioris.
(15) A. Fecit tiburium ex argento &c. B., & C. ciborium &c.
(16) *sing. deest in* A. B., & C. D. LXII.
(17) A. ex argento pens. in confess. lib. XX. B., & C. ex argento, & confessionem pensan. lib. XX.
(18) B., & C. ex argento ornavit pensantem lib. XXX.
(19) B., & C. pens. lib. XXXI. B., & C. Oratorium Sanctæ Crucis ex argento, & confessionem pens. lib. XX., & Crucem &c. ubi inclusit lignum S. Crucis pens. lib. X.

Digitized by Google

moribus ornavit, & ex muſivo agnos, & cruces, & palmas ornavit. Ipſum verò atrium omne (20) compaginavit. Gradus vero ante fores Baſilicæ Beati Petri ampliavit. Et alios gradus conſtruxit, ſub (*) tigno dextra, lævaque. Item in eodem loco epiſcopia dextra, lævaque fecit. Item ſub gradus in atrio alium cantharum foris in vulgo (21) campi poſuit, & ad uſum neceſſitatis humanæ fecit. Item & alios gradus aſcendentibus ad Beatum Andream fecit, & cantharum poſuit. Hic fecit Baſilicam Sanctæ martyris Agathæ via Aurelia in fundum Lardarum, (22) & à fundamento cum fonte conſtruxit, ubi poſuit arcus argenteos duos. Eodem tempore fecit Baſilicam Sancti Pancratii, ubi & fecit arcum argenteum, qui penſabat libr. quindecim. Fecit autem in eodem loco balneum. Item apud Beatum Apoſtolum Paulum, in Baſilica renovavit abſidam, quæ in ruinam imminebat, & poſt confeſſionem pictura ornavit. (23) Et cameram fecit, & matroneum, & ſuper confeſsionem imaginem argenteam cum Salvatore, & duodecim Apoſtolos poſuit, qui penſabant libras centum viginti; & ante fores Baſilicæ gradus fecit in atrio, & cantharum; & poſt abſidam aquam introduxit, ubi & balneum a fundamento fecit.

Intra civitatem Romanam Baſilicam Sanctorum Silveſtri, & Martini a fundamento conſtruxit juxta Thermas Trajanas, ubi & ſuper altare (24) tigurium argenteum fecit, penſan. libr. 120. arcus argenteos (25) 12. qui penſabant ſinguli libr. decem. Confeſſionem argenteam, quæ penſan. libr. 15. (26) Ad B. Joannem & Paulum fecit gradus poſt abſidam. Item ad Archangelum Michaelem Baſilicam ampliavit, & gradus fecit, & introduxit aquam. Item ad Sanctam Mariam. Oratorium Sanctorum Coſmæ & Damiani a fundamento conſtruxit. Item in via Tiburtina (27) milliario vigeſimo ſeptimo ab urbe Roma, rogatus ab Alvino & Glafira (28) illuſtribus de proprio facientibus a fundamento Baſilicam Beato Petro in fundum Pacinianum dedicavit. Item ad Beatum Petrum, & Beatum Paulum Apoſtolos, & ad Sanctum Laurentium martyrem pauperibus habitacula conſtruxit. Item ad Beatum Petrum viginti canthara argentea fecit, penſan. ſingula libras quindecim, & arcus (29) 22. penſan. ſing. libr. viginti. Hic reparavit Baſilicam Sanctæ Felicitatis, quæ jam in ruinam imminebat. Hic abſidam Beatæ Agnetis, quæ in ruinam imminebat, & omnem Baſilicam renovavit.

Hic conſtituit ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum Hymnus diceretur angelicus, ideſt, *Gloria in excelſis Deo*. Hic fecit cœmeterium Jordanorum in melius propter corpus Sancti Alexandri. Hic omni anno per Africam, vel Sardiniam ad Epiſcopos, qui in exilio erant retruſi, pecuniam, & veſtes miniſtrabat. Hic captivos per Liguriam, & per Mediolanum, & per diverſas provincias pecunia redemit, & dona multiplicavit, & dimiſit. Hic fecit ordinationes quatuor in urbe Roma per menſes Decembrem & Februarium, Presbyteros nonaginta duos, Diaconos ſexdecim, Epiſcopos per diverſa loca centum & ſeptem. (30) Qui etiam ſepultus eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, & ceſſavit Epiſcopatus dies ſeptem, qui etiam in pace confeſſor quievit. (31)

LIII. S. HORMISDA.

ANNO CHRISTI 514.

ANASTASII 24. THEODOR. 22.

HOrmiſda, natione Campanus, ex patre Juſto (1) de civitate Friſilone, ſedit annos 8. (2) dies 17. Fuit autem temporibus Regis Theodorici, & Anaſtaſii Auguſti a conſulatu Senatoris, uſque ad conſulatum Symmachi, & Boëtii. Hic compoſuit clerum, & pſalmos (3) erudivit. Hic fecit Baſilicam in territorio Albanenſe in poſſeſsionem Fontis. (4) Eodem tempore ex conſtituto Synodi (5) miſit in Græciam, humanitatem oſtendens Sedis Apoſtolicæ, quia Græci obligati erant ſub vinculo anathematis propter Petrum Alexandrinum, & Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopos ſub Joanne Epiſcopo Conſtantinopolitano cum conſilio Regis Theodorici, direxit quoque Ennodium Epiſcopum Ticinenſem, (6) & Fortunatum Epiſcopum Catenenſem, & Venantium Presbyterum urbis Romæ, & Vitalem Diaconum Sedis Apoſtolicæ, & Hilarum Notarium (7) Sedis ſupraſcriptæ. Euntesque ad Anaſtaſium Auguſtum, nihil egerunt. Idem ſecundo miſit Ennodium ipſum, & Peregrinum Epiſcopum Mezenenſem, (8) portantes Epiſtolas confortatorias fidei, & conteſtationes ſecretas numero 19. & textum libelli, in quo libello noluit conſentire Auguſtus Anaſtaſius, quia & ipſe in hæreſim (9) Eutychianam communicaverat.

Voluit itaque eoſdem Legatos per remunerationem corrumpere. Legati vero Sedis Apoſtolicæ contempto Anaſtaſio Auguſto nullatenus conſenſerunt accipere pecunias, niſi ſatisfactionem Sedis Apoſtolicæ operaretur. Tunc Imperator repletus furia ejecit eos (10) per poſterulam, & impoſuit eos in navim periculoſam cum

(20) B, atrium omne marmoribus compaginavit, *& ita in* C.
(*) B., & C. ſub divo.
(21) A, cantharum foris in campo poſuit, *& ita in* C. B. foris in atrio poſuit.
(22) B. in fundum larvarium. C. lardarium.
(23) B. & poſt confeſſionem picturis ornavit cameras: fecit quoque & matronium &c., *& ita in* C.
(24) B, ubi & ſuper Altare ciborium fecit argenteum, *& ita in* C,
A, ubi & ſuper Altare in tygurium arg. fecit,
(25) B. & C. arcus arg. penſ. lib, X.
(26) *verba* confeſs. arg. quæ penſ. lib. XV, *deſunt in* C.
(27) A, via Trivana Mil. XXVII.
(28) D. Glaphyra populorum illuſtres de proprio facientem à fundamento &c.
A, Glaphyra populorum illuſtris de propria facientibus &c.
(29) A. & arcos arg. XXII. penſ. &c., *& ita in in omnibus*.

(30) per diverſa loca CXVII. *in omnibus*.
(31) A. quievit, depoſitus ſub die XIX. menſis Julii.

HORMISDA.

(1) D. ex patre Tuſco.
(2) A. ſedit annos IX. B. an. novem dies XVIII., *& ita in* C.
D. ſedit an. IX. &c.
(3) & pſalmis erudivit *in* A. B., & C.
(4) B. C., & D. poſſeſſionem Meſontis.
(5) B, & C. ex conſtituto Synodi cum conſilio Regis Theodorici miſit ad Græcias.
(6) A. direxit Ennodium Epiſcopum Cenenſem, & Fortunatum &c.
B., & C. direxit quoque Ennodium Epiſcopum Nemenſem &c.
(7) B. & Hillarium Notarium ſuum, *& ita in* C.
(8) B. Epiſcopum Meſonenſem, *& in margine legit.* Apullionem Archidiac. urbis portantes &c.
(9) A. B., & C. & ipſe in hæreſi Euthychiana communis erat.
(10) C. ejecit eos de urbe per poſterulam &c.

Digitized by Google

cum militibus, & Magiſtrianis, (11) & præfectianis, nomine Heliodorum, & Demetrium. Qui hoc dedit eis in mandatis Imperator Anaſtaſius, ut nullam civitatem ingrederentur. Legati vero Sedis Apoſtolicæ ſecretius ſupraſcriptas Epiſtolas fidei 19. per manus Monachorum Orthodoxorum (12) expoſuerunt per omnes civitates. Quas tamen Epiſtolas ab Epiſcopis civitatum, qui erant complices Anaſtaſii Auguſti timore (13) omnes eas Epiſtolas fidei pro crimine Conſtantinopolim direxerunt. Furore repletus Anaſtaſius Auguſtus contra Papam Hormiſdam inter alia ſacra ſua hoc ſcripſit dicens: Nos jubere volumus, non nobis juberi. Eodem tempore nutu divinitatis percuſſus eſt fulmine divino Anaſtaſius Imperator, & obiit. Sumpſit itaque Imperium Juſtinus Orthodoxus, & direxit auctoritatem ſuam ad Papam Hormiſdam Sedis Apoſtolicæ per (14) Gratum, & illuſtrem nomine, ſperans à Sede Apoſtolica, ut reintegraretur pax Eccleſiarum.

Tunc Hormiſda Epiſcopus cum conſilio Regis Theodorici direxit a Sede Apoſtolica Germanum Capuanum Epiſcopum, & Joannem, & Blandum Presbyteros, & Felicem, & Dioſcorum Diaconos Sedis Apoſtolicæ, & Petrum Notarium. (15) Quos monitos ex omni parte fidei, & textum libelli pœnitentiæ, qui venientes (16) juxta Conſtantinopolim, tanta gratia fidei refulſit, ut multitudo Monachorum orthodoxorum, & illuſtrium virorum maxima multitudo occurreret. In quibus & Juſtinus Imperator, & Vitalianus Conſul ſimul occurrerunt a Caſtello Rotundo, qui dicitur uſque in civitatem (17) Conſtantinopolim, cum gloria, & laudibus. Qui ingreſſi una cum Grato Illuſtri, ſuſcepti ſunt a Juſtino Auguſto orthodoxo cum gloria. Omnis itaque Clerus una cum Epiſcopo Joanne Conſtantinopolitano, gaviſus eſt, ſentientes eo quod gratanter ſuſcepti ſunt: etiam ſentientes & ii, qui erant complices Acacii, incluſerunt ſe in Eccleſia majori, quæ vocatur Sancta Sophia. Et conſilio facto mandaverunt Imperatori, dicentes: Niſi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus eſt Epiſcopus noſter Acacius, nullatenus conſentimus Sedi Apoſtolicæ. Hic Papa Hormiſda perrexit ad Regem Theodericum Ravennam, & cum ejus conſilio miſit auctoritatem ad Juſtinum Imperatorem, (18) & vinculum chirographi, & textum libelli, reintegravit ad unitatem Sedis Apoſtolicæ, damnantes Petrum & Acacium, vel omnes Hæreſes. Hic invenit Manichæos, quos etiam diſcuſſos cum examinatione plagarum exilio deportavit. Quorum codices ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ incendio concremavit. Hujus temporibus Epiſcopatus (19) in Africa poſt annos ſeptuaginta quatuor revocatus eſt, qui ab Hæreticis fuerat exterminatus.

Eodem tempore venit regnum (20) cum gemmis pretioſis à Rege Francorum Clodoveo Chriſtiano donum (21) Beato Petro Apoſtolo: ſub hujus Epiſcopatu multa vaſa aurea, vel argentea venerunt de Græcia, & Evangelia cum Tabulis aureis, cum gemmis pretioſis, quæ penſan. libr. 15. Patenam auream cum hiacynthis, quæ penſan. libr. 25. (22) Scyphum aureum cum gemmis, penſan. libr. octo, Scyphum aureum circundatum regno, (*) penſ. lib. octo. Scyphos argen. tres (*) deauratos, penſ. ſing. libr. quinque. Patenas argenteas duas, penſan. libr. viginti quinque. Gabata electrina, (23) penſan. libr. 2. Thecas Cyrei (24) aureas duas, penſan. ſing. libr. ſex. Pallia (25) olobera blattea cum tabulis aureo tectis (26) de chlamyde, vel de ſtola Imperiali ſuffittorium ſuper Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli. Hæc omnia à Juſtino Auguſto Orthodoxo votorum gratia (27) oblata ſunt.

Eodem tempore (28) Theodoricus Rex obtulit Beato Petro Apoſtolo ceroſtata argentea duo, penſ. (*) libr. ſeptuaginta. Eodem tempore fuit (29) Papa Hormiſda apud Beatum Petrum Apoſtolum trabem, quam ex argento cooperuit, quæ penſan. libras mille, & quadraginta. Hic fecit in Baſilica Conſtantiniana (30) arcum argenteum ante altare, qui penſabat

(11) B. magiſterianis, & Præfectorianis nomine &c.
C. cum militibus & magiſtriano nomine Heliodoro, & Demetrio.
(12) A. Monachorum Orthodoxorum miſerunt, & poſuerunt per omnes civitates.
(13) B. timore ejus perculſi omnes eas literas Conſtantinopolim direxerunt, *& ita in* C.
(14) A. Sedis Apoſtolicæ. Gaudium, & illuſtre nomen ſperans.
B. Sedis Apoſtolicæ per quoſdam gratum, & illuſtrem nomine ſcribens ad Sedem Apoſtolicam, ut reintegraretur pars Eccleſiarum &c.
C. *babet ut in* B. *præter pro* pars Eccleſiarum, *legit* pax Eccleſiarum.
(15) B. Petrum Notarium commonitos ex omni &c.
C. commonitos ex omni parte fide, & textu libelli &c.
(16) B., & C. quibus venientibus juxta &c.
(17) A. à Caſtello Rotundo, quod ducetur uſque &c.
B. à Caſtello Rotundo uſque in civitatem Conſtantinopolim, tum cum gloria, & gaudio ingreſſi &c.
C. *babet ut in* B. *præter pro* gaudio, *legit* laude.
(18) A. ad Juſtinum, & cum vinculo Chirographi, & textu libelli &c.
B. ad Juſtinum Auguſtum cum vinculo Chirographi, & textu libelli reintegravit auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, *& ita in* C.
(19) B. Epiſcopatus Catholicus in Africa &c.
(20) A. venit ſignum cum gemmis &c.
B., & C. venit Reginus cum gemmis &c.
(21) B. Donum afferens B. Petro Apoſt. ſub cujus Epiſcopatu Juſtinus Aug. miſit multa vaſa aurea, & arg. de Græcia, & Evang. cum tabulis aureis cum gemmis pretioſis penſ. lib. XXXVIII. ſcyphum aureum circumdatum gemmis penſ. lib. VIII. ſcyphos arg. deauratos IV. penſ. &c.
C. Clodovæo Chriſt. miſſum B. Petro Apoſt. Eod. tempore miſit Juſtinus Aug. Romam multa aurea, & argentea dona de Græcia &c.
(22) A. Patenam auream &c. penſ. lib. XX. Patenas arg. II. penſ. ſing. lib. XXV. ſcyphum aureum cum gemmis penſ. lib. VIII. ſcyphos arg. deauratos III. penſ. ſing. lib. V.
C. Patenam auream &c. penſ. lib. XX. Patenam arg. penſ. lib. XX. aliam Patenam arg. penſ. lib. XXXVIII. ſcyphum aureum &c.
(*) C. circumdatum gemmis &c.
(*) C. IV.
(23) B. Sabbatam illiferimam penſ. lib. II. Thecas cerei II. aureas &c. C. Gabatam hilifrimam &c.
(24) A. Thecas cerei aureas penſ. lib. V.
(25) B. Pallia Olovena Balthea cum tabulis auro textis II. clamydem Imperialem I. ſtolam, & ſuccinctorium ſuper confeſſionem B. Petri Apoſtoli &c., *& ita in* C.
(26) A. cum tabulis auro textis &c. D. cum tabulis auro teſtis.
(27) B., & C. votorum gratia B. Petro oblata ſunt.
(28) B. eodem tempore Theodoricus Rex fecit apud B. Petrum trabem, quam cooperuit ex arg. penſ. lib. MXL. Obtulit quoque Theodoricus Rex B. Petro Apoſt. ceroſtata &c., *& ita in* C.
(*) C. penſ. ſing. &c.
(29) A. fecit.
(30) B. eodem tempore fecit Papa Hormiſda in Conſtantiniana Baſilica coronam arg. ante Altare penſ. lib. XX. cantara arg. &c., *& ita in* C.

Digitized by Google

bat libr. viginti. Canthara argentea sexdecim, (31) pensan. singul. libras quindecim. Item ad Beatum Paulum fecit arcus argenteos duos, pensan. singuli libras viginti. Canthara argentea 15. pensan. sing. lib. 15. (32) Amas argenteas tres, pensan. sing. lib. 10. Scyphos argenteos stationales sex cum ducibus, pens. sing. lib. sex. (33) Hic fecit ordinationes in urbe Roma per mensem Decemb. Presbyteros 21. Episcopos per diversa loca quinquaginta quinque. Qui etiam sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli octavo idus Augusti, Consulatu Maximi, & cessavit Episcopatus dies septem. (34)

LIV. S. JOANNES.

ANNO CHRISTI 523.

JUSTINI IMP. 6. THEODOR. 31.

JOannes, natione Tuscus, ex patre Constantio, sedit annos duos, menses octo, dies 22. (1) a Consulatu Maximi usque ad Consulatum Olybrii, temporibus Theodorici Regis, & Justini Augusti Christiani. Hic vocatus est a Rege Theodorico Ravennam. Quem ipse Rex rogans misit in Legationem Constantinopolim ad Justinum Imperatorem Orthodoxum, quia eodem tempore Justinus Imperator vir (2) religiosus summo ardoris amore religionis Christianæ voluit hæreticos extricare. (3) Nam summo fervore Christianitatis hoc consilio usus est, ut Ecclesias Arrianorum Catholicas consecraret. Pro hac causa hæreticus Rex Theodoricus audiens hoc exarsit, & voluit totam Italiam gladio extinguere. (4) Eodem tempore Joannes Papa ægrotus infirmitate cum fletu ambulavit, & senatores, & exconsules cum eo, idest Theodorus, (5) Importunus, Agapitus exconsul, & alius Agapitus patricius, qui hoc accipientes in mandatis Legationem, ut redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis, quod si non omnem Italiam gladio perderet. (6) Qui dum ambulassent cum Joanne Papa, occurrerunt Beato Joanni milliario 12. (7) omnis civitas cum cereis, & crucibus in honorem Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli. Quia veteres Græcorum hoc testificabantur, dicentes, à tempore Constantini Augusti, (8) & Beato Silvestro Episcopo Sedis Apostolicæ, usque ad Justini Augusti tempora non meruisse partes Græciarum Beati Petri Apostoli Vicarium suscepisse cum gloria.

Tunc Justinus Augustus (9) dans honorem Deo humiliavit se pronus, (10) & adoravit Beatissimum Papam Joannem. Eodem tempore Beatus Joannes Papa cum Senatoribus suprascriptis cum grandi fletu rogaverunt Justinum Augustum, ut legatio acceptabilis esset in conspectu ejus. Qui vero Papa Joannes, vel Senatores viri religiosi omnia meruerunt, & liberata est Italia (11) à Rege Theodorico hæretico. Justinus Imperator tamen gaudio repletus est, quia meruit temporibus suis Vicarium Beati Petri Apostoli videre, regno suo, (12) de cujus manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus. Eodem tempore cum hi suprascripti, idest, Papa Joannes cum Senatoribus, Theodoro (13) exconsule, Importuno exconsule, Agapito exconsule, (14) (Agapito patricio defuncto Thessalonicæ) positi essent Constantinopoli, Theodericus Rex hæreticus tenuit duos Senatores (15) præclaros, & exconsules Symmachum, & Boëtium, & occidit, (16) interficiens gladio.

Eodem tempore revertens Joannes venerabilis Papa, & Senatores cum gloria, dum omnia obtinuissent à Justino Augusto, Rex Theodericus hæreticus cum grandi dolo, & odio (17) suscepit eosdem, Papam Joannem, & Senatores, quos etiam gladio voluit interficere: sed metuebat indignationem (18) Justini Augusti: quos tamen in custodiam omnes afflictos cruciavit, ita ut Beatissimus Joannes Episcopus primæ Sedis Papa in custodia afflictus deficiens moreretur. Qui (19) defunctus est Ravennæ in custodia 15. calendas Junias (20) martyr. Post hoc factum nutu Dei Omnipotentis nonagesimo octavo die, postquam defunctus est Beatissimus Joannes in custodia, Theodoricus Rex hæreticus subito interiit, & mortuus est. Hic Papa Joannes fecit (21) cœmeterium Beatorum Mar-

---

(31) A. cantara argentea XVI. pens. lib. XII.
B., & C. pens. sing. lib. XII.

(32) A. cantara arg. XV. pens. lib. XV. Hamas arg. IV. pens. lib. X.

(33) B., & C. scyphos arg. stationales VI. pens. sing. lib. XI.

(34) B., & C. dies VI.

J O A N N E S.

(1) B. mens. IX. dies VII.
A., & C. dies XVI.

(2) C. Justinus Imp. Vir per omnia Orthodoxus voluit hæreticos exterminare.

(3) B. hæreticos exterminare.

(4) B., & C. extinguere, & dissipare, quod & fecisset nisi Beatissimus Joannes Papa Legationem, quam præceperat Hæreticus Theodorus, accepisset, qui accepta (B. decepta) Legatione pergens Constantinopolim à Justino Imperatore cum Senatoribus, idest Theodoro, Importuno Agapito, & cum Coss. Agapito, & Patricio, retulit Imp., quæ à Theodorico acceperat in mandatis, ut rederentur Ecclesiæ Hæreticis in partibus Orientis &c.

(5) A. idest Theodericus Importunus, Agapitus exconsules.

(6) C. Gladio perderet, qui cùm appropinquasset civitati ipse Rex, & omnis civitas obviam venit cum cereis, & crucibus quasi B. Petrus præsentialiter adesset, etiam veteres Græci hoc testificabant, dicentes sicut tempore &c.

(7) A., & B. à Milliario XV.

(8) A. à tempore Constantini Aug. à B. Silvestro Episcopo Sedis Apostolicæ Justini Aug. temporibus meruisse partes Græciarum &c., *&* *ita in* D.

(9) B. tunc Justinus Aug. gaudio repletus dans honorem &c.

(10) C. humiliavit se pronus in terram, & adoravit &c.

(11) C. tota Italia liberata est ab impio Theodorico.

(12) In Regno suo, *in omnibus*.

(13) A. Theodorico exconsule.

(14) B. Agapito exconsule, & Agapito ex Patricio defuncto Tessalonica esset Constantinopolim, *& ita in* C.

(15) B. Senatores, & Consules, scilicet Symmachum &c.

(16) C. interficit. Itaque Sanctissimus Papa rediens ad Constantinopolim cùm omnia à Justino Imp. obtinuisset, tentus est à Rege Theodorico Hæretico, missusque in custodia voluit eum interficere, sed metuens indignationem Justini Aug. facere non potuit, tamen in custodia tenuit eum, ubi fame, & siti cum Senatoribus, & Coss. defunctus est apud Ravennam XV. Kal. Julii. Post hoc &c.

(17) & odio. A. *non habet*.

(18) A. sed metuens indignationem Justini Aug., quos tamen omnes in custodia adflictos cremavit, itaque ut Beatissimus &c.
B. sed metuens indignationem Justini Augusti facere non potuit, quos tamen &c. *ut in* A.

(19) A. B., & D. qui tamen defunctus.

(20) B. XV. Kal. Januarii.

(21) A. refecit. C. restauravit.

Digitized by Google

Martyrum Nerei, & Archilei via Ardeatina. Item renovavit cœmeterium Felicis, & Adaucti. Item renovavit cœmeterium Priscillæ (22) via Salaria. Eodem tempore positum est ornamentum super confessionem Beati Pauli Apostoli de gemmis prasinis, & hyacinthinis. (23) Item hujus temporibus Justinus Imperator obtulit patenam auream cum gemmis, pens. libr. viginti. Calicem aureum cum gemmis, pens. lib. quinque. Scyphos argenteos quinque. Pallia auro texta quindecim, quæ ipse Joannes detulit Apostolis Beatissimo Petro, & Paulo, & ad Sanctam Mariam, & ad Sanctum Laurentium. Hic ordinavit Episcopos per diversa loca numero 15. Cujus corpus translatum est de Ravenna, & sepultum est (24) in Basilica Beati Petri Apostoli sub die 6. calend. Jun. Olybrio consule, & cessavit Episcopatus dies 58.

LV. S. FELIX IV.

ANNO CHRISTI 526.

JUSTINI IMPER. 9. THEODOR. 34.

Felix, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos quatuor, menses duos, dies 14. (1) Fuit autem temporibus Theodorici Regis, & Justini Augusti, a Consulatu Mamortini, (2) usque ad Consulatum Lampadii, & Orestis a die 4. idus Juliarum, usque in quarto idus Octobris. Hic fecit Basilicam Sanctorum Cosmæ, & Damiani in urbe Roma, in loco, qui appellatur Via sacra, juxta templum urbis Romæ. Hujus temporibus consumpta est incendio Basilica Sancti martyris Saturnini, via Salaria, quam à solo refecit. Qui etiam ordinatus est cum quiete, & vixit usque ad tempora Athalarici Regis. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per menses Februarii, & Martii, Presbyteros quinquaginta quinque, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero triginta novem. (3) Qui etiam sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli 4. idus Octobris; & cessavit Episcopatus mens. 1. dies 15. (4)

LVI. BONIFACIUS II.

ANNO CHRISTI 530.

JUSTINIANI 4. ATHALAR. 5.

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Sigilbuldo, sedit annos duos, dies viginti sex. Fuit autem temporibus Athalarici Regis Hæretici, & Justiniani (1) Augusti. Hic cum Dioscoro ordinatur sub contentione. (2) Qui Dioscorus ordinatur in Basilica Constantiniana, Bonifacius vero in Basilica Julii. (3) Et fuit (4) dissensio in Clero, & Senatu dies 28. (5) Eodem tempore defunctus est Dioscorus 2. idus (6) Octobris. Ipsis diebus Bonifacius zelo, (7) & dolo ductus cum grandi amaritudine sub vinculo anathematis chirographi reconciliavit Clerum. Quem chirographum Archivo Ecclesiæ retrusit, quasi damnans Dioscorum. Et congregavit Clerum. (8) Cui tamen in Episcopatu nullus subscripsit, dum plurima multitudo fuisset cum Dioscoro.

Hic Presbyteris, & Diaconibus, & Subdiaconibus, atque Notariis scutellam (9) de adeptis hereditatibus obtulit, & alimoniis multis in periculo famis Clero subvênit. Hic congregavit Synodum in Basilica Beati Petri Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinarent. Quo constituto cum chirographis Sacerdotum, (10) & jusjurando ante confessionem Beati Apostoli Petri in Diaconum Vigilium constituit. Eodem tempore facta iterum Synodo, (11) hoc censuerunt Sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis Sanctæ. Et quia contra canones fuerat hoc factum, & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Majestatis, (12) quod Diaconum Vigilium sui subscriptione chirographi, & ante confessionem Beati Apostoli Petri successorem constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, (13) incendio consumpsit. Eodem tempore venit relatio ab Afris Episcopis de constitutione, ut cum consilio Sedis Apostolicæ omnia Carthaginensis Episcopus faceret. Qui etiam sepultus est

(22) B., & C. Priscillæ. Hic posuit ornamentum super confessionem &c.
(23) B. huic obtulit Justinus Imp. apud Constantinopolim cattenam auream pens. lib. XX. calicem aureum cum gemmis pens. lib. V. Pallia aurotexta XV., quæ ipse Joannes retulit, & ad B. Petrum, & Paulum, & ad S. Mariam, & ad S. Laurentium posuit. Hic ordinavit &c., *& ita in* C.
(24) C. & sepultus est Romæ in Basilica &c.

FELIX.

(1) A. B., & C. dies XIII.
(2) A. à Consulatu Aburti.
B. Maburtii.
C. Mamurti.
(3) A. XIX. B. C., & D. XXIX.
(4) A. B., & C., & cessavit Episcopatus dies III.

BONIFACIUS.

(1) & Justini Augusti *in omnibus*.
(2) A. sub intentione.
(3) B., & C. Juliæ.
(4) C. fuit itaque dissensio in Clero, & Populo, & Senatu dies XXVIII., donec defunctus est &c.
(5) B. dies XXIV.
(6) A. pridie Idus Octobris.
(7) B. Bonifacius zelo ductus cum grandi amaritudine congregavit Synodum sub vinculo anathematis, & per Chirographum damnavit Dioscorum, & reconciliavit Clerum, quem Chirographum &c.
C. Bonifacius zelo ductus grandi amaritudine ab eo acta Synodo sub vinculo anathematis per Chirographum damnavit Dioscorum, & reconciliavit Clerum, qui ejus ordinationi consenserat, quem Chirographum in Archivo Ecclesiæ tenetur.
(8) B. & congregavit Clerum, qui ejus ordinationi consensit; cui tamen &c.
(9) A. scutellas, *& ita in* B.
C. scutellas argenteas.
(10) B. & fecit constitutum cum Chirographis Sacerdotum, & jusjurandum ante confess. Apost. Petri ab eis exegit, ut in electione Vigilii Diaconi consentirent. Eod. tempore &c.
C. *legit ut in* B., *habet tamen* ut in ellectione Vigilii Diaconi, post eum consentirent &c.
(11) C. eodem tempore facta est iterum Synodus, & quia hoc consenserant Sacerdotes &c.
B. Iterum Synodo, quia hoc consenserunt &c.
(12) C. Majestatis de eo, quod in Diaconi Vigilii subscriptione suo Chirographo ante confessionem B. P. Apost. fecerat, itaque in præsentia &c.
B. sua subscriptione Chirographi fecisset, & ante confess. B. Petri Apost. ipsum Constitutum &c.
(13) C. ipsum Constitutum in incendio consumpsit.

Digitized by Google

eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtoli ſub die 16. calen. Novembr. Conſulatu Lampadii, & ceſſavit Epiſcopatus dies 6. (14)

LVII. JOANNES II.

ANNO CHRISTI 531.

JUSTINIAN. 5. ATHALAR. 6.

JOannes, qui & Mercurius, (1) natione Romanus, ex patre Projecto, de Celio monte, ſedit annos duos, menſes quatuor, dies ſex. Fuit autem temporibus Athalarici Regis, & Juſtiniani Auguſti. Eodem tempore vir religioſus Auguſtus, ſummo amore Chriſtianæ religionis miſit fidem ſuam chirographo ſcripto proprio ad Sedem Apoſtolicam per Epiſcopos Epazium, (2) & Demetrium. Ipſis diebus obtulit Chriſtianiſſimus Imperator Juſtinianus Auguſtus Beato Petro Apoſtolo (3) ſcyphum aureum circundatum de gemmis praſinis, & albis, & alios calices argenteos 2. ſcyphum penſ. lib. 5. Calices argenteos, (4) penſ. ſing. lib. quinque. Pallia olovera auro texta quatuor. Hic fecit ordinationem in urbe Roma per menſem Decembris, Presbyteros quindecim, Epiſcopos per diverſa loca numero 21. Qui etiam ſepultus eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtoli 6. idus Jun. (5) Poſt conſulatum iterum Lampadii, & ceſſavit Epiſcopatus diebus ſeptem. (6)

LVIII. S. AGAPETUS.

ANNO CHRISTI 535.

JUSTINIANI 9. THEODATI REG. 2.

AGapitus, natione Romanus, ex patre Gordiano Presbytero, Clericus ad S. Joannem & Paulum, (1) ſedit menſes 11. dies 18 (2) Hic ortu Epiſcopatus ſui (3) libellos anathematis, quos invidiæ dolo extorſerat Bonifacius Presbyteris, & Epiſcopis contra Canones, & contra Dioſcorum in medio Eccleſiæ congregatis omnibus incendio conſumpſit, & abſolvit totam Eccleſiam de invidia perfidorum. Hic miſſus eſt à Theodato Rege Gothorum ad Domnum Juſtinianum Auguſtum in legationem, quia eodem tempore Domnus Juſtinianus Imperator Auguſtus indignatus eſt Theodato Regi, eo quod occidiſſet Reginam Amalaſintham (4) filiam Theodorici Regis commendatam ſibi, qui eum (5) regem fecerat.

Qui vero (6) Agapitus ambulavit Conſtantinopolim, 10. calend. Maji, ingreſſus Conſtantinopolim, & ſuſceptus eſt Agapitus Epiſcopus cum gloria. Et primum cœpit habere altercationem cum piiſſimo Principe Juſtiniano (7) Auguſto de religione. Cui Beatiſſimus Agapitus Epiſcopus conſtantiſſimæ fidei Apoſtolorum reſponſum reddidit, (8) dicens, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Deum & hominem eſſe, hoc eſt duas naturas eſſe in uno Chriſto, & dum contentio (9) verteretur, ita Dominus affuit, ut Epiſcopum Conſtantinopolitanum nomine Anthimum (10) inveniret hæreticum. Et cùm contentio verteretur cum Auguſto, & Agapito Papa, hoc dixit ei Juſtinianus Imperator: Aut conſenti nobis, aut exilio te deportari faciam. Tunc Beatiſſimus Agapitus Papa reſpondit cum gaudio, dicens ad Imperatorem: Ego quidem peccator ad Juſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideravi: nunc autem Diocletianum inveni, qui tamen minas tuas non pertimeſco. Et dixit ei iterum Agapitus venerabilis Papa: Tamen ut ſcias te idoneum non eſſe religioni Chriſtianæ, (11) Epiſcopus tuus confiteatur duas naturas in Chriſto. Tunc ex præcepto Auguſti acerſito Epiſcopo Conſtantinopolitano, nomine Anthimo, & diſcuſſione patefacta nunquam voluit confiteri in doctrina Catholicæ reſponſionis ad interrogationem Beati Papæ Agapiti, duas naturas in uno Domino Jeſu Chriſto. Quem (12) convicit Sanct. Papa Agapitus, & glorificatus eſt ab omnibus Chriſtianis.

Tunc piiſſimus Auguſtus Juſtinianus gaudio repletus humiliavit ſe (13) Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, & adoravit Beatiſſimum Papam (14) Agapitum. Eodem tempore ejecit (15) Anthimum a communione, & expulit in exilium. (16) Tunc piiſſimus Auguſtus Juſtinianus rogans Beatiſſimum Agapitum (17) Papam, & in loco Anthimi Epiſcopum conſecravit Catholicum nomine Mennam. Qui verò Agapitus Papa (18) omnia obtinuit, ex qua cauſa directus fuerat. Poſt dies verò aliquantos ægritudine commotus, (19) defunctus eſt Conſtantinopoli 10. calendas Maji. Cujus corpus in loculo plumbeo translatum eſt uſque in Baſilicam Beati Petri Apoſtoli, ubi & ſepultus eſt 12. (20) calend. Octobris. Hic fecit ordinationes (21) duas in urbe Roma, Diaconos quatuor, Epiſcopos

---

(14) A. B., & C. menſes duos, dies XV.

JOANNES.

(1) B. Joannes, qui & Martirius. C. Martirius, qui & Joannes.
(2) B. Epiſcopos Ipatium &c., *& ita in* C.
(3) C. Apoſtolo hæc dona ſcyphum aureum circumdatum gemmis praſinis, & hyacinthinis penſ. lib. IV. ſcyphos arg. II. penſ. ſing. lib. VI. calices arg. penſ. ſing. lib. III. &c., *& ita in* B.
(4) A. calices arg. II. ſcyphos &c. penſ. lib. V.
(5) A. VI. Kal. Junii &c., *& ita in* B., & C.
(6) A. dies VI., *& ita in* B., & C.

AGAPITUS.

(1) B. Clericus à Sancto Joanne, & Paulo ſedit ann. XI.
(2) C. dies XIX.
(3) B. Epiſcopatus ſui pro libellis anathematis, quos invidiæ dolo &c. C. Epiſcopatus ſui libellum anathematis, quem invidiæ zelo extorſerat &c.
(4) A. Amalaſuintam. B. Amalaventam. C. Amalavitam.
(5) B., & C. quæ eum &c.
(6) C. D. verò Papa Conſtantinopolim perrexit X. Kal. Maji, & ingreſſus urbem ſuſceptus eſt &c.
(7) C. Imperatori Juſtiniano de religione fidei &c.
(8) B., & C. reſponſum reddidit de D. Jeſu Chriſto Deo, & Homine, hoc eſt &c.
(9) A. intentio, *& ita in* C.
(10) A. Anthemum. B., & C. Anthemius *ſemper*.
(11) B., & C. Chriſtianæ niſi Epiſcopus &c.
(12) B. quem cùm viciſſet. B. Papa Agapitus &c. C. *legit ut in* B. *ſed* τὸ. Beatus *non habet*.
(13) τὸ. Sanctæ *omnes non legunt*.
(14) C. & proſtravit ante Papam Agapitum.
(15) A. ſeparavit Anthemum.
(16) C. exilium. Juſtinianus verò Auguſtus rogavit. B. Papam ut in locum ejus alterum Epiſcopum &c.
(17) A. Agapitum ut locum Anthemi Epiſcopum conſecraret nomine Menam. B. Mœnam.
(18) C. eodem tempore Ven. Papa Agapitus omnia obtinuit ab Imp., quorum cauſa &c.
(19) C. ægritudine detentus.
(20) C. ſepultum eſt X. Kal.
(21) A., & C. ordinationem unam.

Digitized by Google

ſcopos per diverſa loca 11. (22) & ceſſavit Epiſcopatus dies viginti quatuor. (23)

LIX. S. SILVERIUS.

ANNO CHRISTI 536.

JUSTINIANI 10. THEODATI 3.

Silverius, natione Campanus, ex patre Hormiſda, Epiſcopo Romano, (1) ſedit annum unum, menſes quinque, dies undecim. (2) Hic levatus eſt a Tyranno Theodato ſine deliberatione (3) decreti: qui Theodatus corruptus pecunia (4) data talem timorem induxit Clero, ut qui non conſentiret in ejus ordinationem, gladio puniretur. Qui quidem Sacerdotes non ſubſcripſerunt, in eum ſecundum morem antiquum, vel decretum confirmaverunt ante ordinationem. Jam (5) autem ordinato ſub vi & metu Silverio propter adunationem Eccleſiæ, & religionis, poſt modum ſic ſubſcripſerunt Presbyteri. Poſt menſes duos nutu divino extinguitur Theodatus tyrannus, & levatur rex Guitigis. (6) Eodem tempore Guitigis ambulavit Ravennam, & cum vi tulit filiam Amalaſinthæ (7) reginæ ſibi uxorem. Hoc indignatus Domnus Imperator Juſtinianus Auguſtus, quia reginam ſibi commendatam occidiſſet Theodatus, (8) miſit Viliſarium Patricium cum exercitu, ut liberaret omnem Italiam a captivitate Gothorum. Tunc veniens Patricius ſupraſcriptus in partes Siciliæ, fuit ibidem aliquantum temporis. Audiens autem, quod Gothi ſibi feciſſent Regem contra votum Domini Juſtiniani Auguſti, venit in partes Campaniæ juxta civitatem Neapolim, & obſedit (9) eam cum exercitu ſuo, quia noluerunt ei cives Neapolitani aperire. Eodem tempore pugnando Patricius contra civitatem introivit, & ductus furore interfecit Gothos, & omnes cives Neapolitanos, (10) & miſit prædam, (11) & nec Eccleſiis pepercit prædando. Ita ut uxoribus (12) præſentibus maritos earum gladio interficerent, & captivos filios, & uxores Nobilium exterminarent. Nullis parcens, nec Sacerdotibus, nec Servis Dei, nec Virginibus Sanctimonialibus.

Eodem tempore bellum fuit maximum, veniente Guitige contra Viliſarium (13) Patricium, & contra urbem Romam. Ingreſſus autem Beliſarius in Urbem 4 idus Decembris, cuſtodiis, & munitionibus, vel fabricis murorum, & reparatione foſſati circundedit civitatem Romanam, & munivit noctu ipſa, qua (14) introivit Viliſarius Patricius. Gothi, qui erant in civitate, vel foris muros fugerunt, & omnes portas apertas dimiſerunt, & fugerunt Ravennam. Et poſt hoc colligens Guitiges Rex multitudinem exercitus Gothorum, regreſſus eſt contra Romam 9. calendas Martii, & fixit caſtra ad pontem Milvium, (15) & cœperunt obſidere civitatem Romanam. Tunc Patricius Viliſarius, qui pro nomine Romano erat, incluſit ſe Romæ intra civitatem, & cuſtodivit civitatem. (16)

His diebus obſeſſa eſt civitas, ut nulli eſſet facultas exeundi, vel introeundi. Tunc omnes poſſeſſiones privatas vel fiſci, vel Eccleſiæ incendio conſumptæ ſunt, homines verò gladio interempti ſunt. Quos gladius, gladius, (17) quos fames, fames, quos morbus, morbus interficiebat. Nam Eccleſiæ, (18) & corpora Sanctorum Martyrum exterminatæ ſunt à Gothis. Intra civitatem autem grandis fames erat, ita ut aqua venundaretur pretio, niſi Nympharum remedium ſubveniſſet. Pugnæ (19) autem maximæ erant contra civitatem. His diebus Viliſarius Patricius pugnando (20) contra Regem Guitigem, vel multitudinem Gothorum protexit Romanos, vel civitatem (21) cuſtodia ſua liberavit, & nomen Romanum. Tunc obſeſſa eſt civitas annum unum, & portus Romanus à Gothis. Patricius (22) venerabilis Viliſarius pugnando vicit Gothos, & poſtmodum fugerunt Gothi Ravennam poſt annum unum.

Eodem tempore tanta fama (23) fuit per uni-

(22) B. Epiſcopos per diverſa loca X.
(23) A. & ceſſavit Epiſcopatus menſ. I. dies XXVIII. *& ita in* C.
B. ceſſavit Epiſcopatus diebus XXVIII.

SILVERIUS.

(1) B. Epiſcopo Romanæ Sedis.
(2) C. dies XII.
(3) B. ſine deliberatione, & celebratione decreti: qui Theodatus pecunia corruptus, primò timorem induxit in Clerum, ut ſi quis non conſentiret in ejus ellectione, & ordinatione gladio perimeretur, ſecundùm morem antiquum eorum &c.
(4) C. corruptus pecunia talem timorem induxerat Clero, ut qui non conſentiret ejus ellectioni &c.
(5) A. Jam ordinato ſub vi, & metu propter adunationem Eccleſiæ, & Religionis: poſtmodum jam ordinato Silverio ſic ſubſcripſerunt &c., *& ita in* D.
B. Jam ordinatus cum vi, & metu propter adunationem Eccleſiæ, & Cleri Religioſi, poſtmodum jam ordinato Silverio ſubſcripſerunt &c.
C. poſtmodum verò jam ordinato eo omni vi, & metu, propter adunationem tamen Eccleſiæ, & Cleri Religioſi ſubſcripſerunt &c.
(6) B., & C. Unitigis.
(7) A. Amalſuintæ *ſemper* C. Amalaſindæ.
(8) B. occidiſſet, & iratus miſit &c.
(9) A. & cœpit obſidere &c., *& ita in* B., & C.
(10) C. cives Neapolitanos ita ut uxores præſentibus maritis earum interfici juberet gladio, & captivos filios, & filias eorum exterminaret nulli parcens, nec Sacerdotibus, nec Virginibus Sanctimonialibus, nec ſervis Dei. Invaſit quoque prædam omnem, ita nec Eccleſiis parceret in prædando. Veniente autem Biliſario Patricio Romam bellum magnum fecit &c.
(11) A. & miſit prædam, ut nec in Eccleſiis parceret prædando.
B. & miſit prædam, ut nec Eccleſiæ parceret prædando.
(12) A., & B. itaque ut uxores præſentibus maritis earum &c.
(13) B. contra Beliſarium Patricium: Ingreſſus autem &c.
(14) A. nocte ipſa quoque introivit Beliſarius Patricius &c.
(15) A. ad pontem Molbiæ. B. ad pontem Molum. D. ad pontem Molviæ.
(16) *verba* & cuſtodivit civitatem, *deſunt in* A.
B., & C. & cuſtodivit eam. Per annum verò unum obſeſſa eſt civitas à Gothis, & Portus Romanus, ita ut nulli &c.
(17) B. quos gladius gladio, quos fames fame, quos morbus morbo &c.
(18) A. nam & Eccleſiæ, & corpora &c., *& ita in* C.
(19) C. pugnæ quoque erant quotidie contra civitatem his diebus. Sed Viliſarius Patricius repugnando &c.
(20) A. B., & D. repugnando.
(21) C. & civitatem cuſtodia ſua liberavit, & pugnando vicit Gothos, ut poſtmodum fugarent Romani Gothos in Ravennam. Poſt an. I. &c.
(22) A. Patricius verò Viliſarius pugnando &c.
(23) A. tanta famis &c. B. C., & D. fames, *& ita in editione Pariſ. Hiſt. Byzantinæ.*

Digitized by Google

universum Mundum, ut Dacius Episcopus Civitatis Mediolanensis relatione sua hoc evidenter narraverit, quod in partibus Liguriæ mulieres filios suos comedissent (24) penuria famis, quas retulit ex Ecclesiæ suæ fuisse familia. Eodem tempore ambulavit Vilisarius Patricius Neapolim, & ordinavit eam. Et postmodum venit Romam, qui susceptus est à Domno Silverio benignè, & abiit (25) Vilisarius Patricius in palatium Pincianum, id. Maji, (26) indict. 15. Tunc erat Vigilius Diac. Apocrisarius Constantinopoli. Dolens autem Augusta pro Anthimo Patriarcha, quod depositus fuisset à Sanctissimo Agapito Papa, qui eum hereticum reperisset, & in locum ejus constituisset Mennam servum Dei: Tunc Augusta consilio usa cum Vigilio Diacono, (27) misit epistolas suas Romam Silverio Papæ rogans, & obsecrans, ne pigriteris ad nos venire, aut certè revoca Anthimum in locum suum. Qui dum legisset Beatissimus Silverius litteras, ingemuit, & dixit: Modo scio, quia hæc causa finem vitæ meæ adduxit. Sed Beatissimus Silverius fiduciam habens in Deo, & Beato Petro Apostolo rescripsit Augustæ: Domina Augusta, ego rem istam facturus nunquam ero, ut revocem hominem hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit jussiones ad Vilisarium Patricium per Vigilium Diacon. ita continentes: Vide aliquas occasiones in Silverium Papam, & depone illum ab Episcopatu, aut certè festinus transmitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium Archidiaconum, & Apocrisarium nostrum charissimum, qui nobis pollicitus est revocare Anthimum Patriarcham. Et tunc suscepit jussionem Vilisarius Patricius, dicens: Ego quidem jussionem facio, sed ille, qui (28) interest in nece Silverii Papæ, ipse rationem reddet de factis suis Domino Nostro Jesu Christo. Et urgente jussione exjerunt quidam falsi testes, qui & dixerunt: Quia nos multis vicibus invenimus Silverium Papam scripta mittentem ad Regem Gothorum: Veni ad portam, quæ appellatur Asinaria juxta Lateranas, & Civitatem tibi trado, & Vilisarium Patricium. Quod audiens Vilisarius non credebat. Sciebat enim, quod per invidiam hæc de eo dicebantur. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, pertimuit.

Tunc fecit Beatum Silverium Papam venire ad se in palatium (29) Pincis. Et ad primum, (30) & secundum velum retinuit omnem Clerum. Quo ingresso Silverius cum Vigilio soli in Mausole. (31) Antonina Patricia jacebat in lecto, & Vilisarius sedebat ad pedes ejus. Et dum eum vidisset Antonina Patricia, dixit ad eum: Dic Domine Silveri Papa, quid fecimus tibi, & Romanis, ut tu velis nos in manus Gothorum tradere? Adhuc eo (32) loquente ingressus Joannes Subdiaconus regionarius primæ regionis, tulit pallium de collo ejus, & duxit in cubiculum. Et expolians eum, induit eum veste monachica, & abscondit eum. Tunc Sixtus Subdiaconus regionarius (33) regionis sextæ, videns eum jam monachum, egressus foras, nunciavit ad Clerum, dicens: Quia Domnus Papa depositus, est, & factus est monachus. Qui etiam audientes (34) fugerunt omnes, quem suscepit Vigilius Archidiaconus in sua quasi fide, & misit eum in exilium in Pontias. Et sustentavit eum pane tribulationis, & aqua angustiæ. Qui deficiens, mortuus est, & confessor factus est. Qui & sepultus est in eodem loco 12. calendas Julii. Ibique occurrit multitudo male habentium, & salvantur. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Presbyteros 14. (35) Episcopos per diversa loca nu. 19. & cessavit Episcopatus dies quinque.

LX. VIGILIUS.

ANNO CHRISTI 540.

JUSTINIANI IMP. 14. VITIGIS R. 4.

Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne Consule, sedit annos 17. mens. quinque, (1) dies 26. Eodem tempore Vilisarius Patricius commisit bellum cum Guitige Rege Gothorum, qui Rex fugiens noctu insecutus est eum Joannes magister militum, cui cognomen Sanguinarius, & tenuit eum, & adduxit ad Vilisarium, & ad Vigilium Romam. (2) Tunc dederunt ei Sacramenta in Basilicam Juli, ut salvum illum perducerent ad Justinianum Imperatorem. Quem cum duxissent (3) Constantinopolim, gavisus est Imperator, & fecit eum Patricium, & Comitem, & transmisit eum juxta fines Persarum, & ibi vitam finivit. Vilisarium vero interrogavit Imperator, quomodo se haberet cum Romanis, vel quomodo in loco Silverii statuisset Vigilium. Et dato ab eo responso gratias ei egerunt Imperator, & Augusta, & data ei dignitate, (4) iterum misit eum in Africam ad Gundarum Regem Guandalorum, & ut quæ fecerat in Italia, faceret & in

(24) C. comedissent, & de quadam ex familia Ecclesiæ suæ hoc retulit.
(25) B. & habitavit Belisarius Patricius in Palatio Pontiano.
C. & habitavit in Palatio Pincis V. Id. Maji Indictione XV.
A. Palatio Pinciano V. Id. &c.
(26) B. V. Idus Maji Indictione XV.
(27) C. tunc Augusta usa Consilio Vigilii Diaconi misit &c.
(28) C. sed ille qui interest, ut Pilatus dixit, neci ejus Silverii Papæ ipse reddat rationem de factis suis &c.
(29) B. in Palatium Pontianum.
(30) C. & à primo, & secundo velo retinuit &c.
(31) B., & C. in Mausuleo, ubi Antonina dixit ad eum: Dic. &c.
(32) C., & B. adhuc ea loquente ingressus est Joannes &c.
(33) τὸ regionarius, *deest in* B., & C.
(34) B., & C. quod audientes fugerunt omnes. Vigilius autem Diaconus, & Apocrisarius promiserat Augustæ Anthemium revocare, si sederet in Sede Petri Apostoli, & quia Silverius Papa noluit hoc facere accusatus est, & ejectus est ab Episcopatu, missusque in exilium in Pontias. Quem suscepit Vigilias Diaconus in sua quasi fide, & sustentavit &c.
(35) C. Hic fecit ordinationem unam in urbe Roma per mensem Decembris Presbyteros XIV. Diaconos V. Episcopos per diversa loca XVIII., & cessavit Episcopatus dies VI.
B. Episcopos per diversa loca, & cessavit Episcopatus dies VI.
A. Episcopos per diversa loca XVIII., & cessavit Episcopatus.

VIGILIUS.

(1) A. B., & C. mens. VI.
(2) C., & ad Vigilium Papam. Tunc deduxerunt eum in Basilica Juliæ, dederuntque ei sacramentum ut &c.
(3) C. quem cùm vidisset Imperator gavisus est, fecitque eum Patricium &c.
(4) C. & iterum data ei dignitate misit eum &c.

Digitized by Google

in Africa. Qui veniens in fines Africæ ſub dolo pacis interfecit Gundarum Regem Guandalorum, & redacta eſt Africa ſub rempublicam. Tunc Beliſarius Patricius de ſpoliis Guandalorum veniens Romam obtulit Beato Petro Apoſtolo per manus Vigilii Papæ crucem auream cum gemmis, quæ penſat libras centum; in qua ſcripſit victorias ſuas. Ceroſtatas argenteas deauratas majores duas, quæ ſtant uſque hodie ante Corpus Beati Petri Apoſtoli. Sed & alia multa dona, & eleemoſynas pauperum (5) largitus eſt. Fecit etiam Beliſarius Patricius Xenodochium in via lata, & in via Flaminia, juxta civitatem hortas Monaſterium Sancti (6) Juvenalis, ubi poſſeſſiones, & dona multa largitus eſt.

Eodem tempore Theodora Auguſta ſcripſit ad Vigilium Papam: Veni adimple nobis quæ pro bona (7) voluntate tua promiſiſti de patre noſtro Anthimo, & revoca eum in officium ſuum. Ad hæc reſcripſit Vigilius: Abſit hoc a me Domina Auguſta. Prius locutus ſum male, & inſipienter, modo autem nullo modo tibi conſentio, ut revocem hominem hæreticum, & anathematizatum. Et ſi idignus Vicarius ſum Beati Petri Apoſtoli, quomodo fuerunt anteceſſores mei Sanctiſſimi Agapitus & Silverius, qui eum damnaverunt? Tunc Romani fecerunt ſuggeſtiones ſuas contra Vigilium, eo quod cum conſilio ejus depoſitus fuiſſet Silverius Beatiſſimus Papa (8) ſuggerentes pietati tuæ, quia male agit cum ſervis tuis Romanis, & cum ipſa plebe ſua: quia homicidam illum accuſamus. Sic eſt in furorem verſus, ut daret alapam notario ſuo, qui mox ad pedes ejus cadens, expiravit.

Item (9) dedit neptem ſuam Vigiliam Aſterio conſuli, filium mulieris viduæ; quo cæſu faciente, (10) fecit eum teneri nocte, & tamdiu cædi, quamdiu vitam finiret. Quo audito Auguſta miſit Anthemium Scribonem cum juſſionibus ſuis, & cum virtute majore Romam, dicens: (11) Excepto in Baſilica Sancti Petri parce. Nam ſi in Lateranis, atque in palatio, aut in qualibet Eccleſia inveneris Vigilium, mox impoſito in navi perduc eum uſque ad nos. Nam ſi non feceris per viventem in ſæcula excoriari te faciam. Qui Anthemius Scribo veniens Romam, invenit eum in Eccleſia Sanctæ Ceciliæ 10. calendas Decembris. Et rogante populo tentus eſt. (12) Erat enim natalis ejus dies, munera tradens populo, (13) qui tenens depoſuit eum per Tyberim, & miſit in navim. Plebs autem ſequebatur eum acclamantem, ut orationem ab eo acciperent. Data oratione, reſpondit omnis populus Amen, & mota eſt navis. Videntes Romani, quod moviſſet navis, in qua ſedebat Vigilius. Tunc cœpit populus jactare poſt eum lapides, fuſtes, cacabos, & dicere: Fames tua tecum, mortalitas tecum: male feciſti Romanis, male invenias ubi vadis. Et quidem amatores ejus ſecuti eum ſunt de Eccleſia.

Qui ingreſſus Siciliam in civitatem Catanenſem, permiſſus eſt facere ordinationem pe menſem Decembris Presbyteros, & Diaconos (14) in quibus retranſmiſit Romam Ampliatum Presbyterum, & Vicedominum ſuum, & Valentinum Epiſcopum, a Sancta Rufina, & Secunda, ad cuſtodiendum Lateranis, & gubernandum clerum. Et vale faciens omnibus, (15) ingreſſus eſt Conſtantinopolim in Vigilia Domini noſtri Jeſu Chriſti. Obvius eſt ei Imperator, & oſculantes ſe cœperunt flere, & plebs (16) illa pſallebat ante eum uſque ad Eccleſiam Sanctæ Sophiæ: Ecce advenit dominator Dominus, &c.

Per biennium vero fuerunt contentiones de Anthimo Patriarcha, quomodo promiſiſſet eum in locum ſuum reſtituere, cautionem manus ſuæ ei oſtendentes, (*) quomodo promiſerat eum in ordinem ſuum revocare. Sed Vigilius nullatenus eis voluit conſentire, ſed tanta (17) roboratus virtute magis mori deſiderabat, quam vivere. Tunc Vigilius Papa dixit: Ut video non me fecerunt ad te venire Juſtinianus, & Theodora piiſſimi Principes, ſed hodie ſcio, quod Diocletianum, & Eleutheriam inveni, facite ut vultis, digna enim factis recipio. Tunc dedit alapam in faciem ejus quidam dicens, homicida neſcis, quibus loqueris? Neſcis quia Silverium Papam occidiſti, & filium mulieris viduæ ad calces, & fuſtes interfeciſti. Tunc fugiens in Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ, tenuit columnam altaris, qui tractus eſt ab ea, & ejectus foris Eccleſiam. Fecitque Theodora Auguſta mitti funem in collum ejus, & trahi per totam civitatem uſque ad veſperum. Tunc miſſus eſt in cuſtodiam, & dabatur ei modicum panis & aquæ. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, miſſi ſunt in exilium per diverſa loca, ad metalla incidenda.

Tunc Gothi fecerunt ſibi Regem Baduam, qui Totila nuncupabatur, & deſcendit Romam, & obſedit eam. Et facta eſt fames maxima in civitate Romana, ut etiam natos ſuos vellent comedere. Die (18) autem tertia decima introivit in civitatem Romanam Indict. 14. (19) per portam Sancti Pauli. Tota enim nocte fecit buccina clangi, uſque dum cunctus populus fugeret, aut per Eccleſias ſe celarent, ne gladio

(5) C. eleemoſynas pauperibus largitus &c.
(6) Sanctæ Juvenalis.
(7) A., & B. quæ prona voluntate &c.
C. quæ pro bona fide tua, & voluntate &c.
(8) B., & C. Beatiſſimus Papa, mandantes Auguſtæ. Suggerimus pietati tuæ &c.
(9) C. item à nepote ſuo Vigilio Aſterii Conſulis filio, caſu faciente fecit teneri noctu filium mulieris viduæ, & tam diu cædi, quàm &c.
(10) A. quo cauſa faciente fecit &c.
B., & D. quo caſu faciente &c.
(11) C. dicens ſi eum inveneris in Baſilica Beati Petri Apoſtoli parce, ſi in Lateranis &c.
(12) *verba* & rogante populo tentus eſt, *deſunt in* A. B., & C.
(13) A. & munera eum erogantem ad populum tenentes, & depoſuerunt eum ad Tyberim, miſerunt eum in navim: plebs, & populus ſequebantur &c.
B. & munera eum erogantem ad populum reperit, tentus eſt, & depoſuerunt eum ad Tyberim, & miſit eum in navim, plebs, & populus ſequebatur &c.
C. munera erogantem ad populum, tenentes itaque eum depoſuerunt ad Tyberim, miſeruntque in navem. Plebs verò, & Populus ſequebatur &c.
(14) B. Diaconos ex quibus remiſit Romam Ampliatum Presbyterum & Vicedominum ſuum, & Valentinum Epiſcopum ad S. Rufinam ad cuſtodiendum &c.
C. Diaconos, remiſitque Romam &c., *reliqua ut in* B.
(15) C. omnibus pervenit Conſtantinopolim in vigilia Natalis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Tunc obvius &c.
(16) C. Plebs verò univerſa cum Clero pſallebat &c.
(*) A., & B. oſtendens. C. oſtendebat.
(17) A., & D ſed tantùm virtute &c.
B., & C. ſed tota virtute.
(18) A., & B. Quadam die intravit Romam à porta S. Pauli, Indictione decima tertia.
(19) C. Ind. XIII.

Digitized by Google

gladio Romani vitam finirent. Ingressus autem Rex habitavit cum Romanis, quasi pater cum filiis. Tunc quidam de Senatoribus fugientes (20) Techeus, Albinus, & Basilius Patricius exconsules, (21) ingressi sunt Constantinopolim, & præsentes (22) ante Imperatorem afflicti, & desolati. Consolatus est autem eos Imperator, & ditavit eos, sicut digni erant consules Romani.

Eodem tempore misit Imperator Justinianus Narsetem Eunuchum, & cubicularium suum in Italiam, qui data pugna cum Gothis, donavit ei Deus victoriam, & occisus est rex, & multitudo Gothorum interfecti sunt. Tunc adunatus clerus rogaverunt Narsetem, ut una cum ejus suggestione rogarent Principem, ut si adhuc viveret Vigilius Papa, aut Presbyteros, (23) seu Diaconos, vel clerus, qui cum eodem Vigilio fuerant in exilium deportati, reverterentur. Suscepta autem relatione Narsetis, vel cuncti cleri Romani lætus effectus est Imperator, & omnes inclyti ejus. eo quod requiem donasset Deus Romanis. Et mox misit jussiones suas per diversa loca, ubi fuerant in exilium deportati in Gypso, (24) & Proconisso, & adduxit eos ante se Imperator, dicens eis: Vultis recipere (25) Vigilium, ut fuit Papa vester? gratias ago, minus non? hic habetis, nisi Archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea (26) erit vobiscum. Responderunt omnes: Imperet Deus pietati tuæ, restitue nobis Vigilium, (27) & quando voluerit eum Deus transire de hoc sæculo, tunc cum vestris perceptionibus donetur nobis Pelagius Archidiaconus vester. (28) Tunc dimisit omnes cum Vigilio, & venerunt in Siciliam in civitatem Syracusanam, & ex multa afflictione calculi dolorem habens, defunctus est Vigilius. Cujus corpus ductum est Romam, & sepultum est (29) ad Sanctum Marcellum via Salaria, in cœmeterio Priscillæ. (30) Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros 46. (31) Diaconos sexdecim, Episcopos per diversa loca octuaginta & unum. Et cessavit Episcopatus dies 26. (32)

LXI. PELAGIUS.

ANNO CHRISTI 555.

JUSTINIANI IMP. 29.

Pelagius, natione Romanus, ex patre Joanne Vicariano, (1) sedit annos quatuor, (2) menses decem, dies decem & octo. Et dum non esset Episcopus, qui eum ordinaret, inventi sunt duo Episcopi Joannes de Perusia, (3) & Bonus de Florentino, & Andreas presbyter de Hostia, & ordinaverunt eum Pontificem. Tunc non erant in clero, (4) qui poterant eum promovere, quia & monasteria, & multitudo Religiosorum, & sapientium Nobilium subduxerunt se a communione ejus, dicentes, quia in morte Vigilii Papæ se immiscuit, ut tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses, & Pelagius Papa consilio inito data Litania a Sancto Pancratio (5) cum hymnis, & canticis spiritualibus venerunt ad Sanctum Petrum Apostolum. Qui Pelagius tenens Evangelia, & crucem Domini super caput suum in ambonem ascendens satisfecit cuncto populo, & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium. Item adjecit Pelagius Papa, & dixit; Peto enim, ut petitionem meam confirmetis: ut si quis ille est, qui promovendus in Sancta Ecclesia dignus invenitur ab ostiario, usque ad gradus Episcopatus, ut neque per aurum, neque per aliquas promissiones proficiat. Vos omnes scitis, quia simoniacus (6) est. Sed si quis ductus (7) in opere Dei est, & bonam vitam habens, jubemus eum non per dationem, sed per bonam conversationem usque ad primum gradum venire (8). Eodem tempore posuit Valentinum Notarium suum timentem Deum, & restitui fecit omnia vasa aurea, & argentea, & pallia per omnes Ecclesias. Eodem tempore initiata est Basilica Apostolorum Philippi, & Jacobi, quæ dum initiaretur fabricari, mortuus est, & sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli. (9) Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros 26. Diaconos novem, Episcopos per diversa loca numero 49. Qui etiam obiit die 2. mensis Martii, (10) & cessavit Episcopatus menses tres, dies 25. (11)

LXII.

(20) A. fugientes Cirheus, Albin., & Basilius Patricii Coss.
B. fugientes Cithe, Albinus, & Basilius Patricii, & Coss.
C. fugientes Cetheus &c., *reliqua ut in* B.
(21) C. Coss. ex consensu ingressi sunt &c.
(22) A. & præsentati ante &c., *& ita in* B., & C.
(23) A, B,, & C. aut Presbyteri, seu Diaconi, vel &c.
(24) A, deportati in Gyrpso, & Proconisso adduxerunt eos &c.
B,, & C, deportati in Ægypto, & in Proconisso.
(25) B, vultis retinere Vigilium, ut fit Papa vester, gratias ago, sin autem, hic habetis Petrum, & Archidiaconum vestrum Pelagium &c.
C, *legit ut in* B. *præter pro* ago, agimus.
(26) C. pro quibus manus mea &c.
(27) A. restitue nobis Dominus Vigilius &c., *& ita in* B,, & C.
(28) A. B,, & C. Archidiaconus noster.
(29) B. sepultus est ad S. Marcellinum via Salaria.
(30) *verba* in cœmeterio Priscillæ, *desunt in* A. B., & C.
(31) A. Presbyteros XVI.
(32) A. cessavit Episcopatus mens. III. dies V., *& ita in* B., & C.

PELAGIUS.

(1) B., & C. Joanne Vicario.
(2) A., & B. annos XI. &c.
C. an. XI. mens. X. dies XXVIII.
(3) C. Joannes Perusinus, & Bonus Ferentinus.
A. Bonus de Ferentino. B. Bonus de Ferentinis.
(4) A. tunc erat in Clero, qui poterat promoveri, Monasteria &c.
B., & C. tunc non erat in Clero, qui potuisset promoveri, quia Monasteria &c.
D. qui poterant promoveri.
(5) A., & B. Letania ad S. Pancratium, cum &c.
(6) A. Quia Simoniacum est, *& ita in* B., & C.
(7) A., & B. sed si quis ille doctus in Opere Dei bonam vitam habens, non perditionem jubemus eum per bonam conversationem &c.
(8) C. conversationem per hos omnes gradus ascendere quod viva voce confirmatum est ab omnibus. Eodem tempore &c.
(9) A. Apostoli VI. Nonas Martii. Hic fecit &c.
(10) *verba*. Qui etiam obiit die 2. mensis Martii, *desunt in* A. B., & C.
(11) B. menses II. dies &c. C. dies XXVI.

Digitized by Google

LXII. JOANNES III.

ANNO CHRISTI 559.

JUSTINIANI IMP. 33.

JOannes, natione Romanus, ex patre Anastasio, illustri (1) viro, sedit annos 12. dies 27. menses 11. (2) Hic amavit, & restauravit cœmeteria (3) Sanctorum Martyrum. Hic constituit, (4) ut oblationes, & ampullæ, vel luminaria in eisdem cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Hic perfecit Ecclesiam Apostolorum Philippi, & Jacobi, & dedicavit eam. Eodem tempore Heruli in Tarsia venerunt, (5) & levaverunt sibi Regem Sindualt, (6) & premebant cunctam Italiam. At egressus Narses (7) ad eum, interfectus est Rex, & omnem gentem Herulorum sibi subjugavit. Deinde venit Amingus Dux Francorum, & Buccellinus. (8) Simili modo, & ipsi premebant Italiam. Sed auxiliante Domino, & ipsi à Narsete interfecti sunt. Erat ergo tota Italia gaudens. Tunc Romani invidia ducti suggestionem fecerunt Justiniano, & Sophiæ (9), quia expedierat Romanis Gothis servire, quam Græcis. Ubi Narses Eunuchus imperat, & servitio (10) non subjicit. Et piissimus Princeps noster hæc ignorat. Aut libera nos de manu ejus, (11) & civitatem Romanam, aut certe nos gentibus deserviemus. Quo audito Narses, dicit: Si male feci Romanis, male inveniam. Tunc egressus Narses de Roma, venit Campaniam, & scripsit genti Longobardorum, (12) ut venirent, & possiderent Italiam. Ut cognovit Joannes Papa, quia suggestionem suam ad Imperatorem contra Narsetem misissent, festinus venit Neapolim, cœpitque eum Joannes Papa rogare, ut reverteretur Romam. Tunc Narses dixit: Dic, Sanctissime Papa, quid male feci Romanis? Vadam ad pedes ejus, qui me misit, ut cognoscat omnis Italia, quomodo totis viribus laboravi pro ea. Respondit Joannes Papa, dicens: Citius ego vadam, quam tu de hac terra egressus fueris. Reversus est ergo Narses cum Sanctissimo Joanne Papa. Tunc Sanctissimus Papa retinuit se in cœmeterio Sanctorum Tiburtii, & Valeriani, & habitavit ibi multum temporis, ut etiam Episcopos consecraret ibidem. Narses vero ingressus Romam, (*) post multum temporis mortuus est; cujus corpus positum est in locello plumbeo, & reductæ sunt (13) omnes divitiæ ejus Constantinopolim. Eodem tempore Joannes Papa, & ipse mortuus est, & sepultus in Basilica Beati Petri sub die 13. mensis Julii. (14) Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros viginti novem, (15) Diaconos tresdecim, Episcopos per diversa loca numero septuaginta & unum (16), & cessavit Episcopatus, menses 10. dies 3.

LXIII. BENEDICTUS.

ANNO CHRISTI 573.

JUSTINI JUN. 8.

BEnedictus, natione Romanus, ex patre Bonifacio, sedit annos tres, (1) mensem unum, dies decem & octo. (2) Eodem tempore gens Longobardorum invasit omnem Italiam, simulque & fames nimia, ut etiam multitudo Castrorum se tradidissent Longobardis, ut temperare possent inopiam famis. Et dum cognovisset Justinus (3) piissimus Imperator, quia Roma periclitaretur fame, & mortalitate, misit in Ægyptum, & oneratas naves frumento transmisit Romam, & sic misertus est Deus Italiæ. (4) In istis laboribus, & afflictionibus positus Sanctissimus Papa venerabilis mortuus est, qui & sepultus in Basilica Beati Petri Apostoli in secretario sub die 30. mensis Julii. (5) Hic fecit ordinationem unam, (6) Presbyteros 15. Diaconos tres, Episcopos per diversa loca 21. & cessavit Episcopatos menses 3. (7) dies 10.

LXIV. PELAGIUS II.

ANNO CHRISTI 577.

JUSTINIANI JUN. 12.

PElagius, natione Romanus, ex patre Vinigildo, (1) sedit annos decem, menses duos, dies decem. Hic ordinatur absque jussione Principis, eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam, & multa vastatio ab eis in Italia fieret. Eodem tempore tantæ pluviæ fuerunt, ut omnes dicerent, quia aquæ diluvii super

per

JOANNES.

(1) A. ex patre Anastasio inlustrio.
B., & C. Anastasio illustri sedit &c.
(2) A. B., & C. menses XI. dies XXVI.
(3) C. restauravit cœmeteria SS., & instituit ut oblationes, & luminaria per eadem cœmeteria omnibus Dominicis &c.
(4) A., & B. Hic instituit ut oblationes & hamula, vel luminaria in eadem cœmeteria &c.
(5) A. B., & C. Heruli in Tarsia fecerunt, & levaverunt &c.
(6) A. Sindual. B. Indualt. C. Sinduald.
(7) B. & ingressus Narses ad eos, interfecit Regem &c.
C. tunc egressus Narses ad eos interfecit &c.
(8) A., & B., & Bucillinus.
C. Hermingus Dux Francorum, & Bucillinus simili modo, & ipsi cœperunt premere Italiam.
(9) B. Sophiæ Augustæ dicentes, quia expediebat Romanis magis Gothis servire &c.
C. *legit ut in* B. *præter pro* expediebat, *habet* expedierat.
(10) A. & servitio nos subjiciet.
B., & C. & servituti malè nos subjicit.
D. servitio nos subjicit.
(11) A. de manu ejus aut certè, & civitas Romana, & nos gentibus deserviemus, *&* *ita in* B.
(12) A., & D. Langobardorum.
(*) B. non post.
(13) A., & B. & reductus est cum omnibus divitiis ejus. C. & reductum est cum omnibus divitiis ejus &c.
(14) *verba* sub die XIII. mensis Julii, *desunt in* C.
(15) A. Presbyteros XXXVIII.
B. C., & D. XXXIX.
(16) B., & C. Episcopos LXI. A. XXI.

BENEDICTUS.

(1) A. B., & C. annos IV.
(2) A. dies XXVIII., *&* *ita in* C.
B. dies XXIX.
(3) Justinianus *in omnibus*.
(4) A. Deus terræ Italiæ in istis laboribus, & afflictionibus. Post ista Sanctissimus Papa &c.
B. Deus terræ Italiæ in istis laboribus, & afflictionibus positæ. Post hæc Sanctissimus &c.
C. Deus terræ Italiæ in istis laboribus, & afflictionibus positæ. Sanctiss. verò Papa &c.
D. terræ Italiæ.
(5) A. in secretario pridie Kal. Augusti.
(6) A. B., & C. unam per mensem Decembris &c.
(7) C. mens. II.

PELAGIUS.

(1) A., & D. Unigildo. B. VVigildo.
C. VVingillo.

Digitized by Google

per nos inundantur, (2) & talis clades fuit, qualem a sæculo nullus meminit fuisse. Eodem tempore investivit corpus Beati Petri Apostoli tabulis argenteis (3) deauratis. Hic domum suam fecit pthochium (4) pauperum, & senum. Hic fecit cœmeterium Beati Hermetis martyris. Hic fecit supra corpus Beati Laurentii martyris Basilicam a fundamento constructam, & tabulis argenteis exornavit (5) sepulcrum ejus. Qui mortuus est, & sepultus ad Beatum Petrum Apostolum sub die septima mensis (6) Februarii. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros viginti octo, (7) Diaconos septem, Episcopos per diversa loca 48. (8) Et cessavit Episcopatus menses sex, (9) dies 25. *A morte Sancti Sylvestri usque ad hunc primum Gregorium fuerunt anni 246.*

LXV. S. GREGORIUS.

ANNO CHRISTI 590.

MAURITII 5.

GRegorius, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annos tredecim, menses sex, dies decem. (1) Hic exposuit homilias Evangeliorum quadraginta. Job. (2) lib. 35. super Ezechielem lib. 22. Dialogorum lib. 4. & Pastoralem, & multa bona alia, quæ enumerare non possumus. Eodem tempore venit Romanus Patricius, (3) & Exarchus Romam, & dum reverteretur Ravennam, retinuit civitates, quas Longobardi tenebant, (4) idest, Sutrium, (5) Polimartium, Hortas, Tudertum, (6) Ameriam, Perusiam, Luceolis, & alias multas. Eodem tempore Beatissimus Gregorius misit servos Dei, Mellitum, Augustinum, & Joannem, & alios plures cum eis Monachos timentes Deum, in prædicationem Anglorum, ut eos converterent ad Dominum Jesum Christum. Hic augmentavit in precatione (7) Canonis, *Diesque nostros in tua pace disponas*, & cætera. Hic fecit Beato Petro Apostolo ciborium (8) cum columnis suis quatuor ex argento puro. (9) Hic fecit, ut super corpus Beati Petri, & Beati Pauli Apostoli missæ celebrarentur. Eodem tempore dedicavit Ecclesiam Gothorum, quæ fuit in Suburra, (10) in nomine Beatæ Agathæ (11) martyris. Hic domum suam constituit Monasterium, qui mortuus est, & sepultus in Basilica Beati Petri Apostoli ante sacrarium (12) die 12. mensis Martii. Hic fecit ordinationes duas, unam in Quadragesima, & aliam in mense Septembris, Presbyteros triginta novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca 62. (13) & cessavit Episcopatus menses 5. dies 18.

LXVI. SABINIANUS.

ANNO CHRISTI 604.

PHOCÆ IMPER. 2.

SAbinianus, (1) natione Tuscus, de Civitate Ulera, (2) ex patre Bono, sedit annum unum, menses quinque, dies novem. (3) Eodem tempore fuit fames in civitate Romana gravis. Facta autem pace cum gente Longobardorum, & jussit aperire horrea Ecclesiæ, & venundari frumentum (4) populo per solidum unum tritici modios triginta. Hic in Ecclesia Beati Petri Apostoli luminaria dedit (5). Quo defuncto, funus ejus ejectum est per Portam Sancti Joannis, & ductum est foris muros civitatis per pontem Milvium (6). Qui & sepultus est in Ecclesia Beati Petri Apostoli die 22. mensis Februarii (7). Hic Ecclesiam de clero implevit. Hic Episcopos fecit per diversa loca numero sex & viginti, & cessavit Episcopatus menses 11. dies 26. (8)

LXVII.

---

(2) A. diluvii superinundaverunt, & talis gladius fuit, qualis à sæculo &c.
B. superinundaverunt.
(3) C. tabulis lapideis deauratis.
(4) A. B., & C. fecit Xenodochium pauperum Senum.
(5) C. exornavit supra corpus ejus.
(6) A. Petrum Apostolum sexto Idus Februarii.
B. menses Februarii Indictione quinta.
(7) A. Presbyteros XXIII. Diaconos IX.
C. Diaconos VIII.
(8) B. Episcopos per diversa loca XL.
(9) A. & cessavit Episcopatus menses III. &c., *& ita in* B.
C. mens. VI. dies XXVIII.

GREGORIUS.

(1) B., & C. Hic fuit temporibus Mauritii, & Phocę Augustorum. Hic exposuit &c.
(2) A. Job Pastoralem, & multa alia, quæ numerare non possumus.
B. Job XXXVIII. Ezechielis XX. Pastoralem, & Dialogum lib. IV., quæ enumerare non possumus.
C. super Job lib. XXXV. super Ezechielem Omelias XX. Dialogorum lib. IV. Pastoralem, & multa alia, quæ numerare non possumus.
(3) B. Patricius Romam, & Exarchus exercitus &c.
(4) C. tenebantur cepit civitates &c.
(5) A. Sutrum.
(6) A. Tuder, Ameria.
C. Tuder Ameriam.
(7) B., & C. augumentavit in præfatione Canonis.
(8) B. & fecit ad B. Petrum Apostolum super Altare ciborium ex argento puro cum columnis quatuor, præcepitque ut supra corpus B. Petri Apostoli Missa celebraretur, item & in Ecclesia B. Pauli Apostoli eadem fecit. Eodem tempore &c.
C. ad B. Petrum Apostolum ciborium &c. argento puro. Hic jussit supra corpora Beatorum Petri, & Pauli Missas celebrari. Eodem tempore &c.
(9) A. ex argento puro. Fecit autem & vestes super corpus ejus blattinio, & exornavit auro purissimo pens. lib. C. Hic fecit ut super corpus B. Petri Apostoli Missæ celebrarentur. Et idem in Ecclesia B. Pauli Apostoli eadem fecit. Eodem tempore &c.
(10) A. C., & D. quæ fuit in Subura. B. quæ est in Subura.
(11) D. Beatæ Agathæ Virginis Martyris.
(12) A. ante Sacrarium III. Idus Martii.
B. & sepultus est ad B. Petrum Apostolum ante Secretarium die XI. mensis Martii.
C. ante Secretarium die XII. mensis Martii.
D. ante Secretarium.
(13) *verba*. Hic fecit ordinationes &c. *usque ad illa*, & cessavit &c., *desunt in* B., & C.

SABINIANUS.

(1) B. Savinianus.
(2) A., & B. de civitate Blera.
C. de civitate Bleda.
(3) A. dies VIII.
(4) B. & venundari frumenta pro solidis XIII. modios XXX.
C. frumenta pro solidis XIII. tritici modios XXX.
(5) A. B., & C. luminaria addidit.
(6) A. ad pontem Olvium.
C., & D. Molvium.
(7) A. Petri Apostoli VI. Kal. Martii.
Verba die 22. mensis Februarii, *desunt in* C.
(8) B. dies 26. depositus sub die secundo mensis Februarii.

Digitized by Google

LXVII. BONIFACIUS III.

ANNO CHRISTI 606.

PHOCÆ IMP. 4.

BOnifacius, natione Romanus, ex Patre Joanne Cataaudioce (1), sedit menses octo, dies viginti octo (2). Hic obtinuit apud Phocam (3) Principem, ut Sedes Apostolica Beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, idest, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Hic fecit constitutum in Ecclesia Beati Petri, in qua sederunt Episcopi septuaginta duo, Presbyteri Romani triginta quatuor (4), Diaconi, & omnis clerus, sub anathemate, ut nullus, Pontifice vivente, (5) aut Episcopo civitatis suæ, præsumat loqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato clero, & filiis Ecclesiæ, tunc electio fiat, & quem quisque (6) voluerit habebit licentiam eligendi sibi Sacerdotem. Qui defunctus, sepultus est in Ecclesia Beati Petri Apostoli die duodecima mensis Novembris. Hic fecit Episcopos per diversa loca numero viginti unum, & cessavit Episcopatus menses decem, dies sex.

LXVIII. S. BONIFACIUS IV.

ANNO CHRISTI 607.

PHOCÆ IMP. 5.

BOnifacius, natione Marsorum, de civitate Valeria, ex patre Joanne Medico, sedit annos sex, menses octo, dies tredecim. Hujus temporibus famis, pestilentiæ, & inundationes aquarum gravissimæ fuerunt. Eodem tempore petiit à Phocate Principe templum, quod appellatur *Pantheon*. In quo fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ semper Virginis, & omnium Martyrum. (1) In qua Ecclesia Princeps multa bona (2) obtulit. Hic domum suam Monasterium fecit, quod & ditavit. Qui defunctus sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum die 25. mensis Maji. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decemb. Diaconos octo, (3) Episcopos per diversa loca triginta quinque. (4)

LXIX. S. DEUS DEDIT.

ANNO CHRISTI 614.

HERACLII IMPER. 5.

DEusdedit, natione Romanus, ex patre Stephano Subdiacono, sedit annos tres, dies viginti quatuor (1). Hic clerum multum dilexit, Sacerdotes, & clerum ad loca pristina revocavit. Eodem tempore veniens Eleutherius Patricius, & Cubicularius Ravennam, occidit omnes, qui in nece Joannis Exarchi, & Judicis (2) reipublicæ fuerant mixti. Hic venit Romam, & susceptus est à Sanctissimo Deusdedit Pap. optime. Qui egressus de Roma, venit Neapolim, quę tenebatur à Joanne Compsino Intarta. Qui Eleutherius (3) Patricius pugnando ingressus est Neapolim, & interfecit Tyrannum, reversusque est Ravennam, & data roga militibus pax facta est in tota Italia. Hic constituit secundam missam in clero. Eodem tempore factus est terræmotus magnus mense Augusto indictione undecima (4). Post hæc secuta est clades in populo, percussio scabierum (5), ut nullus potuisset mortuum suum cognoscere. Qui defunctus, & sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum die octava mensis Novembris. Hic dimisit per obsequia sua, (6) & ad omnem Clerum rogam unam (7) integram. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros novem, (8) Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca numero viginti novem. Et cessavit Episcopatus mensem unum, dies sexdecim.

LXX. BONIFACIUS V.

ANNO CHRISTI 617.

HERACLII IMPER. 8.

BOnifacius, natione Campanus, de civitate Neapoli, (1) sedit annos quinque, dies tredecim. (2) Hic constituit, ut testamentum valeat secundum jussionem Principis. Hic constituit,

---

BONIFACIUS.

(1) A. ex patre Catudioce.
B., & C. Cataadioce.
(2) A. sedit annos II. mens. VIII. dies XXII. B. dies XXII.
(3) A. Focatum. D. Focatem.
(4) A. Presbyteri Romani XXXIII., *& ita in* D. B. Presbyteri Romani XXXIII. Diaconi III. C. Presb. Rom. XXX. Diaconi III.
(5) B. Pontifice vivente de Episcopo civitatis suæ præsumeret loqui, aut partes &c.
D. nullum Pontificem viventem aut Episcopum civitatis suæ præsumat loqui, aut partem &c.
C. præsumeret loqui, aut partes &c.
A. præsumat loqui, aut partes &c.
(6) A. electio fiat, & quisquis voluerit habebit licentiam &c.
B. electio fiat, & ut quisque voluerit habeat licentiam &c.
C. electio fiat, & quem voluerunt habeant licentiam &c.
D. electio fiat, ut quisquis quem voluerit habebit licentiam.

BONIFACIUS.

(1) C. Martyrum Christi, & reliquias in ea collocavit.
(2) A. B., & C. multa dona obtulit.
(3) C. Diaconos IX. Episcopos per diversa loca XXXVI.
A., & B. Episcopos &c. XXXVI.
(4) A. & cessavit Episcopatus mens. VI. dies XXV.
B. & cessavit Episcopatus mens. VII. dies XXV.

DEUSDEDIT.

(1) A. B., & C. dies XXIII.
(2) B., & C. Exarchi, & Judicum Reipub.
(3) B. tenebatur à Joanne Cosino Areata, contra quem pugnando Eleutherius Patricius ingressus est Neapolim, & interfecit eumdem Tyrannum, simul cum aliis multis, & sic reversus est &c.
(4) A. B., & C. Indictione VI.
(5) A. percussio scavearum. B., & C. percussio scabiarum. D. perfecutio scabiarum.
(6) A. pro obsequiis (*fortè* exequiis) suis ad omnem Clerum rogam unam, *& ita in* B.
(7) C. rogam unam, eleemosynam unam integram.
(8) A. B., & C. Presbyteros XIV.

BONIFACIUS.

(1) A. B., & C. ex patre Joanne.
(2) *Verba* dies tredecim *non leguntur in* A., & B. C an. V. dies X. fuit autem mitissimus, benignus, humilis, atque misericors. Hic constituit &c.

Digitized by Google

ſtituit, ut nullus trahatur de Eccleſia. Hic conſtituit, ut Acolytus non præſumat reliquias Sanctorum Martyrum levare, niſi Presbyter. Hic conſtituit, ut in Lateranis Acolytus non baptizaret cum Diacono, ſed Subdiaconi ſequentes. Hic perfecit cœmeterium (3) Sancti Nicodemi, & dedicavit illud. Erat enim Beatiſſimus Bonifacius mitiſſimus ſuper omnes homines, & miſericors. Hic clerum amavit, rogam integram clero ſuo dedit. Eodem tempore ante dies ordinationis ejus Eleutherius Patricius, & Eunuchus (4) factus Intarta aſſumpſit regnum, & veniente eo ad civitatem Romanam in Caſtrum, quod dicitur, Luceolis (5) ibidem Amites Ravennatis interfectus eſt. Cujus caput ductum eſt Conſtantinopolim ad piiſſimum Principem. Qui defunctus ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum, die vigeſima quinta menſis Octobris. Hic dimiſit omni clero obſequia ſua (6) rogam unam integram. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, Presbyteros viginti ſeptem, (7) Diaconos quatuor, (8) Epiſcopos per diverſa loca numero viginti novem. Et ceſſavit Epiſcopatus menſes ſex, dies 18. (9)

LXXI. HONORIUS.

ANNO CHRISTI 626.

HERACLII 17.

Honorius, natione Campanus, ex patre Petronio Conſule, ſedit annos 12. menſes 11. dies 17. (1) Hic temporibus ſuis multa bona fecit. Hic erudivit clerum. Temporibus ſuis renovavit omnem familiam (2) Beati Petri Apoſtoli, & inveſtivit confeſſionem Beati Petri ex argento puro, quod penſat libras centum octuaginta & ſeptem. Inveſtivit regias januas (3) in ingreſſu Eccleſiæ majores, quæ appellantur medianæ ex argento, quæ penſant libras nongentas ſeptuaginta quinque, fecit & ceroſtatas majores (4) ex argento paria duo, quæ ſunt ante corpus Beati Petri Apoſtoli, penſan. ſing. libr. 272. (*) Fecit & ad Beatum Andream Apoſtolum, ubi ſupra, ante confeſſionem tabulas (5) ex argento, quæ penſ. libr. ſeptuaginta tres. Hujus temporibus levatæ ſunt trabes in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli numero ſexdecim. (6) Hic cooperuit Eccleſiam omnem ex tabulis (7) æreis, quas levavit de templo, quod appellatur Romæ (8) ex conſenſu piiſſimi Heraclei (9) Imperatoris. Eodem tempore fecit Eccleſiam Beatæ Agnetis martyris milliario ab urbe Roma tertio, via Numentana, a ſolo, ubi requieſcit, quam undique ornavit, & exquiſivit, ubi poſuit multa dona. Ornavit autem ſepulcrum ejus ex argento, quod penſan. libras 252. Poſuit & deſuper ciburium æreum deauratum miræ magnitudinis. Fecit & Gabathos (10) aureos quatuor, penſan. ſing. libras ſingulas. Fecit abſidam ejuſdem Baſilicæ ex muſibo, (11) ubi etiam multa bona obtulit. Item fecit Baſilicam Beati Apollinaris martyris in urbe Roma, in porticu Beati Petri Apoſtoli, quæ appellatur ad palmata a ſolo, ubi dona multa largitus eſt.

Hic fecit conſtitutum in Eccleſia, & decrevit, ut per omnem hebdomadam ſabbato die exeat Litania ad Beatum Apollinarem, & ad Beatum Petrum Apoſtolum cum hymnis, & canticis populus omnis occurrere debeat. Fecit & Eccleſiam Beato Cyriaco martyri à ſolo via Oſtienſi milliario ſeptimo, (12) ubi & donum obtulit. Eodem tempore fecit Eccleſiam Beatorum Martyrum quatuor coronatorum, quam & dedicavit, & donum (13) obtulit. Fecit Eccleſiam Beato Severino à ſolo juxta civitatem Tiburtinam milliario ab urbe Romana vigeſimo, quam ipſe dedicavit, & dona multa obtulit. (14) Renovavit & cœmeterium Beatorum Martyrum Marcellini & Petri, via Lavicana. Eodem tempore fecit Baſilicam Beato Pancratio Martyri, via Aurelia milliario ſecundo (15) à ſolo, & ornavit ſepulcrum ejus ex argento, quod penſ. libras centum viginti. (16) Et ibi conſtituit mola in murum in loco Trajani juxta murum civitatis, & formam, quæ deducit aquam in lacum Sabbatinum, & ſub ſe formam, quæ conducit aquam Tyberis. Fecit & ciborium ſuper altare ex argento, quod penſ. libras 287. (17) & arcus argenteos quinque, (18) qui penſ. ſinguli libras 15. Fecit & candelabra aurea tria, (19) quæ penſ. ſing. libras ſingulas, ubi multa dona ſimul obtulit. Fecit

---

(3) A. Hic fecit cœmeterium S. Nicomedis.
B. S. Nicomedis.
D. S. Nichodimi.
(4) B. Eleutherius Patricius, & Exarchi factus antarſa aſſumpſit &c.
C. Eleutherius Patricius, & Exarchus factus antara aſſumpſit &c.
(5) A., & C. Luciolis.
A. B., & C. ibidem à militibus Ravennatibus interfectus eſt.
(6) A. pro obſequiis ſuis, *& ita in* B., & C.
(7) A. B., & C. Presbyteros XXVI.
(8) C. Diaconos X.
(9) A. B., & C. dies XIII. menſ. VI. *non legunt*.

HONORIUS.

(1) B. dies XVIII.
(2) A. B., & C. omnem cimiliam.
(3) *A* januas *in* A., & D. *deeſt*.
B., & C. inveſtivit regias majores in ingreſſu Eccleſiæ, quæ appellantur medianæ ex argento. Fecit quoque levari &c.
(4) B. Fecit ceroſtata majora ex argento puro penſ. libras CLXXXVII. Pallia duo, quæ ſunt ante corpus Beati Petri Apoſtoli penſ. ſingula lib. LXII. fecit quoque ad Beatum Andream Apoſtolum juxta eandem Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli ante confeſſionem ejus tabulam ex argento, *& ita in* C.
(*) A. B., & C. LXII.
A. Fecit ceroſtata &c. penſant. ſingula lib. LXII.
(5) A. ante confeſſionem tabulam ex argento &c.
(6) A. numero XVII.
(7) A. ex tigulis æreis.
B., & C. ex tegulis æreis.
(8) B., & C. quod appellatur Romuli.
(9) Eraclii Imp. *in omnibus*.
(10) A. fecit & gavatas aureas III. &c.
B., & C. fecit & granatas aureas III. penſan. ſing. lib II.
(11) B. ex muſeo, ubi etiam multa alia dona obtulit.
C. ex muſivo *cætera ut in* B.
A. ubi etiam & multa dona obtulit.
(12) B., & C. milliario VII. ab urbe.
(13) B., & C. quam dedicavit, & dona ibi obtulit.
(14) *Verba* fecit Eccleſiam Beato Severino &c. *uſque ad illa* renovavit & cœmeterium &c., *deſunt in* B.
(15) B., & C. mill. II. ab urbe &c.
(16) *Verba* & ibi conſtituit, *uſque ad illa*. Fecit & ciborium, *deſunt in* A. B., & C.
(17) A. lib. CLXXXVII.
B., & C. lib. C.
(18) B. fecit & arcus arg. II. penſ. &c., *& ita in* C.
(19) Candelabra aurea II. penſ. ſing. lib. V. *in* B., & C.

Digitized by Google

Fecit Ecclesiam Beatæ Luciæ in urbe Roma, juxta Sanctum Silvestrum, quam & dedicavit, & dona multa obtulit. Fecit Ecclesiam Beato Adriano (20) Martyri in tribus fatis, quam & dedicavit, & dona multa obtulit. Sed & multas alias fecit, quæ enumerare longum est. Fecit autem ordinationes tres per mensem Decembrem, Presbiteros 13. Diaconos 12. (21) Epicopos per diversa loca numero unum & octuaginta. Qui etiam sepultus est (22) in Basilica Beati Petri Apostoli, sub die quarto idus Octobris. Et cessavit Episcopatus annum unum, menses septem, dies 17. (23)

LXXII. SEVERINUS.

ANNO CHRISTI 638.

HERACLII 29.

Severinus, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses duos, dies quatuor. Hujus temporibus devastatum est Episcopium Lateranense à Mauricio Chartulario, & Isacio Patricio, & Exarcho Italiæ, cum adhuc electus esset Domnus Severinus. Sed antequam veniret Isacius (1) Mauricius dolo ductus adversùs Ecclesiam Dei, consilio inito cum quibusdam perversis hominibus, incitaverunt exercitum Romanum, dicentes, quia quid prodest, quod tantæ pecuniæ congregatæ sunt in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, & miles iste nihil exinde subventus habet, quando (2) & rogæ vestræ, quas Domnus Imperator vobis per vices mandavit, ibi sunt a sancto viro reconditæ. His auditis exarserunt omnes adversùs Ecclesiam Dei, & venerunt omnes (3) à minimo concitati, omnes armati, qui inventi sunt in civitate Romana à puero usque ad senem in Episcopio suprascripto Lateranensi, & non potuerunt manu militari introire, quia restiterunt eis, qui erant cum Sanctissimo Domno Severino.

Tunc videns hoc Mauricius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus fecit ibi exercitum residere, intra Episcopium Lateranense, & fuerunt ibi dies tres. Post triduum autem introivit Mauricius cum Judicibus, qui inventi sunt cum ipso in consilio, (4) & sigillaverunt omne vestiarium Ecclesiæ, seu cymbilia (5) Episcopii, quæ diversi Christianissimi Imperatores, seu Patricii, & Consules pro redemptione animarum suarum Beato Petro Apostolo reliquerant, ut pauperibus singulis temporibus pro alimonia (6) erogarentur, seu propter redemptionem captivorum. Et postmodum misit Mauricius epistolas suas ad Isacium patricium Ravennam de hoc, quod actum est, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium Episcopii. Et quia sine aliqua læsione omnem substantiam sæpe dictam potuissent (7) deprædari. Cumque hæc verius cognovisset Isacius, venit (8) in civitatem Romanam, & misit omnes primatos Ecclesiæ singulos per singulas civitates in exilium, ut non fuisset, qui ei resistere debuisset de clero. Et post dies aliquantos ingressus est Isacius Patricius in Episcopium Lateranense, & fuit ibi per dies octo (9), usque dum omnes substantiam illam deprædarentur.

Eodem tempore direxit exinde ex parte ex substantia ipsa in civitatem regiam ad Heraclium Imperatorem. Postmodum ordinatus est Sanctissimus Severinus, & reversus est Isacius Ravennam. Hic renovavit absidam Beati Petri Apostoli ex musivo, quod dirutum erat. Hic dilexit clerum, & omnibus donum augmentavit. Fuit autem Sanctus, benignus super omnes homines, amator pauperum, largus, & mitissimus. Fecit autem Episcopos per diversa loca numero quatuor (10). Hic dimisit omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die quarto nonas Augusti, & cessavit Episcopatus menses quatuor, dies viginti novem. (11)

LXXIII. JOANNES IV.

ANNO CHRISTI 639.

HERACLII 30.

Joannes, natione Dalmata (1), ex patre Venantio Scholastico, sedit annum unum, menses novem, dies (2) 18. Hic temporibus suis misit per omnem Dalmatiam, seu Istriam, multas pecunias per Sanctissimum, & fidelissimum Martinum Abbatem, propter redemptionem Captivorum, qui deprædati erant à gentibus. Eodem tempore fecit Ecclesiam Beatis Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliis multis Martyribus. Quorum Reliquias de Dalmatia, & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in Ecclesia suprascripta juxta fontem Lateranensem, juxta Oratorium Beati Joannis Evangelistæ, quam ornavit, & diversa dona obtulit. Fecit, ubi supra, arcus argenteos duos, qui pens. sing. lib. 15. simul, & alia vasa argentea multa. Fecit autem ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros 18. (3) Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca numero 18. Hic dimisit omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die 4. idus Octobris. Et cessavit Episcopatus mensem unum, dies 13.

LXXIV.

(20) A. fecit Ecclesiam Beati Adriani in tribus fatis.
* Martyri *deest in* B., & C.
(21) A. fecit autem ordinationes III. per mensem Decembris, Presbyteros XIII. Diaconos XI. &c.
B., & C. Diaconos XI.
(22) A. sepultus est ubi supra.
(23) B. diebus XXVIII.
C. XVIII.

SEVERINUS.

(1) A. B., & C. Isacius Patricius Mauritius.
(2) A. dum quando & rogationes vestras, quas Domnus Imperator vobis per vices mandavit, ibi sunt à suprascripto viro reconditas.
(3) A. & venerunt omnes animo concitati &c., *& ita in* B., & C.
(4) B., & C. & intrantes sub spetie pacis sigillaverunt &c.
(5) A. B., & C. Cymilia.
(6) C. pro eleemosina.
(7) B. non potuisset deprædari.
(8) B. venit Ravenna in civitatem Romam &c.
(9) * octo C. *non legit*.
(10) B., & C. numero novem.
(11) A. dies XXIV.

JOANNES.

(1) A., & B. natione Dalmatia.
(2) A. dies XIX.
C. dies IX.
B. dies XVIII. *non habet*.
(3) B., & C. Presbyteros XIX.

LXXIV. THEODORUS.

ANNO CHRISTI 642.

CONSTANTII 1.

Theodorus, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, de civitate Hierosolyma, sedit annos sex, menses 5. dies decem & octo. Hic fuit amator pauperum, largus, benignus super omnes, & multum misericors. Hujus temporibus Mauricius Carthularius, per quem multa mala operatus est Isacius Patricius, cum jam (1) increbuissent peccata ejus, Beato Petro Apostolo, ut eos hæreditaret ignis inextinguibilis, consilio ductus suprascriptus Mauricius cum ipsis, quibus antea devastaverat Ecclesiam Dei (2) intartizavit adversus Isacium Patricium, & misit per omnia castra, quæ erant sub civitate Romana per circuitum, & congregavit eos, & constrinxit se cum ipsis in sacramentum, ut deinceps nullus ex ipsis debuisset obedire Isacio, neque hominibus ejus, qui affirmabant eum, quia sibi regnum imponere noluisset (3). Audiens hæc Isacius Patricius, eo quod Mauricio (4) omnis exercitus Italiæ sacramenta dedisset, misit Donum magistrum militum, & sacellarium suum ad civitatem Romam cum exercitu, qui veniens in civitatem Romanam, omnes Judices, seu exercitus Romanus, qui prius se cum Mauricio sacramento constrinxerant, timore ducti dimittentes Mauricium Chartularium, omnes se cum Domno (5) junxerunt.

Et ingresso eo Romam fugit Mauricius ad Beatam Mariam ad Præsepe, quem tollentes de Ecclesia miserunt bojam in collum ejus. Similiter & omnes, qui in consilio cum ipso fuerant, in bojatos misit Ravennam per manus Maurini (6) Scribonis, & Thomati Carthularii. Qui deducentes eos pervenerunt juxta civitatem Ravennatem in locum, qui dicitur Ficulas (7) duodecimo milliario à civitate, & ibi decollaverunt Mauricium, quia sic in mandatis acceperant à suprascripto Isacio, ut unius (8) civitatem Ravennatem non ingrederetur. Et postquam decollatus est, levantes caput ejus, duxerunt Ravennam. Videns autem Isacius caput Mauricii, gavisus est. Et fecit ad exemplum multorum in circo Ravennate in stipitem poni. Illos autem, qui cum ipso directi fuerant omnes imbojatos jussit arcta custodia in carcerem mitti, cogitans eos quomodo puniret, sed cum ea agerentur mox (9) Dei judicio ipsis diebus percussus divino ictu interiit Isacius, & mortuus est. Ii autem, qui reclusi erant, (10) exeuntes de carcere, reversi sunt singuli per loca sua. Audiens hoc Imperator, quia defunctus est Isacius, misit Theodorum Patricium Exarchum, (11) qui cognomentum Callioppa, ad regendam omnem Italiam.

Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat (12) Patriarcha Constantinopolitanus in urbem Romam ad limina Apostolorum. Qui ingressus libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicæ nostræ Sedis in præsentia cuncti cleri, & populi, condemnans in eodem libello omnia quæ à se, vel à decessoribus suis scripta, vel acta sunt adversùs immaculatam nostram fidem. His itaque ab eo peractis, fecit eum munera erogare in populum, & cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut Sacerdotem Regiæ civitatis. Postea rursus (13) more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit. Tunc Sanctissimus Theodorus Papa convocans universos Sacerdotes, & Clerum in Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis, condemnavit eum sub vinculo anathematis juxta mercedem, ac retributionem propriæ transgressionis, canonicam pœnam, sive depositionem excipiens (14). Qui prædictus Pyrrhus reversus est in partes (15) Orientis.

Eodem tempore relevata (16) sunt corpora Sanctorum martyrum Primi, & Feliciani, quæ erant in arenario sepulta, via Numentana, & adducta sunt in urbem Romam. Quæ & recondita sunt in Basilica Beati Stephani Protomartyris, (17) ubi & dona obtulit, gabathas (18) aureas tres, tabulas ex argento ante confessionem, arcus argenteos duos. Fecit Ecclesiam Beato Valentino, via Flaminia, juxta pontem Milvium (19) à solo, quam ipse dedicavit, & dona multa obtulit. Fecit oratorium Beato (20) Silvestro intra Episcopium Lateranense, ubi & dona largitus est. Fecit & oratorium Beato Euplo (21) martyri foris portam Beati Pauli Apostoli, quod etiam ornavit.

Tunc

THEODORUS.

(1) A. cùm jam increpassent peccata ejus.
B. cùm jam increvissent peccata ejus contra Beatum Petrum Apostolum, *& ita in* C.

(2) B. Ecclesiam Dei errexit se, & intarzizavit.
C. errexit se adversùm Isacium Patricium.

(3) Imponere voluisset *in omnibus*.

(4) A., & B. eo quòd Mauritius cum omni exercitu Italiæ sibi sacramenta dedisset.
C. eo quòd Mauritius cum omni exercitu talia sacramenta sibi invicem dedissent.
D. eo quòd Mauritius, & omnis exercitus Italiæ sibi sacramenta dedissent.

(5) A. omnes se cum dono fecerunt.
B., & C. omnes se ad dona verterunt.
D. omnes cum se donum fecerunt.

(6) B. per manus Mauritii Stribonis.
C. per manus Mauritii Inscribonis, & Thimati Cartularii,
D. per manus Maini Scribonis.

(7) A., & C. ficuclas. B. ficulus.

(8) A., & B. ut vivus civitatem &c.
Verba ut unius &c. *usque ad illa*, & postquam &c. C. *non legit*.

(9) A., & D. mox nutu Dei Juditio &c.
B. mox nutu Dei ipsis diebus.
C. cum hæc agerentur Judicio Dei ipsis diebus &c.

(10) A. reelausi erant ejicientes de carcere &c., *& ita in* D.
B., & C. ejecti de carcere.

(11) Exarcum cui cognomentum Caliopa *in omnibus*.

(12) B. qui fuerat Episcopus, & Patriarcha, *& ita in* C.

(13) B., & C. postea reversus est more canis ad proprium impietatis vomitum. Tunc &c.
D. postea reversus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit.

(14) A. pænam, sive depositionem decerpens &c.
B. pænam sibi depositionis decernens.
C. canonicam sibi pænam depositionis decernens.

(15) B. reversus est in partibus Orientis, postquam Epistolas à Sede Apostolica transmissas accepit ut à suo reatu discederet, & noluit recedere justè, canonicèque depositus est. Ac eodem tempore &c., *& ita in* C.

(16) C. tempore jussu ejus elevata sunt corpora &c.
A., & B. levata sunt &c.
D. revelata sunt corpora &c.

(17) B., & C. Stephani Prothomartyris in Monte Cœlio, ubi & hæc dona &c.

(18) B. granatas aureas.
C. gravatas aureas.

(19) A. pontem Olbium. B. Molum. C., & D. Molvium.

(20) A. B., & C. fecit & Oratorium Beato Sebastiano intra &c.

(21) A. Oratorium B. Eapli Martyris.

Digitized by Google

Tunc Sanctissimus Theodorus Papa scripsit Paulo Patriarchæ Regiæ civitatis, tam rogans, quamque regulariter increpans, nec non per Apocrisarios, ut dictum est, pro hoc maxime destinatos præsentialiter ammonens, (22) & contestans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum à suo conamine quoquo modo revocare. Propter quod (23) ab Apostolica Sede ipse depositionis ultione perculsus est. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, Presbyteros 21. (24) Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero quadraginta sex. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die secundo idus Maji, & cessavit Episcopatus dies quinquaginta duos. (25)

LXXV. MARTINUS.

ANNO CHRISTI 649.

CONSTANTINI IMP. 8.

Martinus, (1) de civitate Tudertina, provincia Tusciæ, sedit annos sex, mensem unum, dies viginti sex. Hujus temporibus Paulus Constantinopolitanæ urbis Episcopus inflatus superbiæ spiritu adversus rectum (2) Sanctæ Dei Ecclesiæ dogma, audacter præsumpsit paternis definitionibus contraire: insuper studuit ad cooperimentum proprii erroris (3) quorundam subreptioni, ut & clementissimo Principi suaderet typum exponere, qui Catholicum dogma destrueret. In quo typo omnes omnino voces Sanctorum Patrum cum nefandissimorum hæreticorum dictionibus enervavit, scilicet nec unam, nec duas voluntates, aut operationes in Christo Domino nostro definiens confiteri. Qua de re hujusmodi pravitatem suam defendens, quod nunquam nec a prioribus hæreticis præsumptum est, ipse inlite (4) præsumere studuit in tantum, (5) ut altare Sanctæ nostræ Sedis, quod erat in domo Placidiæ sacratum (6) in venerabili oraculo subvertens, diriperet. Prohibens ne adorandam (7) & immaculatam hostiam Apocrisarii nostri ibidem Deo offerre valeant, nec communionis Sacramenta percipiant. Qui videlicet Apocrisarii ex præceptione Apostol. auctoritatis commoverunt (8) eum, ut de tali (9) hæretico intentu recederet. Nec non & contestari visi sunt, persecutionibus diversis cum aliis orthodoxis viris, & venerabilibus Sacerdotibus insecutus est eos, quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exilium deportans, alios autem verberibus (10) committens. Quibus pene omnem mundum (11) conturbantibus ex diversis locis querelam contra eos ad Apostolicam nostram Sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrantur. Conjurantes, ut totius malitiæ, tantæque eversionis per Apostolicam auctoritatem abscindant commentum: quatenus minime totius (12) corpus Catholicæ Ecclesiæ nocibilis eorum, (13) ecthescos languor disrumpere valeat.

Tunc Martinus Sanctissimus, ac Beatissimus Episcopus misit, & congregavit Episcopos in urbem Romam numero centum & quinque, & fecit Synodum secundum institutum Patrum orthodoxorum in Ecclesia Salvatoris juxta Episcopium Lateranense. Sedentibus Episcopis, & Presbyteris, adstantibus Diaconis, & clero universo, condemnaverunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Patriarchas Constantinopolitanos, qui novitates contra immaculatam fidem præsumpserunt innectere. Quippe quoniam ipsam excludere properantes hæreticorum dogmatum contra Catholicam Dei Ecclesiam confusionem (14) concinnaverunt, anathematis ultione perculsi sunt. Quæ Synodus hodie archivo Ecclesiæ continetur. Et faciens exemplaria per omnes tractus Orientis, & Occidentis direxit, & per manus orthodoxorum fidelium disseminavit. Ipsis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium Cubicularium, & Exarchum ad regendam omnem Italiam, præcipiens, & dicens: Oportet gloriam tuam, ut sicut nobis suggessit Paulus Patriarcha, hujus à Deo conservandæ urbis peragere. Et si quidem inveneris provinciam ipsam consentientem in typo à nobis exposito, tenere omnes, qui ibi sunt, Episcopos, (15) & hæreticos possessorum, atque habitatorum, & peregrinos, & in eodem subscribant. Si autem quomodo nobis suggessit Platón Gloriosus Patricius, & Eupraxius Gloriosus, potueritis suadere exercitui ibidem consistenti, jubemus teneri Martinum, qui hic erat Apocrisarius in regia Urbe. Et postmodum omnes Ecclesias relegere eum, quia factus est à nobis orthodoxus typus, & omnes Episcopi Italiæ in ipso subscribant. Si autem inveneritis contrarium in

(22) A. B., & C. præsentialiter amonentes, & contestantes.

(23) A. propter quod justa ab Apostolica &c.
B. propter quod juxta Apostolica ab Sede ipse &c.
C. propter quod ipse ab Apostolica Sede &c.

(24) B. Presbyteros XI.

(25) A. sub die pridie id Maji, & cess. Episc. dies XVI.

MARTINUS.

(1) C. Martinus natione Tuscus sedit &c.

(2) B., & C. adversùs rectam fidem, & Sanctæ Dei &c.

(3) A. erroris quibusdam subreptionibus, ut & clementissimo Principi suadere typum exponere, quia Catholicum &c.
B. subreptionibus egit, ut & clementissimo Principi suaderet typum exponendum, quo Catholicum &c.
C. *legit ut in* B. *præter pro* exponendum, *habet* exponendo.

(4) A. ipse illicitè, *& ita in* B., & C.

(5) B., & C. in tantum verò Vesaniæ prorupit ut Altare &c.

(6) A. domum Placidiæ sacramentum &c.
B. in domo Placidæ consecratum &c.

(7) B. prohibens ne ad adorandam immaculatam hostiam apocrisarii nostri, ibidem Deo offerre vellent.
C. *legit ut in* B. *præter pro* vellent, *habet* valerent.

(8) *In* A. B., & C. commonuerunt.

(9) B. ut ab hujus hæresis intentione recederent, necnon & contestari jussi sunt.
C. *ut in* B., *sed post τὸ* contestari *legit* eum.

(10) A. verberibus summittens, *& ita in* B., & C.

(11) B., & C. mundum dispersis ex diversis &c.

(12) B. quatenus minimè totum corpus &c., *& ita in* C.

(13) A. eorum & theseos Langobardis rumpere valeas.
B. eorum persecutionis languor corrumpere valeret.
C. eorum executionis languor corrumpere valeret.
D. eorum theseus languor &c.

(14) B., & C. confusionem continuaverunt.

(15) A. sunt Episcopi, & iheraticos possessorum &c.

in tali causa exercitum tacitum (16) habetote, donec obtinueritis provinciam, (17) & potueritis vobis exercitum aggregare, tamen Romanæ civitatis, atque Ravennatis, ut ea, quæ à nobis præcepta sunt, quantocyus explere valeatis.

Qui prædictus Olympius veniens in civitatem Romanam invenit Sanctam Romanam Ecclesiam coadunatam cum omnibus Episcopis Italiæ, seu Sacerdotibus, vel Clero. Et volens implere ea, quæ ei jussa sunt, amans secum (18) exercitum virtutis, voluit schisma Sanctæ Ecclesiæ intromittere. Hoc per plurimum tempus actum est. Et non illum Omnipotens Deus permisit, quæ nitebatur perficere. Videns ergo se à Sancta Dei Catholica, atque Apostolica Ecclesia superatum, necesse habuit de sua quasi mala intentione declinare, ut quod non potuit per manum armatam facere, sub hæretico (19) modo per Missarum Solemnia in Ecclesia Dei Sanctæ Genitricis, semperque Virginis Mariæ ad Præsepe (20) perficeret. Nam dum communionem ei porrigeret Sanctissimus Papa, voluit eum crudeliter interficere, ut demandarat suo Spathario. Sed Omnipotens Deus, qui solitus est servos suos orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipse excæcavit Spatharium Olympii Exarchi, & non est permissus videre Pontificem, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit, ut sanguis ejus effunderetur (21), & Catholica Dei Ecclesia hæresi subjugaretur. Quod postmodum prædictus armiger diversis cum jursjurando professus est.

Videns ergo Olympius Exarchus, quia manus Dei circumtegebat Martinum Sanctissimum Papam, necesse habuit secum Pontificem concordare, & omnia, quæ ei jussa fuerant, eidem sanctissimo viro indicare. Qui facta pace cum Sancta Dei Ecclesia colligens exercitum, profectus est Siciliam adversus gentem Saracenorum, qui ibidem habitabant. Et peccato faciente major interitus in exercitu Romano pervenit, & post hoc eisdem (22) Exarchus morbo interiit. Deinde directus est ab Imperatore Theodorus Exarchus, qui cognomento Calliopa dicitur, cum Theodoro Imperiali Cubiculario, qui & Pellurius (23) dicebatur, cum jussione. Qui tollentes Sanctissimum Martinum Papam de Ecclesia Salvatoris, quæ & Constantiniana appellatur, perduxerunt Constantinopolim, & nec sic eis acquievit. Deinde directus est prædictus sanctissimus vir in exilium, in locum, qui dicitur (24) Cersona. Et ibidem, ut Deo placuit, vitam finivit in pace Christi confessor. Qui & multa mirabilia operatur usque in hodiernum diem. Fecit autem ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros undecim, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca numero triginta tres. Depositus (25) die 17. mensis Septembris, & cessavit Episcopatus (26) dies viginti octo.

LXXVI. S. EUGENIUS.

ANNO CHRISTI 652.

CONSTANTIS IMP. 11.

Eugenius, natione Romanus, de regione prima Aventinense, clericus à cunabulis, ex patre Ruffiniano, sedit annos duos, menses octo, (1) dies viginti quatuor. Fuit enim benignus, mitis, mansuetus, omnibus affabilis, & sanctitate præclarior. Rogam clero solitam tribuit, & indigentibus eleemosynam ministravit. Ut etiam die transitus sui pauperibus, vel clero, seu familiæ, Presbyteria in integrum erogari præciperet. Hujus temporibus Petrus Patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam (2) Epistolam ad Sedem Apostolicam, juxta consuetudinem priorem omnino obscurissimam, & ultra regulam, non autem (3) declarans operationes, aut voluntates in Domino Nostro Jesu Christo. Et accensus populus, vel clerus eo quod talem Synodicam direxisset, minime est suscepta, sed cum majore strepitu est à Sancta Dei Ecclesia projecta: Ut etiam nec eundem Papam dimitteret populus, vel clerus Missas celebrare in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe, nisi promisisset his ipse Pontifex minime eam aliquando suscipere. Fecit autem (4) Episcopos per diversa loca numero 21. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die 4. nonas Junii. Et cessavit Episcopatus mensem unum, dies 29. (5)

LXXVII. S. VITALIANUS.

ANNO CHRISTI 655.

CONSTANTIS IMP. 14.

Vitalianus, natione Signiensis, provinciæ Campaniæ, de patre Anastasio, sedit annos 14. menses sex. Hic direxit responsales suos cum Synodica juxta consuetudinem in regiam urbem apud piissimos (1) Principes, signi-

(16) A. τὸ tacitum *non habet*.
(17) B. donec omnem obtinueris provinciam, & poteris nobis exercitum majorem adgregare tam Rom. civitatis, quàm Ravennatis.
C. & potueris majorem exercitum agregare tam & Rom. civit. quàm & Raven.
(18) A. Armans secum exercitum.
B., & C. armans se cum exercitu.
(19) A. B., & C. facere, subreptitio modo &c.
(20) A. ad Præsepe ad communionem, dum ei &c. *& ita in* D.
(21) B. ut sanguis ejus non effunderetur.
A. *verba* & Catholica &c. *usque ad illa*, Quod postmodum *non legit*.
(22) A. & post hoc isdem exercitus morbo &c.
B. post hoc idem Exarchus morbo &c.
C. post hoc isdem Exarcus &c.
(23) A. qui & puillarius dicebatur.
B., & C. qui & pellarius.
(24) B. qui dicitur Sarsona.
(25) A. depositio ejus celebratur XV. Kal. Octobris, *reliqua non leguntur*.
B. depositus sub die VII. mensis Septembris, *reliqua non leguntur*.
(26) C. Cessavit Episcopatus an. I. mens. II. dies XX.

EUGENIUS.

(1) A. B., & C. menses IX.
(2) A. direxit Synodicam ad Sedem &c., *& ita in* D.
(3) D. & ultra regulam Synodicam Petri Patriarchæ Constantinop., aut voluntatem in Christo Papæ Eugenio directum noluit recipere Clerus Romanus, & accensus &c. *hæc leguntur in margine eadem manu exarata*.
B. non aliter declarans operationes &c.
C. non aliter declarans duas operationes, aut voluntates &c.
(4) A. fecit autem ordinat. Episcopos &c.
B., & C. fecit autem ordinationes duas &c.
(5) A. XXIII.
B., & C. XXVIII.

VITALIANUS.

(1) B. apud piissimum Principem.

Digitized by Google

significans de ordinatione sua. Et dum suscepti essent renovantes privilegia Ecclesiæ reversi sunt, quorum clementia per eosdem missos direxerat (2) Beato Petro Apostolo, & Evangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornatus. Hic regulam Ecclesiasticam, atque vigorem, ut mos erat, omnimodo conservavit. Hujus temporibus venit Constantinus Augustus de regia urbe per litoraria in Athenas, (3) & exinde Tarantum, inde Beneventum, & Neapolim per indictionem 6. Postmodum venit Romam, idest quinta (4) die mensis Julii feria quarta indictione supraſcripta, & occurrit ei obviam Apostolicus cum clero suo milliario sexto (5) ab urbe Roma, & suscepit eum. Et ipsa die ambulavit Imperator ad Sanctum Petrum adorationem, & donum ibi obtulit. Die Sabbati ad Sanctam Mariam, itemque donum obtulit. Dominico die processit ad Sanctum Petrum cum exercitu suo. Omnes cum cereis exierunt obviam ei, (6) & obtulit super altare illius pallium auro textile, & celebratæ sunt Missæ. Iterum Sabbati die venit Imperator ad Lateranas, & lavit se, & ibidem praxit (7) in Basilica Julii. Item Dominico die fuit statio ad Sanctum Petrum, & post Missas celebratas, vale fecerunt sibi invicem Imperator & Pontifex, duodecim dies in civitate Romana perseverans.

Omnia, quæ erant in ære ad ornatum civitatis deposuit, sed & Ecclesiam Beatæ Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat cooperta, discooperuit. Et in regiam urbem cum aliis diversis quæ deposuerat, direxit. Et postmodum secunda feria egressus de civitate Romana, reversus est Neapolim. Inde terreno (8) itinere perrexit Rhegium, ingressus Siciliam per indict. 7. Et habitavit in civitate Syracusana, & talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, per diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales a sæculo nunquam fuerant, ut etiam uxores a maritis, vel filios a patre separarent, & alia multa inaudita perpessi sunt, ut alicui spes vitæ non remaneret, sed & vasa sacrata, vel cymilia Sanctarum Dei Ecclesiarum tollentes nihil dimiserunt. Et postmodum 15. die mensis Julii per 11. (9) indict. prædictus Imperator in balneo (10) occisus est. Et non post multum temporis antedictus sanctissimus vir vitam finivit. Fecit autem ordinationes quatuor, Presbyteros viginti duos, Diaconum (11) unum, Episcopos per diversa loca nonaginta septem. (12) Qui etiam sepultus est (13) ad Beatum Petrum Apostolum sub die sexto calend. Februarii, & cessavit Episcopatus menses duos, die 13.

LXXVIII. ADEODATUS.

ANNO CHRISTI 669.

CONSTANT. POGONATI 2.

Adeodatus, natione Romanus, ex Monachis, de patre Jobiniano, (1) sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque. (2) Tantæ (3) magnitudinis fuit mitissimus, ac benignissimus, ut omnem hominem a majori usque ad minimum libenter susciperet, (4) peregrinis compassionem exhibuit, ut etiam unusquisque quod postulavit, sine dubio impetravit. Sed & rogam omnibus ampliavit. Hujus temporibus Mezzetius, (5) qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, intartizavit, (6) & arripuit Regnum. Et perrexit exercitus (7) Italiæ per partes Istriæ, alii per partes Campaniæ, nec non & alii per partes Sardiniæ, & Africæ. Pari modo venerunt per Siciliam in civitatem Syracus. & Deo auxiliante interemptus est, nec dicendus Mezzetius. Et multi ex Judicibus ejus truncati, perducti sunt Constantinopolim simul & caput ejusdem Intartæ. (8) Postmodum venientes Saraceni in Siciliam, obtinuerunt prædictam civitatem, & multam occisionem fecerunt in populo, (9) qui in castra, seu montana confugerant. Similiter & prædam nimiam (10) fecerunt, & æs quod ibidem a civitate Romana delatum fuerat, secum tollentes, Alexandriam reversi sunt.

Hic Ecclesiam Beati Petri, quæ est via Portuensi juxta (11) campum Meruli, ut decuit, restauravit, atque (12) dedicavit. Sed & in Monasterio Sancti Erasmi situm in Cælio monte, in quo concrevisse visus est prædictus sanctissi-

(2) A. missos direxerunt Beato Petro Apostolo Evangelia &c., *& ita in* B.
C. direxit.
(3) A. per littoraria medianus, & exinde &c.
B., & C. per littora in Athenas.
(4) B. indict. XV. dies &c.
(5) C. milliario V. ab urbe &c.
(6) *Verba* exierunt, obviam ei *non leguntur in* A. B., & C.
(7) A. pransit in Basilica Vigilii. C. pransit.
(8) A. inde terreno perrexit Regio.
B., & C. inde mari tyrrheno perrexit Regium.
(9) A. B., & C. per Indict. XII.
(10) B., & C. in balneo Dei Judicio occisus est. Eodem tempore missi sunt à Vittaliano Papa in Brittanniam Theodorus Archiepiscopus, & Adrianus Abbas utrique doctissimi, qui plurimas Ecclesias Anglorum doctrinæ Ecclesiasticæ fruge fœcundarunt, è quibus Theodorus Archiepiscopus peccantium judicia, quantos scilicet annos pro uno quoque peccato quis pœnitere debeat mirabili, & discreta consideratione descripsit. Et non &c.
(11) B., & C. Diaconos L.
(12) B. Episcopos &c. LXXVII.
(13) A. sepultus est sub die VII. Kal. Feb.

ADEODATUS.

(1) A., & C. ex patre Jobiano.
B. ex patre Joanne.
(2) C. dies II.
(3) B., & C. tanta tabulæ magnitudine.
(4) A. susciperet, egris compassionem exhiberet.
(5) B. Metedius.
C Meterius.
D. Mezentius.
(6) C. *&* intartizavit *non legit.*
(7) A. exercitus per partes Histriæ, aliæ per partes Sardiniæ, & Africæ.
B., & C. exercitus per partes Campaniæ, nec non & alii per partes Sardiniæ, & Africæ.
(8) A. ejusdem intartem.
B. intarta.
C. *&* Intartæ *non legit.*
(9) B. in populo fecerunt vix paucis evadentibus, qui in castris &c.
C. in populo fecerunt vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra confugerant, & juga montium, auferentes quoque prædam nimiam &c.
(10) A. nimiam, vel ære, qui ibid. à civit. Rom. navigatum fuerat &c.
B., & C. nimiam, & omnem illum ornatum, ac diversarum speciarum, quem Constantinus à Roma navigio illuc detulerat, secum asportantes Alexandriam profecti sunt. Eodem tempore Adeodatus Papa Ecclesiam Beati Petri &c.
(11) A. juxta pontem meruli, *& ita in* C.
B. juxta pontem merulum.
(12) B. restauravit, atque construxit.

Digitized by Google

ctiſſimus vir, multa nova ædificia augmentavit, ſed & caſalia conquiſivit, & in vita ſua Abbatem, vel congregationem ibidem inſtituit. Poſt cujus tranſitum tantæ pluviæ, & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminit eſſe, ut etiam homines, & pecudes de fulgure interirent. Et niſi per letanias, quæ quotidie fiebant Dominus eſſet propitiatus, non potuiſſent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere. In tantum enim crevere hæc mala, ut ex ipſis pluviis denuo legumina renaſcerentur, & ad maturitatem devenirent, pro quo capti (13) homines mirabantur. Fecit autem ordinationem unam per menſem Decembris, Presbyteros 14. Diaconos duos, Epiſcopos per diverſa loca quadraginta ſex. (14) Qui etiam ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die 6. calendas Julias, & ceſſavit Epiſcopatus menſes quatuor, dies quindecim. (15)

LXXIX. DONUS.

ANNO CHRISTI 676.

CONSTANT. POGON. 9.

Donus, natione Romanus, ex patre Mauricio, ſedit annum unum, (1) menſes quinque, dies decem. Hic atrium Beati Petri Apoſtoli ſuperius, quod (2) eſt ante Eccleſiam in quadriporticum magnis marmoribus ſtravit, ſed & Eccleſiam Apoſtolorum ſitam via Oſtienſi, ut decuit, reſtauravit, atque dedicavit. Itemque Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ poſitam via Appia ſimiliter dedicavit. Clerum quoque (3) diverſis ordinibus, & honoribus ampliavit. Hic reperit in urbe Roma in Monaſterio (4), quod appellatur Boetianum, Neſtorianitas Monachos Syros, quos per diverſa Monaſteria diviſit. In quo prædicto Monaſterio Monachos Romanos inſtituit. Hujus temporibus Eccleſia Ravennatum, quæ ſe ab Eccleſia Romana ſegregaverat (5) cauſa autocephaliæ, denuo ſe priſtinæ Sedi Apoſtolicæ ſubjugavit. Cujus Eccleſiæ præſul nomine Reparatus e veſtigio, ut Deo placuit, vitam finivit. Hic dum eſſet electus per Auguſti menſem, apparuit ſtella (6) à parte Orientis à galli cantu uſque mane per menſes tres. Cujus radii cœlum penetrabant. In cujus viſione ſurgentis omnes provinciæ, & gentes mirabantur, (7) quæ poſt in ſemetipſam reverſa diſparuit. Pro quo capitulo & maximo mors à parte Orientis ſubſecuta eſt. Fecit autem ordinationem unam, Presbyteros decem, Diac. 50. (8) Epiſcopos per diverſa loca numero ſex. Qui etiam ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die 3. idus Aprilis, & ceſſavit Epiſcopatus menſes duos, (9) dies 15.

LXXX. S. AGATHO.

ANNO CHRISTI 678.

CONSTANT. POGON. 11.

Agatho, natione Siculus, (1) ex Monachis, ſedit annos duos, menſes ſex, dies tres. Tantum benignus, & manſuetus fuit, ut etiam omnibus hilaris, & jocundus comprobaretur. Hujus temporibus Theodorus Archiepiſcopus Ravennæ ſemetipſum Sedi Apoſtolicæ poſt multorum annorum curricula præſentavit. (2) Hic ſuſcepit divalem juſſionem piiſſimorum Principum Conſtantini, Heraclii, & Tyberii Auguſtorum, (3) per Epiphanium Glorioſum à ſecretis, miſſam præceſſori ſuo Dono Papæ invitantem, atque adhortantem, ut debeat Sacerdotes, vel miſſos ſuos dirigere in Regiam urbem pro adunatione facienda Sanctarum Dei Eccleſiarum, quod & ordinare non diſtulit. Et direxit Abundantium Paternenſem, Joannem Rhegitanum, & Joannem Portuenſem (4) Epiſcopum, Theodorum, & Georgium Presbyteros, Joannem Diaconum, (5) & Conſtantinum, Theodorum Presbyterum Ravennatem, atque Religioſos ſervos Dei Monachos. (6) Clerum videlicet diverſis ordinibus, & ſuper quod competebat, eos honoribus ampliavit. Hic ultra conſuetudinem Arcarius Eccleſiæ Romanæ efficitur, & per ſemetipſum cauſam Arcariæ diposuit, emittens videlicet de ſuſcepta per nomenclatorem manu ſua obumbratas, qui infirmitate detentus Arcadium (7) juxta conſuetudinem inſtituit.

Hujus temporibus Indict. 8. Luna eclypſim pertulit menſ. Jun. (8) die 28. Similiter & mortalitas major, atque graviſſima ſubſecuta eſt menſe ſupraſcripto, Julio, Auguſto, & Septembr. in urbe Roma, qualis nec temporibus

---

(13) A. pro quo capitulo etiam homines mirarentur, *& ita in* B.
C. pro quo omnes mirabantur.
(14) A. Epiſcopos &c. XVII.
(15) B. diebus XXV.

DONUS. D. CONUS.

(1) C. ſedit annos II. &c.
(2) B. ſuperius, quod Paradiſus dicitur, & eſt ante &c., *& ita in* C.
(3) A., & D. Clerum videlicet diverſis &c.
B. Clerum videlicet diverſis ordinibus, & nominibus ampliavit.
(4) A. in Monaſterio Boetiana.
B. Monaſt. Boezanas.
C. Monaſt. Boetiano.
(5) C. ſegregaverat Alicephali, denuo ſe &c.
(6) B. Stella Cometa à parte &c.
(7) C. mirabantur quidnam eſſe poſſit, poſt eam apparitionem maxima mors à parte Orientis ſubſecuta eſt.
(8) C. Diacon. V.
(9) A. menſes III. dies &c.

AGATHO.

(1) A. natione Sicula ſedit ann. II. menſes VI. dies IV.
B. natione Siculus ſedit anno I. menſibus VI. diebus quatuor.
C. ann. II. menſ. VI. dies IV.
(2) B., & C. hic ſuſcepit divalem juſſionem ſecundùm ſuam poſtulationem, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificum. Sic tamen ut ſi electio facta fuerit, non debeat ordinari qui electus eſt, niſi priùs decretum generale introducatur in Regiam urbem ſecundùm conſuetudinem, & cum ejus Imperatoris conſcientia, & juſſione debeat ordinatio provenire. Suſcepit quoque divalem juſſionem &c.
(3) B., & C. Tyberii Auguſtorum per prophanam Glorioſum à ſecretis &c.
(4) B. Portuenſem Epiſcopos Theodorum, & Georgium Presbyteros &c.
(5) A. Joannem Diaconum, Conſtantinum Subdiaconum, Theodorum Presb. Ravenn., atque religioſos viros Dei Monachos.
B. Joannem Diaconum, Conſtantinum Subdiaconum, Theodorum &c., *& ita in* C.
(6) B. Monachos. Quam ſupraſcripti Miſſi Sedis Apoſtolicæ ingredientes Regiam urbem die X. menſis Novembris Indict. XI. domino ſolatiante, atque Principe Apoſtolorum comitante &c., *& ita in* C., *ſed pro* Indict. undecima *habet* IX.
(7) A. infirmitate detentus Arcarium juxta &c., *& ita in* D.
(8) Menſe Junio die XVIII. *in omnibus*.

Digitized by Google

bus aliorum (9) Pontificum esse memoratur. Ut etiam parentes cum filiis, atque fratres, atque sorores binatim per lectos ad sepulcra deducerentur. Postmodum vero foras circumquaque suburbana, & castra devastare non cessavit. Qui suprascripti missi Sedis Apostolicæ, qui directi fuerant, in Regiam urbem, ingredientes die decima mensis Novembris nona Indictio. Domino solante, atque Principe Apostolorum comitante suscepti sunt à Principe in oraculo Beati Petri Apostoli intra palatium, porrigentes ei scripta Pontificis. Quæ dum suscepisset (10) commonuit eos, atque adhortatus est, ut non per schisma, (11) aut furorem, sed pacifica dispositione remittentes philosophicas assertiones puram (12) Sanctarum Scripturarum, Patrumque, & probatam fidem per synodalia decreta satisfacerent. Et dans inducias ad retractanda scripta, tribuit eis omnia, quæ ad sustentationem sufficiebant in eorum expensas in domo, quæ appellatur Placidia, (13) die 18. mensis suprascripti, die Dominico advocati sunt in processione ad Sanctam Dei Genitricem in Blachernas (14) in tanta honorificentia, ut etiam de Palatio Caballos stratos dirigeret cum obsequio pietas imperialis, & sic eos susciperet. (15) Ea ipsa commonens, ut pacifica assertione testimonia venerabilium Patrum proponerent.

Die vigesima secunda (16) mensis Novembris in Basilica, quæ Trullus appellatur, intra palatium sub regali cultu, residente (17) cum Constantino Aug. Georgio Patriarcha Constantinopolitano, ac Macario Antiocheno, suscepti sunt missi Sedis Apostolicæ, deinde Metropolitæ, vel Episcopi Orientalium partium numero centum quinquaginta. Qui proni (18) adorantes, residere eos præcepit una cum nostris. Post hæc Patricii, (19) Ypati, omnesque inclyti (20) introjerunt, & habita inquisitione ab ejus pietate, cujus partis deberet ostensio approbari. Legati Sedis Apostolicæ dixerunt: Opportuna veritas, & ratio exigit, ut à (21) parte eorum, qui unam voluntatem, & operationem in Domino Jesu Christo asserunt Apostolicæ Sedis exponere. Qui audientes læti effecti paratos se esse dixerunt. Et accepta licentia ea hora suos intromiserunt libros, & tomos diversos, & Synodos, quas falsaverant. Nam non per veritatem se superare nitebantur (22), sed per mendacia, & diversa commenta, quæ in libris suis ipsi addiderant, & relegentes per singula, reperti sunt mendaces, unam operationem, & voluntatem, (23) dicentes: & in quinta Synodo Epistolam Vigilii Papæ ad Mennam Patriarcham, atque libellum ejusdem Mennæ in quaternionibus noviter additis, falsaverunt, unam voluntatem (24), & operationem dicentes, quod coram Principe, & Synodo claruit. Alia die Catholicæ fidei defensor pius Princeps in secretario residens, inquisitione de ipsis codicibus facta, ita reperit falsa noviter addita fuisse.

Die 12. mensis Decembris (25) residente Synodo cum ejus pietate suscepti sunt missi Sedis Apostolicæ, & præcepit eos in Synodo residere. Præsentantes locum Sanctissimi, ac Beatissimi Agathonis Papæ. Quibus dictum est, ut omnes libros, quos scirent ad causam fidei pertinere, coram Synodo adducerent, quod & factum est. Et vocato Georgio Diacono, & Chartophylace Ecclesiæ (26) Constantinopolitanæ, præceptum est ei, ut juxta eorum notitiam codices ex Bibliotheca Ecclesiæ ad medium deduceret, & dum adducti essent, (27) & relegerentur, utrique similes reperti sunt, duas naturas, duasque voluntates, & operationes in Domino Jesu Christo habentes. Et confusus Macarius coram Synodo inventus est mendax. Tunc interdixit pietas Augustalis Georgio Patriarchæ, ut minime in Ecclesia sua susciperet Macarium, vel ejus homines, interdicens ei processum. Hæc prima ejus ruina fuit, die (28) 13. mensis Februarii auxiliante Beato Petro Apostolo, ut veritatis lumen appareret, intromissa sunt coram Synodo venerabilium Patrum dicta Joannis Constantinopolitani, Cyrilli, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dionysii, (29) Hilarii, Ambrosii, Augustini, & Leonis duas (30) naturales voluntates, & operationes in Christo, dicentium ad satisfactionem Principis, vel Synodi.

Sequenti die in eodem Secretario residente Synodo una cum Principe Synodica Sanctissimi Agathonis Papæ relecta est, & ad singula comprobata Patrum dicta inserta, in qua Synodica (31) Episcopi Occidentalis partis subscripserunt numero centum vigintiquinque. Cùmque post hæc adhortatus est, nec dicendus Macarius à Sancta Synodo, vel à Pio Principe, omnique Sena-

(9) B. aliorum Pontificum fuisse memoratur, ut etiam parentes cum filiis, atque fratribus, seu sorores, vel nati per lectos &c.
C. *leg. ut in* B. *sed pro* Pontificum *babet* potuit.
(10) A. quæ dum suscepisset comonens eos, atque adhortans, ut non per pessima, aut furore, sed pacifica dispositione &c.
(11) B., & C. ut non per iram, aut cum furore, sed pacifica &c.
(12) D. puram Sanctorum Patrum, & probatam fidem &c.
(13) A. quæ appellatur Placidias die XVII. mensis &c.
B. quæ appellatur Placidi die XIX. mensis &c.
(14) B. Genitricem ad Blaternas.
C. in Placernas.
(15) A. eos susciperet. Et ipsa comonens &c.
B. eos susciperet comiter, & pacif. adsertione &c.
C. eos susciperet communiter ut pacifica assertione &c.
(16) B., & C. die XII. mensis Novemb.
(17) A. ressedente. Et cum eo Georgio Patriarcha &c., *& ita in* B., & C.
(18) B., & C. qui cùm proni adorassent.
(19) B. post hæc Patricii quinque, omnesque incliti cum omni syndico, & ab ejus pietate habita &c., *& ita in* C.
(20) A. ypati omnique synclitu.
D. ypati omnique sincletu.
(21) A. exigit ut apertè eorum, qui unam voluntatem & operationem ii, & operationem in Domino J. C. asserunt Apostolicæ Sedis exponere.
B. ut apertè eorum, qui unam voluntatem, & operationem in Domino Jesu Christo asserunt Apostolicæ Sedis auctoritati exponantur.
C. *legit ut in* B. *præter pro* auctoritati *babet* auctoritas.
(22) A., & C. superare æstimaverunt.
(23) B., & C. & voluntatem in Domino Jesu Christo esse dicentes.
(24) B. falsaverunt una voluntate dicentes.
C. *τὸ* & operationem *non legit*.
(25) A. die XII. mensis Novembris.
B., & C. die XXII. mensis Novembris.
(26) D. Chartophylace Apostolicæ Constantinop.
(27) B., & C. essent, & legerent verissimi reperti sunt.
(28) A. B., & C. die XIV.
(29) A. *τὸ* Dionysii *non leg.*
D. Hilarii, Ambrosii *non leg.*
(30) B., & C. duas naturas, & voluntates, & operationes.
(31) A. in qua Synodica, & Episcopi Occidentalis partis subscripserant CXX.
B., & C. CXX.

Digitized by Google

Senatu, ut profiteretur unam, aut duas confiteri voluntates, vel operationes, qui nullatenus audivit, ſed potius neque unam, neque duas in Salvatore dicere voluit. Deinde protulit Piiſſimus, & Sereniſſimus Princeps tomum ad relegendum, in quem (32) vanum hæreticum dogma Macarii erat conſcriptum, & ejus manu ſubſcriptum, apertiſſime unam voluntatem in Domino affirmantis. (33) Sub ipſius ſcriptione, & Theodori Expatriarchæ, utique juxta eum tenorem ibi ſubſcriptio erat. Et interrogatus Georgius Patriarcha, ſi eam fidem, quam docet Sedes Apoſtolica, amplectitur juxta ſcripturam venerandi Agathonis Papæ, ſeu Sanctorum, ac venerabilium Patrum, qui reſpondit, quod accepta licentia in ſcriptione (34), quæ opportuna erant, reſponderet. Et in his recedentes die 17. menſis Februarii die Dominico intra oraculum Sancti Petri intra (35) Palatium aſtante (36) Sincleto, ſimulque & Patriarcha, Legatos Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit, (37) relegens ſuggeſtionem aliam pro eorum commendatione à Sanctiſſimo Papa directam. Qui Georgius Sanctiſſimus Patriarcha profeſſus eſt eo die in ſcriptis duas naturas, duaſque voluntates, & operationes in Domino Jeſu Chriſto ſe credere, & prædicare, ſicut Sedes Apoſtolica credit: anathematizans eos, qui unam naturam, voluntatem, & operationem in Domino Jeſu Chriſto dicunt.

Die vigeſima quinta menſis Februarii reſidente Synodo una cum pio Principe, ſimulque & Legatis Sedis Apoſtolicæ, Macarium adeſſe juſſerunt. Et data à Principe licentia ut ſe partes quis, in quas vellet, divideret. Georgius Patriarcha Regiæ civitatis cum ſuis in partes Orthodoxorum ſtetit: Macarius vero cum ſuis in parte alia hæreticorum. Et deducentes ad medium profeſſionem Georgii Patriarchæ, quam fecerat, (38) porrecta eſt Principi, & relecta eſt. Et commonitus ſupraſcriptus Macarius, quid ſentiret, vel crederet: Reſpondit ſe in ea perfidia, quam ante propoſuerat, perdurare, & nullatenus Orthodoxæ fidei acquieſcere. Ea hora Sancta Synodus una cum Principe ejus orarium (39) auferri juſſerunt à collo ejus, & exiliens Baſilius Epiſcopus Cretenſis (40) Eccleſiæ, ejus orarium abſtulit, & anathematizantes projecerunt eum foris Synod. (41) ſimulque & thronum (42) ejus. Stephanum autem diſcipulum ejus cervicibus à Sancta Synodo, clerici Romani ejicientes expulerunt. Ea hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur, (43) ac dicerent, quod ſordes hæreſum expulſæ ſunt. Et Deo auxiliante, unitæ ſunt Sanctæ Dei Eccleſiæ. In loco vero Macarii ordinatus eſt Stephanus (44) Abbas Monaſterii, quod appellatur Bajas inſulæ Siciliensis. Patriarcha Eccleſiæ Antiochenæ. Macarius vero cum ſuis amatoribus, ideſt, Stephano, Anaſtaſio ex Presbyteris, & Leontio ex Diacon. Polychronio, Epiphanio, (45) ex Presbyteris, & incluſis in exilio in Romanam directi ſunt civitatem. Deinde abſtulerunt de diptychis Eccleſiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Eccleſiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi eſſe poterant auferentes, ideſt (46) Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error Orthodoxæ fidei uſque nunc pullulavit. Tanta autem gratia divina omnipotentis conceſſa eſt miſſis Sedis Apoſtolicæ, ut ad lætitiam populi, vel Sancti Concilii, qui in Regia urbe erant, Joannes Epiſcopus Portuenſis Dominicorum die octavarum Paſchæ in Eccleſia Beatæ Sophiæ Miſſas publicas latine celebraret coram Principe, & Patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes, & victorias piiſſimorum Imperatorum, eo die latinis vocibus acclamarent. (47)

Hic ſuſcepit divalem juſſionem ſecundum ſuam poſtulationem, ut ſuggeſſit, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen, ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum electionem fieri non debeat ordinari qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem ſecundum antiquam conſuetudinem, & cum eorum conſcientia, & juſſione debeat ordinatio provenire. Hic dimiſit omni clero rogam unam, & ad luminaria Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ ad Præſepe ſol. duo mille centum, (48) & quadraginta. Fecit autem ordinationem unam, Presbyteros decem, Diaconos tres, Epiſcopos per diverſa loca numero decem & octo. Qui etiam ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die 4. idus Januarii, & ceſſavit Epiſcopatus annum unum, menſes ſeptem, (49) dies quinque.

LXXXI.

---

(32) A. in qua una & hæretica dogma Macharii erat conſcripta, & ejus manu ſubſcripta.
B. in quo hæretica dogmata Macharii erant conſcripta.
C. in quo una voluntas hæretica dogmata Macharii erant conſcripta.
D. in quem unum hęreticum dogma Macharii &c.

(33) A. adfirmante. Poſt ipſius ſubſcriptionem, & Theodori Expatriarchæ, ubique juxta eum tenorem ibi ſubſcriptio ejus erat.
B., & C. adfirmantia. Poſt ipſius ſubſcriptionem Georgii Expatriarchæ, utique juxta eum tenorem, ubi ſubſcriptio ejus erat.

(34) A. licentia in ſcripto, quæ opportuna erant, reſponderet in his recedentibus, die XVII. &c.
B. in ſcripto reſponderet, quæ opportuna erant, & in his recedentes die XVI.
C. *legit ut in B. præter pro* die XVI. *babet* XVII.

(35) B. juxta.

(36) A. aſtante ſinclitu. B., & C. adſtantes Aug. ſimul, & Patriarcha &c.

(37) B., & C. Apoſtclicæ ſuſceperunt relegentes &c.

(38) A. quam fecerat, & porrexerat Principi, relecta eſt &c.

(39) A. orarium adtolli juſſerunt.

(40) A. Cretenſis Epiſcopus orarium abſtulit.

(41) B. proceſſerunt, projecerunt foris Synod.

(42) B., & C. tomum ejus.

(43) B., & C. mirarentur, ac per hoc ſignificatum eſt, quod &c.

(44) A. ordinatus eſt Theophanius Abbas.

(45) A. Epiphanio, & Anaſtaſio ex Presbyteris, & inclauſis in exilio.
B., & C. Epiphanio, & Anaſtaſio ex Presbyt. truſi in exilium.

(46) B., & C. ideſt Macharii, Cyri &c.

(47) B., & C. Hujus venerabilis Papæ temporibus Indictione octava, luna Eclipſim pertulit menſe Junii die XVIII. Similiter mortalitas maxima, atque graviſſima ſubſecuta eſt menſe Julii, Auguſti, & Septembris in urbe Roma, qualis nec temporibus aliorum Pontificum fuiſſe memoratur; ut etiam parentes cum filiis, atque fratres, ſeu ſorores bini perfecta ad ſepulcra deducerentur. Pari etiam modo foras circa quæque ſuburbana, & caſtra eadem mortalitas diffuſa eſt. Hic quoque Papa Clerum diverſis honoribus ſuper quod competebat ampliavit: veruntamen ultra conſuetudinem. Arcarius Eccleſiæ Romanæ effectus eſt, & per ſemetipſum cauſam Arcariæ diſpoſuit, emittens videlicet de ſuſceptâ per nomenculatorem manu ſua perombratas. Quia in infirmitate detentus, Arcarium juxta conſuetudinem inſtituit. Hic dimiſit omni Clero &c. *cætera deſunt*.

(48) A. B., & C. MMCLX.

(49) B., & C. menſ. V. dies V.

Digitized by Google

LXXXI. S. LEO II.

ANNO CHRISTI 683.

CONSTANT. POGON. 16.

LEo, (1) natione Siculus, ex patre Paulo, sedit menses decem, dies septem & decem. Vir eloquentissimus, & in divinis scripturis sufficienter instructus, Græca, Latinaque lingua eruditus, cantilena, ac psalmodia præcipuus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoque scholasticus eloquendi majori lectione polita, exhortator omnium bonorum operum, (2) plerisque florentissimam ingerens scientiam, paupertatis amator, & erga inopem provisor, non solum mentis pietate, sed & studii sui labore sollicitus.

Hic suscepit Sanctam sextam Synodum, quæ per Dei providentiam nuper in Regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente, ac residente piissimo, & clementissimo magno Principe Constantino intra regale palatium ejus, quod appellatur (3) Trullus. Simulque cum eo legati Sedis Apostolicæ, & duo Patriarchæ, idest, Constantinopolitanus, & Antiochenus, atque centum quinquaginta Episcopi, in qua & condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, & Pyrrhus, Paulus, & Petrus, necnon & Macarius (4) cum discipulo suo Stephano, sed & Polychronius novus Symon, qui unam voluntatem, & operationem in Domino Jesu Christo dixerunt, vel prædicaverunt, aut qui denuo prædicaturi fuerint, aut defensaverint. Sed ut & nunc duæ voluntates, (5) & operationes ipsius dispensatoris Christi, & Salvatoris Dei nostri dicantur, sicut eadem Synodus studiosissime in Latinum translata (6) declarat. Veruntamen (7) suprascripti defensores malorum hæreseos, dum nollent à suo recedere proposito, (8) per diversa Monasteria sunt retrusi. Qui prædictus Sanctissimus vir absolvit duos viros in percipienda communione, qui de Regia urbe cum suprascripto Macario, & cæteris in Romanam directi sunt civitatem, qui necdum à Synodo anathematizati erant, idest, Anastasium Presbyterum, & Leontium Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ in die Sancto Theophaniæ, exponentes videlicet per propria scripta fidem suam, juxta quod & Sancta Synodus determinavit, anathematizantes videlicet omnes hæreticos, sed & suprascriptos viros complices, quos Sancta Synodus, vel Sedes Apostolica anathematizavit.

Hujus temporibus percurrente (9) divali jussione clementissimi Principis, restituta est Ecclesia Ravennatis sub ordinatione Sedis Apostolicæ, ut defuncto Archiepiscopo, qui electus fuit (10) juxta antiquam consuetudinem in civitatem Romanam veniat ordinandus. Hic fecit constitutum, quod archivo Ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus nulla consuetudine pro usu pallii, aut diversis officiis Ecclesiæ persolvere debeat, sed & ne (11) Mauri quondam Episcopi anniversitas, aut agenda celebretur: sed & typum autocephaliæ, quem (12) sibi elicuerant ad amputanda scandala Sedis Apostolicæ restituerunt. Hic fecit Ecclesiam in urbe Roma juxta (13) Sanctam Bibianam, ubi & corpora Sanctorum Simplicii, Faustini, & Beatricis, atque aliorum Martyrum recondidit, & ad nomen Beati Pauli Apostoli dedicavit. (14) Hujus almi Pontificis jussu Ecclesia juxta velum aureum in honorem Beati Sebastiani ædificata est, necnon in honorem martyris Georgii.

Hujus temporibus die decima sexta (15) mensis Aprilis, indictione undecima, Luna ecclypsim pertulit. Post cœnam Domini nocte pene tota in sanguineo vultu elaboravit, & nisi post galli cantum cœpit paulatim delimpidare, & in suum reverti respectum. Hic fecit ordinationem unam per mensem Junii die vigesima septima, (16) Presbyteros novem, (17) Diaconos tres, Episcopos per diversa loca numero viginti tres. (18) Qui etiam sepultus est (19) ad Beatum Petrum Apostolum sub die quinto

---

LEO.

(1) A. B., & C. Leo junior natione &c.

(2) A. bonorum operum, plebique florentissimè ingerat scientiam.
B., & C. bonorum operum: eorum quoque scientiam plebi ferventissimè ingerebat.
D. florentissimam ingerat.

(3) D. appellatur Trullius.

(4) A. necnon & Marcus cum discipulo suo Stephano. Sed & Polithronius novus Simon &c.
D. Petrus, necnon & Macarius cum discipulis suis omnibus Stephano &c.
B. necnon & Macarius cum discipulis suis omnibus Stephano & Polocronio, & aliis, quia unam voluntatem, & operationem in Domino Jesu Christo prædicaverunt, ac deffensaverunt, sicut eadem Synodus studiosissimè in latinum translata declarat. Novus Simon &c.
C. *legit ut in* B. *præter pro* Polocronio *habet* Polycronio.

(5) A. sed ut à nunc duas voluntates, & operationes in ipsius dispensatoris &c.

(6) A. dicantur. Quam & studiosissimè in latinum translatavit.
D. quam & studiosissimè in latinum transtulit.

(7) A. veruntamen suprascriptos defensores malorum hæreticos, Macarium, Stephanum, Polithronium, & Anastasium, dum nollent &c.
B. veruntamen suprascriptorum defensatores malorum hæreticos Macarius, Stephanus, Polocronius, dum nollent &c.
C. veruntamen de suprascriptis defensoribus majores, scilicet Macarius, Stephanus, Policronius, & Anastasius, dum nollent &c.

(8) B., & C. Romæ per diversa Monasteria &c.

(9) B. procurante divali &c.

(10) A., & D. qui electus fuerit juxta &c.
B. qui electus fuerit juxta antiquam consuetudinem in civitate Ravenna Romam veniret ordinandus.

(11) A. sed nec Mauri quondam &c.
B. sed & nec Mauri &c.
C. scilicet, & ne Mauri quondam Episcopi anniversarius, aut agenda celebraretur prohibuit. Sed & typum autocephalæ &c.
B. prohibuit. *Post hæc ex errore Amanuensis sequitur ea, quæ ad Sergium pertinent, à verbis illis* ingressus est *usque ad finem Sergii, nec aliud ullum verbum de Leone juniore.*

(12) C. qui sibi elegerant &c.
D. ut sibi licuerat &c.

(13) C. juxta viam Nomentanam.

(14) A. dedicavit sub die XXII. mensis Februarii, ubi & dona obtulit, *& ita in* C., & D.
Verba hujus almi &c. *usque ad illa* hujus temporibus *non leguntur in* A., & C.

(15) C. die XXVI. Aprilis Indictione XI. luna eclypsim pertulit post cœnam Domini à sero usque ad Galli cantum, & penè tota quasi sanguine obvoluta elaboravit.

(16) C. die XXVI.

(17) C. Presbyteros XIV.

(18) D. Episcopos &c. numero XIII.

(19) C. sepultus est V. Kal. Julii.

quinto nonas Julias. Et cessavit Episcopatus menses II. dies 22. (20) Qui suprascriptus sanctissimus vir ordinatus est à tribus Episcopis, idest, Andrea Hostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliterniensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit.

LXXXII. BENEDICTUS II.

ANNO CHRISTI 684.

CONSTANT. POGON. 17.

Benedictus, (1) natione Romanus, ex patre Joanne, sedit menses decem, dies duodecim. Hic ab ineunte ætate sua Ecclesiæ militavit, atque se sic in divinis scripturis, & cantilena (2) a puerili ætate, & in Presbyterii dignitate exhibuit, ut decet virum suo nomine dignum, in quo vere supernæ benedictionis gratia redundavit, & nomine pariter & operibus, ut dignus ad Pontificii regimen (3) perveniret. Paupertatis amator, humilis, mansuetus, (4) patientiam habens, atque manu largissima.

Hic Ecclesiam Beati Petri Apostoli, sed & Beati Laurentii martyris, quæ appellatur Lucinæ, restauravit. Itemque in Ecclesia Beati Valentini (5) via Flaminia fecit coopertorium super altare cum clavis, (6) & fastellis, & in circuitu palergium chrysoclavum pretiosissimum Similiter & in Ecclesia Beatæ Mariæ ad Martyres aliud coopertorium porphyreticum cum cruce, (7) & gemmulis quatuor chrysoclavos, & in circuitu palergium de holoserico pulcherrimum, necnon & in titulo suprascripto Lucinæ alium coopertorium (8) ornatum holosericum. Fecit autem calices aureos ministeriales duos, pens. singul. libras singulas.

Hic suscepit divales jussiones clementissimi Constantini Magni Principis ad venerabilem Clerum, & populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut persona, qui electus fuerit ad Sedem Apostolicam e vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur. Hic una cum clero, & exercitu suscepit mallones capillorum Domini Justiniani, & Heraclei filiorum clementissimi Principis, simul & jussionem, per quam significat eosdem capillos direxisse. Hujus temporibus apparuit stella noctu juxta vigilias per diem (9) cœlo sereno inter Nativitatem Domini, & Theophaniam omnimodo obumbrata, veluti luna (10) sub nube. Itemque mense Februario, post natale Sancti Valentini (11) in die ab occasu exiit stella meridie, & in partes orientis declinavit. Post hæc mons Bebius, (12) qui est in Campania, mense Martio eructavit per (13) diem, & omnia loca circumquaque præ pulvere cineris illius exterminata sunt. Clerum videlicet diversis Ordinibus in die Sancto Paschæ honoribus ampliavit. Qui e vestigio in infirmitatem incidit, & post dies aliquot defunctus est. Hic dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconiæ, & mansionariis auri libras triginta. Fecit autem Episcopos per diversa loca numero (14) duodecim. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die 8. (15) idus Maji, & cessavit Episcopatus menses duos, dies 15.

LXXXVIII. JOANNES. V.

ANNO CHRISTI 685.

JUSTINIANI JUN. 1.

Joannes, natione Syrus, ex provincia Antiochia, ex patre Cyriaco, sedit annum unum, dies (1) novem. Vir valde strenuus, atque scientia præditus, & omnimodo moderatus. Hic post multorum Pontificum tempora, vel annorum, juxta priscam consuetudinem à generalitate in Ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est, atque exinde in Episcopio introductus. Hic, dum esset Diaconus, missus est à Sanctæ memoriæ Agathone Papa in Regiam urbem cum aliis Sacerdotibus, (2) repræsentans locum Apostolicæ Sedis in Sancta sexta Synodo, quæ per Dei providentiam ibidem congregata, vel celebrata est. Expleta autem (3) exinde à clementissimo Principe (4) relaxatus, magnum gaudium Ecclesiæ secum detulit. Idest ipsam Sanctam sextam Synodum, vel edictum clementissimi Principis confirmans eandem Synodum. Necnon & alias divales jussiones (5) relevantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ, & Calabriæ non panca, sed & ceptum frumenti similiter, vel alia diversa, quæ Ecclesia Romana annue minime exurgebat persolvere. Hic consecratus est à tribus Episcopis, Ostiensi, Portuensi, Veliternensi, sicuti prædecessor ejus Leo Papa.

Hujus temporibus regnavit Domnus Justinianus Augustus, defuncto patre (6) initio mensis Septembris, indict. 14. Qui clementissimus Prin-

---

(20) A., & C. dies XXI.

BENEDICTUS.

(1) Benedictus junior *in* A. B., & C.
(2) B., & C., & cantilena à pueritia usque ad dignitatem exhibuit.
(3) B., & C. ad Pontificii Regnum &c.
(4) A. mansuetus, & omnibus cum patientia habens &c.
B., & C. mansuetus, pius, benignus, patiens, & omnibus compassionem habens, atque manum largissimam.
(5) A. itemque in Ecclesia B. Laurentini &c.
(6) A. cum clavis in fistellis.
B. clavis & festellis, & in circuitu per largum cryfoclavum, *& ita in* C.
(7) A. B., & C. cum Cruce & gammulas, & clavos IV. auroclavos &c.
D. cum Cruce, & gammulis IV. chrysoclavos &c.
(8) A. opertorium ornatum de olosyrico, *& ita in* B., & C.
(9) A. per dies Cœlo &c., *& ita in* D.
B. vigilias noctis Cœlo &c.
C. vigilias noctu Cœlo &c.
(10) A. veluti Luna sub Sole.
B., & C. veluti cum Luna sub nube est constituta.
(11) B., & C. Valentini die media ab Occasu exiit Stella, quæ cum magno fulgore in partes Orientis &c.
(12) D. Mons Bebeus.
(13) B. per dies aliquot, *& ita in* C.
(14) B., & C. Episcopos &c. numero XXII.
(15) B. sub die Id. Maji, *& ita in* C.

JOANNES.

(1) B., & C. diebus decem.
(2) B. Sacerdotibus in præsentem locum &c.
C. Sacerdotibus præsens locum &c.
(3) B., & C. expleta autem Synodo.
(4) A. Principe relatus &c.
(5) B. jussiones detulit relevantes annona capita patrimoniorum Siciliæ, & Calabriæ non parva, sed coemptionem frumenti similiter, vel alia diversa, quæ Ecclesia Romana annuè minimè poterat persolvere, *& ita in* C.
(6) B., & C. defuncto patre suo Constantino.

Digitized by Google

Princeps Domino auxiliante pacem constituit cum nec dicenda gente Saracenorum decennio terra, marique. Sed & provincia Africa subjugata est Romano Imperio, atque (7) restaurata. Hic post multorum annorum curricula, propter transgressionem ordinationis Ecclesiæ Turritanæ, quam sine auctoritate (8) Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Caralitanus, pro eo quod antiquitus ordinatio fuit Sedis Apostolicæ, (9) & ad tempus concessa fuerat ipsa ordinatio eidem Ecclesiæ. Postmodum protervia faciente Archiepiscoporum per præcepta Pontificum ab eadem ordinatione suspensi sunt, juxta determinationem Sanctæ memoriæ Martini Papæ. Et facto concilio Sacerdotum Novellum Episcopum, qui ab eodem Archiepiscopo ordinatus fuerat sub ditione Sedis Apostolicæ reintegravit, (10) atque firmavit, quorum chirographus archivo Ecclesiæ detentus est. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus est, ut etiam vix ordinationem Sacerdotum explere potuisset. Hic (11) dimisit omni clero, Monasteriis, Diaconibus, & Mansionariis solidos mille (12) & noningentos. Fecit autem Episcopos per diversa loca numero 13. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum, sub die 2. mensis Augusti, & cessavit Episcopatus menses duos, dies 18.

LXXXIV. CONON.

ANNO CHRISTI 686.

JUSTINIANI JUN. 2.

Conon oriundus ex patre Tracesio, (1) educatus apud Siciliam, postmodum Romam veniens eidem Ecclesiæ militans ad Presbyterii honorem devenit. Sedit menses undecim, (2) dies viginti tres. In cujus electione dum ad Episcopatum quæreretur, non minima contentio facta est, eo quod clerus in (3) Petrum Archipresbyterum intendebat. Exercitus autem (4) insequente ejus Theodorum Presbyterum. Et clerus quidem adunatus ante fores Basilicæ Constantinianæ sustinebat: eo quod qui (5) missi fuerant de exercitu ad custodiendas Regias Basilicæ, (6) clausas observabant, & minime quenquam ingredi permittebant. Exercitus autem omnis in Basilica Sancti Stephani Protomartyris similiter fuerant adunati, & neque illi (7) clero consentiebant, neque clerus exercitui acquiescebat pro suprascriptis Presbyterorum personis. Sed dum misso ab utrisque partibus responso irent diutius & redirent, & nihil (8) proficerent ad concordiam, consilio ducti Sacerdotes, & Clerus unanimiter ingredientes in Episcopium Lateranense elegerunt, & denominaverunt tertiam personam suprafati Pontificis in quo vere aspectus angelicus, veneranda canities, sermo verus, provecta ætas, simplex animus, quieti mores, religiosa vita, qui se nunquam aliquando in causis, (9) actibusque secularibus commiserat. E vestigio autem omnes judices una cum Primatibus exercitus pariter ad ejus salutationem, venientes, in ejus laude omnes simul acclamaverunt. Videns autem exercitus unanimitatem Cleri, populique in decreto ejus subscribentium, post aliquot dies & ipsi flexi sunt, & consenserunt in persona prædicti sanctissimi viri, atque in ejus decreto devota mente subscripserunt, & missos (10) pariter una cum clericis, & ex populo ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos (11) est, direxerunt. Hic (12) suscepit divalem jussionem Domini Justiniani Principis, per quam significat reperisse acta Sanctæ sextæ Synodi, & apud se habere, quam piæ memoriæ Domnus Constantinus genitor ejus Deo auxiliante fecerat. Quam Synodum promisit (13) ejus pietas illibatam, & inconcussam perenniter custodire, atque conservare.

Hujus temporibus pietas Imperialis relevavit per sacram jussionem suam ducenta annonæ capita, (14) quæ patrimonii custodes Brutiis, & Lucaniæ annue persolvebat. Itemque & aliam jussionem direxit, ut restituatur familia suprascripti patrimonii, & Siciliæ, quæ in pignore a militia detinebatur. Hic ultra consuetudinem absque consensu Cleri, ex immissione malorum (15) hominum, in Antiochia ecclesiasticorum Constantinum Diaconum Ecclesiæ Syracusanæ Re-

(7) B., & C. atque restituta.
(8) B., & C. auctoritate Romani Pontificis fecerat.
(9) B., & C. Sedis Apostolicæ ad tempus ejus Ecclesiæ concessa fuerat. Ipse verò eamdem ordinationem ejusdem Ecclesiæ, postmodum protervia faciente retinere tentabat: cùm jam Antecessores ejus Archiepiscopi per præcepta Pontificum Romanorum ab eadem ordinatione suspensi essent juxta terminationem sanctæ memoriæ Martini Papæ. Hic venerabilis Papa Joannes facto Concilio &c.
(10) A. redintegravit, atque confirmavit.
B., & C. reintegravit, atque reformavit, cujus rei Chirographum in Archivo Ecclesiæ Romanæ retinetur.
(11) B., & C. Hic moriens dimisit &c.
(12) B. mille & nonaginta, *& ita in* C.

CONON.

(1) A. Oriundus patre Trace, seu educatus apud Siciliam.
(2) A. *Verba*, viginti tres *non legit*.
B., & C. dies III.
(3) B. Clerus in Presbyterum Petrum &c., *& ita in* C.
(4) A. autem insequentem ejusdem Theodorum.
B., & C. autem omnis in Theodorum Presbyterum &c.
(5) A. eò quod dimissi fuerant.
D. eò quod permissi fuerant.
(6) B., & C. Basilicæ, qui eas clausas observarent.
(7) A. & neque illic Clero &c.
(8) B., & C. & nihil proficerent ad custodiam, & concordiam &c.
(9) A. causis, actisque sæcularibus commiscuerat, *& ita in* C B. artibusque &c.
(10) A. & demissos suos pariter unà cum Clericis.
B., & C. & missos pariter ex Clericis, & ex populo &c.
(11) B., & C. ut mos erat.
(12) B., & C. Hic Papa effectus suscepit &c.
(13) A. quem Synodum promittens ejus pietas illibatum, & inconcussum pereniter custodiret, atque conservaret.
B. quamque Synodum promittebat ejus pietas &c., *& ita in* C.
(14) A. ducenta annonæ capita, quas patrimonics Brutius, & Lucaniæ persolvebat.
B., & C. per sacram jussionem ducenta patrimonii capita, quæ custodes patrimonii Brutiæ, & Lucaniæ annuè persolvebant.
D. quæ patrimoniis Briezius, & Lucanuæ annuè &c.
(15) A. absque consensu Clerici, & immissione malorum hominum in Atopachia Ecclesiasticorum, Constantinianum Diaconum &c.
B. malorum hominum mancipia Ecclesiasticorum &c.
C. malorum hominum in antipathia Eccles. &c.

Digitized by Google

Rectorem in patrimonio Siciliæ constituit, hominem perperam, (16) & tergiversutum, sed & pallio ad caballicandum uti, licentiam ei concessit. Et non post multum temporis seditio super eum (17) orta est à civibus, ob patrimonii lites, qui à judice provinciæ sub arcta custodia retrusus est, pro eo quod in dissensionem judicum inveniretur (18) direxisse. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus, ut etiam (19) vix ordinationes sacras explere potuisset, obiit. Hic (20) dimisit omni clero, & monasteriis benedictionem in auro, sicuti prædecessor ejus Benedictus Papa. Cujus Archidiaconus videns eundem Pontificem infirmitate constrictum, atque cupiditate ductus (21) prædicti legati, cum necdum esset persolutum, scripsit Ravennam Joanni glorioso novo exarcho, atque promittens ejus dationem, ut persona ejus ad Pontificatum eligeretur. Quod & demandavit suis judicibus, quos Romæ ordinavit, & direxit ad dispensandam Civitatem, (22) ut post mortem Pontificis ejusdem Archidiaconi persona eligeretur. Fecit autem Episcopos per diversa loca num. 16. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die 21. (23) mensis Septembris, & cessavit Episcopatus menses duos, dies 23.

LXXXV. SERGIUS.

ANNO CHRISTI 687.

JUSTINIANI JUN. 3.

Sergius, natione Syrus, Antiochiæ regionis, ortus ex patre Tiberio in Panormo Siciliæ, sedit (1) annos tredecim, menses octo, dies 23. Hic veniens Romam sub sanctæ memoriæ Adeodato Pontifice inter Clerum Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat, & capax in officio cantilenæ (2) priorum cantorum pro doctrina est traditus, & acolythus factus per ordinem ascendens à sanctæ memoriæ Leone Pontifice in titulo Sanctæ Susannæ, quod ad duas domos vocatur, presbyter ordinatus est. Hic tempore presbyteratus sui impigre per cœmeteria diversa Missarum Solemnia celebrabat. Post septennium vero defuncto beatæ memoriæ Conone Apostolicæ Sedis Præsule, ut fieri assolet Romanus populus urbis in duas partes divisus est, & una quidem pars elegit Theodorum Archipresbyterum; alia vero pars Paschalem Archidiaconum. Et quidem Theodorus Archipresbyter cum populo, qui ei favebat præveniens, interiorem partem Patriarchii tenuit. Paschalis vero exteriorem partem ab Oratorio Sancti Silvestri, & Basilicam domus Juliæ, quæ super campum respicit, occupavit. Cumque unus alio locum non cederet, sed utrique immaniter (3) perdurarent: ut unus alium superaret, inito consilio primates judicum, & exercitus Romanæ militiæ, vel cleri (4) plurima pars, & præsertim Sacerdotum, atque civium multitudo ad sacrum palatium perrexerunt, & diu pertractantes, quid fieri deberet, qualiterve duorum altercantium electorum sopiretur (5) contentio. Deo annuente in personam denominati Sergii venerabilis tunc presbyteri concordantes se contulerunt, eumque de medio populi tollentes in oraculum Beati Cæsarii martyris Christi, quod est intra Sacrosanctum (6) suprascriptum palatium introduxerunt, & exinde in Lateranense Episcopium cum laudum (7) declamationibus deduxerunt. Et quamvis fores Patriarchii intrinsecus essent munitæ, & clausæ, tamen pars, quæ prædictum venerabilem virum elegerat, quia & validior erat, prævaluit, & ingressa est.

Quo ingresso unus e duobus electis, idest Theodorus Archipresbyter illico quievit, ac se humiliavit. Et ingressus (8) denominatum sanctissimum electum salutavit, ac osculatus est. Paschalem vero (9) nullo modo cordis duritia id facere sinebat, donec coactus, & confusus, volens nolens, suum Dominum, & electum ingressus salutaret. Qui etiam Paschalis clanculo non cessavit Ravennam suos mittere missos, promissaque pecunia, vel aliis diversis donis, Joannem Patricium, & Exarchum, cognomento Platyn, cum suis judicibus, nemine sciente, Romam venire persuadere. Qui sic abdite venit, ut nec signa, nec banda cum militia Romani exercitus occurrissent ei juxta consuetudinem in competenti loco, nisi à propinquo Romanæ civitatis. Qui dum venisset, & omnes in personam Sergii Sanctissimi invenisset consensisse, illi quidem suffragari non valuit. Ecclesiæ tamen Beati Petri Apostoli idem exarchus per

(16) A. hominem perpetrum, & tergiversutum, sed & mappolum ad cabalicandum ut licentiam ei concessit; & non post multum temporis transitum Pontificis seditio super eum orta à civibus, & patrimoniales à judice provinciæ sub arta custodiæ retrusus, pro eo quod in discensione judicum inveniebatur sententiæ Imperialis discutiendum indirexisse.
B. hominem perfidum, & tergiversutum, sed & in appullarum uti ad caballicandum ei licentiam concessit. Sed non multo tempore post transitum Pontificis seditio super eum orta est civibus &c.
C. hominem perferum &c., *reliqua ut in* B.

(17) D. Seditio super ea orta est à civibus, & patrimonialibus cum judice provinciæ sub arta custodia retruserunt, pro eo quod &c.

(18) B., & C. judicum inveniretur directus fuisse.

(19) A. ut etiam XIII. ordinationes Sacerdotum explere potuisset obiit.

(20) A. hic dimisit omni Clero Monast. Diacon., & Mansionar. Benedictionem &c.
B., & C. potuisset. Hic moriens dimisit &c., *reliqua ut in* A.

(21) A. ductus per legatos scripta mittens Ravennam Joanni Glorioso novo Exarcho, atque promittens dationem ut &c.
D. prædicti legati, unde nec dum est persolutus &c.

(22) A. & direxit ad disponendam civitatem, & post mortem &c.
D. ut præ morte Pontificis.

(23) A. sub die XI. Kal. Octobris.

SERGIUS.

(1) *Verba*. Sedit annos XIII. mens. VIII. dies XXIII. A. *non habet*.
B., & C. *legunt in fine*.

(2) A. B., & C. cantilenæ priori cantorum.

(3) B., & C. sed utrique unanimiter perdurarent.

(4) A. B., & C. vel Cleri seditiosi pars plurima &c.

(5) A. electorum superetur intentio.
B. C., & D. sopiretur intentio.

(6) ✱ Sacrosanctum *deest in* A. B., & C.

(7) A. cum laude acclamationibus.
B., & C. cum laudum adclamationibus.

(8) A. & egressum denominatum &c.
B., & C. & ingressus denominatum venerabilem Presbyt.

(9) A. Pascalis verò præ cordis duritia nullo modo finebat &c.
B., & C. Paschalis verò præ cordis duritia nullo modo quiescebat.
D. *legit ut in* A.

Digitized by Google

per ejusdem Paschalis (10) miseriam stipendium, & damnum intulit, quod ab eodem Paschali suprascripto exarcho promissum fuerat, idest centum auri librarum à parte Ecclesiæ expetente, Sergio Sanctissimo electo proclamante, quod neque promisisset dare, neque possibilitas dandi suppetat, & ut ad compunctionem animos videntium commoveret, cantharos, & coronas, quæ ante Sacrum Altare, & confessionem Beati Petri Apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit, & pignori tradi. Sed nec (11) in hoc flexa est ejusdem exarchi duritia, donec centum, ut dictum est, librarum auri accepit. Et licet, ut præfatum est, Ecclesiæ Christi, (12) ideo miserrimus Paschalis dispendium, & damnum infixit, tamen Christo favente Sergius Presbyter, & electus in Sede Beati Petri Apostoli Pontifex ordinatus est. Prædictus vero Paschalis non post multum tempus & ab officio Archidiaconatus (13) pro aliquibus incantationibus, & lucis, quos colebat, vel fortibus, quas cum aliis respectoribus (14) tractabat, Dei, Beatique Apostolorum Principis Petri interveniente judicio privatus est, & in Monasterium retrusus, post quinquennium præ cordis duritia impenitens defunctus est.

Hujus itaque temporibus Justinianus Imperator concilium in Regia urbe jussit fieri, in quo & Legati Sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant. Compellebatur autem & ipse subscribere, sed nullatenus acquievit. Pro eo quod quædam capitula extra ritum Ecclesiasticum fuerant in eo annexa. Quæ & quasi synodaliter definita, & in (15) sex tomis descripta à tribus Patriarchis, idest Alexandrino, Constantinopolitano, & Antiocheno, vel cæteris (16) consulibus, qui (17) in tempore illic convenerant, subscripta erant, manuque Imperiali confirmata, missis (18) in Lucellum, quod scebrum carnale vocitatur in hanc urbem ad confirmandum, vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici, utpote capiti omnium sacerdotum, direxit. Qui Beatissimus Pontifex, ut dictum est, penitus eidem Justiniano Augusto non acquievit, nec eosdem tomos suscipere, aut lectione pandere passus est. Porro eos ut invalidos respuit, atque (19) objecit, eligens ante mori, quam novitatum erroribus consentire. (20) Qui Imperator Sergium Magistrianum in spretum prænominati Pontificis Romam (21) mittens, Joannem Deo amabilem Portuensem Episcopum, seu Bonifacium Consiliarium Apostolicæ Sedis secum in Regiam abstulit urbem.

Deinde Zachariam immanem suum protospatarium cum jussione direxit, ut prædictum Pontificem similiter in Regiam deportaret urbem. Sed misericordia Dei præveniente, Beatoque Petro Apostolo & Apostolorum Principe suffragante, suamque Ecclesiam immutilatam (22) servante, excitatum est cor Ravennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani, & circumquaque partium non permittere Pontificem Sedis Apostolicæ (23) in Regiam ascendere urbem. Cumque ex omni parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias (24) Spatarius perterritus, & trepidans, ne à turba militiæ occideretur portas (25) quidem civitatis claudi, & teneri Pontificem postulabat. Ipse vero in cubiculo Pontificis tremebundus refugit, deprecans lacrimabiliter, ut sui Pontifex misereretur, nec permitteret quenquam ejus animæ (26) infestari. Exercitus autem Ravennatis ingressus per portam Beati Petri Apostoli cum armis, & turba (27) in Lateranense episcopium venit, (28) Pontificem videre æstuans, quem fama vulgante, per noctem sublatum, & in navigium missum fuisse (29) cognoverant. Dumque fores Patriarchii tam inferiores, quam superiores essent clausæ, has in terram, nisi velocius aperirentur, mittere minarentur. Præ nimia timoris angustia, & vitæ desperatione Zacharias Spatarius sub lectum Pontificis ingressus sese abscondit, ita ut mente excideret, & perderet sensum. Quem Beatissimus Papa confortavit, dicens, ut nullo modo timeret. Egressus vero idem Beatissimus Pontifex foris Basilicam (30) Domni Theodori Papæ apertis januis in sedem, quæ vulgo appellatur sub Apostolis, generalitatem militiæ, & populi, qui pro eo occurrebant honorifice suscepit: datoque apto, & suavi responso, eorum corda linivit: Quamquam illi zelo ducti pro amore, & reverentia tam Ecclesiæ Dei, quamque Sanctissimi Pontificis, jam à Patriarchii custodia non recesserunt, quousque denominatum Spatarium cum injuriis, & contumeliis à civitate Romana foris depellerent. Nam & is, qui illum miserat ipso etiam tempore est, Domino retribuente, Regno privatus. Sicque Ecclesia Dei imperturbata cum suo Præsule, Christo favente, servata est.

Hic beatissimus vir in sacrario Beati Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo jacentem, & ex nigredine transactæ annositatis, nec si esset argentea apparentem, Deo ei revelante, reperit. Oratione itaque facta sigillum expressum abstulit, locellum aperuit, in

(10) A. Apostoli ab eodem Exarcho per ejusdem Paschalis ministeria stipendium, & dampnum intulit.
B., & C. per ejusdem Paschalis miseriam dispendium, & damnum &c.
(11) A. sed nec sic flexa est &c.
(12) A. Christi, idest miserimus &c.
B., & C. idem miserimus &c.
(13) A. B., & C. Archidiaconatus propter aliquas incantationes, & luculos, quos colebat, vel fortes, quas &c.
(14) B., & C. respectatoribus.
(15) A. & in sexto menso conscripta.
B. C., & D. & in sex tomis conscripta.
(16) A. B., & C. vel cæteris Præsulibus.
(17) B., & C. qui eo tempore &c.
(18) A. missis in locellum, quod de sceuro carnali vocitatur. In hac Romana urbe &c.
B., & C. Hæc itaque missa in locello, quod Scheuro carnali vocitatur in hanc Romanam urbem &c.
D. in hac Romana urbe.
(19) Atque abjecit *in omnibus*.
(20) B., & C. consentire. Tunc Imperator &c.
(21) B., & C. Romam misit, qui Joannem &c.
(22) A. Ecclesiam immutatam servante &c.
B., & C. immaculatam.
(23) A. Apostolicæ Sedis in aliam ascendere urbem.
(24) A. Zaccharias Protospatarius perterritus, ne à turba militiæ occideretur portas civitatis claudi postulavit.
(25) B., & C. Portas civitatis claudi, & teneri à Pontifice postulabat. Ipse verò ad pedes Pontificis tremebundus &c.
(26) Ejus animam infestari *in omnibus*.
(27) B., & C. turba non modica in &c.
(28) B., & C. venit ad Pontificem videre exestuans Zacchariam.
(29) B., & C. fuisse audierant.
(30) A. Basilicam, quæ dicitur Domni Theodori Papæ, apertis januis, & sedens in Sede sub Apostolos generalitatem, & populum, qui pro eo curerat honorificè suscepit.
B., & C. Basilicam, quæ dicitur D. Theodori Papæ, apertis januis sedens in Sede sub Apostolis generalitatem &c.

Digitized by Google

in quo interius plumaceum ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit. Eoque ablato inferius Crucem diversis, ac pretiosis lapidibus perornatam inspexit, de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis, & ineffabilem portionem salutaris ligni Dominicæ Crucis (31) invenit. Quæ etiam ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano die Exaltationis Sanctæ Crucis in Basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculatur, ac adoratur. Hic fecit Imaginem (32) Beati Petri Apostoli, quæ est in parte mulierum. Hic fecit thymiamaterium aureum majus (33) cum columnis, & cooperculo, (34) quod suspendit ante Imagines tres aureas Beati Petri Apostoli, in quo incensum, (35) & odor suavitatis (36) festis diebus dum Missarum solemnia celebrantur Omnipotenti Deo opulentius mittitur. Hic posuit in absida Basilicæ suprascriptæ super sedem (37) apallaream argenteam, pens. sing. libras centum viginti. Hic fecit in Basilica suprascripta faros argenteos sex (38), pens. sing. lib. triginta. qui sunt super trabes ad ingressum confessionis.

Hic fecit in circuitu Altaris Basilicæ suprascriptæ tetravila (39) octo quatuor ex albis, & quatuor ex coccino. Hic tectum, & cubicula, quæ circumquaque ejusdem Basilicæ sunt, quæ per longa tempora stillicidiis, & ruderibus fuerant disrupta, (40) studiosius innovavit, ac reparavit. Hic musivum, (41) quod ex parte in fronte atrii ejusdem Basilicæ fuerat dirutum, (42) innovavit. Similiter & specula (43) ejusdem Ecclesiæ, quæ super sedem sunt, vel regios arcus majores sunt, renovavit. Hic corpus Beati Leonis probatissimi Patris, atque Pontificis, quod in abdito inferioris secretarii prædictæ Basilicæ positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata Basilica publico loco (ut sibi fuerat revelatum) reposuit, ac locum ipsum ornavit. Hic fecit patenam auream majorem habentem (44) gemmas ex albis, & in medio ex hyacinto, & smaragdo, crucem pensantem libras viginti. Hic tectum, & cubicula universa (45) in circuitu Basilicæ Beati Pauli Apostoli, quæ longa per tempora vetustate confecta fuerant, studiosius innovavit, ac reparavit. Similiter & trabes fecit de Calabria adduci, & quæ in eadem Basilica vetustissimas invenit, renovavit. Hic imaginem (46) Apostolorum vetustissimam, quæ erat super fores ejusdem Basilicæ mutavit. Hic fecit ambonem, & cyburium in Basilica Sanctorum Cosmæ, & Damiani, ubi & multa dona obtulit. Trullum vero ejusdem Ecclesiæ fusis chartis plumbeis cooperuit, (47) atque munivit. Hic cyborium Basilicæ Sanctæ Susannæ, quod ante ligneum fuerat, ex marmore fecit, diversa quoque cymilia aurea, & argentea, vel immobilia loca illuc condonavit. Hic Basilicam Sanctæ Euphemiæ, quæ per multa tempora fuerat (48) detecta cooperuit, ac renovavit. Hic Basilicam Sanctæ Aureæ in ostiis, quæ similiter fuerat detecta, vel dirupta, cooperuit, suoque studio renovavit. Hic Oratorium Sancti Andreæ Apostoli, quod ponitur (49) Lavicana à solo refecit.

Hic statuit ut tempore confractionis Dominici Corporis *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, à Clero, & populo decantetur. Constituit autem, ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis (50) Sanctæ Dei Genitricis, semperque virginis Mariæ, ac Sancti Simeonis, quod hypapantem (51) Græci appellant, litania exeat à Sancto-Adriano, & ad Sanctam Mariam populus occurrat. Hic fecit in Basilica Sancti Laurentii martyris, quæ appellatur titulus Lucinæ, arcus argenteos quatuor. Hujus temporibus Aquilegiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Synodus, quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum universale Concilium utpote errantes suscipere diffidebant, ejusdem Beatissimi Papæ (52) monitis, atque doctrinis instructi, conversi sunt, iidemque venerabile Concilium cum satisfactione susceperunt. Et qui prius sub erroris vitio tenebantur, doctrina Apostolicæ Sedis illuminati cum pace consonantes veritati, ad propria (53) relaxati sunt. Hic fecit coopertoria, vel (54) vasa aurea, & argentea plura per diversas Ecclesias ad usum, & ornatum Ecclesiarum Christi. Hic ordinavit Damianum Archiepiscopum Sanctæ Ecclesiæ Ravennatis, atque Clementem Frisonorum. Hic ordinavit Berechyaldum (55) Britanniæ Archiepiscopum. Hic ordinavit per diversas Provincias Episcopos nonaginta septem. Fecit autem (56) & ordinationes duas per mensem Martii, Presbyteros

(31) A. B., & C. Crucis interius repositam invenit.
(32) A. B., & C. imaginem auream B. Petri.
(33) A. τὸ majus *non habet*.
(34) B., & C. & cooperculum, quem suspendit ante eandem imaginem.
(35) A. in quo incensum festis diebus &c.
(36) *Verba* & odor suavitatis. A. *non legit*.
(37) A. Hic posuit in Basilica suprascripta super sedem appallariam arg. pens. lib. CXX.
B., & C. super sedem appellatam arg. pens. lib. CXX.
(38) A. Faros arg. VI. pens. lib. CLXX.
B., & C. Faros arg. V. pens. lib. CLXX.
(39) A. suprascriptæ thuribula VIII.
B., & C. suprascriptæ trabes VIII.
(40) A. disrupta renovavit.
(41) A. Hic Musilæum, quod &c.
(42) A. fuerat deletum, innovavit.
B., & C. fuerat disruptum, innovavit.
(43) A. speculaque super sedes, & regias argenteas majores, renovavit.
B., & C. & specula ejusdem Ecclesiæ tam quæ super sedem sunt, quam quæ super regias argenteas majores, renovavit.
(44) A. habentem in gyro gemmas &c.
B., & C. habentem in gyro gemmas albas, & in medio crucem cum yacinthis, & smaragdis &c.
(45) A. universa à S. Paulo, quæ &c.
(46) A. Hic imaginem Apostolorum vetustissimam, quæ erat ante fores, renovavit.
B., & C. Imagines quoque Apostolorum vetustissimas, quæ erant super fores ejusdem Basilicæ mutavit.
D. Hic imaginem Apostolorum vetustissimam, quæ erat super fores ejusdem Basilicæ mutavit.
(47) *Verba*, atque munivit, A. *non habet*.
(48) A. fuerat distructa. B., & C. distecta.
(49) A. ponitur in Lavicana.
B., & C. ponitur via Lavicana.
(50) B. & C. τὸ dormitionis *non legit*.
(51) A. quod yppopanti dicitur Græcè, & Litaniæ exeant &c.
D. ac S. Symeonis yppopantim Græci appellant.
(52) Papæ spiritalibus monitis &c. *in omnibus*.
(53) B. ad propria reversi sunt.
C. *legit ut in* B., *& omissis cæteris habet*, fecit autem Romæ ordinationes II. &c.
(54) A. vel diversa vasa aurea, & argentea plurima per diversas Ecclesias. Hic ordinavit Damianum &c.
(55) A. ordinavit Bertoadum Britanniæ Archiepiscopum, atque Clementem in gentem Fresonum.
B. *legit ut in* A. *sed pro* Bertoadum *habet* Berfluardum.
(56) A. fecit autem & ordination. ter de suis per mensem Maji.
B. fecit autem Romæ ordinationes &c.

Digitized by Google

teros 18. Diaconos quatuor, qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum 6. idus Septembris, indictione (57) 15. Tiberio Augusto, & cessavit Episcopatus mensem unum, dies viginti. (58)

LXXXVI. JOANNES VI.

ANNO CHRISTI 701.

TIBERII 5.

JOannes VI. (1) natione Græcus, sedit annos tres, menses duos, dies duodecim. (2) Fuit autem temporibus Tiberii Augusti. (3) Hujus temporibus venit Theophylactus Cubicularius patricius, & exarchus Italiæ de parte Siciliæ in urbem Romam. Cujus adventum cognoscentes militia totius Italiæ tumultuose convenit apud hanc Romanam civitatem, volens (4) præfatum exarchum tribulare. Pro cujus Pontifex, ne affligeretur, persona, sese medium dedit, portas civitatis clausit, Sacerdotes apud fossatum, in quo in unum convenerant, misit, & monitis salutaribus tumultuosam eorum seditionem sedavit. Dum vero infames quædam personæ capitulare adversus quosdam Romanæ urbis habitatores fecissent, & prænominato exarcho, ut à propriis substantiis denudarentur, tribuissent, hi juxta sui operis (5) pœnam mulctati sunt.

Deinde vero dum Gisolphus (6) Dux gentis Longobardorum Beneventi, cum omni sua virtute in Campaniam veniret, incendia, & deprædationes multas exerceret, captivosque non paucos cepisset, & usque in locum, qui Horrea (7) dicitur, fossatum fieret, nullusque extitisset, qui ei potuisset resistere, denominatus Pontifex missis Sacerdotibus cum Apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redemit, & illum cum suo hoste ad propria repedare fecit. Hic fecit in Basilica Beati Andreæ Apostoli, quæ ponitur (8) infra Ecclesiam Beati Petri Principis Apostolorum, ambonem noviter. Hic super Altare Ecclesiæ Sancti Marci coopertorium (9) fecit, & in Basilica Beati Pauli Apostoli inter columnas Altaris dextera, lævaque vela alba. Hic fecit ordinationem Presbyterorum, seu Diaconorum unam, idest, Presbyteros novem (10), Diaconos duos. Fecit autem & per diversa loca Episcopos quindecim, qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum, (11) & cessavit Episcopatus mensem unum, dies 18.

(57) A. B., & C. Indictione XIV.

(58) B. post Sergium quidem, Leonem, quem III. ponunt connumerant, sed quia per Patricium Romanorum factus est Papa, non ponunt in catalogo Pontificum, sequitur Joannes natione Græcus.
C. *habet in margine ejusdem characteris notam, ut in B. quæ legitur post verba* dies XX.

JOANNES.

(1) τὸ VI. *deest in* A. B., & C.

(2) B., & C. dies XIII.

(3) *Verba*. Fuit autem temporibus Tiberii Augusti, *desunt in* A. B., & C.

(4) A. vellens præfatum &c., *& ita in* D.

(5) B., & C. juxta operis sui mercedem digna pœna mulctati sunt.

(6) Gisulfus *in* A. B., & C.

(7) A. qui Horre dicitur fossatum figeret &c.
B., & C. qui Hortas dicitur &c.

(8) A. quæ ponitur juxta Basilicam Beati Petri &c.

(9) B., & C. coopertorium in Basilica, & janua Beati Pauli Apostoli &c.

(10) D. Presbyt. VIII.

(11) A. B., & C. Indictione III. Tiberio Augusto regnante.

JOANNES.

(1) τὸ VII. *deest in omnibus*.

(2) A. mens. VI. &c.
B. mens. II. &c.

LXXXVII. JOANNES VII.

ANNO CHRISTI 705.

JUSTINIANI ITERUM 2.

JOannes VII. (1) natione Græcus, patre Platone, sedit annos 2. menses septem, (2) dies 17. Fuit autem temporibus Tiberii Augusti, & Justiniani dudum Imperatoris, vir eruditissimus, & facundus eloquentia. Hic fecit Oratorium Sanctæ Dei Genitricis intra Ecclesiam Beati Petri Apostoli, cujus parietes musivo depinxit. Illicque auri, & argenti quantitatem multam expendit, & venerabilium Patrum dextra, lævaque vultus erexit. Hic restauravit Basilicam Sanctæ Eugeniæ, quæ longo tempore detecta, atque dirupta fuerat. Laboravit autem & in cœmeteriis Beatorum Martyrum Marcellini, (3) & Marci, Damasique Sancti Pontificis. Fecit vero & Imagines per diversas Ecclesias, quas quicunque nosse desiderat, in eis ejus vultum depictum reperiet. (4) Basilicam itemque Sanctæ Dei Genitricis, quæ antiqua vocatur, pictura decoravit, illicque ambonem (5) noviter fecit, & super eandem Ecclesiam Episcopium, quantum ad se constituere (6) maluit, illicque Pontificatus sui tempus explevit. Hic fecit calicem aureum præcipuum (7), pensantem libras viginti, quem & gemmis preciosis decoravit.

Hujus temporibus Aripertus Rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Gutiarum, (8) quæ longa per tempora à jure Ecclesiæ privata (9) fuerat, ac ab eadem gente detinebatur, in literis aureis exaratam jure proprio Beati Apostolorum Principis Petri reformavit. Hujus temporibus Justinianus Imperator à partibus Zachariæ per loca Bulgariæ auxilio Trebellii (10) Bulgarorum Regis usque ad Regiam urbem veniens, regnum proprium, de quo projectus fuerat, adeptus est. Leonem etiam, & Tiberium, qui locum ejus usurpaverant,

(3) A. Martyrum Marcelli, Marcelliani, & Marci &c.
D. Marcelliani, & Marci.

(4) B. *Verba*, quas quicumque *usque ad illa* Basilicam itemque &c. *non habet*.

(5) A. illicque adimontem noviter fecit.

(6) A. quantum ad se construere valuit &c.
B., & C. construere voluit, illicque Pontificatus tempus, vitamque finivit.

(7) A. τὸ præcipuum *non legit*.

(8) A. alpium Scutarum &c.
B. alpium Cotiarum.
C. Cocciarum.

(9) A. quæ per tempora ad jura Ecclesiæ privata fuerat.
B. à jure Ecclesiæ Rom. privatæ fuerant, ac ab eadem gente detinebantur juri proprio Beati Petri Apostolorum Principis reformavit, & hanc donationem aureis literis exaratam Romam direxit. Hujus quoque temporibus Justinianus Imperator, qui amisso Imperio exulabat in Ponto à partibus Gazariæ per loca Vulgariæ cum Terrebellio usque ad Regiam urbem &c.
C. à jure Rom. Eccl. privatæ erant, ac ab eadem Langobardorum gente &c. *reliqua ut in* B.

(10) A. *Verba* auxilio Trebellii *usque ad illa* usque ad Regiam urbem &c. *non habet*.

Digitized by Google

rant, cepit, & in medio (11) circuli coram omni populo jugulari fecit, & obtinuit principatum, de quo antea tumultuose fuerat dejectus, qui illico ut palatium ingressus est, propriumque adeptus est Imperium, (12) tomos, quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos metropolitanos Episcopos demandavit, dirigens per eos & sacram, per quam denominatum Pontificem conjuravit, (13) ac adhortatus est, ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæque ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, (14) renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam tomos emendans per suprafatos metropolitas direxit ad Principem, post quæ non diu in hac vita duravit. Hic fecit (15) Episcopos per diversa loca numero decem & octo. (16) Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum ante altare oratorii Sanctæ Dei Genitricis, quod ipse construxit sub die 15. calend. Novembris, indictione sexta, Justiniano Romanam Rempublicam gubernante, & cessavit Episcopatus mens. 3.

LXXXVIII. SISINNIUS. (1)

ANNO CHRISTI 708.

JUSTINIANI ITERUM 5.

Sisinnius, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit dies viginti. Fuit autem temporibus Justiniani Imperatoris Augusti. Qui vir podagrico humore ita tenebatur constrictus, ut sibi cibum propriis manibus exhibere non valeret. Erat tamen constans animo, & curam agens pro habitatoribus hujus civitatis. Qui & calcaria pro restauratione murorum jussit decoquere. Veruntamen repentina morte defunctus est. Fecit autem Episcopum unum in insula Corsica. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum (2) sub die 7. Februarii, indictione sexta, Justiniano Augusto, & cessavit Episcopatus mensem unum, dies 29. (3)

LXXXIX. CONSTANTINUS.

ANNO CHRISTI 708.

JUSTINIANI ITERUM 5.

Constantinus, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit annos septem, dies quindecim. (1) Fuit autem temporibus Justiniani Philippici, & Anastasii Augustorum. Vir valde mitissimus, cujus temporibus in urbe Roma fames facta est magna per annos tres. Post quos tanta fuit ubertas, ut fertilitatis copia præteritæ sterilitatis inopiam oblivioni mandaret. Hic ordinavit Felicem Archiepiscopum Ravennatem, qui secundum priorum suorum solitas in scrinio noluit facere cautiones, sed per potentiam Judicum exposuit, ut (2) inaluit. Cujus cautio à Pontifice in sacratissima confessione Beati Petri Apostoli posita, post non multos dies terra & quasi igni combusta reperta est. Nam Ravennatium cives elati superbia digna ultionis pœna mulctati sunt. Mittens quippe Justinianus Imperator Theodorum Patricium, & (3) primum exercitus insulæ Siciliæ cum classe navium, (4) Ravennam civitatem cepit, præfatum Archiepiscopum arrogantem in navi vinctum tenuit, & omnes rebelles, quos ibi reperit, compedibus strinxit, divitias eorum abstulit, & Constantinop. misit. Dei autem judicio, & Apostolorum Principis Petri sententia, qui inobedientes fuerunt Apostolicæ Sedis, amara morte perempti sunt, & isdem Archiepiscopus lumine privatus dignam factis recipiens pœnam exul in Ponticam transmissus est regionem.

Hisdem temporibus misit suprafatus Imperator ad Constantinum Pontificem sacram, per quam jussit eum ad Regiam ascendere urbem. Qui sanctissimus vir jussis Imperialibus obtemperans, illico navigia fecit parari, quatenus iter aggrederetur marinum, & egressus est à portu Romano die quinta mensis Octobris, indictione 9. Et secuti sunt eum Nicetas Episcopus Silvæ Candidæ, Georgius Episcopus Portuensis, Michaelius, Paulus, (5) Georgius Presbyter, (6) Georgius Diaconus, Georgius secundicerius, Joannes primus defensor, Cosmus (7) sacellarius, Sisinnius nomenculator, Sergius scriniarius, Dorotheus, & Julianus Subdiaconi, & de reliquis gradibus Ecclesiæ pauci clerici.

Veniens igitur Neapolim, illic eum reperit Joannes Patricius, & exarchus cognomento Rizocopus, qui veniens Romam jugulavit (8) Saulum Diaconum, & Vicedominum, Petrum Arcarium, Sergium Abbatem Presbyterum, & Sergium ordinatorem, pergensque Ravennam pro suis nefandissimis factis judicio Dei illic turpissima morte occubuit. Georgius (9) vero Presbyter Neapoli relictus est, & Pontifex cum suis Siciliam perrexit, ubi Theodorus Patricius (10) extraticus languore detentus occurrens Pon-

(11) A. in medio Circi.
B., & C. in medio Circo.
(12) A. Imperium Protomos, quos &c.
D. Imp. Protomis &c.
(13) A. conjuravit ac adoravit, ut &c.
(14) A. & quæ ei visa essent stabiliret, & quæque adversa rennuendo cassaret, *&* *ita in* B.
C, & quæque ei jussa essent, super his stabiliret, & quæque adversa renuendo cassaret.
(15) B., & C. Hic fecit ordinationem unam, Presbyteros X. Diaconos II. Episcopos per diversa loca XIX..
(16) A. numero XIX.

SISINNIUS.

(1) A. Sisinnis.
(2) A. B., & C. Apostolum VIII. Id. Novembris.
D. sub die Indictione VI. Justiniano &c.
(3) A., & C. dies XIX.
B. XXVIII.

CONSTANTINUS.

(1) C. dies XX.
D. annos VII. Fuit ante temporibus &c.
A. B., & C. Fuit autem temporibus Justin. Philip., & Anast. Aug. *non habent*.
(2) A. B., & D. ut maluit. C. ut voluit.
(3) B., & C. & Primicerium.
(4) *ᵭ* navium, *deest in* A. B., & C.
(5) A. Paulus Presbyteri, Gregorius Diaconus, Georgius Secundic. Joannes deffensorum primus &c.
(6) B. Georgius Presbyteri, Severius Diac. Georgius Secundic.
C. Presbyt. Georgius Diac. Gregor. Secundic.
D. Gregorius Diac. Gregorius Secundic.
(7) A. Cosmas Cancellarius.
(8) A. Romam jugulavit Sajulum Diac. Petrum Arcarium &c., *&* *ita in* D.
B. Romam decollavit Sagiolum Diac. Petrum Arcarium &c.
C. Romam decollavit Savilium Diac. Petrum Arcarium &c.
(9) A., & C. Gregorius verò.
(10) A. Patritius, & Stratigus *semper*.
B. Patritius, & Stratigos. C. Stratigus.

Digitized by Google

Pontifici magna cum veneratione salutans, atque suscipiens, medelam adeptus est celerem. (11) Atque inde egrediens per Regium, (12) & Cortonam transfretavit Gallipolim, ubi mortuus est Niceta Episcopus. Dum vero Hydrunti moras faceret, eo quod hiems erat, illic suscepit sigillum Imperiale per Theophanium Regionarium, continens ita, ut ubi denominatus contingeret Pontifex, omnes judices ita eum honorifice susciperent, quasi ipsum præsentialiter Imperatorem viderent. Unde egressi partes Græciæ contingentes in insula, quæ dicitur Cæa, occurrit Theophilius Patricius extraticus (13) caravisianorum cum summo honore eum suscepit, & amplectens, ut jussio continebat, iter absolvit peragere cœptum. A quo loco navigantes venerunt à septimo milliario Constantinopolim: ubi egressus Tiberius Imperator filius Justiniani Augusti cum Patriciis, & omnibus Inclytis, & Cyrus Patriarcha cum clero, & populi multitudine omnes lætantes, & diem festum agentes. Pontifex autem, & ejus primates cum sellaribus Imperialibus, sellis, & frænis inauratis, simul & mappulis ingressi sunt civitatem, Apostolicus Pontifex cum Caumelaugo, ut solitus est Romæ procedere, à palatio egressus, in Placidias usque (14) ubi placitus erat, properavit.

Domnus autem Justinianus Imperator audiens ejus adventum magno repletus gaudio, à Nicæa Bithyniæ misit sacram gratiarum actione plenam. Et ut debuisset Pontifex occurrere Nicomediam, & ipse venire à Nicæa, quod & factum est. In die autem qua se vicissim viderunt, Augustus Christianissimus cum regno (15) in capite se prostravit, pedes osculans Pontificis. Deinde in amplexum mutuum corruerunt, & facta est lætitia magna in populo, omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni Principis. Die vero Dominico missas Imperatori fecit, & communicans Princeps ab ejus manibus, quoque suis delictis ut deprecaretur Pontificem postulans, omnia privilegia Ecclesiæ renovavit, atque Sanctissimum Papam ad propria reverti absolvit. (16) Egressus igitur à Nicomedia civitate crebris valetudinibus Pontifex attritus tandem sospitatem Deo tribuente incolumis ad portum Cajetæ pervenit, ubi Sacerdotes, & maximam populi Romani reperit multitudinem, ac vigesimo quarto (17) die mensis Octobris indictione 10. Romam ingressus est, & omnis populus exultavit, atque lætatus est.

Hic fecit ordinationes Episcoporum in eundo, & redeundo per diversa loca Episcopos duodecim (18). Post menses autem 3. lugubre nuncium personuit, quod Justinianus (19) Christianissimus Imperator, & orthodoxus Imperator, trucidatus est, & Philippicus hæreticus in Imperiali promotus est arce, cujus & sacram cum pravi dogmatis exaratione (20) Constantinus suscepit, sed cum Apostolicæ Sedis consilio respuit. Hujusque rei causa zelo fidei accensus (21) omnis cœtus Romanæ urbis Imaginem, quam Græci votaream (22) vocant, sex continentem Sanctas, ac universales Synodus (23) in Ecclesia Beati Petri erexerunt. Hic refecit patenam auream, pensan. lib. duodecim. Eodem tempore Felix Archiepiscopus Ravennæ ab exilio reductus, pœnitentia motus, licet oculorum lumine privatus, tamen ad propriam (24) rediit sedem. Et solita quæ ab universis in scrinio Episcoporum fiunt indicula, & fidei expositionem & hic confessus est, sicque reconciliationis promeruit absolutionem.

Hujus temporibus duo Reges Saxonum ad orationem Apostolorum cum aliis plurimis venientes sub velocitatem suam vitam, ut optabant, finierunt. Venit autem & Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis orationis voto, & suo se Pontifici præsentare. Altercavit vero & pro Ecclesia Ticinensi, sed victus est, eo quod à priscis temporibus Sedis Apostolicæ ejusdem Ticinensis Ecclesiæ Antistes ad consecrandum, pertinebat, atque pertinet.

Hisdem temporibus cum statuisset (25) populus Romanus nequaquam hæretici Imperatoris (26) nomen, aut chartas, vel figuram solidi suscipere, unde nec ejus effigies in Ecclesiam introducta est, nec suum nomen ad Missarum solemnia proferebant: contigit, ut Petrus quidam pro ducatu Romanæ urbis Ravennam dirigeret præceptum, & pro hujusmodi causa acciperet. Dumque innotuisset, quod ad nomen hæretici Imperatoris sua promotione isdem Petrus fuisset potitus, zelo fidei accensa magna pars populi Romani statuerunt nullo modo hunc ducem suscipere. Et factum est, dum Christophorus, qui erat dux, ob hanc causam cum Agathone, & suis hominibus concertarent, bellum civile exhortum est, ita ut in via sacra ante palatium sese committerent, & ex utrisque partibus amplius quam (27) vigintiquinque plagarentur, atque interirent, donec Pontifex mitteret Sacerdotes cum Evangeliis, & Crucibus Domini, sicque partes sedarentur. Nam pars Petri (28) ita angustiata, ut nulla

(11) C. adeptus est cœlestem.
A. τὸ celerem *non habet*.
(12) A. per Regiam, & Cotronam. C. Cotronam.
(13) B., & C. Stratigus Curavisianorum.
(14) A. in Placidianis, quæ ibi Prælatus erat, properavit.
C. Placidias usque ubi hospitaturus erat, properavit.
(15) C. cum Regina in terram se prostravit.
(16) B., & C. qui cùm exercitum mitteret in Pontum ad capiendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum eum idem Papa abstinere prohibuit ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit. Egressus &c.
(17) B. ac XXIII. die Romam ingressus est; *reliqua usque ad*. Hic fecit ordinationes &c. *desunt*.
(18) A. Episcopos numero XLI.
(19) A. quod Justinianus Imperator trucidatus est &c.
(20) B., & C. exaratione non post multum suscepit.
A. τὸ Constantinus *non habet*.
(21) B., & C. accensus D. Papa, & omnis cœtus &c.
(22) A., & D. Botaream vocant.
B., & C. Pancaream.
(23) B. ac universales Synodos in Ecclesia B. Petri cum picturis erexerunt, nam & hujusmodi picturas cùm haberent in Regia urbe Philippicus jusserat auferri. Hic fecit &c.
C. ac universales Synodos in porticu Ecclesiæ S. Petri cum picturis erexit &c. *ut* B.
(24) A. B., & C. ad proprium rediit thronum.
(25) B., & C. cùm statuisset memoratus Papa, & populus &c.
(26) B., & C. Imperatoris Philippici nomen &c.
A. Imperatoris nomen aut charistas, vel figuram solidi susciperent.
(27) A. B., & C. ampliùs quàm triginta flagellarentur, atque &c.
(28) A. B., & C. nam pars Petri in angustia sita nulla illi erat spes &c.

Digitized by Google

nulla illi esset spes vivendi. Verum ad Pontificis jussum pars alia, (29) quæ & Christiana vocabatur, recessit. Sicque defensoris (30) hæretici pars valuit Petri, ac si illa attrita recederet. Non post multos autem dies scripta venerunt à Siciliensi insula, quæ nunciaverunt Philippicum hæreticum à principali vertice depulsum, & Anastasius orthodoxus Augustus sceptra regalia gubernanda suscepit. Tunc orthodoxis exultatio magna, tenebrarum autem dies cunctis hæreticis superfusa est. Post aliquod vero temporis scholasticus cubicularius Patricius, & Exarchus Italiæ veniens Romam detulit secum sacram Anastasii Principis, per quam veræ se orthodoxæ fidei prædicatorem, & sancti sexti Concilii confessorem esse omnibus declaravit, quam & Pontifici obtulit, & ita perrexit Ravennam. Dum autem hæc gererentur, obtinuit Petrus ducatum, promittens, quod (31) nulli adversari niteretur. Hic fecit ordinationem unam, Presbyteros decem, Diaconos duos, (32) Episcopos per diversa loca numero sexaginta quatuor. (33) Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum 5. idus (34) Aprilis, indictione 13. Anastasio Augusto, & cessavit Episcopatus dies quadraginta.

XC. S. GREGORIUS II.

ANNO CHRISTI 714.

ANASTASII IMPER. 2.

GRegorius II. (1) natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos 16. menses (2) octo, dies viginti. Fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis, atque Constantini Augustorum. Hic à parva ætate in Patriarchio nutritus sub sanctæ memoriæ Domno Sergio Papa, Subdiaconus, atque Sacellarius factus, Bibliothecæ illi est cura commissa, (*) deinde ad Diaconatus ordinem provectus est. Et cum viro Sancto Constantino Pontifice ad regiam profectus est urbem, atque à Justiniano Principe inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem. Erat enim vir castus, Divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, & constans animo, Ecclesiasticarum rerum defensor, & contrariis fortissimus impugnator. Hic exordio Pontificatus sui calcarias decoqui jussit, & à (3) porta Sancti Laurentii inchoans hujus civitatis muros restaurare decreverat, & aliquam partem faciens emergentibus incongruis, variisque tumultibus, præpeditus est.

Hujus temporibus Joannes Constantinopolitanus Antistes synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem usus est Pontifex. (4) Hic maximam partem Basilicæ Beati Pauli Apostoli, quæ ceciderat, allatis de Calabria trabibus cooperuit, & altare à novo fecit, & ciborium argenteum, quod fuerat ruina quassatum. Sancti Laurentii pariter Ecclesiam foris muros sitam, quæ trabibus confractis ruinæ jam erat vicina, reparavit, atque aquam fistulis compaginatis post multum tempus in eandem Ecclesiam reduxit, diversasque Ecclesias in ruinis positas innovavit, quas per ordinem dicere longum est. Hic in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicavit, & gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis convertit (5) ad Christum. Hic Monasteria, quæ secus Basilicam Sancti Pauli erant, ad solitudinem deducta innovavit, atque ordinatis servis Dei Monachis congregationem post longum tempus constituit, ut ibidem die, noctuque Deo redderent laudes. Hic grocomium, quod post absidem (*) Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe situm est, Monasterium instituit. Atque Monasterium Sancti Andreæ Apostoli, quod Barbaræ nuncupatur, (6) ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur Monachus, (7) adscitis Monachis ordinavit, ut utraque Monasteria ad Sanctam Dei Genitricem singulis diebus, atque noctibus Deo laudes canerent.

Eo tempore Luitprandus Rex donationem patrimonii Alpium Cotziarum, quam Aripertus Rex fecerat, hicque repetierat, admonitione tanti viri, vel increpatione (8) redditam confirmavit. Hujus temporibus signum in Luna factum est indictione 14. & visa est cruentata usque ad mediam noctem. Eo itaque tempore Teudo (9) Dux gentis Bajoariorum ad Apostoli Beati Petri limina primus de gente eadem occurrit, orationis voto. Hujus temporibus Anastasius Imperator classem navium præparatam in partibus Alexandriæ direxit contra à Deo destructos (10) Agarenos qui ad aliud versi consilium, antequam pervenissent ad destinatum locum (11) ab itinere medio ad Regiam regressi sunt urbem, Theodosium orthodoxum inquirentes Imperatorem elegerunt, atque coactum in solio Imperii confirmaverunt. Anastasius (12) itaque cum civibus, vel quibus potuit de exercitu munitam civitatem Nicæam perrexit, illic cum classe, in qua Theodosius fuerat Imperator, dimicavit, & fere septem millia exercitus (13) sunt interempta. Cujus Anastasii superata pars verbum jam

(29) C. pars alia, quæ Christophori vocabatur.
(30) B. sicque deffensoribus Petri hæretici pars non prævaluit, sed attrita recessit.
C. sicque deffensores Petri pars hæretici non prævaluit, sed attrita recessit.
(31) A. quod nequaquam adversa retineret.
B., & C. quod nequaquam ultra Romanis adversari niteretur.
(32) B. Diaconos III.
(33) B. *Verba*, qui etiam *usque ad illa*, & cessavit Episcopatus &c. *non legit*.
(34) A. VI. Id. Januarii, & cessavit Episcopatus &c.
C. sub die XI. mens. Feb. Indictione XIV., & cessavit Episcopatus annum unum, dies XI.

GREGORIUS.

(1) τὸ II. A., & B. *non habent*.
(2) B. sedit annos XV. mens. IX. dies XXII.
A. mens. IX. dies X.
C. mens. IX. dies XI.
(*) B. *Verba* deinde ad Diacon. *usque* Justiniano Prin. *non habet*.
(3) A. à porticu S. Laurenti.
(4) B., & C. Hic trabes in Ecclesia B. Pauli Apostoli vetustate quassatas mutavit, & maximam cooperuit partem Basilicæ, quæ ceciderat, & Altare à novo refecit &c.
(5) B., & C. ad Christum convertit, & maximam partem gentis ejusdem Sancti Baptismatis undâ lavit.
(*) B., & C. Gerontocomium etiam, quod juxta Ecclesiam S. D. G. &c.
(6) B. nuncupatur ad ruinam deductum &c.
(7) B., & C. restaurans, & Monachos faciens ordinavit, ut per diem, & noctem laudes Deo in Ecclesia eadem S. Dei Genitricis quotidianis agerent diebus, & manet usque nunc pia ejus ordinatio. Eo tempore Liutprandus &c.
(8) A. *Verba*, vel increpatione *non legit*.
(9) B., & C. Theodorus Dux gentis Bavariorum.
(10) B., & C. à Deo destruendos Agarenos.
(11) A. locum itinere medio apud Regiam &c.
B. C., & D. apud Regiam.
(12) B., & C. Anastasius verò cum civibus, vel cum eis, quos potuit de exercitu habere in munita civitate Nicæa obvius exiit, pergens itaque illuc cum classe Theodosius Imperator cum eo dimicavit &c.
(13) B., & C. exercitus Anastasii sunt interempti.

Digitized by Google

jam (14) immunitatis expetiit. Datoque sibi sacramento clericus factus, atque Presbyter est consecratus. Protinus etiam ut ingressus est memoratus Teodosius Regiam urbem, imaginem illam venerandam, in qua sanctæ erant sex Synodi depictæ, & à Philippico nec dicendo fuerat deposita, in pristino (15) erexit loco, ita ut hujus fidei fervore omnis ab Ecclesia cessaret quæstio.

Eo autem tempore fluvius, qui appellatur Tyberis, alveum suum egressus sese per campestria dedit, intumuit etiam inundatione aquarum multarum, & per portam, quæ Flaminia dicitur ingressus est. Transcendit interea aliquibus in locis, & muros urbis, atque ultra Basilicam Sancti Marci per plateas se extendit, ita ut in via Lata ad unam & semis staturam aquam ejusdem fluminis excrevisset, atque à porta Beati Petri Apostoli usque ad pontem (16) Milvium aquæ se distenderent, & juxta (17) remissa in ipsius fluminis alveum se dedit. Domos itaque evertit, agros dissipavit, eradicans arbusta, & segetes. Nam nec serere ipso potuit tempore pars maxima Romanorum. Pro hoc imminebat tribulatio magna. Per dies autem septem aqua Romam tenebat (18) pervasam. A Domno itaque Papa lætaniæ crebro fiebant. Cumque in oratione, & lætaniis persisteret, post octavum jam diem misertus Deus aquam amovit, & fluvius ad proprium regressus est alveum per 15. indictionem.

Cumanum etiam (19) castrum ipso fuerat tempore à Longobardis pacis dolo pervasum. Quo audito (20) omnes sunt redditi tristes. Adhortans etiam Sanctissimus Pontifex, & commonens Longobardos, ut (21) redderent, qui si non acquiescerent, in iram se divinam incidere pro dolo, quem fecerant suis scriptis (22) detestabatur, nam & munera eis dare, ut (23) restituerent, voluit multa. Sed illi turgida mente neque monitis audire, nec reddere (24) sunt passi. Unde nimis idem sanctus indoluit Pontifex seseque spei contulit divinæ, atque in munitione Ducis Neapolitani, & populi vacans, Ducatum ei qualiter agerent quotidie scribendo (25) præsentabat. Cujus mandato obedientes consilio inito mœnia ipsius castri (26) virtute sub nocturno ingressi sunt silentio. Joannes scilicet Dux cum Theodimo Subdiacono, & Rectore, atque exercitu, & Longobardos pene trecentos cum eorum Castaldione (27) interfecerunt, vivos etiam amplius quingentos (28) comprehendentes captos Neapolim duxerunt. Sic castrum recipere potuerunt. Pro cujus redemptione septuaginta auri libras ipse Sanctissimus Papa, sicut promiserat antea, dedit.

Hic Hierusalem Ecclesiam Sanctam, quæ multo fuerat (29) detecta tempore, & circumquaque porticus vetustate quassatas trabibus deductis cooperuit, ac reparavit. Ambonem etiam marmoreum in eadem Ecclesia fecit, eamque diversis ditavit linteis, atque ministeriis. Eodem tempore (30) nefanda Agarenorum gens cum jam Hispaniarum provinciam per decem tenerent annos pervasam, undecimo anno Rhodanum conabantur fluvium transire, ad Francias occupandum, ubi Eudo (31) præerat. Qui facta Francorum generali motione contra Saracenos, eos circundantes interfecerunt. Trecenta enim septuaginta quinque millia uno sunt die interfecti, ut ejusdem Eudonis Francorum Ducis missa Pontifici Epistola continebat. Mille tantum quingentos ex Francis fuisse mortuos in eodem bello dixerunt. Adjiciens quod anno præmisso in benedictionem à prædicto viro eis directis tribus spongiis, quibus ad usum mensæ Pontificis apponuntur, in hora qua bellum committebatur, idem Eudo Aquitaniæ Princeps populo suo per modicas partes tribuens ad sumendum eis, nec unus vulneratus est, nec mortuus ex his, qui participati sunt. Eo quoque tempore in Campaniæ partibus combustum triticum, hordeum, seu legumina quasi pluvia in loco quodam e cœlo missa sunt. Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque missarum celebritas fieret, in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit. Oratorium sane in patriarchio in nomine Beati Petri Apostoli diversis ornatum metallis à novo (32) refecit, & circumquaque altaris parietes deargentavit, ac depinxit duodecim Apostolos, qui pens. libras centum & octuaginta. Illis interea diebus Constantinopolis biennium est à nec dicendis (33) Agarenis obsessa. Sed Deo eis (34) contrario maxima illic eorum parte

(14) τὸ jam A. B., & C. *non legunt*.
(15) B., & C. in pristinum errexit titul., atq; locum.
(16) A. pontem Molbium.
D. pontem Molvium.
(17) A. & juxta in consueta ipsius fluminis se dedit.
B., & C. & juxta remissam in ipsius fluminis Alveum se dedit.
(18) B. tenebat persusam.
(19) A. Cumanum etiam castrum fuerat à Langobardis &c., *& ita in* B.
(20) B., & C. Quo audito Romani sunt omnes valde contristati de castri perditione. Adhortatus &c.
(21) A. ut redirent; quòd si non &c.
(22) A. B., & C. scriptis protestabatur.
(23) B.. & C. ut illud sibi restituerent.
(24) A. nec recedere sunt passi.
B., & C. nec castrum reddere sunt passi.
(25) A. B., & C. scribendo præstabat.
(26) B., & C. ipsius castri viri virtutis sub noct. &c.
(27) A. Gastaldio.
B., & C. Castaldo.
(28) C. CL.
(29) A. B., & C. fuerat distecta.
(30) B. eodem tempore nec dicenda Saracenorum gens à loco, qui otta dicitur ex Africa transfretantes Hispaniam ingressi maximam partem gentis illius cum eorum Rege occiderunt. Reliquos omnes subdiderunt cum bonis suis, & ita eamdem Provinciam annis X. possederunt. XI. verò anno cum uxoribus, & parvulis venientes Aquitaniam Galliæ Provinciam quasi habitaturi ingressi sunt. Carolus tunc Francorum Princeps cum Eudone Aquitaniæ Principe discordiam habebat, qui tamen in unum conjungentes contra eosdem Saracenos pari consilio dimicaverunt. Facta est autem Francorum generalis motio contra eos, & circumdantes eos interemerunt una die 375. mil. Saracenorum. Ex Francorum verò parte mille tantùm quingenti interierunt, ut Francorum missa Pontifici Epistola continebat. Qui Pontifex anno præmisso in benedictione eis direxerat tres spungias, quibus ad usum mensæ Pontifices utebantur, ex quibus Eudo Aquitaniæ Princeps populo suo per modicas partes tribuit ad sumendum, & ne unus quidem vulneratus est, aut mortuus ex iis, qui inde participati sunt. Eo quoque &c.
C. eodem tempore nec dicenda Agarenorum gens à loco, qui Cepta dicitur &c. *reliqua ut in* B.
(31) A. ubi Eodo præerat.
(32) A. B., & C. à novo fecit.
(33) B. nec dicendis Saracenis mari obsessa &c.
C. nec dicendi Agarenis mari obsessa.
(34) B. sed Deo eis contrario maxima pars eorum fame, & frigore, bello, pestilentiaque perierunt, ac sic pertæsi obsidionis cum navibus suis confusi recesserunt. De populo vero ejusdem civitatis 350. mil. diversæ ætatis pestilentia, ac fame perierunt &c.
C. *legit ut in* B. *præter pro* 350. mil. *habet* 300. mil., *& pro* ac fame *legit* vastánte.

Digitized by Google

parte fame, ac bello interempta confuſi receſſerunt Leone Principe, nam & ejuſdem civitatis populum (35) trecenta dictum eſt millia diverſi ſexus, & ætatis fuiſſe neceſſitate vaſtatum peſtilentiæ.

Eo namque tempore moribus certe Honeſta, & nomine Pontificis mater ab hac vita ſubtracta eſt. Poſt cujus obitum Gregorius domum propriam in honorem Sanctæ Chriſti martyris Agathæ additis à fundamento cœnaculis, vel quæ monaſteria erant neceſſaria à novo conſtruxit. Prædia illic urbana, vel ruſtica pro monachorum obtulit neceſſitate. Fecit autem in eadem Eccleſia Beatæ Agathæ ciborium ex argento, quod penſ. libras (36) ſeptingentas & viginti. Arcus argent. ſex, penſ. ſing. (37) lib. quindecim. Caniſtra decem penſ. ſing. (38) lib. duodecim, & alia dona multa largitus eſt. Eo tempore (39) caſtrum eſt Narniæ à Longobardis pervaſum. Rex vero Longobardorum Luitprandus (40) generali motione facta Ravennam progreſſus eſt, atque illam obſedit per dies aliquot, & caſtrum pervadens (41) claſſes captas abſtulit plures, & opes abſtulit innumeras. Poſt aliquot dies Baſilius Dux, Jordanes Chartularius, & Joannes Subdiaconus cognomento Lurion, conſilium inierunt, ut Pontificem interficerent. Quibus aſſenſum Marinus Imperialis Spatharius, qui Romanum Ducatum tenebat, à Regia miſſus urbe Imperatore mandante hoc probavit, (42) ſed tempus invenire non potuerunt: quia Dei judicio (43) diſſolutus, & contractus eſt, & ſic à Roma receſſit. Poſtmodum Paulus Patricius, & exarchus miſſus in Italiam eſt, qui denuo, ut hoc ſcelus perficerent, meditabantur. Quorum conſilium (44) Romanis patefactum eſt, qui morte cuncti Jordanem interfecerunt & Joannem Lurionem. Baſilius vero monachus factus, in loco quodam retruſus vitam finivit. Paulus vero exarchus Imperatoris juſſione eundem Pontificem conabatur interficere, eoque (45) cenſum in provincia ponere præpediebat, & cogitaret ſuis opibus Eccleſias denudare, ſicut in cæteris actum eſt locis, atque alium in ejus ordinaret loco. Poſt hunc Spatharius cum juſſionibus miſſus eſt alter, ut Pontifex à ſua ſede amoveretur. Denuo Paulus (46) Patricius ad perficiendum tale ſcelus, quos ſeducere potuit ex Ravenna cum ſuo Comite, atque ex caſtris aliquos miſit. Sed motis (47) Romanis, atque undique Longobardis pro defenſione Pontificis (48) in Salario pōte Spoletini, atque hinc inde Duces Longobardorum circumdantes Romanorum fines hoc præpedierunt.

Juſſionibus itaque poſtmodum miſſis decreverat (49) Imperator, ut (50) nulla imago cujuslibet Sancti, aut Martyris, aut Angeli ubicumque (51) haberetur, (52) maledicta enim omnia aſſerebat, & ſi acquieſceret in hoc Pontifex (53) gratiam Imperatoris haberet: ſi & hoc fieri præpediret, à ſuo gradu decideret. (54) Reſpiciens ergo pius vir profanam Principis juſſionem, jam contra Imperatorem quaſi contra hoſtem ſe armavit, renuens hæreſim ejus, ſcribens ubique cavere ſe Chriſtianos, eo quod orta fuiſſet impietas talis. Igitur permoti omnes (55) Pentapolenſes, atque Venetiarum exercitus contra Imperatoris juſſionem reſtiterunt, dicentes nunquam ſe in ejuſdem Pontificis condeſcendere nece, ſed pro ejus magis defenſione viriliter decertare. Ita ut anathemati Paulum exarchum: vel qui eum direxerat, ejuſque conſentaneos (56) ſubmittunt, ſpernentes ordinationem ejus ſibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque ſic de Pontificis, deque ſua immunitate cuncti ſtudebant. Cognita vero Imperatoris nequitia, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & Conſtantinopolim ducerent. Sed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Principis. Ipſis interea diebus Exhilaratus Dux Neapolis (57) deceptus diabolica inſtigatione cum filio ſuo Adriano Campaniæ partes tenuit, ſeducens populum, ut obedirent Imperatori, & occiderent Pontificem. Tunc Romani omnes eum ſecuti comprehenderunt, & cum filio ſuo interfecerunt (58). Poſt hunc & Petrum Ducem dicentem contra Pontificem Imperatori ſcripſiſſe, turbaverunt.

Igitur diſſenſione facta in partibus Ravennæ, alii conſentientes (59) impietati Imperatoris, alii cum Pontifice, & fidelibus ſe tenentes intra eos contentione mota Paulum Patricium occiderunt. Longobardis vero Æmiliæ caſtra (60) Ferorianus, Montebelli, (61) Verablum cum ſuis oppidis Buxo, & (62) Pernicteta, Pentapolis quoque & Auximana civitas ſe tradiderunt. Poſt aliquod vero tempus Eutychium Patricium Eunuchum, qui dudum exarchus fuerat, Neapolim miſit Imperator, ut illud, quod exarchus Paulus Spatharii quoque, & cæteri malo-

(35) A. populum C. millia &c.
C. dictum eſt millia diverſæ ætatis &c.
(36) A. lib. CCXX.
B. lib. XX.
(37) B. τὸ ſing. *non legit*.
(38) A. τὸ ſing *non legit*.
(39) B., & C. Eodem tempore Narnia civitas &c.
(40) A. Liutprandus *ſemper*.
B. Leuprandus.
C. Seutzprandus.
(41) B., & C. pervadens, capto eo, plures ſecum abſtulit, & opes tulit innumeras &c.
(42) A. hoc præbuit, *& ita in omnibus*.
(43) A. Dei Judicio diſſolutus contractus eſt, *& ita in* D.
(44) A. ſed tamen eorum conſilium Romanis patefactum eſt, qui moti cuncti Jordanem interfecerunt.
B., & C. quorum conſilio Rom. patefacto Jordanem interfecerunt &c.
(45) A. eò quòd cenſum &c.
B., & C. eò quòd cenſum in provincia ponere prætendebat, & ſuis opibus &c.
(46) A. amoveretur. Paulus itaque Patricius miſſus eſt ad perficiendum &c.
(47) A. ſed remotis Romanis &c.
(48) B., & C. pro defenſione Pontificis, repugnantibus quoque Spoletinis in Ponte Salario, & ex alia parte Langobardis Tuſcis reſſiſtentibus hoc fieri præpeditum eſt.
(49) B. & C. decreverat Leo Imp.
(50) A. ut in nulla Eccleſia imago &c., *& ita in* D.
(51) A. τὸ ubicumque *non habet*.
(52) B., & C. ſed omnes juſſerat deponi, & incendi, maledicta &c.
(53) B., & C. Pontifex Romanus.
(54) A. decideret. Diſpiciens ergo &c.
B., & C. gradu diſcederet. Deſpitiens &c.
D. Deſpitiens.
(55) A. Igitur per munitiones Pentapolenſis.
(56) Conſentaneos ſubmitterent *in omnibus*.
(57) τὸ Neapolis *nemo habet*.
(58) B., & C. interfecerunt dicentes, quòd contra Pontificem Imperatori ſcripſiſſent, poſt hunc & Petrum Ducem orbaverunt. Poſt hoc in partibus Ravennæ aliis conſentientibus pravitati Imp. &c.
(59) A. conſentientes pravitati Imp. &c.
(60) A., & D. caſtra, Ferronianus. C. Ferromanus.
(61) A. montebelli veraublum.
B. montebelli Bononia Veraublum.
(62) A., & B. & perſiceta.
C. perſiceda.

Digitized by Google

malorum consiliatores facere nequiverunt, perficeret ille, sed nec sic (63) innuente Deo latuit miserabilis dolus, sed claruit cunctis pessimum consilium, quia Christi violare conabantur Ecclesias, & perdere cunctos, atque diripere omnium bona. Cumque mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, in quibus continebatur, ut Pontifex occideretur cum optimatibus Romæ, agnita crudelissima (64) insania protinus ipsum Patricium missum occidere voluerunt, nisi defensio Pontificis nimia præpedisset. Verum eundem anathematizaverunt Eutychium Exarchum, sese magni cum parvis constringentes sacramento, nunquam Pontificem Christianæ fidei zelotem, & Ecclesiarum defensorem se permittere noceri, aut amoveri, sed mori pro illius salute essent omnes parati. Munera tunc hinc inde Ducibus Longobardorum, & Regi pollicentes plurima, ut ab juvamine desisterent Pontificis per suos Legatos Patricius ille suadebat. Qui rescripsit detestandam viri dolositatem despicientes, una se quasi fratres fidei catena constrinxerunt Romani, atque Longobardi desiderantes cuncti mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, nunquam illum passuri perferre molestiam, pro fide vera, & Christianorum certantem salute. His ita se habentibus elegit majus præsidium pater ille distribuere pauperibus largissima manu, quæ reperiebat. incumbens orationibus, & jejuniis, & lætaniis Deum quotidie deprecabatur. Et spe ita manebat semper fultus plus quam hominum, gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, & in fide persisterent, (65) rogabat. Sed ne desisterent ab amore, vel fide Romani Imperii, ammonebat. Sic cunctorum corda molliebat, & dolores continuos mitigabat.

Eodem tempore per 11. indict. (66) dolo à Longobardis pervasum est Sueriense (67) castellum, quod per centum quadraginta dies ab eisdem Longobardis possessum est. Sed Pontificis multis continuis scriptis, atque commonitionibus ad Regem missis, quamvis multis datis muneribus saltim omnibus suis nudatum (68) opibus castrum donationem Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo antefatam emittens Longobardorum Rex restituit, atque donavit. (69) Eo autem tempore indictione 12. mense Januario per decem, & amplius dies stella, quæ antifer vocitatur, cum radiis in cœlo apparuit in occiduo, cujus radii partes Aquilonis respiciebant, & usque ad medium cœlum se extendebant. Eo vero tempore sæpius dicti Eutychius Patricius, & Luitprandus Rex inierunt consilium nefarium, ut congregatis exercitibus Rex subjiceret Duces Spoletanum, & Beneventanum, & exarchus Romam, & quæ pridem de Pontificis persona jussus fuerat, impleret. Qui Rex Spoletum veniens susceptis ab utrisque Ducibus sacramentis, atque obsidibus cum tota sua cohorte (70) in Neronis campum secessit. Ad quem egressus Pontifex, eique præsentatus studuit, ut potuit Regis mollire animum commonitione pia, ita ut se prosterneret ejus pedibus, & promitteret se nulli inferre læsionem: atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut quæ fuerat indutus, exueret, & ante corpus Apostoli poneret, mantum, (71) armilausiam, balteum, spatam, atque ensem deauratum, necnon coronam auream, & crucem argenteam. (72) Post orationem factam obsecravit Pontificem, ut memoratum exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur, quod & factum est. Et sic recessit Rege declinante à malis, quibus inierat, consiliis cum exarcho.

Igitur exarcho Romæ moranti venit in partibus Tusciæ in castrum Manturianense (73) quidam seductor, Tiberius nomine, cui cognomen erat Petasius, qui sibi regnum Romani Imperii usurpare conabatur. Leviores (74) quoque decipiens ita ut Manturianenses, Lunenses, atque (75) Bledani ei sacramenta præstitissent. Exarchus vero hæc audiens, turbatus est, quem sanctissimus Papa confortans, & cum eo Proceres Ecclesiæ mittens, atque exercitus profecti sunt. Qui venientes, in Mantuarianensi castello ibidem Petasius interemptus est. Cujus abscissum caput Constantinopolim ad Principem missum est, & nec sic Romanis plenam gratiam largitus est Imperator.

Nam post (76) hæc claruit ejusdem Imperatoris malitia, pro qua persequebatur Pontificem, ita ut compelleret omnes Constantinopolim habitantes tam (77) virtute, quamque blandimentis, ut deponerent, ubicumque haberentur, imagines tam Salvatoris, quamque ejus Genitricis Sanctæ, vel omnium Sanctorum, easque in medio civitatis, quod dicere crudele est, igni cremarent, & omnes dealbarent depictas Ecclesias. Et quia plerique ex ejusdem civitatis populo tale scelus fieri præpediebant, aliquanti capite truncati, alii partem (78) corporis excisi, pœnam pertulerunt. Pro qua causa etiam Germanum Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antisthem, eo quod ei consensum præbere noluisset, Pontificatu privavit isdem Imperator, sibique complicem Anastasium Presbyterum in ejus loco constituit. Qui missa Romam

(63) A. sed nec sic jubente Deo, *ita* B. & C.
(64) B., & C. crudelissima sententia Romani &c.
(65) B., & C. persisterent ob amorem, vel fidem Romani Imperii ammonebat.
(66) A. per XV. Ind.
B., & C. XI. Indict. *non habent*.
(67) A. Sutrinense castellum, quod per XL. dies &c.
B. C., & D. Sutriense.
(68) A. nudatum operibus.
B. nudatum opulis.
(69) B. Post verò aliquod tempus idem Rex generali facta motione, ut subjiceret Ducem Spolitanum, & Beneventanum, susceptis ab ipsis Ducibus sacramentis, atque obsidibus cum omni suo exercitu in Neronis campo convenit. Ad quem egressus Pontifex eique se præstans Regis mollivit animum cum monitione pia, ita ut se prosterneret ejus pedibus, & promitteret se nulli dare, aut inferre læsionem, & sic recederet. Nam ad tantam compunctionem piis monitis ejus flexus est, ut quæ fuerat indutus exueret, & ante &c.
(70) A. tota sua hoste in Neronis campo conjunxit.
C. cũ omni suo exercit. in Neron. camp. convenit.
(71) B., & C. mantum, armillas, sive baltheum.
(72) B., & C. Postque facta oratione recederet. Suggesserant autem plurimi ut illa, quæ Imperator mandabat cum Exarcho impleret, sed commonitus blanda oratione Pontificis vidit non expedire, sed ad partem flexus salutis illa fecit, quibus institutus erat, nec consensit pravis consiliis, & recessit mitis qui venerat ferus: sic compressa est adversantium mala opinio Rege declinante à malis, quæ suggerebant consiliis. Post orationem &c.
(73) A. Maturianense *semper*. C. Mantuarianense.
(74) A. B., & C. leviores quosque &c.
(75) A., & D. atque Blerani.
(76) B., & C. nam post paucos dies &c.
(77) B. habitantes tam vi, quàm blandimentis &c. *ita in* C.
(78) C. alii in aliqua parte &c.

Digitized by Google

mam (79) synodica dum tali hæresi eum consentientem reperiret, vir sanctus non censuit eum fratrem, aut Consacerdotem solito vocari, sed rescriptis commonitoriis nisi ad Catholicam converteretur fidem etiam extorrem à sacerdotali officio esse mandavit. Imperatori quoque (80) suadens salutaria, ut à tali execrabili miseria declinaret, scriptis (81) commonuit.

Hic fecit calicem aureum præcipuum diversis ornatum lapidibus preciosis, pens. lib. 30. similiter & patenam auream, pens. lib. 28. (82) & semis. Hic dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconiæ, & Mansionariis solidos duo millia centum sexaginta. Et ad luminaria Beati Petri Apostoli solidos mille. Hic fecit ordinationes (83) quinque, quatuor per mensem Septemb. & unam mens. Jun. Presbyteros triginta quinque (84), Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca centum (85) quinquaginta. Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die 3. idus Februarii indict. 14. Leone, & Constantino Imperatoribus (86). Et cessavit Episcopatus dies quinque, mensem unum. (87)

XCI. S. GREGORIUS III.

ANNO CHRISTI 731.

LEON. ISAUR. 16.

Gregorius III. (1) natione Syrus, ex patre Joanne, sedit annos decem, menses (2) octo, dies viginti. Vir mitissimus, & valde sapiens, in divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca, Latinaque lingua eruditus, Psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, & in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus. Lingua quoque in lectione polita, exhortator omnium bonorum operum, plebique florentissime salutaria prædicans, fidei Catholicæ, & Apostolicæ (3) immutilatæ conservator, perreniter sua monita, corda fidelium corroborans, orthodoxæ fidei æmulator, ac defensor fortissimus, paupertatis amator, & erga inopes provisor non solum mentis pietate, sed studii sui labore sollicitus, captivorum etiam redemptor, orphanorum quoque, & viduarum largitor, necessaria tribuens, amator religiositatis in Christiana norma, & religiose volentibus vivere, & Dei timorem habentibus in suis præcordiis dilector existens, Deo favente pervenit ad sacrum ordinem Presbyteratus. Quem viri Romani, seu omnes populi à magno usque ad parvum divina inspiratione permoti, subito eum, dum ejus decessor de hoc sæculo migrasset, dum ante feretrum in obsequio sui antecessoris esset intentus, vi abstollentes in Pontificatus ordinem elegerunt.

Fuit autem temporibus Leonis, & Constantini Imperatorum, ea persecutione grassante, quæ per ipsos mota est ad depositionem, & destructionem Sacrarum Imaginum Domini Nostri Jesu Christi, & Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorum Apostolorum, omniumque Sanctorum, & Confessorum, pro quibus isdem sanctissimus vir, ut ab hoc resipiscerent, ac se removerent errore, commonitoria scripta (4) vigore Apostolicæ Sedis instituta, quemadmodum & sanctæ memoriæ decessor ipsius direxerat, misit per Georgium Presbyterum. Qui humano ductus timore, non eadem scripta Imperatori porrexit. Qui revertens, secum in civitatem Romanam reducens ipsi Sanctissimo Pontifici patefecit, confessus se faciens reum culpæ. Quem magna comminatione Pontifex ipse voluit ab ordine sacerdotali privare. Cui residente Concilio, sed obsecrante tam Concilio, quam optimatibus, ut non deponeretur, sed magis isdem Presbyter pœnitentiæ submitteretur. Cui imposita digna pœnitentia, iterum secundo eum cum eisdem litteris scriptis apud Regiam direxit urbem. Sed nequiter augmentata dispositio eorundem Imperatorum eadem venerabilia scripta in Siciliensi insula retinere fecit, nec ad urbem Regiam pertransire permisit. Sed eundem portitorem pene per annum integrum in exilium relegavit.

Unde majori fidei ardore permotus Pontifex Synodale decretum cum sacerdotali conventu coram Sacrosancta confessione Sanctissimi Corporis Beati Petri Apostoli residentibus, cum eodem summo, & venerabili Papa, & Archiepiscopis, idest (5) Antonio Gradensi Archiepiscopo, Joanne Episcopo Ravennate, cum cæteris Episcopis istius Hesperiæ (6) partis numero 93. seu Presbyteris Sanctæ hujus Apostolicæ Sedis, astantibus Diaconibus, cum cuncto clero, nobilibus etiam Consulibus, (7) & reliquis Christianis plebibus astantibus decrevit, ut si quis deinceps antiquæ consuetudinis, & Apostolicæ Ecclesiæ tenentes fidelem usum, contemnens adversus eandem venerationem sacrarum imaginum, videlicet Dei, & Domini nostri Jesu Christi, & Genitricis ejus semper Virginis Immaculatæ, atque gloriosæ Mariæ, Beatorum Apostolorum, & omnium Sanctorum depositor, atque destructor, & prophanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris à Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, vel totius Ecclesiæ unitate, atque compage, quod & subscriptione sua solemniter (8) universi firmaverunt. Et inter cætera instituta probabilium prædecessorum, orthodoxorum Pontificum annectenda (9) sanxerunt.

Post peractum igitur hoc memoratum superius Synodale constitutum, iterum misit alia similia scripta commonitoria pro erigendis sacris

(79) τὸ Romam. A., & D. *non legunt*.
(80) A., & D. Imperatori quoque mandavit suadens &c.
(81) B., & C. scriptis ejus mandavit, *reliqua usque ad*, hic fecit ordinationes quinque, Presbyteros XXXV. *non habent*.
(82) D. lib. XXIX.
(83) A. ordinationes IX. per mensem Septemb. &c.
(84) A. Presbyteros XXV.
(85) B., & C. CXLIX.
(86) B., & C. die XI. Idus &c. *verba* Leone, & Constantino Imp. *non habent*.
(87) A. B., & C. Episcopatus diebus XXXV.

GREGORIUS.

(1) τὸ III. A. B., & C. *non legunt*.
(2) A. menses IX. dies XXV.
B., & C. mens. VIII. dies XXIV.

(3) B., & C. Apostolicæ immutabilitatem conservans.
(4) B., & C. commonitoria scripta juxta vigorem, & institutionem Apostolicæ Sedis &c.
(5) A. idest Antonino Gradense Archiepiscopo, Joanne Archiepiscopo Ravennæ.
B. Gradense Archiepiscopo cum cæteris Episcopis Hesperiæ istius, ac aliis Patribus, & Joanne Archiepiscopo Ravennense cum Episcopis XCIII.
D. Joanne Archiepiscopo Ravenn.
(6) D. istius superiæ partis numero, seu &c.
C. Patribus & Joanne Archiepiscopo Ravennæ num. XCIII.
(7) A. *Verba* etiam Consulibus *non leg.*
(8) A. solempniter firmaverunt, *& ita in* D.
(9) B., & C. Pontificum anathema sanxerunt.

Digitized by Google

eris imaginibus per Constantinum defensorem, quæ similiter, ut anteriora detenta sunt. Et portitorem eorum fortissima custodia constrinxerunt pene per annum integrum. Postmodum autem vi auferentes ei ipsa scripta, & comminantes ei, post tanti temporis custodiam, cum injuriis eum remiserunt. Nam & cuncta generalitas istius provinciæ Italiæ similiter pro erigendis imaginibus supplicationum scripta unanimiter ad eosdem Principes direxerunt, quæ & ipsa similiter ut anteriora ablata sunt à Sergio Patricio (10) Extratico ipsius insulæ Siciliæ. Ac fere per octo menses detenti, remissi sunt similiter cum exprobationis injuria portitores. Et iterum faciens Domnus Papa adhortatorias literas pro erigendis suprascriptis sacris imaginibus, & orthodoxæ fidei firmitate direxit per Petrum Defensorem apud regiam urbem, tam Anastasio invasori sedis Constantinopolitanæ, quamque Principibus Leoni, & Constantino.

Hic concessas sibi columnas sex onychinas volubiles ab Eutychio exarcho, duxit eas in Ecclesiam Beati Petri Apostoli, quas statuit circa (11) Presbyterium ante confessionem, tres à dextris, & tres à sinistris juxta alias antiquas sex (12) filio pares, super quas posuit trabes, & vestivit eas argento mundissimo. In quo sunt expressæ ab uno latere effigies Salvatoris, & Apostolorum, & ab alio latere Dei Genitricis, & Sanctarum Virginum. Posuitque super eas lilia, & pharos argenteos, pens. in unum lib. (13) septuaginta. Hic fecit Oratorium intra eandem Basilicam juxta arcum principalem parte virorum, in quo recondidit in honorem Salvatoris, sanctæque ejus Genitricis reliquias, Sanctorumque Apostolorum, vel omnium Sanctorum Martyrum, ac Confessorum, perfectorumque Justorum toto in Orbe terrarum requiescentium. Quorum festa vigiliarum (14) à Monachis trium Monasteriorum illic servientium quotidie per ordinem existentia, atque natalitiorum missas in eodem loco celebrare instituens in canone missæ hoc adjecit ita à Sacerdote dicendum: *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur Domine Deus noster in toto Orbe terrarum.*

Quam institutionem in eodem Oratorio tabulis lapideis conscribere fecit, in quo faciens pergulam, contulit dona diversarum specierum, idest gabathas (*) aureas duas, alias saxicas numero quinque, cruces (15) pendentes numero quatuor. Item cruces similiter numero decem, amulas superauratas paria duo pendentes, fibulatoria numero quinque. Coronam auream cum cruce pendentem gemmis ornatam super Altare, patenam, (16) & calicem aureum par unum ingemmis, aquamanile argenteum par unum. Et Imaginem Sanctæ Dei Genitricis diadema aureum habentem cum gemmis, & collare aureum cum gemmis pendentibus, inaures habentes hyacinthinas sex. Et faciem altaris, & confessionem (17) cum regulis vestivit argento, & in tribus lateribus altaris posuit cruces argenteas tres pensant. in unum libr. triginta sex. Canistra argentea duo. Calicem argenteum quotidianum. Coronulas (18) argenteas numero quinque, & calicem (19) argenteum unum, qui pendet in absíde ipsius Oratorii, & super eandem absidem cruces argenteas tres, & cætera, quæ in ornamento pergulæ, seu (20) ad vestes Altaris ordinatæ sunt.

Hic fecit in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis, ad Præsepe, per circuitum super columnas regulare (21) candelabrum ad instar Ecclesiæ Beati Petri Apostoli. Fecit & ibidem in Oratorio Sancto, quod Præsepe dicitur, Imaginem auream Dei Genitricis amplectentem Salvatorem Dominum Deum nostrum, cum gemmis diversis, pens. libras quinque. Hic renovavit tectum Sancti Chrysogoni Martyris, & cameram, sive parietum picturas, cyborium (22) autem de argento, seu arcus quinque pens. in unum libras 220. (23) ubi obtulit coronas argenteas quatuor, pharacanthara duo, patenam argenteam unam, calicem argenteum unum, seu etiam & vestes Altaris, necnon & vela serica alba, ornata blatto, circumquaque pendentia.

Construxitque Monasterium (24) erga eundem titulum Sanctorum Martyrum Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, constituens ibidem Abbatem, & Monachorum congregationem ad persolvendas Deo laudes in eodem titulo diurnis, atque nocturnis temporibus ordinatam secundum instar officiorum Ecclesiæ Beati Petri Apostoli, segregatum (25) videlicet à jure potestatis Presbyteri prædicti tituli. In quo Monasterio pro sustentatione (26) ibidem idem ipse sanctissimus vir prædia, & dona, atque familiam largitus est. Et diversi alii fideles, & amatores Domini Nostri Jesu Christi in eodem Monasterio Sanctorum Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni prædia, & dona devotissimi contulerunt. Simili etiam modo renovavit Monasterium Sanctorum Joannis Evangelistæ, Joannis Baptistæ, & Sancti Pancratii secus Ecclesiam Salvatoris antiquitus institutum, quod ab omni ordine Monachico exstiterat nimia incuria destitutum. In quo prædia, & dona contulit, & quæ invenerat de ipso Monasterio alienata, reddito pretio, in eundem locum restituit: ubi & congregationem Monachorum, & Abbatem constituit ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinæ in Basilica Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur juxta Lateranis diurnis, nocturnisque temporibus ordinata, juxta instar officiorum Ecclesiæ Beati Petri Apostoli.

Item

(10) A. Patricio, & Stratico.
B., & C. & Stratigo.
(11) A., & D. quas statuit erga Presbyt.
(12) A., & D. sex filopares.
B., & C. philopares.
(13) B., & C. lib. DCC.
(14) B. vigiliarum, atque natalitiorum per ordinem existentium à Monachis trium Monasteriorum illic servientium quotidie Missas celebrari instituit. In Canone Missæ hoc adjecit à Sacerdote dicendum &c., *ita & in* C.
(*) B., & C. Gravatas.
(15) B., & C. Cruces aureas IV. Item Cruces arg. similes X. Amulas argenteas superauratas pendentes paria duo &c.
(16) B., & C. patenas, & calices cum gemmis II. aureos, aquamanus arg. II.
(17) A. & confessionem cum regulis, *& ita in omnibus*.
B., & C. gemmis & inaures pendentes cum sex jacinthinis faciem quoque Altaris &c. cum regiolis vestivit arg. &c.
(18) A. Coronales arg. numero V.
(19) B., & C. calicem aureum I. qui pendet &c.
(20) B., & C. seu & in vestibus Altaris &c.
(21) D. regulare candelarum adinstar &c.
(22) B., & C. fecit etiam ibi ciborium &c.
(23) A. B., & C. pens. lib. CCX.
(24) B., & C. Monasterium circa eumdem &c.
(25) B., & C. segregatum quoque à jure &c.
(26) B., & C. sustentatione sanctorum virorum prædia &c.

Digitized by Google

Item Imaginem Sanctæ Dei Genitricis antiquam deargentavit, ac investivit argento mundissimo, pens. lib. quinquaginta. Item fecit patenam auream (27) magnam cum diversis lapidibus, pens. lib. 26. Et calicem (28) similiter cum gemmis, pens. lib. triginta quatuor. Similiter & Evangelia aurea cum gemmis, pens. lib. quindecim. Fecit autem & (29) tectum noviter simul, & cameram Sancti Andreæ Apostoli ad Sanctum Petrum Apostolum, quam depinxit, & fecit in eadem Basilica Imaginem auream in gemmis Beati Andreæ Apostoli, pens. lib. octo (30), & intra confessionem vestivit argento, quod deauravit auro purissimo. Hic etiam Basilicam Sancti Calixti Pontificis, & Martyris pene à fundamentis dirutam novis fabricis cum tecto construxit, ac totam depinxit. Ubi contulit patenam argenteam, simul & calicem, & vestem altaris.

Item tectum Basilicæ Sanctorum Processi, & Martiniani à novo construxit, subposita pila fabricis fortissimis, post eorundem sanctorum veneranda corpora ad firmamentum murorum Basilicæ Sanctæ. Item in Ecclesia Beati Genesii Martyris tectum noviter restauravit, ubi & altare erexit in nomine Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi, in quo contulit patenam argenteam, & calicem, seu coronam argenteam cum delphinis sex, necnon & coronulam auream cum cruce pendentem (31) super altare.

Item in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Martyres dicitur, tectum vetusta (32) incuria demolitum, purgari fecit ad purum, & cum calce abundantissima, seu cartis plumbeis à novo restauravit, & quæque per circuitum ejusdem tecti fuerant dissipata novo nitore construxit.

Item Basilicam Sanctæ Dei Genitricis, (33) quæ in Aquiro dicitur, in qua antea Diaconia, & parvum Oratorium fuit, eam à fundamentis longiorem, & latiorem construxit, atque depinxit. Item Diaconiam Sanctorum Sergii, & Bacchi sitam ad Beatum Petrum Apostolum, in qua pridem parvum Oratorium erat, à fundamentis ampliori fabrica dilatavit. Et concedens omnia, quæ in usum Diaconiæ existunt, statuit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum in Diaconiæ ministerio deservire.

Item in cœmeterio Sanctæ Petronillæ stationem annuam dari instituit, ubi obtulit coronam auream, (34) calicem, & patenam argent. seu alia diversa ad ornatum Ecclesiæ pertinentia. Item accubita, quæ sunt ab Beatum Petrum in ruinis posita, à fundamentis noviter restauravit, atque depinxit. Item Basilicam Beati Marci, sitam foris muros hujus civitatis Romanæ via Appia, ejus tectum dirutum à novo refecit. Item in Ecclesia Beati Pauli Apostoli mutavit trabes numero quinque, atque totum ejusdem Basilicæ tectum ab arcu altaris, usque ad regias resarcivit, (35) ac restauravit. Mutavit autem trabes in Sancta Dei Genitrice ad Præsepe numero quinque. Fecit vero à novo Ecclesiam Sanctorum Marcellini, & Petri juxta Lateranis, etiam & cœmeterium Beatorum martyrum Januarii, Urbani, Tiburtii, Valeriani, & Maximi, & eorum tectum in ruinis positum à novo perfecit. (36) Hujus temporibus plurima pars murorum hujus civitatis Romanæ restaurata est. Alimoniam quoque artificum, & pretium ad emendam calcem de proprio tribuit.

Hujus (37) temporibus Galliensium castrum recuperatum est, pro quo quotidie expugnabatur Ducatus Romanus à Ducatu (38) Spoletino, dans pecunias non parvas Trasimundo Duci eorum, ut cessarent bella, & quæstiones, (39) potuit causa finire, & in compagne sanctæ reipublicæ, atque in corpore Christo dilecti exercitus Romani annecti præcepit.

Hic fecit vestes de altari in Ecclesia Salvatoris Dei Genitricis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, atque Andreæ, & (40) cæterorum in diversis Ecclesiis. Nam & in Centumcellensium civitate muros dirutos pene à fundamentis fortissime construi fecit, & hoc constituit, (41) ut secundum constitutum, quod à Collegio Sacerdotum coram sacro Corpore Beati Petri factum est pro celebrandis solemniis vigiliarum, atque missarum Christi Domini nostri Jesu Christi, sanctæque ejus Genitricis, Sanctorum Apostolorum, vel omnium Sanctorum Martyrum, ac Confessorum, (42) perfectorumque Justorum in toto Orbe terrarum requiescentium, ut in Oratorio nomini eorum dedicato intra Ecclesiam Beati Petri Apostoli sub arcu principali à Monachis vigiliæ celebrarentur, & à Presbyteris, Hebdomadariis missarum solemnia: iisdemque institutis disposuit, ut in cœmeteriis circumquaque positis Romæ in

(27) A. patenam auream cum diversis lapidibus pens. lib. XXVI. calicem similiter in gemmis pens. lib. XXIX.

(28) B., & C. calicem quoque aureum cum gemmis pens. lib. XXIX.

(29) B., & C. & tectum, simul & cameram ei in Ecclesia S. Andreæ cum gemmis pens. lib. VIII., & introgressionem vestivit &c.

(30) A. pens. lib. VII., & intro confessionem &c.

(31) A. pendentem sub Altare &c.

(32) A., & D. vetusta caria demolitum.

(33) A. In Basilica S. Dei Genitricis, quam à Cyro in qua &c.
B. Genitricis, quæ in Archiro dicitur &c.
C. Adchyro dicitur &c.

(34) τὸ auream *deest in* A.

(35) A. Regias recursit, ac restauravit.
B., & C. recurrens restauravit &c.

(36) A. eodem tempore concussaque est provincia Romanæ ditioni subjecta à nefandis Langobardis, seu & Rege eorum Liutprando, veniensque Romam in campo Neronis tentoria tetendit. Deprædataque Campania multos Nobiles de Romanis more Langob. tutundit, atque vestivit. Pro quo vir Dei undique dolore constrictus sacras claves ex confessione Beati Petri Apost. accipiens partibus Franciæ Carolo sagacissimo viro, qui tunc regnum regebat Francorum navali itinere per missos suos direxit, ideſt Anastasium SS. virum Episcopum, nec non & Sergium Presbyt. postulandum ad præfatum Carolum, ut eos à tanta obpressione Langob. liberaret. Eodem tempore necessitate compulsus plurima pars &c.
B., & C. hujus temporibus concussa est provincia Romanorum ditioni subjecta nefandorum Langobardorum, seu & Rege &c., *reliqua ut in* A. *præter pro* direxit, ideſt Anastasium &c. *legit* direxit idem per Anastasium &c. *pro* postulandum ad præfatum Carolum, *legit* postulantes à præfato Excellentiss. Carolo &c.

(37) A. Hujusdemque temporibus Gallensium castrum, pro quo quotidie &c.
D. Hujus temporibus Galliensium &c., *reliqua ut in* A.

(38) B., & C. Ducatu Spoletano datis pecuniis non parvis &c.

(39) B., & C. & quæstiones, & sic causa finita est, & incompage S. Reipub., atque adeo dilecti exercitus Romani eum adnecti præcepit.

(40) A. & cæteras in &c., *& ita in* D.

(41) A. constituit ut servatum secundum constitutum &c.
D. constituit ut servatæ.

(42) B., & C. Confessorum, ac Virginum, perfectorumque.

Digitized by Google

in die Natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas missas, per quem præviderit Pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem. (43)

Hic fecit ordinationes tres (44) per mensem Decembrem, Presbyteros viginti quatuor, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca numero octuaginta, (45) qui etiam venerabilem Vulcarium partibus Franciæ in civitate Vienna (46) dato pallio Archiepiscopum constituit. Qui sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli quarto calendas (47) Decembris. Et cessavit Episcopatus ejus dies quatuor.

XCII. S. ZACHARIAS.

ANNO CHRISTI 742.

CONSTANT. COPRON. 2.

Zacharias, natione Græcus, ex patre Polychronio, (1) sedit annos decem, menses tres, dies 14. (2) Vir mitissimus, atque suavis, omnique bonitate ornatus, amator cleri, & omnis populi Romani, tardus ad irascendum, & velox ad miserandum, nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundum meritum tribuens, sed pius, ac misericors à tempore ordinationis suæ omnibus factus, etiam & his, qui ante sui fuerant persecutores, bona pro malis reddidit, eosque honoribus promovens simul & facultate ditavit.

Hic invenit totam Italiam provinciam valde turbatam, simul & ducatum Romanum, persequente Luitprando Longobardorum Rege ex occasione Trasimundi (3) Ducis Spoletini, qui in hac Romana urbe eodem Rege persequente refugium fecerat. Et dum à prædecessore ejus Beatæ memoriæ Gregorio Papa, atque ab Stephano, (4) quondam Patricio, & Duce, vel omni exercitu Romano prædictus Trasimundus redditus non fuisset, obsessione facta, pro eo ab eodem Rege ablatæ sunt à Romano ducatu civitates quatuor, idest, Ameria, Hortas, Polimartium, (5) & Blera. Et sic isdem Rex ad suum palatium est reversus per mensem Augustum indict. 7. Trasimundus vero Dux habito consilio cum Romanis, collectoque generali (6) exercitu ducatus Romani ingressi sunt per duas partes in fines ducatus Spoletani. Qui continuo timore ductus præ multitudine exercitus Romani eidem Trasimundo se subdiderunt Marsicani, & Forconini, (7) atque Bálvenses, seu Prinenses. Deinde ingressi per Sabinense territorium venerunt in Reatinam civitatem. Qui Reatini continuo & ipsi se subdiderunt.

Exinde (8) pergentes ingressus est Spoletum (9) per mensem Decembrem prædicta indict. Eratque magna turbatio inter Romanos, & Longobardos. Quoniam & Beneventani, & Spoletani cum Romanis tenebant. Sed dum idem Trasimundus Spoletinus Dux noluit implere, quæ prædicto Pontifici, & Patricio, simul & Romanis promiserat pro (10) recolligendis quatuor civitatibus, quæ pro eo perierant, & aliis, quæ spoponderat capitula: & prænominatus Rex (11) ad motionem contra ducatum Romanum se præpararet: in his prædictis Beatæ memoriæ Gregorius Papa divina vocatione ex hac luce subtractus est, & divino nutu prænominatus Sanctissimus Zacharias in pontificatum est electus. Cui omnipotens Deus tantam contulit gratiam, ut etiam pro salute populi Romani suam ponere animam non dubitaret. Missa igitur legatione apud jam dictum Regem Longobardorum salutaria illi prædicavit. Cujus sancti viri admonitionibus inclinatus, prænominatas quatuor, quas à Ducatu Romano abstulerat civitates, reddere promisit. Dumque motione militum facta ad comprehendendum Trasimundum Ducem (12) Spoletinum conjungeret se exhortatione sancti viri exercitus Romanus in adjutorium prædicti Regis, egressi sunt. Et dum ipse Trasimundus suam deceptionem conspiceret, egressus à Spoletana civitate sese prædicto tradidit Regi.

Dumque isdem Rex protraheret dilationem ad reddendum juxta suam promissionem jam (13) factam, quatuor civitates, prænominatus Pontifex, ut vere pastor populi sibi à Deo crediti spem ponens in Deum, egressus ex hac Romana civitate cum sacerdotibus, & clero perrexit fiducialiter, & audacter ad ambulandum in (14) locum Interamnensium urbis, ubi in finibus Spoletinis ipse residebat Rex. Qui dum in Ortanam convenisset civitatem, ipseque Rex ejus cognovisset adventum, misit Grimoaldum missum suum, qui ei obvius factus usque ad Narniensem perduxit civitatem. Ad cujus sancti viri (15) adventum obviam jam nominatus Rex misit Duces, satrapas suos, plurem-que exercitum, & à Narniensium civitate octavo fere milliario eodem Rege eum suscipiente. Sextæ feriæ die perduxerunt ad Basilicam Beati Valentini Episcopi, & martyris sitam in prædicta Interamnensium urbe ducatus Spoletini. Ante cujus fores Basilicæ isdem Rex cum reliquis optimatibus, & exercitu suo sanctum virum suscepit. Factaque oratione mutua, & salutatione sibi persolventes dum divinis eum fuisset commonitus colloquiis, impensaque charitate

---

(43) D. Sacerdotem, & cessavit Episcopatus dies IV. *cætera desunt*.
(44) τὸ tres A. *non habet*.
(45) A. LXXXI., qui etiam Venerabilem Virum VVilcarium &c.
(46) A. in civitate Vigenna dato pallio Archiep. eum esse constituit, *ita in* B., & C.
(47) A. Decembris per Indictionem X., *reliqua desunt*.
B., & C. Decembris per Indictionem X., & cessavit Episcopatus dies octo.

ZACHARIAS.

(1) D. Polochronio.
(2) B., & C. diebus XX.
(3) A. Transamundi.
B. Transmundi.
C. Transimundi.
(4) à Stephano quodam Patricio *in omnibus*.
(5) A. Polimarcias.
B., & C. Bleta.
(6) Generaliter exercitu *in omnibus*.
(7) A. Forconiani, atque Valuenses, seu Pinnenses.
B., & C. Forconii, Valbenses, atque Pinnenses.
(8) A. exinde pergens ingressus &c.
(9) B., & C. Spoletium per mensem Decembris Indictione VIII.
(10) B., & C. pto recuperandis quatuor civitatibus, quas pro eo perdiderant, & aliis &c.
(11) B., & C. Rex admonitione exercitus facta contra &c.
(12) A. Ducem Spolitium conjungeret, & ex adhortatione Sancti Viri &c.
(13) A. B., & C. jam fatas quatuor &c.
(14) A. in loco Teranensium urbis &c., *& ita in* D.
(15) A., & D. Sancti Viri in obviam &c.

Digitized by Google

ritate ab eadem egreſſus Eccleſia in ejus obſequium Rex dimidium fere milliarium perrexit, & ſic in ſuis tentoriis uterque eadem feriæ ſextæ die ſunt morati.

Sabbatho vero iterum convenientes divina perſuſus gratia Deo placitis admonitionibus eum eſt allocutus prædicans ei ab hoſtili motione, & ſanguinis effuſione quieſcere, & ea quæ pacis ſunt ſemper ſectari. Cujus piis eloquiis flexus, & conſtantiam ſancti viri, & admonitionem admiratus, omnia quæcunque ab eo petiit, per gratiam Spiritus Sancti obtinuit, & prædictas quatuor civitates, quas ipſe ante biennium per obſeſſionem factam pro prædicto Traſimundo Duce Spoletino abſtulerat, eidem ſancto cum eorum habitatoribus redonavit viro. Quas & per donationem firmavit in Oratorio Salvatoris, ſito intra Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli, in ejus nomine ædificato. Nam & Sabinenſe patrimonium, quod per annos prope triginta fuerat ablatum, atque Narnienſe, etiam & Auximanum, atque Anchonitanum, necnon & Numanatenſe (16) & vallem, quæ vocatur magna, ſitam in territorio Sutrino, per donationis titulum ipſi Beato Petro Apoſtolorum Principi reconceſſit, & pacem cum Ducatu Romano ipſe Rex in viginti confirmavit annos. Sed & captivos omnes, quos detinebat ex diverſis provinciis Romanorum miſſis litteris ſuis tam in Tuſciam ſuam, quamque trans Padum una cum Ravennatibus captivis, Leonem, Sergium, Victorem, & (17) Agnellum Conſules prædicto Beatiſſimo redonavit Pontifici.

In prædicta vero Baſilica Beati Valentini per ejuſdem Regis petitionem in locum Conſignenſis Antiſtitis, qui tranſierat, alium ordinavit Epiſcopum. In cujus conſecratione dum adeſſet ipſe Rex cum ſuis judicibus, compunctione inſpirationis divinæ tantæ orationis dulcedine ab eo ſunt prolata, ut cum ſanctum virum conſpicerent fundere preces, plures ex eiſdem Longobardis (18) ad lacrymas ſunt permoti. Eodem vero die Dominico, poſt peracta miſſarum ſolemnia ad prandium eundem Regem ad Apoſtolicam benedictionem ſuſcipiendam ipſe Beatiſſimus Pontifex invitavit. Ubi cum tanta ſuavitate eſum ſumpſit, & hilaritate cordis, ut diceret ipſe Rex, tantum ſe nunquam meminiſſe commeſſatum. (19) Alia vero die, quæ fuit ſecunda feria vale faciens, ei ipſe Rex miſit in ejus obſequium Agiprandum Ducem Cluſinum nepotem ſuum, ſeu (20) Tacipertum Caſtaldium in ejus obſequium, & Ramingum Caſtaldum Tuſcanenſem, atque Grimoaldum, qui eidem ſancto viro uſque ad prædictas civitates obſequium facerent: eaſdemque civitates cum ſuis habitatoribus traderent, quod & factum eſt.

In primis Amerinam civitatem, deinde Hortanam, dumque in Polimartio caſtro (21) conveniſſent, eumque recepiſſet, & fuiſſet itineris longitudo per circuitum finium Reipublicæ eundi uſque ad Bleranam civitatem per partes Sutrinæ civitatis per fines Longobardorum Tuſciæ, quia de propinquo erat, ideſt per caſtrum Viterbium ipſe miſſus Regis Grimoaldus eundem Beatiſſimum Pontificem perduxit uſque ad Bleranam civitatem, quam & ipſi ſancto viro prænominatus Ramingus Caſtaldius & jam dictus Grimoaldus miſſus contradiderunt. Et ſic regreſſus eſt Deo propitio cum victoriæ palma in hanc urbem Romam. Qui etiam omnem populum aggregans, eos eſt allocutus, ut ad perſolvendas omnipotenti Deo gratiarum actiones ab Eccleſia Dei Genitricis, quæ vocatur ad Martyres, egreſſi omnes cum lætania generaliter properarent ad Beatum Principem Apoſtolorum, & ita factum eſt.

His autem expletis 10. indict. in ſubſequenti 11. indict. dum nimium opprimeret prædictus Rex provinciam Ravennatium, fuiſſetque præparatus ad motionem faciendam, & obſidendam Ravennatium urbem cognita motione ejuſdem Regis, Eutychius excellentiſſimus Patricius, & Exarchus una cum Joanne Archiepiſcopo Eccleſiæ Ravennatis, atque univerſo populo prædictæ civitatis, (22) ac civitatem Pentapolios, & Æmiliæ, facta in ſcriptis obſecratione, prædicto ſancto miſerunt viro petentes, ut pro eorum curreret liberatione. Qui ſanctus vir miſſa legatione, & muneribus ad obſecrandum eundem Regem per Benedictum Epiſcopum, & Vicedominum, atque Ambroſium Primicerium notariorum petiit, ut à motione ceſſaret, & Ceſenatenſe Ravennatibus redderet caſtrum, ſed paſſus non eſt. Cujus dum duram perſeverantiam conſpiceret jam nominatus ſanctiſſimus vir trophæo fidei munitus, relicta Romana urbe jam dicto Stephano Patricio, & Duci ad gubernandum, non ſicut mercenarius, ſed ſicut vere paſtor relictis ovibus, (23) ad eas, quæ perituræ erant, redimendas occurrit. (24) Quo egreſſo itinere dum ſe orationibus commendaret Beato Apoſtolorum Principi Petro cum ſuis ſacerdotibus, & clero cum Viatoribus nutu omnipotentis Dei, ut non calore urerentur per diem uſque ad locum, ubi tentoria figebant, nubes eos tegebat, (25) quæ ad veſperum reſidebat. Alio autem die in eorum protectione erat divinitus inſtituta, cui obviam occurrit denominatus Excellentiſſimus Exarchus uſque ad Baſilicam Beati Chriſtophori, poſitam in loco, qui vocatur ad Aquilam, quinquageſimo fere milliario à Ravennatium urbe. (26) Ipſa vero nubes cum eis uſque ad Baſilicam Sancti Apollinaris in Ravennatium urbem tegendo (27) conviavit. Exinde factum eſt (28) ſignum, ut Sanctum Pontificem, quo erat iturus in Ticinenſium urbem acies igneæ in nubibus præcederent. Egreſſus autem de civitate Ravennatenſi, viri, ac mulieres diverſi ſexus, & ætatis agentes gratias omnipotenti Deo profuſis lacrymis eundem ſanctum ſuſceperunt Pontificem, clamantes, atque dicentes: (29) Be-

(16) A., & B. nec non Humanatum. C. Humanatam. D. Humanatem.
(17) A., & B. & Angelum &c.
(18) A. Langobardis fidelibus ad lacrymas &c.
(19) A. commeſſurum. B. commediſſe.
(20) A. ſeu & Azipertum gaſtaldium, & Ramnungam gaſtaldium Tuſcanenſem. B. ſeu Agitum. C. ſeu Agipertum.
(21) A. caſtro conjunxiſſet, & ſuis præcepiſſet. D. caſtro conjunxiſſet, eumque &c.
(22) A. civitatis, & utrarumque Pentapolim, & Æmiliæ. D. civitatis, & utraque Pentapolim, & Æmiliæ.
(23) A. relictis ovibus ad eam, quæ periit redimendum cucurrit. Ad cujus obviam occurrit denominatus Excellentiſſimus Exarchus &c.
(24) D. & ad nos quæ perituræ ſumus liberandas occurrit.
(25) B., & C. tegebat, ad Veſperum recedebat.
(26) A. *Verba*. Ipſa verò *uſque ad illa* egreſſus autem &c. *non habet*.
(27) B. tegendo commeavit.
(28) B., & C. factum eſt aliud ſignum.
(29) A. dicentes: veni veni Paſtor &c.

Digitized by Google

Bene venit Pastor noster, qui suas reliquit oves, & ad nos, qui perituri eramus, liberandos occurrit.

Ex eadem quoque Ravennatium urbe misit Papa ad prænominatum Regem, Stephanum presbyterum, & Ambrosium primicerium, qui annunciarent ei suum adventum. Qui viri ingressi in finibus Longobardorum in civitatem, quæ vocatur Imola, (30) cognoscentes qui præpeditionem nitebantur facere prædicto sancto viro, ne illuc ambularet, per epistolam scriptam per noctis silentium nunciaverunt. Quo cognito jam nominatus Pontifex lucescente die sabbato non mortis timore perterritus, sed Christi fretus auxilio audacter egressus de Ravennatium urbe in finibus Longobardorum ingressus, (31) sesquipes factus est suis missis. Quos quidem præcedentes ante eum, jam dictus Rex dolore perculsus suscipere noluit. Ipse vero summus Pontifex vigesima octava die mensis Junii ad Padum convenit. Ubi & ad suscipiendum eum ipse Rex suos misit optimates. Cum quibus Ticinum conveniens, ubi ipse residebat Rex foris muros ejusdem civitatis pertransiens, ad horam orationis nonam pro vigiliarum Beati Apostolorum Principis Petri celebrandis solemniis missarum, in Basilicam ejus, quæ vocatur ad cœlum aureum, perrexit. Et post completam oblationem in eandem urbem ingressus, moratus est.

Alio quoque die pro natali celebrando ipsius Principis Apostolorum in prædicta Ecclesia à prænominato Rege invitatus, Missarum solemnia celebravit. Ibique mutuo se invicem salutantes (32) pariter susceperunt cibos, & sic in prænominatam civitatem regressi sunt. Quem sanctum virum alio die isdem Rex per optimates suos ad suum palatium procedere invitavit. Et ab eodem Rege nimis honorifice susceptus salutaribus monitis eum allocutus est, obsecrans ne amplius Ravennatium provinciam opprimeret (33) facta motione, sed magis & ablatas Ravennatium urbes sibi redonaret simul, & castrum Cesinacense.

Qui prædictus Rex post multam duritiem inclinatus est fines Ravennatium urbis dilatare sicut primitus detinebantur. Et duas partes Territorii (34) Cæsenæ castri ad partem Reipublicæ restituit. Tertiam vero partem de eodem castro sub obtentu retinuit, inito constituto, (35) ut usque ad calendas Junii, dum ejus missi à Regia reverterentur urbe, (36) idem castrum, & tertiam partem, quam pignoris causa detinebat, parti Reipublicæ restitueret. Post hæc autem is ipse Rex egressus de loco in locum usque ad Padum eidem sancto viro (37) conviatus eum deduxit. In quo loco ei valefaciens cum digna ordinatione eum repedandum absolvit, dans in obsequium ejus Duces, & primates suos, sed & alios viros, qui sæpe dicta Ravennatium Territoria, & Cæsenate castrum redderent, & ita factum est.

Operatus est autem Deus mirabiliter, & Ravennatium, atque Pentapolensium populos ab oppressione, & calamitate, qua detinebantur, liberavit, & saturati sunt frumento, oleo (38), & vino. Regressus autem in urbem Romanam, cum omnibus, qui secum erant gratias agentes Deo, denuo natale Beatorum Principum Apostolorum Petri, & Pauli (39) cum omni populo celebravit, & sese in orationibus dedit, petens ab Omnipotenti Deo misericordiam, & consolationem fieri populo Ravennatium, & Romano ab insidiatore, & persecutore illo Luitprando Rege. Cujus preces non despiciens Divina clementia eundem Regem ante diem (40) superius constitutum de hac subtraxit luce, & quievit omnis persecutio. Factumque est gaudium non solum Romanis, & Ravennatibus, sed etiam genti Longobardorum, quoniam (41) & Aldeprandum nepotem suum, quem ipse reliquerat Regem (42) malivolum projecerunt de Regno, & Rachisum, qui fuerat Dux, sibi Longobardi elegerunt in Regem. Ad quem missa relatione ipse Beatissimus Pontifex continuo ob reverentiam Principis Apostolorum, & ejus precibus inclinatus usque ad viginti annorum spatium inita pace universus Italiæ quievit populus.

Hic in Lateranensi Patriarchio ante Basilicam beatæ memoriæ Theodori Papæ à novo fecit triclinium, quod diversis marmoribus, (43) & vitio, metallis, atque musivo, & pictura ornavit, sed & Sacris Imaginibus tam Oratorium Beati Silvestri, quamque & porticum decoravit. Ubi etiam & omnem substantiam suam per manus Ambrosii Primicerii notariorum introduci mandavit. Fecit autem à fundamentis ante scrinium Lateranense porticum, atque turrem, ubi & portas æreas, atque cancellos instituit, & per figuram Salvatoris ante fores ornavit. Et per ascendentes scalas in superioribus super eandem turrem triclinium, & cancellos æreos construxit. Ubi & orbis terrarum descriptionem depinxit, atque diversis versiculis ornavit, & omne Patriarchium pene à novo restauravit. In magna enim penuria eundem locum invenerat. Hic in Ecclesia Apostolorum Principum Petri, & Pauli pendentia vela inter columnas ex palleis Syricis fecit. Hic in Ecclesia prædicti Principis Apostolorum omnes codices domus suæ proprios, qui

(30) A. Himolas, cognoscentes, quòd præpeditione detinebatur.
B., & C. cognoscentes, quòd præpeditionem facere nitebantur Sancto Viro &c.
D. cognoscentes quidem præpeditione verabatur ad fiendum &c.
(31) A., & D. ingressus sequipes factus &c.
(32) A. salutantes partem susceperunt cibi &c.
B., & C. salutantes pariter susceperunt, & sic &c.
(33) A. opprimeret perfecta monitione, sed magis abstultis Ravennatium urbis concederet finibus simul & castrum Casinate.
B. opprimeret, sed magis & ablatos fines. Qui Rex post multam Ravennatis urbis sibi redonaret simul & castrum Cesenate.
C. *legit ut in* B. *sed verba*, qui Rex post multam *non habet*, *fortasse per errorem*.
D. Ravennatium urbs redonaret finibus, simul & castrum Cesinate.
(34) A. territorii castri Censini ad partem &c.
(35) A. constituto consilio utriusque ad Kal. Junii ejus missi &c.
(36) A. urbe, & eorumdem castrorum tertiam redderet partem, quam pro pignoris causa detinebat. Post hæc autem &c.
B., & C. urbe ejusdem castri tertiam partem &c.
(37) A. viro commeatus deduxit.
(38) A., & D. & oleo *non habent*.
(39) A. Pauli celebravit cum omni populo Ravennatium, & Romano ab insidiatore &c.
(40) *Verba* diem superius. A., & D. *non legunt*.
(41) A. quoniam & Hilprandum &c., *& ita in* B.
C. Hirprandum.
D. Hildeprandum.
(42) B. Regem malivoli projecerunt &c.
(43) A. marmorum, & vitrum.
B., & C. diversis marmorum, & vitri metallis.

qui in circulo anni leguntur ad matutinos in armarii opere ordinavit. Hic domum cultam Lauretum noviter ordinavit, adjiciens & massam Fontejanam, quæ cognominatur Paunaria. (44)

Hic viginti auri libras pro emendo oleo annue, ut de lucro eorum in luminariis Apostolicis proficiat, instituit. Et constitutum sub anathematis vinculo obligavit. Hic fecit vestem super altari Beati Petri ex auro textam habentem Nativitatem Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, ornavitque eam gemmis pretiosis. Simulque & vela serica alithyna quatuor, quæ & ornavit cum rotis, & ornamentis variis auro textis. Item fecit coronam de argento purissimo cum delphinis ex proprio suo, pens. libras centum viginti. Hic Beatissimus vir juxta ritum Ecclesiasticum, & fidei suæ sponsionem orthodoxam, synodicam Ecclesiæ misit Constantinopolitanæ, simulque & aliam suggestionem dirigens Serenissimo Constantino Principi. Et pergentibus Apostolicæ Sedis responsalibus ad Regiam urbem invenerunt intra Palatium Regiæ potestatis invasorem quendam, & rebellem (45) Artaustum nomine: dum enim isdem Imperator ad dimicandum contra Agarenorum properasset (*) gentem, illico præfatus Artaustus datis populo, qui in Regia remanserunt urbe præmiis, Imperiale arripuit solium. Et postmodum aggregans orientalium exercituum multitudinem antelatus Constantinus Princeps, pergensque Constantinopolim, eandem viriliter expugnans, atque extrinsecus circumvallans comprehendit civitatem, & pristinum regni sui adeptus est fastigium.

Statimque jam fati Artausti, ejusque filiorum eruit oculos, & plures ex suis rebellibus exules à propriis fecit habitaculis. Post hęc requirens missum Apostolicæ Sedis, qui ibidem (46) in tempore perturbationis contigerat advenisse, eumque (47) repertum ad Sedem absolvit Apostolicam, & juxta quod Beatissimus Pontifex postulaverat, donationem in scriptis de duabus mansis, quæ Nymphas, & Normias appellantur, juris existentes publici, eidem Sanctissimo, ac Beatissimo Papæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jure perpetuo direxit possidendas.

Hujus temporibus Carolomanus (48) filius Caroli Francorum Regis præsentis vitæ relinquens gloriam, atque potestatem terrenam, ad Beatum Petrum Apostolorum Principem devotus cum aliquantis suis advenit fidelibus, sesesque eidem Dei contulit Apostolo, atque in (49) speciali habitu se fore spondens permansurum, clericatus jugum ab eodem Sanctissimo suscepit Pontifice. (50) Et inter alia multa dona obtulit Beato Petro Apostolo ante confessionem arcum argenteum majorem, pensantem. libras (51) septuaginta. Et post aliquantum temporis ad Beati Benedicti, quod in Aquinensium finibus situm est, profectus est Monasterium, in quo & suam finire vitam jure professus est jurando.

Porro eodem tempore contigit plures Veneticorum hanc Romanam advenisse in urbem negociatores, & mercimonii nundinas propagantes multitudinem mancipiorum, virilis scilicet, & fœminini generis emere visi sunt, quos & in Africam ad paganam gentem nitebantur deducere. Quo cognito isdem Sanctissimus Pater fieri prohibuit, hoc judicans, quod justum non esset, ut Christi abluti Baptismo paganis gentibus deservirent. Datoque eisdem Veneticis pretio, quod in eorum emptione se dedisse probati sunt, cunctos à jugo servitutis redemit, atque more liberorum degendos absolvit.

Ipsis itaque temporibus Ratchis Longobardorum Rex ad capiendam civitatem Perusinam, sicut cætera Pentapoleos oppida, vehementi profectus est cum indignatione, quam & circumdans fortiter expugnabat. Hoc audiens Sanctissimus Papa continuo spe divina fretus, assumptis aliquantis ex suo clero cum optimatibus quanto (52) opus ad eandem pervenit civitatem, impensisque eidem Regi plurimis muneribus, atque oppido eum deprecans, opitulante Domino, ab obsessione ipsius civitatis eum amovit. Cui & salutifera prædicans, Deo auctore, valuit animum ejus (53) in speciali studio inclinare. Et post aliquantos dies isdem Ratchis Rex relinquens regalem dignitatem, (54) decore cum uxore, & filiis ad Beati Petri Principis Apostolorum conjunxit limina, acceptaque à præfato Sanctissimo Papa oratione, clericusque effectus, Monachico indutus est habitu cum uxore, & filiis.

Hujus denique temporibus magnum thesaurum Dominus Deus noster in hac Romana urbe per eundem almificum Pontificem propalare dignatus est. In venerabili itaque Patriarchio Sacratissimum Beati Georgii Martyris isdem Sanctissimus Papa in capsa reconditum reperit caput, in quo (*) & pictacium invenit pariter litteris exaratum græcis, ipsum esse significantes. Qui Sanctissimus Papa omnino hilaris, & satisfactus, illico aggregato Romanæ urbis populo cum hymnis, & canticis spiritualibus in venerabili Diaconia ejus (*) nominis, sita in hac Romana civitate regione secunda, ad velum aureum, illud deduci fecit. Ubi immensa miracula, & beneficia Omnipotens Deus ad laudem nominis sui per eundem Sacratissimum Martyrem operari dignatur. Hujus temporibus defunctus Theodorus major filius (55) Megisti Cataxanti ob veniam suorum delictorum prædium, quo ex hæreditate fruebatur paterna, situm quinto ab hac Romana urbe milliario via Tiburtina, in quo & Oratorium Sanctæ (56) Ceciliæ esse dinoscitur, Beato Petro reliquit. Quod ipse Beatissimus Papa magnæ constructionis fabricis, atque picturis decoravit, ampliavitque in eo fines ex omni parte. Data enim digna recompensatione his, qui in vicino ejusdem loci possessiones tenere videbantur, nemini vim inferens, sed magis ut condecet patri, cuncta secus eundem locum amica pactione pretio emit prædia. Et domum cultam, Beato Petro eundem locum jure perpetuo statuit

(44) B., & C. Pannaria.
(45) A. rebellem Artavastum.
B. Arthanstum; *in margine* Arthabastum.
C. Arthaustum.
(*) B., & C. præparasset.
(46) D. qui ibidem Imperatoris proturbatione &c.
(47) B., & C. eisque repertis ad Sedem eos absoluit redire Apostolicam.
(48) B. Carolus Magnus frater Pipini filii Franc. Regis.
C. Karolus M. frater Pipini filius Karoli Franc. Reg.
(49) A. B., & C. in spiritali habitu.

(50) *Verba*. Et inter alia &c. *usque ad illa*, & post aliquantum &c. D. *non habet*.
(51) B., & C. lib. LXXX.
(52) optimatibus quantocyus ad &c. *in omnibus*.
(53) A. animum ejus spiritali studio inclinare.
B., & C. ad spiritale studium inclinavit.
(54) Dignitatem, devotè cum &c. *in omnibus*.
(*) B. in quo epitaphium invenit &c.
(*) B. ejus nomini consecrata in hac &c., *& ita in* C.
(55) A. filius Megiscataxanti.
(56) A. Oratorium S. Ecclesiæ esse &c. *infra quoque*.

Digitized by Google

tuit permanendum. Quæ domus culta, Sanctæ Ceciliæ usque in hodiernum diem vocatur. Construxit quippe & in ea Oratorium Sancti (57) Abbacyri, ubi & multas Sanctorum condidit Reliquias. Quam videlicet domum cultam usui proprio Dominicæ videlicet (58) traditionis descripsit. Hic constituit aliam domum cultam in decimo quarto milliario ab hac Romana urbe patrimonium Tusciæ, & constitutionibus obligavit usui Ecclesiæ permanendum, (59) etiam loca, quæ ab Anna relicta quondam Agathonis Primicerii Beato Petro videntur esse concessa. Hic massas, quæ vocantur (60) Antro, & Formias suo studio jure Beati Petri acquisivit, quas & domos cultas statuit.

Et de omnibus superius adnexis domocultis Apostolicæ exarationis constituta faciens, atque sacerdotale collegium aggregans, sub anathematis interdictionibus statuit. Nulli quoquo modo successorum ejus Pontificum, vel alii cuilibet personæ licere ipsas domos cultas ab usu Ecclesiæ quoquomodo alienare. Hic fecit vestem super Altare Beati Andreæ Apostoli ad Beatum Petrum nimis optimam.

Hic Beatissimus Papa statuit, ut crebris diebus alimentorum sumptus, qui & eleemosyna usque nunc appellatur, de venerabili Patriarchio (61) à paracellariis pauperibus, & peregrinis, qui ad Beatum Petrum morantur, deportari, eisque erogari. Necnon & omnibus & inopibus, & infirmis per universas regiones istius Romanæ urbis constitutis, eandem similiter distribui ipsa alimentorum constituit eleemosynam. Hujus temporibus contigit subito tegumen tituli Beati Christi martyris Eusebii cadere. Qui sanctissimus vir cum tota sua decertans virtute, prudenterque elaborans, sicut antiquitus fuit, rursus quod ceciderat, reparavit, atque optime restauravit. Hic præcipuus Pontifex multa loca Sanctorum in meliorem statum perduxit. Et vestes optimas super altaria earundem Dei Ecclesiarum fecit. Hic dilexit clerum suum valde, atque Presbyteria eis annue in duplo, & amplius tribuit. Omnes utpote pater, & bonus pastor amplectens, & utiliter fovens, & penitus quempiam minime tribulari permittens. Hujus itaque temporibus in magna securitate, & lætitia populus à Deo illi commissus degens vixit. Hic Beatissimus Papa suo prudentissimo studio, quos Beatæ recordationis Gregorius Papa fecit quatuor Dialogorum libros, de Latino in Græcum transtulit eloquium, & plures, qui Latinam ignorant lectionem, per ejusdem lectionis illuminavit historiam. Hic fecit ordinationes tres per mensem Martium, creavit Presbyteros 30. Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca 85. Qui sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum idibus Martii, indict. 5. & cessavit Episcopatus ejus dies 12.

(57) B., & C. Oratorium S. Abbatis Cyri, ubi &c.

(58) A., & C. Dominicæ videlicet rationis descripsit.
B. videlicet orationis &c.

(59) A. permanendum tam loca, quæ ab Anna relicta, quod à quondam Agathonis &c.
B., & C. permanenda tam loca, quæ ab Anna relicta sunt, quam quæ ab Agathone Primicerio &c.

(60) A. vocantur Ancius, & Formias &c., *& ita in* D.
B., & C. Anthrus.

(61) B., & C. Patriarchio à Bucellariis pauperibus, & infirmis &c.
A. à Patrecellariis.

XCIV. STEPHANUS III.

ANNO CHRISTI 752.

CONSTANT. COPRON. 12.

Stephanus II. (1) natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos quinque, dies (2) viginti octo. Hic post patris sui transitum parvus derelictus in venerabili cubiculo Lateranensi (3) pro doctrina Apostolicæ traditionis sub prædecessoribus Beatæ memoriæ Pontificibus permansit, quem sigillatim per Ecclesiasticos ordines promoventes, ad Diaconatus ordinem eum ordinaverunt. Defuncto vero Beatæ memoriæ Domno Zacharia Papa. Stephanum quendam Presbyterum ad ordinem Pontificatus cunctus populus sibi elegit, & intra Lateranense Patriarchium misit, ubi (4) biduo manens tertio die postquam à suo surgeret somno, & sedens familiares causas suas disponeret, subito dum sederet alienatus obmutuit, & sequenti die defunctus est. Post hæc vero cunctus Dei populus congregatus est intra venerabilem Basilicam Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe. Ubi & omnes misericordiam Domini Dei nostri petentes, & ipsius Dominæ nostræ Sanctæ, semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ bono animo, & consona voce prædictum beatissimum virum sibi eligunt Pontificem, Quem omnes sincera mente cum laudis præconiis in Basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, deportaverunt, & exinde intus venerunt, (5) & in Patriarchium juxta morem intromiserunt.

Erat enim isdem Beatissimus Papa amator Ecclesiarum Dei, traditionem etiam Ecclesiasticam firma stabilitate conservans. Pauperum Christi velox subventor, verbi Dei in magna constantia prædicator. Viduas, & pupillos multo melius visitans, fortissimus etiam ovilis sui cum Dei virtute defensor. Mox vero restauravit & quatuor in hac Romana urbe sita antiquitus Xenodochia, quæ à diuturnis, & longinquis temporibus destituta manebant, (6) & in eis ordinavit omnem utilitatem in diversis eorum locis disponens intus etiam, & foris, in quibus & multa contulit dona. Quæ & per privilegii paginam sub anathematis interdicto confirmavit, (7) patrii modo à novo fundasse dinoscitur & Xenodochium in (8) plantana centum pauperum Christi (9) dispositum illic faciens, quotidianum videlicet victum eorum (10) decernens tribui.

Nam & foris muros hujus civitatis Romanæ secus Basilicam Beati Petri Apostoli duo fecit Xenodochia, in quibus & plura contulit bona, quæ & sociavit venerabilibus Diaconiis illic foris existentibus perenniter permanere, idest Dia-

STEPHANUS.

(1) *II. deest in* A. B., & C.

(2) A. B., & C. dies XXIX.
D. dies XXXVIII.

(3) B., & C. Lateranense sub doctrina Apostolicæ traditionis suorum prædecessorum b. mem. Gregorii, & Zaccariæ Pontif. permansit.

(4) B. ubi triduo manens, *& ita in* C.

(5) B. C., & D. intra venerabile Patriarchium &c.

(6) A. B., & C. manebant, & inordinata, omnem &c.
D. & in ordinatam omnem &c.

(7) confirmavit, pari modo &c. *in omnibus*.

(8) A., & D. in platana.

(9) B., & C. Christi depositum illi &c.

(10) A. victum eorum de cœnis tribui.

Diaconiæ Sanctæ Dei Genitricis, & Beati Silvestri duæ, (*) & privilegiis Apostolicis perenniter permanenda munivit.

Inter hæc vero dum magna persecutio à Longobardorum Rege Aistulfo in hac Romana urbe, vel subjacentibus ei civitatibus extitisset, (11) & vehemens ejusdem Regis sævitia immineret, illico isdem Beatissimus Papa Tertio Apostolatus ordinationis suæ mense disponens suum germanum, sanctissimum scilicet Paulum Diaconum, atque Ambrosium Primicerium (12) plurimis cum muneribus ad eundem Longobardorum (13) Regem Aistulfum ad pacis ordinandum, atque confirmandum fœdera misit. Qui præfati viri ad eum (14) convenientes impartitis muneribus, quo facilius eadem pro re apud eum impetrarent in quadraginta annorum spatia pacis fœdus cum eo ordinantes confirmaverunt. At vero isdem protervus Longobardorum Rex antiqui hostis invasus versutia ipsa fœdera pacis post pene quatuor menses in perjurii incidens reatum disrupit. Multas jam fato sanctissimo viro, vel cuncto populo Romano ingerens contumelias, varias illi minas dirigens. Cupiens quippe Deo sibi contrario cunctam hanc provinciam invadere, onerosum tributum hujus Romanæ urbis inhabitantibus adhibere nitebatur. Per (15) unum quodque scilicet caput singulos auri solidos annue inferre inhiabat. Et suæ jurisdictioni civitatem hanc Romanam, vel subjacentia ei castra subdere indignanter asserebat.

Cernens vero idem Sanctissimus Papa valide præfati Regis perniciosam imminere sævitiam, magnopere ad se accersitis venerabilium Monasteriorum Sanctorum Vincentii, & Benedicti Religiosis Abbatibus sua vice eidem crudelissimo misit Regi, obnixe per eos postulans pacis fœdera, & quietem utrarumque partium populi Dei obtinere confirmandam. Quos nempe suscipiens, & omnino contemptui habens, sprevit eorum (16) monita & ad suæ animæ detrimentum sine effectu causæ confusos ad propria absolvit Monasteria, obtestans eos minime ad Sanctissimum Papam declinare. Quod audiens ipse præcipuus pater extemplo (juxta ut crebro consueverat) Omnipotenti Domino Deo nostro suam, populique sibi commissi commendans contulit causam, & hanc lugubrem ejus Divinæ Majestati insinuavit lamentationem.

Et dum hæc agerentur conjunxit Romam Joannes Imperialis Silentiarius, deferens eidem Sanctissimo Pontifici regiam jussionem, simulque & aliam ad nomen prædicti Regis impii detulit adhorationis (17) annexam jussionem, ut reipublicæ loca diabolico ab eo usurpata ingenio, proprio restitueret dominio. Quem videlicet Imperialem missum confestim sæpefatus Sanctissimus Papa cum suo germano prædicto Sanctissimo Paulo Diacono ad eundem misit nequissimum Aistulfum Ravennam. Quibus susceptis cum inani eos absolvit responso, adhærens eidem Imperiali misso quendam propriæ gentis nefarium virum diabolicis imbutum consiliis ad regiam properandum urbem, reversique legati Romam, ac præsentati eidem Sanctissimo Papæ enarraverunt ei nihil se egisse. Tunc præfatus sanctissimus vir agnito maligni regis consilio misit in regiam urbem suos missos, & Apostolicos affatus cum Imperiali præfato misso, deprecans Imperialem clementiam, ut juxta quod ei sæpius (18) scripserat, cum exercitu ad tuendas has Italiæ partes, modis omnibus adveniret, & de iniquitatis filii morsibus Romanam hanc urbem, vel cunctam Italiam provinciam liberaret.

Inter hæc vero permanens in sua (19) pernicie præfatus atrocissimus Longobardorum Rex exarsit furore vehementi, & fremens ut leo pestiferas minas Romanis dirigere non desinebat, asserens omnes uno gladio jugulari, nisi suæ ut præfatum est sese subderent ditioni. Rursumque antefatus sanctissimus pater congregato universo Romano cœtu taliter eos paterno amore admonuit, inquiens: Quæso vos filii charissimi pro nostrorum delictorum mole Domini imploremus clementiam, & ipse noster erit adjutor, liberabitque nos sua providentissima misericordia à persequentium manibus: cujus salutiferis admonitionibus cunctus (20) obediens populus, congregati unanimiter omnes lacrymis fusis omnipotentem Dominum nostrum deprecati sunt. In una vero dierum cum multa humilitate (21) sollicite procedens in lætania cum sacratissima imagine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ (22) antheropsita, nuncupatur. Simulque & cum ea alia diversa sacra (23) ministeria recipiens proprioque humero ipsam Sanctam Imaginem cum reliquis Sacerdotibus, idem Sanctissimus Papa gestans, nudisque pedibus tam ipse, quamque universa plebs incedentes in Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Præsepe nuncupatur, posito in omnium capitibus populorum cinere cum maximo ululatu pergentes, misericordissimum Dominum nostrum deprecati sunt, alligans, connectensque adorandæ cruci Dei nostri pactum illud, quod nefandus Rex (24) Longobardorum disrupit.

(25) Hic Beatissimus Papa omnes suos Sacerdotes, & clerum in Lateranensi patriarchio sedule aggregans admonebat divinam totis nisibus scrutari scripturam, & in lectione vacare spirituali ut efficaces invenirentur in omni responso, & assertione adversariorum Ecclesiæ Dei. Nec enim cessabat indesinenter admonendo,

(*) τὸ duæ A. B., & C. *non habent*.

(11) *Verba* & vehemens ejusdem Regis sævitia immineret. B., & C. *non legunt*.

(12) B., & C. Primicerium, & plures cum muneribus.

(13) A. Aistulfum Regem ob pacis ordinan., *& ita in* D.

(14) A., & D. ad eum conjungentes impertitis muneribus quasi facilius eadem pro re &c.
B., & C. muneribus quasi faciliùs pro eadem re &c.

(15) A., & D. per unumquemque scilicet &c.
B. per unumquodque scilicet caput solidos quinque auri annuè &c.

(16) B., & C. sprevit eorum munera &c.

(17) A. adhortationis adnexa verba jussionem &c., *& ita in* D.
B., & C. adhortationis adnectens verba, ut scilicet Reipublicæ &c.

(18) B. sæpius tribulatis scripserat has Italiæ in partes modis omnibus &c.

(19) A. in sua pertinacia.
C. nequitia.

(20) A. cunctus obaudiens populus &c.

(21) A. humilitate solitè procedens &c., *& ita in* D.

(22) A. B., & C. quæ acheroposita nuncupatur.
D. ancheropsita.

(23) A. sacra mysteria proprio humero &c.
B., & C. sacra mysteria ejiciens, proprioque &c.
D. sacra mynisteria ejiciens.

(24) A. B., & C. nefandus Rex diruperat.

(25) B., & C. *Verba*, hic Beatissimus Papa &c. *usque ad illa*, itaque dum isdem sanctissimus vir &c. *non habent*.

Digitized by Google

db, (26) & confortando cunctum Dei populum sobrie, pieque agere, atque ab omni pravitate sese custodire. (27) Hic beatissimus vir pro salute provinciæ, & omnium Christianorum omni Sabbatorum die (28) lætaniam omni postposito neglectu fieri statuit. Unum quidem Sabbatum ad Sanctam Dei Genitricem ad Præsepe. Alium vero ad Beatum Petrum Apostolum, & alium ad Beatum Paulum Apostolum. (29)

Hic Beatissimus Papa restauravit Basilicam Sancti Laurentii super Sanctum Clementem sitam regione tertia. Quæ à diuturnis temporibus diruta manebat. Restauravit & tegumen cœmeterii Sanctæ Sotheris, quod ciciderat. (30) Itaque dum isdem sanctissimus vir jam fatum pestiferum Longobardorum Regem immensis (*) vicibus innumerabilia tribuens munera deprecaretur pro gregibus sibi à Deo commissis, & perditis ovibus, scilicet pro universo (31) exercitu Ravennæ, atque cuncto istius Italiæ provinciæ populo, quos diabolica fraude ipse impius (32) deceperat Rex, & possidebat. (33) Et dum ab eo nihil hac de re obtineret, cernens præsertim & ab Imperiali potentia nullum esse subveniendi auxilium, tunc quemadmodum (*) prædecessores ejus Beatæ memoriæ Domnus Gregorius, & Gregorius alius, & Domnus Zacharias Beatissimi Pontifices Carolo, excellentissimæ memoriæ, Regi Francorum direxerunt, petentes sibi subveniri propter oppressiones, ac invasiones, quas & ipsi in hac Romanorum provincia à nefanda Longobardorum gente perpessi sunt. Ita modo & ipse venerabilis Pater divina gratia inspirante clam per quendam peregrinum suas misit literas Pipino Regi Francorum nimio dolore huic provinciæ inhærenti conscriptas.

Ad hunc (34) etiam nunc cessavit dirigens, ut suos hic Romam ipse Francorum Rex mitteret missos, per (35) quod eum ad se accersiri fecisset. Et dum valide ab eodem Longobardorum Rege civitates, & provincia ista Romanorum opprimerentur, subito conjunxit missus jam fati Regis à Francorum nomine (36) Rodigangus Abbas, per quem misit in responsis omnem voluntatem, ac petitionem prædicti Sanctissimi Papæ se adimplere. Et postmodum alius missus familiaris (*) ejus conjunxit, ea ipsa annuncians.

Cumque à Longobardis, ut (37) præfatum est, antiqua Romana urbs, & castra universa distringerentur, ita etiam ut (38) Ciccanense castellum, quod colonorum Sanctæ Dei Ecclesiæ existebat usurparent, illico ab regia urbe conjunxit sæpesatus Joannes Imperialis Silentiarius cum missis ipsius Sanctissimi Pontificis, deferens secum & quæ deportaverat iniqui Longobardorum Regis missus, simul & jussionem Imperialem, in qua inherat insertum (39) à Longobardorum Rege, eundem Sanctissimum Papam esse properatum ob recipiendam Ravennatium urbem, & civitates ei pertinentes. Pro quo & de præsenti Stephanus Papa direxit ad eundem blasphemum Regem suum missum pro sua, & qui cum eo ituri erant, indemnitate. Ipsoque reverso extemplo, & missi jam fati Pipini Regis Francorum conjunxerunt, idest Rodigangus (40) Episcopus, Autcharius dux quatenus prædictum Sanctissimum Papam (juxta quod petendo miserat) ad suum Franciæ Regem deducerent, quem etiam paratum invenerant ad prædictum Longobardorum Regem properandum, pro recolligendis universis dominicis perditis (41) ovilibus.

Tunc consulens idem Beatissimus Papa Omnipotentis Dei nostri misericordiam, egressus est ab hanc (42) Romana urbe ad Beatum Petrum Apostolum, decimoquarto (43) die mensis Octobris, indictione septima, secuti sunt eum plures Romanorum, & cæterarum civitatum populi flentes, ululantesque, & nequaquam eum penitus ambulare sinebant. Qui videlicet sanctissimus vir sese in Dei virtute, & protectione Sanctæ Dei Genitricis, & Beatorum Principum Apostolorum confidens (44) constanter pro salute omnium, licet infirmitate corporis detentus (45), laboriosum aggressus est iter, confortans, atque commendans cunctam Dominicam plebem bono pastori Domino nostro, & Beatorum Apostolorum Principi Petro. Et assumens secum ex hac Sancta Ecclesia quosdam Sacerdotes, proceres etiam, (46) & cæteros clericorum ordinis. Necnon & ex militiæ optimatibus, Christo prævio, cœptum profectus (47) est iter, magnam illi cœli serenitatem Domino in ipso itinere tribuente.

Igitur (48) conjungente eo fere quadragesimum milliarum Longobardorum finium, in una noctium signum in cœlo magnum apparuit, quasi

(26) A., & D. ammonendo, & cõfortando cunctũ &c.
(27) A. Omnibus autem prænominatis Sacerdotibus, dum de cœlestia suadebat terrenis honoribus datione adtrahebat, ut cuncti ornati in Ecclesia Dei invenirentur, tonicas, planetas, aut quod Solis unumquemque in honore tribuens aliis pretii datione, qui crediti à fœneratoribus fuerant liberarentur, ut tota Ecclesia Dei in summo devenirent honore. Hic Beatissimus &c.
(28) A. die lætanias fieri statuit.
(29) A. Hic fecit rugas ante Altare S. Mariæ semper Virginis, quæ appellatur ad Præsepe, quas & argento investivit, qui pens. lib. XL. Hic restauravit Basilicam &c.
(30) A. fecit autem & vestem Altaris ad S. Dei Genitricem, quæ vocatur ad Martyres, qui & ipse illuc cum lætania pergens suis propriis manibus investivit.
(*) B., & C. Regem universis vicibus &c.
(31) A. B., & C. & pro universo Exarchatu Ravennæ.
(32) B., & C. quem pro diabolica fraude impius decerpserat Rex &c.
(33) B., & C. Hæc fuit una de causis translationis Imperii, & dum ab eo &c.
(*) B., & C. decessores.
(34) A. At tunc etiam non cessavit &c.
B., & C. Adhuc etiam &c.
D. Ad hanc etiam nec cessavit &c.

(35) A. per cujus jussa se eum accersire fecisset.
B., & C. per quos eum ad se accersiri faceret.
(36) A nomine Drodigangum.
B., & C. Rodingandus. D. Trottigandum.
(*) B., & C. postmodum verò & alios missos familiares sibi direxit, ea ipsa annunciantes.
(37) A. ut prædictum est aliquas Romanas urbes, & castra universa distringerentur.
B., & C. ut prædictum est antiqua Romana urbs, & castra univetsa distinguerentur.
(38) B., & C. ut & Sciccanense castellum.
(39) A. insertum ad Langobardorum Regem eumdem SS. Papam esse properaturum ob recipiendum Ravennatium urbem, & civitates &c. *& ita in* B., & C.
(40) B., & C. Rotingandus Abbas, & Antharius Dux &c. D. Autcharicus.
(41) A. B., & C perditis ovibus.
(42) ab hac Romana urbe *in omnibus*.
(43) B., & C. vigesimo quarto die.
(44) Conferens *in omnibus*.
(45) A. B., & C. deffectus
(46) A. proceres etiam, & ecce tibi Christo prævio &c.
B., & C. proceres etiam, & Barones & cæteros Clericalis ordinis, nec non &c.
(47) profectus est *in omnibus*.
(48) B., & C. Igitur perveniente eo in Langobardorum fines &c.

Digitized by Google

quaſi globus igneus ad partem auſtralem declinans à Galliæ partibus in Longobardorum partes. Itaque unus ex eiſdem Francorum miſſis, ſcilicet Autcharius Dux, quantocyus præcedens Ticinum, eum præſtolatus eſt. Cum vero appropinquaſſet jam fatus Beatiſſimus Papa ad civitatem Papiam, direxit ad eum ſæpefatus Aiſtulfus nequiſſimus Rex miſſos ſuos, obteſtans eum nulla penitus ratione audere verbum illi dicere petendi Ravennatium civitatem, & Exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis Reipublicæ locis, quæ ipſe, vel ejus prædeceſſores Longobardorum Reges invaſerant. Ille vero ita ei miſit in reſponſis aſſerens, quod (49) nullius trepidationis terrore ſileret huiuſcemodi petendi cauſam.

Conjungente vero eo Papiam in civitatem, & prædicto nefando Regi præſentato, plura illi tribuit munera, & nimis cum obſecratus eſt, atque lacrymis profuſis eum petivit, ut Dominicas, quas abſtulerat, redderet oves, & propria propriis reſtitueret. Sed nullo modo apud eum hæc impetrare valuit. Nam & Imperialis miſſus (50) ſimili modo petiit, & Imperiales litteras illi tribuit, & nil obtinere potuit. Prædicti vero Francorum miſſi imminebant fortiter apud eundem Aiſtulfum, ut præfatum Sanctiſſimum Papam in Franciam pergere relaxaret. Ad hæc convocans jamdictum beatiſſimum virum interrogavit, ſi ejus in Franciam properandi eſſet voluntas? Quod videlicet ille nequaquam ſiluit, ſed ſuam illi propalavit voluntatem. Unde, ut leo, dentibus fremebat, pro quo & diverſis vicibus ſuos (51) ſatellites ad eum clam miſit, ut eum quoquomodo à tali intentu declinarent.

Alias (52) vero præſente Rodigango Sanctiſſimo Epiſcopo, interrogavit eundem Beatiſſimum Papam jam fatus Longobardorum Rex ſi velle haberet Franciam ambulandi, & ita affatus eſt: Quod ſi tua voluntas eſt me relaxandi, mea omnino eſt ambulandi. Tunc abſolutus eſt ab eo, & aſſumens ex hujus Sanctæ Dei Eccleſiæ Sacerdotibus, & clero, ideſt, Georgium Epiſcopum Oſtienſem, Wilearium (53) Epiſcopum Numentanum, Leonem, Philippum, Georgium, & Stephanum Presbyteros, Theophylactum Archidiaconum, Pardum, & Gemmulum (54) Diaconos, Ambroſium Primicerium, Bonifacium (55) Secundum, Leonem, & Chriſtophorum regionarios ſecum (56) & cæteros. Quinta decima die menſe Novembris prædictæ ſeptimæ indictionis (*) à civitate Papia movens ſuum in Franciam profectus eſt iter.

Et poſt ejus abſolutionem adhuc nitebatur ſupraſcriptus Longobardorum Rex à prædicto itinere eum deviare, quod minime ipſum ſanctiſſimum virum latuit. Unde & cum nimia celeritate Deo prævio ad Francorum conjunxit clusas. Quas ingreſſus cum his, qui cum eo erant confeſtim laudes Omnipotenti Deo reddidit. Et cœptum gradiens iter ad venerabile Monaſterium S. Chriſti Martyris Mauricii pervenit. In quo & conſtitutum erat pariter ſecum Francorum Regem (*) conveniri: annuente Domino (*) ſoſpes iſdem Beatiſs. Pontifex cum omnibus, qui cum eo erant, advenit. In quo & aliquantis demorantes diebus (57) conjunxerunt in prædicto venerabili Monaſterio (58) Fulradus Abbas, & Rothardus Dux directi à ſæpefato Pipino Excellentiſſimo Francorum Rege, petentes eundem Sanctiſſimum Pontificem ad ſuum progredi Regem. Quem & cum magno honore cum omnibus, qui cum eo erant ad eum deduxerunt.

Audiens vero iſdem Rex ejuſdem Beatiſſimi Pontificis adventum, nimis feſtinanter in ejus advenit occurſum, una cum conjuge, filiis etiam, & Primatibus pro quo & (59) afferens centum millia filium ſuum nomine Carolum in occurſum ipſius coangelici Papæ direxit cum aliquibus ex ſuis optimatibus. Ipſeque in palatio ſuo in loco, qui vocatur (60) Ponticone, ad fere trium millium ſpatium deſcendens de equo ſuo cum magna humilitate terræ proſtratus una cum ſua conjuge, filiis, & optimatibus eundem Sanctiſſimum Papam ſuſcepit. Cui & viceſtratoris uſque in aliquantum locum juxta ejus ſellarem properavit. Tunc prædictus almificus vir cum omnibus ſuis extenſa voce gloriam, & inceſſabiles laudes omnipotenti Deo referens cum hymnis, & canticis ſpiritalibus uſque ad præfatum palatium pariter & cum rege omnes profecti ſunt, ſexta Januarii menſis die in apparitionis Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſacratiſſima ſolemnitate, ibique intus Oratorium pariter conſedentes, mox (61) idem Beatiſſimus Papa prædictum Chriſtianiſſimum regem lacrymabiliter deprecatus eſt, ut per pacis fœdera cauſam Beati Petri, & Reipublicæ Romanorum diſponeret. Qui de (62) præſenti jurejurando eidem Beatiſſimo Papæ ſatisfecit, omnibus mandatis ejus, & admonitionibus ſeſe totis niſibus obedire, & ut illi placitum fuerit, Exarchatum Ravennæ, (63) & Reipublicæ jura, ſeu loca reddere modis omnibus. Sed quia tempus imminebat hiemale eundem Sanctiſſimum Papam cum ſuis omnibus Pariſios apud venerabile Monaſterium Beati Dionifii ad (64) habitandum pergere curavit.

Quo peracto & eo in eodem venerabili Monaſterio cum jam fato Chriſtianiſſimo Pipino conjungente, Domino annuente, poſt aliquantos dies iſdem Chriſtianiſſimus Pipinus Rex ab eodem Sanctiſſimo Papa Chriſti gratia cum duobus filiis ſuis reges uncti ſunt Francorum. Poſtea vero Beatiſſimus Papa præ nimio labore itineris, atque temporis inæqualitate fortiter infirmatus eſt, ut etiam omnes tam ſui, quamque

(49) B., & C. pro nullius trepidatione terroris ſileret ab ejuſcemodi petendi cauſa.
(50) A. miſſus & ille ſimili modo &c., *& ita in* D.
(51) B., & C. ſuos optimates ad eum &c.
(52) A. B., & C. Alia verò die &c.
(53) A. Vuilcharium Epiſc., *& ita in* D.
B., & C. Quilcharium.
(54) B., & C. Gyrimulum Diac.
(55) A. Bonifacium Primic.
B., & C. Bonifacium Secundicerium.
(56) B. C., & D. Regionarios, ſeu & certos.
(*) B., & C. *Verba* præd. VII. Ind. *non habent*.
(*) A. B., & C. ſe cum Francor. Rege convenire.
(*) A. Domino ſuper hiſdem Beatiſs. &c.
(57) A. diebus, ibi Ambroſius Primicerius febre correptus, defunctus eſt. Conjunxerunt &c.
(58) B., & C. in prædictum Monaſterium Agaonenſem Floradus &c.
(59) A. pro quo & non pauca millia filium ſuum &c.
B., & C. pro quo & ferè ad centum millia &c.
D. pro quo & offerrens centum millia &c.
(60) A. vocatur Pontianus, ad ferè &c.
(61) A. mox ibidem Beatiſſimus &c.
(62) A. qui de præſente expondens eundem B. P. ſatisfecit &c.
(63) B., & C. Ravennæ, ſeu cætera loca juri Reipublicæ &c.
(64) A. ad exhybernandum pergere rogavit.
C. ad hybernandum pergere fecit.
D. ad gubernandum pergere rogavit.

Digitized by Google

que etiam Francorum ibidem exiſtentium omnes eum deſperarent. Sed Domini Dei noſtri ineffabilis clementia, qui non deſerit ſperantes in ſe, ſalvum cupiens (65) Domnum Chriſtianiſſimum, dum eum mane mortuum invenire ſperabant, ſubito alio die (66) ſanus repertus eſt. Pipinus vero Rex cum admonitione, gratia, & oratione ipſius venerabilis Pontificis abſolutus in loco, qui Cariſiacus appellatur, pergens, ibique congregans cunctos proceres regiæ ſuæ poteſtatis, & eos tanti patris ammonitione imbuens ſtatuit cum eis, quæ ſemel Chriſto favente, una cum eodem Beatiſſimo Papa decreverat, perficere.

Interea nefandiſſimus Aiſtulfus Carolomannum fratrem benigniſſimi Pipini Regis à Monaſterio Beati Benedicti in quo devote per revolutum temporis ſpatium monachice degebat, (67) diabolicis ei ſuaſionibus ſuadens Franciam provinciam ad obicendum, atque adverſandum cauſæ redemptionis Sanctæ Dei Eccleſiæ, reipublicæ Romanorum direxit. Dumque illuc conjunxiſſet, nitebatur omnino, & vehementius (68) decertabat Sanctæ Dei Eccleſiæ cauſam ſubvertere. Juxta quod à præfato nec dicendo Aiſtulfo tyranno fuerat directus. Sed propitiante Domino minime valuit ſui germani Chriſtianiſſimi Pipini Regis Francorum in hoc firmiſsimum cor inclinare. Potius autem comperta nequiſſimi Aiſtulfi verſutia tota ſe virtute (*) idem Excellentiſſimus Pipinus Francorum rex profeſſus eſt decertare pro cauſa Sanctæ Dei Eccleſiæ, ſicut pridem jam fato Beatiſsimo ſpoponderat Pontifici.

Tunc pari conſilio iſdem Sanctiſsimus Papa cum denominato Francorum Rege conſilio inito juxta id, quod præfatus Carolomannus Deo ſe devoverat monachicam degere vitam, in Monaſterio eum (69) illic in Francia collocaverunt. Ubi & poſt aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit (70) anno Domini 755. Porro Chriſtianiſſimus Pipinus Francorum Rex ut vere Beati Petri fidelis, atque jam fati Sanctiſſimi Pontificis ſalutiferis obtemperans monitis direxit ſuos miſſos Aiſtulfo nequiſſimo Longobardorum Regi propter pacis fœdera, & proprietatis Sanctæ Dei Eccleſiæ, ac reipublicæ reſtituenda jura, atque bis, & tertio juxta ſæpefati Beatiſsimi Papæ admonitionem eum deprecatus eſt, & plura ei pollicitus eſt munera, ut tantummodo pacifice propria reſtitueret propriis; ſed ille, peccato imminente, obedire diſtulit. At hoc (71) iidem eximius Francorum Rex cernens, quod atrociſſimi Aiſtulfi nequaquam valeret quoquomodo ſaxeum mollire cor, generalem contra eum decrevit facere motionem. Et dum jam fere medium itineris ſpatium Francorum (72) exercituum graderentur cunei, rurſum ipſe ſanctiſſimus vir præfatum benigniſſimum deprecatus eſt Pipinum Regem, demum ſæviſſimo Aiſtulfo dirigi Longobardorum Regi, ſi quo modo potuiſſet vel ſero tandem ejus ſedare ſævitiam, & propria propriis ſaluberrime ſuaderet reddere abſque humani effuſione ſanguinis. Et ita factum eſt, atque denuo ipſe benigniſſimus Francorum Rex ſuos eidem Aiſtulfo miſit miſſos.

Sed Beatiſſimus iſdem Papa, ut vere pater, & bonus paſtor, ne ſanguis effunderetur Chriſtianorum, admonitionis, & obſecrationis Apoſtolicas ei direxit litteras, per eas & fortiter per omnia divina myſteria, & futuri examinis diem conjurans, atque obteſtans, ut pacifice ſine ulla ſanguinis effuſione propria Sanctæ Dei Eccleſiæ, & reipublicæ Romanorum redderet jura; ſed iniquitate ejus obſiſtente, nequaquam acquieſcere voluit. Potius autem e contrario minas, & indignationes præfato Pontifici, & Excellentiſſimo Pipino Regi, vel cunctis Francis direxit. Tunc (73) fixus in Omnipotentis Dei miſericordia antefatus Pipinus Francorum Rex iter ſuum profectus eſt, præmittens ante ſuum occurſum aliquos ex ſuis proceribus, & cum eis exercituales viros ad cuſtodiendum proprias Francorum cluſas. Ibique conjungentes remoti reſidebant, proprii Regis præſtolantes adventum. (74) Audiens itaque protervus ille Aiſtulfus parvos fuiſſe Francos illos, qui ad cuſtodiam propriarum advenerant cluſarum, fidens in ſua ferocitate, ſubito aperiens cluſas, ſuper eos diluculo cum plurimis exercitibus irruit. Sed juſtus judex Dominus Deus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus victoriam pauciſſimis illis tribuit Francis. Et multitudinem illam Longobardorum ſuperantes trucidaverunt, ita ut ipſe Aiſtulfus fuga arreptus vix ab eorum evadere potuiſſet manibus (75) niſi uſque in Papiam civitatem abſque armis fugam arripuiſſet; in qua & præ timore Francorum cum aliquantis ſe retruſit. Ipſi vero Franci introeuntes cluſas cunctum foſſatum Longobardorum poſt peractam cædem abſtulerunt ſpolia multa auferentes.

Conjun-

(65) A. ſalvum cupiens omnem Chriſtianum, dum &c.
B., & C. ſalvum fieri cupiens omnem hominem &c.
D. omnes Chriſtianiſs.

(66) A. alio die ad ſanitatem reverſus eſt.

(67) A. degebat. Diabolus enim omnibus ſuadens Franciæ provinciam &c.
B., & C. ſuadens eum in Franciæ provinciam ad ſibi obediendum, atque &c.

(68) A. & vehementibus decertabat S. Dei Eccleſiæ cauſis ſubverteret.

(*) A. ſervitute.

(69) B., & C. in Monaſterio eum Viennæ in Francia collocaverunt.

(70) A. *Verba* anno Domini 755. *non legit*, *nec* D.

(71) A. Ad hæc idem Excellentiſſimus Franc. &c.

(72) A. Francorum exercitus graderetur cum eis &c.

(73) A., & D. tunc ſiſus &c.
B., & C. Tunc Pipinus Rex profectus eſt, præmittens ante ſuum occurſum aliquos ex ſuis ad cuſtodiendas proprias &c.

(74) A. Veniens itaque ſuprafatus benigniſs. Rex unà cum eodem SS. Papa Mauriennam in Eccleſia S. Joannis Præcurſoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque Baptiſtæ ibi devotiſſimè Miſſas celebrans, eundemque Pontificem multis muneribus, ſicut ante jamdudum fecerat, tam ipſe, quàm omnes proceres ſui iterum addens magnificè honoravit. Munera quæ Aiſtulfo per miſſos ſuos dare promiſerat Deo offerens præ manibus SS. viri diſpenſanda tribuit. Et in ejus orationes ſeipſum commendans, poſt jam dictus exercitalis ſubſecutus eſt, audiens itaque &c.
B., & C. Veniens itaque præfatus benigniſſimus Rex unà cum eodem Papa Maurieam in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ibi devotiſſimè Miſſas celebrarunt, eumdemque Pontificem ſicut & antea fecerat tam ipſe, quàm omnes proceres ſui iterum adiens magnificè honoravit. Munera quoque, quæ Aiſtulfo per miſſos ſuos dare promiſerat Deo offerrens per manus SS. viri diſpenſanda tribuit. Et in ejus orationes ſeipſum commendans prædictos exercitales ſubſecutus eſt. Audiens itaque Aiſtulfus Rex parvum numerum ex illis Francis adfuiſſe, qui ad cuſtodiendas proprias cluſas venerant, fidens in ſua fortitudine ſubitò &c.

(75) B., & C. manibus, & uſque Papiam civitatem fugam arripuit, in qua cum ſuis habitavit.

Digitized by Google

Conjungens vero Christianissimus Pipinus Francorum Rex, sequipes etiam ejus, & antefatus Beatissimus Papa factus usque ad muros civitatis Papiæ utrique pervenerunt. Quam & obsidentes per aliquantos dies viriliter eam Francorum exercitus constrinxerunt. Tunc (76) jam fatus Beatissimus, & Coangelicus Papa Pipinum deprecatus est benignissimum Regem, ut jam amplius malum hoc non proveniret, neque sanguis effunderetur Christianorum, imminens salutifera prædicatione, ut pacifice causæ finirentur. Ad hæc (77) Christianissimus Pipinus Francorum Rex ejusdem Beatissimi Patris, & boni Pastoris audiens, adimplensque admonitionem Deo dilectam pacem inientes, atque in scripto fœdera partium adfirmantes inter Romanos, Francos, & Longobardos, & obsides Longobardorum isdem Francorum Rex abstollens: Spopondit ipse Aistulfus cum universis suis judicibus, sub terribili, & fortissimo sacramento, atque in eodem pacti fœdere per scriptam paginam affirmavit se illico redditurum civitatem Ravennatium cum aliis (78) diversis civitatibus.

Et post hoc (79) facta pace inter Romanos, Francos, & Longobardos Rex Pipinus obsides Longobardorum secum ducens in finibus suis rediit. Cumque ab invicem essent segregati solitum in perjurii reatum infidelis ille Aistulfus Longobardorum Rex incidens, quod jurejurando promisit reddere distulit. (80) Dum enim sæpefatus Sanctissimus Papa conjungeret Romam, post aliquanti temporis spatium furore vehementi repletus adversarius ille, & suæ animæ inimicus Aistulfus Deo sibi contrario, non solum (81) quia ea, quæ promiserat, minime adimplevit, sed etiam & generalem faciens commotionem cum universo Regni sui Longobardorum populo contra hanc Romanam venit urbem, quam per trium mensium spatia obsidens, atque ex omni circundans parte, quotidie fortiter eam expugnabat, omnia quæ erant extra urbem ferro, & igne devastans, atque funditus demoliens consumpsit. Imminens vehementius isdem pestifer Aistulfus, ut hanc Romanam capere potuisset urbem; nam & multa (82) Corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra (83) mysteria ad magnum animæ detrimentum abstulit.

Hæc itaque impie ab eodem Aistulfo gesta quantocitius sæpedicti Francorum insonuere Regis in aures. Sed & Beatissimus Pontifex per marinum iter suos ordinans, & ad eum Franciam dirigit missos, una cum quodam religioso (84) viro Warnerio nomine, qui ab eodem Francorum Rege huc Romam directus fuerat. Cuncta quæ gesta sunt, & quæ crudeliter tyrannus ille peregit Aistolsus subtili fictione suis apostolicis relationibus sæpefato Christianissimo, & Dei cultori Pipino Francorum intimavit Regi, adjurans eum fortiter, firmiterque sub divina diei judicii obtestatione, cuncta quæ Beato Petro pollicitus est adimplendum. At vero hæc Christianissimus Pipinus Rex Francorum fervore fidei motus iterum cum Dei virtute generalem faciens motionem in Longobardorum partes conjunxit. Et clusas funditus eorundem evertit Longobardorum. Etenim cum ad prædictas Longobardorum clusas jam fatus Christianissimus Pipinus Francorum appropinquaret Rex, conjunxerunt in hac Romana urbe Imperiales missi, Gregorius (85) scilicet Protosecreta, & Joannes Silentiarius directi ad prædictum Francorum Regem (*). Quos suscipiens Beatissimus Papa eisdem motionem præfati Francorum regis nunciavit. Quod quidem illi dubium habuerunt credendi. Et adhærens eis missum Apostolicæ Sedis eos in Franciam ire absolvit. Et pergentes marino itinere quantocyus Massiliam advenerunt; in quam ingredientes didi-

---

(76) B., & C. Tunc Papia Pipinum deprecata est, ut jam &c.

(77) B., & C. ad hæc Pipinus Rex audiens eos paci inhiantes, atque in scripto fœdere pactum promittentes dixit Summo Pontifici: fiat secundùm præceptum tuum benigniss. pater. Aistulfus denique Rex cum universis suis judicibus &c.

(78) τὸ aliis A., & D. *non habent*.

(79) A., & D. *Verba*, & post hoc *usque* ad invicem segregati *non habent*.

(80) A. dirigensque cum eo sæpefatus Christianissimus, atque Deo amabilis Rex Francorum missos suos, fratrem suum Hieronymum, atque alios proceres suos cum non paucis hominibus, qui eum usque dum Romam reverteret in obsequium ejus essent. Dum enim sæpefatus Sanctissimus Papa conjungeret Romam in campo, qui vocatur Neronis, ibi invenit Sacerdotes cum Cruce psallentes, & immensas Domino gratias agentes, similiter & multitudinem promiscuam populorum, turbam tam virorum, quàmque mulierum clamantium, & dicentium, venit pastor noster, & post Dominum salus nostra. Post aliquanta temporum spatia furore &c.

B., & C. Pipinus itaque Rex fratrem suum Hieronymum, & Fulradum Abbatem cum nonnullis aliis suis misit missis, qui Domnum Apostolicum ad Sedem propriam, idest ad Romam usque cum omni ducerent prosperitate, Qui dum Romam in campum, qui vocatur Neronis, jungeret, cum magno gaudio à Sacerdotibus & Clero psallentibus, & cum Crucibus sibi occurrentibus susceptus est. Qui cum omni multitudine populi Romani utriusque sexus Domino laudes, & immensas gratias refferebant una voce clamantes Deo gratias, venit jam Pastor noster, & post Dominum salus nostra. Cùm verò Papa pervenisset Romam post aliquanti temporis spatium furore vehementi repletus Aistulfus non solùm ea &c.

(81) A. non solùm ea, quæ promiserat minimè adimplevit, sed interea isdem B. Papa semper, quæ Dei sunt meditans officia, quæ per multa tempora relaxata fuerant nocturno tempore, nocturnis horis explere fecit, & divina officia similiter restauravit, ut ab antiquitus fuerant; & tribus Monasteriis, quæ à prisco tempore in Ecclesia Beati Petri Apost. eadem officia persolvunt, adjungens quartum ibidem Monachis, qui adhuc in ipso conjungerentur officio instituit, atque Abbatem super eos ordinavit, & multa dona ibi largitus est tam universa, quæ in Monasterio necessaria sunt Monachis, quàmque foras immobilia loca, qui in psallentio Beati Apostolorum Principis Petri cum supradictis tribus Monasteriis usque in hodiernum diem est, constituit. Sed iste malignus sæpefatus Aistulfus Rex Langobardorum obotionem, quam facere jusserat cum cordis duritia adimplevit, cum universo regni sui Langobardorum populo contra hanc Romanam advenit urbem.

(82) B., & C. multa quoque Sanctorum Cœmeteria effodiens.

(83) A. eorum sacra cimiteria ad magnum animæ suæ detrimentum abstulit. Castrum itaque illud Narniense, quod pridem reddiderat misso Francorum jure Beati Petri abstulit. Hæc itaque &c.

B., & C. castrum itaque illud Narniénse, quod pridem reddiderat Aistulfus missis Francorum à jure Beati Petri abstulit.

(84) A. religioso viro VVarnario, qui &c.

B., & C. unà cum viro nomine VVario.

(85) A. Georgius scilicet proto à secreta, *& ita in* D.

B., & C. Georgius scilicet prothonotar. à secretis.

(*) A. à prædicto Francorum Rege.

Digitized by Google

didicerant jam prædictum Francorum Regem Longobardorum fines fuisse ingressum, juxta adhortationem antefati Beatissimi Papæ, & promissionem, quam Beato Petro jurejurando obtulerat. Et hæc cognoscentes ipsi Imperiales missi tristes effecti nitebantur (86) dolose missum Apostolicæ Sedis detinere Massilam, ut minime ad prædictum properaret Regem affligentes eum valide.

Sed interveniente Beato Petro Apostolorum Principe eorum callida ad nihilum redacta est versutia. Itaque unus ex ipsis, Gregorius (87) videlicet Protosecreta præcedens Apostolicæ Sedis missum celeriter prænominatum Francorum assecutus est Regem: quem & in finibus Longobardorum non procul à Papia reperit civitate: & nimis eum deprecans, atque plura spondens (88) tribui Imperialia munera, ut Ravennatium urbem, vel cæteras ejusdem Exarchatus civitates, & castra Imperiali tribuens concederet ditioni. At nequaquam (89) valuit firmissimum jam fati Christianissimi, atque benignissimi fidelis Dei, & amatoris Beati Petri Apostoli, scilicet antefati Pipini Francorum regis inclinare cor, ut easdem civitates, & loca Imperiali tribueret ditioni. Afferens isdem Dei cultor, mitissimus Rex, nulla penitus ratione easdem civitates à potestate Beati Petri, & jure Ecclesiæ Romanæ, vel Pontificis Apostolicæ Sedis quoquomodo alienari. Affirmans etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini sæpius dedisset, nisi pro amore Beati Petri, & venia delictorum, asserens & hoc, quod nulla eum thesauri copia suadere valeret, ut quod semel Beato Petro obtulit, auferret. Et hæc prædicto Imper. misso reddens in responsis, continuo eum ad propria remeandum per aliam viam absolvit, qui & sine effectu Romam conjunxit. (90)

Dum vero antefatus benignissimus Pipinus Francorum Rex Papiam obsidens constringeret civitatem, tunc Aistulfus atrocissimus rex Longobardorum, ut veniam illi tribueret, (91) & ab obsidione cessaret, quas prius contempserat conscriptas in pacti fœdere redderet civitates, se modis omnibus professus est, redditurum. Et denuo confirmato anteriore pacto, quod per elapsam octavam indictionem inter partes provenerat, restituit ipsas civitates prælatas, addens & castrum, quod cognominatur Comiaclum. (92)

De quibus omnibus receptis civitatibus (93) donationem in scriptis a Beato Petro, atque à Sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis (94) misit possidendam, quæ & usque hactenus in archivio Sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur. Ad recipiendas vero ipsas civitates misit ipse Christianissimus Francorum Rex suum consiliarium, idest Fulradum venerabilem Abbatem, & Presbyterum. (95) Et continuo ejus eximietas feliciter cum suis exercitibus Franciam repedavit. Prænominatus autem Fulradus venerabilis Abbas, & Presbyter Ravennatium partes cum missis jam fati Aistulfi Regis conjungens, & per singulas ingrediens civitates tam Pentapoleos, quam & Æmiliæ, easque recipiens, & obsides per unamquamque auferens, atque primates secum una cum clavibus portarum civitatum deferens Romam conjunxit.

Et ipsas claves tam Ravennatium urbis, quamque diversarum civitatum ipsius Ravennatium (96) Exarchatus una cum suprascripta donatione de eis à suo Rege emissa in confessione Beati Petri ponens, eidem Apostolo, & ejus Vicario Sanctissimo Papæ, atque omnibus ejus successoribus Pontificibus perenniter possidendas, atque disponendas tradidit, idest Ravennam, Ariminum, Pisaurum, (97) atque Fanum, Cesenas, Senogallias, Esium, Forum Pompilii, Forum Livii, cum castro Sussubio, Montemferetri, Acerragio, Montem Lucari, Serram, Castellum Sancti Mariani, Bobrum, Urbinum, Callium, Luculos, Eugubium, seu Comiaclum. Necnon & civitatem Narniensem, quæ à Ducatu Spoletino à parte Romanorum per evoluta annorum spatia fuerat invasa. (98) Dum ergo hæc agerentur, ipse infelix Aistulfus quodam loco in (99) venerationem pergens divino ictu percussus, defunctus est. Tunc Desiderius quidam Dux Longobardorum, qui ab eodem nequissimo Aistulfo Tusciæ in partes erat directus, audiens præfatum obiisse Aistulfum, illico aggregans ipsius Tusciæ universam exercituum multitudinem, Regni Longobardorum arripere nixus est fastigium. Cujus personam

(86) A. nitebantur decore missum Apostolicæ Sedis detinere Maxiliæ.
B. nitebantur dolo missos Apostolicæ &c.
(87) ex ipsis Georgius videlicet *in omnibus*.
(88) B., & C. deprecans tribuit.
(89) B., & C. sed nequaquam valuit Pipini Francorum Regis inclinare cor &c.
(90) A. Hisdem verò temporibus sanctissimus vir prælatus Papa fecit in Ecclesia S. Dei Genitricis Mariæ imaginem ex auro purissimo ejusdem S. Dei Genitricis in throno sedentem super genibus vultum Salvatoris D. N. Jesu Christi, quem & multis lapidibus pretiosis adornavit, idest hyacintis, smaragdinis, prasinis, & albis, & ita alias duas ejusdem Dei Genitricis Mariæ imagines, quæ ab antiquo ibidem ex argento ante Altare erant, statuitque, & ipsas inaurare fecit. Dum verò &c.
(91) A., & D. tribueret, & quas priùs contempserat. &c.
(92) B., & C. Comaclum.
(93) A. civitatibus donis inscriptis B. Petro, atque Sanctorum Ecclesiæ, vel omnibus &c.
(94) A. Sedis emisit possidendas, *& ita in* D.
(95) A., & D. & Presbyterum absolvit.
(96) A. Ravennantium, & Exarchatus unà cum subscripta donatione Beati Petri &c., *ita in* C.
(97) A. Pensaurum, Consanum, Cassinas, Sinogallias, Esis, Forumpopuli, Forum Olivi, cum Castrosas, Subrium, monte Fellitricum, Terri, Agiomonte, Locati, Serrans, Castellum S. Marini, Fobii, Urbinum, Callis Luciolis, Cupium seu Cumiaclum &c.
B. Pensaurum, Concam, Fanum, Cesinas, Scienogallias, Aesis, Forumpopillii, Forum Olibi, cum Castro Susubro, Montem Feltri, Acerram, Agiomontem, Montem Lucati, Serram, Castellum Sancti Marini, Nobium, Orbinocallis, Luceolis, Eugubium, & Connatum, nec non &c.
C. *legit ut in* B., *sed pro* Forumpopillii, Forum Olibii cum Castro Susubro, *sic habet* Forumpopuli, Forum Olivi cum Castro Sulubrio.
D. Pisaurum, Concafano, Cesenas, Synogallias, Esis, Forumpopuli, Forumalibii, cum Castro Susubio, Monte Feretrii, Aceragio, Montelucati, Serra, Castellum S. Mariani, Bobio, Orbino, Callis, Luciolis, Egubio, seu Comiaclo.
(98) A. Eodem tempore isdem Beatissimus Papa fecit Basilicam Beati Petri Apostoli, turremque ex parte inauravit, & ex parte argento investivit. In quo tres posuit campanas, quæ Clerum, & populum ad officium Dei invitarent. Cùm ergo &c.
(99) in venationem pergens *in omnibus*.

Digitized by Google

sonam (100) despectui habens Radehisus dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus præfati Aistulfi, sed & alii plures Longobardorum optimates cum eo eundem Desiderium spernentes plurimam transalpium, vel cætera Longobardorum exercituum multitudinem aggregantes ad dimicandum contra eum profecti sunt.

Ad hæc præfatus Desiderius obnixe præfatum Beatissimum Pontificem deprecatus est sibi auxilium ferre, quatenus ipsam regalem valeret assumere dignitatem, spondens jurejurando omnem præfati Beatissimi Pontificis adimplere voluntatem. Insuper & Reipublicæ se redditurum professus est civitates, quæ remanserant, immo & copiosa daturum munera. Tunc isdem præcipuus pater, & bonus pastor inito consilio cum sæpe fato Fulrado venerabili Presbytero, & Abbate, atque Consiliario Christianissimi Pipini Francorum Regis, misit suum germanum, Paulum scilicet Diaconem, atque Christophorum Consiliarium una cum præfato Fulrado in partes Tusciæ ad prædictum Desiderium. Cum quo loquentes confestim per scriptam paginam terribili juramento isdem Desiderius cunctam professus est superius annexam sponsionem adimplere. Post hæc vero peracta statim suum missum, idest Stephanum venerabilem Presbyterum cum Apostolicis exhortatoriis litteris præfato Radehisn, vel cunctæ genti Longobardorum direxit, properans & prædictus Fulradus venerabilis cum aliquantis Francis in auxilium ipsius Desiderii, sed & plures exercitus Romanorum si necessitas exigeret in ejus disposuit occurri adjutorium. Et suffragantibus prædicti Sanctissimi Pontificis Deo acceptis precibus, ita Omnipotens Dominus disposuit, ut sine ulla animarum periclitatione antefatus Desiderius per jam dicti Coangelici Papæ concursum eandem, quam ambiebat, assumeret regalem dignitatem.

Dum vero hæc agerentur, direxit missum suum Sanctissimus Pontifex, & abstulit (*) de ipsis civitatibus, quas sæpedictus Desiderius Rex reddere promiserat Beatissimo eidem Papæ, idest Faventiam, cum castro Tiberiaco, (101) seu Gabellum, & universum Ducatum Ferrariæ in integrum. Et annuente Deo rempublicam dilatans, & universam dominicam plebem, videlicet rationales sibi commissas oves, ut bonus pastor, animam suam ponens, omnes ab insidiis eruit (102) inimicorum, cursumque consumans, (103) & omnia utiliter perficiens, Dei vocatione vitam finiens ad æternam migravit requiem. Qui fecit ordinationem unam per mensem Martium, Presbyteros (104) II. Diaconos 2. (105) Episcopos per diversa loca numero (106) viginti; & cessavit Episcopatus dies triginta quinque. Sepultus est in Basilica Beati Petri Apostolorum Principis sexto calendas (107) Maji, indictione 10. Et cessavit Episcopatus (108) ejus diebus triginta duobus.

XCV. S. PAULUS.

ANNO CHRISTI 757.

CONSTANT. COPRON. 17.

PAulus, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos decem, mensem unum. Hic ab ineunte ætate in Lateranensi Patriarchio cum proprio seniore germano Stephano prædecessore ejus Pontifice pro eruditione ecclesiasticæ disciplinæ traditus est temporibus Domini Gregorii secundi junioris Pontificis. Et postmodum à Domno Zacharia Beatissimo Papa in Diaconii ordine pariter cum antefato suo germano (1) consecratus est. Nam dum isdem ejus germanus, & antecessor Pontifex ad extremum pertingeret vitæ, illico & populus cum eo

---

(100) A. Hujus personam despectui habens Ratchis. B. Hujus despectum habens Ratechisus &c. C. Hunc despectui habens Rathisus, dudum Rex &c. D. Ratchisus &c.

(*) B., & C. retinuit.

(101) B., & C. Tiberiaco, seu Caballo.

(102) B., & C. de manibus inimicorum. Hic etiam Beatissimus Papa omnes suos Sacerdotes, & Clerum in Lateranense Patriarchio sedule adgregans admonebat Divinam totis mentibus lectari Scripturam, & lectioni vacare spirituali, ut efficaces invenirentur in omni responso, & assertione adversariorum Ecclesiæ Dei, nec cessabat indesinenter admonendo, & confortando populum Dei sobriè, pièque agere, atque ab omni pravitate sese custodire. Ipse quoque pro salute provinciæ, & omnium Christianorum omni Sabathorum die lætaniam omni postposito neglectu fieri statuit, unam quidem Sabatho ad S. Dei Genitricem ad præsepe, aliam verò ad B. Petrum Apostolum, aliam ad B. Paulum Apostolum. Ipse etiam restauravit Basilicam B. Laurentii per S. Clementem sitam in regione tertia, quæ à diuturnis temporibus diruta manebat. Restauravit & tegumen cœmiterii S. Soteris, quod ceciderat. Itaque cursum suum consumans, & omnia utiliter perficiens Dei vocatione vitam finivit, & ad æternam &c.

(103) A. consumans. Interea renovavit in atrium ante fores B. Petri Apostoli, quod quadriporticus dicitur columnas marmoreas octo miræ pulchritudinis, sculptasque desuper quadris composuit, & æreum desuper collocavit tegumen. Fecit autem & juxta Basilicam Beati Petri Apostoli, & ab alia parte Beati Andreæ Apostoli in loco, qui Musleus appellabatur Basilicam in honorem Sanctæ Petronillæ, quæ prædicto benignissimo Pipino Regi Franciæ spoponderat, ut Beatæ Petronillæ corpus ibidem collocaret, ubi posuit canistra argentea multa, & ornamenta alia plura, quæ dedicavit. Et omnia utiliter perficiens &c.

(104) Presbyteros duos *in omnibus*.

(105) Diaconos II. D. *non legit*.

(106) A. B., & C. Episcopos per diversa loca XV. A. Et dum in Francia esset positus Rodigango Sanctissimo Episcopo pallium tribuit, & Archiepiscopum ordinavit, qui etiam sepultus est &c.

(107) A. V. Kal. Maji &c.

(108) A. Episcopatus mense I. diebus quinque. D. diebus XXXV.

Hucusque Codex antiquior Bibliothecæ Ambrosianæ dictus A., qui in hunc modum clauditur.

EXPLICIT LIBELLUS, DEO GRATIAS. A M E N.

S. PAULUS.

(1) B. germano ordinatus est. Fuit autem temporibus Constantini, & Leonis Imperatorum. Erat verò justissimus, & misericors nulli unquam malum pro malo reddens, viduis, orphanis, atque pupillis, omnibusque egentibus opem ferens; fortissimus quoque erat orthodoxæ fidei defensor. Hic fecit noviter Ecclesiam infra hanc civitatem Romanam via sacra juxta templum Romuli in honore SS. Petri, & Pauli, ubi ipsi Beatissimi Principes Apostolorum, tempore, quo pro Christi nomine martyrio coronati sunt, dum Redemptori nostro funderent preces propria genua flectere visi sunt; in quo loco usque hactenus eorum genua pro testimonio in postremo venturæ generationis in fortissimo silice esse noscuntur designata. Hic dum in Ecclesia &c. C. *habet ut in B. præter pro* justissimus, *legit* mitissimus.

Digitized by Google

eo hujus Romanæ urbis divisus est, & alii cum Theophylacto Archidiacono tenentes, in ejus domo congregati residebant. Alii vero eidem beatissimo concordabant Paulo Diacono, plurima pars judicum, & populi cum eo tenentes, quam cum prædicto Theophylacto Archidiacono. Ipse vero sanctissimus vir nequaquam à Lateranensi Patriarchio recessit. Sed cum cæteris Fidelibus suo ægrotanti germano, & prædecessori Pontifici perseveranter famulabatur. Dum vero de hac vita prædictus ejus germanus, & prædecessor Pontifex migrasset, eoque cum ingenti honore in Basilica Beati Petri sepulto, continuo eadem populi congregatio, quæ cum sæpefato Beatissimo Paulo tunc diacono tenebat, quoniam validior, & fortior erat, eum in Pontificatus culmen elegerunt. Post hæc hi, qui cum præfato Archidiacono aggregati erant, dispersi sunt. Et ita Deo annuente isdem sanctissimus vir in Apostolicam Beati Petri Sacratissimam Sedem consecratus Pontifex est.

Fuit autem temporibus Constantini, & Leonis Imperatorum. Erat enim mitis, atque valde misericors, nulli unquam malum pro malo reddens. Et si pro modico quemquam per iniquos satellites tribulabat in proximo, tamen pietate motus consolationis ille inferebat misericordiam. Hic, ut multi testati sunt, nocte per semetipsum cellas pauperum infirmorum perjacentium, qui ex suis nequaquam assurgere valebant lectulis, necnon & aliorum inopum cum suis familiaribus noctis circuibat silentio, amplissime illis ministrans alimoniam, atque subsidii inferens opem. Sed & carceres, atque alia claustra per eadem noctium secreta visitabat. Et si quos ibidem conveniebat (2) retrusos, a mortis emens periculo, liberos ire relaxabat. Sed & plures, qui debitis obligati, atque afflicti à suis fœneratoribus opprimebantur, reddito ipso debito, à jugo redimebat servitii. Viduis, & pupillis, omnibusque egentibus opem ferens. Fortissimus enim erat orthodoxæ fidei defensor. Unde sæpius suos missos cum Apostolicis obsecratoriis, atque admonitoriis litteris præfatis Constantino, & Leoni Augustis direxit pro restituendis, confirmandisque in pristinum venerationis statum sacratissimis imaginibus Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, sanctæque ejus Genitricis, atque Beatorum Apostolorum, omniumque Sanctorum Prophetarum, Martyrum, & Confessorum.

Hic enim Beatissimus Pontifex cum omnibus spiritualibus suis studiis magnam solicitudinis curam erga SS. Cœmeteria indesinenter gerebat. Unde cernens plurima eorundem Sanctorum cœmeteriorum loca neglecta, ac desideria antiquitatis maxima demolitione, atque jam vicina ruinæ posita, protinus eadem SS. Corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeteriis. Qua cum hymnis, & canticis spiritalibus infra hanc civitatem Romanam introducens, alia eorum per titulos, ac Diaconias, seu Monasteria, & reliquas Ecclesias cum condecenti studuit recondi honore.

Hic Sanctissimus Præsul in sua propria domo Monasterium à fundamentis in honore Sancti Stephani, scilicet Martyris, atque Pontificis, necnon & Beati Silvestri item Pontificis, & Confessoris Christi construxit; ubi & oraculum in superioribus ejusdem Monasterii mœniis ædificans eorum corpora magna cum veneratione condidit. Infra claustra vero ipsius Monasterii Ecclesiam miræ pulcritudinis à fundamentis noviter construxit. Quam musivo, & marmoribus decorans, & omnem illis ornatum in auro, argentoque, & diversis speciebus largiens; sed & cyburium ibidem ex argento librarum fecit, illicque innumerabilium Sanctorum Corpora, quæ de præfatis demolitis abstulit Cœmeteriis maximo venerationis condidit (3) affectu. In eodem quippe Monasterio plurima contulit prædia, & possessiones, ac loca urbana, vel rustica superflue, atque abundanter ditans auro, & argento, aliisque rerum speciebus, & omnibus utilitatibus, ubi & Monachorum congregationem construens, Græcæ modulationis psalmodiæ Cœnobium esse decrevit, atque Deo nostro Omnipotenti, & omnibus ibidem requiescentibus Sanctis magnis sub interdictionibus sedule, ac indesinenter laudes statuit persolvendas.

Hic fecit noviter Ecclesiam infra hanc civitatem Romanam in via sacra, juxta templum Romuli (4) in honore Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ubi ipsi Beatissimi Principes Apostolorum, tempore quo pro Christi nomine martyrio coronati sunt, dum Redemptori nostro funderent preces propria genua flectere visi sunt. In quo loco usque hactenus eorum genua pro testimonio omnis in postremo venturæ generationis in quodam fortissimo silice licet esse noscuntur designata. Nam & infra Ecclesiam Beati Petri Apostoli foris muros hujus civitatis Romanæ noviter oraculum in honore Sanctæ Dei Genitricis construxit, juxta Oratorium Sancti Leonis Papæ secus fores introitus Sanctæ Petronillæ, atque Beati Andreæ Apostoli musivo, & diversis metallis eum adornans. Ubi & Effigiem Sanctæ Dei Genitricis in statua ex argento deaurato, quæ pensat libras centum constituit: in quo oraculo & sepulturam sibi construxit. Hic dum in Ecclesia Beati Pauli Apostoli æstivo tempore pro valido caloris fervore demoraretur, corporali præoccupatus ægritudine illic vitam finivit, ubi & sepultus est. Illicque fere trium mensium spatio ejus inhumatum permansit funus. Postmodum vero congregati omnes Romani cives, & aliæ nationes ejus corpus per flumen Tyberis navicula transfretantes ad Beatum Petrum cum psalmodiæ honore deportaverunt, (5) & in præfato ab eo constructo oraculo eum sepelierunt. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Presbyteros duodecim, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca numero tres. Et cessavit Episcopatus annum unum, & mensem unum. (6)

XCVI.

(2) D. inveniebat.
(3) D. indidit affectu.
(4) D. templum Romæ in honore &c.
(5) B., & C. *Verba*, & in præfato &c. *usque ad illa*. Hic fecit ordinationem &c. *non legunt*.
(6) C. *sic habet in margine*. Post Paulum ponunt quidam Constantinum secundum natione Romanum, qui cepit an. Domini DCCLXVIII. sed anno I. mense I. qui ex laico subitò ordinatur Sacerdos, & invadit Papatum cum magno scandalo Ecclesiæ. Post quem à quibusdam eligitur Philippus, Constantinus tandem zelo Fidelium dejicitur, occulisque privatur, & Stephanus eligitur.

Digitized by Google

XCVI. STEPHANUS IV.

ANNO CHRISTI 768.

CONSTANT. COPRON. 28.

STephanus Tertius, (1) natione Siculus, ex patre Olivo, ſedit annos tres, menſes quinque, dies viginti octo (2). Vir ſtrenuus, & divinis ſcripturis eruditus, atque Eccleſiaſticis traditionibus imbutus, & in earum (3) obſecrationibus conſtantiſſimus perſeverator. (4) Hic dum à Sicilienſi inſula in hanc adveniſſet Romanam urbem, tradidit eum Domnus Gregorius ſanctæ recordationis tertius Papa in Monaſterio Sancti Chryſogoni, quod tunc noviter fundabat, illicque Clericus, atque Monachus eſt effectus. Quem poſtmodum Domnus Zacharias Papa ex ipſo abſtollens Monaſterio, in Lateranenſis Patriarchii cubiculo eſſe præcepit. Eumque poſtmodum Presbyterum in titulo Sanctæ (5) Eccleſiæ conſecravit. Quem tamen pro ejus caſtitatis modeſtia in ſuo officio Lateranenſis detinuit. Sed & reliqui ſcilicet Domnus Stephanus, & Paulus Beatiſſimi Pontifices eundem Sanctiſsimum Stephanum pro ejus piis converſationibus in ſuo ſervitio ſimiliter detinuerunt.

Dum vero prædeceſſor ejus Domnus Paulus Papa pro (6) auctoritate ſervoris æſtivo tempore in Eccleſia Beati Pauli demoraretur, & valida ibidem ægritudine præoccuparetur, de qua & vitam finivit, die, noctuque iſdem Beatiſſimus Stephanus in ejuſdem ſui prædeceſſoris Pontificis perſeverans ſervitio nullo modo ab ejus lectulo, donec ſpiritum emitteret, (7) receſſit. At vero Paulus Papa in ægritudine poſitus cum nondum adhuc ſpiritum exhalaret, illico Toto quidam Dux Nepeſinæ civitatis dudum habitator cum ſuis germanis Conſtantino, Paſſivo, & Paſchale aggregantes, tam ex eadem Nepeſina, quamque ex aliis Tuſciæ civitatibus multitudinem exercitus, atque catervam ruſticorum, ingredientesque per portam Beati Pancratii in hanc Romanam urbem, atque in domo antedicti Totonis armati aſſiſtentes, elegerunt ibidem ſubito Conſtantinum fratrem ejuſdem Totonis laicum exiſtentem. Quem cum armis plurimi eorum loricis induti latrocinantes in Lateranenſe Patriarchium introduxerunt. (8)

Et aſcendentes cum eo in Vicedominio, continuo acceerſito Georgio Epiſcopo compulerunt eum, ut orationem clericatus eidem Conſtantino tribueret. Ipſe vero omnino hoc renuebat (9) facere, corruenſque in terram proſtravit ſe pedibus ipſius Conſtantini, adjurans eum fortiter per omnia divina myſteria, ut locum daret, & ab ejuſdem impiæ præſumptionis propoſito recederet, ne per eum talis inaudita novitas in Eccleſia Dei fieret. Et dum hujuſmodi adjurationis proferret verba concitati plurimi ex ipſis malignis, qui eandem impiam electionem fecerant, inſurgentes ſuper eum, atque fortiter comminantes ei, timore correptus orationem illi clericatus tribuit, & ita clericus effectus, eundem Sanctiſſimum Lateranenſe invaſit Patriarchium. Alio vero die illuceſcente ſecunda feria Subdiaconus, atque Diaconus (10) ab eodem Epiſcopo in oratorio Sancti Laurentii intra eundem Patriarchium contra Sanctorum canonum inſtituta conſecratus eſt.

Sicque univerſum populum ſibi ſacramentum præbere fecit, & adveniente Dominico die rurſum cum multitudine armatorum exercituum in Baſilica Beati Petri properans Pontifex ab eodem (11) Georgio Epiſcopo Præneſtino, & aliis duobus Epiſcopis Euſtratio Albanenſe, & (12) Citonato Portuenſe conſecratus eſt. Et per anni ſpatium, & menſem unum Sedem Apoſtolicam invaſam detinuit. (13) Hoc vero cernens Chriſtophorus Primicerius, & conſiliarius zelo fidei una cum ſuo filio Sergio, tunc Sacellario exiſtente maluerunt magis mori, quam talem impiam novitatem, & iniquam præſumptionem in Sedem Apoſtolicam perpetratam conſpicere, & quotidie in fletu, & lacrymis perdurantes ſimulaverunt ſe Monachos fieri, ſeſeque abſolvi ab eodem Conſtantino petierunt, in Monaſterio Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiſci, aſſerentes illic monachicum fore ſuſcepturos habitum. Suſceptoque ab eodem Chriſtophoro Primicerio ſacramento, ita illis credens eos abſolvit.

Quibus properantibus, atque in fines Longobardorum conjungentibus, velletque Abbas jam fati Monaſterii eos in eodem Monaſterio adduci, declinaverunt ab itinere iſdem Chriſtophorus Primicerius, & ejus filius Sergius dudum quidem Sacellarius, poſtmodum ſecundicerius adjurantes firmiter Theodicium Ducem Spoletinum, ut eos trans Padum ad Deſiderium ſuum deduxiſſet Regem Longobardorum nitentes ob hoc redemptionem Sanctæ Dei Eccleſiæ perficere. Eoſque iſdem Spoletinus Dux ad ſuum deportavit Regem. Et dum ejus obtutibus præſentati fuiſſent, obnixe eundem Regem deprecati ſunt, ejus auxilium tribui, ut talis novitatis error ab Eccleſia Dei amputaretur. Dum vero prænominatus Chriſtophorus Primicerius, & Sergius ejus filius apud præfatum demorarentur Regem, fecit prædictus Conſtantinus Apoſtolicæ Sedis invaſor ordinationem Presbyterorum, ſeu Diaconorum, Presbyteros octo, Diaconos quatuor, ſed & Epiſcopos in ipſius anni circulo, & unius menſis fecit per diverſa loca numero octo.

Antedictus vero Georgius (14) Præneſtinus, qui eum Diaconem, & Pontificem conſecravit, non poſt multos dies conſecrationis ipſius Conſtantini valida, ac peſſima ægritudine præoccupatus immobilis factus eſt, & poſtmodum miſſarum ſolemnia nequaquam celebravit. Ejus enim dextra manus aruit, atque contracta eſt. Qui etiam nec ad (15) os ſuum afferre valuit, ſicque

STEPHANUS.

(1) B., & C. τὸ tertius *non babent*.
(2) B., & C. dies XXVII. D. menſ. V. *non babet*.
(3) B. C., & D. earum obſervationibus.
(4) *Verba*. Hic dum à Sicillienſi Inſula &c. *uſque ad illa*, Dum verò prædeceſſor &c. *non legunt*.
(5) D. Beatæ Ceciliæ conſecravit.
(6) B. C., & D. pro auſteritate fervoris &c.
(7) D. ſpiritum amitteret, receſſit.
(8) B., & C. introduxerunt. Continuo accerſito &c.
(9) B., & C. renuebat, ſed compulſis à militibus ordinavit eum. Alio verò die &c.
(10) B., & C. Diaconus contra Sanctorum Patrum ſtatuta eſt conſecratus.
(11) B., & C. ab eodem Epiſcopo Georgio Præneſte.
D. Peneſtre.
(12) B., & C. *Verba*, & Citonato Portuenſe *non babent*.
(13) B., & C. detinuit. *Cætera uſque ad* Alio vero die Dominico congregans &c. *non babent*.
(14) D. Georgius Epiſcopus Peneſtre, qui eum Diaconem &c.
(15) D. nec ad oſſivum afferre &c.

Digitized by Google

ficque (*) tremens, & languens vitam finivit. Dum vero hęc agerentur, conjunxerunt antefatus Criſtophorus, & Sergius in civitatem Reatinam abſoluti à Longobardorum Rege. Et præcedentes Sergius, & Waldipertus presbyter cum Reatinis, & Forconinis, atque aliis Longobardis Ducatus Spoletini conjunxerunt ſubito, ac repente in hanc Romanam urbem vigeſima octava die Julii menſis, indict. ſexta veſpere in ipſo crepuſcolo noctis, vigilia Beatorum Martyrum Abdon, & Sennen, occupantes pontem (16) Salarium.

Alia vero die tranſientes per pontem (17) Milvium venerunt ad portam Beati Petri, & deinde pergentes appropinquaverunt ad portam Beati Pancratii. Quidam vero propinqui jam fati Chriſtophori, ac Sergii ipſam portam obſervantes, ac cuſtodientes, cernentes ipſum Sergium ad eandem portam appropinquaſſe, annuerunt (18) ei, & protinus ipſam aperuerunt portam. Sicque jam dictus Sergius, & Waldipertus cum Longobardis Romanam urbem ingreſſi ſunt, & per muros civitatis cum flammula aſcendebant, metuentes Romanorum populum, & nequaquam de genuculo ipſi Longobardi auſi ſunt deſcendere, ſed cum nimio tremore ibidem aſſiſtebant.

Hoc vero audiens Toto, & Paſſivus germani fratres, ignorantes ingenium, & dolum, quod ei proditores inierunt, cucurrerunt cum aliquantis ad prædictam portam, cum quibus & Demetrius Secundicerius, ſeu Gratioſus tunc Chartularius, poſtmodum Dux, properaverunt, qui & ipſi in conſilio erant cum præfatis nefandiſſimis proditoribus. Et appropinquantes ad eoſdem Longobardos, obviavit Totoni Duci ex eiſdem Longobardis, qui bellator præ omnibus apparebat, Racipertus nomine, & impetum fecit ſuper eundem Totonem, ſuper quem iſdem Toto irruens, atque fortiter percutiens eum, interfecit. Quod aſpicientes Longobardi, in fugam converſi nitebantur evadere, (19) ſed Demetrius ſecundicerius, & Gratioſus poſt tergum ſupradicti Totonis aſſiſtentes eum in dorſum lanceis percutientes, ſic adverſus eum prævaluerunt, atque interfecerunt. Paſſivus vero in Lateranenſe fugit Patriarchium, annuncians ſuo germano Conſtantino, quæ geſta fuerant.

Hoc vero audito aufugit iſdem Conſtantinus cum ſupraſcripto Paſſivo, & Theodoro Epiſcopo, & vicedomino ſuo in Baſilicam Salvatoris, & deſcendentes ad fontem in Eccleſiam Sancti Venantii aliquantulum ibidem reſederunt, & conſiderantes melius ſe poſſe ſalvari, in veſtiarium aſcenderunt. Illuc intus Oratorium Sancti Cæſarii ingredientes, clauſiſque ſuper ſe januis ibidem reſidebant, & venientes poſt aliquantas horas hujus Romanæ militiæ (20) judices, eos ex ipſo Oratorio ejicientes, ſub cautela munierunt. Alio vero die Dominico congregans Waldipertus (*) Presbyter, ignorante autem prædicto Sergio, aliquantos Romanos, pergenteſque in Monaſterium Sancti Viti, abſtulerunt exinde Philippum presbyterum, quem eligentes, & cum gaudio vocibus acclamantes: Philippum Papam, Sanctus Petrus elegit eum, (21) in Baſilicam Salvatoris more ſolito deduxerunt. Illicque oratione ab Epiſcopo data juxta antiquitatis morem, tribuenſque pacem omnibus in Lateranenſe introduxerunt Patriarchium. (22) Et ibidem ſimiliter in ſella Pontificali ſedens, tribuenſque denuo, ut mos eſt, pacem aſcendit ſurſum, & menſam, ut aſſolent Pontifices, tenuit. Sedentes cum eo aliquanti ex primatibus Eccleſiæ, & optimatibus militiæ.

Poſt paululum vero conjungens eodem die ſæpefatus Chriſtophorus Primicerius, cognitaque cauſa electionis ipſius Philippi, illico in magna (23) aſcendens ira jurejurando coram omnibus Romanis affirmabat dicens, ſe Romam minime ingreſſurum, quouſque Philippus Presbyter de Lateranenſi expulſus non (24) fuiſſet Patriarchio. Tunc properans antedictus Gratioſus cum aliquantis Romanis expulerunt jam dictum Philippum Presbyterum de eodem Patriarchio, qui (25) & per ſcalam, quæ ducit ad balneum deſcendens cum magna reverentia ad ſuum reverſus eſt Monaſterium. Sicque præfatus Chriſtophorus Primicerius alia die (26) aggregans in tribus fatis Sacerdotes, ac primates cleri, & optimates militiæ, atque univerſum exercitum, & cives honeſtos, omniſque populi Rom. cœtum à magno uſque ad parvum pertractantes pariter concordaverunt omnes una mente, unoque conſenſu in perſona præfati Beatiſſimi Stephani. Pergenteſque in titulo Beatæ Cæciliæ, in quo Presbyter exiſtens (27) eum Pontificem elegerunt, quem & cum vocibus acclamationum, & laudibus in Lateranenſe (28) deportaverunt Patriarchium, & poſt omnia rite in ejus electione peracta, Deo auctore, Pontificatus aſſumpſit culmen. (29)

Dum vero adhuc electus extitiſſet iſdem ſanctiſſimus vir, congregati aliquanti perverſi Deum præ oculis non habentes, nec metuentes terribile futurum judicium, ſummiſſi à quibuſdam peſtiferis malorum auctoribus, quibus & digna factis retribuit Dominus, comprehendentes Theodorum Epiſcopum, & Vicedominum ejus, quod & dici impium eſt, eruerunt oculos, & linguam illi crudeliter amputaverunt, ſed & Paſſivi ſimiliter oculos eruere niſi ſunt, & tantam impietatem in eiſdem monſtraverunt, qui etiam nec in propriis domibus eos deportari permiſerunt, ut illis cura à ſuis hominibus exhiberi deberet, ſed abſtultis omnibus eorum rebus, & familiis, ac poſſeſſionibus unum ex eis Theodorum ſcilicet Epiſcopum in Monaſterio Clivi (30) Scauri retrudi fecerunt, ubi fame, & ſiti cremans, clamanſque aquam, ita exhalavit ſpiritum. Paſſivum vero in Monaſterium

(*) D. ſicque clamans, & languens.
(16) D. pontem Salium.
(17) D. per pontem Molvium.
(18) D. innuerunt ei.
(19) D. ∞ evadere *non habet*.
(20) D. militiæ urbis judices &c.
(*) VValdipertus Presbyteros.
(21) B., & C. *Verba* in Baſilicam Salvatoris more ſolito deduxerunt, *non habent*.
(22) B., & C. & Miſſam, ut Pontifices aſſolent, tenuit, *& reliqua uſque ad* Poſt Paulum verò *non habent*.
(23) B., & C. magna ſucceuſus ira &c.
(24) ∞ non *deeſt in omnibus*.
(25) *Verba*, & per Scalam, quæ ducit ad Balneum, *deſunt in* B., & C.
(26) B., & C. aggregavit in tribus locis Sacerdotes &c.
(27) B. C., & D. exiſtens ſpiritualem degebat vitam, eum &c.
(28) B., & C. in Lateranenſe Palatio deportaverunt, & ritè in ejus &c.
(29) B., & C. culmen. Sicque alio die Dominico præfatus Stephanus conſecrationem Pontificatus ſuſcepit. Conſtantinus invaſor Apoſtolicæ Sedis deductus ad medium, coram omnibus deportatus in Monaſterio Cellanovas. Itaque in Exordio ordinationis ſuæ &c. *reliqua non habentes*.
(30) D. in Monaſterio Clibus cautis retrudi &c.

Digitized by Google

sterium Sancti Silvestri direxerunt. Nam Constantinus invasor Apostolicæ Sedis, dum deductus ad medium esset, & magna pondera in ejus adhibentes pedibus in sella muliebri sedere super equum fecerunt, & in monasterium Cellanovas coram omnibus deportatus est. Sabbatho vero die diluculo ante unam diem ordinationis præfati Beatissimi Papæ Stephani aggregati aliquanti Episcoporum, seu presbyterorum, & clerici in Basilica Salvatoris, iterum præfatus Constantinus ad medium allatus est, lectisque sacratissimis Canonibus ita depositus est, accedens enim Maurianus subdiaconus orarium de ejus collo abstulit, & ante pedes ejus projecit, & compages ipsius abscidit. Sicque alio die Dominico antedictus Beatissimus Stephanus consecrationem suscepit Pontificatus. Factaque ab universo populo Romano pœnitentiæ, confessionisque deprecatione apud Divinam Clementiam, per quam se omnes peccasse in prædicti Constantini invasoris Apostolicæ Sedis impia ordinatione confitentes, pro eo quod non ei restiterunt, ita excelsa voce in (31) ambone Beati Petri Basilicæ à Leontio Scriniario eadem relecta (32) est confessio.

Post hæc vero aggregati universi exercitus Romanæ civitatis, & Tusciæ, & Campaniæ, (33) ubi erat Gracilis Tribunus, consentaneus jam dicti Constantini Apostolicæ Sedis invasoris, per quem plura mala in Campaniæ parte perpetrata sunt, constringentesque fortiter eandem civitatem ipsum exinde abstulerunt Gracilem, & huc (34) Romam attulerunt, quem arcta custodia retrudentes aliquantis diebus ibidem mancipatus extitit. Postmodum vero quidam iniqui Campani, qui huc Romam advenerant, adhortati ab aliis nequioribus se, & impiissimis, eundem Gracilem ex ipsa custodia abstollentes, & quasi eum in Monasterium deportantes, dum ad (35) Colloseum advenissent, illic ejus oculos eruerunt, & linguam abstulerunt. Porro aliquantis post hæc præteritis diebus dum Tuscani, (36) & Campani hic Romæ aggregati fuissent, inito consilio cum præfato Gratioso, & fortioribus ejus, per quorum auctoritatem tanta mala operabantur, Deum non metuentibus, perrexit cum cuneo militum Tusciæ, ac Campaniæ primo diluculo in Monasterium Cellanovas, ubi Constantinus antedictus Apostolicæ Sedis invasor retrusus erat, eumque ex ipso ejicientes Monasterio, ejus eruerunt oculos, & cœcum in platea jacentem reliquerunt.

His itaque gestis, peractisque insurrexerunt quidam dicentes, quod antedictus Waldipertus Presbyter Longobardorum genere ortus consilium cum Theodocio (37) Duce Spoletino, & aliquibus Romanis iniisset ad interficiendum præfatum Christophorum Primicerium, & alios Romanos primates, & civitatem Romanam Longobardorum genti tradendam. Unde directus est quidam Christophorus Vicedominus cum multitudine populi ad eum comprehendendum. Ipse vero hoc agnito fugit in Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ vocatur ad Martyres, quem exinde isdem Vicedominus abstraxit, portante eodem Waldiperto Imaginem ipsius Dei Genitricis, eumque in teterrimam retrudi fecerunt custodiam, quæ vocatur Ferrata in cellario majore. Et post modicos dies ipsum de eadem custodia eicientes Waldipertum Presbyterum, eumque proicientes in terra juxta transendam Campi Lateranensis ejus effoderunt oculos, & linguam ipsius crudeliter, ac impiè absciderunt, dirigentesque illum in Xenodochium Valerii, ibidem postmodum ex eadem oculorum effossione, vitam finivit.

Itaque in exordio ordinationis suæ, quo isdem Sanctissimus Præsul Pontificatus apicem assumpsit, direxit in Franciæ partes ad excellentes viros Pipinum, Carolum, & (38) Carolomannum Reges Francorum, & patritios Romanorum, Sergium antedictum secundicerium, & Nomenclatorem illo in tempore existentem, deprecans, atque adhortans eorum excellentiam per suas Apostolicas litteras, ut aliquantos Episcopos gnaros, & in omnibus divinis scripturis, atque sanctorum canonum institutionibus eruditos, ac peritissimos dirigerent, ad faciendum in hac Romana urbe concilium pro eadem impia novi erroris, ac temeritatis (39) præscriptione, quam antefatus Constantinus Apostolicæ Sedis pervasor ausus est perpetrare.

Et properante antedicto Sergio ad Francorum regiones jam invenit de hac luce migrasse Christianissimum Pipinum Regem, & cœptum gradiens iter pervenit ad ejus filios Carolum, & Carolomannum germanos fratres, Reges Francorum, & patricios Romanorum. Quibus Apostolicas tribuens literas, benignè ab eis susceptus est, & dignam illi impendentes humanitatem, cuncta nihilominus, pro quibus missus est, ab eorum excellentia impetravit, dirigentes ipsi Christianissimi Reges duodecim Episcopos (40) ex eisdem Francorum regionibus nimis divinis scripturis, & sanctorum canonum cærimoniis doctos, & probatissimos viros scilicet. Eisque in hanc Romanam urbem conjungentibus mense Aprilis Indictione septima, protinus antedictus Stephanus Sanctissimus Papa aggregans diversos Episcopos Tusciæ, atque Campaniæ, & aliquantos istius Italiæ provinciæ.

Quibus omnibus congregatis concilium peractum est in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi juxta (41) Lateranense palatium. Et præsidente eodem Beatissimo Papa, considentibus etiam pariter cum eisdem omnibus Episcopis, deductus est ad medium Constantinus Apostolicæ Sedis invasor jam (42) excœcatus oculos. Et subtilius exquisitus, cur præsumpsisset Apostolicam Sedem laicus existens invadere, & talem iniquæ novitatis errorem in Ecclesia Dei perpetrare? Ita coram omnibus professus est, vim se à populo pertulisse, & per brachium populi fuisse electum, atque coactum in Lateranense Patriarchium deductum propter gravamina, ac præjudicia illa, quæ Romano populo ingesserat Domnus Paulus Papa, & corruens in terram manibus extensis in pavimento se reum, ac super numerum arenæ maris peccasse deflebat, petens misericordiæ veniam ab eodem Sacerdotali consequi concilio.

(31) D. in ammone.
(32) D. eadem relata est &c.
(33) D. & Campaniæ per gentem à latro partes Campaniæ ubi erat &c.
(34) D. & hic Romam &c.
(35) D. dum Collosco advenissent &c.
(36) D. Tusciani & Campanini *semper*.
(37) D. cum Theoderico Duce Spolitino &c.
(38) B. & Carolum Magnum Reges &c.
(39) temeritatis præsumptione *in omnibus*.
(40) Episcopos. B., & C. *non legunt*.
(41) B., & C. juxta Lateranum, in quo damnatus est Constantinus invasor Sedis Apostolicæ, & omnes populus accepit pœnitentiam, pro eo quod de manibus ipsius Constantini communionem suscepit. Tunc allatis sacratissimis &c.
(42) D. jam extra oculos &c.

Digitized by Google

lio. Quem à terra elevare facientes ipso die nullam de eo protulerunt sententiam. Alia vero die denuo afferentes eum, atque interrogantes de eadem impia novitate, respondit, nihil novi (43) se fecisse dicens: quia & Sergius Archiepiscopus Ravennatium Laicus existens Archiepiscopus factus est. Et Stephanus Neapolitanæ civitatis, & ipse laicus repente Episcopus consecratus est. Dum vero talia isdem Constantinus persequeretur, illico irati zelo Ecclesiasticæ traditionis universi sacerdotes alapis ejus cervicem cedere facientes, eum extra eandem Ecclesiam ejecerunt.

A

Tunc (44) detectis omnibus ejus rationum gestis, simul & Concilio illo, quod in scriptis de ejus quasi confirmatione (45) editum fuerat, igne combusserunt in medio Presbyterii ipsius Ecclesiæ. Et hoc facto proiciens se in terram Sanctissimus Stephanus Papa cum universis Sacerdotibus, & populo Romano, clamantesque *Kyrie eleison* cum ingenti fletu peccasse se omnes professi sunt pro eo, quod de manibus ipsius Constantini communionem suscepissent: sicque ex hoc omnibus indicta est pœnitentia. Tunc allatis sacratissimis canonibus, eisque liquido perscrutatis prolata est sententia ab eodem sacerdotali concilio sub anathematis interdicto, ne ullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem possit promoveri.

B

Et alia plura, quæ de eo canonica indigebant (46) correptione in eodem concilio statuerunt emendanda. De Episcopis vero, atque Presbyteris, & Diaconibus, quos ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem concilio promulgatum est, ut Episcopi (47) illi, si aliquis eorum Presbyter, aut Diacon. fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverteretur. Et si placabiles fuissent coram populo civitatis (48) suæ, denuo facto decreto electionis more solito cum clero, & plebe ad Apostolicam advenissent Sedem, & ab eodem Sanctissimo Stephano Papa benedictionis suscepissent consecrationem. Presbyteri vero illi, ac Diaconi ab eodem Constantino consecrati simili modo in eo, quo prius existebant habitu reverterentur. Et postmodum si qui eorum placabiles extitissent, antefatus (49) Beatissimus Pontifex Presbyteros eos, aut Diaconos consecrasset. Statuens ut hi, qui ex eis consecraturi erant, nequaquam ad fortiorem honorem ascenderent, nec ad Pontificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error in Ecclesia Dei pullularet.

C

D

Ipse vero antefatus Beatiss. Stephanus Papa coram omni sacerdotali collegio clara voce clamavit, dicens: Nullo modo se immitti, aut penitus declinare in eorundem Presbyterorum, aut Diaconorum consecrationem. De laicis vero, qui ab eodem Constantino Presbyteri, aut Diaconi consecrati sunt, ita promulgatum est, ut in religioso habitu cunctis diebus eorum vitæ, sive in propriis domibus, vel ubi (50) fuissent, permanere deberent. Hujusmodi vero promulgatis sententiis, illico Episcopi illi, qui ab eodem Constantino ordinati sunt, revertentes juxta ejusdem Concilii sententiam in pristino honoris gradu, electi denuo à clero, & plebe, factoque solito decreto ad Sedem Apostolicam properantes, ab eodem Sanctissimo Papa consecrati sunt. Nam Presbyteri, & Diaconi illi usque ad mortem ipsius Pontificis sic (51) remanentes, nequaquam sunt ab eo consecrati. Ita enim in eodem Concilio statutum est, ut omnia, quæ isdem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis, ac divino cultu egit, iterata (52) fuissent, præter sacrum Baptisma, atque sanctum Chrisma. (53)

E

Hæc vero omnia promulgata, continuo, & diversa Sanctorum Patrum testimonia de sacris Imaginibus Domini Nostri Jesu Christi, Sanctæque, & Gloriosæ ejus Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, & Beatorum Apostolorum, omniumque Sanctorum, ac Prophetarum, & Martyrum, seu Confessorum, in eodem allata sunt Concilio, & subtilius multa perindagantes, statuerunt magno honoris affectu ab omnibus Christianis ipsas sacras venerari imagines, sicuti ab omnibus prædecessoribus hujus Apostolicæ Sedis Pontificibus, & cunctis Venerabilibus Patribus, usque hactenus de earum honore observatum effectum, & cunctis ad memoriam piæ compunctionis est traditum, confundentes, atque anathematizantes execrabilem illam Synodum, quæ in Græciæ partibus nuper facta est, pro (54) disperdendis ipsis sacris imaginibus. Expletis vero omnibus, quæ in eodem Concilio promulganda erant, tunc isdem Beatissimus Pontifex aggregans universos sacerdotes, atque clerum, & cunctum populum profecti sunt ad Beatum Petrum Principem Apostolorum, cum hymnis, & canticis spiritalibus nudis pedibus incedentes, illicque in ambonem ascendens Leontius Scriniarius cuncta, quæ in eodem peracta sunt Concilio extensa voce legit populo. Sed & tres Episcopi, idest Gregorius Silvæ Candidæ, Eustratius Albanus, & Theodosius Tyburtinus in eodem præfatæ Ecclesiæ ambone ascendentes anathematis obligationem protulerunt, si quisquam præsumat quoquo tempore transgredi quippiam de omnibus, quæ in eodem Concilio statuta sunt.

His vero peractis contigit post aliquantum temporis de hac vita migrasse Sergium Archiepiscopum civitatis Ravennatium. Et continuo surgens Michaelius Scriniarius ipsius Ecclesiæ, qui nullo sacerdotali fungebatur honore, profectus Arimino ad Mauricium Ducem Ariminensem, & congregans isdem nefandissimus Mauricius exercitum una cum (55) concilio Desiderii Longobardorum Regis properavit, atque ingressus est Ravennam, & brachio forti elegit prædictum Michaelium, & in Episcopum (56) Ravennatis Ecclesiæ introduxit. Et Leo-

(43) D. nihil novit se fecisse &c.
(44) D. tunc deffecti omnibus ejus actionū gestis &c.
(45) D. confirmatione edictum fuerat &c.
(46) B. indigebant correctione &c.
(47) B., & C. ut ipsi illi si qui Presbyteri, aut Diaconi fuerunt &c.
(48) B., & C. Civitatis, suo denuo facto &c.
(49) B., & C. antefato Beatiss. Pontifici Presbyt. &c.
(50) B., & C. vel ubi voluissent permanere &c.
(51) B., & C. Pontificis hic remanentes &c.
(52) B., & C. egit, iteranda essent &c.
(53) B., & C. de imaginibus verò in eodem Concilio statutum est, sicut & sui Antecessores statuerunt. Expleto itaque Concilio, omnes nudis pedibus ad Ecclesiam Beati Petri processerunt in ambone ascendentes, omnia, quæ in Concilio statuta sunt, coram omni populo legerunt, atque confirmaverunt. Hæc verò omnia mala immissione jam dicti Desiderii Longobardorum Regis provenerunt &c., *quæ superius sunt desiderantur*.
(54) D. pro disponendis ipsis &c.
(55) D. cum consilio Desiderii &c.
(56) D. & in Episcopio Ravennatis &c.

Digitized by Google

Leonem Archidiaconum, qui electus erat in Archiepiscopatus ordinem, Ariminum (57) deportantes, ibidem arcta custodia mancipatum, isdem Mauricius detinere fecit. Tunc direxit quantocyus prædictus Michaelius, atque Mauricius, & judices Ravennatium ad præfatum Beatissimum Pontificem, promittentes ei copiosa munera, ut ipsum Michaelium Archiepiscopum consecrare deberet. Ipse vero Beatissimus Præsul per nullius dationis promissionem inclinatus est eundem Michaelium consecrare, asserens nulla ratione hoc fieri posse, dum sacerdotii honore minime ipse prædictus existeret Michaelius.

Cui & vicibus obtestationis, ac prædicationis litteras, atque missos direxit, ut ab eodem injusto proposito recederet. Sed nullo modo Apostolicis admonitionibus acquiescere voluit. Dansque plurima munera Desiderio Longobardorum Regi, & cymilia, & ornatus ipsius Ecclesiæ, cum aliis diversis speciebus brachio forti per (58) unius anni circulum, & eo amplius ipsius Episcopium pervasum detinuit, denudans, atque in magnam paupertatem eum redigens. Sed dum nullo modo firmissimam mentis constantiam ipsius Sanctissimi Pontificis flectere potuerunt nequissimi consentanei ipsius Michaelii, tunc dum missi Excellentissimi Caroli Regis Francorum, & Patricii Romanorum præsentialiter adessent, dirigens ipse Beatissimus Præsul suos missos denuo tam prædictos Francorum missos, quamque omnes Ravennianos admonendo, statim insurrexerunt super ipsum Michaelium, & eum cum opprobrio de ipso Episcopio projecerunt: quem vinctum huc Romam dirigentes, elegerunt sæpefatum Leonem Archidiaconum ipsius Ecclesiæ, qui ad hanc Apostolicam Sedem properans cum sacerdotibus, & clero ipsius Ravennatis Ecclesiæ in Archiepiscopatus honorem ab eodem Sanctissimo Papa Stephano ordinatus, consecratusque est.

Erat enim isdem prædictus Beatissimus Præsul Ecclesiasticæ traditionis observator, unde & pristinum Ecclesiæ in diversis clericatus honoribus renovavit ritum. Hic statuit, ut omni Dominico die à septem Episcopis, Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant missarum solemnia, super Altare Beati Petri celebraretur, & *Gloria in excelsis Deo*, diceretur. Fecit enim & tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, ubi imagines in frontispicio constitutæ sunt. Unum quidem in Basilica Beati Petri Apostoli, & alium in Basilica Beati Pauli, & alium ad Beatum Andream Apostolum. Nam sedule isdem Beatissimus Pontifex suos missos, atque litteras admonitorias dirigere studebat antedicto Excellentissimo Carolo Regi Francorum, & ejus germano Carolomanno item Regi: imminentibus, atque decertantibus in hoc sæpius nominatis Christophorus Primicerius, & Sergius Secundicerius pro exigendis à Desiderio Rege Longobardorum justitiis Beati Petri, quos obdurato corde reddere Sanctæ Dei Ecclesiæ nolebat. Unde nimia furoris indignatione contra prænominatos Christophorum, & Sergium exardescens ipse Desiderius nitebatur eos extinguere, ac delere.

Pro quo suo ingenio maligno simulavit se, quasi orationis causa ad Beatum Petrum huc Romam properaturum, ut eos capere potuisset. Dirigens ergo clam munera Paulo cubiculario cognomento Afiarta, & aliis ejus impiis sequacibus suasit eis, ut in Apostolicam indignationem eos deberent inducere. Eique isdem Paulus consentiens de eorum perditione absconse decertabat. Dumque hoc agnovissent prænominati Christophorus, & Sergius, & eundem protervum Desiderium Regem Romam properaturum agnovissent, illico aggregantes multitudinem populi Tusciæ, & Campaniæ, seu ducatus Perusini, viriliter cum eadem populi congregatione eidem Desiderio Regi paraverunt se ad resistendum. Quin (59) etiam portas hujus Romanæ urbis claudentes, aliam ex eis fabricaverunt, & ita armati omnes existebant ad defensionem propriæ civitatis.

Et dum hæc agerentur, subito conjunxit ad Beatum Petrum antedictus Desiderius Rex cum suo Longobardorum exercitu, & continuo direxit suos missos præfato Pontifici deprecans, ut ad eum egredi deberet: quod & factum est. Dum vero cum eo præsentatus fuisset, pariterque pro justitiis Beati Petri loquerentur, rursum ipse Beatissimus Pontifex reversus ingressus est in civitatem. Præfatus siquidem Paulus, & ejus nefandissimi sequaces inito cum prædicto Longobardorum Rege consilio nitebantur populum Romanum contra eos seducere ad insurgendum contra prædictos Christophorum, & Sergium, ut eos interficerent. Et dum hoc eis nunciatum fuisset, aggregantes populum, ascenderunt armati in Lateranis ad capiendum suos insidiatores.

Nunciatique more solito, impetum faciens universa multitudo populi, qui cum eis advenerat, ingressi sunt cum armis in Basilicam Domni Theodori Papæ, ubi ipse prænominatus sedebat Pontifex. Quos (60) & fortiter increpavit, cur præsumpsissent armati in idem Sanctum Patriarchium ingredi, pariterque loquentes, (61) recedere eos jussit. Alia die denuo egressus est sæpedictus Pontifex ad Beatum Petrum cum eodem Rege loquendum, & dum simul præsentati fuissent, prætermittens ipse Desiderius causas de justitiis Beati Petri tantummodo pro deceptione prædictorum Christophori, & Sergii insistebat. Unde claudens universas januas Beati Petri, neminem Romanorum, qui cum ipso Sanctissimo Pontifice exierant, (62) ex eadem Ecclesia egredi permisit. Tunc direxit ipse almificus Pontifex Andream Episcopum (63) Prænestinum, & Jordanem Episcopum Signiensem ad portam civitatis, quæ egreditur ad Beatum Petrum, ubi prænominati viri Christophorus, & Sergius cum multitudine populi residebant, protestando eos, ut aut in Monasterio ingrederentur ad salvandum suas animas, aut ad Beatum Petrum, ad eum studerent properandum. Ipsi vero metuentes prædicti Regis Longobardorum malignam sævitiam, ad eum egredi minime ausi sunt: asserentes se prius in manibus Romanorum suorum fratrum, & concivium esse tradituros, quam exteræ gentis. Dum ergo populus, qui cum eis erant, audirent eadem à prædicto Pontifice directa ex ore præ-

(57) D. de Arimino deportantes &c.
(58) D. per hujus anni &c.
(59) D. quia etiam portam hujus Romanæ &c.
(60) D. quibus & fortiter &c.
(61) D. *Verba* recedere eos jussit, *non habet*.
(62) D. exierant, ad eandem Ecclesiam egredi permisit &c.
(63) D. Episcopum Penestre, & Jordanem Episc. Signias ad portam &c.

Digitized by Google

prædictorum Episcoporum, illico conturbati illorum confracta sunt corda, & cœpit unusquisque ab eis recedere.

Nam Gratiosus quidam Dux cognatus jam fati Sergii simulans se ad propriam pergere domum, congregans aliquantos Romanorum, profecti sunt pariter ad portam Portuensem, quam clausam reperientes, à cardine ipsam portam auferre ausi sunt, & ita per noctem ad prænominatum egressi sunt Pontificem. Christophorus, & Sergius conspicientes se in magno deceptu esse positos, prius quidem Sergius eadem nocte, qua hora campana insonuit, descendit per murum, & properavit ad Beatum Petrum. Quem (64) ad gradus Ecclesiæ Beati Petri comprehendentes custodes Longobardorum, ad suum deduxerunt Regem. Eumque subsecutus Christophorus pater ejus prænominati Pontificis obtutibus sunt præsentati, quos salvos conservare cupiens, Monachos facere præcepit. Post hæc faciens missam prænominato Regi, ingressus est isdem Beatissimus Pontifex Romæ relictis præfatis Christophoro, & Sergio in Ecclesia Beati Petri Apostoli, cupiens eos noctis silentio propter insidias inimicorum salvos introduci Romam. Dum vero Sol ad occasum declinare videretur, continuo congregans prænominatus Paulus cubicularius, & alii ejus nefandissimi consentanei multitudinem populi, & properantes ad Desiderium Longobardorum Regem, inientesque cum eo impium consilium, abstulerunt eosdem Christophorum, & Sergium ab Ecclesia Beati Petri Apostoli, & properantes cum pluribus Longobardis usque ad portam civitatis, ibidem eorum oculos eruerunt. Sicque prædictus Christophorus in Monasterium Sanctæ Agathæ deductus, ibidem post triduum ob dolorem ex oculorum effoditione vitam finivit. Sergius vero in Monasterium Clivi (65) Scauri deportatus, & postmodum in cellarium Lateranense deductus, illicque usque ad transitum prænominati Pontificis extitit.

Hæc vero omnia mala per iniquas immissiones Longobardorum Desiderii Regis provenerunt. Fecit enim ipse Sanctissimus Pontifex ordinationem unam per mensem Decembris, Presbyteros quinque, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero...... Qui & sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum, & cessavit Episcopatus dies octo. (66)

XCVII. S. HADRIANUS.

ANNO CHRISTI 772.

CONSTANT. COPRON. 32.

HAdrianus, (1) natione Romanus, ex patre Theodoro, (2) de regione via lata, sedit annos viginti tres, menses decem, dies septemdecim. Vir valde præclarus, & nobilissimi generis prosapia ortus, atque potentissimis Romanis parentibus editus, elegans, & nimis persona decorabilis, constans etiam, atque fortissimus orthodoxæ fidei, ac patriæ suæ, & plebi (3) sibi commissæ defensor. Viriliter cum Dei virtute inimicis Sanctæ Dei Ecclesiæ, ac Reipublicæ impugnatoribus resistens, pauperum etiam, omniumque indigentium misericordissimus, ac copiosus consolator. Ecclesiasticæ quoque traditionis, & Sanctorum Patrum institutionum observator. (4)

Hic namque beatissimus vir, defuncto ejus genitore, atque parvulus nobilissimæ suæ genitrici relictus, studiose à patre Theodato dudum Consule, & Duce, postmodum vero Primicerio Sanctæ nostræ Ecclesiæ, post tantæ dictæ suæ genitricis obitum nutritus, atque educatus est. Nam à primæ ætatis suæ pueritia, dum adhuc laicus existeret spiritualibus studiis charitatis, modestiæque vehementius insistebat, sedule perseverans in Ecclesia Sancti Marci, quæ vicina domui suæ esse videtur. Illic crebras Deo nostro referebat die, noctuque laudes, indutusque cilicio, jejuniis corpus suum macerabat, & eleemosynam enucleanter egenis, & inopibus juxta possibilitatis suæ vires libenter tribuebat. Ejusque bonæ actionis merita in omnium Romanorum aures frequenter resonabant, ita ut ex hoc nobilitatis, ac pudicitiæ ipsius fama longe, lateque divulgaretur. Cujus piæ conversationis vitam spiritualem operationem, ac præcipuos mores conspiciens sanctæ recordationis Domnus Paulus Papa, eum clericari jussit, quem notarium regionarium in Ecclesia constituens, postmodum eum Subdiaconum fecit.

Dum vero post decessum Domni Pauli Papæ ad Pontificatus culmen provectus fuisset Domnus Stephanus secundus junior Papa, & ipse cernens ejusdem Beatissimi Hadriani spiritualium conversationum merita in Diaconii ordinem eum provexit. Et ex tunc multipliciter spiritualibus pollens studiis maximam tam ad evangelizandum populo solerter, ac clare divina, atque evangelica verba quamque ad exercendam Ecclesiasticam traditionem gessit curam. Et ita Spiritus Sancti gratia in ejus corde refulsit, ut in omnibus efficax, idoneusque comprobaretur. Sicque factum est, ut dum de hac vita migraret antefatus Domnus Stephanus Papa, illico (dum ferventissimo affectu à populo Romano diligeretur) isdem præcipuus, ac sanctissimus vir, & Dei cultor Hadrianus ad Sacrum Pontificatus electus est culmen. Hic namque in ipsa electionis suæ (5) die, confestim eadem hora, qua electus est, reverti fecit judices illos hujus Romanæ urbis tam de clero, quam de militia, qui in exilium (6) ad transitum Domni Stephani Papæ missi fuerant à Paulo cubiculario cognomento (7) Afiarta, & aliis consentaneis impiis satellitibus. Sed (8) & relictos, qui in arcta custodia mancipati, ac retrusi erant, absolvi fecit, & ita omnibus pariter cum eo exultantibus Pontificalem Deo auspice suscepit consecrationem.

Ita-

(64) D. quem in gradu Ecclesiæ &c.
(65) D. Monasterium Clibus Cauris deportatus &c.
(66) B., & C. diebus novem.

HADRIANUS.

(1) Adrianus *in omnibus*.
(2) B., & C. *Verba* de Regione via Lata *non habent*.
(3) B., & C. & plebis sibi &c.
(4) B., & C. *Verba*. Hic namque Beatissimus Vir &c. *usque ad illa*. Hic namque in ipsa electionis suæ die &c. *non habent*.
(5) B. Hic in ipsa electionis die &c.
C. Hic in ipsa electionis suæ die &c.
(6) B., & C. qui denique in exilium à transitu Domni Stephani Papæ missi erant à Paulo &c.
(7) D. cognomento Asiarta &c.
(8) B., & C. sed & aliquos, qui &c.
D. Satilitibus, & reliquos, qui &c.

Itaque in ipso exordio consecrationis ejus direxit ad ejus beatitudinem suos missos Desiderius Longobardorum Rex, idest, (9) Theodicium Ducem Spoletinum, Tunnonem Ducem Eburæ Regiæ, & Prandulum Vestiarium suum, suasionis per eos mittens verba sese quasi cum eo in vinculo charitatis velle, (10) colligandum. Quibus ita ipse Beatissimus Pontifex respondit, dicens: Ego quidem cum omnibus Christianis pacem cupio habere, etiam & cum eodem Desiderio Rege vestro, in ea fœderis pace, quæ inter Romanos, Francos, & Longobardos confirmata est, studebo (11) permanere. Sed quomodo possum credere eidem Regi vestro, in eo quod subtilius (12) mihi sanctæ recordationis prædecessor meus Domnus Stephanus Papa de fraudulenta ejus fide retulit? inquiens, quod omnia illi mentitus fuisset, quæ ei in (13) Corpus Beati Petri jurejurando promisit, pro justitiis Sanctæ Dei Ecclesiæ faciendis, & tantummodo per suum (14) inimicum argumentum erui fecit oculos Christophori Primicerii, & Sergii Secundicerii filii ejus, suamque voluntatem de ipsis duobus proceribus Ecclesiæ explevit, unde damnum magis, & detrimentum nobis (15) detulit. Nam nullum profectum in causis Apostolicis (16) impertivit, sed & hoc isdem meus prædecessor pro dilectione, qua (17) erga me suum pusillum habuit, mihi retulit: quia dum ad eum postmodum suos missos (18) direxisset, videlicet Anastasium primum defensorem, & Gemmulum (19) Subdiaconum, adhortans eum, ut ea, quæ præsentialiter (20) Beato Petro pollicitus est, adimpleret taliter ei per eosdem missos direxit in responsis: Sufficit Apostolico Stephano, quia tuli Christophorum, & Sergium de medio, qui illi dominabantur, & non illi sit necesse justitias (21) requirendas. Nam certe, si ego ipsum Apostolicum non adjuvero, magna perditio super eum eveniet. Quoniam (22) Carolomannus Rex Francorum amicus existens prædictorum Christophori, & Sergii paratus est cum suis exercitibus ad vindicandum eorum mortem Romam (23) properandum, ipsumque capiendum Pontificem. Ecce qualis est fides Desiderii Regis vestri, & cum qua fiducia (24) illi fœderari possimus.

Hæc vero eadem Beatissimo Hadriano præsule prosequente eisdem missis Desiderii Regis illi magis confirmabant sub vinculo Sacramenti, quod eorum Rex omnes justitias, quas antefato Domno Stephano Papæ non fecerat, eidem præcipuo Pontifici, & summo pastori (25) perficeret, & in vinculo charitatis insolubili connexione cum eo fore permansurum. Quorum juramentis credens ejus beatitudo direxit ad eundem Desiderium Regem missos suos pro his omnibus perficiendis, scilicet, Stephanum Notarium Regionarium, & Saccellarium, atque Paulum cubicularium, & (26) cætera super ista. Quibus egredientibus ab hac Romana urbe, & (27) Perusiam conjungentibus conjunxit mandatum, quod jam fatus Desiderius abstulisset civitatem Faventiam, & ducatum Ferrariæ seu (28) Commaclium de Exarchatu Ravennate, quas (29) Sanctæ memoriæ Pipinus Rex, & ejus filii Carolus, & Carolomannus Excellentissimi Reges Francorum, & Patricii Romanorum Beato Petro concedentes (30) obtulerunt. Nec enim duo menses præterierunt, quod ipse sanctissimus vir Pontificatus culmen adeptus est. Ita isdem atrocissimus Desiderius easdem abstulit civitates, constringens ex omni parte civitatem Ravennatium, & Casales, ac omnia (31) præsidia Ravennatia occupans, cunctaque victualia, familias etiam, seu peculia ipsorum, vel quæque in ipsis (32) præsidiis habere videbantur, abstulit.

Et dum nulla remansisset spes vivendi, neque Leoni Archiepiscopo, neque præfatis Ravennatibus in magna angustia, & famis inopia positis: direxerunt huc Romam suos missos, scilicet Julianum, Petrum, & Vitalianum Tribunos, deprecantes cum magno fletu eundem Sanctissimum Pontificem, ut qualiter potuisset, eis subveniret, ipsasque decertaret (33) ad recolligendas civitates, asserentes, quia si ipsæ civitates non fuerint restitutæ, vivere nullo modo potuissent. Tunc ipse almificus Pontifex, dum adhuc prænominati ejus missi (34) essent Romæ, per Stephanum Sacellarium, & Paulum Cubicularium (*) super ista, ut ad prænominatum pergerent Regem, direxit eidem Regi suas deprecatorias litteras, ut easdem redderet civitates, increpans eum fortiter per sua scripta, cur de promissione illa, quam per suos missos pollicendo direxerat, mutatus fuisset: etiam quia justitias Beati Petri, juxta quod repromiserat, non reddidit. (35) Insuper & civitates illas, quas antecessores ejus Beatissimi Pontifices Domnus Stephanus, Paulus, & isdem Stephanus detinuerunt, abstulisset.

Dum vero talia eidem protervo Desiderio antefatus Sanctissimus Pontifex deprecando, admonendo, & conjurando direxisset, ita illi remisit in responsis, quod nisi prius secum eo ipse almificus Præsul conjungeret ad pariter loquendum, minime easdem redderet civitates. In

(9) B. idest Spoletanum Ducem Theodocium, Jumionem Ducem Eburgias, & Brandulum Vestiarium &c.
C. *legit ut in* B. *præter pro* Jumionem *babet* Tunuonem &c.
D. Junnonem.
(10) B., & C. velle colligari.
(11) *Verba* studebo permanere. B., & C. *non legunt*.
(12) B., & C. subtilius in sanctæ recordationis decessor meus &c.
(13) B., & C. quæ & ei ante corpus &c.
(14) B., & C. per suum iniquum argumentum &c.
(15) B. C., & D. nobis intulit.
(16) B., & C. Apostolicis impetravit.
(17) B., & C. quam erga me &c.
(18) B., & C. missos direxit.
(19) B., & C. Gemmulum Diaconum.
(20) τὸ præsentialiter. B., & C. *non babent*.
(21) B., & C. justitias requirendi.
(22) B. quoniam Carolus Magnus *semper*.
(23) B., & C. Romam properare.
(24) B., & C. fiducia illi magis, ac magis confirmabant sub vinculo &c.
(25) B., & C. pastori faceret.
(26) B. C., & D. & tunc superistam.
(27) B. & Perusium.
(28) B. seu Comaclum.
C., & D. Comiaclum.
(29) B., & C. quem Sanctæ &c.
D. quam Sanctæ &c.
(30) B. cedentes obtulerunt.
(31) B., & C. ac omnia prædia Ravennatorum occupans &c.
(32) B., & C. ipsis prædiis.
(33) B., & C. decertaret recolligere civitates.
(34) B., & C. missi Stephanus Sacellarius, direxit &c.
(*) τὸ Cubicularium *deest in* D.
(35) B., & C. isdem itaque Rex remisit illi in responsis: quoniam nisi priùs se cum eo ipse Almificus præsul conjungeret &c.

Digitized by Google

In ipsis vero diebus (36) contigit uxorem, & filios quondam Carolomanni Regis Francorum ad eundem Regem Longobardorum fugam arripuisse cum Autcario, & nitebatur ipse Desiderius, atque inhianter decertabat, quatenus ipsi filii ejusdem Carolomanni Regnum Francorum assumpsissent. Et ob hoc ipsum Sanctissimum Præsulem ad se properandum seducere conabatur, ut ipsos antefati Carolomanni filios Reges ungeret, cupiens divisionem in Regno Francorum immittere, ipsumque Beatissimum Pontificem à charitate, & dilectione Excellentissimi Caroli Regis Francorum, & Patricii Romanorum separare, & Romanam urbem, cunctamque Italiam sui Regni Longobardorum potestate subjugare. Sed favente Deo hoc nullo modo potuit impetrare: (37) quoniam sicut (38) lapis adamas, ita firmus Hadrianus extitit Pontif. prænominatus: si quidem Paulus super ista adhuc apud eundem Desiderium existens, firmiter ei promittebat se ipsum Beatissimum Papam ad eum ducere, dicens, quod si etiam in ejus pedibus funem me adhibere convenerit, eum qualiter potuero, ad tuam deducam præsentiam. Sicque factum est, ut eodem Paulo in eodem itinere existente palam omnibus fieret, qualiter necare fecisset Sergium Secundicerium, qui cœcus in cellario erat. Et metuens idem Sanctissimus Præsul, ne ejusmodi nuncium ad aures ipsius personuisset Pauli, & aut ad eundem Regem reverteretur, aut etiam in fines Longobardorum ab ipso itinere declinaret, & aliquam malitiam amplius cum eodem Desiderio in finibus Romanorum, atque Exarchatu Ravennatium perpetraret (dum nimis dilectus illi, ac fidelis existebat) ob hoc direxit antefatus Sanctissimus Papa clam, nimisque secrete Leoni Archiepiscopo Ravennatium civitatis per Julianum Tribunum, ut dum reverteretur ipse Paulus à Desiderio, eum sive in Ravenna, sive in Arimino detinuisset, quod & factum est. Revertente enim eo ex eodem itinere in Arimino comprehensus, atque in custodia est detentus.

Tunc isdem Beatissimus Pontifex cœpit curiose antefati Sergii Secundicerii mortem inquirere, convocansque cunctos cellarios subtilius eos perscrutatur, quomodo ipse Sergius ab eodem cellario abstractus fuisset. Qui respondentes dixerunt: Quia prima noctis hora veniens Calventinus cubicularius cum (39) Tunissone Presbytero, & Leonatio Tribuno habitatoribus civitatis Anagninæ, ipse eundem Sergium abstulit, vivente Domno Stephano Papa ante octo dies, quam de hac luce migrasset, & præfatis (40) Campanis illum tradidit. Confestimque deductus est ad medium isdem cubicularius, & inquisitus, quis illi præcepisset eundem Sergium à præfato abstrahi cellario, & prænominatis Campanis tradendum: Respondit, à Paulo cubiculario, cognomento Afiarta, (41) & Gregorio Defensore regionario, & Joanne Duce germano Domni Stephani Papæ, atque à Calvulo cubiculario sibi hoc fuisse præceptum, tradi eisdem Campanis.

Dirigensque idem Sanctissimus Præsul suos missos in Campaniam in civitatem Anagninam, adduci fecit prædictos Tunissonem, & Leonatium. Qui præsentati Apostolicis obtutibus, fortiterque constricti, confessi sunt, dicentes, quod à prænominato Paulo cubiculario, & Gregorio defensore regionario, seu Joanne germano præfati Domni Stephani Papæ, & Calvulo item cubiculario, & Maligno consentaneo, & sæpefati Pauli illius præceptum fuisset, prænominatum Sergium abstollendum, ac interficiendum Protinus direxit ipse Sanctissimus Pontifex cum prænominatis Campanis suos fidelissimos ministros, ut demonstrarent locum, ubi ipsum Sergium interfecerunt, atque sepelierunt: & properantes venerunt usque in Merolanam ad arcum depictum, quem secus viam, quæ ducit ad Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe, ibique juxta eundem arcum aperientes unam sepulturam demonstraverunt corpus illius Sergii repositum, funeque ejus guttur constrictum, atque ictibus totum corpus ejus vulneratum. Unde non dubie est suffocatum, ac semivivum fuisse terra obrutum. Quod cernentes universi primates Ecclesiæ, ac judices militiæ, ascendentes unanimiter cum universo populo in Lateranense Patriarchium prostrati Apostolicis vestigiis obnixe eundem almificum Pontificem deprecati sunt, ut vindictam, atque emendationem fieri præcepisset de tanto inaudito piaculo, in eo quod præsumpsissent secum hominem sæpius tormentis concrematum crudeliter interficere, quod factum nunquam legitur: asserentes, quia si talis flagitii reatus non expiaretur, nimis ipsa impia temeritatis præsumptio in hac Romana urbe pullularet, assumentes ex hoc audaciam perversi homines, ut tentarent pejora perpetrare. Tunc præfatus Sanctissimus Præsul precibus judicum, universique populi Romani jussit contradere antefatum Calvulum cubicularium, & prænominatos Campanos præfecto urbis, ut more homicidarum eos coram universo populo examinaret. Deductique Elephanto in carcerem publicum, illic coram universo populo examinati sunt.

Sicque ipsi Campani, sicut prius, ita & in eadem examinatione confessi sunt Calvulus vero obdurans cor suum, vix confessus est ita (42) omnia esse, qui tamen in eodem carcere crudeli morte amisit spiritum. Pro vero amputandis tam intolerabilibus flagitii reatibus, missi sunt ipsi Campani Constantinopolim in exilium.

Post hæc jussit antefatus Beatissimus Papa abstolli corpora Christophori, & prænominati Sergii ejus filii, eaque cum honore in Ecclesia Beati Petri fecit sepeliri. Gesta vero examinationis qualiter proprii reatus noxam confessi sunt, jam dictus Calvulus cubicularius, & prænominati Campani, direxit antefatus almificus Pontifex Ravennam, ut eidem Paulo omnia per ordinem (43) relegerentur. Suscipiens vero Leo Archiepiscopus Ravennatium eadem gesta, confestim sine auctoritate Apostolica, tradidit eundem PAULUM consulari RAVENNA-

(36) B. eodem itaque tempore contigit, ut Carolus Magnus Rex Francorum ad eundem Regem Longobardorum fugam cum Dudcario; & ob hoc conabatur deducere præsulem ad se, ut eum in Regem ungeret, cupiens divisionem mittere in Regno Francorum, ipsumque &c.

C. *legit ut in B. præter pro* ungeret, *habet* inungeret.

(37) *Verba* quoniam sicut lapis &c. *usque ad illa*, siquidem nominatus Desiderius Longobardorum Rex &c. B., & C. *non habent*.

(38) D. sic ut lapis dampnas, ita &c.

(39) D. cum Junissone *semper*.

(40) D. præfatis Campaninis *semper*.

(41) D. Afiarta, seu Gregorio &c.

(42) D. ita se omnia esse &c.

(43) D. per ordinem redigerentur.

Digitized by Google

NATIUM (*) urbis. Examinatusque coram omnibus Ravennatibus, eadem acta illi relecta sunt, sicque se reum manifestans tanti piaculi, confessus est se perpetrasse noxam. Ita vero isdem PAULUS examinatus est, quin etiam nec scientia exinde data est præfato Sanctissimo Pontifici, neque Archiepiscopo, neque à quibusdam Ravinianis, sed per alios hoc ejus sanctitas agnovit. Dum vero hoc ageretur, cupiens ipse præcipuus Pastor, & Egregius Pontifex salvare animam jam dicti Pauli, ne in æternum periret, adscribi fecit suggestionem suam Constantino, & Leoni Augustis, Magnisque Imperatoribus, significans ne (44) ipsius Sergii cæci impia morte, atque deprecans eorum Imperialem clementiam, ut ad emendationem tanti reatus ipsum PAULUM suscipi, & in ipsis Græciæ partibus in exilio mancipatum retineri præcepissent.

Direxitque eandem suggestionem ejus ter Beatitudo Leoni Archiepiscopo, ut ipsum Paulum Constantinopolim in exilio sive per Venetias, sive aliunde qualiter potuisset, dirigeret, cum præfata Apostolica suggestione. Ipse vero Archiepiscopus insidians vehementer eidem Paulo, adhibuit impiam occasionem, dirigens eidem præcipuo Pontifici in responsis. Expedile (45) non esse eundem Paulum illuc dirigere, in eo quod Desiderius Longobardorum Rex filium Mauricii Ducis Venetiarum apud se captum detineret. Nec ipse Mauricius filium suum cupiens ab eodem Rege recipere, eundem Paulum illi Vicarium traderet. Ecce qualem occasionem ipse Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennatium callide adhibuit, ut ipsum Paulum extinguere valeret. Sicque remisit ad Apostolicam Sedem suggestionem illam.

Post hæc vero cum ipse Sanctissimus Præsul direxisset Gregorium Sacellarium suum ad Desiderium Longobardorum Regem deprecationis, atque hortationis causa pro restituendis præfatis ab eo ablatis civitatibus, præcepit ei, ut firmiter contestaretur Leonem Archiepiscopum, quatenus eum conservare studeret Paulum, & cum reverteretur à Ticino, secum eum huc Romam reduceret. Dumque præfatus Gregorius Sacellarius in Ravennatium properasset urbem, constanter, ac firmiter protestatus est antefatum Archiepiscopum, & Judices Ravinianos ex (46) præceptione Apostolica in præsentia Anualdi Chartularii tunc (47) ibi existentis civis Romani, qui ibidem missus erat ab Apostolica Sede, salvum, atque incolumem ipsum Paulum reservandum, donec à Ticino reverteretur, asserens sibi fuisse præceptum ab Apostolica potestate eum secum Romam deportandum, & Apostolicis salvum præsentandum obtutibus. Hæc vero ipsum protestans Archiepiscopum, cœptum Ticinum profectus est iter, & continuo prænominatus Archiepiscopus accersito consulare Ravennatium civitatis, præcepit ei, ipsum interficiendum Paulum. Et dum reversus fuisset sæpefatus Sacellarius, Ravennamque conjungeret, invenit prænominatum Paulum jam interfectum, pro quo nimis increpavit Archiepiscopum eundem, cur præsumpsisset contra Apostolicum præceptum taliter de eodem Paulo agere? Post aliquantos itaque dies propria conscientia isdem Archiepiscopus tertius direxit prænominato Sanctissimo Papæ per Julianum tribunum suum missum deprecans Apostolicas sibi dirigi litteras, ac consolationis monita, quasi nulla illius putaretur culpa de ejusdem Pauli morte, in eo quod sanguis innocentis ultus fuisset. Sed nullo modo potuit ipsum Sanctissimum Papam Pontificem declinare, ita illi dirigens in responsis, quod ipse videat, quid in eodem Paulo operatus est.

Nam certe ego animam ejus salvare cupiens, pœnitentiæ eum summiti decreveram. Ideo meum Sacellarium direxi huc Romam eum deferendum. Siquidem nominatus Desiderius Longobardorum Rex superbiæ, & jactantiæ fastu levatus, qua hora præfatas civitates Exarchatus Ravennatium abstulit, confestim direxit multitudinem (48) exercitus, & occupare fecit fines civitatum, idest, Senogalliensis, (49) Montefereti, Urbini, Eugubii, & cæterarum civitatum Romanorum, plura homicidia, & deprædationes, atque incendia in ipsis finibus perpetrantes. Nam in civitatem (50) Bleranam dirigens generalem exercitum partium Tusciæ, dum ipsi (51) Blerani in fiducia pacis ad recolligendas proprias segetes generaliter cum mulieribus, & filiis, atque (52) famulis egrederentur, irruerunt repente (53) super eos ipsi Longobardi, & cunctos primates quanti utiliter in eadem civitate erant, interfecerunt, & prædam multam tam de hominibus, quam de peculiis abstulerunt, ferro, & igne cuncta in circuitu devastantes. Sed & in finibus Romanæ urbis, ceu & cæterarum civitatum multa mala, ac deprædationes isdem Desiderius perpetrare jussit, etiam & castrum Utriculum occupare fecit.

Unde sæpius, atque sæpius ipse Beatissimus Præsul tam per (54) obsecrationis litteras, quamque per missos eidem Desiderio direxit, deprecans eum, ut à tantis malis (55) resipisceret, & eas, quas abstulerat civitates, redderet. Ille vero non solum (56) easdem, quas occupaverat civitates minime reddere est inclinatus, sed nec ab eadem malitia recedere voluit, non cessans crudeliter multa, atque intolerabilia mala finibus Romanorum, ut dictum est, ingerere.

Tunc præfatus Sanctissimus Pontifex accersiri faciens præfatum religiosum Abbatem Monasterii Sanctæ Dei Genitricis, siti in territorio Sabinensi, cum viginti senioribus Dei servis Monachis, direxit eos ad eundem Desiderium deprecationis causa. Quibus ad eum properantibus, ut ipsi Dei famuli retulerunt, ejus pedibus provoluti coram judicibus Longobardorum cum lacrymis ex persona antefati Vicarii Beati Petri eum deprecati sunt, ut à tantis malis resipisceret, & præfatas, quas abstulit civitates Beato Petro redderet. Sed nequaquam ejus lapideum cor deflectere valuerunt. Sicque infructuosi ipsi Dei famuli reversi sunt. (57) Dirigens suos missos Desiderius isdem ad antefatum

(*) D. Ravennatium urbe.
(44) D. significans de ipsius &c.
(45) D. expedibile minimè esse &c.
(46) D. ex precatione Apostolica &c.
(47) D. tunc existens civium Romanæ, qui &c.
(48) B., & C. multitudinem militum exercituum, & occupare &c.
(49) B., & C. Synogalliensis, Esys, Montisferetri &c. D. Synogalliensis, Esis, Monteferetre.
(50) B., & C. civitatem Bledanam.
(51) B., & C. ipsi Bledani.
(52) B., & C. atque familiis egrederentur.
(53) τὸ repentè *deest in omnibus*.
(54) B., & C. per obsecratorias literas.
(55) D. malis se respiceret &c.
(56) D. non solùm quia easdem &c.
(57) B., & C. direxit etiam sæpius suos missos &c.

Digitized by Google

fatum Beatiſſimum Pontificem, ideſt, Andream Referendarium, & ſtabilem Ducem, ut (58) cum eo pariter ad loquendum deberet conjungi: quos ſuſcipiens iſdem almificus Paſtor ita eis reſpondit, inquiens: Sic Regi veſtro ex mea perſona ſatisfacite, me vobis firmiter coram Deo omnipotente promittente, quia ſi prædictas civitates Beati Petri, quas tempore meo abſtulit, mihi reddiderit, continuo (59) ſive Ticini, ſive Ravennæ, ſive Peruſiæ ſive hic Romæ, vel etiam ubi illi placitum fuerit ad ejus properabo præſentiam, & cum eo pariter me conjungendum, atque colloquendum quæ ad ſalutem populi Dei, utrarumque partium reſpiciunt, & ſi forſitan de hoc dubitationem habet, me cum eo minime debere conjungi. Poſtquam ipſas civitates reddiderit, ſi me cum ipſo non conjunxero loquendum, licentiam habeat eas denuo occupandi. Nam ſi prius ipſas civitates non reddiderit, & juſtitiam nobis (60) minime fecerit, ſciat pro certo meam nequaquam videbit faciem. (61) Unde ecce ſequipedes veſtros dirigere ſtudebo meos miſſos ad eundem veſtrum Regem, qui eaſdem recipiant, ſi reddere voluerit civitates, & de præſenti qua hora mei miſſi receptis eiſdem civitatibus ad me hoc ipſum nunciantes reverſi fuerint, continuo ad ejus ubi voluerit, ut dictum eſt, properabo præſentiam ad ſimul cum eo loquendum.

Ipſiſque Longobardorum miſſis properantibus, atque ad ſuum revertentibus Regem, direxit (62) ejus ter beatitudo continuo ad eundem Deſiderium Regem ſuos miſſos ad eaſdem recipiendas civitates, ſcilicet Pardum, religioſum (63) Egumenum præfectum Monaſterio Beati Sabæ, & Anaſtaſium primum defenſorem: præſentatique ejus obtutibus, (64) & ipſi pedibus ejus corruentes lacrymis profuſis eum deprecantes, ut antedictas redderet civitates, promittentes ei per Apoſtolicam auctoritatem ſub jurejurando, quia ſi eas reddidiſſet, ſtatim prænominatus almificus Pontifex (65) ad eum properaret proficiſcendum, ad colloquendum pariter. Sed per nullam rationem ejus ferreum pectus, & duriſſimam mentem (66) mollire potuerunt: nihilque recipientes ſine effectu reverſi ſunt. Tamen non deſiſtebat antedictus Pontifex ſuos miſſos ad eum per hoc ipſum dirigendum tam de Sacerdotibus, quamque de ſingulis religioſi habitus ordinibus: ſed nihil apud eum impetrare valuerunt: potius permanens in ſua iniquitate multis civitatibus, ac finibus Romanorum inferre faciebat ex omni parte mala, & magnas comminationes, dirigens eidem præcipuo Pontifici ſe cum univerſis Longobardorum exercitibus properaturum ad Romanam civitatem conſtringendam. Pro quo nimio fletu ipſe Sanctiſſimus Pontifex cum ſuo populo poſitus, portas civitatis Romanæ claudi juſſit, & alias ex eis fabricari fecit.

Et dum in magna anguſtia, ac tribulatione conſiſteret, neceſſitate compulſus, direxit ſuos miſſos marino itinere cum Apoſtolicis litteris ad excellentiſſimum Carolum à Deo protectum Regem Francorum, & Patricium Romanorum, deprecans ejus excellentiam, ut ſicut ſuus pater ſanctæ mem. Pipinus, & ipſe (67) ſuccurreret, atque ſubveniret Sanctæ Dei Eccleſiæ, & afflictæ Romanorum, ſeu Exarchatus Ravennatium provinciæ, atque plenarias Beati Petri (68) juſtitias, & abſtultas civitates ab eodem Deſiderio Rege exigeret. At vero dum per nullam occaſionis verſutiam potuiſſet iſdem malignus Deſiderius perſuadere antefatum Sanctiſſimum Pontificem ad ſe eum deducendum, ut (69) antefati Caroli Magni filios Reges unxiſſet, & ipſum almificum Pontificem à charitate, & dilectione ſæpefati Chriſtianiſſimi Caroli Magni (70) Regis ſeparare voluiſſet. Tunc pertinacia, & audacia egreſſus à ſuo palatio cum (71) Adalgiſo proprio filio, & exercitu Longobardorum deferens ſecum & uxorem, & filios ſæpedicti quondam Carolomanni, necnon & Autcharium (*), qui ad eum, ut dictum eſt, fugam arripuerant: hic vero Romam properare nitebatur, ſine ſcientia antedicti Pontificis dirigens ſuos miſſos, ſcilicet prænominatum Andream Referendarium, & alios duos ex ſuis Judicibus, ejus adventum denunciantes. Quibus Romam conjungentibus, præſentatiſque Apoſtolicis obtutibus tale eis reddidit reſponſum: quod niſi, ut jam illi promiſit, reddiderit Beato Petro civitates illas, quas ſub meo tempore abſtulit, & plenariam parti noſtræ fecerit juſtitiam, nullo modo ſit illi neceſſe (72) fatigationem ſumendi, quia minime fieri poteſt, me prius cum illo præſentari.

Suſcipiens vero iſdem Deſiderius hoc reſponſum, nequaquam exinde repedavit, ſed cœptum Romam carpebat iter. Cujus jam adventum appropinquantem (73) cognoſcens Sanctiſſimus ipſe præcipuus Paſtor, aggregans univerſum populum Tuſciæ, Campaniæ, & Ducatus Peruſini, & aliquantos de civitatibus Pentapoleos munivit hanc civitatem Romanam, omneſque armati parati (74) erant: ut ſi ipſe Rex adveniret ei fortiter cum Dei auxilio, & Beati Petri, fulti orationibus prædicti Sanctiſſimi Præſulis illi reſiſterent. Nam Eccleſias Beati Petri, & Pauli (75) exornare fecit ejus ſanctitas, & cuncta eorum cymilia, & ornatus in hanc civitatem Romanam introduxit, claudi faciens omnes januas Eccleſiæ Beati Petri, & deintus ferris ſupponi, ac muniri juſſit. Ut ſi ipſe protervus Rex ſine (76) licentia, & permiſſo Pontificis adveniſſet, minime aditum in eandem Eccleſiam introeundi haberet, niſi bra-

chio

(58) B., & C. ut ſe cum eo &c. D. ut ſecum &c.
(59) B., & C. continuò hìc ſive Romæ, vel etiam ubi illi placabile fuerit &c.
D. continuò ſive Ticino voluerit, ſive Ravenna, ſive Peruſia, ſive hìc Roma, vel &c.
(60) τὸ nobis *deeſt in* B., & C.
(61) *Verba* Unde ecce ſequipedes &c. *uſque ad illa* direxit ejus ter Beatitudo &c. *deſunt in* B., & C.
(62) B., & C. direxit itaque ejus Beatitudo &c.
(63) B., & C. religioſum Eugumenum Monachum Beati Sabbæ &c.
(64) B., & C. obtutibus, ipſi pedibus ejus convoluti, lacrymis &c.
(65) B., & C. Pontifex ad eum feſtinaret venire citò ad colloquendum pariter.
(66) B., & C. mentem flectere potuerunt.
(67) B., & C. & ipſe ante fecerant, ſuccurreret &c.
(68) B., & C. Petri provincias, & juſtitias, & ablatas civitates &c.
(69) B., & C. antefatum Carolimanni filium Regem unxiſſet &c.
(70) C. Carolimanni &c. B., & C. ſeparare valuiſſet.
(71) D. cum Adilgiſo.
(*) B. Andecarum. C. Audecarum. D. Avocharium.
(72) neceſſe faſtigium ſumendi *in omnibus*.
(73) B., & C. appropinquaſſe cognoſcens.
D. adpropinquantem ſe cognoſcens.
(74) B., & C. τὸ parati *non habent*.
(75) B., & C. Petri, ac Pauli, ideſt ornamenta abſtulit, & exornari fecit &c.
(76) B., & C. ſinè comitatu, & permiſſu Pontificis &c.

Digitized by Google

chio forti ad suæ animæ interitum ipsas confringeret januas. Dumque hæc omnia (77) disposuisset exemplo facto in scriptis anathematis verbo direxit eidem Desiderio Regi tres Episcopos, idest, Eustratium Albanensem, Andream Prænestinum, & Theodosium Tyburtinæ civitatis, protestans eum in eodem obligationis, exhortationisque verbo, & adjurans per omnia divina mysteria, ut nullo modo in finibus Romanorum sine ejus absolutione ingredi, aut conculcari præsumpsisset, neque ipse, neque quispiam Longobardorum, sed nec Autcharius Francus. Susceptoque eodem obligationis verbo per antefatos Episcopos ipse Longobardorum Rex illico cum magna reverentia à civitate (78) Viterbiense confusus ad propria reversus est. Post hæc conjunxerunt ad Sedem Apostolicam missi sæpius dicti Caroli Excellentissimi Regis Francorum, & Patricii Romanorum, idest, Georgius Sanctissimus Episcopus, Gulfardus (*) Religiosus Abbas, & Consiliarius, seu (79) Albinus Deliciosus ipsius Regis, inquirentes, si præfatus Longobardorum Rex abstultas civitates, & omnes justitias Beati Petri reddidisset, sicut false in Franciam dirigebat, asserens se omnia reddidisse.

Et (80) satisfacti sunt præsentialiter, nihil ab eo redditum fuisse. Quibus referens isdem præcipuus Pontifex cuncta, quæ gesta erant, eos in Franciam absolvit remeandos, dirigens cum (81) eo suos missos ad præfatum Excellentissimum Francorum Regem cum Apostolicis admonitionum (82) syllabis, adjurans eum fortiter, ut ea, quæ Beato Petro cum suo genitore Sanctæ memoriæ Pipino Rege pollicitus est, adimpleret, & redemptionem Sanctæ Dei Ecclesiæ perficeret, seu universa, quæ abstulta sunt à perfido Longobardorum Rege tam civitates, quam reliquas justitias (83) sine certamine reddere Beato Petro Principi Apostolorum (84) fecisset. Ipsi itaque Francorum missi properantes cum Apostolicæ Sedis missis declinaverunt ad prænominatum Desiderium. Qui & constanter eum deprecantes adhortati sunt, sicut illis à suo Rege præceptum extitit, ut antefatas, quas abstulerat civitates, pacifice Beato Petro redderet, & justitias parti Romanorum fecisset. Sed minime quidquam horum apud eum obtinere valuerunt, asserens se minime quidquam redditurum. Accepto itaque responso hoc, reversi sunt ipsi antefati missi Francorum in regionem suam.

Properantes simul, & Apostolicæ Sedis missi, qui subtilius cuncta referentes, & de maligno proposito prænominati Desiderii annunciantes antefato Excellentissimo, & à Deo protecto Carolo Magno Regi: confestim isdem mitissimus, & re vera Christianissimus Carolus Francorum Rex direxit eidem Desiderio suos missos, idest, deprecans ut easdem, quas abstulerat, pacifice redderet civitates, & plenarias parti Romanorum faceret justitias. Promittens insuper ei tribui quatuordecim millia auri (85) solidorum, quantitatem in auro, & argento. Sed neque deprecationibus, neque muneribus ejus ferocissimum cor flectere valuit. Nihil enim obtinenres ipsi missi Francorum ad præfatum suum Christianissimum regressi sunt Regem. Tunc aggregans ipse à Deo protectus Carolus Magnus Rex universam Regni sui Francorum exercituum multitudinem, atque ad occupandas (86) clusas ex eodem suo exercitu dirigens, ipse quoque cum pluribus fortissimis bellatoribus Francis per montem (87) Cinisium ad easdem appropinquavit clusas, & remotus in finibus Francorum cum suis exercitibus resedit. Jam dictus vero Desiderius, & universa Longobardorum exercituum multitudo ad resistendum fortiter in ipsis clusis assistebant, quas fabricis, & diversis (88) maceriis curiose munire nisi sunt. At vero qua hora prænominatus Christianissimus Francorum Rex ad easdem appropinquavit clusas, illico denuo suos missos ad præfatum direxit Desiderium, deprecans, sicut pridem, ut quantitatem prædictorum solidorum susciperet Rex, & easdem pacifice redderet civitates. Sed nequaquam penitus acquiescere (89) maluit, & dum in tanta duritia protervus ipse permaneret Rex Desiderius, cupiens antedictus Christianissimus Francorum Rex pacifice justitias Beati Petri (90) recipere, direxit eidem Longobardorum Regi, ut solummodo tres obsides Longobardorum Judicum filios illi tradidisset pro illis restituendis civitatibus, & continuo sine ulla inferta malitia, aut commisso prælio ad propria cum suis Francorum exercitibus reverteretur. Sed neque sic valuit ejus malignam mentem flectere. Unde Omnipotens Deus conspiciens ipsius maligni Desiderii iniquam perfidiam, atque intolerabilem proterviam dum vellent Franci (91) alio die ad propria reverti, misit terrorem, & validam trepidationem in cor ejus, vel filii ipsius, (92) Adalgisi scilicet, & universorum Longobardorum, & (93) cædem nocte dimissis propriis tentoriis, atque omni supellectile fugam omnes generaliter nemine eos persequente arripuerunt. Quod cernentes exercitus Francorum persecuti sunt eos, & plures ex eis interfecerunt. Ipse vero Desiderius quantocyus (94) cum suis judicibus velociori cursu fugiens, atque Papiam conjungens, ibidem se cum suis judicibus, & multitudinem populi Longobardi recludi studuit. Et muniens muros ipsius civitatis ad resistendum Francorum exercitibus, & propriam defendendam civitatem cum suis Longobardis se præparavit. Adalgisus vero ejus filius assumens secum Autcharium Francum, & Uxorem, atque filios sæpedicti Carolomanni in civitate, quæ Verona nuncupatur, pro eo quod fortissima præ omnibus civitatibus Longobardorum esse videretur, ingressus est.

Porro Longobardi reliqui dispersi in proprias reversi

(77) B., & C. omnia dissolvisset extemplo &c.
(78) B. in civitate Interamnense confusus &c.
C. à civitate Interamnense &c.
(*) B., & C. Gulfaldus.
(79) D. seu Albunus.
(80) B., & C. & satisfactam eis præsentialiter reddidisse, aut ab eo nihil reditum fuisse &c.
(81) B., & C. cum eis suos Nuntios ad præfatum.
(82) B., & C. admonitionum sigillis, adjurans &c.
(83) justitias suo certamine &c. *in omnibus*.
(84) τὸ fecisset, *deest in* B., & C.
(85) τὸ auri, *deest in* B., & C.
(86) D. occupandas tentas clusas.
(87) Montem Cinisem *in omnibus*.
(88) B., & C. diversis materiis curiosè &c.
(89) B., & C. adquiescere voluit, & dum &c.
(90) B., & C. Petri restituere, direxit &c.
(91) Franci, *deest in* B., & C.
(92) D. ipsius, Adilgisi scilicet &c.
(93) & eadem nocte *in omnibus*.
(94) B. ipse verò Desiderius cum suis judicibus, & multitudine populi Longobardorum recludi studuit in Papia, & muniens &c.
C. *legit ut in* B., *sed* in Papia *non habet*.

Digitized by Google

reversi sunt civitates: nam Spoletini, & Reatini aliquanti eorum utiles personæ antequam Desiderius, seu Longobardorum ejus exercitus ad clusas pergerent, illi ad Beatum Petrum confugium facientes prædicto Sanctissimo Hadriano Papæ se tradiderunt, & in fide ipsius Principis Apostolorum, atque prædicti Sanctissimi Pontificis jurantes more Romanorum, tonsurati sunt. Etiam & reliqui omnes ex eodem Ducatu Spoletino inhianter desiderabant se tradendum in servitio Beati Petri, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ. Sed metuentes suum (95) Regnum nequaquam ausi sunt perpetrare, unde dum (96) à clusis fugam arripuissent, omnesque (*) exinde de diversis civitatibus Ducatus Spoletini reversi essent, confestim generaliter ad præfatum almificum Pontificem confluentes advenerunt, ejusque provoluti pedibus obnixe sanctam ipsius ter beatitudinem deprecati sunt, ut eos in servitio Beati Petri, Sanctæque ejus Romanæ Ecclesiæ susciperet, & more Romanorum tonsurari faceret.

Quos suscipiens profectus est cum eis in Ecclesiam Beati Petri, & omnes unanimiter à magno usque ad parvum sub (97) indiculo sacramenti jurejurando promiserunt eidem Dei Apostolo in servitio ejus, atque antedicti Vicarii ipsius Sanctissimi Hadriani Papæ, atque omnibus successorum ejus Pontificum fideliter permansuros cum filiis, & cuncta eorum generatione. Tunc post præstitum sacramentum omnes more Romanorum tonsurati sunt. Et confestim ipse ter Beatissimus bonus Pastor, & pater cum omnibus exultans, constituit eis ducem, quem ipsi propria voluntate sibi elegerunt, scilicet (98) Hildeprandum nobilissimum, qui prius cum reliquis ad Apostolicam Sedem refugium fecerat.

Et ita Deo annuente prædictum ducatum Spoletinum generaliter suo certamine isdem præcipuus Pontifex sub jure, & potestate Beati Petri subjugavit. Sed & omnes habitatores tam ducatus Firmani, Auximani, & Anconitani, simulque & de castello Fœlicitatis, & ipsi dum à clusis Longobardorum (99) fugientes reversi sunt ad præfatum Sanctissimum Pontificem concurrentes ejus se ter beatitudini tradiderunt, præstitoque sacramento in fide, & servitio Beati Petri, atque ejus Vicarii antefati almifici Hadriani Papæ, successorumque ejus Pontificum fideliter permansuros more Romanorum tonsurati sunt.

At vero sæpefatus Christianissimus Carolus Francorum Rex movens cum suis generalibus (100) exercitibus, atque Papiam conjungens civitatem, eam ex omni parte circundans vallavit, dirigensque (101) continuo in Franciam ibidem apud se Papiam (102) adduci fecit suam conjugem Excellentissimam (103) Hildegardam Reginam, & nobilissimos filios. Et dum agnovisset fugam arripuisse in Veronam prænominatum (104) Adalgisum, relinquens plurimam partem (105) ex suis exercitibus Papiæ ipse quoque cum aliquantis fortissimis Francis in eandem Veronam properavit civitatem. Et dum illuc conjunxisset protinus Autcharius, & uxor, atque filii sæpius nominati (106) Carolomanni propria voluntate eidem benignissimo Carolo Regi se tradiderunt. Eosque recipiens ejus Excellentia denuo repedavit Papiam. Qui confestim dirigens cuneos exercituum bellatorum comprehendit diversas civitates Longobardorum ultra Padum constitutas, suæque redegit potestati. Et dum per sex mensium spatium ipse Francorum Rex Papiæ demoraretur in obsessione ipsius civitatis, magnum desiderium habens ad limina Apostolorum properandi, considerans quod & Sacratissima Paschalis festivitas appropinquasset: tunc (107) abstollens secum diversos Episcopos, & Abbates, etiam & Judices, Duces nempe, & Graphiones cum plurimis exercitibus hic (108) Romam per Tusciæ partes properavit, ita festinanter adveniens, ut in ipso Sabbato Sancto se liminibus præsentaret Apostolicis. Cujus adventum audiens antedictus Beatissimus Hadrianus Papa, quod sic repente ipse Francorum advenisset Rex, in magno stupore, & extasi (109) deductus, direxit in ejus occursum universos Judices ad fere triginta millia ab hac Romana urbe in locum, qui vocatur Novas, (110) ubi eum cum bandora susceperunt.

Et dum appropinquasset fere unius milliario à Romana urbe direxit (111) universas scholas militiæ una cum patronis, simulque & pueris, qui ad discendas litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum, atque olivarum, laudesque (112) omnes canentes cum acclamationum earundem laudum vocibus ipsum Francorum susceperunt Regem, obviam illi ejus sanctitas dirigens venerandas cruces idest, (113) signa, sicut mos est ad Exarchum, aut Patricium suscipiendum, eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero à Deo institutus benignissimus Carolus Magnus Francorum Rex, & Patricius Romanorum, qua hora easdem sacratissimas cruces, ac signa sibi obviam advenisse conspexit, descendens de equo, quo sedebat, (114) ita cum suis Judicibus ad Beatum Petrum pedestris properare studuit. Quod quidem almificus antedictus Pontifex diluculo surgens in eodem Sabbato Sancto cum universo clero, & populo Romano ad Beatum Petrum properavit ad suscipiendum eundem Francorum Regem, & in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ, eum cum clero suo (115) præstolatus est.

Conjungente vero eodem Excellentissimo, ac benignissimo Carolo Rege omnes gradus sigillatim ejusdem Sacratissimæ Beati Petri Ecclesiæ deosculatus est, & ita usque ad prænominatum per-

(95) B. C., & D. suum Regem hoc nequaquam &c.
(96) B., & C. dum ad clusas fugam &c.
(*) B., & C. omnes, qui.
(97) B., & C. sub vinculo Sacramenti &c.
(98) B. scilicet Ildebrandum.
(99) C. Langobardorum, & de Castello Felicitatis fugientes reversi.
(100) *ὁ* generalibus *deest in* B., & C.
(101) B., & C. dirigensque concite in Franciam &c.
(102) *ὁ* Papiam *deest in* B., & C.
(103) C. Ildigardam.
D. Hildigardam.
(104) D. Adilgis.
(105) B., & C. partem exercitus ipse cum aliquantis &c.
D. partem ex suis exercitibus Papiam ipse &c.
(106) B. nominati Desiderii propria &c.
(107) B., & C. tunc deducens secum &c.
(108) *ὁ* hic *deest in* B., & C.
(109) & extasi. B., & C. *non legunt*.
(110) B., & C. Novas, & ibi cum Bandora &c.
D. Novas, ibi cum &c.
(111) B., & C. direxit universæ stolæ militiam una &c.
(112) B., & C. laudesque illi omnes &c.
(113) *Verba* idest signa *desunt in* B., & C.
(114) B., & C. sedebat, & cum beatissimis stratoribus tribuens ita &c.
(115) B., & C. Clero suo præstolabatur.
D. præstolavit.

Digitized by Google

pervenit Pontificem. Ubi in atrio super gradus juxta fores Ecclesiæ (116) assistebat. Eoque suscepto mutuo se amplectentes, tenuit isdem Christianissimus Carolus Rex dexteram manum antedicti Pontificis. Et ita in eandem venerandam aulam Beati Petri Principis Apostolorum ingressi sunt, laudem Deo, & ejus Excellentiæ decantantes, universus clerus, & cuncti religiosi Dei famuli extensa voce acclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, *&c.* Sicque cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex, simulque & omnes Episcopi, Abbates, & Judices, & universi Franci, qui cum eo advenerant ad confessionem Beati Petri appropinquantes, seseque proni ibidem prosternentes Deo nostro omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi propria reddiderunt vota, glorificantes (117) divinam potentiam in eo, quod talem (118) per interventionum suffragia ejusdem Principis Apostolorum concedere jussit victoriam. Expleta vero eadem oratione, obnixe deprecatus est isdem Francorum Rex antedictum almificum Pontificem, illi licentiam tribui Romam ingrediendi ad sua orationum vota per diversas Dei Ecclesias persolvenda. Et descendentes pariter ad corpus Beati Petri tam ipse Sanctissimus Papa, quamque antefatus Excellentissimus Francorum Rex cum Judicibus Romanorum, & Francorum, seseque mutuo per (119) sacramentum munientes, ingressus est Romam continuo cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex cum suis Judicibus, & populo in eodem Sabbato Sancto.

Et in Basilica Salvatoris juxta (120) Lateranis pariter ingressi ibidem ipse (121) Excellentissimus Rex cum omnibus suis quousque Sancti baptismatis sacramentum antedictus ter Beatissimus Pontifex celebravit. Et ita postmodum ad Beatum Petrum ipse (122) Beatissimus repedavit Rex.

Alio vero die illucescente Dominico Sancto, in ipsa Sacratissima Paschali festivitate direxit diluculo ipse Sanctissimus Præsul cunctos Judices, & universa obsequia militiæ ad eundem Regem, & cum magno honore eum suscipientes in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe properavit cum omnibus, qui cum eo advenerant Francis. Et post missarum solemnia celebrata perrexit cum prænominato Pontifice in Lateranense Patriarchium, illicque ad mensam Apostolicam pariter epulati sunt. Alio vero die secunda feria simili modo in Ecclesia Beati Petri more solito ipse conspicuus Pater, & egregius Pontifex missarum solemnia celebrans Deo omnipotenti, & præfato Carolo Excellentissimo Regi Francorum, & Patricio Romanorum laudes reddere fecit. Tertia vero (123) die, juxta, ut mos est, in Ecclesia Beati Pauli Apostoli, missas eidem Regi fecit. At vero quarta feria egressus prænominatus Pontifex cum suis Judicibus tam cleri, quamque militiæ in Ecclesia Beati Petri Apostoli, pariterque cum eodem Rege se ad loquendum conjungens, constanter eum deprecatus est, atque admonuit, & paterno affectu adhortari studuit, ut promissionem illam, quam ejus sanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex, & ipse præcellentissimus Carolus cum suo germano Carolomanno, atque omnibus Judicibus Francis fecerant Beato Petro, & ejus Vicario Sanctæ memoriæ Domno Stephano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diversis civitatibus, ac territoriis istius Italiæ provinciæ, & contradendis Beato Petro, ejusque omnibus Vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus, cumque ipsam promissionem, quæ in Francia in loco, qui vocatur Carisiacus facta est, sibi relegi (124) fecisset, (125) complacuerunt illi, & ejus Judicibus omnia, quæ ibidem erant adnexa, & propria voluntate, bono, (126) ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar anterioris, ipse antedictus præcellentissimus, & re vera Christianissimus Carolus Francorum Rex ascribi jussit per Etherium religiosum, ac prudentissimum Capellanum, & Notarium suum, ubi concessit (127) easdem civitates, & territoria Beato Petro, easque præfato Pontifici contradi spopondit, per designationem (128) confinium: sicut in eadem donatione continere monstratur, idest, à Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte (129) Bardone, idest, in Verceto, deinde in Parma, deinde in Rhegio, & exinde in Mantua, atque Monte (130) silicis, simulque & universum Exarchatum Ravennatium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum, & Histriam, necnon & cunctum Ducatum Spoletinum, (131) & Beneventanum.

Factaque eadem donatione, & propria sua manu ipse Christianissimus Francorum Rex eam corroborans universos Episcopos, Abbates, Duces, etiam & (132) Graphones in ea adscribi fecit. Quam prius super Altare Beati Petri, & postmodum intus in sancta ejus confessione ponentes, tam ipse Francorum Rex, (133) tamque ejus Judices Beato Petro, & ejus Vicario Sanctissimo Hadriano Papæ: sub terribili Sacramento sese omnia conservaturos, quæ in eadem donatione continentur, promittentes, tradiderunt. (134) Apparem ipsius donationis per eundem Etherium adscribi faciens ipse Christianissimus Rex Francorum, intus super corpus Beati Petri subtus Evangelia, quæ ibidem (135) osculantur pro firmissima cautela, & æterna nominis sui, ac regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit. Aliaque ejusdem donationis exempla per Scriniarium hujus Sanctæ (136) nostræ Ecclesiæ descripta ejus excellen-

(116) B. fores Ecclesiæ suscepto mutuo se amplectentes &c.
C. Ecclesiæ assidebat. Eoque &c.
(117) B., & C. glorificantes Deum in eo &c.
(118) B., & C. quod talem eis per interventionem, & suffragia ejusdem &c.
D. talem eis per &c.
(119) B., & C. per Sacramenta munientes.
(120) B., & C. juxta Lateranum pariter &c.
(121) B., & C, ipse stetit Excellentissimus &c.
(122) B., & C. ipse benignissimus Rex repedavit.
(123) B., & C. tertia verò feria sexta juxta &c.
(124) C. sibi relegi jussit, fecisset.
(125) B., & C. complacuit illi &c.
(126) B., & C. *pro* bono *legunt* proprio.
(127) B. ubi concessit eidem civitates &c.
(128) per designatum confinium *in omnibus*.
(129) B. in monte Bordone, inde in Verseto, deinde &c.
C. Bardone inde in Berceto, deinde &c.
(130) B. atque montes Silicis.
(131) B. Ducatum Spoletanum, seu Beneventum.
C. Ducatum Spoletinum, seu Beneventum.
D. Ducatum Spolitinum, seu Beneventanum.
(132) B. etiam Graphiones.
C., & D. etiam & Grafiones.
(133) Rex, quam ejus &c. *in omnibus*.
(134) B., & C. tradiderunt, ad partem verò ipsius &c.
(135) B., & C. quæ ibidem continentur, & osculantur &c.
(136) B., & C. Sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ ascripta ejus &c.
D. nostræ memoriæ Ecclesiæ adscripta ejus &c.

Digitized by Google

cellentia secum deportavit. Reversusque cum suis exercitibus Ticinum, ipse Excellentissimus Francorum Rex, fortiterque debellans, atque obsidens civitatem Papiam, dum ira Dei super omnes Longobardos, qui in eadem civitate erant, grassaretur, atque sæviret, & plures de languoribus, seu mortalitatis clade defecissent, ita Dei nutu eandem civitatem, simulque & Desiderium Longobardorum Regem, atque cunctos, qui cum eo erant, ipse Excellentissimus Francorum Rex comprehendit, & suæ potestati cunctum regnum Longobardorum subjugavit. Præfatum vero Desiderium Longobardorum Regem, & ejus conjugem secum in Franciam deportavit. Erat enim sæpefatus Beatissimus Pontifex amator Ecclesiarum. (137)

Hic enim coangelicus vir fecit in Ecclesia Beati Petri Apostoli vestem miræ pulcritudinis ex auro, & gemmis, habentem præfiguratam historiam, qualiter Beatus Petrus à vinculis per Angelum ereptus est. (138) Item in eadem Basilica ab introitu de rugas usque ad confessionem pavimentum vestivit de argento purissimo, quod pens. libras centum quinquaginta. Fecit etiam in eadem ipsa Basilica Beati Petri juxta januas majores argenteas cortinas miræ magnitudinis de paliis stauracin, seu quadrapolis. Nam & per universos arcus ejusdem Apostolorum Principis Basilicæ de palliis (139) tyriis, atque fundatis fecit vela numero sexaginta quinque. Denique ejus Beatitudo fecit & pharum majorem in eadem Beati Petri Ecclesia in typum Crucis, qui pendet ante Presbyterium, habentem candelas mille trecentas & septuaginta. Et constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accendatur, idest, in Nativitate Domini, in Pascha, in natali Apostolorum, & in natali Pontificis.

Itemque præfatus Sanctissimus (140) Præsul fecit in ea Basilica calicem fundatum argenteum, pens. libras quinque, quem & posuit in Presbyterio pro eo, qui perierat temporibus Domni Pauli Papæ. Nam & in Ecclesia Beati Andreæ Apostoli, sita juxta eandem Beati Petri Apostoli Ecclesiam cyburium noviter ex argento mundissimo, ipse ter Beatissimus Pontifex fecit, qui pens. libras centum triginta quinque. Itaque & in Ecclesia Beati Pauli Apostoli investivit corpus ejusdem Doctoris mundi ex laminis argenteis, pensan. libras triginta.

Quas addidit isdem Sanctissimus Præsul, quoniam argentum illud, quod (141) primitus erat, nimis confractum existebat. Item fecit in eadem Basilica Beati Pauli Apostoli cortinam majorem juxta januas principales ex (142) palliis quadrapolis ad instar cortinæ, quam in Ecclesia Beati Petri fecit. Sed & aliam cortinam majorem fecit ex palliis quadrapolis, quæ pendet sub arcu majore juxta Altare: etiam & per diversos arcus ipsius Ecclesiæ ex palliis quadrapolis fecit vela numero septuaginta. Atrium vero ipsius Beati Pauli Ecclesiæ, quod ante (143) desolatum existebat, ubi boves, atque caballi ingrediebantur ad pabulandum propter herbam, quæ ibidem nascebatur, inspiratus à Deo isdem Sanctissimus Pontifex ex marmoribus pulcris sternere fecit. In Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe fecit vestes duas super altare (144) majore, unam ex auro purissimo, atque gemmis, habentem assumptionem Sanctæ Dei Genitricis, & aliam de (145) stauracin ornatam in circuitu (146) blattin. Fecit in ea Ecclesia & cortinas majores ex palliis quadrapolis ad similitudinem, quam in Ecclesia Sancti Petri fecit.

Sed & per diversos arcus ejusdem Basilicæ Sanctæ Dei Genitricis simili modo ex palliis quadrapolis fecit vela numero 42. In Basilica vero Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi juxta (147) Lateranis similiter fecit vestem de stauracin (148), seu cortinam majorem ex palliis quadrapolis, sed & per diversos arcus vela syrica numero quinquaginta septem, omnia ex palliis quadrapolis, seu stauracin. Fecit in Ecclesia Beati Laurentii Martyris foris (149) muros scilicet, ubi sanctum ejus corpus requiescit vestem de stauracin, & in Ecclesia majore aliam similiter fecit vestem. Nam & tectum ejusdem Beati Laurentii, Basilicæ martyris, quod jam distectum erat, & trabes ejus confractæ noviter fecit. In Basilica autem Beati Valentini simili modo fecit vestem de stauracin. In Basilica Beati Pancratii aliam simili modo de stauracin fecit vestem. In Ecclesia vero Beati Marci, cujus tectum jam vetustate positum vicinum ruinæ existebat, depositis vetustissimis trabibus, & aliis impositis noviter ipsum tectum, atque porticus in circuitu fecit, eandemque Ecclesiam restauravit. Arcus (150) vero tres, qui vetustissimi erant, addens isdem Beatissimus Pontifex argenti libr. duodecim noviter fecit. Fecit etiam in eadem Ecclesia super Altari majore vestem de stauraci, sed & per diversos arcus ejusdem Ecclesiæ ex palliis quadrapolis fecit numero vela viginti septem, simulque & coronam ex eisdem palliis quadrapolis, quæ pendet sub trabe, fecit.

Tectum vero Basilicæ Beati Laurenti (151) .... ad Taurellum, dum nimis vetustissimum inerat, omnes ejus trabes novas ibidem posuit, illudque restauravit. Simulque & vestem de (152) quadruplo super Altare ejusdem Eccle-

(137) B. C., & D. Ecclesiarum Dei magnam indesinenter gerens curam pro ornatu, & restauratione procuranda omnium earumdem Ecclesiarum Dei. Hic enim &c.
(138) B., & C. & alia quamplura, & innumerabilia ibidem contulit dona. Idem ipse Beatissimus Pontifex corpus B. Pauli Apostoli Doctoris gentium investivit laminis argenteis, quoniam argentum, quod ibi primitus erat confractum existebat; & alia quamplura ibi contulit in auro, & argento, palliisque dona. Atrium verò ipsius B. Pauli Apostoli Ecclesiæ &c. *ut infra*.
(139) D. de palliis tyreis, atque &c.
(140) D. Sanctissimus Papa præsul &c.
(141) D. quod ibi primitus erat &c.
(142) D. palleis *semper*.
(143) B., & C. quod antea nimis dissolutum existebat &c.
D. quod antea nimis desolatum existebat &c.
(144) B., & C. super Altare majus, unam &c.
(145) B., & C. de Stauracim &c.
(146) D. blactin.
B., & C. blattin. Contulit etiam in eadem Ecclesia in auro, & argento, palliisque dona quamplurima. In Basilica verò Salvatoris D. N. J. C. &c.
(147) B., & C. Lateranum.
(148) B., & C. stauratin, & alia multa ibidem obtulit dona. Atque in Basilica B. Laurentii foris muros similiter contulit multa dona. Fecit in Basilica B. Adriani cerostata, *pro ut infra*.
(149) » foris *in* D. *non legitur*.
(150) D. Arcora verò tria, quæ vetustissima erant &c.
(151) D. Laurentii PP. ad &c.
(152) D. de quadrapulo.

Digitized by Google

Ecclesiæ fecit, atque obtulit. Basilica vero Beati Felicis posita in (153) pineis, quæ in ruina erat, & tectum ejus distectum existebat, facto eodem tecto noviter ipsam Ecclesiam renovavit, & vestem super Altare ejusdem Ecclesiæ de quadrapolis faciens obtulit. Renovavit etiam & tectum Basilicæ Sancti Laurentii, quam Damasi vocant, ubi & vestem super ejus Altare de stauracin (154), simulque & aliam vestem de post Altare fecit, ubi requiescit Corpus Sancti Damasi. Basilicæ itaque Apostolorum in via Lata porticus in circuitu renovavit, quas antea initiaverat ejus prædecessor Domnus Paulus Papa, & non expleverat, omnia Deo propitio præfatus Beatissimus Pontifex reparavit, simulque & tectum majus restauravit. Nam absidam ipsius Ecclesiæ cernens isdem Beatissimus Pontifex jam ruinæ vicinam existentem, cancalis ferreis eandem absidam confirmari fecit, & ita eam renovavit. Fecit vestem in eadem Ecclesia super Altari majori de stauracin.

Cœmeterium item Beatorum Petri, & Marcellini via Lavicana juxta Basilicam Beatæ Helenæ renovavit, & tectum ejus, idest, Sancti Tiburtii, & eorundem Sanctorum Petri, & Marcellini noviter fecit, & gradus ejus, qui descendunt ad eorum Sacratissima Corpora noviter fecit, quoniam nullus erat jam descensus ad ipsa Sancta Corpora. Fecit in Basilica Beati Hadriani cerostata argentea, pens. libr. duodecim, simulque & laudunas (155) duas ex argento, pens. libras octo, quas posuit (156) super rugas de Presbyterio, ubi arcus de argento existit. Fecit etiam & vestes duas de stauracin, unam super Altare Beati Hadriani, & aliam super Altare Sanctæ Martinæ, sed & vela de palliis quadrapolis numero quindecim (157) in eadem Ecclesia fecit. Tectum denique tituli Beatæ Priscæ, quod jam casurum erat, & in ruinis positum, noviter fecit, ubi & vestem de stauracin fecit. In Ecclesia vero Beatorum Cosmæ, & Damiani in tribus fatis vestem de stauracin fecit, simulque & cortinam ante absidam ex palliis quadrapolis fecit, necnon & vela ex eisdem quadrapolis fecit numero viginti, & linea viginti. Nam & per diversos titulos, seu alias Ecclesias, atque cunctas Diaconias, & (158) quantacumque infra murum hujus Romanæ urbis existunt divina inspiratione ignitus ipse Sanctissimus Pontifex ex palliis, idest, stauracin, seu tyriis vestes fecit, atque obtulit.

Et sicut bonus Pastor omnes Dei Ecclesias tam extra muros hujus (159) Romanæ urbis, quamque infra muros ad laudem Dei restauravit, atque decoravit, verum etiam & muros, atque turres hujus Romanæ urbis, quæ dirutæ erant, & usque ad fundamenta destructæ, renovavit, atque utiliter omnia in circuitu restauravit, ubi & multa stipendia tribuit tam in mercedes eorum, qui ipsum murum fabricaverunt, quamque in ipsorum alimentis, simulque & in calce, atque diversis utilitatibus usque ad centum auri libras expendit. Hic Beatissimus Præsul divina inspiratione ignitus constituit in Monasterio Sancti Stephani Catabarbara patricia situm ad Beatum Petrum Apostolum Congregationem Monachorum, ibi & Abbatem idoneam personam ordinans. Statuit ut sedulas laudes in Ecclesia Beati Petri persolvant, sicut & cætera tria Monasteria, ut duo Monachi pro latere ipsius Ecclesiæ Deo nostro canant laudes: quoniam ipsum Monasterium in magna desidia, & neglectu, incuriaque positum erat, & nullum divinum officium cultu ibidem exhibebatur.

Hic Beatissimus Præsul fecit, atque constituit noviter domos cultas quatuor. Unam quidem, quæ vocatur Capreorum, posita in territorio Vigentano, milliario ab urbe Roma plus minus quintodecimo, ex qua primitus fundum ipsum Capracorum, cum aliis pluribus fundis ei cohærentibus ex hæreditaria parentum suorum successione tenere videbatur. Ejus proprii olim existentes, ubi & alios plures fundos, seu Casales, & massas data juxta (160) recompensationem ad vicem à diversis personis emere, & eidem domui cultæ addere visus est. Quam videlicet domumcultam Capracorum cum massis, fundis, casalibus, vineis, olivetis, aquæmolis (161), & omnibus ei pertinentibus statuit per Apostolicum privilegium sub magnis anathematis obligationibus, ut in usum fratrum nostrorum Christi pauperum perenniter permaneat, & triticum, & hordeum, quod annue in locis ejusdem domocultæ natum fuerit, diligenter in horreo Sanctæ nostræ Ecclesiæ deferatur, & sequestratim reponatur. Vinum vero, seu diversa legumina, quæ in prædiis, ac locis ipsius antefatæ domocultæ annue nata fuerunt simili modo curiose in paracellario prænominatæ Sanctæ nostræ Ecclesiæ deducantur, & separatim reponantur.

Sed & porcos, qui annue in casalibus sæpius dictæ domocultæ inglandati fuerint capita centum exinde occidantur, & in eodem paracellario reponantur. Decernens ejus ter beatitudo, atque promulgans sub validissimis obligationibus (162), interdictionibus, ut omni die centum (163) fratres nostri Christi pauperum, etiamsi plures fuerint, aggregentur in Lateranensi Patriarchio. Et constituantur in porticu, quæ est juxta scalam, quæ ascendit in Patriarchio, ubi & ipsi pauperes depicti (164) sunt, & quinquaginta panes pensf. per unumquemque panem (165) libras duas, simulque & decimatas vini duas, pensantes per unamquamque decimatam libras sexaginta, & caldaria plena de pulmento erogentur omni die per manus unius fidelissimi paracellarii eisdem pauperibus, accipiens unusquisque eorum portionem panis, atque portionem vini, (166) idest, cuppam capientem calices duos, necnon & (167) carnem de pulmento; ita videlicet statuens ejus almifica beatitudo promulgavit una cum Sacerdotali collegio, ut in nullis aliis utilitatibus ex frugum redditibus, vel diversis peculiis antefatæ domocultæ erogetur, aut expendatur, nisi tantummodo in propriis subsidiis, & quotidianis

(153) D. in pincis.
(154) D. de stauracin obtulit, simulque &c.
(155) B. laudinas.
(156) B., & C. quas post super &c.
(157) B., & C. num. quindecim, decernens ejus ter Beatitudo &c.
(158) D. Diaconias, & Monasteria quantacumque &c.
(159) D. *et* hujus *non leg.*
(160) D. juxta recompensiones &c.
(161) D. aquimollis.
(162) B., & C. obligationum interdictionibus &c.
(163) B., & C. centum pauperes, & si plus fuerint aggregentur &c.
(164) B. deputati sunt, ut quinquaginta &c.
(165) B., & C. *et* panem *non leg.*
(166) B., & C. vini. At verò jam per evoluta &c. *ut infra*.
(167) D. necnon & cazia de pulmento.

Digitized by Google

dianis alimentis prædictorum fratrum nostrorum Christi pauperum cuncta proficiant, atque perenniter erogentur. Alias vero tres domoscultas, videlicet, Galeria posita via Aurelia, milliario ab urbe Roma plus minus decimo ad Sanctam Rufinam, cum fundis, & casalibus, vineis, olivetis, aquimolis, vel omnibus ei pertinentibus. Reliquas vero duas, idest, aliam Galeriam positam via Portuensi milliario ab urbe Roma plus minus duodecimo, cum fundis, & casalibus, vineis, aquimolis, seu Monasterium Beati Laurentii, positum in insula portus Romani, cum vineis ei pertinentibus, simulque & lecticariam, quæ vocatur Asprula. Verum etiam & aliam domumcultam, quæ vocatur Calvisianum, cum fundis, & casalibus, vineis, oliveris, aquimolis, & omnibus ei pertinentibus, posita via Ardeatina, milliario ab urbe Roma plus minus quintodecimo. Quas videlicet tres domoscultas, scilicet Galeriam, Calvisianum, & aliam Galeriam, statuit ejus ter beatitudo per Apostolicum privilegium sub validis anathemaris obligationibus, ut in usu, & propria utilitate Sanctæ nostræ Ecclesiæ perenniter permaneant.

At vero cum omnibus spiritualibus studiis, quæ isdem ter Beatissimus, atque almificus Pontifex tam per augmentum, & utilitatem profectibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ perficiendis, quamque pro restaurationibus Ecclesiarum Dei, & divini cultus melioratione gerere videbatur, magnam etiam sollicitudinis curam, & amoris affectum in sanctam, ac venerandam Patriarchii domum certum est habuisse. Unde ex nimia fervoris dilectione pro honore Beati Petri Apostolorum Principis, & ornatu ipsius Sancti Patriarchii construxit, atque ædificavit ibidem noviter turrem miræ pulcritudinis decoratam cohærenti porticu, quæ descendit ad balneum. Ubi & deambulatorium, scilicet solarium suum cum cancellis æreis nimis pulcherrime construi fecit: sed & porticum ipsam, quæ vetustate diruta inerat nimis utiliter renovavit. Et picturis, atque marmoribus eandem turrem, & cuncta ædificia ab eo noviter constructa decoravit.

Itaque isdem ter beatissimus, & revera præcipuus Pater, atque bonus Pastor, egregiusque Præsul tanto amoris affectu fervens erga nutritorem suum Beatum Petrum Principem Apostolum, dum cunctum ornatum ejusdem Apostolicæ aulæ, tam in præclaris ex auro, & gemmis vestibus, seu diversis palliis, & aliis ornamentis ex auro, & argento in eadem Apostolica aula fecit, atque obtulit. Etiam & omnes ejus gradus majores, qui ascendunt in atrium, simulque & ex duabus porticibus, quæ ascendunt in eandem Ecclesiam ex utriusque lateribus renovavit, sed & cunctum pavimentum ipsius Ecclesiæ, ubi marmora confracta erant, adhibitis aliis pulcherrimis melioribus marmoribus renovavit. Porticus vero ex utriusque lateribus suprascriptæ Ecclesiæ, in quibus confractæ trabes inerant, & tectum ruinæ vicinum positum erat, positis novis trabibus ipsum tectum noviter faciens restauravit. Fecit etiam ter beatitudo ejus imagines (168) sex ex laminis argenteis investitas. Ex quibus tres posuit super rugas, qui sunt in introitu Ecclesiæ Presbyterii, ubi & regularem ex argento investito fecit, & posuit super eundem regularem præfatas tres imagines, in medio quidem unam existentem habentem depictum vultum Salvatoris, & ex utriusque lateribus imagines habentes depictas effigies. Unam Beati Michaelis, & aliam Beati Gabrielis Angelorum. In (169) superiori vero ruga, idest, in medio presbyterii, faciens aliam regularem ex argento investito, constituit super eum reliquas tres imagines in medio quidem habentem præfiguratum vultum Sanctæ Dei Genitricis, & ex duobus lateribus, unam habentem vultum depictum Sancti Andreæ Apostoli; & aliam Sancti Joannis Evangelistæ, utrasque vero sex imagines, ut dictum est, de laminis argenteis nimis pulcherrime factas deauravit, in quibus imaginibus posuit argenti libras centum.

At vero jam per evoluta viginti annorum spatia, forma, quæ vocatur Sabbatina, nimis confracta existens, per quam decurrebat aqua per centenarium in atrio Ecclesiæ Beati Petri Apostoli, simulque & in balneo juxta eandem Ecclesiam sito, ubi & fratres nostri Christi pauperes, qui ad accipiendam eleemosynam in Paschalem festivitatem annue occurrere, & lavari solebant, & ex qua diversæ molæ in genuculo (170) machinabantur aqua ex eadem forma, neque in atrium Beati Petri, neque infra civitatem decurrebant, dum ipsa forma, ut dictum est, (171) diruta extitit, ob centum arcus ipsius formæ magnæ altitudinis constructos, & à fundamentis demolitos, atque destructos, ut jam nulla spes videretur esse eosdem arcus, vel fractam formam reædificandi, atque restaurandi: ipse Beatissimus, ac Sanctissimus Præsul aggregans multitudinem populi per semetipsum ad fabricandum, atque restaurandum eandem formam præparavit, & tantam curam, ac sollicitudinem in ejusdem formæ fabrica exhibuit, quod etiam noviter (172) à fundamento eam renovavit, atque restauravit, (173) & confestim centenarium illud, quod ex eadem forma in atrio Ecclesiæ Beati Petri decurrebat, dum per nimiam neglectus incuriam plumbum ipsius centenarii furtim jam plurima ex parte exinde ablatum fuisset, reliquum plumbum conquassatum protinus isdem præcipuus Pastor addita multitudine plumbi ipsum centenarium noviter fecit, & Deo auspice aqua in atrio Beati Petri, simulque & in præfato balneo, verum etiam & intus civitatem, idest, in genuculo, ubi molæ machinabantur, sicut antiquitus abundanter decurrere fecit. Simulque isdem Beatissimus Pontifex fecit in Basilica Beati Pauli Apostoli ex laminis argenteis imagines tres, quæ ponuntur super rugas in introitu Presbyterii. Unam quidem habentem vultum depictum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & ex utrisque lateribus imagines depictas habentes effigies Angelorum, qui pens. libr. viginti quatuor. Fecit & in Basilica Apostolorum in via Lata vela de palliis syricis numero viginti, & linea viginti. In Ecclesia vero Beati Laurentii Martyris, atque levitæ foris muros hujus civitatis Romanæ fecit vela ex palliis syricis num. 20. & linea 20. Nam & in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis ad Martyres simili modo (174) vela de palliis

(168) D. Beatitudo imagines septem ex laminis &c.
(169) D. insecum verò rugas &c.
(170) B., & C. in gemiculo macinabant.
(171) B., & C. forma ut dictum est extitit: quoniam & centum arcus &c. D. diructa extitit, quoniam & centum &c.
(172) B., & C. » noviter *non leg.*
(173) B., & C. restauravit, & aquam in atrio Beati Petri, ut mos erat, deduxit. Formam similiter, quæ Jobia vocabatur &c. *ut infra*.
(174) D. simili modo fecit vela &c.

Digitized by Google

palliis ſyricis numero viginti, & linea viginti. Item iſdem Sanctiſſimus Pontifex fecit per diverſos titulos vela de ſtauracin, ſeu tyria per unumquemque titulum numero viginti, & linea viginti, quæ fiunt ſimul vela ſyrica numero quatuor centum & quadraginta.

Ipſe vero præcipuus Pontifex fecit imagines ex laminis argenteis deauratis habentes effigiem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ poſita eſt ſuper introitu Baſilicæ Beati Petri Apoſtoli, ubi portæ argenteæ exiſtunt, quæ penſ. libras quinquaginta. Nam & per diverſas Diaconias fecit ſimili modo vela ſtauracia, ſeu (175) tyria pro unaquaque Diaconia numero ſex, quæ fiunt ſimul vela numero nonaginta ſex. Item iſdem Sanctiſſimus Præſul, formam quæ Jobia (176) vocatur, quæ per evoluta viginti annorum ſpatia nimis confracta jacebat à fundamentis reſtaurare fecit. Simili modo fecit & in Baſilica Beati Pancratii Martyris, quæ eſt foris muros hujus civitatis Romanæ, vela de ſtauraci, ſeu tyria (177) numero triginta octo, & linea triginta octo; & in Baſilica Beati Stephani Protomartyris in Cœliomonte fecit vela de ſtauracin, ſeu tyria numero viginti, & linea viginti. Sed & in Baſilica Beati Apollinaris ſimili modo vela de octaplo numero decem, & linea decem. (178) Item in Baſilica Beati Valentini Martyris, quæ ſita eſt foris muros hujus civitatis Romanæ ſimiliter fecit vela de ſtauracin, ſeu octapli numero viginti duo, & linea viginti duo.

Dum vero forma, quæ Claudia vocatur per annorum ſpatia demolita eſſe videbatur, unde & in balneis Lateranenſibus de ipſa aqua lavari ſolebat, & in Baptiſterio Eccleſiæ Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & in plures Eccleſias in die Sancto Paſchæ decurrere ſolebat. Et dum modica aqua de prænominata forma intus civitatem decurrebat, proſpiciens præcipuus, & coangelicus Præſul aggregans multitudinem populi ex partibus Campaniæ per ſemetipſum ad fabricandum, atque reſtaurandum eandem formam totis viribus properavit, ut tantam curam, ac ſollicitudinem in ejuſdem formæ fabrica exhibuit. Qui etiam noviter eam renovavit, atque reſtauravit, & confeſtim ex eadem forma aquæ in præfata balnea etiam, & intus civitatem, ſicut antiquitus abundanter decurrere fecit. Hujus temporibns defunctus Leoninus Conſul & Dux, poſtmodum vero Monachus ob veniam ſuorum delictorum tres uncias maſſæ Aratianæ, qua ex hæreditate parentum ſuorum fruebatur, ſitas ab hac Romana urbe milliario ſexto decimo via Ardeatina, in quo & Eccleſiam Beati Ediſti eſſe dinoſcitur, quam ipſe Beatiſſimus Papa magnæ conſtructionis fabricis decoravit, ampliavitque in eaſdem tres uncias ſupraſcriptæ maſſæ Aratianæ alias ſex uncias à Petro Comite, atque Agnete relicta Agathonis Scriniarii, (179) Theodatæ relictæ quondam Dominici Perfecturii. Fines etiam ex omni parte conquiſivit. Data enim digna compenſatione nemini vim inferens, ſed magis, ut condecet patri cuncta ſecus eundem locum amica pactione emit prædia. Et domum cultam Beato Petro eundem locum jure perpetuo ſtatuit permanendum. Quem & domum cultam Sancti (180) Ediſtii vocant uſque in hodiernum diem.

Pariter etiam & maſſa, quæ vocatur (181) Acatiana, quæ juxta eandem domum cultam eſſe videtur ab eodem Leonino Beato Petro conceſſa eſt. Item ipſe ter Beatiſſimus Præſul in Baſilica majori, quæ appellatur Sanctæ Dei Genitricis, qui aderat juxta Baſilicam Beati Laurentii Martyris, atque lævitæ, ubi ejus Sanctum Corpus requieſcit foris muros hujus civitatis Romæ obtulit vela de ſtauracin, ſeu quadrapolis numero quindecim, & linea quindecim.

Tectum vero tituli Beati Clementis, quod etiam caſurum erat, & in ruinis poſitum regionis tertiæ noviter reſtauravit, necnon & Baſilicam Beati Silveſtri Confeſſoris, atque Pontificis ſitam in Orphea, quæ jam in ruinis poſita erat, & tectum ejus dirutum exiſtebat, facto eodem tecto, noviter ipſam Eccleſiam renovavit. Simili modo & in famoſiſſima, totoque Orbe terrarum præclara veneranda Baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis, dum per olitana tempora vetuſtiſſimas trabes, quæ ibidem exiſtebant cerneret iſdem præcipuus Pontifex, mittens Januarium (182) veſtariarum ſuum, cognoſcens eum idoneam perſonam, cum multitudine populi mutavit ibidem trabes numero quatuordecim, atque totum ejuſdem Baſilicæ tectum, & porticus noviter reſtauravit.

Hic idem almificus Præſul divina inſpiratione repletus, atque miſericordia motus formæ, quæ Virginis appellatur, dum per annorum ſpatia demolita, atque à ruinis plena exiſtebat, vix modica aqua in urbem Romam ingrediente, proſpiciens, ſicut benigniſſimus, & pius Paſtor, noviter eam reſtauravit, & tantam abundantiæ aquam effudit, ut pene totam civitatem ſatiavit. Tectum denique Baſilicæ Beati Januarii Martyris ſitæ ad portam B. Laurentii Martyris, atque lævitæ noviter reſtauravit. Item in cœmeterio Beatorum Martyrum Abdon, & Sennen, foris portam Portuenſem veſtem de ſtauracin fecit, atque obtulit.

Hic enim coangelicus vir divina inſpiratione ignitus conſtituit Diaconias tres foris portam Beatorum Apoſtolorum Principis, id eſt, unam quidem Sanctæ & Glorioſæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ Dominæ noſtræ, quæ ſita eſt in Atriano. Aliam vero ſupraſcriptæ & intemeratæ Dominæ noſtræ, quæ ſita eſt foris portam Beati Petri Apoſtoli in caput porticus; necnon & aliam Diaconiam, quæ appellatur Sancti Silveſtri, juxta hoſpitale Sancti Gregorii. Quas ſupraſcriptas Diaconias hic almificus vir in abditis ſine miſericordiæ fructu reperiens noviter reſtauravit. Ubi & dona plurima mobilia, atque immobilia pro remedio animæ ſuæ obtulit, & conſtituit, ut per unamquamque hebdomadam quintæ feriæ die cum pſallentio à Diaconia uſque ad balneum pergerent, & ibidem diſpenſatione per ordinem pauperibus conſolari, atque eleemoſynam fieri. Immo hic ipſe

(175) D. ſeu tyrea *ſemper* &c.

(176) B., & C. Jobia vocabatur à fundamentis refecit, atque formam, quæ Claudia vocatur, unde aqua in balneum, atque baptiſterium Eccleſiæ Salvatoris decurrere ſolebat, à fundamentis refecit. Similiter & formam, quæ Virginis nuncupatur, renovavit. Ibidem egregius præſul præfatus Baſilicas ſcilicet B. Adriani Martyris, ſeu SS. Coſmæ, & Damiani, quas

noviter reſtauravit: Diaconias conſtituit duas, in quibus &c. *ut infra*.

(177) D. ſeu tyrea num. XXVIII.

(178) D. *Verba*, & linea X. *non habet*.

(179) D. Scriniarii. Fines etiam &c.

(180) D. S. Eriſti vocatur &c.

(181) D. Acutiana.

(182) D. veſtararium.

Digitized by Google

ipse sæpius nominatus Sanctissimus Præsul, in Basilicæ vasis electionis Beati Pauli Apostoli, cernens existentes trabes per prisca tempora vetustas ad modicumque ruituras fecit sicut superius in Basilica Beati Petri Principis Apostolorum, cuncta (183) disponens per Januarium fidelissimum Vestiarium suum cum multitudine populi. Sed & ipse ter Beatissimus Pastor per semetipsum frequentans totam noviter restauravit, & mutavit trabes majores numero triginta quinque, & per circuitum ejusdem Ecclesiæ noviter restauravit.

Hic autem ter Beatissimus, & Apostolicus vir dum diligentissima exquisitione sua reperisset Monasterium Honorii Papæ in nimiam desolationem per quandam negligentiam venire, divina inspiratione motus noviter ædificavit, atque ditavit, & Abbatem cum cæteris Monachis regulariter ibidem vitam degentes ordinavit, & constituit eos, ut in Basilica Salvatoris, quæ & Constantiniana dicta est, juxta Lateranense Patriarchium posita, officia celebrarent, hoc est matutinam horam, primam, tertiam, (184) sed & nonam etiam & vespertinam, ab uno choro quidem, qui dudum singulariter in utroque psallebant Monachi ex Monasterio Sancti Pancratii ibidem posito, & ab altero choro Monachi jam fati Monasterii Sancti Andreæ, & Bartholomæi, (185) Honorii Papæ, quatenus piis laudibus pariter psallentes hymniferis choris læti resonent cantus, reddentes Domino gloriosos melos. Persæpius (186) memorantes venerandi Pontificis nomen, scilicet in sæcula memoriale ejus pangentes carminibus.

Hic isdem Sanctissimus Præsul in domoculta, quam Capracorum vocant, quam ex jure proprio suo obtulit pro alimoniis pauperum Beato Petro Apostolorum Principi nutritori suo, à solo fundavit, atque ædificavit Ecclesiam, simulque speciose ornavit, & in nomine ejusdem (187) Deo factori suo dedicavit, recondens in ea reliquias ex vestimentis (188) Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & ejusdem Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, atque duodecim Apostolorum, & aliorum venerabilium Martyrum, in quam Sacratissimam Ecclesiam cum cuncto (189) suo, Senatusque Romano pergens cum nimia gloria, seu exultatione pariter ovantes, & in pauperes Christi ibidem magnam consuetam eleemosynam faciens translatavit, atque introduxit in eam Corpora Sanctorum Martyrum, simulque Pontificum, videlicet Corpus Sancti Cornelii Martyris & Pontificis, successorisque ejus Sancti Lucii Martyris atque Pontificis, & Corpus Sancti Felicis simili modo Martyris seu Pontificis, pariterque Corpus Sancti Innocentii Confessoris atque Pontificis. Quos ut patronos in Domino almus sacer Pontifex ob amorem Sanctæ Sedis Apostolicæ, in qua & præsederunt, sicut decuit, honoravit. Necnon & tectum tituli Beatæ Susannæ Martyris, inter duas domos situm juxta Sanctum Quiriacum, quod jam casurum erat, & in ruinis positum, noviter restauravit. Simili modo & titulum Beati Cyriaci Martyris, Ecclesiam Sancti Laurentii, ad Formosam, (190) pariter à novo restauravit.

Immo & Basilica Salvatoris, quæ & Constantiniana vocatur, juxta Lateranense Patriarchium in ruinis positam, una cum quadriporticis suis, atriisque, & fontes noviter, sicut Ecclesias Beatorum Principum Petri, & Pauli, renovavit, in qua & mutavit trabes majores numero quindecim. Item hic idem almificus Præsul Monasterium Sancti Laurentii, quod in Palatinis in desertis reperit, noviter restaurans, atque in omnibus ditans, conjunxit cum alio Monasterio juxta ipsum posito, scilicet Sancti Stephani, quod cognominatur Baganda, & ordinavit Monachos, & constituit, ut in titulo Beati Marci Pontificis, atque Confessoris officio fungeretur, idest, matutina hora, prima, tertia, & sexta, atque nona, seu vespertina, psallerent pro requie animæ suæ: sed & in prædicta Basilica Beati Marci fecit alios arcus argenteos numero sex, pens. simul libr. quinquaginta quinque, pariterque & calices ministeriales à Catholica procedentes ex auro purissimo reparavit, pensantes libras novem & semis.

Hic quippe præsagus vir considerans plurimi populi salutem (191) super ripam fluminis porticum, quæ ducit ad Beatum Petrum Apostolum, arctam, & angustam existentem, per quam viam transeuntes ad eundem Beatum Apostolorum Principem Petrum perveniebant plusquam duodecim millia tufos in littore alvei fluminis in fundamentis ponens à solo usque ad summum tectum miræ magnitudinis porticum reparavit: & usque ad gradus Beati Petri restauravit. Diaconiam vero Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Scholæ Grecæ, quæ appellatur Cosmedin, dudum brevem in ædificiis existentem sub ruinis positam restauravit: nam maximum monumentum de Tiburtino tufo super eam dependens per anni circulum plurimam multitudinem populi congregans, multorumque lignorum struem incendens demolitus est, simulque collectionem ruderum mundans à fundamentis ædificans, prædictamque Basilicam ultró citroque spatiose largans, tresque absidas in ea constituens, præcipuus Antistes veram Cosmidin amplissimam à novo reparavit. Pariterque & titulum Beati Laurentii martyris, quam Lucinæ dicunt, seu Ecclesiam Beati Martini, sitam juxta titulum Sancti Silvestri. Simulque & Basilicam Beati Agapiti Martyris foris muros juxta Sanctum Laurentium positam reparavit: quæ præfatæ Ecclesiæ à priscis temporibus marcescentes in ruinis mole defecerant: quas præcipuus Antistes fervens in amore Spiritus Sancti in omnibus, una cum porticibus earum à novo nimio decore renovavit. Verum etiam tituli Sancti Sixti, sed & Basilicæ Sancti Hadriani à novo simili modo renovavit ædes. Et Basilicam Beati Pancratii Martyris nimia vetustate dirutam, atque ruinis præventam isdem almificus in integrum à novo nimio decore una cum Monasterio Sancti Victoris ibidem situm restauravit. Item præcipuus Præsul Basilicam Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe, quæ à priscis temporibus tota marcuerat, ultro, citroque restauravit, & (192) in farta tecta ejusdem Ecclesiæ posuit trabes majores viginti.

Simili

(183) D. + cuncta *non leg.*
(184) D. tertia, sexta, seu nona &c.
(185) D. Bartholomæi, quam Honorii &c.
(186) D. memoratus.
(187) D. nomine eidem Dei Apostolo factori &c.
(188) D. *Verba ex vestimentis non habet.*

(189) D. cuncto Clero suo.
(190) D. Laurentii, quam ad Formosum pariter eas à noviter restauravit.
(191) D. salutem, eo quòd super ripam fluminis infra porticum &c.
(192) D. inserta.

Digitized by Google

Simili modo & Basilicam Sancti Eusebii undique (193) renovavit. Cameram vero Beati Petri Apostolorum Principis in omnibus destructam, atque dirutam exemplo olitano exculpens diversis coloribus à novo fecit. Porticum vero, quæ ducit ad Beatum Paulum Apostolum à (194) porto una cum Ecclesia Sancti Eupli (195) usque ad prædictam Basilicam Sancti Pauli à novo restauravit. Immo & porticum, quæ ducit ad Sanctum Laurentium foris murum à porta usque in eandem Basilicam à novo construxit. Hic idem almificus Pater eandem Basilicam Sancti Laurentii Martyris, ubi Sanctum Corpus ejus requiescit, annexam Basilicæ majori, quæ dudum isdem Præsul construxerat, ultro, citroque à novo restauravit. Immo & Ecclesiam Sancti Stephani juxta eas sitam, ubi Corpus Sancti Leonis Episcopi & Martyris quiescit, similiter & undique renovavit, una cum cœmeterio Beatæ Cyriacæ, seu ascensum ejus. Verum etiam & Basilicam Hierusalem, quæ in (196) Sessoriano sita est, & olitanas ejus, quę marcuerant trabes, mirifice ipsas mutans in omni restauravit parte. Pariter & templum Apostolorum, quod appellatur Eudoxiæ ad vincula, totam ejus à novo restauravit Ecclesiam. Immo & Basilicam Sanctæ Rufinæ, & Secundæ, quæ ponitur in Episcopio Silvæ Candidæ, quæ olitana vetustate marcuerat una cum Baptisterio summo studio renovavit, videlicet & Basilicam Beati Petri Apostoli sitam via Appia in silice ultra Sanctum Thomam Apostolum non procul à tricesimo, desolatione, ruinisque præventam, à novo una cum Baptisterio restaurans mole magnitudinis decoravit.

Pariter & Basilicam Sanctorum Cosmæ, & Damiani sitam in tribus fatis, quia nimia vetustate similiter trabes ejus marcescentes defecerant, à novo totam restauravit. Et Ecclesiam Beati Joannis Baptistæ sitam juxta portam Latinam ruinis præventam in omnibus à novo renovavit. Verum etiam & Ecclesiam Apostolorum foris portam Appiam milliario tertio, in loco, qui appellatur Catacumbas, ubi Corpus Beati Sebastiani Martyris cum aliis quiescit, in ruinis præventam à novo restauravit. Immo & titulum Pudentis, idest, Ecclesiam Sanctæ Potentianæ in ruinis positam noviter reparavit, sed & Basilicam Sancti Theodori sitam intra velum juxta domum cultam Sulpitianam; necnon & Basilicam Sancti Petri positam in Massa Merulana per olitana dirutas tempora à solo renovavit.

Hujus denique temporibus defunctus Mastalus Primicerius reliquit pro anima sua in potestate prædicti Pontificis pauperibus Christi de sua propria hæreditate erogari: quare uno consensu hæredes prædicti Mastalis dederunt, atque venundarunt eidem magno Præsuli cum fundis, atque casalibus Ecclesiæ Sancti Leucii portionem eis competentem posita via Flaminia milliario ab urbe Roma plus minus quinque, & in auro solidos mancusos numero ducentos. Quorum & provinciam jam fati Mastali hæredes Christo dederunt. Portio vero Gregorii Secundicerii, quam in suprascriptis casalibus Sancti Leucii habere dinoscebatur, pro Secundicerii honore eidem almo Præsuli ab eodem Gregorio concessa est, & dum ipsa Sancti Leucii Ecclesia in ruinis eximiis, atque vepribus circumvallata reperisset à novo eam restaurans miræ magnitudinis domocultam ibidem Beato Petro nutritori suo ædificavit, & in perpetuum concessit, & ea in fines ampliavit tam ex hæreditate Paschalis, quamque ex commutatione hæredibus quondam Luciæ, seu Joannis Primicerii, vel diversorum locorum facta. Hic fecit in Basilica Beatæ Petronillæ ad Beatum Petrum Apostolum arcus argenteos sex, pens. libras quinquaginta. Titulum vero Sanctæ Praxedis ex parte ruentem in integrum renovavit. Immo & Basilicam Sanctæ Eugeniæ tam intus, quamque foris à novo restauravit.

Simili modo & Basilicam Sancti Gordiani, atque Epimachi, seu cœmeterium ejusdem Ecclesiæ Simplicii atque (197) Semiliani, atque Quarti, & Quinti Martyrum, & Beatæ Sophiæ una cum cœmeterio Sancti Tertulliani foris portam Latinam à novo renovavit, necnon & Ecclesiam Beati Tiburtii, & Valeriani, atque Maximi, seu Basilicam Sancti Zenonis una cum cœmeterio Sanctorum Urbani Pontificis, Felicissimi, & Agapiti, atque Januarii, & Cyrini Martyrum foris portam Appiam uno cohærentes loco, quæ ex priscis marcuerant temporibus, à novo restauravit. Itemque titulum Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ vocatur Calixti trans Tiberim à novo in integrum ex omni restauravit parte: simili modo & titulum Sancti Marcelli via Lata situm à novo restauravit. Et Basilicam cœmeterii Sanctorum Martyrum Hermetis, Prothi, & Hiacinthi, atque Basilicam miræ magnitudinis innovavit. Cœmeterium vero Sanctæ Felicitatis via Salaria, una cum Ecclesiis Sancti Silvani (198) Martyris, & Sancti Bonifacii Confessoris, atque Pontificis, uno cohærentes solo miræ restauravit magnitudinis. Sed & Basilicam Sancti Saturnini in prædicta via Salaria positam, una cum cœmeterio Sanctorum Chrysanti, & Dariæ renovavit, atque cœmeterium Sanctæ Hilariæ innovavit, immo & cœmeterium Jordanorum, videlicet Sanctorum Alexandri, & Vitalis, & Martialis Martyrum, seu Sanctarum Septem Virginum à novo restauravit. Pariter in eadem via Salaria cœmeterium Sancti Silvestri Confessoris atque Pontificis, aliorumque Sanctorum multorum in ruinis positum renovavit, necnon & Ecclesiam Sancti Felicis positam foris portam Portuensem, à novo restauravit. Simulque & Basilicam Sanctorum Abdon, & Sennen, atque Beatæ Candidæ, una cum cæteris Sanctorum cœmeteriis in idipsum pariter renovavit. Idem egregius Præsul prælatus Basilicam scilicet Beati Hadriani Martyris, & Sanctorum Cosmæ, & Damiani, à novo restauravit, Diaconias constituit, in quibus & multa bona fecit per suam sempiternam memoriam, concedens eis agros, vineas, oliveta, servos, (199) ancillas, & peculia diversa, atque res mobiles, ut de reditu (200) eorum crebris exactionibus Diaconiæ proficientes (*) pauperes Christi reficerentur.

In præfata vero Diaconia Sancti Hadriani obtulit in argento canistra duodecim, umam (*) unam, scyphum unum, patenam unam, calicem

(193) D. undique *non leg.*
(194) D. à porta una.
(195) D. Eupoli.
(196) D. quæ in Suxorio &c.
(197) D. Serviliani.
(198) D. Silani.
(199) D. annulas, & peculia.
(200) B., & C. de redditu earum crebro eleemosynæ fiant, & pauperes Christiani refocillentur.
(*) D. crebris manibus Diaconiæ perficientes &c.
(*) B., & C. cumanam unam &c.

Digitized by Google

cem unum, amulam offertoriam unam, pens. libr. sexaginta & septem (201). Item per nimis solertem curam, atque industriam aquæductus Sabbatinæ à novo formatæ à fundamento ædificans fautori suo B. Petro Apostolo fluentem aquam perduxit, tam in fontem Basilicæ, qui per vehicula implebatur, quam in atrium ejusdem Basilicæ & simul balneum in utilitatem peregrinorum ibidem servientium procurans. Immo & Basilicam Sancti Secundini, positam in urbe Prænestina, ubi corpus ejus quiescit in ruinis positam à novo restauravit.

Pariter etiam & in Basilica Beati Primi Martyris Stephani, sita in Cæliomonte, quæ per olitana tempora marcuerant maximas in ea (*) trabes vasta mole, quin etiam porticus mirifice intrinsecus, & extrinsecus à novo renovavit. Porro & in Basilica Beatæ Eugeniæ, quam jam dudum ejus renovaverat almitas, solertem in ea gerens curam Monasterium puellarum noviter ibidem à fundamentis ædificans, constituit, ut jugiter illic Deo canerent laudes, videlicet hora prima, tertia, sexta, nona, vespera, matutina. In qua & plura obtulit dona, idest, agros, vineas, domos, servos, & ancillas, diversisque peculiis, & cæteris mobilibus rebus dotavit. Sed & in titulo Pammachii Sanctorum Joannis, & Pauli, quæ per elapsos marcuerant annos, omnia sarta tecta ejusdem tituli renovavit.

Hic vero egregius Sacerdos ob nimium amorem confessionem Beati Petri totam intus ex auro purissimo in laminis, diversisque historiis compte ornavit, pondera trecentarum librarum ponens, & in postem superius ejusdem sacræ confessionis auri mundissimi libras tresdecim, pari modo & in ipsius Apostoli confessionis liminari inferiori libras viginti quinque. Aspectum vero altaris super eandem confessionem, atque dextra, lævaque parte juxta gradus (202) jam dictæ confessionis, addens in ea argenti libras centum (203) triginta sex curiose renovavit, ejusque historias ex auro purissimo libras decem & octo nitidissime (204) decoravit. Simulque & cantharas in eadem Dei Ecclesia Apostoli numero decem renovavit, addens in eis argenti libras centum. Ante januas vero argenteas fecit canistros argenteos duodecim, pensan. libras triginta sex. Simili modo & in turre canistros argenteos duodecim, pens. inibi libr. quadraginta quinque, in eadem quippe Beati Petri Ecclesia per diversas coronas fecit delphinos ex argento libras centum.

Et in Ecclesia Beati Pauli Apostoli instar eorum, quos posuerat in Ecclesia Sancti Petri delphinos posuit argenteos libras centum octuaginta: pariter & in Ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana fecit delphinos argenteos libras triginta. Fecit & in Ecclesia Beati Petri per diversa oratoria canistra argentea numero duodecim, pensan. simul libras quadraginta. Et rugas in presbyterio à parte virorum, & mulierum ex argento purissimo, pens. lib centum triginta. (*) necnon & alias rugas in caput presbyterii ante confessionem ex argento, pensan. simul centum & quatuor. Et in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ trans Tiberim fecit canistra argentea quinque, pens. simul libras quindecim. Enimvero in Basilica S. Dei Genitricis, quæ est ad Præsepe in altari ipsius præsepii fecit laminas ex auro purissimo historiis depictis, pens. simul lib. centum quinque, ex argento intus suprascriptæ confessionis tabulas duas, pens. simul lib. quindecim.

Ecclesiam vero Beatæ Agnetis martyris, seu Basilicam Beatæ Emerentianæ, pariter etiam & Ecclesiam Beati Nicomedis sitam foris portam Numentanam, simul & cœmeterium Beati Hippolyti martyris juxta Sanctum Laurentium, quæ à priscis marcuerant temporibus, à novo renovavit. Pari modo & Ecclesiam Beati Christi martyris Stephani, sitam juxta prædictum cœmeterium Sancti Hippolyti similiter restauravit. Fecit vero & in confessione Beati Pauli Apostoli ex auro purissimo imaginem in modum evangeliorum intus super ejusdem sacratissimum corpus, pensan. libras viginti.

Idem vero omnium bonorum præcipuus Præsul à novo dedicavit, atque constituit Monasterium Sanctorum Hadriani, atque Laurentii, quod in ruinis marcescebat à priscis temporibus, & tanquam crypta à sæcularibus inhabitabatur. Ipse vero egregius Antistes à novo id restauravit in prædictorum Sanctorum, videlicet Hadriani, & Laurentii nomine, (205) in quo & multa donavit tam in auro, quamque & in argento, seu in agris, atque in familiis, diversisque peculiis, simulque & ex mobilibus. (206) Et constituit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, semperque virginis Mariæ ad Præsepe, & in cæteris Monasteriis ibidem constitutis, Deo die, noctuque canentes solitas dicere laudes. Fecit ibidem præsagus Antistes in confessione Beati Laurentii martyris foris murum imaginem ex auro purissimo in modum evangeliorum ejusdem Beati Laurentii effigies continentem, quæ pensan. libras 15.

In Ecclesia vero Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, fecit ante vestibulum Altaris aureas tres gabatas, pensan. libras decem. Sed & in Basilica Beatæ Dei Genitricis ad Præsepe fecit delphinos argenteos per diversas coronas, pens. libras viginti quatuor. Præstantissimus idem eximius Antistes fecit in Ecclesia Beati Petri Apostoli ad Corpus Imaginem, quæ dudum ex argento inerat Salvatoris, Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli, atque Andreæ de auro purissimo miræ magnitudinis, pensan. libras ducentas.

Hic elegantissimus Præsul, atque fortissimus rectæ fidei prædicator, direxit missos suos, videlicet Presbyterum Petrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Petrum Religiosum Abbatem venerabilem Monasterii Sancti Sabæ, quæ appellatur Cella nova, ad Imperatorem Constantinum, & Matrem ejus Hirenam, (207) adhortans eos, atque fideliter prædicans per suas Apostolicas litteras pro Sacris Imaginibus erectionem, qualiter per testimonia Scripturarum, seu traditionem probabilium Patrum à priscis temporibus usque hactenus orthodoxe venerantur in Sancta Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, quod præfati Imperatores eandem venerantes, atque amplectentes Apostolicam epistolam, Concilium in Nicæa congregari fecerunt,

(201) B., & C. LXXVII. Item formam Sabbatinam novo refecit. Item Diaconiam SS. Sergii, & Bacchi, *ut infra*.
(*) D. in ea deferens trabes &c.
(202) D. juxta gradus quoque hæret jam dictæ &c.
(203) D. CXLVI.
(204) D. deauravit &c.
(*) D. pens. singulas lib. &c.
(205) D. Laurentii nomine ædificavit.
(206) B. monilibus &c.
(207) B. matrem ejus Herenem &c.

Digitized by Google

runt, trecentorum quinquaginta Episcoporum, qui secundum doctrinam prædicationis Apostolicæ epistolæ nimirum crediderunt. Hi promulgantes censuerunt, & per Synodum universalem definierunt unanimi assertione (*) pro honorandis Imaginibus erectionem. Quam Synodum jam dicti missi in græco sermone secum detulere una cum Imperialibus sacris manibus propriis subscriptam, eamque prædictus egregius Antistes in latinam linguam translatari jussit, & in Sacra Bibliotheca pariter recondi, dignam ibi (208) orthodoxæ fidei memoriam æternam faciens. Hic idem eximius Papa Altare Beati Pauli Apostoli una cum ejusdem confessoris foribus auro mundo sacris decorans (209) historiis mirifice ornavit, pens. libr. centum triginta, sed & sarta tecta tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, quæ in ruinis existebant, trabes ibidem plures imponens, omnia à novo restauravit. Item fecit patenam, & calicem in Basilica Beati Petri Apostoli pro (210) quotidianis ministeriis ex auro purissimo, pens. simul libr. viginti quatuor. Item Beatissimus vir fecit in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe patenam, & calicem sanctum ex auro obrizo, pens. libras viginti. Item in titulo Eudoxiæ, videlicet Beati Petri Apostoli ad vincula, fecit canistra duodecim, pens. libras triginta sex, & delphinos per diversas coronas triginta quinque, pens. libras octo; pariterque & Ecclesiam Beatæ Sabinæ, sitam in territorio Ferentinello à novo reparavit. Hic ipse almificus Præsul fecit in Basilica Beati Pauli Apostoli patenam ex auro obrizo, (211) cum calice sancto, pens. simul lib. viginti.

Similiter & in Ecclesia Beati Laurentii Martyris foris murum fecit ex auro purissimo patenam, cum calice sancto, pensan. simul libras quindecim. Item Diaconiam Sanctorum Sergii, & Bacchi ejusdem Diaconiæ dispensator, propter metum templi, quod situm super eas videbatur, evertens super eandem Ecclesiarum à fundamentis ipsam Basilicam exterminavit, quam restaurare minime valens misericordia motus (212) ab eorum Martyrum amore præsagus Antistes à fundamentis in ampliorem restauravit, decore nimium statum. Basilica vero Monasterii Beati Anastasii Christi Martyris, una cum baptisterio, & egumenarchio, cæterisque ædificiis per incuriam Monachorum nocturno silentio exustam à fundamentis usque ad summum tectum (213) cum audivit misericordissimus Præsul, valde diluculo velociter currens reperit eam adhuc ardentem, & solummodo arcam ejusdem Martyris erutam in media curte jacentem. Cætera vero Sanctuaria, seu Ministeria tam in Ecclesia, quam in vestiario ab ipso igne conflagrata sunt, qui nimio mœrore cum suis ministerialibus certatim extinguens ignem confestim viribus totis à flammiferis ruinis erutam à novo in meliorem statum prædictam Ecclesiam cum vestiario, & egumenarchio, cæteraque ædificia renovavit. (*) Et amplius in ea sanctuaria, atque ministeria, & ornamenta majora, quam quæ ibidem combusta sunt, contulit.

Ipse vero Deo, ut dicitur, protectus Præsul conspiciens muros hujus civitatis Romanæ per olitana tempora in ruinis positos, & per loca plures turres usque ad terram eversas per suum solertissimum studium totas civitates tam Tusciæ, quamque Campaniæ congregans, una cum populo Romano, ejusque Suburbanis, necnon & toto Ecclesiastico patrimonio omnibus prædicans; & dividens ex sumptibus, dapibusque Apostolicis totam urbem in circuitu restaurans universa renovavit, atque decoravit: præsertim & in Altari majori Ecclesiæ Beati Petri Apostoli fecit ex auro purissimo diversas historias, pens. libras quingentas nonaginta septem, & intus in confessione imaginem in modum Euangeliorum ex auro obrizo, pensan. libras viginti, simul & cancellos ante eandem confessionem ex auro purissimo, pensan. libras quinquaginta sex: qui fecit simul in Altari intus in sacra ultro, citroque confessione imaginem in modum & Euangeliorum, necnon & in postibus inferioribus, & superioribus, atque cancellis, simul etiam & circa corpus ex auro obrizo libras mille trecentas viginti octo.

In vigesimo enim præfati eximii Pontificis anno mense Decembris 15. indictione fluvius Tiberis à suo egressus alveo intumescens sese per campestria dedit, quæ etiam præ nimia inundatione portam quæ dicitur Flaminia ingressus, ipsam à fundamentis evellens portam usque ad arcum, qui vocatur tres (214) faccicelas eam deduxit, interea & muros in aliquibus transcendit locis, atque ultra Basilicam Sancti Marci (215) evertens porticum, quæ vocatur Palatina, & per plateas se extendens usque ad Pontem Antonini, ipsumque evertens murum, egressus in suo se iterum univit alveo, ita ut in via Lata amplius quam duas staturas ejusdem fluminis aqua excrevisset, atque (216) ad portam Beati Petri usque ad pontem Milvium aquæ (217) descenderant juxta remissam vim ipsius fluminis reddidit. Domos itaque evertit, agros desertavit, evellens, & eradicans arbusta, & segetes. Nam nec ferere pars maxima Romanorum valuit ipso tempore, & (218) per hoc imminebat tribulatio magna: quo audito ipse præcipuus Præsul (219) hoc, quoniam per triduum ipsum flumen quasi per alveum per civitatem currebat, se nimis in lamentationibus dedit, & humi in orationem prostratus persistens, misertus Dominus ejus orationibus post triduum cessavit. Sed per plures dies aqua Romam detinuit invasam; qui ipse præcipuus Antistes divina permotus inspiratione per (220) naviculas morantibus via lata cibos (221) advexit, ut non fame necarentur, eo quod minime suis domiciliis exire nequibant præ nimia altitudine aquarum. Postmodum vero arefacta aqua omnes ex ipsa regione via Lata in domo (222) consolatus est. Idem vero Sacra-

(*) D. miræ adsertionis.
(208) D. dignam sibi &c.
(209) D. designans &c.
(210) D. Apostoli in diebus quotidianis &c.
(211) D. ex auro purissimo.
(212) B., & C. ob eorum Martyrum amorem. In vigesimo enim prælati eximii Pontificis anno, mense &c. *ut infra*.
(213) D. ad summum tectum consumpta sunt, quo audito &c.
(*) D. renovavit, atque restauravit.
(214) B., & C. Saccidas. D. Facciulas.
(215) B., & C. atque ultra Basilicam S. Marci rigitans per porticum Palatinis per plateas &c. D. Pallacinis.
(216) B., & C. atque à porta.
(217) B., & C. aquæ se distenderent.
(218) B., & C. pro hoc &c.
(219) B., & C. præsul, eo quòd per triduum. D. hoc, quod per triduum &c.
(220) B., & C. Sandala. D. Sandola.
(221) B., & C. mittebat. D. allevat.
(222) B., & C. in donis &c.

Digitized by Google

cratiſſimus Præſul portas æreas majores miræ magnitudinis decoratas ſtudioſe à civitate Peruſina deducens in Baſilicam Beati Petri Apoſtoli ad turrem compte erexit. (223) Sed & in titulo Beati Marci nutritori ſuo fecit patenam, & calicem ſanctum de auro puriſſimo, penſan. (224) libras undecim. Immo & calices argenteos quatuor, penſan. libras duodecim.

Præterea in Baſilica Beatorum Coſmæ, & Damiani ſimiliter patenam, & calicem ex auro (225) obrizo, penſan. libras pariter undecim obtulit. Verum etiam & in Diaconia Sancti Hadriani (226) patenam, & calicem ex auro mundo contulit, penſan. ſimul libras undecim. Fecit autem & in Diaconia Sancti Hadriani martyris arcus de argento duos, penſan. libras viginti. Et in Baſilica Sanctæ Martinæ arcus de argento tres, penſan. libras triginta. (227) Immo & in Eccleſia ſemper Virginis Mariæ, quod ad Martyres vocatur, renovavit cyburium de argento, quod ex vetuſtate conſumptum erat, & addidit in eo argenti libras ſexaginta, & in priſtinum eum erexit noviter locum. Sed & arcum in eadem venerabili Eccleſia fecit de argento penſan. libras duodecim. Hic Beatiſſimus Pontifex omnia utiliter, noviterque fecit (228) tam in eleemoſynis pauperum, quamque in ornamentis Sanctarum Eccleſiarum (229) proficiens. Verum etiam curſum conſumans, atque fidem orthodoxam ſolertiſſime ſervans Dei vocatione vitam finiens ad æternam migravit requiem. Qui fecit ordinationes duas per menſem Martium, Presbyteros viginti quatuor, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per diverſa loca numero centum octuaginta quinque (230); & ſepultus eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli 7. cal. Januarii, indict. 4. (231) Fuit autem temporibus Caroli Magni Regis.

XCVIII. LEO III.

ANNO CHRISTI 795.

CONSTANTINI SOLIUS 6.

LEo tertius (1) natione Romanus ex patre Azuppio ſedit annos viginti, menſes quinque, dies decem (2) & ſeptem. Qui à parva ætate in (3) veſtiario Patriarchii enutritus, & educatus, omnemque eccleſiaſticam diſciplinam ſpiritualiter (4) eruditus, tam in pſalterio, quamque in ſacris divinis Scripturis pollens Subdiaconus factus in Presbyterii honorem provectus eſt. Erat enim vir caſtus, loquela facundus, & animo conſtans. Ubi vero inveniebat (5) aliquem præcipuum Monachum, vel Servum Dei in colloquiis divinis, & oratione, cum eo penitus vacare non ceſſabat. Et valde, nimiſque hilaris in eleemoſynis exiſtebat, verum etiam & infirmorum prorſus maximus viſitator, prædicans illis (6) ſcripturaliter, ut eorum animas in eleemoſynis redimerent.

Qui plures ejus prædicationibus annuentes, quicquid (7) ille pro Chriſto commendabant occulte die, noctuque pauperibus erogabant: Fructum animarum crebro (8) offerens ſalubriter Deo. Et dum taliter in ipſo veſtiario præcipue degens ſplenderet, & (9) ejus ſolertiſſimam curam ipſe veſtiarius dirigeret, ab omnibus amantiſſime diligebatur. Quapropter divina inſpiratione una concordia, eademque voluntate à cunctis Sacerdotibus, ſeu Proceribus, & omni clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto Populo Romano Dei nutu in natali Beati primi martyris Stephani electus eſt, & ſequenti die in natali Sancti Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei Pontifex in Sede Apoſtolica ordinatus eſt. Erat enim Eccleſiaſticarum rerum defenſor, & contrariorum fortiſſimus expugnator, & nimis mitiſſimus, & eidem Eccleſiæ benevolus præclarus amator, tardus ad iraſcendum, & velox ad miſerandum, nulli malum pro malo reddens, neque vindictam ſecundum meritum tribuens, ſed pius, ac miſericors à tempore ordinationis ſuæ omnibus (10) ſtuduit juſtitias facere. Hic vero rogam clero ſuo in Presbyterio maxime ampliavit. Fecit enim in Baſilica Beati Petri Principis Apoſtolorum nutritori ſuo thuribulum aureum ante veſtibulum altaris, penſ. libras decem & ſeptem. Immo (11) & in confeſſione ejuſdem Apoſtoli rugas ex auro puriſſimo, cum gemmis diverſis, penſan. libras quadraginta & novem. Item coronas majores argenteas tres, penſan. libras trecentas & ſeptem. Verum etiam & cortinas albas holoſericas roſatas habentes in medio crucem de chryſoclabo, & periclyſin de fundato unam.

Sarta

(223) B., & C. erexit: præſertim in Baſilica BB. Coſmæ, & Damiani &c. *ut infra*.
(224) D. penſ. ſimul libras &c.
(225) D. mundo contulit. Fecit autem &c.
(226) B., & C. Adriani Martyris inſtar hujus patenam &c.
(227) B., & C. libras XXX. Renovavit etiam Eccleſiam S. Mariæ, quæ ad Martyres nuncupatur, & ibi quamplura obtulit dona in auro, & argento; Nam ipſe ſolertiſſimus Præſul per diverſos titulos, ſeu alias Eccleſias, atque cunctas Diaconias, & Monaſteria quantacumque infra murum hujus Romanæ urbis, exiſtant, divina inſpiratione ignitus ex palleis idem ſtauravit, ſeu tirtis veſtes fecit, atque contulit. Et ſicut bonus paſtor omnes Dei Eccleſias tam extra muros Rom. urbis, quàm intra muros ad laudem Dei reſtauravit, atque decoravit. Verùm & muros, atque turres hujus Rom. urbis, quæ dirutæ erant, & uſque ad fundamenta deſtructæ, atque omnia utiliter in circuitu reſtauravit, & renovavit, ubi & multa impendia tribuit tam in mercedes eorum, qui ipſum murum fabricaverunt, quàmque in ipſorum alimentis, ſimulque & in calce, atque diverſis utilitatibus uſque ad centum auri libras expendit. Hæc Beatiſs. & præclarus Pontifex &c.
(228) ✝ fecit *in omnibus non leg.*
(229) perficiens *in omnibus*.
(230) B., & C. DXXXV.
(331) *In* B., & C. *reliqua non leg.*

LEO.

(1) ✝ tertius B., & C. *non habent*.
(2) B., & C. dies XX.
(3) B. C., & D. in veſtario *ſemper*.
(4) B., & C. ſpetialiter eruditus &c.
(5) B., & C. inveniebat præcipuos Monachos, vel ſervos Dei in colloquio divino, & oratione cum eis penitus &c.
(6) B., & C. illis Scripturas, ut per curas pauperum animas ſuas eleemoſynis redimerent.
(7) B., & C. quidquid habebant pro Chriſto die, noctuque occultè pauperibus erogabant.
(8) B., & C. crebro offerentes.
(9) B. ab ejus ſolertiſſima cura ipſe veſtarius ageretur.
C. veſtararius egeretur.
D. veſtarius degeretur.
(10) B., & C. omnibus viſus eſt juſtitiam facere.
D. omnibus nituit juſtitias faciente.
(11) B., & C. Immo & confeſſionem ejuſdem Apoſtoli mirificè auro, gemmiſque ornavit. Fecit ſimiliter in Eccleſia Doctoris gentium Beati Pauli Apoſtoli. Hic autem Venerabilis &c. *ut infra*.

Digitized by Google

Sarta vero tecta Basilicæ Beati Petri Apostoli, idest, navem majorem, sed & aliam navem super altare cum quadriporticu simul & (12) fontem, atque ante fores argenteas. Verum etiam & turrem cum cameris suis ab imo usque ad summum omnia in omnibus noviter restauravit. Præsertim imaginem Salvatoris cum reliquis (13) miræ pulchritudinis depictam ad decorem suprascriptæ Ecclesiæ in fastigio sub arcu majori posuit. Pari modo & in Basilica Beati Pauli Apostoli, atque in Basilica Salvatoris instar imagines fecit, & constituit. Sarta tecta vero tituli Beatæ Anastasiæ, quæ à priscis temporibus per incuriam marcuerant, & pene casura erant, suo almo studio noviter restauravit.

Similiter & titulum Sanctæ Sabinæ studiose renovavit. In quo vero templo isdem egregius Præsul fecit ex argento coronas quinque, pensan. lib. quatuordecim. Canistra duo, (*) pens. libras tres & semis. Gabathas inter rasiles novem, pensan. libras undecim. Fecit autem & in Basilica Beatæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe, cyburium ex argento purissimo, quod pensat. libras sexcentas & undecim. Simul & rugas argenteas in ingressu presbyterii, pensan. libras octuaginta, atque cortinam majorem sericam albam, habentem periclysin, & crucem de fundato. Immo & in sacratissimo altari majori fecit vestem de chrysoclabo, habentem historiam nativitatis, & Sancti Simeonis, & in medio cheritsmon. (14) Simul etiam & in camera ejusdem Ecclesiæ, & in quadriporticu, necnon & coronas argenteas tres, pens. inibi libras (15) centum quadraginta quinque, & uncias novem. Interea & in Basilica Beati Christi martyris Laurentii, sita foris muros, fecit imagines argenteas tres Salvatoris, Beati Petri Apostoli, & Sancti Laurentii, pensan. simul libras quinquaginta quatuor & semis. Et in sacro altari vestem sericam chrysoclabam, habentem historiam Dominicæ Passionis, & Resurrectionis. Itemque renovavit sarta tecta Beati Felicis, & Audacti (16) Martyrum, juxta Sanctum Paulum Apostolum, sed & Basilicam Sancti Mennæ, atque tituli Beati Vitalis Christi martyris, necnon & cœmeterium Beati Sixti, atque Cornelii via Appia Simulque & cœmeterium Sancti Zotici (17) via Lavicana.

Pariter & Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, sitam in Fonticana (18), quæ per olitana marcuerat. Fecit autem isdem Præsul in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli confessionem, simul & rugas ex auro obrizo, habente gemmas pretiosas instar Beati Petri Apostoli, pensan. libras centum quinquaginta & sex. Et super ipsum Sacrum Altare Imaginem auream habentem Salvatorem, & duodecim Apostolos, pensan. libras septuaginta quinque, sed & cameram ejusdem Basilicæ in modum Beati Petri Apostoli noviter fecit, præsertim & coronas argenteas tres, pensan. in uno libras ducentas & viginti. Et vela holoserica majora sigillata, habentia periclysin, & crucem de blatthin, seu fundato numero quindecim. Vela promiscua majora de quadraplo investita, quæ pendent in arcubus quadraginta tres. Vela modica sigillata, quæ pendent in arcubus minoribus ornata quadraplo viginti. Item vela modica de stauracin, quæ pendent in arcubus decem, & alia decem, ex quibus tria habent periclysin de chrysoclavo. Item vela quatuor filo pari Alexandrina. Item velum alithino rotatu, habens periclysin rotas cum cancellis, & in medio crucem cum gemmis (19), & quatuor rotas de tyrio filo pares.

Fecit autem & in Basilica Beati Andreæ ad Beatum Petrum Apostolum rugas argenteas, pensan. libras octuaginta. Verum etiam & in Basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, cameram miræ magnitudinis. Hic almificus Præsul fecit in Altari majori Beati Petri Apostolorum Principis vestem chrysoclabam pretiosis gemmis ornatam, habentem historias tam Salvatoris Beato Petro Apostolo ligandi, solvendique potestatem tribuentis, quamque Principum Apostolorum Petri, ac Pauli passionem figurantes miræ magnitudinis in natale Apostolorum resplendentem.

Item fecit vestem in titulo (20) Eudoxiæ super altare tyriam habentem grypas majores, & duas rotas chrysoclabas cum cruce, & periclysin, blatthin, & crysoclavum. Hic autem præcipuus Præsul fecit in Basilica Beati Petri Apostoli farum argenteum ante presbyterium cum gabathis argenteis triginta, & canistrum octogoni in medio, pensan. libras sexaginta & tres, & in cantharis argenteis tam in circuitu altaris, quam in presbyterio posuit cerostata (21) argentea, pens. inibi libras ducentas & duodecim. Et in altare Beatæ Petronillæ posuit vestem de stauracin unam, habentem periclysin de blattis, seu chrysoclabo. Fecit autem & in Basilica Salvatoris, quæ & Constantiniana, vestem habentem historiam Crucifixi, & de Resurrectione Domini nostri Jesu Christi, habentem periclysin de chrysoclabo. Sed & in Basilica Beati Clementis vestem de stauracin unam, habentem periclysin de chrysoclabo. Fecit etiam & in arcubus argenteis Ecclesiæ Dei Apostoli vela (22) de stauracin valde pulcherrima.

Ipse vero præcipuus Pontifex in titulo Beatæ Susannæ, ubi & presbyter ordinatus fuerat, dum breviter destructus (*) fuisset, & jam per longitana tempora ipsæ parietinæ marcuissent, ob nimium amorem ampliavit ædificium, & noviter in altum fodiens firmissimum posuit fundamentum, & eruta planitie mirifice excelsa super ipsa fundamenta ædificavit Ecclesiam cum absida amplissima, & cacumina (23) mirifica de musivo, atque cameram decoratam, seu presbyterium, & pavimentum marmoribus pulchris ornavit. Verum etiam dextra, lævaque & porticus ejus cum columnis marmoreis construxit. Sed & Baptisterium ibi constituit, ubi & dona obtulit, videlicet, gabathas aureas fundatas tres, pensantes libras quatuor & semis. Cruces aureas duas cum gemmis, pensan. libr. unam, tum virgas argenteas, pensan. libras tres, & uncias septem. Lucernam argenteam unam, pensan. libras quinque, imagines argenteas tres, pensan. libras triginta quinque.

Fecit & confessionem ejusdem altaris ex argento purissimo, pensan. libras centum, tres, &

(12) D. & ad fontem.
(13) D. cum Regiis.
(*) D. duo exatori pensan. &c.
(14) D. in medio cherismon simul etiam &c.
(15) D. libras CLV. &c.
(16) D. Beati Felicis, & Adaucti &c.
(17) D. Sancti Ivotici via Labicana &c.
(18) D. sita in Fontiana, quæ &c.
(19) D. Crucem cum gammadias.
(20) D. vestem in tempore Eudoxiæ.
(21) D. posuit cerea argentea.
(22) D. vela alba Paschalia, & in Natale ejusdem Divi Apostoli vela de stauracin &c.
(*) D. breviter constructus fuisset &c.
(23) D. & athicumina mirifica &c.

Digitized by Google

& uncias duas. Columnas argenteas octo, & gammadia duo, & arcus duos, cum crucibus argenteis quinque, & gabathas quindecim, pensan. simul libr. centum quinquaginta. Crucem diacopton, pensan. libr. quatuordecim. Canistrum ex cede cafotii, pens. libras duodecim & semis. Coronam majorem de argento una cum delphinis triginta duobus, pensan. libras 32. Necnon & canistrum argenteum unum, pensan. libras decem & octo, sed & aliud canistrum argenteum, pensan. libras decem & octo, vasa colatoria argentea deaurata, (24) pensan. libras quatuor & uncias tres, gabathas argenteas, (25) habentes gryphos deauratos, pensan. libras duas. Coronas argenteas duas, cum delphinis decem & octo, pensan. libras decem & novem. Enimvero isdem præcipuus Antistes fecit in eadem Ecclesia vestem chrysoclabam cum periclysi, cum chrysoclabo unam: sed & aliam vestem de blatthin habentem in medio crucem de chrysoclabo. Et tabulas chrysoclabas quatuor, cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclabas quatuor, cum periclysi de chrysoclabo.

Fecit autem & in Patriarchio Lateranensi triclinium majus super omnia triclinia nomini suæ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmissima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis stravit. Et diversis columnis, tam porphyreticis, quamque albis, & sculptis cum vasibus, & liliis simul postibus decoravit cameram cum apsida de musivo, & alias duas absidas diversas historias pingens super marmorum incrustatione, pariter in circuitu decoravit. Et in Basilica Beatæ Priscæ fecit isdem Antistes calicem fundatum superauratum unum, & coronas tres. Ex quibus unam habentem delphinos decem, & alias duas numero novem, sed & gabathas octo, pens. simul libras viginti novem. Vestem albam holosericam ornatam in circuitu blatti Byzanteo, & in fronte crucem de chrysoclabo.

Hic autem venerabilis, & Sanctissimus Præsul dum in Sancta Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia per ordinem Ecclesiasticum degeret, & ritum orthodoxæ fidei teneret, atque ex omni parte tam per diversas Ecclesias, quamque in Patriarchio in amplis ædificiis construens compte ornaret, cum die quadam more solito in Lætaniis, quæ ab omnibus majores appellantur, procederet, ubi sibi populus obviam sacra religione occurrere deberet, & secundum annuam consuetudinem Lætanias, & Missarum solemnia cum Sacerdotibus celebraret, & Omnipotenti Domino pro salute Christianorum populi preces funderet, & secundum olitanam traditionem à Notario (*) Sanctæ Rom. Ecclesiæ, in Ecclesia Beati Georgii Christi Martyris in ejus (26) natali ipsa Lætania prædicata fuisset, omnes tam viri, quamque feminæ devota mente catervatim in Ecclesia Beati Christi Martyris Laurentii, quæ Lucinæ nuncupatur, ubi & collecta prædicta inerat, occurrerunt. (27)

Ubi (28) dum prædictus venerabilis Pontifex à Patriarchio egressus fuisset, obviam illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis Primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens: Quia infirmus sum, & ideo sine planeta veni. Tunc Sanctissimus Præsul veniam illi dedit. Similiter & Campulus Sacellarius, (29) in ipsorum dolositate pariter in Pontificali obsequio pergentes, & dulcia verba, quæ non habebant in pectore, cum eo loquentes: maligni etiam & iniqui, ac perversi, falsique Christiani, prorsus pagani, filii diaboli, in unum se sathanice colligentes, pleni iniqua cogitatione in ipso itinere ante Monasterium Sanctorum Stephani, & Silvestri, quod Domnus Paulus Papa fundaverat, clam armati adstitere, atque repente de loco insidiarum exilientes, ad ipsum (quod dictu nefas est) impie trucidandum absque ulla reverentia confluxerunt, Paschale ad caput stante, & Campulo ad pedes secundum iniquum eorum consilium. Quo facto, omnis, qui circa eum erat populus, (30) videlicet inermis, & in Dei officio præparatus timore armorum perterritus in fugam conversus est. Ipsi vero insidiatores, atque operatores malorum Judaico more (31) sine ullo divino, vel humano honoris intuitu, ferino more comprehendentes, in terram eum projecerunt, & absque ulla misericordia scindendo expoliantes eum, crudeliter oculos ei evellere, & ipsum penitus cœcare conati sunt. Nam lingua ejus præcisa est, & ut ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cœcum eum, & mutum in media platea dimiserunt (32).

Verum ipsi maligni Paschalis, & Campulus, sicut veri Pagani, & impii ad ipsius Monasterii Ecclesiam ante confessionem (33) eum trahentes, ante ipsum venerabile Altare iterum oculos (34) linguam amplius crudeliter eruerunt, & plagis eum diversis, & fustibus cædentes, (35) laniaverunt, & semivivum in sanguine revolutum ante ipsum Altare dimiserunt. Postmodum vero sub custodia in ipso Monasterio (36) dimiserunt. Timore autem perterriti, ne à Christianis hominibus furatus inde fuisset: tunc malignum consilium adepti, (37) sicut ipse Hegumenus (38) Monasterii Sancti Erasmi professus est, (39) fecerunt eum ad se venire clam (40) per noctem, tam Paschalis malignus, qui tunc Primicerius erat, quam Campulus Sacellarius, & Maurus Nepesinus, & miserunt eum in prædictum Monasterium Sancti Silvestri cum pluribus iniquis consentaneis ipsorum malefactoribus. Et sic per noctem eum exinde abstollentes deduxerunt in Monasterium Sancti Erasmi, & in arcta, & angusta (41) custodia eum recluserunt. Sed Deus Omnipotens, qui eorum malitiam præsciendo diu patienter sustinuit, ipse eorum iniquos conatus mirabiliter destruxit. Contigit enim, cooperante Deo, & Beato Petro Apostolo

---

(24) D. Cazia coloratoria argen. deaur. I. pens. &c.
(25) D. argentea saxisca haben. &c.
(*) D. Oratorio.
(26) B., & C. in ejus Natalitia, tempore Natalitii fuissent.
(27) B., & C. occurreretur.
(28) D. qui dum prædictus &c.
(29) ⁎ Sacellarius *deest in* D.
B., & C. dedit. Et Campulus cum dolositate pariter in Pontificali obsequio pergens, & dulcia verba, quæ non habebat in pectore cum eo loquens &c.
(30) B., & C. populus vidit quòd inermis &c.
(31) B., & C. Judaico more Sanctissimum Papam in terram projecerunt &c.
(32) B. C., & D. dimiserunt unà cum ipsis malignis Paschale, & Campulo. Postmodum verò &c.
(33) ⁎ ante confessionem B., & C. *non legunt*.
(34) B. C., & D. iterum bis oculos &c.
(35) B., & C. cædentes clamantes semivivum &c.
(36) B. C., & D. Monasterio miserunt.
(37) B., & C. consilium adepti sunt.
(38) B., & C. ipse Igumeus Monachus Sancti &c. D. Eugumenus &c.
(39) D. quia fecerunt eum &c., *& ita in* B., & C.
(40) B., & C. clam Paschalis malignus; qui tunc Primicerius erat, seu Campulus &c.
(41) B., & C. & angusta *non habent*.

Digitized by Google

lo suffragante, quod antedictus Papa cum ab ipsis carnificibus in Monasterium Sancti Erasmi in custodiam mitteretur, Domino annuente, atque Beato Clavigero Petro Regni Cœlorum suffragante, ut visum receperit, & linguam ad loquendum illi restituta sit.

Et ut ostenderet Omnipotens Deus super suum famulum solitam misericordiam, & magnum miraculum divino nutu ejus (42) à fidelibus Christianis viris, videlicet per Albinum cubicularium, cum aliis fidelibus Deum metuentibus, ex ipso eum claustro occulte abstollentes in Basilica Beati Petri Apostolorum Principis, ubi & ejus sacratissimum corpus quiescit, deduxerunt. Qui omnes audientes, & videntes mirabilia Dei, qui innocentem, & justum Pontificem de manibus inimicorum eruit, glorificaverunt Dominum Deum, dicentes: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, & non deseruit sperantes in se*. Sed in eo adimplevit misericordiam suam, ut manifestaretur gloria Dei, & mirabilia in illo, quemadmodum promisit sperantibus in se Psalmista dicente: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?* Et iterum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis*. Et vere à tenebris eum Dominus eripiens, lumen reddidit, & linguam ad loquendum restituit, & totis (43) ejus solidavit membris, & in omnibus operibus mirabiliter deducens confortavit. Et quantum gaudium habuerunt Christiani homines, & fideles, tantum (44) mœrore, & tristitia angustiati illi nesciebant, quid agerent, & in periculo se esse existimantes, quærebant (45) semetipsos interficere. Et dum non invenirent, quid aliud agerent, domum Albini fidelis Beati Petri Apostoli, & ejusdem Pontificis deprædantes, destruxerunt, & in ipsam Beati Petri Apostoli aulam conjungente præfato Pontifice (46) confestim Winichis gloriosus Dux Spoletanus cum suo exercitu obviavit ei, & cum summum Pontificem videntem, & loquentem conspexisset, venerabiliter eum recipiens Spoletum deduxit, glorificans, & laudans Deum, qui (47) per talia mirabilia eum clarificavit. Quo audito per diversas civitates Romanorum fideles ad eum occurrerunt, & pariter cum aliquibus ex ipsis civitatibus Episcopis, Presbyteris, seu Clericis Romanis, & Primatibus civitatum, ad Excellentissimum Domnum Carolum Regem Francorum, & Longobardorum, atque Patricium Romanorum profectus est. Ipse vero Christianissimus, & orthodoxus, atque præcipuus, clementissimusque Rex illico, ut audivit, misit in obviam ejus Hildivaldum (48) Archiepiscopum, & Capellanum, & Ascharium Comitem. Et postmodum proprium filium suum Pipinum Excellentissimum Regem cum aliis Comitibus (49) obviam ejus iterum, & usque ubi ipse Magnus Rex obviavit, & sicut Vicarium Beati Petri Apostoli venerabiliter, & honorifice cum hymnis, & canticis spiritalibus eum suscepit, & pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt. Et prædicto Pontifice *Gloria in excelsis Deo*, inchoante, & cuncto clero suscipiente, oratio super cuncto populo data est. Tunc benignissimus Domnus Carolus magnus Rex antedictum Pontificem conspiciens (50) gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia super famulum suum per suffragia Principum Apostolorum Petri, ac Pauli operatus est, & ad nihilum prædictos iniquos viros deduxit.

Qui dum in magno honore apud se per aliquantum temporis eum ipse Serenissimus Rex habuisset, hæc præfati iniqui, & filii diaboli audientes post dira, & iniqua incendia, quæ in possessionibus, seu rebus Beati Petri Apostoli gesserunt, moliti sunt. (51) Deo illis contrario, falsa adversus Sanctissimum Pontificem imponere crimina, & post eum ad prædictum mittere Regem, quod probare nequaquam potuissent. Quia per insidias, & iniquitates eorum talia nec dicenda Sanctam Ecclesiam humiliare volentes, proferebant. Sed dum ad prædictum Clementissimum magnum Regem præfatus Pontifex in magno (52), & condecenti honore degeret, ex omni parte (53) tam Archiepiscopis, quamque Episcopis, & cæteris Sacerdotibus venientibus una cum consilio ejusdem piissimi magni Regis, omnibusque eximiis Francis, Deo prævio Romam illum remearc in suam Apostolicam Sedem honorifice cum nimio, ut decuit, emiserunt honore. Qui per unamquamque civitatem tanquam ipsum suscipientes Apostolum usque Romam deduxerunt. Tunc Romani præ nimio gaudio suum recipientes Pastorem, omnes (54) generaliter in vigilia Beati Andreæ Apostoli, tam Proceres clericorum cum omnibus clericis, quamque Optimates, & Senatus, cunctaque Militia, & universus Populus Romanus, cum (55) Sanctimonialibus, & Diaconissis, ac nobilissimis Matronis, seu universis feminis, simul etiam & cunctæ Scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum (56), Saxonum, atque Longobardorum, simul omnes connexi ad pontem Milvium. (57) cum signis, & bandis, & canticis spiritalibus susceperunt, & in Ecclesiam Beati Petri Apostoli eum deduxerunt, ubi & Missarum solemnia celebravit. Et omnes communiter Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi fideliter participati sunt.

Et alia die secundum olitanam consuetudinem natale Beati Andreæ Apostoli celebrantes (58) Romam intrans cum multo gaudio, & lætitia in Patriarchium Lateranense introivit. Et post aliquantos dies fidelissimis missis, qui cum eo venerunt, in Pontificale obsequium, videlicet Hildi-

(42) B., & C. ejus fideles Christiani viri, videlicet Albinus cubicularius.
(43) B., & C. & totis eum solidavit viribus, atque membris.
(44) B., & C. tantum mœrorem, & tristitiam infideles habentes nesciebant &c.
(45) D. quærebant se inter semetipsos interficere.
(46) B., & C. Pontifice VVinintius gloriosus &c.
(47) B., & C. qui talia mirabilia in eum glorificavit.
(48) B., & C. Hildinaldum.
(49) B., & C. Comitibus, ipse etiam magnus Rex ei obviavit.
(50) B., & C. recipiens.
(51) B., & C. moliti sunt contraria, & falsa &c., *& ita in* D.
(52) B., & C. in magna, & condecenti reverentia, & honore &c
(53) parte ibidem tam &c. *in omnibus*.
(54) B., & C. omnes tam Clerici, quàmque Optimates &c.
(55) B., & C. cum Cæremonialibus, & Diaconissis &c.
(56) B., & C. Frisonum *non habent*.
(57) B., & C. Milvium, in vigilia S. Andreæ Apostoli Proceres Clericorum cum universis supradictis, qui cum signis &c.
(58) B., & C. celebrantes, & Romam introeuntes cum magno gaudio, & lætitia eum in Patriarchio Lateranense introduxerunt.

Digitized by Google

Hildivaldo, & (59) Arno, reverendissimis Archiepiscopis, (60) & Cuniberto, Bernhardo, Hatthone, & Tesse reverendissimis, & Sanctissimis Episcopis, necnon (61) & Flacco electo Episcopo, verum etiam Helmgoth, Rothegario, & Germano gloriosis Comitibus, residentibus in triclinio ipsius Domni Leonis Papae, & per unam & amplius hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam malitiam (62) ab ipso ipsorum Pontifice habuissent, tam Paschalis, quamque Campulus, cum sequacibus eorum, nihil habuerunt adversus eum, quod dicerent.

Tunc illos comprehendentes prædicti missi magni Regis, emiserunt (63) eos in Franciam. Qui post modicum tempus ipse magnus Rex dum in Basilica Beati Petri Apostoli conjunxisset, & cum magno honore susceptus fuisset, fecit in eandem Ecclesiam congregari Archiepiscopos, seu Episcopos, Abbates, & omnem nobilitatem Francorum, atque (64) Romanorum, & sedentes pariter tam magnus Rex, quam Beatissimus Pontifex fecerunt residere, & Sanctissimos Archiepiscopos, (65) & Abbates, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Optimatibus Francorum, & Romanorum, ut crimina, quæ adversus almum Pontificem dicta fuerant, declinarent. Qui universi Archiepiscopi, & Episcopi, & Abbates unanimiter audientes, dixerunt: Nos Sedem Apostolicam, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. (66) Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonice obediemus. Venerabilis vero Præsul inquit: Prædecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.

Alia vero die in eadem Ecclesia Beati Petri Apostoli, cum omnes adessent generaliter Archiepiscopi, seu Episcopi, & Abbates, & omnes Franci, qui in servitio ejusdem magni Regis fuerunt, & cuncti Romani in eadem Ecclesia Beati Petri Apostoli in eorum præsentia, amplectens præfatus venerabilis Pontifex Sancta Christi quatuor Euangelia coram omnibus ascendit in ambonem, & sub jurejurando clara voce dixit: Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto omnes Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, & (67) cuncti clerici lætania facta laudes dederunt Deo, atque Dei Genitrici, semperque Virgini Mariæ Dominæ nostræ, & Beato Petro Apostolorum Principi, omnibusque Sanctis Dei.

Post hæc adveniente die natali Domini nostri Jesu Christi, in jam dicta Basilica Beati Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt, & tunc venerabilis almificus Pontifex manibus suis propriis (68) pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem, & dilectionem, (69) quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam, & ejus Vicarium habuit, unanimiter altisona voce Dei nutu atque Beati Petri Clavigeri regni Cœlorum exclamaverunt: *Carolo piissimo Augusto à Deo coronato, magno,* (70) *pacifico Imperatori, vita, & victoria.* Ante sacram confessionem Beati Petri Apostoli plures Sanctos invocantes, (71) tres dictum est, & ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum. Illico Sanctissimus Antistes, & Pontifex unxit (72) Oleo Sancto Carolum, & Excellentissimum filium ejus Regem in ipso die natalis Domini nostri Jesu Christi, & missa peracta post celebrationem missarum obtulit ipse serenissimus Domnus Imperator mensam argenteam, cum pedibus suis, pensan. libr...... (73)

Sed (74) & in confessione ejusdem Dei Apostoli obtulit una cum præcellentissimo filio suo Rege, & filiabus diversa vasa ex auro purissimo in ministerio ipsius mensæ, pensan. libr...... (75) Sed & coronam auream, cum gemmis majoribus, quæ pendet super altare, pensan. libras quinquaginta quinque. Et patenam auream majorem, cum gemmis diversis, (76) pensan. libras triginta. Et calicem majorem cum gemmis, & ansis duabus, pensan. libras quinquaginta octo. Item calicem majorem fundatum, cum scyphone, pensan. libras triginta & septem. Immo & alium calicem majorem, fundatum, pensan. libras triginta & sex. Obtulit & super sacratissimum altare Beati Petri Apostoli, immo & in Basilica Beati Pauli Apostoli mensam argenteam minorem, cum pedibus suis, pensf. libras (77) quinquaginta quinque, cum diversis vasis argenteis miræ magnitudinis, quæ ad usum ipsius mensæ pertinent.

Item in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quam Constantinianam vocant, obtulit crucem cum gemmis hiacynthinis, quam almificus Pontifex in lætania præcedere constituit, secundum petitionem ipsius piissimi Imperatoris. (78) Immo & altare cum columnis argenteis, & cyborio. Verum etiam & Euangelium (79) ex auro mundissimo, cum gemmis ornatum, pensan. libr...... Item & in Basilica

(59) B., & C. Hildualdo, & Rino.

(60) B. seu Cumpertus, Bernardus, Octo, & Jesse Reverendiss. &c.
C. seu Cunipertus, Bernardus, Otto, & Jesse &c.
D. seu Cunipertus, Bernardus, Atto, Jesse &c.

(61) B., & C. nec non & Flaicus electus Episcopus, verùm etiam Helingot, Rottecanus, & Germanus gloriosi Comites residentes &c.
D. nec non & Flavo ellecto Episcopo, verùm etiam Helmgoth, Rothecario, & Germario gloriosis &c.

(62) B., & C. malitiam ad ipsum Pontificem habuissent.

(63) B., & C. miserunt eos &c.

(64) D. Francorum, atque Synclitum Romanorum.

(65) B., & C. Archiepiscopos, seu Episcopos, & Abbates, stante reliquo Clero, seu Optimatibus &c.

(66) *Verba* Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur *in* B., & C. *non leguntur*.

(67) B., & C. & cunctus populus Lætaniis factis &c.

(68) B., & C. propriis, Carolum coronâ pretiosissimâ coronavit.

(69) & dilectionem B., & C. *non legunt*.

(70) B., & C. magno, & piissimo Imperatori &c.

(71) B., & C. invocantes, ut dictum est, & ab omnibus constitutum est ei Romanorum Imperium &c. D. Carolum Excell. &c.

(72) B., & C. unxit Imperatorem oleo Sancto Carolum Excellentiss. filium ejus in Regem &c.

(73) pensan. libr. ..... B., & C. *non habent*.

(74) B., & C. Sed & in Ecclesia ejusdem Apostoli &c.

(75) pensan. libr...... B., & C. *non habent, & verba*, sed & coronam auream *usque ad illa*, item in Basilica Salvatoris &c. *iidem non legunt*.

(76) D. diversis, legente Carulo pensf. &c.

(77) D. pensf. lib. .....

(78) *Verba*. Immo & Altare &c. *usque ad illa* postmodum vero dum &c. *in* B., & C. *non leguntur*.

(79) D. Euangelium cum battiois ex auro &c.

Digitized by Google

ca Beatæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe obtulit sicla argentea majora, pensan. libr...... Postmodum vero dum deducti fuissent iniquissimi illi malefactores, videlicet Paschalis cum Campulo, & sequaces eorum in præsentia piissimi Domni Imperatoris, circumstantibus nobilissimis Francis, & Romanis, & omnibus (80) exprobrantibus de malis ipsorum consiliis, & operationibus, increpabat Campulus Paschalem, dicendo: Mala hora faciem tuam (81) vidi, eo quod tunc me misisti in istud periculum, & cæteri similiter, unus alterum condemnans manifestabant suis (82) ipsorum reatus. Qui dum tam crudeles, & iniquos piissimus Imperator cognovisset, in exilium in partibus Franciæ misit. (83) Præfatus vero Sanctissimus Pontifex juxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli fecit in triclineo majori miræ pulchritudinis decoratam absidam de musivo ornatam, & absidas duas dextra, lævaque super marmore, & pictura splendentes, & in pavimento marmoreis exemplis stratis, cum cæteris amplis ædificiis, tam in ascensu schalæ, quamque post ipsum tricilineum compte fecit. Itemque fecit in Basilica Beati Petri Apostoli vestem chrysoclabam, cum pretiosis gemmis ornatam, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis. Sed (84) & inter arcus argenteos vela serica alba, & vela de staurace pulcherrima. Post reversionem suam, & ob nimium amorem fecit eidem nutritori suo presbyterium noviter totum marmoreum magnæ pulchritudinis, sculptum, compteque erectum. Sed & super altare majus fecit tetravela holoserica alithina quatuor, cum astillis, & (85) rosis chrysoclabis.

Et in eodem (86) altare fecit cum historiis crucifixi Domini vestem tyriam. Et in Ecclesia Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli tetra vela holoserica alithyna quatuor, & vestem super altare albam chrysoclabam, habentem historiam Sanctæ Resurrectionis, & aliam vestem chrysoclabam, habentem historiam nativitatis Domini, & Sanctorum Innocentium. Immo & aliam vestem tyriam, habentem historiam cœci illuminati, & Resurrectionem. Idem autem Sanctissimus Præsul fecit in Basilica Beatæ Mariæ ad Præsepæ vestem albam chrysoclabam, habentem historiam Sanctæ Resurrectionis. Sed & aliam vestem in orbiculis chrysoclabis, habentem historias Annunciationis, & Sanctorum Joachim, & Annæ. Fecit in Ecclesia Beati Laurentii foris muros eidem Præsul vestem albam rosatam cum chrysoclabo. Sed & aliam vestem super Sanctum Corpus ejus albam de stauraci chrysoclabam, cum margaritis. Et in titulo Calixti vestem chrysoclabam ex blattin Byzanteo, habentem historiam nativitatis Domini, & Sancti Simeonis. Item in Ecclesia Sancti Pancratii vestem tyria, habentem historiam Ascensionis Domini, seu & in Sancta Maria ad Martyres fecit vestem tyria ut supra. Et in titulo Sanctæ Sabinæ ut supra. (87) Et in Diaconia Sancti Bonifacii ut supra. Et in Diaconia Sanctæ Mariæ, quæ vocatur Cosmidin, ut supra. Et in Basilica Sanctorum Cosmæ, & Damiani fecit vestem de blatti Byzanteo, cum periclysin de chrysoclabo, & margaritis.

Item in Ecclesia Sancti Valentini fecit vestem chrysoclabam, & alia veste fecit de fundato pulcherrima. Et in Diaconia Sanctorum Nerei, & Achillæi fecit vestem de stauraci. Et in Diaconia Sanctæ Dei Genitricis, quæ vocatur Dominica, fecit vestem de stauraci. Ipse vero almificus Pontifex in venerabili Monasterio Sancti Sabæ fecit butronem argenteum, cum canistro suo, pensan. libras duodecim; & vestem de stauraci, cum chrysoclavo, & margaritis. Item & in Monasterio Sancti Erasmi fecit vestem de stauraci, cum cruce, & gamadiis, simul & paratrapetis (*) suis, cum periclysis de chrisoclavo. Necnon & in Monasterio Clivi Scauri fecit vestem de stauraci cum periclysi de chrysoclavo. Verum etiam & in titulo Pammachii fecit vestes duas, ex quibus unam de stauraci cum periclysin de chrysoclavo; & aliam vestem de imizino. Sæpedictus vero Antistes Sanctissimus Ecclesiæ Beati Andreæ Apostoli, sitæ in tricesimo via Appia in Silice, sarta tecta noviter renovavit, una cum baptisterio, & porticus. In qua Ecclesia Presbyterum constituit, ubi & dona obtulit tam in argento, quamque in vestibus, & libris. Nona vero indictione peccatis nostris imminentibus subito terræmotus factus pridie calendas Maji, & Ecclesia Beati Pauli Apostoli ab ipso terræmotu concussa, omnia sarta tecta ruerunt. Quod conspiciens magnus, & præclarus Pontifex in magnam veniens tribulationem, lamentari cœpit tam pro argen. quamque pro cæteris speciebus, quæ ibidem demolitæ, & confractæ sunt. Sed Domino annuente, & Beato Principe Apostolorum protegente præfatus Pontifex, & totis nisibus suis certamen ponens instar, (88) sicut antiquitus existebat ampla, & maxima fortitudine ponens in meliorem deduxit statum; (89) & in meliori specie eam marmoribus decoravit, tamque presbyterium, quamque totam Ecclesiam marmoravit, & ejus porticus renovavit.

Simulque & in nave, quæ est super altare, sarta tecta omnia noviter restauravit, & tres imagines aureas ibidem obtulit, scilicet Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Principum Apostolorum Petri, ac Pauli. Sed & aliam imaginem argenteam Salvatoris deauratam super postes in introitu posuit, pens. libras sexaginta. Sed & omne argenteum ibidem, quod conquassatum fuerat noviter restauravit. Necnon & fenestras ipsius Ecclesiæ miræ pulchritudinis ex metallo cypsino decoravit. Ipse vero præfatus Pontifex fecit in Basilica Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, super altare vestes duas, ex quibus unam cum chrysoclavo, & gemmis, habentem historiam Salvatoris introeuntem in sanctam civitatem, & aliam chrysoclavam, cum gemmis pretiosissimis, habentem historiam Resurrectionis Dominicæ. Et in

(80) & omnibus comprobantibus eos de malis &c. in B. C., & D.

(81) B. faciem tuam indico, quòd tu me misisti in isto periculo &c.
C. faciem tuam judico, *reliqua ut in* B.
D. vidi eo quòd tu me misisti in isto periculo.

(82) *ω* suis *non legitur in omnibus*.

(83) *Verba* Præfatus verò Sanctissimus Pontifex *usque ad illa* Nona verò Indictione &c. *ut infra* B., & C. *non legunt*.

(84) D. Sed & in Arcora argentea vela Syrica habentem Alba. Et in ejusdem Dei Apostoli in eadem Arcora vela de staurace &c.

(85) D. & rotis chrysoclabis.

(86) D. & in eodem sacro Altare fecit aliam vestem cum storiis Crucifixi Domini Tyreo. Et in &c.

(87) D. Et in Diaconia S. Bonifaci ut supra *non legit*.

(*) D. paratrepidis.

(88) *ω* instar *deest in* B., & C.

(89) B., & C. *Verba* & meliori specie eam &c. *usque ad illa*. Ipse verò à Deo protectus &c. *ut infra non legunt*.

Digitized by Google

in circuitu altaris vela rubea ferica quatuor, & alba quatuor, cum chryfoclavo. Et tres ante imagines, cum lifta, & alias albas fericas numero feptem & triginta. Et in altare Beati Venantii fecit veftem de fundato, cum vela duobus; & in Oratoriis Sanctorum Joannis Baptiftæ, & Joannis Euangeliftæ, fecit veftes duas de ftauraci, cum chryfoclavo, & vela duo.

Iſdem vero prælatus Pontifex fuper altare Beati Petri Apoftoli fecit veftem cum vite ex auro puriffimo, cum gemmis pretiofiffimis, & margaritis, habentem in medio vultum Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & duodecim Apoftolorum, ubi & mifit auri libras viginti quinque. Et aliam veftem chryfoclavam, habentem hiftoriam lætaniæ majoris. Sed & aliam veftem, habentem tabulas chrifoclavas tres, & hiftoriam Dominicæ paffionis, legentem: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, & cætera. Similiter etiam & cortinam majorem de fundato. Verum etiam & per arcus argenteos fecit vela Pafchalia, cum periclyfi de ftauraci ex quinque, cum chryfoclavo nonaginta & tres, & in arcubus majora vela alba quadraginta & octo. Necnon & gabathas fecit ex auro puriffimo quindecim, cum gemmis pendentes in pergula ante altare, penfan. libras fexaginta quinque & femis. Sed & tabulam ante confeffionem fecit ex auro puriffimo, penfan. libras viginti & novem. Verum etiam & imagines argenteas dauratas duas fuper regias majores pofuit, penf. libras nonaginta. Immo & canthara argentea duo in presbyterio fecit, penf. libr. quinquaginta. Necnon & feneftras ipfius Ecclefiæ ex metallo cyprino decoravit. (90)

Fecit & in Bafilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apoftoli veftem chryfoclavam, habentem in medio Salvatorem, & dextra, lævaque B. Petrum, & Paulum gentibus prædicantem, (*) cum periclyfin de chryfoclavo, & gemmis pretiofiffimis. Super Altare Beati Andreæ fecit veftem chryfoclavam, cum margaritis, fed & presbyterium ex marmoribus fculptis ornavit. Et in Altare Beatæ Petronillæ fecit veftem albam holofericam, cum tabulis de chryfoclavo, & cruce, & ibidem presbyterium ex marmoribus fculptis decoravit. Fecit & columnas argenteas fex, & regulares (91) duos ex argento puriffimo, penfan fimul libras octuaginta. Et fuper Corpus Beati Gregorii Confefforis atque Pontificis fecit veftem albam holofericam, cum tabulis de chryfoclavo, & cruce. Itemque fecit in Bafilica Sanctæ Dei Genitricis ad Præfepe cortinam Alexandrinam, cum periclyfi de ftauraci, & aliam albam, cum periclyfi de blatthin, pendentes fuper Altare, & ante Præfepe vela alba, cum periclyfi de blatthin. Necnon & intro (92) rugas majores, atque ante fecretarium, numero duodecim, & intus Præfepe fecit veftem de alythino, cum chryfoclavo. Immo & in Bafilica Beati Laurentii Martyris foris muros fecit cortynam tyriam, cum periclyfi de ftauraci. In Bafilica Beati Pancratii Martyris fecit cyborium ex argento puriffimo, penfan. libr. trecentas fexaginta & feptem. Et in titulo Calixti ad honorem Sanctæ Dei Genitricis femperque Virginis Mariæ fecit cyborium ex argento, penfan. libr. quingentas quatuor & femis. Et in titulo Eudoxiæ fecit veftem albam, cum periclyfi de chryfoclavo. Et in titulo Sanctæ Cæciliæ fecit veftem de ftauraci. Sed & in titulo Sancti Eufebii fecit veftem de fundato. Et in titulo Sancti Vitalis fecit veftem de ftauraci, cum cruce de chryfoclavo. Necnon & in titulo Sanctæ Pudentianæ fecit veftem ut fupra. Et in titulo Sanctæ Anaftafiæ fecit veftem de fundato. Fecit & in titulo Sanctæ Praxedis veftem de ftauraci, cum periclyfi de blatthin. Et in Bafilica Beati Laurentii in Formofo fecit veftem de quadrapulo.

Immo & in Monafterio Sancti Anaftafii fecit veftem de chryfoclavo ejufdem cum Martyris paffione depicta, & pharum de argento, cum caniftro octogoni, penf. libras viginti quinque. Et in Monafterio Sancti Silveftri fecit veftes duas, unam in Bafilica majori byzantea, cum chryfoclavo, & aliam de fundato in Oratorio. In Monafterio Sanctæ Luciæ in Renatis fecit veftem de fundato, cum chryfoclavo. Et in Sancto Angelo (93) in Fabiano fecit veftem de fundato. Et in Diaconia Sanctæ Luciæ in feptem viis fecit veftem de fundato. In Diaconia vero Sanctorum Sergii, & Bacchi fecit veftem de ftauraci. In Diaconia vero Sanctæ Luciæ in Orphea fecit veftem de ftauraci, & in Diaconia Sancti Euftachii fecit veftem de fundato. Ipfe autem à Deo protectus venerabilis, & almificus Pontifex fecit in Bafilica Beati Petri Apoftoli nutritoris fui in medio Bafilicæ crucifixum ex argento puriffimo, penfan. libras feptuaginta & duas. Itemque fecit in Patriarchio Lateranenfi triclinium miræ magnitudinis decoratum cum abfida de mufivo, fed & alias abfidas decem, dextra, lævaque, diverfis hiftoriis depictas, habentes Apoftolos gentibus prædicantes, cohærentes Bafilicæ Conftantinianæ, in quo loco & accubita collocavit, & in medio concham porphyreticam aquam fundentem. Necnon & pavimentum ipfius marmoribus diverfis ftravit. Fecit autem & in titulo Sancti Quiriaci veftem de ftauraci, cum periclyfi de blatthin, & in gyro chryfoclavum, & in medio crucem de margaritis. Immo & in cœmeterio Sancti Sixti via Appia fecit veftem de ftauraci, & in medio crucem de chryfoclavo. Verum etiam & in titulo Calixti fuper Altare poft abfidam fecit veftem de ftauraci, & in medio crucem de chryfoclavo, & ibidem fimiliter vela fex fecit de ftauraci. Fecit & in titulo SS. Quatuor Coronat. veftem de ftauraci, habentem in medio crucem de chryfoclavo. Et in titulo S. Marcelli fecit veftem de ftauraci.

Simulque in Ecclefia Sanctæ Martyris Sabinæ fecit veftem de fundato, cum periclyfi de blatthin, habentem in medio crucem de chryfoclavo. Necnon in Bafilica Sancti Laurentii in Formofo fecit veftem de fundato. Ecclefiam vero Beati Pauli Apoftoli, quæ vocatur Conventus, fitam in territorio Orbetano, intra fines Suanenfes, & Cufinenfes, (94) feu Tufcianenfes, atque Caftritana, quæ pro nimia vetuftate jam immarcuerat, atque in ea pecudes refugium faciebant, necnon & ex ea Reliquiæ ablatæ fuerant, ifdem Sanctifs. Præful Pontifex mundari præcepit, & omnia farta tecta ipfius in porticibus (*) noviter reftauravit, atque

(90) D. Et alias feneftras de vitro diverfis coloribus decoravit.
(*) D. prædicantes.
(91) D. & regolares duos *non legit*.
(92) D. & intro Regias majores &c.

(93) D. Angelo in Fajano &c.
(94) D. Juanenfes, & Clufina, feu Tufcanenfes, atque Caftrifana, quæ &c.
(*) D. cum porticibus.

que in Altare ejus veſtem de ſtauraci poſuit, & Reliquias recondi præcepit. Pari modo & in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, ſita in Albano, quæ pro nimia vetuſtate jam ruitura erat, omnia tecta ſarta ejus noviter reſtauravit. Fecit autem iſdem almificus Pontifex in Baſilica Beati Hippolyti Martyris in civitate Portuenſi veſtes de ſtauraci duas, unam ſuper Corpus ejus, & aliam in Altari majori. Et in titulo Sanctæ Martyris Sabinæ tetra vela de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin. Enimvero & in Oratorio Sanctæ Dei Genitricis, ſito in Xenodochio Firmis, fecit veſtem de ſtauraci pulcherrimam.

Ipſe vero à Deo protectus, & præclarus Pontifex conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ lætaniæ celebrarentur. Scilicet feria ſecunda, egrediente Pontifice cum omni clero, & cuncto populo cum hymnis, & canticis ſpiritalibus ab Eccleſia Dei Genitricis ad Præſepe, pergendo ad Eccleſiam Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana. Feria tertia vero exeuntes ab Eccleſia Sanctæ Sabinæ Martyris, & pergentes ad Beatum Paulum Apoſtolum. Feria quarta exeuntes ab Eccleſia Hieruſalem, & pergentes ab Beatam Eccleſiam Beati Laurentii Martyris foris muros (95). Fecit autem & in titulo Sanctorum (96) Coronatorum veſtem de ſtauraci, habentem in medio crucem de chryſoclavo.

Iſdem vero Sanctiſſimus Præſul in Baſilica Beati Agapiti Martyris in civitate Præneſtina fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de fundato, & in medio crucem de chryſoclavo. Fecit iſdem Sanctiſſimus Præſul in Eccleſia Beati Clementis, quæ ponitur in (97) Velitris, veſtem de ſtauraci. Simili modo & in titulo Beati Chryſogoni fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin. Et in titulo Beati Laurentii de Lucina fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin. Et in titulo Beati Marci fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi. Et in titulo Beati Laurentii in Damaſo fecit veſtem ſimiliter. Simili modo & in titulo Beati Sixti fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin; necnon & in Diaconia Beati Hadriani, (98) & in Eccleſia Beatæ Martinæ, & in Diaconia antiqua fecit veſtes de ſtauraci, cum periclyſi. (99) Simili modo & in Diaconia Beati Archangeli fecit veſtes tres, ex quibus unam de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin, & alias duas de tyrio, cum periclyſi de fundato, cum hiſtoria de elephantis. Immo & in Diaconia Sancti Theodori fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi. Et in Diaconia Beati Georgii fecit veſtem de fundato, cum hiſtoria de (100) elephantis, ſeu diverſis hiſtoriis, cum periclyſi de fundato. Fecit & in Diaconia in gyro veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin. Simili modo & in Diaconia in via Lata fecit veſtes duas de tyrio cum periclyſi de blatthin.

Et in Diaconia Sanctæ Agathæ fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin. Fecit in Baſilica Beati Archangeli, quæ ponitur in Septimo, veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin. Et in Monaſterio Sancti Agapiti, quod ponitur ad Vincula, fecit veſtem de ſtauraci. Idem vero miſericordiſſimus Præſul fecit in Eccleſia Beatæ Agnes Martyris, ubi ejus Corpus requieſcit, veſtem de fundato, cum periclyſi de blatthin. Et in Eccleſia Beati Apollinaris fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi de blatthin. Iſdem miſericordiſſimus Præſul fecit & in titulo Sanctorum Martini, & Silveſtri veſtes de ſtauracin duas, è quibus unam cum periclyſi de fundato, alias vero de blatthin. Et in Diaconia Sancti Viti fecit veſtem de ſtauracin, cum periclyſi de fundato. Enimvero & in Eccleſia Beatæ Eugeniæ, in qua Sanctum Corpus ejus requieſcit, fecit veſtem de ſtauraci, cum periclyſi (101) de blatthin. Fecit & in Eccleſia Sancti Stephani in Cœlio monte veſtes de ſtauraci duas, in quibus unam in Altari majori, aliam vero ſuper Corpora Sanctorum Martyrum Primi, & Feliciani. Simulque & in Baſilica Beatæ Euphemiæ fecit veſtem de ſtauraci; & in Baſilica Beati Archangeli, quæ ponitur in vico Patricii, fecit veſtem de ſtauraci.

Fecit & ſuper Sepulchrum Beati Sebaſtiani Martyris via Appia ad Catacumbas veſtes majores duas, ex quibus unam de ſtauraci, & aliam de fundato. Et inibi ſuper tumbas Apoſtolorum Petri, ac Pauli fecit veſtes duas de ſtauraci, & fundato, ſeu blatthi. Iſdem vero Sanctiſſimus Præſul fecit in Baſilica Beati Laurentii Martyris, ſita infra civitatem Tiburtinam, veſtem de ſtauraci. Fecit & in Oratorio Sancti Stephani in (102) S. Petro, qui appellatur Major, veſtem de ſtauraci. Fecit autem & in Baſilica Beati Hiacynthi, ſita in Sabinis, ubi & Corpus ejus requieſcit, veſtem de ſtauraci pulcherrimam. Item à Deo protectus, & præclarus Pontifex fecit ſuper Altare Beati Petri Apoſtoli fautori ſuo veſtem de chryſoclavo miræ magnitudinis, habentem hiſtoriam Dominicæ nativitatis, cum gemmis pretioſiſſimis, & margaritis ornatam. Fecit autem in ſupradicta Eccleſia vela de ſtauraci, atque de fundato, pendentem inter columnas majores dextra, lævaque numero ſexaginta quinque. Et alia vela alba holoſerica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu. Atque ibidem ejus beatitudo fecit crucifixum ex argento puriſſimo, qui ſtat juxta Altare majus, miræ magnitudinis decora-

(95) *Verba* fecit autem & in titulo &c. *uſque ad illa*. Idem verò Beatiſſimus Præſul in Diaconia Beati Hadriani &c. *ut infra* B., & C. *non babent*.

(96) D. Sanctorum quatuor Coronatorum.

(97) D. in Villitrias.

(98) B., & C. Adriani Martyris.

(99) B., & C. Simili modo fecit in Diaconia Sanctorum Coſmæ, & Damiani coronam de argento penſantem libras V., uncias VIII. Et in Diaconia S. Adriani Martyris fecit coronam ex argento penſantem libras VI. Hic autem præclarus Antiſtes Divinitus inſpiratus hoſpitale B. Petro Apoſtolo in loco, qui dicitur Nummentia, à fundamentis noviter conſtruens, diverſa illic domorum ædificia decoravit, atque Eccleſiam in honorem B. Petri Principis Apoſtolorum à novo conſtruxit, in qua etiam SS. Chriſti Martyrum corpora deferens, recondidit, & omnia, quæ in prædicto hoſpitali erant neceſſaria in uſus pauperum, condonavit; pari modo & ſartatecta Baſilicæ SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani ſitæ in via Sacra mirificè reſtauravit; pariter etiam & Sartatecta Sanctæ Martinæ ſita in tribus fatis in melius reſtauravit. Hic præclarus & Almificus Pontifex tam intus, quàm extra poſitas Eccleſias diverſis donis, & muneribus decoravit; ſimiliter & ſartatecta uniuſcujuſque Eccleſiæ, ut opus & neceſſe erat, à novo refecit; etiam in titulum B. Pudentianæ veſtem albam oloſericam. Qui Beatiſſimus Pontifex poſtquam Sedem Romanam &c. *ut infra reliqua, quæ ſuperiùs ſunt non babentes*.

(100) D. de elementis, ſeu &c.

(101) D. cum periclyſi de leo comblattea. Fecit &c.

(102) D. à Sancto Petro.

Digitized by Google

coratum, pensan. libras quinquaginta duas: cui super fecit gabathas sex, cum cruce ex argento purissimo, quæ pendent ante arcum majorem, dextra, lævaque, pensan. simul libras duodecim & semis.

Enimvero & inibi fecit præclarus Pontifex vela de stauraci, quæ pendent in arcubus argenteis in circuitu Altaris, & in presbyterio numero nonaginta & sex, ex quibus duo habentia in medio cruces de chrysoclavo, cum orbiculis, & alias octo cum periclysi de chrysoclavo. Necnon & arcus cum columnis suis fecit ex argento purissimo in supradicta Ecclesia. Et in medio presbyterio, pens. simul libr. ducentas quinquaginta & unam & semis. Isdem vero almificus Pontifex fecit ubi supra crucem anaglyphum interrasilem (103), ex auro mundissimo, pendentem in pergula ante Altare, cum candelis duodecim, pensan. libras 13. Prædictus quoque venerabilis Pontifex fecit in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli calices majores fundatos ex argento purissimo ex ipsius Apostoli donis, qui pendent in arcu majore, numero undecim, & alios, qui pendent inter columnas majores dextra, lævaque, numero quadraginta, pensan. simul libr. ducentas sexaginta (*) & septem. Hic idem almificus Præsul divina inspiratione repletus fecit in Basilica Beati Pauli Apostoli cyborium cum columnis suis super Altare miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratum, ex argento purissimo, pens. libras duo mille & quindecim. Necnon & crucem anaglypham interrasilem ex auro purissimo, pendentem in pergula ante Altare, pensan. libras tresdecim. Atque velum rubeum, quod pendet ante Altare, habens in medio crucem de chrysoclavo, & periclysin de chrysoclavo.

Pari modo & in Basilica Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe fecit gabathas quinque ex auro purissimo, pensan. libras octo & semis, atque crucem ex auro purissimo, pensan. libras decem; necnon & coronam majorem ex argento purissimo, pensan. libras triginta sex. Enimvero & inibi fecit vela alba holoserica, pendentia inter columnas majores, dextra, lævaque, numero quadraginta duo, ex quibus undecim rosata. Fecit & in circuitu Altaris ubi supra alia vela alba holoserica rosata, quæ pendent in arcu de cyborio, numero quatuor, ex quibus unam cum chrysoclavo, & margaritis, atque velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu. Sarta tecta vero Ecclesiæ Beatæ (104) Areæ, sitæ in Ostia, omnia noviter reparavit. Ecclesiam vero Beati Marcelli, sitam in quartodecimo, quæ ab igne fuerat exusta, isdem almificus Præsul in omnibus noviter restauravit. Ipse vero præclarus Pontifex fecit in Basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, tetravila (105) in circuitu Altaris alba holoserica, ex quibus unum habet in medio tabulam, cum cruce de chrysoclavo. Immo & in eadem Basilica Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi renovavit Altare majus miræ magnitudinis, decoratum ex argento purissimo, pensan. libras sexaginta & novem. Fecit & in Basilica Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe vestem chrysoclavam, cum margaritis ornatam, habentem historiam Dominicæ Nativitatis. Simul etiam & arcus duos ex argento in presbyterio, cum columnis quatuor, & alios arcus quinque, pensan. libras centum triginta & tres. Isdem vero præcipuus Præsul fecit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe vestem rubeam alithynam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia Domini Nostri Jesu Christi, & Sancti Simeonis, quando in templo est præsentatus. Et in circuitu listam de chrysoclavo. Necnon & aliam vestem chrysoclavam, habentem historiam transitus Sanctæ Dei Genitricis, miræ magnitudinis, & pulchritudinis, decoratam ex gemmis pretiosis, & margaritis ornatam, cum periclysi de chrysoclavo, & in circuitu listam de chrysoclavo. Verum etiam & in Diaconia ipsius Dei Genitricis Dominæ nostræ, quæ appellatur Dominica, fecit vestem rubeam alithynam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia ejusdem Dei Genitricis, ex margaritis ornatam, & periclysin de chrysoclavo. Fecit autem & in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur antiqua, super Altare majus cyborium ex argento purissimo, pensan. libras ducentas & duodecim.

Præfatus vero venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritori suo gabatham ex auro purissimo anaglypham, cum gemmis pretiosis ornatam, quæ pendet ante imaginem ipsius Apostoli in ingressu vestibuli, pensan libras septem & semis. Faciem vero sacri altaris ipsius Apostolorum Principis ab imo, usque ad summum, cum luminaribus inferius, superiusque; necnon & intra confessionem Salvatorem stantem, dextra, lævaque ejus Beati Apostoli Petri & Pauli, habentes pariter coronas ex gemmis pretiosis, atque pavimentum ipsius confessionis investivit ex auro fulvo nimis, pensan. (106) libras quadringentas quinquaginta & tres, & uncias sex. Verum etiam super ipsum sacrum altare fecit vestem chrysoclavam, habentem historiam Dominicæ Ascensionis, & Pentecosten, cum periclysi de chrysoclavo.

Pari modo ubi supra fecit imaginem ipsius Apostolorum Principis in (107) porta Virorum, ex auro purissimo, & gemmis pretiosissimis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam, pensantes libras decem & novem, & uncias tres. Præsertim vero isdem Beatissimus Pontifex fecit ubi supra cancellos fusiles in ingressu presbyterii, seu in dextra parte, lævaque, necnon & in ingressu vestibuli, ex argento mundissimo, pens. simul libras mille quingentas septuaginta & tres. Simulque & columnas volatiles tam in ingressu corporis dextra, lævaque ex parte virorum, ac mulierum para (108) octo, pens. simul libras centum nonaginta; necnon & arcus argenteos octo, pens. simul libras centum quadraginta & tres. Fecit autem isdem Beatissimus Pontifex in Basilica Beati Andreæ, ubi supra, regnum ex auro purissimo, cum gemmis pretiosis ornatum, pensan. libras duas, & uncias quinque. Necnon & super altare Beatæ Petronillæ, ubi supra, fecit regnum aureum, cum gemmis pretiosissimis, pensan. libras duas & uncias tres. Simili modo & super altare Sanctæ Dei Genitricis, ubi supra, quæ appellatur Mediana, fecit vestem de fun-

(103) D. intrasylem *semper*.
(*) D. CCXLVII.
(104) D. Beatæ Aureæ, sitæ &c.
(105) D. tetra vela.
(106) D. pensan. simul libras &c.
(107) D. parte virorum &c.
(108) D. paria octo.

fundato, cum periclysi de chrysoclavo, habentem historiam Annunciationis Domini. Fecit autem isdem Beatissimus Pontifex in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli canistros ex argento puro, numero quadraginta septem, pensan. simul libras ducentas quadraginta & septem. Et in Monasterio Sanctæ Agathæ martyris super (109) Suburram fecit vestem rubeam alithynam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum periclysi de chrysoclavo. Necnon & in Monasterio Sancti Pancratii, sito post Basilicam Salvatoris, quam Constantinianam vocant, fecit vestem de fundato. Hic fecit Beato Petro Apostolo fautori suo Euangelia aurea, cum gemmis prasinis, atque hyacinthinis, & albis miræ magnitudinis, in circuitu ornata, pensan. libras decem & septem, & uncias quatuor. Hic fecit calicem aureum præcipuum, diversis ornatum lapidibus pretiosis, pensan. libras viginti octo. Similiter & patenam auream, pensan. libras viginti octo, & uncias novem.

Pari modo in Basilica ipsius Apostoli fecit Cherubin ex argento purissimo deauratos quatuor, qui stant super capita columnarum argentearum sub cyborio, pensan. libras nonaginta & tres. Fecit quoque isdem præcipuus Præsul, ubi supra, imaginem Salvatoris auream, quæ stat in trabe super ingressum vestibuli, pens. libras (110) septuaginta & novem. Fecit autem in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli Angelos ex argento purissimo deauratos duos, qui stant juxta imaginem (111) Salvatoris in ingressu vestibuli, pensan. libras centum & semis. Verum etiam & polycandilum porphyreticum, pendentem in pergula ante confessionem in catenulis aureis, quæ pens. libram unam. Præsertim & in ingressu Basilicæ, ubi supra, regias majores fecit imagines ex argento quinque, pensantes inibi libras ducentas viginti & novem. Enimvero, ubi supra, fecit aquamanus antipemto deauratas, paria duo, pensan. simul libras quatuordecim. Fecit autem isdem præsagus Antistes, ubi supra, cerostatas majores (112) versatiles anaglyphos ex argento purissimo, pensan. simul libras octuaginta & sex, & uncias octo. Atque lucernas majores fusiles bymixas anaglyphas duas, pensan. inibi libras quinquaginta & septem; & constituit ejus Beatitudo, ut quotidianis noctibus ante altare ipsius Apostoli ardere debeant. Hic divina adspiratus gratia investivit trabem majorem, quæ est sub arcu principali ex argento mundissimo, pensantem (113) libras mille trecentas quinquaginta & duas.

Fecit autem hic præclarus Pontifex ubi supra in altari majori vestem chrysoclavam miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam, habentem historiam Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, Sanctæque ejus Genitricis, & duodecim Apostolorum, cum periclysi de chrysoclavo, undique cum margaritis ornatam, & ab utrisque lateribus blatthin, cum chrysoclavo decoratam, quæ in natalibus Apostolorum isdem egregius Præsul ibidem poni constituit. Fecit autem ibi super crucem majorem ex auro fulvo nimis panoclystam, ornatam gemmis pretiosis, pens. libras quadraginta duas, & uncias duas. Necnon & cerostata paria quatuor, investita ex argento deaurato, pens. simul libras septuaginta & septem. Fecit autem venerabilis, & præclarus Pontifex super altare Beatæ Petronillæ cyborium cum columnis porphyreticis ex argento purissimo, miræ magnitudinis decoratum, pens. libras trecentas quadraginta & octo, atque imaginem argenteam stantem sub arcu de ipso cyborio, pens. libras decem & semis. Ipse vero à Deo protectus, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli super altare majus vestem chrysoclavam, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis, cum margaritis ornatam, & periclysin de chrysoclavo. Similiter ex margaritis ornatas Imagines Apostolorum duas ex argento deauratas, pensan. libras octuaginta & sex.

Hic vero misericordissimus Pontifex fecit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe super altare vestem chrysoclavam, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam, cum periclysi de chrysoclavo, undique ex margaritis ornatam. Et in titulo Sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Calixti, fecit regnum ex auro purissimo, pendens super altare majus, ex gemmis pretiosis ornatum, pens. libram unam. Atque in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Dominica, fecit regnum ex auro mundissimo pendens super altare majus ex gemmis pretiosis ornatum, pensan. libras duas. Hic Beatissimus Præsul divina inspiratione repletus fecit in Basilica Dei Genitricis ad Præsepe in ingressu Præsepii regias vestias (114) ex argento purissimo, pens. simul (115) libras centum viginti & septem, & super ipsas regias velum modicum fundatum, habentem in circuitu listam de chrysoclavo. Necnon & alia vela tyria (116) super regias majores tria in ingressu Basilicæ, cum periclysi de fundato.

Fecit autem isdem egregius Præsul in Basilica Beati Petri Apostoli calices majores ex argento mundissimo, qui sedent super trabes argent. numero decem & octo, pensan. simul libras centum octuaginta duas. Necnon, ubi supra, fecit cerostatas majores fusiles ex argento purissimo, qui stant ante confessionem, pensan. libras centum nonaginta octo. Investivit vero super trabem ex argento mundissimo, quæ est super imaginem auream in ingressu vestibuli, pensan. libras centum viginti sex, & semis. Verum etiam, ubi supra, fecit lucernas fusiles duas ex argento purissimo, pensan. simul libras viginti (117) & septem. Et hoc constituit, ut Dominicorum dies, vel in Sanctis solemnitatibus, hinc inde juxta lectoriam consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore refulgerent. Hic fecit ad Beatum Andream Apostolum cyborium ex argento purissimo super altare majus, pensan libras trecentas & quinque. Hic autem præcipuus Pontifex divinitus inspiratus baptisterium, ubi supra, conspiciens, quia jam præ nimia vetustate ruinæ proximum inerat, & quia angustior locus populi existebat, qui ad Baptismum veniebat, isdem Præsul à fundamentis ipsum baptisterium in rotundum ampla largitate construens in meliorem erexit statum, atque sacrum fontem in medio largiori spatio fundavit, (118) & in circuitu columnis porphyreticis decoravit, & in

(109) D. super subora.
(110) D. libras XXIX.
(111) D. juxta imaginem Altaris in ingressum &c.
(112) D. majores battutiles anaglyfos.
(113) D. pensantem undique libras MCCLII.
(114) D. Regias vestas ex argento &c.
(115) ∞ simul D. *non habet*.
(116) D. vela majora tyria &c.
(117) D. libras XXVI.
(118) D. fundavit, eumque in circuitu &c.

Digitized by Google

in medio fontis columnam posuit, & super columnam agnum ex argento purissimo, fundentem aquam, qui pensan. libras decem & octo, & uncias decem. Necnon & altare majus sub absida construxit. Cujus faciem, atque confessionem, seu rugas, ad decorem ipsius sacri altaris investivit ex argento mundissimo, pensan. simul libras quadraginta & octo. Verum etiam & vestem de stauraci super eam posuit, atque regularem ibi superinvestitum ex argento purissimo fecit. Et super ipsum regularem posuit arcum, & gammadias ex argento, qui pensan. simul libras octuaginta. Necnon & imagines tres, ubi supra posuit, pensan. inibi libras triginta & septem, & uncias decem. Ipsum vero baptisterium diversis in circuitu decoravit picturis.

Oratorium vero Sanctæ Crucis, ubi supra, quod præ nimia erat vetustate ruiturum, hic præcipuus Pastor à fundamentis simul cum absida novo ædificio erexit, & ad perfectum usque perduxit, atque ipsam absidam ex musivo diversis decoratam picturis, atque marmoribus miro splendore ornavit, ubi & obtulit cyborium super altare, cum columnis suis, atque faciem ipsius altaris investivit ex argento purissimo, pensan. libras centum viginti & unam, & uncias duas. Regnum spanoclystum ex auro purissimo, cum cruce in medio, pendens super ipsum altare, pensan. libram unam, & uncias undecim. Necnon & alias columnas argenteas quatuor, & super ipsas columnas regularem investitum ex argento purissimo, pensan. inibi libras sexaginta & quatuor, & uncias tres. Arcus argenteos tres, pensan. libras quadraginta & tres, & uncias octo. Imagines argenteas deauratas tres, pensan. inibi libras triginta. Canistros argenteos intersatiles duodecim, pensan. simul libras septuaginta & octo. Gabathas argenteas intersatiles fundatas viginti unum, & crucem unam, pens. in unum lib. quinquaginta. Vestem super altare de fundato unam. Et alia de blatthin, cum chrysoclavo, necnon & aliam vestem albam rosatam, cum chrysoclavo. Velum modicum chrysoclavatum, cum crucifixo, & margaritis ornatum. Vela de stauraci septem, vela de fundato quatuor, vela modica, quæ pendent in regulari ante imagines tyrias sex. Vel alba serica ornata in circuitu de fundato duodecim. Velum majus album rosatum, ornatum desuper de quadruplo unum, & aliud velum rubeum, cum bubalo, quod pendet ante regias majores. Vela modica de stauraci quatuor, quæ pendent in regulari ante imagines; sed & alia vela promiscua serica numero undecim. Fecit ubi supra ad fontes vela tyria tria, quæ pendent in regularem ante imagines; & alia vela serica numero viginti unum.

Hic fecit Beato Petro Apostolo nutritori suo calicem aureum præcipuum spanoclystum diversis ornatum lapidibus pretiosis, pensan. libras triginta. Pari modo fecit & patenam auream spanoclystam, similiter diversis ornatam pretiosis lapidibus, pensan. libras viginti quinque. Fecit vero super cyburium de altari majori Beato Petro Apostolo canthara majora quatuor ex argento purissimo, habentia in medio cereos ex argento deauratos, pensan. in unum libras centum & quadraginta. Prædictus vero, & præclarus Pontifex fecit ubi supra thuribulum Apostolicum ex auro purissimo, pensan. libras duas, & uncias quinque. Fecit vero vestem super altare majus chrysoclavam, diversis ornatam picturis, quam constituit quatuor temporibus per annum in duodecim lectionibus ibidem ponere. Fecit ubi super coronas majores ex argento purissimo quatuor, pens. simul libras centum quinquaginta quatuor & semis. Fecit vero ubi supra lectorium ex argento purissimo miræ magnitudinis decoratum, pensan. libras centum quadraginta & tres. Necnon & cerostatas ex argento mundissimo, stantes juxta ipsum lectorium, pensan. simul libras quadraginta & novem. Verum etiam & super ipsas cerostatas fecit lucernas fusiles bimixas (119) duas ex argento puro, pensan. libras viginti & septem. Et hoc constituit, ut Dominicorum die, vel in Sanctis Solemnitatibus, hinc inde juxta lectorium consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgerent. Pharocantharos fecit in presbyterio numero quatuordecim ex argento mundissimo, pens. simul libras quadringentas triginta & tres. Necnon columnas octo, & arcus quatuor fecit ex argento, pensan. inibi libras centum septuaginta & tres.

Fecit vero ubi supra calices fundatos ex argento, qui pendent inter columnas majores dextra, lævaque Basilicæ numero sexaginta quatuor, pensan. pariter libras quadringentas sexaginta & unam. Isdem vero præsagus Antistes ubi supra ad Beatum Andream Apostolum investivit altare majus ex argento purissimo deaurato, miro decore ornato, qui pensan. undique libras centum triginta quinque. Cantharas ex argento purissimo duodecim, pensan. simul libras quinquaginta & duas. Canistros duodecim ex argento, pensan. libras septuaginta & octo. Investivit vero altare Beatæ Petronillæ ex argento purissimo deaurato, diversis ornatam picturis, undique pensan. libras centum sexaginta & duas & uncias octo. Necnon investivit altare Beati Gregorii Confessoris, atque Pontificis ex argento deaurato, undique pensan. libras centum viginti & septem. Fecit ubi supra in gremio Basilicæ Beati Petri Apostoli cortinam majorem Alexandrinam holosericam, habentem in medio adjunctum fundatum, & in circuitu ornatum de fundato. Verum etiam isdem præcipuus Præsul fecit thuribula Apostolica ex auro purissimo duo, ex quibus unam misit intus super corpus ejus, quod pens. libras duas, & alteram pensan. libras duas & uncias octo, quod præcedit per stationes.

Hic vero almificus Præsul fecit in Basilicam Beati Pauli Apostoli thuribula Apostolica ex auro purissimo duo. Hic vero almificus Præsul investivit faciem altaris Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe ex argento mundissimo deaurato, quod pens. libr. octuaginta & sex. Fecit autem ibi coronas duas ex argento purissimo pens. libras quinquaginta quatuor. Cortinas majores Alexandrinas holoserica ornatas in circuitu de fundato. Hic vero præcipuus Præsul ex largitate Omnipotentis Dei, & Beati Petri Clavigeri Regni Cœlorum obtulit per universas Sanctorum Sacras Ecclesias hujus almæ Romæ coronas, vel etiam canistros ex argento purissimo, ob veniam facinorum suorum, videlicet: In Ecclesia Domini Nostri Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, fecit coronas ex argento purissimo, pensan. libras viginti tres. Et in Basilica Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe instar

(119) D. lucernas fusiles vimixas duas &c.

instar fecit coronam ex argento puro, pens. libras tredecim. Et in Basilica Sanctæ Dei Genitricis in titulo Calixti fecit coronam ex argento, pens. libras tredecim & uncias tres. Et in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Antiqua, similiter fecit coronam ex argento, pensan. libras tredecim. Et in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad Martyres fecit coronam ex argento, pensan. libras duodecim & uncias tres. Et in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Cosmedin (120), eodem modo fecit coronam ex argento, pens. libras duodecim, necnon & in Diaconia Sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Dominica, similiter fecit coronam ex argento, pensan. libras novem. Et in Diaconia Sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur via Lata, fecit coronam ex argento, pensan. libras novem. Et in Diaconia Sanctæ Mariæ in Cyro (121) fecit coronam argenteam, pensan. libras octo. Immo & in Diaconia Beatæ Dei Genitricis, quæ ponitur foris portam (122) Beati Petri Apostoli fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque & uncias tres. Et in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ ponitur in Adriano, eodem modo fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque.

Necnon & in Oratorio Sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in Xenodochio Firmis, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas & uncias septem. In Ecclesia Beati Petri Apostoli fecit canistrum de argento purissimo, pensan. libras viginti duas. Et in Ecclesia Beati Pauli Apostoli instar fecit canistrum ex argento purissimo, pensan. libras 22. & uncias quatuor & octo. Immo & in Ecclesia Beati Andreæ Apostoli, quæ appellatur Eudoxiæ, eodem modo fecit coronam de argento, pens. libras novem. Verum etiam & in Ecclesia Beati Joannis Baptistæ, quæ ponitur juxta Patriarchium Lateranense, fecit coronam de argento pensan. libras quinque. Immo & in Ecclesia Beati Joannis Euangelistæ, quæ ponitur ubi supra, fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque. Item & in Ecclesia Beati Stephani, quæ ponitur in Cœlio monte, simili modo fecit coronam ex argento, pensan. libras septem, & uncias undecim. Et in Basilica Apostolorum, quæ ponitur in via Lata, fecit coronam de argento, pensan. libras tredecim. Et in Musileo Beatæ Petronillæ, quod ponitur ad Beatum Petrum Apostolum, fecit coronam ex argento, pensan. libras viginti. Et in Ecclesia Hierusalem, quæ ponitur in Sessoriano, fecit coronam de argento, pensan. libras quinque. Et in Ecclesia Beati Laurentii, quæ ponitur foris murum, similiter fecit coronam de argento, pensan. libras tresdecim. Et in Ecclesia Beati Apollinaris Martyris fecit coronam, pensan. libras quinque, & uncias quatuor. Verum etiam & in Basilica Beati Pancratii Martyris, quæ ponitur foris murum, eodem modo fecit coronam ex argento, pensan. libras octo. Fecit autem & in Ecclesia Beati Valentini martyris, quæ ponitur foris murum, ubi corpus ejus requiescit, fecit coronam de argento, pensan. libras sex. Et in titulo Beati Clementis Martyris, atque Pontificis fecit coronam de argento, pensan. libras quindecim.

Et in titulo Beatorum Aquilæ, & Priscæ fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Et in titulo Sanctæ Balbinæ similiter fecit. Immo & in Ecclesia Sancti Sixti Martyris atque Pontificis fecit coronam similiter. Et in titulo Sancti Laurentii Martyris, quæ ponitur Lucinæ, similiter fecit, pensan. libras quatuor, & uncias decem. Et in titulo Sancti Laurentii Martyris, qui appellatur Damasi, fecit coronam ex argento, pens. libras quinque. Et in Ecclesia ipsius Martyris, quæ ponitur Formosus, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas & uncias septem. Sed & in titulo Pammachii fecit coronam ex argento, pens. libras 10. Et in titulo Æmilianæ pari modo fecit coronam de argento, pensan. libras 4. Necnon & in titulo Sancti Eusebii fecit coronam de argento, pensan. libras sex. Et in titulo Praxedis fecit coronam, pens. libras quinque. Et in titulo Pudentis fecit coronam ex argento, pens. libras novem. Immo & in titulo Beati Vitalis Martyris fecit coronam ex argento, pensan. libras novem, & uncias tres. Et in titulo Sanctæ Susannæ martyris similiter fecit coronam, pensan. libras decem & septem. Et in titulo Sancti Cyriaci fecit coronam de argento, pensan. libras quinque. Et in titulo Beati Marcelli Martyris fecit coronam ex argento, pens. libras decem. Necnon & in titulo Beati Marci Martyris fecit coronam similiter. Et in titulo Beatæ Anastasiæ fecit coronam, pens. libras septem, & uncias novem. Necnon & in titulo Cæciliæ instar fecit coronam ex argento, pens. simul libras decem, & unciam unam. Et in titulo Beati Chrysogoni Martyris fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque.

Verum etiam & in Diaconia Sanctorum Nerei & Achilei fecit coronam de argento, pensan. libras sex, & uncias quinque. Et in Diaconia Sanctæ Luciæ, quæ ponitur in septem viis, fecit coronam ex argento, pensan. libras sex, & uncias septem. Et in Diaconia Sancti Bonifacii similiter fecit coronam, pensan. libras septem. Et in Diaconia Sancti Georgii fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque. Et in Diaconia Sancti Theodori eodem modo fecit coronam, pensan. libras sex, & uncias octo. Et in Diaconia Sanctorum Sergii & Bacchi fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Et in Diaconia Sanctorum Cosmæ, & Damiani fecit coronam, pensan. libras quinque, & uncias octo. Et in Diaconia Sancti Adriani martyris fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Sed & in Diaconia Sancti Archangeli fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Sed & in Diaconia Sancti Eustachii similiter fecit, pensan. libras sex, & uncias quinque. Et in Diaconia Sanctæ Luciæ, quæ ponitur juxta Orphea, pari modo fecit coronam ex argento, pensan. libras sex, & uncias duas. Simulque & in Diaconia Beati Viti Martyris, quæ ponitur in Macello, fecit coronam ex argento, pensan. libras sex. Immo & in Diaconia Sanctæ Agathæ similiter fecit coronam ex argento, pensan. libras quinque. Fecit autem & in Diaconia Sancti Silvestri, quæ ponitur juxta Beatum Petrum Apostolum, coronam argenteam, pensan. libras quatuor. Verum etiam & in Diaconia Sancti Martini, quæ ponitur juxta Beatum Petrum Apostolum, instar fecit coronam ex argento,

(120) D. appellatur Cosmidin eodem &c.
(121) D. Mariæ in Gyro fecit &c.
(122) D. portam ex argento pensantem libras IV., & uncias II. *Verba sequentia*, & in Diaconia ipsius Dei Genitricis &c. *usque ad illa*. Simili modo & in Monasterio S. Silvestri &c. *ut infra non legit*.

Digitized by Google

gento, pensan. libras quinque, & uncias tres. Immo & in titulo Sanctorum Silvestri, & Martini, qui ponitur juxta Orphea, coronam ex argento, pensan. libras sex, & uncias duas.

Ipse vero à Deo protectus, & præclarus Pontifex fecit in Monasterio Sancti Sabæ coronam ex argento, pensan. libras 8. & uncias decem. Verum etiam & in Monasterio Beati Anastasii Martyris eodem modo fecit coronam ex argento, pensan. libras octo, & uncias quatuor & semis. Sed & in Monasterio Sancti Andreæ, quod ponitur in clibus cauri, similiter fecit coronam ex argento puro, pens. libras quinque. Et in Monasterio Beatæ Agathæ Martyris, quod ponitur super Suburram, similiter fecit. Nec non & in Monasterio Sancti Erasmi, quod ponitur in Cœlio monte, fecit coronam ex argento, pensan. libras 4. & uncias duas. Simili modo & in Monasterio Sancti Silvestri coronam ex argento, pensan. libras 6. uncias tres. Et in Monasterio Beati Laurentii Martyris, qui appellatur Pallacini, fecit canistrum de argento, pens. libras 2. & uncias septem. Enimvero & in Monasterio Sancti Pancratii, quod ponitur juxta Basilicam Salvatoris, fecit coronam de argento, pensan. libras 5. & semis. Fecit autem & in Monasterio Sanctorum Andreæ & Bartholomæi, quod appellatur (123) Honori, canistrum ex argento, pensan. libras tres. Et in Monasterio Sancti Stephani, quod ponitur juxta Lateranis, fecit canistrum de argento, pensan. libras duas. Simulque & in Monasterio ipsius primi Martyris Stephani, quod ponitur ad Beatum Petrum Apostolum, fecit canistrum ex argento, pensan libras tres & semis. Ipse vero almificus Præsul fecit in Monasterio Sanctorum Joannis, & Pauli, qui ponitur juxta Beatum Petrum Apostolum, canistrum ex argento, pensan. libras tres. Pari modo fecit & in Monasterio Sancti Martini, quod ponitur ut supra, canistrum, pensan libras quatuor, & uncias duas. Sed & in Monasterio Sancti Stephani, ubi supra, quod appellatur Catagalla Patritia, pari modo fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas & semis. Simulque & in Monasterio Sancti Cæsarii, quod ponitur ad Beatum Paulum Apostolum, instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras tres. Et in Monasterio Sancti Stephani, ubi supra, fecit canistrum, pensan. libras duas. Immo & in Monasterio Sanctorum Cosmæ, & Damiani, quod ponitur juxta Præsepe, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas, & uncias duas. Simili modo fecit in Monasterio Sancti Andreæ, quod appellatur massa Juliana, canistrum ex argento. pensan. libras duas. Necnon & in Monasterio Sancti Hadriani, quod ponitur juxta Præsepe, instar fecit canistrum, pensan. libras duas. Et in Monasterio Sancti (124) Cassiani, quod ponitur juxta Beatum Laurentium Martyrem foris murum, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas.

Fecit autem in Monasterio Sancti Stephani, qui ponitur ubi supra, canistrum ex argento, pensan. libras duas & semis. Verum etiam & in Monasterio Sancti Victorii, quod ponitur ad Sanctum Pancratium, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas, & uncias septem. Et in Monasterio Sancti Chrysogoni similiter fecit canistrum, pensan. libras tres. Ipse vero almificus Præsul fecit in Monasterio Sanctæ Mariæ, quod appellatur Ambrosii, canistrum ex argento, pens. libras duas. Pari modo fecit & in Monasterio Sanctæ Mariæ, quod appellatur Juliæ, ut supra. Sed & in Monasterio Sancti Andreæ, quod ponitur juxta Basilicam Apostolorum, fecit similiter. Simulque & in Oratorio Sancti Stephani, quod ponitur in Dulciti, fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas, & uncias quinque. Enimvero & in Oratorio Sanctorum Sergii, & Bacchi, qui ponitur in Callinico, similiter fecit canistrum. Immo & in Monasterio Sancti Agapiti, quod ponitur juxta titulum Eudoxiæ, fecit similiter canistrum argenteum, & semis. Simili modo & in Oratorio Sanctæ Agnetis, quod ponitur in Monasterio, quod appellatur duo furna, fecit canistrum ex argento, pens. libras duas, & uncias octo. Necnon & in Oratorio Sancti Viti, quod ponitur in Monasterio, quod appellatur de Sardas, fecit canistrum ex argento, pensan. libras tres. Et in Monasterio Sanctæ (125) Vivianæ similiter fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas & uncias novem. Fecit autem & in Oratorio Sanctæ Luciæ, quod ponitur in Monasterio de Renati, (126) canistrum ex argento, pens. libras duas.

Verum etiam & in Oratorio Sanctæ Mariæ, quod ponitur in Monasterio Michaelis, instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas & uncias duas. Et in Monasterio Sancti Sergii eodem modo fecit canistrum ex argento, pens. libras tres. Ipse vero almificus Præsul & in Oratorio Sanctæ Agathæ, quod ponitur in Monasterio (127) apud Africi, canistrum ex argento, pensan. libras tres. Pari modo fecit & in Monasterio Sanctorum Euphemiæ, & Archangeli, quod ponitur juxta titulum Pudentis, canistrum ex argento, pensan. libras quinque. Sed & in Monasterio Sancti Isidori simili modo fecit canistrum Simulque & in Oratorio Sanctæ Agathæ, quod ponitur in Monasterio (128) Tempuli, fecit canistrum similiter. Et in Oratorio Sancti Cæsarii, quod ponitur in Monasterio de Corsas, similiter fecit canistrum, pensan. libras duas, & uncias tres. Enimvero & in Monasterio Sancti (129) Semitrii fecit similiter canistrum argenteum. Immo & in Oratorio Sanctæ Mariæ, quod ponitur in Monasterio Aquæ Salviæ, fecit similiter. Simili modo fecit & in Monasterio Sancti Donati, quod ponitur juxta titulum Sanctæ Priscæ, canistrum ex argento, pens. libras duas, & uncias quinque. Et in Monasterio Sancti Joannis, quod ponitur in Aventino, (*) instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas. Necnon & in Oratorio Sanctæ Mariæ, quod ponitur in Monasterio de Lutara, fecit canistra ex argento, pensan. libras duas & semis. Fecit autem & in Monasterio Hierusalem, quod ponitur ad Beatum Petrum Apostolum, canistrum ex argento, pensan. libras duas.

Verum etiam & in Monasterio Sanctæ Agnetis, quod ponitur foris portam Numentanam, fecit canistra ex argento, pensan. libras quinque. Et in Monasterio Sanctæ Eugeniæ, quod ponitur foris portam Latinam, pari modo fecit canistrum ex argento, pens. libras quinque.

Seu

(123) D. appellatur Honi canistrum &c.
(124) D. Sancti Casini, quod &c.
(125) D. *legit in margine* Savinæ.
(126) D. canistra ex argento pensantia lib. &c.
(127) D. Monasterio caput Africi &c.
(128) D. Monasterio Templi fecit &c.
(129) D. Monasterio S. Simeitri fecit &c.
(*) D. in Appentino.

Digitized by Google

Seu & in Oratorio S. Gregorii, (*) ponitur in Campo Martis, fecit canistra ex argento, pensan. libras tres. Ipse vero almificus Præsul fecit in titulo Beatæ Sabinæ coronam ex argento purissimo, pensan. libras octo. Pari modo fecit in Diaconia Sanctorum Silvestri, & Martini, quæ ponitur juxta Orpheam, coronam ex argento, pensan. libras sex, & uncias duas. Necnon & in Oratorio Sanctæ Luciæ, quod ponitur in Xenodochio, similiter fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas, & uncias quatuor. Fecit autem & in Oratorio Sancti Abbacyri, quod ponitur in Xenodochio, (130) canistrum ex argento, pens. libras duas. Atque in Oratorio Sanctorum Cosmæ, & Damiani, quod ponitur in Xenodochio, quod appellatur Tucium, instar fecit canistrum ex argento, pensan. libras duas, & unciam unam. Verum etiam & in Oratorio Sancti Peregrini, quod ponitur in hospitali Dominico ad Naumachiam, fecit canistra ex argento, pensan. libras quinque, & unciam unam. Præfatus vero Pontifex fecit in Basilica Domini nostri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, super altare majus vestes chrysoclavas duas; ex quibus unam habentem historiam Dominicæ Resurrectionis, & aliam habentem historiam vivificæ atque adorandæ Dominicæ Crucis. Cantharos ex argento mundissimo octo, pensan. simul libras viginti & septem, & uncias sex. Investivit ubi supra rugas ante ingressum altaris ex argento purissimo, pensan. libras quadraginta octo, & uncias octo. Coronas ex argento purissimo, pensan. libras duodecim. Fecit ubi supra ad fontes vela alba holoserica, ornata in circuitu de fundato, atque quadrapulo numero decem. Sarta tecta vero ipsius Ecclesiæ, cum quadriporticu, simul & ad fontes, omnia, & in omnibus noviter restauravit. Simul & fenestras de absida ex vitro diversis coloribus conclusit, atque decoravit. Et alias fenestras Basilicæ ex metallo (131) Cyprino reparauit; & in gremio Basilicæ fecit cortinas duas, ex quibus una major fundata alba, & alia minor alba rosata.

Fecit autem isdem Præsul in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe, rosata cum periclysin de fundato. Canthara de argento purissimo duo, pensan. inibi libras viginti tres. Columnas duas, pensan. libras viginti & unam, & uncias quinque. Crucem cum gabatha ex argento mundo, pensan. simul libras quinque. In Diaconia vero ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Antiqua, fecit tetravila alithyna, ornata in circuitu de quadrapulo. Et in Oratorio Sancti Andreæ, ubi supra, vela duo holoserica, ornata ut supra. In titulo ipsius vero Dei Genitricis, qui appellatur Calixti, fecit vestem albam holosericam (132) rosatam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia Præsentationis Domini nostri Jesu Christi, & Sancti Simeonis, cum periclysi de tyrio. Tetravila rubea alithyna quatuor, habentia cruces cum gammadiis, & in circuitu periclysin de tyrio. Velum tyrium majus, quod pendet ante imaginem, cum periclysi de blatthi unum. Vela modica rubea alithyna, cum staurace in medio numero tria, quæ pendent ante imagines argenteas, cum periclysi de blatthin. Cortinam majorem holosericam in gremio Basilicæ unam, fecit & imagines argenteas deauratas. E quibus unam cum gemmis, arcum argenteum unum, cum gammadiis suis. Supra cerostata pharum unum, thuribula duo, pens. simul libras nonaginta quinque, & uncias septem. Fecit vero isdem præsagus Antistes Beato Petro Apostolo calicem aureum, diversis ornatum pretiosis lapidibus, qui præcedit per stationes, pens. libras (133) tredecim. Hic fecit in Basilica ipsius Apostoli velum chrysoclavum, quod pendet supra in ingressu vestibuli. Item aliud velum majus e chrysoclavo, quod pendet in trabe argentea ante imaginem Salvatoris supra in ingressu vestibuli. Coronam majorem ex argento purissimo, pens. libras quinquaginta & tres, & uncias octo. Pharum argenteum pendentem infra ipsam coronam, pensan. libras viginti & tres. Item coronas argenteas quatuor, pensan. libras quinquaginta & septem. Canistros octo, qui pensan. simul libras quadraginta.

Hic vero pro amore, & cautela orthodoxæ fidei, fecit ubi supra scuta argentea duo, scripta utraque Symbolo, unum quidem litteris Græcis, & alium Latinis, sedentia dextra, lævaque super ingressum corporis, pensan. inibi libras nonaginta quatuor, & uncias sex. Fecit, ubi supra, in gremio Basilicæ cortinam majorem holosericam fundatam unam, ornatam in circuitu de fundato. Velum album holosericum rosatum majus unum, quod pendet in trabe majore super imagines aureas, ornatum in circuitu de fundato. Enimvero supra ad fontes fecit vela serica alba numero novem, ornata in circuitu de fundato. Hic vero, ubi supra, investivit altare Beatissimi Leonis Confessoris atque Pontificis ex argento mundissimo deaurato, pensan. simul libras centum & novem. Item investivit altare Beati Gregorii Confessoris atque Pontificis ex argento mundissimo deaurato, pensan. undique libras centum viginti & septem.

Hic vero præfectus à Deo, & præclarus Pontifex investivit altare Beati Pauli Apostoli ex argento purissimo, ac decoravit (*), quod pens. libras centum quinquaginta quinque; necnon & confessionem ipsius, atque faciem altaris investivit ex auro purissimo, pens. inibi libras centum viginti & unam, & uncias octo. Fecit & supra in ingressu corporis scutum ex argento purissimo, in quo orthodoxæ fidei Symbolum scribi fecit, quod pensan. libras triginta (134) & duas. Fecit ubi supra coronas majores tres ex argento purissimo, pens. libras in unum nonaginta & tres. Fecit autem in Basilica (135) cortinam majorem holosericam de quadrapulo, & fundato pulcherrimam. Præfatus vero venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris sui super altare majus cyborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo deaurato, cum diversis historiis miræ magnitudinis mirifice decoratum, quod pensat libras duo mille septingentas & quatuor, & uncias tres. Cyborium vero, quod exinde abstulit, posuit super altare majus in Basilica Beatæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe; & crucem ex argento puro

(*) D. Gregorii, quod pon. &c.
(130) D. Xenodochium, quod appellatur Avaleris canistrum &c.
(131) D. metallo Gypsino reparavit &c.
(132) D. olosiricam ornatam habentem &c.

(133) D. libras XIII., & semis.
(*) D. deauravit.
(134) D. libras XXII.
(135) D. Basilica Beatæ Savinæ Martyris in gremio Basilicæ cortinam &c.

Digitized by Google

puro fecit, & inibi posuit, pensan. libras duodecim, & uncias tres. (136) Necnon & tetravela rubea alithyna quatuor ubi supra fecit, ex quibus unum cum chrysoclavo. Sed & in Musileo Beatæ Petronillæ, quod ponitur ad Beatum Petrum Apostolum, fecit vela alba majora tria, minora octo, ornata in circuitu de fundato. Fecit vero isdem præclarus Pontifex ante confessionem ipsius Apostolorum Principis Angelos ex argento purissimo, dextra, lævaque, pensan. inibi libras centum quadraginta & sex. Necnon & alios Angelos duos ex argento purissimo deauratos, qui stant in trabe majori super ingressu vestibuli, dextra, lævaque, juxta imaginem Salvatoris auream, pens. simul libras sexaginta tres. Et alios Angelos quatuor minores ex argento purissimo deauratos, ubi supra, dextra, lævaque, qui pens. simul libras sexaginta octo. Verum etiam fecit, ubi supra, columnellas ex argento deauratas sex in ingressu vestibuli, diversis depictas historiis, quæ pens. simul libras centum quadraginta & septem. Fecit & crucem majorem ex argento purissimo deauratam, quæ stat juxta altare majus, pensan. libras viginti duas. Fecit vero ubi supra arcum majorem ex argento mundissimo deaurato supra in ingressu vestibuli, pensan. libras centum triginta, & unam & semis. Fecit vero ubi supra intra confessionem Beati Leonis Confessoris, atque Pontificis Evangelium ex argento mundissimo deauratum (*) supra ingressu vestibuli, pens. libr. quadraginta octo & semis. Fecit ubi supra columnellam unam de argento purissimo, pens. libras decem & septem. Ipse vero à Deo protectus, & præclarus Pontifex fecit in Diaconia Beati Archangeli patenam, & calicem ex argento purissimo, pensan. in unum libras 10. Hic divina inspiratione protectus fecit in Basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, cyborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo, diversis depictum historiis, cum cancellis, & columnellis suis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratum, quæ pens. undique simul libras mille ducentas viginti septem. Verum etiam & sarta tecta Basilicæ Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ appellatur ad Præsepe, omnia noviter restauravit. Cubicula vero juxta Ecclesiam Beati Petri Apostolorum Principis, quæ nimia vetustate marcuerant, etiam pene ruitura erant, isdem Egregius Præsul à fundamentis firmissimum ponens ædificium in meliorem erexit statum. Fecit & ubi supra juxta columnam majorem balneum in superiore positum constructum in rotundum mirifice decoratum. Gradus vero in introitu ejusdem Basilicæ tam super porticum, quam etiam in atrio noviter restauravit. Fecit & juxta eosdem gradus parte dextra atrii domum à fundamentis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam, in qua etiam & accubitos collocavit. Fecit & juxta eandem domum pro subsidiis Christi pauperum, atque peregrinorum balneum à fundamentis mirifice decoratum. Hic autem præclarus Antistes divinitus inspiratus Hospitalem Beato Petro Apostolo, in loco, qui Naumachia dicitur, à fundamentis noviter construens, diversa illic domorum ædificia decoravit; atque Ecclesiam in honorem Beati Petri Principis Apostolorum à novo construxit. In qua etiam Sanctorum Ecclesiæ Christi Martyrum corpora deferens recondidit; & omnia, quæ in prædicto Hospitali erant necessaria construxit.

Prædia etiam illic urbana, vel rustica pro alimoniis Christi pauperum, seu advenis, vel peregrinis, qui ex longinquis regionibus veniunt, obtulit ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & salute populi Romani. Præsertim igitur & Monasterium Sancti Christi primi Martyris Stephani, quod appellatur Catagalla patritia, quod præ nimia vetustate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat, idem præsagus Pontifex certamen ponens à fundamentis simul cum Oratorio firmum jacens fundamentum in meliorem erexit statum. Gradus vero, per quos ingressus est in Ecclesiam Beati Petri Apostoli a Sancto Andrea Apostolo, qui vetustate consumpti erant, a novo refecit. Pari modo & Monasterium Beati Martini Confessoris, atque Pontificis, situm ubi supra, quod nimia fuerat vetustate quassatum pene omne à fundamentis restauravit. Sarta vero tecta Basilicæ Sancti Andreæ Apostoli, quod appellatur Catabarbara patritia, quæ per olitana jam fuerant tempora vetustate consumpta, noviter restauravit. Simili modo & sarta tecta Beatæ Luciæ Martyris, quæ ponitur in Orphea, refecit a novo. Pariter etiam & sarta tecta Beatæ Balbinæ Martyris, quæ jam pene ruitura erant, in melius restauravit. Pari modo & sarta tecta Basilicæ Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani, sitæ in via sacra, mirifice restauravit. Pariter etiam & sarta tecta Basilicæ Sanctæ Martinæ Martyris, sita in tribus fatis, in melius restauravit.

Necnon igitur & sarta tecta titulo Beati Laurentii Martyris, qui appellatur Damasi, noviter restauravit. Hic vero Sanctissimus, & præclarus Pontifex sarta tecta Basilicæ Valentini Martyris sita via Flaminia, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, prudentissimo studio mirifice a novo refecit. Quadriporticus vero Basilicæ Apostolorum in via Lata intus, & foris omnia sarta tecta ipsarum noviter reparavit. Immo vero & sarta tecta Basilicæ Beatæ Agathæ Martyris, sita super Suburram, quæ præ nimia vetustate jam emarcuerant, noviter reparavit. Hic vero Sanctissimus Præsul fecit in Patriarchio Lateranensi Oratorium à fundamentis in honore Beati Archangeli, insigni opere firmissime construens, quod etiam ex musivo, seu diversis picturis, atque pulcherrimis marmorum metallis diversis coloribus ornavit undique. Et omnia cimilia tam aurea, quamque argentea, vel etiam vela diversa ibi obtulit. (137) Macronam vero ipsius Lateranensis Patriarchii, quæ extenditur à Campo (138), & ultra Imagines Apostolorum, quæ præ nimia vetustate ruituræ erant, à fundamentis simul & sarta tecta, necnon & solarium ab imo usque ad summum noviter restauravit, & in melius firmissimis marmoribus stravit, atque cameram ipsius Macronæ noviter fecit, & diversis historiis pictura mirifice decoravit. Hic à Deo protectus venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in circuitu altaris Beati Petri Apostoli nutritoris sui tetravela rubea holoserica alithyna, habentes

(136) D. *Verba* Nec non & tetravela, *usque ad illa*, Fecit verò isdem præclarus Pontifex &c. *non leg.*

(*) *Verba quæ sequuntur ad illa*. Quadriporticus verò &c. *non leguntur in* D.

(137) D. Macroneam verò &c. *sic semper*.

(138) D. à campo usque ultra imagines &c.

bentes tabulas, seu orbiculos de chrysoclavo, diversis depictos historiis, cum stellis de chrysoclavo; necnon & in medio cruces de chrysoclavo, ex margaritis ornatas, miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratas, quæ in diebus festis ibidem ad decorem mittuntur. Pari modo ut supra & alia tetravela alba holoserica rosata Paschatiles, habentes tabulas, atque orbiculos de chrysoclavo; necnon & cruces cum chrysoclavo ex margaritis, cum periclysi de chrysoclavo. Immo etiam & alia vela modica quatuor, ubi supra, in singulis columnis de cyborio fecit, habentes tygres de chrysoclavo, & in circuitu ornatas de blatthi. Verum etiam & alia vela modica quatuor eandem habentes similitudinem in Basilica Doctoris Mundi B. Pauli Apostoli in columnis de cyborio posuit.

Prædictus vero venerabilis Pontifex sarta tecta Basilicæ Beati Agapiti Martyris, quæ ponitur in urbe Prænestina; necnon & sarta tecta alterius Basilicæ juxta eandem Basilicam sitæ, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, omnia noviter in melius restauravit. Pari modo & sarta tecta Basilicæ Beati Stephani primi Martyris, constituta via Latina milliario tertio, quæ per multa jam annorum curricula vetustate erant confecta, & ruinis proxima noviter reparavit. Verum etiam & sarta tecta Basilicæ Beati Basilidis Martyris, sitæ in Merulana, noviter restauravit. Hic a Deo protectus venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, de proprio argento ipsius Basilicæ coronas cum delphinis suis numero quinque, canistros numero triginta quinque, gabathas numero octo, qui pensan. simul libras ducentas septuaginta & sex. Fecit autem in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ appellatur ad Præsepe, cortinam de fundato, & in circuitu ornatam de blatthin, quæ pendet in porticu super sedem, mirifice decoratam. Vela promiscua tam de fundato, quam etiam de stauraci, & quadrapulo, ornata in circuitu de blatthin numero quadraginta. Fecit vero, ubi supra, ante ingressum Præsepii pharum in modum retis ex argento puriss. cum canistris quinque, pens. simul lib. triginta septem & semis.

Isdem vero Sanctissimus Præsul Sancti Spiritus illustratione perfusus fecit Beato Petro Apostolo nutritori suo calicem aureum præcipuum tetragonum Spanoclystum, diversis ornatum pretiosis lapidibus, pensan. libras triginta & duas. Necnon fecit & patenam auream Spanoclystam miræ magnitudinis decoratam, pensan. libras viginti quinque & uncias 9. Fecit autem in Basilica cujus supra pharum in modum retis, cum canistro, & cruces de argento purissimo, qui pendet sub arcu principali. Necnon & alium pharum majorem in modum retis, cum canistris viginti, pendentem sub trabem majorem argenteam, ad ornatum Sanctæ Dei Ecclesiæ, qui pensan. inibi libras duo mille centum quatuor, & uncias septem. Hic fecit in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli Crucifixum ex argento purissimo, miræ magnitudinis decoratum, pensan. libras quinquaginta duas. Verum etiam fecit ibi supra tetravila alba holoserica rosata, ex quibus unum habens in medio crucem de chrysoclavo, & gammadias de chrysoclavo. Necnon etiam vela alba holoserica numero novem, ornata in circuitu de tyrio. Fecit ibi super gabathas fundatas interrasiles ex argento purissimo numero octo, quæ pendent in pharo æreo in medio Basilicæ, pens. inibi libras 14. Ingressum vero corporis (139) isdem Præsul ex marmoribus candidis miro decore ornavit, atque regias æreas ibidem posuit. Super columnas vero marmoreas, quæ stant in circuitu altaris ipsius Doctoris Mundi, ubi trabes quondam ligneæ positæ fuerant, etiam nimia vetustate emarcuerant, hic sacer Antistes super ipsas columnas lilios poni fecit, & super ipsos lilios ex metallis marmoreis (140) platonias posuit, diversisque picturis miræ magnitudinis opus decoravit. Necnon ubi supra fecit vela Alexandrina majora numero quinque, quæ pendent super regias majores in ingressu Basilicæ, mirifice decorata.

Hic vero Sanctissimus, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ ad Præsepe, tetravela alba holoserica rosata, mirifice decorata. Fecit vero, ubi supra, intra Præsepium vestem albam holosericam rosatam, ornatam in circuitu de chrysoclavo, & in medio habentem crucem cum orbiculis de chrysoclavo, vela alba holoserica rosata numero quatuor, ornata in circuitu de tyrio. In Diaconia vero ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Dominica, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de tyrio, cum historia Crucifixi. Necnon & rotas de chrysoclavo, ornatas in circuitu de quadrapulo. Fecit ubi supra cortinam fundatam, ornatam in circuitu de blatthin. In Diaconia vero ipsius Dei Genitricis, quæ appellatur Cosmedin, fecit vestem albam holosericam, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis, & in circuitu lystam de chrysoclavo. Fecit ad Sanctam Mariam ad Martyres vestem albam holosericam rosatam, cum tabula de tyrio, habentem historiam Crucifixi, & rotam de chrysoclavo, ornatam in circuitu de tyrio. Vestem etiam in Diaconia jam dictæ Sanctæ Dei Genitricis, positam foris portam Beati Petri Apostoli, fecit vestem de tyrio, mirifice decoratam.

Hic vero venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris sui canistros interrasiles ex argento purissimo, tam in quadriporticu, quamque in gremio Basilicæ numero 22. pensan. simul libras centum viginti quinque. Gabathas fundatas signochrystas, quæ pendent in quadriporticu, in pharo æreo in medio Basilicæ numero quadraginta & octo, pensan. simul libras centum & unam & semis. Phara argentea tria, quæ stant super trabes argenteas, pensan. libras nonaginta & tres. Arcus argenteos duos, pens. libras quadraginta & unam (*) & uncias octo. Vela de blatthin majora, quæ pendent per trabes argenteas, dextra, lævaque presbyterii. Necnon & in circuitu sedis numero triginta, ornata in circuitu de quadrapulo. Vela modica de fundato numero quadraginta & septem, ornata in circuitu de blatthin Bizanteo, & investita de blatthin Neapolitano. Necnon & in gremio Basilicæ fecit cortinam majorem Alexandrinam, miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam, ornatam in circuitu de tyrio. Vela alba modica holoserica rosata numero viginti quinque,

(139) D. corporis cujus supra isdem Præsul &c.
(140) D. marmoreis platomas posuit &c.

(*) D. uncias IX.

Digitized by Google

que, ornata in circuitu de blatthin, ex quibus unum ornatum de stauraci. Super altare vero Beati Andreæ, ubi supra, fecit vestem albam holosericam rosatam, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclavo. Verum etiam & super altare Beatæ Petronillæ fecit vestem albam holosericam rosatam, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis, & in circuitu ejus listam de chrysoclavo. Pari modo & in Oratorio Sanctæ Dei Genitricis, ubi supra in mediana, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio crucem de chrysoclavo, & in circuitu ornatam de tyrio. In Oratorio vero ipsius Dei Genitricis, ubi supra, quod dicitur Domni Pauli Papæ, fecit vestem albam holosericam, ornatam in circuitu de mizilo. Necnon & in Monasterio Sancti Martini; ubi supra, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio crucem de chrysoclavo, cum periclysi de tyrio. Hic fecit in Basilica Apostolorum via Lata super altare majus vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de stauraci, cum historia Dominicæ Resurrectionis, & in circuitu vestem de chrysoclavo. Necnon & orbiculos de chrysoclavo, cum periclysi de tyrio. Tetravila modica rubea ornata in circuitu de fundato, ex quibus unum cum chrysoclavo. Vela modica rubea Alexandrina duo, ornata in circuitu de stauraci. Et in gremio Basilicæ, ubi supra, fecit cortinam majorem de fundato, mirifice decoratam, ornatam in circuitu de tyrio, & in medio cruces de tyrio.

Hic vero egregius Præsul fecit in titulo Sanctæ Sabinæ martyris super altari majori vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de staurraci, cum historia Dominicæ Resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclavo. Pari modo & in titulo Sanctæ Susannæ martyris super altari majori vestem albam fecit holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia Dominicæ Resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclavo. Fecit autem in Basilica Sancti Stephani primi martyris in Cœlio monte vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de stauraci, cum historia Dominicæ Resurrectionis, & crucem de chrysoclavo. Necnon & in Diaconia Beati Georgii martyris super altari majori fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de stauraci, cum historia Crucifixi, ornatam de tyrio, & rosas de chrysoclavo. Ipse vero à Deo protectus venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præsepe, ob nimium amorem ipsius Dominæ nostræ, pharum ex argento purissimo, cum lucerna, & cerapto suo, pensan. simul libras quadraginta & semis. Et hoc constituit ejus beatitudo, ut Dominicorum diebus, vel in Sanctis solemnitatibus, juxta lectorium consisteret, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgeret. Et in Ecclesia Beati Petri Apostoli pari modo fecit pharum ex argento purissimo, deaurato, miræ pulchritudinis decoratum, cum lucerna, & cereapto suo, qui pens. simul libras nonaginta & semis. Enimvero, ubi supra, ad Beatum Petrum Apostolum sub ipsa imagine Salvatoris Domini nostri Jesu Christi crucifixi in modo (*) fecit coronam ex argento purissimo, & ibidem ob ipsius Domini nostri Jesu Christi amorem, pro luminariorum splendore posuit, pensan. libras......

Basilica vero Beati Apollinaris martyris, atque Pontificis, quæ fundata est juxta civitatem Ravennam, cujus trabes præ nimia vetustate de annorum curriculis, & olitanis temporibus nimis emarcuerant, jamque pene ruituræ in tempore illo erant, isdem venerabilis Pater divinitus inspiratus, misit illuc, & per solertissimam, ac providam curam suam omnia sarta tecta ipsius Ecclesiæ simul cum quadriporticis suis noviter, ac firmiter restauravit, & in meliorem reduxit statum. Super altare vero ipsius sacræ Basilicæ ob honorem omnipotentis Dei, & Beati Petri Apostoli, de cujus donis, ac datis fecit vestem sericam rosatam, (141) habentem in medio crucem de chrysoclavo, cum orbiculis, & rotas sericas, habentes historias Annunciationis, seu natalis Domini nostri Jesu Christi, atque Passionem, & Resurrectionem, necnon & in cœlis Ascensionem, atque Pentecosten, ornatas in circuitu simili modo, sicut & vestem de chrysoclavo. Sed & canistrum ex argento purissimo inibi fecit, cum catenulis suis, pensan. libras quindecim. Episcopium vero Albanense, simul cum Ecclesia, quæ in nomine Beati Pancratii fundata est, per quandam negligentiam, vel incuriam per submissiones diabolicas, post matutinas laudes exusta, à fundamentis usque ad summum tectum combustum est. Sed clementissimus, & solertissimus Pontifex Deo aspirante ex Sancti Spiritus illustratione firmum jaciens fundamentum mirum in modum jam præfatam Ecclesiam noviter restauravit, & simul cum sartis tectis, Deo juvante, ad meliorem deduxit statum.

Et ut verus amator Dei, & cultor Sanctarum Dei Ecclesiarum fecit super altari majori prædictæ Ecclesiæ vestes duas, ex quibus unam cum rotis majoribus, habentem gryphes ornatam in circuitu de fundato, (142) & tetravila serica alithyna ornata de tyrio optimo in circuitu ejusdem altaris fecit numero quatuor. Verum etiam & in Ecclesia Beati Petri Apostoli, ubi supra, fecit vestem rosatam, habentem historiam Domini nostri Jesu Christi, quando extendit manus, & apprehendit Beatum Petrum Apostolum de fluctibus maris. Isdem Beatissimus vero, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Sancti Cyriaci vestem albam holosericam, habentem in gyro periclysin de fundato, & in medio historiam Resurrectionis; & in circuitu altaris terravila alba, habentem periclysin de tyrio. Fecit autem & in titulo Sancti Vitalis vestem albam holosericam, habentem periclysin de fundato, & in medio historiam Resurrectionis; necnon & in Diaconia Sancti Archangeli posuit vestem albam holosericam, habentem periclysin de tyrio, & in medio historiam Ascensionis. Item ipsum super altare Sancti Abbacyri similem vestem obtulit. Porro in Diaconia Sanctæ Agathæ martyris fecit ipse Sanctissimus Pontifex vestem albam holosericam, habentem in gyro de tyrio, & in medio historiam Resurrectionis. Verum etiam & in titulo (143) Pammachii super altare Sanctorum Joannis & Pauli fecit vestem albam holosericam, ornatam in gyro

(*) D. mirum in modum.
(141) D. rosatam albam habentem &c.
(142) D. de fundato, & aliam vestem de Chrysoclavo, seu de travila &c.
(143) D. & in titulo Pancratii super Altare &c.

Digitized by Google

gyro de fundato, habentem historiam Crucifixi, Ascensionis, & Pentecostes. Pariter & in Ecclesia Beati Clementis martyris, atque Pontificis fecit vestem albam cum chrysoclavo, habentem historiam Resurrectionis, seu Ascensionis, necnon & Pentecosten.

Immo & in Ecclesia Sancti Cyriaci, posita via Ostiensi, fecit vela e quadrapulo numero quinque, habentia historiam Salvatoris vocantis Discipulos de navi. Et super Sanctum altare ipsius Martyris posuit vestem de fundato. Ipse autem à Deo protectus, & praeclarus Pontifex fecit in Basilica Sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae Dominae nostrae ad Praesepe coronas argenteas, & delphinos suos duodecim, quae pensan. libras centum duas & uncias novem. Sed & phara canthara argentea, cum delphinis suis, ibi fecit numero septem, pensan. libras octuaginta quinque & semis. Isdem vero Beatissimus Praesul fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris sui ante presbyterium pharum volubilem ex argento purissimo, cum coronis, & crucibus, pens. inibi libras (144) triginta quinque & uncias sex. Verum etiam id ipsum deorsum, ubi sacratissimum corpus ipsius Principis Apostolorum requiescit, renovavit imaginem auream, habentem vultum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ac Sanctae Dei Genitricis Mariae Dominae nostrae, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque Andreae, necnon & Beatae Petronillae martyris, ubi & addidit auri obrizi libr. 21. & uncias tres.

Immo vero ubi supra ante Sanctum Andream investivit altare Beati Martini confessoris Christi ex argento purissimo deaurato, ex transmisso quondam Fridigisii (145) Abbatis, quod pensan. undique libras 17. & semis. Fecit autem & in Basilica Beati Pauli Apostoli Doctoris Mundi Gentium pharacanthara ex argento purissimo, cum delphinis suis numero quinque, pens. libras sexaginta septem & uncias quatuor.

Hic à Deo inspiratus venerabilis, & praeclarus Pontifex conspiciens Ecclesiam Beatorum martyrum Nerei & Achillaei, prae nimia jam vetustate deficere, atque aquarum inundantia repleri, juxta eandem Ecclesiam noviter à fundamentis in loco superiore Ecclesiam construxit mirae magnitudinis, & pulchritudinis decoratam; in qua etiam haec obtulit dona: Canistros ex argento numero sex, pensan. simul libras quindecim. Cyborium ex argento purissimo, pensan. libras ducentas & quindecim. Calicem & patenam ex argento purissimo deauratos, pensan libras duodecim & uncias decem. Regnum super altare ex auro purissimo, diversis ornatum pretiosis lapidibus, pens. libras duas & uncias sex. Vestes duas, ex quibus unam albam holosericam, habentem historias Dominicae Nativitatis, seu Resurrectionis, Ascensionis, atque Pentecostes, ornatam in circuitu de chrysoclavo, & aliam de tyrio. Idem vero fecit in Basilica Beatae Dei Genitricis ad Praesepe regnum ex auro purissimo Spanoclysto, diversis in circuitu de chrysoclavo pretiosis ornatum lapidibus, pens. libras quatuor & uncias septem. Fecit vero communicales ex argento purissimo per singulas (146) regiones, qui praecederent per stationes per manus Acolytorum numero viginti quatuor, pensan. simul libras...... Pari modo & in Basilica Beati Petri Apostoli fautoris sui regnum ex auro purissimo, diversis pretiosis ornatum lapidibus, pens. libras septem. Fecit etiam in Diaconia Sanctorum Nerei & Achillaei vela promiscua holoserica numero......

Sarta tecta Beati Agapiti martyris, sita juxta Basilicam Beati Laurentii martyris foris murum, quia jam prae nimia vetustate emarcuerant, noviter restauravit. Immo vero & in titulo Beatae Pudentianae fecit vestem albam holosericam, ornatam in circuitu de tyrio. Qui Beatissimus Pontifex postquam Sedem Romanam, & Apostolicam annos viginti, menses quinque, & dies 16. gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus ad aeternam migravit requiem. Fecit autem ordinationes tres per mensem Martium, presbyteros triginta, Diaconos undecim, Episcopos per diversa loca numero centum sex & viginti. Sepultus vero est in Basilica Beati Petri Apostoli pridie (147) idus Jun. indict. nona, & cessavit Episcopatus dies 10.

XCIX. STEPHANUS V.

ANNO CHRISTI 816.

LUDOVIC. IMP. 3. LEON. ARM. IMP. 3.

Stephanus natione Romanus, ex patre Marino, sedit annos septem, (1) menses septem. Hic à primaeva aetate in Patriarchio Lateranensi sub Sanctae memoriae Domno Hadriano Papa nutritus, atque educatus, nobili prosapia, atque clarissimo genere ortus, adhuc in parva aetate ad discendam sacrae disciplinae scientiam studiosius vigilabat. Defuncto vero Sanctae memoriae jam praefato Domno Hadriano Papa, in locum ejus Domnus Leo Papa successit. Qui praedictum Domnum Stephanum conspiciens bonae conversationis, atque humilitatis (2) eum ad Subdiaconatus ordinem promovit. (3)

Quem magis, ac magis spiritualibus studiis vacare conspiciens Domino annuente ad Diaconatus culmen eum provehit, & ex tunc multipliciter spiritalibus pollens studiis, maxima tam ad evangelizandum populo solerter, ac clare divina, atque euangelica verba, quamque ad exercendam Ecclesiasticam traditionem gessit curam. Et ita Spiritus Sancti gratia in ejus corde refulsit, ut in omnibus efficax, idoneusque comprobaretur. Sicque factum est, ut dum de hac vita migraret ante praefatus Domnus Leo Papa, illico, dum ferventissimo affectu à populo Romano diligeretur isdem praecipuus, ac Sanctissimus vir Stephanus ad Sacrum Pontificatus culmen est electus. Qui omnes uno affectu, parique amore eum ad Ecclesiam Beati Petri Apostoli perducentes, Dei ordinante providentia Papa Orbis (4) consecratus est.

Hic Sanctissimus vir, in Pontificatu (5) jam positus, pro confirmanda pace, & unitate Sanctae Dei Ecclesiae, ad Franciae arreptus est iter (6), apud Piissimum, & Serenissimum Domnum

(144) D. libras centum trigintaquinque, & uncias sex.
(145) D. q. Fridigitii.
(146) D. religiones.
(147) B., & C. II. Idus Junii.

STEPHANUS.

(1) B., & C. annos septem non leg.
(2) B., & C. mores agere. D. mores degeret.
(3) B., & C. & sic ad Sacerdotii gradum pervenit. Sicque factum est ut dum de hac vita migraret &c. *ut infra*.
(4) B. C., & D. Papa urbis consecratus est.
(5) B., & C. in Pontificatus culmine jam &c.
(6) B., & C. Franciae arripuit iter &c.

Digitized by Google

num Ludovicum Imperatorem. Qui cum in Franciam pervenisset, tanto honore, atque exaltatione (7) à prædicto piissimo Principe, atque Francorum populo susceptus est, quanto vix lingua narrari potest. Et tantam illi Dominus gratiam largiri dignatus est, ut omnia, quæ ab eo poposcisse dinoscitur, in omnibus impetraret. In tantum ut isdem piissimus Princeps pro illius amore in finibus Franciæ super omnia dona, quæ ei largitus est, curtem (8) de suo proprio fisco Beato Petro Apostolo perpetuali usu per præceptionis (9) paginam concessit. Isdem vero sacer Antistes exemplum sumens Redemptoris nostri, qui pro nobis de Cœlis dignatus est descendere, & de captivitate diaboli nos eripere, omnes exules, qui illic captivitate tenebantur propter scelera, & iniquitates suas, quas in Sanctam Ecclesiam Romanam, & erga Domnum Leonem Papam gesserunt, pro pietate Ecclesiæ secum reduxit. (10) Fecit autem in Ecclesia Beati Petri Apostoli ad vincula tymiamaterium de argento desuper deauratum, pensan. libras......

Item similiter fecit gabatha de argento, pens. libras...... Similiter fecit vela holoserica, cum periclysi de fundato numero...... Immo & in eadem Ecclesia fecit vestem de chrysoclavo, cum gemmis, habentem historiam Beati Petri Apostoli. Item fecit vela de fundato numero...... Et in Monasterio, ubi supra fecit calicem de auro, cum gemmis ornatum, pens. libras..... Et patenam de argento, desuper deauratam, pens. libras...... Item fecit crucem de auro, cum gemmis ornatam, pensan. libras...... Fecit autem prædictus, & venerabilis præclarus Pontifex in Sancto Theodoro in Sabello crucem de auro, cum gemmis ornatam, & calicem de argento, pensan. libras ...... Fecit autem prædictus venerabilis, & præclarus Pontifex in Basilica Beati Petri Apostoli ad vincula patenam, & calicem de argento, desuper deauratum, pens. libr........ Item, ubi supra, fecit coronam de argento, cum pendentibus suis, pensan. libras...... Enimvero & in Oratorio Sanctæ Barbaræ Martyris in Subora fecit vestem de fundato. Necnon & in Basilica Beatæ Helenæ fecit vestem de fundato. Hic divina vocatione de hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Sepultus vero est in Basilica Beati Petri Apostoli. Fecit autem ordinationem unam in mense Decembrio, Presbyteros novem, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero quinque; & cessavit Episcopatus dies duos.

C. PASCHALIS.

ANNO CHRISTI 817.

LUDOV. IMP. 4. LEON. ARMEN. 4.

PAschalis, natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos septem, menses quinque, dies sexdecim. (1) Qui a primævo ætatis suæ (2) divino cultui mancipatus, atque in Sacrosanctæ Ecclesiæ Patriarchio studiis divinæ, salutiferæque scripturæ imbutus tam in psalterio, quamque in sacris paginis novi, ac veteris Testamenti specialiter eruditus, elegans, atque in omni bonitate perfectus, Subdiaconus quidem factus, & postmodum Diaconus, atque Presbyter (3) honorifice consecratus est. (4) Erat autem vir sanctus, castus, pius, innocens, magnanimus, loquela devotus, pudicitia plenus, & nimis hilariter, jocundeque in eleemosynis pauperum cuncta, quæ habebat opportune distribuens. In colloquiis ergo divinis frequentius cum religiosis, ac Sanctis Monachis sedula observatione die, noctuque insistebat, & in orationibus, ac vigiliis, cotidianisque jejuniis humiliter, atque honeste vigebat. Quem dum prædecessor ejus Domnus Leo ter Beatissimus Papa tantis studiis pervigilem, & religionis devotum conspexisset: tunc ei Monasterium Beati Stephani primi Martyris, (5) juxta Basilicam Beati Petri Principis Apostolorum, ad regendum commisit. (6) Quia scriptum est: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Unum, (7) qui fuimet vitæ hujus temporalis lucra pro æterna sobrie, atque utiliter moderando correxit, & exemplum bene vivendi in subditis, & correctionem pietatis religiosius exornavit. Qui etiam gratiam hospitalitatis in peregrinis, & claudis, qui ob amorem Beati Petri Apostoli de longinquis regionibus ad ejus limina occurrebant, utiliter præparans necessaria subministrabat, & occulte quibus egebant, hilariter erogabat. Et semper quotidie in Dei operatione crescebat, usquequo prædecessor ejus Domnus Stephanus Papa de hac luce ad æternam beatitudinem migrasset. Dum ergo per tanta bonæ (8) operationis exempla præcipue, longe, lateque fama discurreret, & Omnipotens Deus regimen Ecclesiæ suæ sub piæ (9) gubernationis cura annueret, apte, moderateque disponere, una concordia, una, eademque, voluntate divino interveniente consultu, a cunctis Sacerdotibus, seu Proceribus, atque omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto populo Romano ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei in Sedem Apostolicam Pontifex elevatus est. (10) Erat enim Patrum præceptorum, seu institutorum Pon-

(7) B., & C. exultatione &c.
(8) B., & C. crucem.
(9) B., & C. per præcepti paginam &c.
(10) B., & C. *Verba* fecit autem in Ecclesia Beati Petri &c. *usque ad illa*. Hic Divina vocatione &c. *ut infra*, *non legunt*.

PASCHALIS.

(1) B., & C. mensibus tribus, diebus XVII.
(2) B., & C. primævo ætatis suæ tempore Divino &c.
(3) D. Et postmodum Presbyter honorificè &c.
(4) B., & C. erat autem vir Sanctus &c. *usque ad illa verba*, atque honestè vigebat &c. *non habent*, *sed statim sic prosequuntur*. Quem Domnus ter Beatissimus Papa Stephanus Prædecessor ejus cùm tanti studii pervigilem &c.
(5) B., & C. conspexisset tam ei Monast. B. Stephani primi Martyris, quàmque majorem juxta Basilicam B. Petri Principis Apostolorum Ecclesiam ad regendum commisit.
D. Martyris quam majorem juxta &c.
(6) B., & C. *Verba* quia scriptum est &c. *usque ad illa* Dum ergo per tanta bona &c. *omittunt*.
(7) D. videant. Unde qui &c.
(8) B., & C. Dum ergo tantæ bonæ operationis præcipuè longè, latèque discurreret fama, & omnipotens &c.
(9) B., & C. regimen suæ piæ Ecclesiæ sub gubernationis &c.
(10) B., & C. *Verba*. Erat enim patrum &c. *usque ad illa* gubernator existebat &c. *non legunt*.

Digitized by Google

Pontificum, atque canonum, (11) necnon legum, sanctionumque decentissimus observator, & cuique justitiæ normæ a tempore ordinationis suæ nobilissimus promulgator; tardus ad irascendum, & velox ad miserandum. Nullum malum pro malo reddens, neque vindictam secundum cujusquam commissum tribuens, sed semper misericors pia dilectione omnibus civibus, & a Deo commisso populo Romano amator, & gubernator existebat. Omnium etenim Ecclesiarum Dei cum summo studio, atque summa providentia pro solita religionis cura cultor, restaurator, atque in omnibus devotissimus exornator fuit.

Hic Beatissimus Præsul multa corpora Sanctorum requirens, invenit. Quæ & diligentius intra civitatem ad honorem, & gloriam Dei honeste recondidit. Rogam etiam omni clero suo in Presbyterio profecto multipliciter ampliavit, (12) & omnem thesaurum in sacrario cœlesti recondidit, maxime propter captivos, & exules eos non tantum a transmarinis regionibus viros, ac mulieres auro, seu argento redimens, verum etiam per longinqua viarum itinera passim perquirendo, tam in Hispaniæ partibus, quamque per singula loca inveniens, sicut bonus, & verus Pastor ad propria perduxit. Fecit autem in sacro Altari Beati Petri Principis Apostolorum vestem miræ magnitudinis, pulchram, & decoratam nimis, ex auro, gemmisque contextam, perfigurantem historiam, qualiter idem Apostolus a vinculis per Angelum ereptus est. In ejusdem venerabili Basilica ante aditum, quæ ducit ad corpus in loco ferrata, altare constituit, in quo & venerandum Beati Sixti Martyris atque Pontificis corpus honestissime collocavit. Ubi & desuper arcum musivo exornatum decenter instruxit. Simili modo in eadem Sacratissima Beati Petri Apostoli Ecclesia juxta ingressum, qui ducit ad Beatam Petronillam, Oratorium summæ magnitudinis, atque pulchritudinis decoranter construxit. Et super columnas in quadrificio camerantes musivo, pulchrisque metallis decoravit. In quo & corpora Beatissimorum Martyrum Processi & Martiniani ad honorem, & gloriam Omnipotentis Dei, memorialiter, honorificeque recondidit. In cujus absidam imaginem pulcherrimam de argento, exauratam cum diversis historiis inter marmorum constructiones ordinatas infixit, quæ pensant libras sexaginta duas & semis; simulque & lilia de argento, pens. libras decem & septem, & uncias duas (13). Necnon & gabathas ex argento purissimo numero septem, pens. simul libras tredecim, semis, & uncias duas. Imagines etiam de argento exauratas fecit in eodem venerabili loco numero tres. Unam Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & duas aliorum Beatorum Martyrum Processi, & Martiniani, pensan. insimul libras triginta & sex. Necnon & aliam imaginem ex auro purissimo obtulit ad ornatum jam præfati Oratorii, pens. libras tredecim, & uncias tres. Simili modo canistra ex mundissimo argento numero octo, pens. omnes libras tres & quadraginta.

Pariterque & concham ad spongiam pro nocturnis diligentiis ibidem ex argento constituit, pensan. libras septem, & uncias novem. Immo & claves in modum crucis ex auro purissimo, seu gemmis miræ decorationis exornatas in eodem venerabili loco merito decoravit, quæ pensan. libras..... Ubi etiam regularem ordinavit, quem laminis argenteis superinduxit, pens. libras viginti. Super quem constituit arcus duos de argento, & gammadias quatuor, quæ simul pens. libras sexaginta. Propitiatorium etiam altaris ex laminis argenteis exornatum circumduxit, atque sacram confessionem ejus interius, exteriusque cum rugulis suis nobilissime circunstruxit, quæ simul pens. lib. ...... Et super altare eorundem Beatissimorum Martyrum vestes duas instituit, ex quibus unam de fundato, cum cruce de chrysoclavo, & alteram de quadrapulo mirifice exornavit. Vela quoque majora de fundato numero septem, cum periclysi de blatthin, cirxumsuta similiter decoravit. Sed neque hoc silentio prætereundum esse arbitramur, quod eodem tempore diabolica operante versutia per quorundam gentis Anglorum desidiam ita est omnis illorum habitatio, quæ in eorum lingua burgus dicitur, flamma ignis exundante combusta, ut etiam nec vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inveniri potuissent. Cujus exuberantis incendio penè totam porticum, quæ duxit ad Basilicam Principis Apostolorum ignis fomes devastavit.

Et dum hæc ter Beatissimus Pontifex quasi hora noctis conticinio persensisset, subito propter amorem Ecclesiæ Beati Petri Apostoli, atque tantam peregrinorum illorum devastationem nudis pedibus discalceatus (14) pedester cucurrit. Cui tanta Omnipotentis Dei in ejus adventu misericordia adfuit, ut locum, in quo prius idem coangelicus Pontifex constitit, nequaquam ulterius impetus ignis transgredi permisit. Sed ipse Dei clementiam exorando, & multitudo fidelium, qui aderant decertando acies ignis Deo miserante extincta est. Sicque peractum est, ut totius noctis spatium usque ad auroram perseverans (15) in eodem loco perstiterit. Unde postmodum ter Beatissimus Pastor considerans illorum peregrinorum inopiam, quæ ob insidias diabolicæ fraudis irrepsit, tanta dona, tantaque beneficia, sicut semper solitus erat, in eorum necessitatibus impertivit tam in auro, & argento, vel corporum indumenta, quam reliqua necessaria alimenta omnia uberius subministrabat. Sed & sylvarum copiam pro lignorum utilitate, quatenus domicilia sicut ante in eodem loco fuerant, utiliter restaurarent. Porticum etiam, quæ ab eadem clade vastata est, decentius quam fuerat in melius firmissime restauravit.

Hic

(11) D. erat enim Patrum præcepta, seu instituta Pontificum, atque Canonum regulas, necnon & legum sanctiones decentissimus &c.

(12) B., & C. ampliavit. Captivos ubicumque invenire poterat, à vinculis absolvebat, Ecclesiam etenim Beatissimæ Christi Martyris Praxedis, quæ quondam priscis ædificata temporibus nimio jam laxata senio erat, ita ut à fundamentis casura ruinam sui minaretur isdem venerabilis Pontifex illius ruinam ante prævidens eidem Ecclesiæ curam adhibens illic pervigil sæpius existens in alio loco non longè demutans in meliorem eam, quàm dudum fuerat, erexit statum. Multa etiam corpora Sanctorum, quæ in diruptis cymiteriis jacebant ibi deduxit, atque honorificè collocavit. Ibidem Oratorium Beatæ Agnetis Christi Martyris miræ pulchritudinis exornavit. Ecclesiam denique Sanctæ Dei Genitricis Mariæ &c. *ut infra*.

(13) D. libras XVII. & uncias III.

(14) D. nudis pedibus calceatus equester cucurrit.

(15) D. auroram observantes in eodem loco perstetit &c.

Digitized by Google

Hic præclarus, & venerabilis Pontifex fecit in Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis nutritoris sui vela de chrysoclavo per arcus presbyterii, habentia historiam de mirabilibus Apostolorum, quæ per eos Dominus operari dignatus est numero quadraginta & sex. Ecclesiam etiam Beatissimæ Christi Martyris Praxedis, quæ quondam priscis ædificata temporibus nimio jam lassata senio, itaut à fundamentis casura, ruinam sui minaretur, idem venerabilis Pontifex (illius ruinam ante prævidens, eidemque Ecclesiæ curam adhibens illic pervigil sæpius existens) in alium non longe demutans locum, in meliorem eam, quam dudum fuerat, erexit statum. Absidam vero ejusdem Ecclesiæ musivo opere exornatam variis decenter coloribus decoravit. Simili modo & arcam (16) triumphalem eisdem metallis mirum in modum perficiens compsit. Hic Beatissimus, & præclarus Pontifex multa Corpora Sanctorum diutius in cœmeteriis jacentia pia sollicitudine, ne remanerent neglectui, quærens, atque inventa colligens magno venerationis affectu in jam dictæ Christi Martyris Praxedis Ecclesiam, quam mirabiliter renovans construxerat, cum omnium advocatione Romanorum Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Clericis laudem Deo psallentibus deportans recondidit. Quæ dum Sanctissimi, atque Coangelici Præsulis intima cordis vigilantia gererentur, ut reconditorum ibidem Sanctorum Corporum Deo indesinenter super astra placentium precibus apud Omnipotentem Dominum juvaretur, construxit in eodem loco à fundamentis Cœnobium, quod & nomine Sanctæ Praxedis virginis titulavit. In quo & Sanctam Græcorum Congregationem aggregans, quæ die, noctuque Græcæ modulationis psalmodiæ laudes Omnipotenti Deo, Sanctisque illius, ibidem quiescentibus, sedulo persolveret, introduxit. Siquidem in eodem venerabili Monasterio plurima conferens prædia, & possessionem, loca urbana, vel rustica superflue, atque abundanter ditavit. Quinimo & in eadem Ecclesia fecit Oratorium Beati Zenonis Christi Martyris, ubi & Sacratissimum ejus Corpus ponens musivo amplianter ornavit.

Fecit autem in eadem Ecclesia cyborium ex argento, pens. libr. octingentas & decem; immo & propitiarorium sacri altaris ex argenteis laminis mirifice exornavit. Confessionem denique ejus cum rugulis suis interius, exteriusque vallantem pulcherrime compsit, atque decoravit. (17) quæ simul pens. lib. trecentas. Super ejusdem venerabilis altare fecit regnum Spanoclystum ex auro fulvo, seu diversis lapidibus exornatum, pens. libras quinque, & uncias duas & semis. Et in eodem sacro altari fecit vestem de chrysoclavo, cum diversis historiis, miræ magnitudinis, atque pulchritudinis exornatam. Item, ubi supra, obtulit aliam vestem chrysoclavam ex auro, gemmisque confectam, habentem historiam Virginum cum facibus accensis mirifice comptam, atque decoratam. Ad sacrum denique ejusdem Virginis corpus obtulit imaginem ex laminis argenteis præfiguratis, pens. libras nonaginta & novem.

Hic Benignissimus Præsul fecit in jam dicto Monasterio Oratorium Beatæ Agnetis Christi virginis miræ pulchritudinis exornatum. Ecclesiam denique Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ appellatur Dominica, olim constructam, & jam ruinæ proximam solerti vigilantia præfatus Pontifex ampliorem, melioremque quam ante fuerat, à fundamentis ædificans renovavit. Absidamque ejusdem Ecclesiæ musivo mirifice decoravit. Ubi etiam & plurima obtulit dona, (18) scilicet cyborium ex argento, pens. libras trecentas triginta & duas. Propitiatorium sacri altaris ex laminis argenteis compte decoravit. Confessionem quoque ejus cum rugulis intus & foris mirum in modum perficiens adornavit, pens. libr. centum & quindecim, & uncias tres. Item, ubi supra, fecit gabatham ex auro purissimo, pens. libras duas, & uncias octo. Verum etiam & arcum ex argento, & columnellas duas cum gammadiis duabus, pensan. libras......

Immo & in sacro altari fecit vestem de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, miræ pulchritudinis exornatam. Iterum, ubi supra, fecit vestem de stauraci pulcherrimam, cum periclysi de blatthin. Item aliam vestem de blatthin bizantea, habentem tabulam de chrysoclavo, cum vultu Sanctæ Dei Genitricis, & Angeli obsequio stantes, cum periclysi de staurace. Pariterque aliam vestem de staurace, habentem pavones, & in medio crucem de blatthin. Porro & vestes duas de quadrapulo, habentes in medio crucem de blatthin. Item, ubi supra, fecit vestem ex auro textam, cum periclysi de blatthin. Coopertorium rubeum de serico unum. Fecit etiam in circuitu altaris vela rubea serica quatuor, cum gammadiis, & cruces de quadrapulo. Hic venerabilis Præsul obtulit in trabe ante vestibulum altaris vela tyria tria, & de quadrapulo quinque. In arcus majores ejusdem Ecclesiæ fecit vela de quadrapulo numero viginti, & per arcus presbyterii vela parva de stauraci quatuor, simulque in ingressu presbyterii vela tyria (19) duo. Hic Benignissimus Pontifex fecit in ingressu jam dictæ Ecclesiæ cortinas majores de quadrapulo, cum periclysi de fundato mirifice valde. Christi namque Omnipotentis Domini famulus, & prænominatus Pontifex maximam Dei Ecclesiarum curam, & sollicitudinem prævidendo indesinenter gerens, cum quadam die orationis studio ad Sanctæ Dei Virginis, Christique Martyris Cæciliæ Ecclesiam adveniret, nimio jam quassata senio Ecclesiæ ejusdem mœnia etiam à fundamentis ruitura, videns, quæ per olitana tempora defectu vetustatis marcuerant, & pene ruinis confracta diu antiquitus lacerata manebant, dato studio operis eodem in loco magnifico opere novam construere Ecclesiam cœpit, & perficere satis meliorem, quam fuerat, studuit.

Sed neque illud prætereundum esse existimamus, dum quadam die ad Beati Petri Principis Apostolorum Ecclesiam pergeret, quatenus apud eundem Beatum Petrum Apostolum solito more vigi-

(16) D. arcum.
(17) D. compsit, atque deauravit, quæ simul &c.
(18) B., & C. ubi etiam multa dona obtulit. Fecit etiam à novo Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ, ubi & corpus ejusdem compte posuit cum carissimo Valeriano Sponso, atque Tyburtio, & Maximo Martyribus, necnon Urbano, & Lucio Pontificibus. Ubi etiam quamplura, & innumerabilia contulit dona tam in auro, quàm in argenro, seu palliis. In Diaconia verò Sanctorum Cosmæ, & Damiani fecit vestem de Syrico. Restauravit etiam præsepe Dominæ nostræ Virginis Mariæ, absidamque ejusdem Ecclesiæ à novo refecit. Hic denique Divina vocatione defunctus sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli. Fecit autem ordinat. &c.
(19) D. in ingressu Presbyterii vela tyria III.

Digitized by Google

vigilias celebraret, & ante ejusdem confessionem matutinales lucescente Dominica laudes residens decantaret, subito depressus sopore vidit adsistentem sibi virginali aspectu puellam angelicis vestibus decoratam, talia locutionis affamina (20) protulisse, dicens: Multas tibi gratias referimus, quia certamen, quod de me diu posueras frustratorias relationibus pervulgatis aures accommodans reliquisti: quippe qui tanto penes me fuisti, uti proprio loqui invicem ore valeremus. Hæc jam sæpe præfatus Pontifex diligenter audiens studiose requirere cœpit, quæ esset ipsa, quæ talia illi verba diceret, vel quo nomine vocaretur. Cui illa respondit: Si nomen inquiris, Cæcilia famula Christi vocor. Ad quam summus inquiens Præsul: Quomodo hoc credere possum, eo quod olim fama relata sit, quatenus ejusdem venerabilis Christi Martyris Cæciliæ Corpus ab Aistolpho Longobardorum Rege hostiliter Romæ residente furtim, & ab illius hominibus fuisset ablatum. Cui talia venerabili Pontifici intimanti, Omnipotentis Dei famula dixit: Quia me desideranter, ut invenirent Longobardi, quæsiverunt, omnino verum est. Sed Domini mei Jesu Christi opitulatione, & Dominæ meæ Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ auxilio, (21) neque me invenire, neque deportare, sicut voluerant, hinc longius potuerunt. Et ideo (22) sicut me quærere cœpisti, qualiter me invenias assiduo labori non desistas incumbere, quia Domino Deo, pro cujus amore, & honore passa sum, placuit, ut tu me invenias, & in Ecclesia, quam noviter construxisti, recondas. Et hæc dicens ab oculis aspicientis ablata est.

Tunc isdem venerandus Pontifex matutinalibus laudibus persolutis, pro tam certæ, & indubitabilis revelationis judicio, cœpit hac, illacque operosius quærere, ubi sacratissimum ejus corpus jaceret humatum. Quod tribuente Deo dum sollicite quæreret, reperit in cœmeterio Prætextati, sito foris portam Appiam, aureis illud vestitum indumentis, cum corpore venerabilis sponsi sui Valeriani, pariterque & linteamina Martyris ipsius sanguine plena, quando ab impio percussa carnifice Christi Domini Martyr est regnantis in sæcula consecrata. Quibus & linteaminibus sanguis Sanctæ Martyris extersus involuta ad pedes illius corporis sacratissimo cruore plena, de trina carnificis percussione reperta sunt. Quæ cuncta suis pertractans manibus collegit, & cum magno honore infra muros hujus Romanæ urbis in Ecclesia nomine ipsius Sanctæ Martyris dedicata ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ejusdem Virginis Corpus, cum charissimo Valeriano sponso, atque Tyburtio & Maximo Martyribus, necnon Urbano & Lucio Pontificibus sub sacrosancto altari collocavit. Pro quorum Sanctorum honore videlicet, & opitulatione construxit Monasterium in honorem Virginum, & Martyrum Agathæ & Cæciliæ juxta ipsius Ecclesiam, in loco, qui dicitur Colles jacentes.

In quo & Monachorum Deo servientium Congregationem pro quotidianis laudibus in præfato titulo Sanctæ Cæciliæ, die, noctuque Omnipotenti Domino decantandis, constituit. Et pro subsidio, & luminariorum concinnatione, seu utilitate, atque stipendiis Monachorum, necnon & pro amore, atque dilectione, qua erga prædecessorem suum piæ recordationis Domnum Leonem III. Papam habere videbatur Hospitale Sancti Peregrini, positum ad Beatum Petrum Apostolum, in loco, qui vocatur Naumachia, quod idem prædecessor suus construxerat, & ob neglectum, atque destitutionem præpositorum paupertatis inopia consumi videbatur, idcirco pio juvamine consulens præfatum Hospitale cum fundis, & casalibus, atque massis, seu etiam & colonis, sive domibus, necnon familiis, & universis, quæ juste, & rationabiliter, secundum legum statuta, eique à prædecessore suo in jam præfato Hospitali donata sunt. Quæque ab ipso pia devotione ad augmentum jam dicti Monasterii adjuncta sunt, sive agris, vel vineis, etiam domibus, necnon rustica familia suæ (23) auctoritatis pagina pro jam nominata Monachorum Congregatione in eodem Monasterio confirmavit.

Qui Sanctissimus Præsul amore venerandorum Sanctorum fecit in ornamentis ipsius Ecclesiæ absidam musivo opere decoratam, & cyborium miræ magnitudinis ex argento, pensan. libras quingentas & semis, & uncias octo. Propitiatorium denique sacri altaris, seu confessionem interius, exteriusque, cum rugulis suis ex laminis argenteis, mirum in modum perficiens compsit, quæ simul. pens. libras sexaginta quatuor (24), & uncias 5. Ad sacrum vero ejusdem Virginis corpus obtulit imaginem ex argenteis laminis, pensan. libras nonaginta quinque. Fecit etiam ante vestibulum altaris regularem investitum ex laminis argenteis, & columnis duabus, ubi & posuit arcum unum, & gammadias duas, pens. insimul libras centum & semis. Obtulit ibi ipse imagines argenteas deauratas tres, pensan. insimul libras quadraginta & octo semis. Sæpefatus quoque Præsul fecit per arcus ejusdem Ecclesiæ calices majores ex argento viginti & sex, pens. insimul libras centum novem & semis. Item, ubi supra obtulit canistra ex argento duo, pensan. libras duas, & uncias (25) octo. Gabatham ex auro purissimo, pens. libras tres. Fecit jam prædictus Pontifex canistra enafoti ex argento duo, pens. libras decem. Gabathas ex argento tres, pensan. libras quinque. Turibulum ex argento deauratum, pens. libr. unam. Hic benignissimus Præsul obtulit in sacro altari vestem de blatthin byzantea, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia, qualiter Angelus Beatam Cæciliam, seu Valerianum, & Tyburtium coronavit, cum periclysi de chrysoclavo, miræ pulchritudinis exornatam. Item ibi fecit vestem de fundato alythino, habentem in circuitu periclysin de olovero.

Ob amorem ejusdem Virginis fecit aliam vestem de fundato porphyretico, habentem in medio crucem ex auro texto, compte decoratam. Enimvero in jam dicto altari obtulit vestem albam, sigillatam cum rosulis, habentem in medio crucem de blatthin, cum psilliis, & periclysin de blatthin byzantea, pulcherrime exornatam. Obtulit & in prænominato altari vestem de quadrapulo. Venerabilis Pontifex fecit vela alithyna, penden. in circuitu altaris, quatuor, habentes cruces, & gammadias de fundato, & quadrapulo. In arcellam vero, ubi vene-

(20) D. aflamina &c.
(21) D. Mariæ auxiliata neque me &c.
(22) D. Et in Domino sicut me &c.

(23) D. familia, seu auctoritatis &c.
(24) D. uncias XV.
(25) D. libras II. & uncias IX.

Digitized by Google

venerabile caput ejusdem Virginis condidit, fecit vestem parvam de tyrio, cum periclysi de blatthin. Obtulit, ubi supra, vestem de fundato prasino. Immo & aliam vestem de stauraci, cum periclysi de olovero, & vestem de blatthin, cum periclysi de fundato. Fecit etiam in arcella ad corpus jam dictæ Virginis vestem de quadrapulo, cum periclysi. Porro & aliam vestem de staurace, cum periclysi de olovero. In jam dicta Ecclesia fecit vela tyria, cum periclysi de blatthin byzantea numero viginti quinque. Item vela prasina, cum periclysi de olovero, numero quatuor. Obtulit, ubi supra, vela alithyna, cum periclysi de blatthin, numero tria. Simulque vela de fundato parva, cum periclysi de blatthin, numero duo. Pariter vela tyria, cum periclysi de fundato duo. Hic venerabilis, & præclarus Pontifex fecit per arcus jam dictæ Ecclesiæ vela de fundato numero duodecim, & de quadrapulo quatuordecim. Fecit & in arcu presbyterii vela parva, cum periclysi de blatthin byzantea, numero duodecim. Hic à Deo protectus venerabilis Præsul fecit in ingressu ejusdem Ecclesiæ cortinam majorem de quadrapulo, & staurace, pulcherrime exornatam.

Ipse etiam sæpedictus Pontifex Monasteriis circumquaque constructis vigilanti cura satis animo gerens, quidque haberent inquirens, reperit ipse pius Pontifex Monasterium Sancti Sergii & Bacchi, post formam aquæductus Patriarchii Lateranensis positum, rebus omnibus desolatum, itaut Ancillarum Dei Congregatio, quæ ibidem inerat, paupertatis inopia nullas omnipotenti Domino, Sanctisque illius laudes decantare valerent. Qua venerabilis Pastor inquisitione ad pietatem commotus famulas Dei qualiter bene, religioseque esse possint, perfecit. Et in eo Monachorum aggregans, statuit conventionem, multis idem Monasterium ditans facultatibus, & in familiis, massis, vineis, domibus, urbanis, vel rusticis locis amplianter, sufficienterque multiplicavit, quatenus ipsa Congregatio residens omni necessitate postposita, soli Deo, Sanctisque illius laudes, & hymnos nocte, dieque modulanter in venerabili Ecclesia Salvatoris Domini nostri Jesu Christi sita juxta Lateranas decantaret. (*)

Præterea in Oratorio Beatissimorum Martyrum Processi & Martiniani, sito infra Ecclesiam Beati Petri Principis Apostolorum, quod & idem ipse construxit, obtulit imaginem ex auro purissimo, habentem vultum Sanctæ Dei Genitricis, pensan. libras decem, & uncias quatuor. Ibi & ipse fecit vestem de blathin byzantea, habentem tabulas de chrysoclavo duas, cum vultu Beati Petri, & Sanctorum Martyrum Processi & Martiniani, & periclysin de chrysoclavo, mira pulchritudine decoratam. Illic etiam obtulit vestem holosericam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum vultu Dominicæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, & periclysin de blatthin byzantea pulcherrime comptam. Verum enimvero Sanctis eisdem vela holoserica, cum periclysi de quadrapulo, & blatthin byzantea obtulit numero novem. Ubi, & supra, fecit vela parva de tyrio, cum periclysi de fundato, numero sex. Turibulum de argento exaurato mirifice, pens. libr. unam. In Oratorio autem Beatissimorum martyrum Sixti & Fabiani jam nominatus Pontifex fecit gabathas ex argento tres, pens. libras quinque, & uncias sex. Ante imaginem quoque ipsius Oratorii fecit velum de chrysoclavo, mirifice decoratum. Supra eorum venerabile altare fecit vestem de alithyno, habentem in medio crucem de blatthin byzantea, & periclysin, similiter de blatthin. Simili modo in jam dicto Oratorio obtulit sæpedictus Pontifex vestem holosericam, habentem in medio cruces de chrysoclavo duas, & periclysin de stauraci, diversis margaritis ornatam. Ibidem ipse fecit aliam vestem de fundato, habentem in medio crucem de blatthin. Fecit etiam ad ornatum prædicti Oratorii vela de alithyno, cum periclysi de blatthin byzantea numero quatuor. Simulque vela holoserica, cum periclysi de quadrapulo, & de olovero, numero quatuor.

Hic Benignissimus Præsul fecit in Ecclesia Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani, in via sacra, vestem de tyrio, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum vultu Domini Nostri Jesu Christi, atque Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani, cum aliis tribus fratribus, cum cruce de auro texto, & periclysin de olovero, pulcherrime comptam, atque decoratam. Supra eorum denique sancto altari obtulit coopertorium de tyrio, mirifice decoratum. Immo vero ante vestibulum ipsius altaris fecit vela tyria, cum periclysi de blatthin byzantea, numero tria. Venerabilis etiam Pontifex fecit in Monasterio Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi, sito in territorio Reatino, vestem de chrysoclavo, cum historia, qualiter idem Dominus noster Jesus Christus, cum Archangelis, & Apostolis in cœlo coruscat, mira pulchritudine diversis ornatam margaritis. Item in jam dicto Monasterio ad ornatum sacri altaris aliam obtulit vestem de fundato, habentem cruces de blatthin byzantea, & periclysin de chrysoclavo, mirifice exornatam. Pari modo in Ecclesia Beati Mennæ Martyris fecit vestem de quadrapulo, cum periclysi de blatthin byzantea. Hic Sanctissimus, & Coangelicus Præsul obtulit in Ecclesia Beati Petri Apostoli in Centumcellis calicem patenam ex argento deauratas, pensan. libras quatuor, & uncias tres.

Enimvero & in Ecclesia Beati Petri Apostoli fautoris sui fecit euangelium cum blatthin ex argento, pensan. libras octo, & uncias octo. Benignissimus quoque Præsul fecit in Monasterio Beati Stephani Protomartyris (26) ad Sanctum Petrum vestes albas holosericas quatuor, habentes in medio crucem de auro texto, cum diversis margaritis, & periclysi de blatthin, mirifice decoratas. Item, ubi supra, obtulit prænominatus Pontifex vestem de fundato, habentem in medio crucem ex auro textam, & periclysin de chrysoclavo. Sæpedictus denique Præsul fecit in jam dicto Monasterio vestem de fundato, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum vultu Sanctæ Dei Genitricis, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & periclysin de blatthin. Obtulit ibidem ipse vestes de stauraci duas, habentes in medio cruces de chrysoclavo, & periclysin de blatthin. Fecit etiam ad ornatum ipsius Oratorii velum majus de quadrapulo, habens in medio cruces de auro textas tres, & periclysin de blatthin. In Diaconia Beati Archangeli obtulit jam dictus Pontifex vestem de blatthin byzantea, habentem in medio

(*) D. decantare instituit.

(26) D. quam major ad Sanctum &c.

Digitized by Google

medio crucem de chrysoclavo, & periclysin de chrysoclavo, (*) pulcherrime comptam.

Enimvero & in Ecclesia Beatæ Cæciliæ martyris fecit concham ex argento, ubi & pretiosum ejusdem Virginis caput condidit, pensan. libras octo & semis. Simili modo & in Ecclesia Beati Quiriaci martyris in Thermis obtulit prædictus Præsul vela de fundato (27) numero octo. Hic à Deo fultus jam nominatus Pontifex fecit in Oratorio Sancti Archangeli, quod quondam prædecessor ejus Domnus Leo Papa constituit, atque construxit, vestem albam holosericam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo, cum historia Dominicæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, & periclysin de chrysoclavo, mirifice decoratam. Item ibi obtulit aliam vestem de fundato, cum periclysi de blatthin byzantea. Fecit etiam jam dictus Pontifex in supradicto Oratorio vestem aliam de quadrapulo, circumsutam, cum historia Dei Genitricis, pulcherrime comptam, atque decoratam.

Præterea idem summus Pontifex & orthodoxus divina inspiratione pulsatus Ecclesiam Sanctæ, & intemeratæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ ad Præsepe, cernens quondam tali more constructam, ut post Sedem Pontificis mulieres ad sacra missarum solemnia stantes, prope assistere juxta Pontificem viderentur, ita ut si aliquid colloqui Pontifex cum assistentibus (28) voluisset, ex propinqua valde mulierum frequentatione nequaquam ei sine illarum interventione liceret: largum ibidem locum inesse, qualiter inde sedem mutuare valeret, concerneret, dato operis studio cœpit indesinenter agere sedem inferius positam sursum ponere, ut eo familiarius Domino preces fundere posset, quo consortia populorum modeste declinare (29) potuisset. Denique sedem optime quam dudum fuerat, pulcherrimis marmoribus decoratam condidit, & undique ascensus, quibus ad eam gradiatur, construxit, pavimentumque altaris erigens pretiosissimis marmoribus stravit. Erexit sane sex inibi ante confessionem sacri altaris purpureo colore columnas, quas super & candidi marmoris trabem posuit, purpureis dextra, lævaque marmoribus nectens illas scilicet, celaturisque exornans satis commode decoravit. Presbyterium quoque ipsius Ecclesiæ diversis marmoribus, quam pridem fuerat, in melius reparavit. Propitiatorium vero sacri altaris, seu confessionem interius, exteriusque cum rugulis suis ex auro purissimo mirifice decoravit, pensan. libras centum septuaginta quatuor, & uncias sex. Similiter & altare ipsius Basilicæ ex argenteis laminis, cum historiis diversis, pulcherrime compsit, atque deauravit, pensan. libras trecentas octuaginta & quinque. Benignissimus etiam, præclarusque Præsul obtulit ibi gabathas ex auro purissimo, cum diversis gemmis, numero (30) sex, pensan. libras viginti, & uncias sex. Et hoc constituit, ut semper diebus, ac noctibus ante sacrosanctum altare lucernæ ardere debeant. Hic divina inspiratione fultus obtulit in jam dicta Basilica arcus ex argento numero octo, cum columnis sexdecim, pensan. insimul libras ducentas decem & octo, & uncias octo. Fecit etiam & ante vestibulum altaris rugas majores ex argento, pensan. libras septuaginta & octo. Obtulit etiam & canthara, ubi supra, ex argento numero sex, pensan. insimul libras sexaginta & semis. Pari modo & per arcus majores sæpedictæ Ecclesiæ fecit calices majores ex argento pendentes numero quadraginta & duos, qui omnes insimul pens. libras ducentas octuaginta & unam. Venerabilis etenim Præsul ob amorem ejusdem Virginis Dominæ nostræ obtulit ibidem coronas ex argento numero quatuor, pensan. libras sexaginta & duas & semis, & uncias tres. Item, ubi supra, canistra ex argento numero duo, pensan. libras (31) tredecim. Fecit etiam ibidem imaginem ex argento deauratam, cum vultu Beatæ Dei Genitricis Mariæ, pensan. libras decem & septem, & uncias tres. Christi quoque omnipotentis Domini famulus obtulit in sacrosancto altari sæpedictæ Basilicæ vestes de chrysoclavo duas, habentes historiam Dominicæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, cum periclysi, diversis ornatas gemmis, atque margaritis, mirifice decoratas.

Obtulit etiam ibi ipse aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam, qualiter Dominus noster Jesus Christus à Joanne in Jordane baptizatus est, cum periclysi de chrysoclavo, mirifice exornatam. Item, ubi supra, compsit vestem de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, cum periclysi de chrysoclavo, diversis ornatam margaritis. Beatissimus, & venerabilis prænominatus Pontifex divino amore ductus fecit ibidem in jam præfato altari vestem similiter de chrysoclavo, habentem historiam, qualiter Beata Dei Genitrix Maria corpore est assumpta, cum periclysi de chrysoclavo, seu diversis margaritis comptam, atque decoratam. Fecit enim Benignissimus Præsul ibi ipse aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ Ascensionis Christi Domini nostri, rite decoratam. Item, ubi supra, ob amorem ejusdem Virginis construxit aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam, qualiter Spiritus Sanctus venit super Apostolos, diversis ornatam margaritis, & decoratam. Immo ibidem aliam munivit vestem de chrysoclavo, cum historia Palmarum, modeste comptam, atque decoratam.

Necnon & ubi supra aliam compsit jam nominatus Pontifex vestem de olovero, cum periclysi de fundato. Pariter quoque, & pro quotidianis diebus obtulit vestes de fundato duas, cum perichlysi de quadrapulo, pulcherrime exornatas. Hic divina inspiratione pulsatus fecit ipse Sanctissimus Præsul per arcus majores jam præfatæ Basilicæ vela de fundato quatuordecim, & de quadrapulo quatuordecim, similiter & de imizilo quatuordecim. Domini nostri Jesu Christi famulus ob amorem eidem Dominæ nostræ per arcus presbyterii jam dictæ Ecclesiæ fecit vela de chrysoclavo, habentem historiam Domini nostri Jesu Christi, atque Nativitatem, seu Assumptionem ejusdem intemeratæ Virginis numero viginti & sex. Pariter & per ipsos arcus obtulit vela de quadrapulo, diversis historiis circumsuta, numero viginti quatuor. Christi namque omnipotentis famulus obtulit sursum in aspectu absidæ pannum Alexandrinum mirifice decoratum. Obtulit etiam in trabem majorem ipsius Basilicæ velum (32) majus de fundato, habens trabes de chrysoclavo septem, &

(*) D. *Verba*, & periclysin de chrysoclavo *non habet*.
(27) D. vela de fundato habentia peryclisin numero VIII. &c.
(28) D. cum sibi adsistentibus &c.
(29) D. declinare potius constitisset. Denique &c.
(30) D. gemmis numero V.
(31) D. libras XIII. & semis.
(32) D. *n* majus *non habet*.

& periclysin de blatthin byzantea. Fecit etiam ad ornatum ipsius Basilicæ in ipsam trabem vela de quadrapulo numero sex, & de imizilo vela numero quatuor. Ipse quoque Pontifex fecit juxta vestibulum altaris in absidam vela de quadrapulo numero duodecim. Ibidem de blatthin vela numero sex. Venerabilis quoque Præsul fecit in ingressu jam dictæ Basilicæ cortinam majorem Alexandrinam, cum diversis historiis, compte decoratam. Simili modo & pro quotidianis diebus aliam ibidem obtulit cortinam Alexandrinam, mirifice exornatam. Benignissimus, & præclarus Pontifex obtulit in prænominata Basilica vela alba holoserica in trabem majorem, cum periclysi de fundato, numero sex. Vela alia quatuor de blatthin byzantea alba ibidem constituit mirifice. Item in absida ipsius Basilicæ posuit vela alba, cum periclysi de fundato, numero sex.

Et quia idem ter Beatissimus Pastor tantam curam, tantamque vigilantiam, quam erga statum Sanctarum Dei Ecclesiarum frequenter impendebat: etiam altare Præsepii jam dictæ Basilicæ, seu venerabilem confessionem ultro, citroque ex auro purissimo, cum diversis historiis mirifice compsit, atque decoravit, pensan. libras centum triginta quatuor, & uncias quatuor. Similiter ex argento deaurato, cum variis historiis ibidem uncias decem, pensan. libras ducentas quinquaginta quatuor, & uncias quatuor. Item ibidem obtulit præfatus Pontifex gabathas ex auro purissimo, cum gemmis diversis, numero tres, pens. libras octo & uncias decem. Porro & vela de alithyno, cum periclysi de blatthin bizantea (33) ibidem posuit. Hic sacer Antistes ob nimium cordis amorem fecit in Ecclesia Beatæ Cæciliæ vestem de chrysoclavo, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, mirifice depictam, atque exornatam. Ipse vero à Deo protectus venerabilis, & præclarus Pontifex propitiatorium sacri altaris Beati Petri Apostolorum Principis, ubi sacratissimum corpus ejus quiescit, spanoclistum ex auro fulvo, cum diversis historiis depictum, atque mirifice decoratum, pens. libras ducentas. Item in jam dicta Ecclesia ob amorem ejusdem Dei Apostoli fautoris sui obtulit vela chrysoclava per arcus presbyterii, habentia historiam Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, numero quadraginta sex. Pariter & in Ecclesia Beatorum martyrum Cosmæ & Damiani in via sacra fecit vestem holosericam, pulcherrime comptam, atque decoratam.

Benignissimus etenim Præsul fecit in Basilica Beatæ Dei Genitricis Virginis semper Mariæ Dominæ nostræ ad Præsepe gabathas ex auro, diversis gemmis ornatas, numero duas pensan. libras sex. Item ibi ipse obtulit gabatham apostolicam ex auro purissimo, pensan. libras quinque. Item, ubi supra, fecit pharacanthara ex argento numero octo, pensan. insimul libras octuaginta duas. Ob amorem quoque ejusdem Dominæ nostræ obtulit in jam dicta Basilica columnas quatuor, & arcum unum, pensan. insimul libras sexaginta. Sæpenominatus etenim Pontifex fecit in venerabili altari ipsius Ecclesiæ vestem albam, habentem in medio crucem de chrysoclavo, diversis gemmis circumsutam, & pulchritudine exornatam, aliam quoque ibidem adnectens vestem de blatthin bizantea, simili modo cum cruce de chrysoclavo, diversis lapidibus honestissime decoratam. Fecit etiam ad ornatum præfatæ Ecclesiæ vela de chrysoclavo per arcus presbiterii, habentia historiam Dominicæ Passionis, atque Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Necnon & in trabem majorem sæpius dictæ Ecclesiæ obtulit vela alia, cum periclysi de quadrapulo, numero sex. Item in trabes ipsius Basilicæ fecit vela de fundato, numero septem. Obtulit etiam vela (34) holoserica in circuitu altaris jam dictæ Ecclesiæ, habentia periclysin de quadrapulo, numero quatuor. Venerabilis quoque Præsul fecit in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis, quam vocant Dominicam, rugas ex argento, pensan. libras sexaginta sex. Fecit etiam in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, sita Savinis in Episcopio, vestem de fundato, cum periclysi de blatthin byzantea. Hic denique divina vocatione defunctus est. Sepultus vero in Ecclesia Beati Petri Apostoli. Fecit autem ordinationes duas, unam quidem per mensem Decembrem, & aliam per mensem Martium, Presbyteros ...... Diaconos sex (35), Episcopos per diversa loca numero .... Et cessavit Episcopatus ejus dies quatuor in mense Januario, indictione prima.

CI. EUGENIUS II.

ANNO CHRISTI 824.

LUDOVIC. IMP. 2. MICH. BALB. 4.

Eugenius, natione Romanus, ex patre (1) Bœmundo, sedit annos quatuor, menses duos, (2) dies viginti & tres. Hic etenim venerabilis, & præclarus vir magnæ simplicitatis, atque humilitatis fuit. Doctus scientia, sermone præcipuus, forma pulchrior, largus petentibus, mundum respuens. Sola quæ Christo erant placita, omnibus diebus, ac noctibus cogitabat. Hujus præfati Pontificis tempore ubertas non modica totam non solum Romam, sed etiam pene totum invaserat Orbem. Quia quicquid justo percipiebat à subditis (*) pondere non solum (3) pusillis, ac viduis, sed etiam divitibus incessanter omnibus distribuebat. Maxima autem pax, & requies ejus diebus universo fuit orbe Romano. Quippe nam ipse cum totius esset pacis amicus, quid aliud (4) pertinentes, nisi quod ipse suis honestis gerebat moribus, & ipsi pariter gerebant? Archipresbyter enim hujus sacratissimæ, atque universalis Ecclesiæ fuit, in qua non per modica tempora suum mirifice propositum rexit. Postea à Romanis cunctis pro meritorum pia relatione electus, post transitum Sanctissimi Domini Paschalis Papæ, Pontifex factus est. Tenuit autem Presbyteratus sui tempore Ecclesiam Beatæ Sabinæ Martyris, positam in Aventino monte, quam Deo dispensante post Pontificalem sibi attributam gratiam ad meliorem cultum perduxit, & pictu-

(33) D. Byzantea numero.... ibidem &c.
(34) D. vela alba oloserica &c.
(35) B., & C. Diacones VII.

EUGENIUS.

(1) B., & C. ex patre Bonomundo. D. *patris nomen non habet*.
(2) B., & C. menses II. dies XXIII. *non habent*.
(*) D. subsidiis.
(3) B., & C. non solùm pupillis, ac viduis &c.
(4) B., & C. quid aliud, nisi quod &c.

Digitized by Google

picturis undique decoravit. Hujus diebus Romani Judices, qui in Francia tenebantur captivi, reversi sunt, quos in parentum propria ingredi permisit, & eis non modicas res de Patriarchio Lateranensi præbuit, quia erant pene omnibus facultatibus destituti. Fecit autem in Ecclesia Beatæ Sabinæ Martyris supradictæ cyborium ex argento purissimo, pensan. libras (5) ..... Isdem venerabilis Præsul, ubi supra obtulit.

CII. VALENTINUS II.

ANNO CHRISTI 827.

LUDOV. IMP. 14. IMP. MICH. BALBI 7.

Valentinus (1), natione Romanus, ex patre (2) Petro, de regione via Lata, sedit dies quadraginta, magnæ Sanctitatis, magnæque Beatitudinis vir iste repletus, & Spiritus Sancti perfusus gratia mansit (3). Qui dum in hac Romana urbe, quæ, Deo auctore, summi sacerdotii, & regalis excellentiæ retinet dignitatem ab ingenuis, & piis parentibus genitus, & ob studia elementorum solerti magistro traditus esset, sacros divinæ legis apices capaci ubertim sensu rimabat, & ingenii memoria retinebat. Inanes, ac turpes puerorum ludos more nobilium evitabat. (4) Nullas ex ore proprio incongruas, aut inhonestas fabulas proferebat. Nullisque illicitis operum actionibus utebatur. Sed ab ipso primævo infantiæ flore piæ modestiæ, ac sobrietati deditus, & præclaro divinæ inspirationis spiritu plenus, inter cunctas verborum, atque prudentiæ phaleras labia compta gerebat. Præcipuus quoque dictionum copiis, & luciffluis operum meritis patefaciens elegantem sui pectoris mentem. Præsertim cum juxta eximiam Doctoris Gentium vocem, sine offensione se omnibus ovanter, animoque præbebat benigno. Nemini quippe contrarietatis scandalum ponens debitum perfectæ dilectionis impendere proximis animo strenuo procurabat. Atque juxta Dominicæ vocis præceptum, lumbos castitate præcinctos, & lucernas in manibus gestabat ardentes, verbo scilicet luculenter refulgens, & actu doctrinæ pariter munere cum magnifico exemplo laudabilis indicio coruscabat.

Superna quoque Dei auxiliante virtute, cum jam perfectæ initium sumsisset ætatis, & ipsius bonitatis, atque sagacitatis favor longe, lateque thuris odoriferi instar flagraret, & aures Beatissimi Præsulis piæ memoriæ Domni Paschalis ex fidelium relatu veridico enucleanter pulsasset, eumque ut populus conlaudabat fore in omnibus illustrem, & inclytum veraciter didicisset: mox illum per Ecclesiasticos gradus ad Subdiaconatus honorem provexit ex Lateranensi palatio & sibi deservire præcepit. Cujus conversationis, & patientiæ vitam, ac mores ipse agnoscens, valde illum præ cæteris diligebat. Prædictus autem vir gratia desuper divina favente, cui se tota mentis devotione, integraque virtute devoverat, veritatis, & sapientiæ plenus lumine coruscabat. Erat enim sermone affabilis, doctrina clarus, vultu conspicuus, & inter fratres pia devotione modestus, proximisque fidelis. Nullis vero se quibus aliquis vel leviter contristaretur, sagaci pectore fultus, negotiis implicabat. Cum præterea cum tot bonis, tantisque operum meritis, præstantis corporis formam elegantem jam dictus Pontifex, ornatumque inspiceret, Levitam Sedis suæ Apostolicæ consecravit. Cui ob suæ vitæ meritum, quo splendide rutilabat, & ab omni Ecclesiæ plebe, atque inclyto Romanorum populo cętu (*) ingenti diligebatur amore, bona, & beneficia multa largiflue contulit, eumque postmodum Archidiaconum fecit. Quo sane Præsule Christo jubente culmina scandente cœlestia, Eugenius tunc Pontificali est ab omnibus elevatus in honore, & positus in Sede Apostolica. Qui eum cunctis, quæ diximus, bonis decoratum luculenter agnoscens omni vitæ suæ tempore charissimorum vice retinuit, & velut pater proprio filio corde congaudebat alacri, suisque aspectibus illum assidue consistere cupiebat. Peracto vero, ac divinitus finito hujus Præsulis lucis transeuntis termino ad Sacræ Sedis culmina omnis Romanorum cœtus crebris Dominum jejuniis, & orationibus deprecans, ut quis tantæ Sedis honore dignus foret eorum sensibus revelare dignaretur. Sed divina placata majestas, quem ex sacerdotali eis catalogo eligendum arcano suæ potentiæ nutu ostenderet, nisi eum, quem ab ipsis matris uberibus tot supra dictis virtutum copiis, & pulcherrimo doctrinarum flore ornaverat, atque constantem, & fidelem in omnibus sibi alumnum nutrierat, Sacratissimæ Sedis rectorem tribueret?

Collectis igitur in unum venerabilibus Episcopis, & gloriosis Romanorum Proceribus, omnique amplæ urbis populo in palatio Lateranensi, ut quod jam cordi cœlitus revelatum, æquiter omnes tenebant in uno multorum sonitu resonaret, unius voluntatis consensu fortiter acclamatum est, Valentinum Sanctissimum Archidiaconem Sedis Apostolicæ dignum, Valentinum Summi Pontificatus infula decorandum. His itaque melliflue dictis una mox omnes pacis conjunctione manentes ad Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ sacer Clericorum, & Romanorum proceres, pariter cum populo properantes multiplices cum Domino grates, ac laudes reddentem more solito invenerunt. Quem illico multum, ac diutius renitentem, seque tanti regiminis fore incongruum voce strenua proferentem, almæ plebis, & lætis utriusque militiæ Romanorum electus est vocibus in Sede Pontificum. Ac deinde condignis gloriæ laudibus, & honoris amplitudine ad Lateranense Patriarchium ab ipsis deductus, & in Pontificali est positus throno. Cujus ovanter ab omni Romanorum Senatu pedibus osculatis, & omnibus, quæ explenda erant rite, ac veneranter peractis, magna sobrietas, magna in totius sexus, & ætatis populo lætitia mansit. Ejusque con-

(5) B., & C. pens. libras..... *cætera desunt*.

VALENTINUS.

(1) D. Valentinianus.

(2) B. ex patre Leontio. Sedit mense I. diebus X., & cessavit diebus IV. C. *legit ut* B. Sed pro diebus IV. *legit* III.

(3) B., & C. *Verba* Qui dum in hac &c. *usque ad* *illa*, Inanes, ac turpes &c. *non habent*.

(4) B., & C. evitabat. Quem Domnus Papa Paschalis conspiciens bonis ornatum moribus Archilevitam hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ constituit. Defuncto itaque Domno Eugenio Valentinus Archilevita summum conscendit apicem. Erat quippe dapsilitate inclytus &c. *ut infra*.

(*) D. inclyto Romanorum cœtu &c.

Digitized by Google

consecrationis die sereno jam illucescente, cum lumine jam dictum Antistitem ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam omnes pariter Romani à palatio deducentes eum, majestate divina auxiliante, in alto throno Summum consecravere Pontificem.

Qui mox almificæ Sedis culmina scandens Beati Petri Apostoli, & cœlestis Regni Clavigeri, divinis Deo laudibus, & sacrificiis pie oblatis, amplo, & magnifico Romanorum cœtu ad palatium cum ingenti gaudio remeavit, atque lautissimis dapibus sumptis amantissimorum multis, & diversis munerum donis sacram plebem, & Senatum, populumque Romanum optime ditavit. Erat quippe dapsilitate inclytus, actione præcipuus, sermone luculentus, omnibus compassione proximus, & inopiam sustinentibus opportunum instanter solatium præbens. Quibus multiplicibus bonis ornatus, ad cœlestia Christo vocante corporis oppressus molestia exitu pretioso transivit, atque cum desiderabili, beatissimique operis fructu ad conspectum summæ majestatis lætus ascendit, (5) lætans, & exultans cum Domino semper.

CIII. GREGORIUS IV.

ANNO CHRISTI 827.

LUDOV. 14. IMPER. MICH. BALB. 7.

Gregorius (1) quartus, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit annos sexdecim. Vir strenuus, ac benignissimus, sanctitate, atque pietate repletus, ornatus scientia, verbo jocundus, modestus præ omnibus sermone, firmissimus fide catholica, justus operibus, & literarum dvinarum solertissimus inquisitor. Ecclesiarum quoque Sanctarum infatigabilis visitator, pater pauperum, & alitor omnium viduarum. (2) Terrenum nil appetens, (3) mundana hujus vitæ præsentis lucra deserens, æterna præmia in cœlis dignis sibi meritis acquisivit. Hic à Deo Beatissimus Pontifex genere clarus, sed magis clarior Sanctitate, forma pulcher, fide pulchrior. Quæ scilicet universa laudum præconia non solum Pontificatus sui tempore claruerunt, sed etiam cum adhuc juvenilibus annis polleret, talia peragere indeficiens satagebat. Quæ res Romanis (4) omnibus non diu occultata permansit, sicut scriptum est: *Quia nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Cœpit sancta ejus operatio de die in diem per totam Romanam pleniter urbem resonare, evangelico sermone docente: *Nihil opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non sciatur.* Pro quibus denique innumerabilibus bonis à Sanctissimo hujus sacræ Sedis Domno Paschali Papa, non solum Subdiaconus, sed etiam Sacerdos effectus est. Permansit vero in Sacerdotii sui habitu constitutus caste, ac pudice recolens illud, quod Scriptura Sacra commemorat, dicens: *Sacerdotes Dei induantur justitia*, idest, non in aliis vacent, nisi oratione, lectione, & jejunio. Cumque in his intentus insisteret humano more jam dictus Paschalis Pont. ex hac luce subductus, & Eugenius à Deo electus Antistes sacri apicis adeptus est dignitatem. Permanens autem in hac per modicum (5) tempus, vita & ipse pariter defunctus est. Post hunc Valentinus alendorum gregum Præsulatus culmen sortitus sub maxima celeritate ex hac præsenti vita subtractus est.

Cœperunt denique Romani pariter omnes non solum de Pontificibus tam subito perditis, verum etiam de futuro arctius cogitare, ut quem Sancti Spiritus gratia perlustratum agnoscere potuissent, sub cujus doctina, atque imperio cuncta senatorum nobilitas rite degere potuisset. Quorum videlicet universorum procerum corda adjutor in oportunitatibus in tribulatione creator omnium Deus inextinguibili suo Sancto lumine succendit, & mentes eorum ad Beatissimi Gregorii quarti pia facta convertit. Consenseruntque omnes in eodem spiritu, & anima una. Electus autem ab eis Patriarchio Lateranensi (6) inductus est, abstrahentes quidem illum ex Basilica Beatorum martyrum Cosmæ & Damiani per vim. Dicebat enim se ad tale ministerium inutilem fore. Sed quoniam tam immensæ multitudini resistere non valuit ad locum jam ante prædictum eum cum hymnis, & canticis spiritualibus deduxerunt.

Verum quia investigare cuncta, quæ gessit, celeri sermone non possumus: ea licet breviter, ad notitiam omnium perducamus, quæ sacris, ac venerabilibus mente integra, & pia devotione obtulit locis. Præterea post electionem simul, & consecrationem Præsulatus sui cœpit permaximum studium habere de Sanctis, & de eorum Ecclesiis, quatenus ad statum pristinum novo cultu eas, protegente Domino, citius revocaret, quod factum est. Nam eo tempore Ecclesiam Beati Saturnini martyris, foris portam Salariam constitutam, quæ vetustate nimia, & longo jam senio à fundamentis ceciderat novis fabricis ædificari fecit, & picturis variis decoravit; ubi etiam obtulit vestem de fundato unam. Perficiente vero illo hæc, quæ superius dicta sunt, ad alia tunc Pontificalis ejus animus Sanctorum opuscula summopere cœpit attendere. Et quoniam tunc divino ignis amore succensus corpus Beati Gregorii hujus universalis Ecclesiæ Præsulis, per quem Sancti Spiritus gratia toto orbe terrarum inextinguibile sapientiæ munus induxit, ex loco sepultus, quo prius fuerat, tulit, & non longe ab eo in alium noviter constructum infra Ecclesiam Beati Petri Apostoli summo honore perduxit. Ejusque

(5) B. C., & D. ascendit regnans, & exultans &c.

GREGORIUS.

(1) Quartus *deest in* B., & C.

(2) B., & C. *Verba* Terrenum nil appetens *usque ad illa* Hic à Deo &c. *non legunt*.

(3) D. appetens, nil transitorium concupiscens, mundana &c.

(4) B., & C. Romanis diu occulta permansit. Cæterum Romani pariter omnes de obitu Pontificis, qui tam repentè supervenit, & non tantùm de prænominato obitu, quàm de futuro Pontifice artiùs cogitabant. Quorum videlicet &c. *ut infra*.

(5) D. in his per modicam. Post hunc Valentinus &c.

(6) B., & C. Lateranense perductus est, abstractus ab Ecclesia Sanctorum Cosmæ, & Damiani; ipse autem renuebat, atque ajebat se non esse dignum ad onus tam magni officii Hic autem Beatissimus quo tempore vixit multa, & innumerabilia dona Ecclesiis Dei donavit, atque universas Ecclesias decoravit. Hic etiam corpus B. Gregorii Papæ, & Doctoris translatum ante novellum Secretarium, constructis absidibus, sicuti modò cernimus sub Altari sui nominis collocavit, quo ejus anniversaria sollennitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissima celebratur, in qua pallium ejus, & philateria, sed & Baltheus consuetudinaliter osculantur. Qui Beatiss. Pontifex &c. *ut infra*.

Digitized by Google

quæ sacrum altare argenteis tabulis undique peroravit, & Oratorium suo Sancto nomine titulavit. Absidamque ejusdem superaurato musivo depinxit. In quo scilicet Oratorio Sanctorum corpora Beatorum martyrum Sebastiani, Gorgonii, ac Tiburtii ex cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit. Et unumquodque eorum separatis altaribus collocavit, pro quibus denique Pontificatus sui tempore decrevit, ut Monachi, qui ad officium persolvendum in Ecclesia Beati Petri Apostoli sunt constituti omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non desistant. Obtulit autem in eodem Oratorio vela majora, vel modica serica decem & octo. Vestes super altare, sub quo Sanctissimi Gregorii Papæ corpus quiescit, tres. Unam cum chrysoclavo, habentem historiam........ & super unumquodque altare prædictorum Martyrum vestem de fundato unam. Imagines denique desuper deargentatas, necnon auro perfusas tres, habentes vultum Domini, & eorum depictos, quorum specialia ibidem corpora humata miraculis, ac virtutibus pollent.

His igitur perfectis operibus ad alia repente venerabilis Pontifex animum, & mentem convertit. Nam Ecclesiam tunc Beati Marci Confessoris, atque Pontificis, quam tempore sacerdotii sui regendam susceperat, & usquequo ad Pontificatus pervenit gratiam in suo jure, ac ditione permansit, quæ ob nimiam vetustatem crebro casura esse videbatur, cum omnipotentis Dei opitulatione à fundamentis prius ejecit, & postmodum novis fabricis totam ad meliorem cultum, atque decorem perduxit, absidamque ipsius prænominatæ Basilicæ musivo aureis superinducto coloribus cum summa gratulatione depinxit. Fecit vero sarta tecta ejus omnia nova; & quicquid in ea ante vile cognoverat pretiosum postea esse maluit.

Igitur consummatis omnibus his pro remedio, & futura retributione animæ suæ, obtulit in jam sæpe nominata Ecclesia futuris temporibus permanenda hæc, regnum aureum unum, quod usque hodie super altare dependet, cum gemmis valde optimis, habens in medio auream crucem, cum gemmis pariter pretiosis. Item gabathas ex auro purissimo tres, pendentes ante prænominatum altare. Et gabathas interrasiles de argento, duodecim Angelorum opere constructas. Et alias gabathas interrasiles quinque, cum pedibus suis. Item, ubi supra, obtulit thymiamateria aureo colore perfusa tria, canistra de argento duodecim. Coronas argenteas majores, & minores novem, cruces de argento tres, & unaquæque habet libras unam. Cerostatas desuper argentatas quator. Fecit & cyborium ad laudem, atque decorem Confessoris jam sæpius dicti ex argento purissimo, pens. libras mille. Altare quoque ejusdem argenteis similiter tabulis exornavit, cupiens per rerum temporalium exercitia æterna cœlo præmia adipisci. Prædictus etiam Venerabilis Pontifex obtulit, ubi supra, vestem de fundato unam, habentem mucrones per circuitum. Fecit & aliam vestem de olovero unam, habentem in medio gemmas, & mala aurea, & per circuitum zonam de chrysoclavo. Immo vero obtulit Sanctissimus Præsul vestem de olovero, cum gryphis, & unicornibus. Vestem quoque aliam cum chrysoclavo per circuitum, habentem in medio Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi.

Sæpe jam dictus venerabilis Papa obtulit in prænominata Ecclesia vestem cum gryphis, & chrysoclavo per circuitum, habentem in medio Nativitatem Domini nostri Jesu Christi. Item vestem aliam cum chrysoclavo, habentem per medium rotas de chrysoclavo quatuor, & Nativitatem, atque Baptismum Domini nostri Jesu Christi. Obtulit vero prænominatus Pontifex vestem aliam cum leonibus, habentem Resurrectionem Domini de chrysoclavo. Vestes de fundato minores octo, quæ altaribus superponuntur, quæ per circuitum ejusdem Ecclesiæ esse noscuntur. Vela alba serica 4. unum habens undique tyrium, & in medio crucem, & gammadias de chrysoclavo. Aliud de staurací, habens in medio crucem de olovero, & gammadias de olovero (7) tyreo. Tertium, & quartum similiter. Vela de rodino quatuor, quæ sacrum altare circundant. Ex quibus unum habet crucem de chrysoclavo. Vela de fundato 26. & linea similiter, quæ pendent per arcus Ecclesiæ. Vela Alexandrina tria ante portas majores pendentia, habentia homines, & caballos. Cortinam Alexandrinam unam, vel alia, (8) habentia mucrones de fundato 4. (9) Velum de octapulo unam. Vela alia de fundato octo, habentia per circuitum periclysin de blatthin. Et alia vela sex cum aquilis, habentia per circuitum periclysin de tyrio. Vela simulque alia de fundato quinque, habentia leones, & periclysin de tyrio. Vela alia Alexandrina, ex quibus unum habens rotas, & rosas in medio, & aliud arbores, & rotas pendentia ante valvas ipsius Ecclesiæ. Item velum modicum de olovero, habens in medio hominem cum caballo. Vela cum argento spanisco quatuordecim. Vela modica, ubi supra, de olovero, decem, habens unumquodque eorum anates. Hic divina inspiratione protectus obtulit in jam dictæ Basilicæ aquæmanile de argento (10) unum.

Verum etiam fecit & in Ecclesia Beati Cosmæ & Damiani Martyrum vestem de fundato unam, habentem in medio historiam (11) depictam, cum chrysoclavo. In Ecclesia Beati Abbacyri, atque Archangeli ad alefantum (12). Hic à Deo electus, & præclarus Antistes obtulit in Basilica Beati Eustachii Martyris vestem de fundato unam, habentem in medio historiam de chrysoclavo. Fecit jam sæpius nominatus Præsul aliam vestem in Ecclesia Beatorum Martyrum Sergii & Bacchi de fundato unam. Pari modo vero fecit & aliam vestem de fundato in Ecclesia Sancti Silvestri, posita in monte Soracti. Post completa vero hæc omnia, & diligenter peracta fecit in Ecclesia Beati Petri Apostoli vela cum chrysoclavo numero quatuordecim, habentia diversas (13) historias Euangeliorum, & passiones Beati Petri, ac Pauli, necnon Andreæ Apostoli, quæ dependent inter imagines auro, argentoque fusas in trabe desuper argentata, antequam adeas sacram confessionem, speciosa valde visibus humanis, atque præcipua.

Fecit autem & in Ecclesia Beati Christi Martyris Georgii Magnificus Præsul hinc inde porticus,

(7) D. gammadias de tyrio,
(8) D. vela alia &c.
(9) D. de fundato III. velum de optapulo &c.
(10) D. unum *non habet*.
(11) D. Historiam Sanctorum eorumdem de crysoclavo. Simili modo verò fecit & aliam vestem in medio historiam depictam &c.
(12) D. ad Elefantum.
(13) D. ✝ diversas *non legit*.

Digitized by Google

ticis, quas etiam ad decessorem ipsius Basilicæ variis ornavit picturis. Absidam vero ejusdem Diaconiæ à fundamentis, auxiliante Domino, cum summo studio compsit. Hic adeo amabilis Pontifex dum diligenter cerneret, quod ejusdem venerabilis Diaconiæ secretarium præ nimia temporum vetustate marcesceret, noviter pro ipsius amore, vel gratia aliorum ad meliorem erexit honorem. Obtulit itaque Sanctissimus Papa, ubi supra, hæc dona: Vestem de fundato unam, (14) cum chrysoclavo, habentem Imaginem Salvatoris, & Martyris Sebastiani, atque Georgii. Vela de fundato majora duo, minora decem & octo. Fecit autem in confessione ipsius Basilicæ rugas de argento ex auro perfusas. Pari modo vero sarta tecta Basilicæ Beati Hadriani Martyris, posita in via sacra, quæ præ nimia vetustate marcuerant, noviter restauravit.

Verum etiam fecit in Patriarchio Lateranensi triclinium miræ magnitudinis, decoratum cum absida de musivo. Sed & alias absidas duas dextra, lævaque, positas infra paracellarium, variis historiis depictas. Fecit etiam Sanctissimus Papa & in Ecclesia Beati Clementis confessoris vestem de fundato, cum leonibus, & periclysin de octapulo. Simili modo & in Diaconia Beati Theodori Martyris vestem de fundato, leones habentem, cum periclysi de octapulo. Fecit autem in Ecclesia Beati Christi Martyris Laurentii, quæ ponitur foris muros, vestem chrysoclavam, habentem historiam Zachæi. Fecit & aliam vestem fundatam, cum gryphis, in honorem Sanctæ Dei Genitricis ad Martyres. Necnon & in Basilica Beati Stephani Protomartyris in Cœlio monte vestem de fundato, cum gammadiis. Verum etiam & in Diaconia Beatæ Dei Genitricis in via Lata fecit vestem de stauraci, cum periclysi de blatthin. Simili modo & in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ ad Præsepe fecit vestem auro textilem, habentem Nativitatem, Baptismum, Præsentationem, & Resurrectionem: habentem in capite ipsius historiæ gemmas albas trecentas & octuaginta, hyacinthinas quinquaginta, prasinas viginti duas, & in circuitu alvaviras legente de nomine Domni Gregorii Quarti Papæ. Item fecit & in Diaconia Beati Hadriani Martyris in tribus fatis vestem de fundato. Fecit autem præfatus Præsul in Ecclesia Beatorum Apostolorum ad vincula vestem de fundato, habentem leones, cum gryphis. Fecit & aliam vestem de fundato in Ecclesia Beati Martini Confessoris, atque Pontificis, habentem leones, cum arboribus.

Necnon & in Basilica Beati Eusebii Martyris vestem de olovero, habentem aquilas, cum periclysi de quadrapulo. Obtulit etiam prædictus Præsul in Basilica Beatæ Dei Genitricis Mariæ trans Tiberim vestem de tyrio, habentem historiam Dominicæ Nativitatis, atque Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Immo & in Diaconia, quæ vocatur Cyro, simili modo obtulit vestem de fundato. Immo & in Diaconia Beatæ Mariæ in Via lata eodem modo vestem de fundato obtulit. Hic præclarus, & venerabilis Pontifex divina inspiratione fretus fecit in Ecclesia Beati Marci Confessoris Christi, atque Pontificis patenam octogoni exauratam, habentem in medio vultum Domini nostri, (15) & à duobus lateribus vultum ipsius Beati Marci, atque ejusdem Præsulis, pens. libras sex. Simili modo & calicem octogoni fundatum cum foliis exauratum ibidem obtulit, pensan. libras sex, schyphum quoque argenteum illic offerri curavit, pensan. libras sex. Obtulit etiam ipsi prænominatus Pontifex canistra ennafodia duo, pensan. insimul libras quatuordecim. Verum enimvero in Ecclesia Doctoris Gentium Beati Pauli Apostoli obtulit sæpedictus Pontifex vestem de chrysoclavo, habentem historiam Domini Dei nostri, & in ejus obsequio à dextris, vel sinistris Archangelorum, seu Apostolorum, laudabili numero, miræ magnitudinis, atque pulchritudinis, diversis lapidibus, vel margaritis ornatam, pulcherrimeque contextam.

Hic Benignissimus, & præclarus Pontifex dum bonus, & verus Pastor pro Sanctæ Dei Ecclesiæ statu maximam undique curam, ac vigilantiam gereret, considerans Romanorum penuriam, quod ubi triticum ad edendum molerent nullo modo haberent, divino fretus auxilio formam, quæ Sabbatina nuncupatur, quæ jam per plurimos annos confracta, atque disrupta esse videbatur, dato operis studio, sicut à priscis fuerat ædificata temporibus, ita quoque eam præsagus Antistes noviter ædificare, atque construere nisus fuit: Ita ut ad Ecclesiam Beati Petri Apostoli, atque ad Janiculum sicut prius, ita & nunc indiffluenter decurrat. Fecit etiam in Diaconia Beatæ semper Virginis Mariæ in Cosmedin vestem de tyrio, habentem historiam Dominicæ Nativitatis, atque Resurrectionis Christi veri Dei nostri. Ad honorem, & gloriam Beatæ Dei Virginis Susannæ obtulit Sanctissimus Præsul in ejusdem Ecclesia vestem fundatam, cum periclysin de tyrio.

Fecit autem in Ecclesia Beati Cyriaci Martyris, atque Diaconi vestem de fundato, (16) habentem periclysin de stauraci. Pari modo & in Ecclesia Beatæ Pudentianæ Virginis vestem de fundato, cum periclysi de quadrapulo. Obtulit Beato Vitali Martyri vestem de fundato, habentem aquilas, & periclysin de quadrapulo. Præfatus vero Pontifex fecit in Ecclesia Beatæ Anastasiæ Martyris vestem de fundato, habentem aquilas, & periclysin de olovero. Immo vero obtulit jam dictus Præsul in Basilica Beatæ Luciæ Martyris, quam vocant Orphea, vestem de fundato, cum periclysi de octapulo. Sanctissimus denique Pontifex fecit in titulo Beati Chrysogoni Martyris vestem de tyrio, habentem historiam Danielis, cum periclysi de stauraci. Obtulit vero Beatissimus Papa in titulo Pammachii vestem de stauraci, cum periclysi de quadrapulo. Verum etiam fecit & in Ecclesia Beatæ Cæciliæ Martyris vestem de fundato, habentem aquilas, & gryphos, cum periclysi de olovero. Pari modo & in titulo Æmilianæ obtulit vestem de fundato, habentem aquilas, & periclysin de platta byzantea. Simulque & in Ecclesia Beati Sixti Martyris, atque Pontificis fecit vestem de tyrio, habentem historiam Danielis, cum periclysi de olovero.

Fecit in Basilica Beatæ Balbinæ martyris vestem de fundato, cum periclysi de olovero. Fecit autem in titulo Damasi vestem de stauraci, habentem periclysin de blatta byzantea. Fecit etiam in Ecclesia Apostolorum Jacobi, & Philippi vestem de fundato. Item in Ecclesia Beati Mar-

(14) D. unam, & aliam cum &c.

(15) D. Domini nostri Jesu Christi, & à duobus &c.

(16) D. de fundato cum peryclisi de quadrapulo *Verba interposita non habens.*

Digitized by Google

Marcelli Confessoris, atque Pontificis fecit vestem de fundato. Pari modo in Basilica Beati Laurentii in Lucinæ fecit vestem de stauraci. Item in Ecclesia Sancti Valentini fecit vestem de fundato, & gammadias de octapulo (17).

Cumque hæc omnia, quæ superius inserta leguntur à quarto hujus intemeratæ Sedis Papa Gregorio Deo favente liberius consummata fuissent, atque perfecta, piger esse nullatenus volens, cœpit indifferenter post curam gregum de cultura, sive meliorationibus venerabilium tractare locorum, ut suis temporibus novo culturæ formatu consolidata essent. Quod intercedente Apostolorum Principe Petro juxta votum sui desiderii factum est. Ideo cum talia Præsulatus sui animo volveret, & hæsitans cogitaret, repente ad memoriam sui recurrunt, quod justum non esset, si amplius Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis, quæ more veterum nunc usque Calixti trans Tiberim dicitur, sine Monachorum officio constitisset, maxime cum in ea signorum non minima frequenter fiant miracula, & virtutes diversæ; ac demum divinitus compunctus corde, & Dei omnipotentis roboratus, ac fretus juvamine, juxta latus prænominatæ Basilicæ Monasterium à fundamentis statuit, & novis fabricis decoravit. In quo etiam Monachos Canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent, & Omnipotenti Domino grates, & laudes diebus singulis, & noctibus profecutis, intimo cordis spiramine decantarent, quod sicut in præsentiarum cernimus, magno certamine, magnoque studio Pastor eximius hoc opus valde firmissimum ampliavit. Nam ubi ante nulla erat cultura præcipua, modo Deus dispensante (18) pulchra sunt habitacula Monachorum, & loca, quæ nuper ab hominibus videbantur vepribus, vel immunditiis plena, nunc in eis cellulæ constructæ sunt, quibus oves Christi cum suis simul utilitatibus post laudum officia largissime cohabitant, & dormiunt. Ego igitur (19) tempore sæpedicta Ecclesia quibusdam per circuitum locis longo senio erat prærupta, sed eam firmissimis undique munitionibus restauravit. Et in ea Sanctum fecit Præsepium ad similitudinem Præsepii Sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Majoris, quod videlicet laminis aureis, & argenteis adornavit. In quo remedio, ac venia delictorum hæc obtulit dona; Imaginem auream, habentem historiam Dominæ nostræ cum diversis, & pretiosis gemmis, hyacinthos majores numero tredecim, prasinas decem, albas majores numero viginti & novem, alamandinas majores numero viginti, albas modicas, habens in circum capitis coronam diverse philopares. Cercelli paria duo, habet gemmas pretiosissimas albas numero decem & octo, prasinas octo, hyacinthinas quatuor. Item in eadem imagine habet murenas prasinales pretiosissimas duas, ex quibus (*) habet pendulas numero undecim. Item murenam trifilem auream, quæ habet gemmas diversas albas numero septuaginta tres, & buticulas triginta tres. Murenam, in quo pendent gemmæ hyacinthinæ tredecim, Digitiæ aureæ novem, pendent in filo aureo. Item murenam filatam, ex qua gemmæ penpent hyacinthinæ quatuordecim. Signum Christi, habet navicellas (20) duas, & murenas tres. Omnes morenas, cum petinante eorum. Gabathas aureas purissimas interrasiles philopares. Signum Christi, pendentem in catenulis tribus lilio, & unc...... legente de donis Dei, & Sanctæ Mariæ, quod vocatur Præsepe trans Tiberim, Domni Gregorii Papæ quarti, qui puro corde optulit. 3. gabathas saxiscas. Signum Christi, habet historiam in modum leonis incapillatam, cum diversis operibus purissimis aureis, pendentibus in catenulis quatuor, & uncino uno. Item gabatham saxiscam habet in modum leonis 4. cum diversis historiis serpentium, & in medio stantem pineam, & quatuor leunculis exauratam, qui pendent in catenulis 3. & uncino uno. Item gabathas saxiscas. Ex quibus habet singulis operibus exauratis, pendentes in catenulis tribus, & uncinos quatuor; ex quibus habet unam gemmis vitreis. (21) Quæ Domnus item Gregorius quartus Pontifex libenti obtulit animo.

Immo vero obtulit jam dictus Præsul in Ecclesia Doctoris Gentium Beati Pauli Apostoli cortinam fundatam, pendentem in arco triumphalem, habentem in medio Annunciationem, & Nativitatem Domini nostri Jesu Christi. Item velum oloverum unum, pendens in regularem, sub imaginem argenteam, habens historiam Imperatoris. Ibi ipse fecit & alia duo modica vela fundata, quæ pendent in circuitu altaris, (22) habentque lora viginti quinque. Vela, quæ pendent in presbyterio numero 24. (23) vela fundata, quæ pendent ad arcus majores numero quadraginta. In cyborium ipsius Ecclesiæ fecit vela quatuor. Pari modo & in Ecclesia Beati Christi Martyris Georgii fecit vela de fundato sex, habentia in circuitu gammadias de octapulo. Ipse vero à Deo protectus, & præclarus Pontifex fecit in Monasterio Sancti Sabæ vestem de olovero, cum leonibus, habentem periclysin de octapulo. Verum etiam & in Monasterio Sancti Anastasii Martyris eodem modo fecit vestem de stauraci, cum periclysi de quadrapulo. Simulque & in Monasterio Sancti Andreæ, quod appellatur in clivo Scauri, fecit vestem de stauraci, cum periclysi de octapulo unam. Sed & in Monasterio Sanctæ Agathæ Martyris, quæ ponitur super Suburram, fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo unam. Necnon & in Monasterio Sancti Erasmi fecit vestem de stauraci, cum periclysi de octapulo unam. Enimvero & in Diaconia Sanctæ Luciæ, quæ ponitur in septem vias, fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo unam. Fecit autem in Oratorio Sanctæ Luciæ, quæ ponitur in Monasterio de Serenati (24), vestem de olovero, cum leonibus, habentem periclysin de octapulo. Simili modo & in Monasterio Sancti Silvestri fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo. (25) Simili modo & in Monasterio Sancti Silvestri fecit vestem de olovero, cum periclysi de octapulo unam. Ibi ipse fecit vestem de fundato, cum gryphis, habentem periclysin de blatthin.

Pari modo & in Monasterio Sanctæ Praxedis fecit vestem de olovero, cum periclysi de stauraci unam. Ipse vero à Deo protectus, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli vela de chrysoclavo per arcus

(17) D. cum gammadiis de optapulo.
(18) D. modo Domino dispensante &c.
(19) D. Eo igitur tempore &c.
(*) D. ex quibus una habet &c.
(20) D. habet vuücicellas duas, & minores tres &c.
(21) D. vitreis II. &c.
(22) D. Altaris dassoris numero XVI. Item vela V. pendent intus in circuitu Altaris habent &c.
(23) D. numero XXIX.
(24) D. Monast. de Herenati.
(25) D. de optapulo I. Ibi ipse fecit &c. *reliqua interposita non habens.*

cus Presbyterii, habentia historiam ipsius Beati Pauli Apostoli, & in circuitu listam cum auro, numero viginti & septem. Hic à Deo electus, & praeclarus Antistes obtulit in Ecclesia Beatae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae Dominae nostrae, quam vocamus Calixti, & Cornelii, coronas argenteas duas, per unamquamque delphinos duodecim, pensan. insimul libras duodecim. Simulque & in Diaconia B. Christi Martyris Georgii fecit coronam de argento unam, cum delphinis duodecim, pensan. libras sex. Ipse vero à Deo protectus, & praeclarus Pontifex fecit in Basilica Beatae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae Dominae nostrae, quam dicimus Calixti, & Cornelii, canistra argentea quatuor, legente Sancta Dei Genitrice, Gregorii quarti Papae, pensan. libras viginti & quatuor. Et in altari quoque ejusdem tabulas de argento, pensan. libras centum & tredecim. Fecit idem venerabilis Papa in eodem sancto loco infra ambitum ipsius Ecclesiae operosam, decoramque Resurrectionem. Nam prius altare in humili loco situm fuerat pene in media testudine, circa quod plebs utriusque sexus conveniens, Pontifex cum clero, plebi confuse immixto sacra mysteria celebrabat.

Sed & Sancta Corpora Beatorum Calixti, & Cornelii, & Calepodii in mediana plaga Ecclesiae tumulata post tergum populi jacentia non condigne honorificabantur. Quod religiosissimus idem Papa non leve tulit, sed solerti, solitoque studio cum intima industria operam adhibens, mirificum opus inchoans optime consumavit. Nam effosso clandestino antro summa cum reverentia praefata sancta corpora elevans in occidentali plaga ejusdem Ecclesiae, hoc est in ambitu absidae honorifice collocando occuluit, circa quaeque maximae molis aggravans aggerem, comptum ministris lapidibus tribunal erigens decoravit. Supraque confessionem respicientem ad ortum Solis miri odoris celaturas ornata compagine coaptavit. Infra consurgentem siquidem basin altaris, miri metri, & ornatus modulo ex argento perspicue (26) in honorem Sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae è lata scilicet (27) priori, erexit inter consurgentes pulchri operis gradus. Ante quam Presbyterium amplum (28) operosi operis funditus construxit. Cui ex septentrionali plaga lapidibus circa septum matroneum adposuit. Sed & decorem altari addens, & Matrem Domini meritis honorans muneribus, fecit ibidem vestem chrysoclavam, cum blatta byzantea, habentem historiam Nativitatis, & Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Et insuper imaginem Beatae Dei Genitricis Mariae refoventem imaginem oblatoris sui. Ipse vero à Deo protectus, & praeclarus Pontifex fecit amas argenteas sex, quae praecedunt per omnes stationes, pensan. libras tresdecim. Scyphos duos, pensan. singuli libras 10. gemmiliones octo, pensan. singuli libras duas.

Haec denique postquam omnia, Deo favente, à saepedicto Pontifice decenter expleta sunt, ea quae in Ecclesia Beati Petri Apostoli foris muros longe jam senio cassata videbantur, ad pristinum statum, cultumque perduxit. Nam pene totam porticum super Oratorium Sanctae Dei Genitricis Mariae, quae mediana dicitur, noviter ex trabibus, caeterisque lignis ob decorem Basilicae decoravit. Immo & aliam similiter porticum ante valvas argenteas novo opere, cultuque praecipuo perfecit. Necnon & in fronte paradysi jam fatae Ecclesiae principali musivo cuncta, quae à priscis temporibus in eodem pariete erant diruta, velocitate nimia pingere, ac restaurare decrevit. Renovavit simul & porticum ejusdem Basilicae, quae super gradus ejus esse perspicitur, per quos populus orationis voto indifferenter habet ascensum. Fecit etiam juxta acoliti pro quiete Pontificis, ubi post orationes matutinales, vel Missarum officia ejus valeant membra soporari, hospitium parvum, sed honeste constructum, & picturis decoravit eximiis. Igitur inter caetera bonae operationis exempla fecit & in Patriarchio Lateranensi pro utilitate, sive usu Pontificis prope Oratorium Sancti Christi martyris Laurentii habitaculum satis idoneum, ubi & quies est optima, & cum clericis suis Pontifex inde egrediens omnipotenti Domino debitas potest laudes persolvere. Igitur post haec omnia, quae superius aedificata leguntur aedificiis jam dirutis & prae magnitudine temporum pene casuris, quae infra palatium ab antiquis Patribus videbantur esse constructa, Beatissimus jam saepius nominatus Papa Gregorius novo cultu, & opere à fundamentis erexit, atque composuit. Nam descensum, qui paracellarium respicit, per quem antea homines veluti in nocte ascendebant, vel descendebant (29) ita noviter reformavit, ut nulla inde transeuntes deinceps, ut ante obscuritas valeat praepedire, à quo videlicet loco usque ad Oratorium Sancti Laurentii, cuncta quae erant vetera restauravit. Et alia nova adjecit, in quibus tres caminatas fieri jussit. Renovavit immo & balneum, quod juxta paracellarium situm est a fundamentis per totum, & marmoribus, caeterisque placabilius operibus decoravit. Nam prius vetustatis longitudine casurum esse videbatur, nisi mens, vel optimum tanti Pontificis studium illud ad priorem statum reducere decrevisset. Pari modo & in Ecclesia Salvatoris, quae appellatur Constantiniana, fecit vestem auri textilem, habentem historiam Palmarum, & Coenam Domini.

Item in venerabili Monasterio Sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae, & Sancti Cornelii, & Calixti, quam vocant trans Tiberim, fecit canistra numero sex, quae pens. insimul libras decem & octo. Scyphum unum, pens. libras octo, & uncias quatuor. Canthara cum thymiamaterio, pens. libras tres. Siclonem unum, pens. libras tres. Perfectis autem his omnibus, atque examussim patratis (30), quoniam jam sicut saepedictum est ejus sancta, veneranda, ac recolenda simplicitas, utque in Dei erat Omnipotentis semper intenta servitio, ita quoque de populi futura salute, & liberatione patriae indifferenter erat sollicita, ne ab hostibus Deo non permittente quoquomodo caperentur: Et quoniam hujus Sacratissimi Patris, ac Papae temporibus impia, atque nefaria, & Deo odibilis Agarenorum gens à finibus suis consurgens pene omnes insulas, & omnium regiones terrarum circuiens, depraedationes hominum, & locorum desolationes atrociter faciebat, easque hactenus facere nullatenus cessat. De quibus quoque insolitis, atque cavendis

(26) D. perspicuè comens in honorem &c.
(27) D. elato scilicet priori &c.
(28) D. ampli ambitus operosi &c.

(29) D. ascendebant ita noviter &c.
(30) D. paratis.

Digitized by Google

dis periculis, misericordissimus Præsul magnum habens timorem ne populus à Deo sibi, & Beato Petro commissus Apostolo, qui in Portuensi, vel Ostiensi civitatibus habitavit à Saracenis nefandissimis tribulationis, ac deprædationis sentirent jacturam, intimo trahens ex corde suspiria, cœpit prudenter inquirere, quomodo civitatem Ostiensem adjuvaret, ac liberare potuisset. In ejus statim Omnipotens Deus hoc dedit corde consilium, ut civitatem ibidem, qua populum salvare vellet à fundamentis noviter construere debuisset, quoniam ea, quę priori tempore ædificata fuerat longo quassata senio nunc videretur esse diruta. Fecit autem juxta quod ei fuerat divinitus inspiratum: in prædicta enim civitate Ostiensi, civitatem aliam à solo valde fortissimam muris quoque altioribus, portis simul, ac seris, & catharactis eam undique permunivit, & desuper ad inimicos, si venerint expugnandos petrarias nobili arte composuit, & à foris non longe ab eisdem muris ipsam civitatem altiori fossato præcinxit, ne facilius muros contingere isti valerent.

Quando autem sæpedicta civitas novæ fabricæ initium meruit, ipse ibidem Sanctissimus Papa per se multis residens diebus partem quandam murorum non modicam cum suis hominibus quasi in sortem percipiens à fundamentis erexit. De qua donec, Deo prosperante, crebro dicta civitas ad legitimam totius fabricæ finem perducta est, multos exinde labores in suo sancto pectore, vel certamina indesinenter sustinuit. Cui etiam noviter civitati constructæ, hoc nomen in sempiternum statuit permanendum, scilicet ut ab omnibus sive Romanis, sive aliis nationibus à proprio, quod ei erat, nomine, idest, Gregoriopolis vocaretur. Et re vera merito hoc à Conditoris sui nomine vocabulum sumpsit, quia quod nullum legimus fecisse Pontificem, iste Dei Omnipotentis auxilio, simulque virtute munitus pro populo, ac liberatione patriæ ante jam nominatum opus mirabili decore fabricæ construxit, atque composuit.

His itaque in suis locis manentibus fecit idem Coangelicus, atque eximius Præsul in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, juxta Patriarchium Lateranense vestem, cum chrysoclavo, habentem in fronte altaris historiam Beatissimorum Baptistæ, atque Evangelistæ Joannis. Et per altaris circuitum similiter uno corpore cohærentiam quasi vela similiter de chrysoclavo, & quasdam picturas, habentium in modum gryphorum cornua in frontibus picta. Fecit etiam in Monasterio Beatissimi Martyris Christi Laurentii, quod dicitur Pallacinis, canistra de argento sex, & cerostata duo inducta. Scyphum unum argenteum, & amam similiter de argento. Fecit etiam in Oratorio Sanctissimi Papæ Gregorii, sito infra Ecclesiam Beati Petri Apost., columnellas argenteas (*) quatuor, habentes libras argenti numero quadraginta. Post hæc autem omnia ipse venerabilis Pontifex in curte, quæ cognominatur Draconis, domum satis dignam, undique porticibus ab solariis circundatam à solo noviter fieri statuit, in qua tam ipse, quamque etiam futuri Pontifices, cum omnibus, qui eis obsequuntur, quamdiu eis placuerit ibidem statiose immorari, valeant. Fecit autem similiter & in curte alia, quæ galeria vocitatur, domum aliam largam, ac spatiosam, satisque præcipuam ad opus, atque utilitatem Pontificum, ubi obediens opportunum fuerit, ut cum omnibus, qui eis famulantur amplissime hospitentur. Item sæpedictus idem almus Pontifex, atque præclarus superno amore exardescens fecit in Basilica Sanctæ, intactæque Virginis Dei Genitricis Dominæ nostræ Mariæ, quæ cognominatur ad Martyres, cyborium ex argento purissimo, pensans simul libras quadringentas. Simul & coronam ex argento purissimo 1. pensan. libras decem & semis. Similiter autem fecit in Basilica Beati Marcelli Confessoris, atque Pontifici coronas ex argento purissimo tres, pensantes simul libras . . . . . Immo vero & in Diaconia Beati Georgii Martyris fecit velum Alexandrinum, habens phasianos duodecim, & vela ante januas lineum plumatum unum. Qui Beatissimus Pontifex postquam Sedem Romanam, & Apostolicam annos sexdecim gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Fecit ordinationes quinque per mensem Martium, & Decembr. seu Septembr. Presbyteros . . . . . Diaconos . . . . . Episcopos (31) per diversa loca numero centum octuaginta quinque. Sepultus vero est in Basilica Beati Petri Apostoli. (32)

CIV. SERGIUS II.

ANNO CHRISTI 844.

LOTHARII 5. MICHAELIS 3.

SErgius, natione Romanus, ex patre Sergio, regionis quartæ, sedit annos tres. Hic cum illustri editus à matre fuisset castis nutrimentis, eum erudire ingenti cœpit cum studio. Ut nihil obscœnum, vel libidinis ab eo quisquam audire, aut videre posset, (1) puerilia oblectamenta contemnere non verebatur. Ita ut actibus pollere videretur piis ab omnibus, & moribus clarescere majorum cœperit nobilium, puris munitus, instructusque maternis monitis. (2) Igitur mater exultabat quotidie, & Omnipotenti Deo gratias referebat alacriter, qui talem sibi superno prolem concessisset auxilio. Duodecimo quidem ætatis suæ anno obiit mater ejus, migravitque ad Dominum, qui relictus à matre (pater jam olim luce caruerat) (3) cum suis morabatur in parentum æde patribus. (4) Eodem tempore urbis Romæ primatum gerebat Ecclesiæ Leo tertius Papa benedictus, atque præcipuus, qui generositatem hujus

(*) D. arg. III.

(31) B., & C. Diaconos, Presbyteros, & Episcopos per diversa.

(32) B., & C. & cessavit Episcop. diebus quindecim.

SERGIUS.

(1) B., & C. *Verba* puerilia oblectamenta &c. *usque ad illa*, qui relictus à matre &c. *non legunt*.

(2) D. maternis ingeniis.

(3) B., & C. qui relictus à matre, atque patre in æde fratris commorabatur. Audiens itaque Sanctissimus Leo Papa tertius, qui tunc temporis Monarchiam regebat Apostolicam eum scholæ tradidit cantorum. Mortuo itaque Pontifice suscepit eum Stephanus, atque Subdiaconem eum ordinavit, & ita ad Summum Sacerdotii per Paschalem pervenit apicem. Post Paschalem Eugenius, post Eugenium Valentinus, post Valentinum Gregorius. Igitur mortuo Gregorio eligitur Beatissimus Sergius ab omnibus Sacerdotibus, atque proceribus. Hujus sacratissimæ consecrationis cùm ad aures Invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset, *& cætera ut infra*.

(4) D. in æde fratribus.

Digitized by Google

hujus praeclari pueri reminiscens, ac parentum ejus nobilitatem recolens, ad suam eum jussit magno cum amore duci praesentiam. Itaque cum adductus fuisset hilari vultu, eum serenaque mente contemplari coepit, & suo supra modum placuit animo. Tunc Praesul eum scholae cantorum ad erudiendum communibus tradidit litteris, & ut mellifluis instrueretur cantilenae melodiis.

Insignis idem, & solertissimus puer, celeriter omne litteralis disciplinae sumpsit ingenium, ut omnes ipsius praecelleret scholae puerulos. His optimus auditis Pontifex inexplebili replebatur quotidie gaudio pro pueritiae ejus benignis profectibus. Tunc eum Acolytum in Sancta constituit Romana Ecclesia. Vicesimo autem Pontificatus sui anno cum decessisset officio, Romanae Sacerdotium Stephanus suscepit Ecclesiae, quem etiam ipse amplo cum cordis diligebat affectu. Et cum eum strenue in divinis Scripturis nobiliter contemplaretur velocem, protinus illi Subdiaconatus concessit officium. Parvoque tempore post Episcopatus sui administratum regimen, Ecclesiae gubernacula Paschalis suscepit. A quo idem vir per omnia prudentissimus vita, eruditione, moribusque adhornatus tituli Beati Silvestri Confessoris, atque Pontificis Presbyter consecratur. Qui super omnes misericordia, studio, vigilantia, atque omnibus optimis institutionibus claruit. Paschale vero defuncto Praesulatus culmen accepit Eugenius. Igitur in Pontificio cum tribus perdurasset ipse Eugenius annis, Valentinus Sedis ipsius Pontifex consecratur; cujus post casum, Ecclesiae apicem suscepit Gregorius. A quo cum diligentius praedictus vir amaretur, Archipresbyterum eum in Sancta ordinavit Ecclesia.

Qui vero cum per sexdecim solertissime gubernasset Ecclesiam annos ad extrema ductus occubuit. Tunc vero, cum proceres, & Romanae urbis optimates, universusque Ecclesiae populo pro eligendo Pontifice in unum coissent, atque alius de alio, ut fieri solet in talibus conclamaret: subito per Dei providentiam divino nutu compuncti, de antefati Sergii Archipresbyteri religione diligentius confabulari coeperunt, ut omnes conclamarent, quia dignus est Pontificatus adipisci regimen. Firmatoque in eundem virum consilio unusquisque in sua reversus est. Tunc repente Diaconus quidam ipsius Ecclesiae Joannes in tantum amentiae erupit, atque insaniae, ut persuaso quodam satis imperito, & agresti populo collecta turbulentorum, & seditiosorum manu in Patriarchium Lateranense per vim fractis januis, bellicis telis ingrederetur, legis, & ordinis traditionem transgressus: quo ex facto omnes qui intra Patriarchii moenia aderant, stupore, & metu repleti sunt. Igitur cum per unius horae momentum cum eo illa perdurasset ignobilis populi concio timore correpta, eo relicto nusquam comparvit. Quibus ita gestis omnes Quiritum Principes indignati sunt, & communi consilio universi pariter in Basilica Beati Martini Confessoris, atque Pontificis celeri cursu, magnoque equitatu sunt congregati. Et eundem Archipresbyterum Sergium in omnibus probatissimum virtutibus virum, de quo superius memoriam fecimus, extrahentes de Ecclesia magno cum honore, magnaque populi comitante caterva, amplisque resonantibus laudibus, cum hymnis, & canticis spiritalibus in Patriarchium Lateranense electus, atque perductus est. Eodem vero die tanta nix in urbe effusa est, ut omnibus candidata cernetur. Quod multi gaudii dicebant, & claritatis esse indicium.

Praedictum vero Joannem Diaconem de Patriarchio magna cum turpitudine hujus Romanae urbis Principes expulerunt, & arctius in claustra sub cautela trudi praeceperunt, pro eadem tantae temeritatis impia, & dira praesumptione, quam saepefatus Joannes Diaconus ausus est perpetrare. Quem etiam concilio Antistitum Principes damnare, suoque voluerunt privari honore. Necnon & alii ensibus membratim eum dilaniare, ac interimere voluerunt. Sed hoc fieri benignus, & solertissimus Sergius Praesul prohibuit, nolens malum pro malo secundum Evangelicam cuiquam reddere vocem. Tunc demum exultantibus omnibus Sacerdotibus, Proceribus, & Optimatibus, omnibusque Ecclesiae populis, idem sanctissimus vir in Apostolica Beati Petri sacratissima Sede ordinatus, consecratusque est Pontifex.

Erat enim origine insignis, fide purus, praedicatione liberior, Deo humilis, hominibus clarus, vultu alacris, mente alacrior, Ecclesiarum gubernator, plebium cultor, pauperum fautor, viduarum tegmen, & consolator indigentium, largitor dispersorum, congregatorum conservator: inanium, seculariumque rerum contemptor, solis in sapientiae divitiis avidus & amator. Hujus sacratissimae consecrationis cum ad aures invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset Imperatoris, Drogonem videlicet Metensis Ecclesiae Archiepisc. (5) cum Excellentissimo Hludowico filio suo, magno cum Francorum exercitu Romam direxit: cum quibus etiam Archiepiscopos, pluresque Episcopos, (6) Abbates, & Comites proficisci praecepit. Ipse (7) vero, à quo in oras Bononiae civitatis cum belligeris suis exercitibus sunt ingressi, tantas caedes, tantasque strages in populo peregerunt, ut qui per urbes, & agros erant tyrannica crudelitate perterriti, relictis propriis locis per loca abdita, & latebras se absconderent. Cum vero haec per omnem locum, singulasque per urbes, atque vicos, & agros saeva operarentur nequitia, ad pontem pervenerunt Capellae. Tantaque erat tunc coeli serenitas, ut toto in aere nubes, aut pluviae signum quisquam videre non potuisset. Subito vero atrarum non modica densitas nubium facta est, nimbosisque procellis, & coruscationibus circundati, quidam de primatibus Drogonis consiliarii fulminis ictu percussi, ac interempti sunt.

Hoc videntes horribile signum nimio omnes timore Franci correpti sunt. Sed nullatenus mentis ferocitatem deponentes atroci voluntate ad urbem velociter properabant. Quorum adventum antedictus Beatissimus Papa Sergius fieri propius cum cognovisset, in ejus Excellentissimi Hludowici Regis occursum universos Judices ad fere novem milliaria ab hac urbe direxit. Quem cum signis, & magnis resonantibus laudibus susceperunt. Et dum urbi pene unius milliarii spatio appropinquasset universas militiae scholas una cum Patronis direxit. Dignas nobilissi-

(5) B., & C. Episcopum.
(6) B., & C. Archiepiscopos, Abbates, & Comites proficisci jussit.
(7) B., & C. Ipsi verò ex quo in oras &c.

Digitized by Google

bilissimo Regi laudes omnes canentes, (8) aliosque militiæ doctissimos Græcos Imperatorias laudes decantantes, cum dulcisonis earumdem laudum vocibus ipsum Regem gloriose susceperunt. Obviam illi ejus Sanctitas dirigens venerandas Cruces item signa, sicut mos est Imperatorem, aut Regem suscipere. Ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero Hludowicus Rex, qua hora sibi sacratissimas Cruces, ac signa obviam advenisse conspexit, alacris factus valde lætatus est. Tunc suo universo cum Populo omnibus Romanis Judicibus, & Scholis antecedentibus ad Beatum Petrum studuit properare. Quem antedictus almificus Pontifex in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ eundem Regem in ipso die Dominico post Pentecostem suo cum Clero expectavit. Conjungente vero eodem Rege universosque gradus ejusdem Sacratissimæ Beati Petri Ecclesiæ ascendente ad prænominatum propinquavit Pontificem, ubi in atrio super gradus, juxta fores Ecclesiæ cum universo Clero, & populo Romano assistebat. Tunc mutuo se amplectentes tenuit idem Hludowicus Rex dexteram antedicti Pontificis, & in interius ingressi atrium ad portas pervenerunt argenteas. In quo atrio unus de exercitibus à Demonio arreptus in conspectu Francorum omnium valde vexatus est. Tunc almificus Præsul claudi faciens omnes januas Beati Petri, atque serari præcepit (9), & Regi Sancto Spiritu admonente sic dixit: Si pura mente, & sincera voluntate, & pro salute Reipublicæ, ac totius Urbis, hujusque Ecclesiæ huc advenisti, has mea ingredere januas jussione: sin aliter nec per me, nec per meam concessionem (10) istæ tibi portæ aperientur.

Statim Rex ille respondens, dixit, quod nullo maligno animo, aut aliqua pravitate, vel malo ingenio advenisset. Tunc eodem Præsule præcipiente appositis (11) manibus prædictas januas patefecerunt. Et ita in eandem venerandam aulam Beati Petri ingressi sunt, laudem Deo, & ejusdem excellentiæ decantantes universus Clerus, & cuncti Religiosi Dei Famuli, extensaque voce acclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* Sicque cum eodem Pontifice ipse Rex, simulque omnes Episcopi, Abbates, & Judices, & universi Franci, qui cum eo advenerant ad confessionem Beati Petri appropinquantes, se seque pro nos (12) ibidem prosternentes Deo nostro omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi gratias reddiderunt. Et data à prædicto almo Pontifice super populum oratione, ab Ecclesia pariter omnes regressi sunt. Postea vero continuis diebus sequentibus omnia suburbana pestifera devastatione compresserunt, agrosque, & segetes. atque prata quasi fulmineus impetus decerpserunt. Dum hæc gerebantur, ipse vero à Deo protectus Pontifex à quibusdam audierat, quod in hanc famosissimam (13) Urbem hospitalitatis causa introire voluissent, sed munitis, clausisque portis, ut fieret, minime concessit.

Dominico vero die sequente in eadem Principis Apostolorum Basilica omnes Archiepiscopi, (*) & Sancti Abbates, & omnes, qui cum eo venerant Franci sunt congregati, omnesque pariter Romanorum nobiles, & præclari. Tunc almificus Pontifex manibus suis ipsum Hludowicum Lotharii Imperatoris filium Oleo Sancto perungens, regali, ac pretiosissima corona vit corona, Regemque Longobardis perfecit; cui regalem tribuens gladium illum subcingere jussit. Deinde Missarum celebratione finita, ab Ecclesia omnes cum Rege lætantes regressi sunt. Deinceps vero per dies singulos conflictum summi certaminis cum Sanctissimo Præsule, omnibusque Episcopis, (14) & Optimatibus nostris, atque Proceribus ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ, de quo superius memoriam fecimus, commovebat tam ipse, quam omnes Archiepiscopi, qui cum eo contra hanc universalem, & caput cunctarum Ecclesiarum Dei sine Metropolitani concessione, atque vocatione convenerant; idest Gregorius Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis, & Angelbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis, Joseph Episcopus Ecclesiæ Eporecliensis, Aginus Episcopus Ecclesiæ Veronensis, (15) Almaricus (16) Ecclesiæ Camensis Episcopus, Hortchaudus (17) Episcopus Ecclesiæ Vercellensis, Sigifridus Episcopus Ecclesiæ Regiensis, Toringarius Episcopus Ecclesiæ Concordiensis, Odelvertus Episcopus Ecclesiæ Aquensis, Ambrosius Episcopus Ecclesiæ Lucensis, Joannes Episcopus Ecclesiæ Pisensis, Petrus Episcopus Ecclesiæ Vollaterrensis, Gausprandus Episcopus Ecclesiæ Pistoriensis, Cantio Episcopus Ecclesiæ Senensis, Lupus Episcopus Ecclesiæ Textinæ, Sisismundus Episcopus Ecclesiæ Aprutiensis, Pico Episcopus Ecclesiæ Scolanensis, Fratellus Episcopus Ecclesiæ Camerinensis, Gisus Episcopus Ecclesiæ Firmanæ, Racipertus Episcopus Ecclesiæ Nucerinensis, Amadeus Episcopus Pinnensis, Donatus Episcopus Ecclesiæ Fesolanæ, & cæteri. Cum quibus etiam Boso Comes, Adalgisus Comes, Joannes Comes, Vuldo Comes, Vernardus Comes, Wifridus Comes, atque Maurinus (*) Comes, & cæteri pariter contendebant.

Sed divina gratia inspirante, nec sermones ipsius almi Pontificis, neque prudentiam superare valuerunt. Tantaque ei superna aderat virtus, ut nullus sermone eum concludere, vel constringere potuisset. Et ab eo superati pudore, & operti confusione discesserunt. Quod videntes omnem iram, atque ferocitatem, quam mentibus observabant, omni modo deposuerunt. His igitur peractis à prædicto postulaverunt Pontifice, ut omnes Primati (18) Romani fidelitatem ipsi Ludovico Regi per Sacramentum promitterent. Quod prudentissimus Pontifex fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis. Quia si vultis, Domino Lothario magno Imperatori hoc Sacramentum, ut faciant solummodo consentio, atque permitto. Nam Hludowico ejus filio, ut hoc peragatur nec ego, nec omnis Romanorum nobilitas consensit. (19)

Tunc demum in eadem Ecclesia sedentes pariter

(8) B., & C. *Verba* aliosque militiæ doctissimos Græcos Imperatorias laudes decantantes *non habent*.
(9) B., & C. τὸ præcepit *non habent*.
(10) B., & C. jussionem.
(11) oppositis *in omnibus*.
(12) seque proni ibidem &c. *in omnibus*.
(13) B., & C. formosissimam.
(*) B., & C. Archiep., Episcopi, Abbates &c.
(14) B., & C. certaminis Archiepiscopi atque Episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum, & Francorum Optimatibus fidelitatem Lothario Magno Imper. semper Augusto promiserunt. Post hoc verò, *& cætera ut infra.*
(15) D. Aginus Epis. Eccl. Vergonensis.
(16) D. Almaricus Episcopus Ecclesiæ Cumensis.
(17) D. Nortclaudus.
(*) D. Mauritius.
(18) D. Primates Rom. &c.
(19) D. consentit.

Digitized by Google

riter tam Beatissimus Pontifex, quam magnus Rex, & omnes Archiepiscopi, atque Episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum, ac Francorum Optimatibus fidelitatem Lothario magno Imperatori semper Augusto promiserunt. Post hæc vero Ebbo quidam, & Bartholomæus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis privato honore ab Ecclesia fuerant expulsi, à Sanctissimo Pontifice postulabant, ut eos reconciliare, ac pallium eis tribuere dignaretur. (20) Quos etiam idem Præsul nec communionem inter Clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent. Per idem tempus, cum Rex ipse Ludovicus Romæ (21) degeret, Siginolfus Beneventanorum Princeps magno cum exercitu Romam venit. Quem cum prædictus Rex honorifice suscepisset, omnia pro quibus venerat, ipsi indicavit. Cui Rex gratanti animo quicquid quæsierat tribuit, atque concessit. Et cum simul Franci, Longobardi, ac Beneventani congregati fuissent, facta est ingens populi multitudo, ita ut ex omni parte Roma circumdata videretur: quorum multitudine omnia sata (22) deleta sunt. Ipse vero Siginolfus ardenti pectore præcipuum desiderabat videre Pontificem, & ab eo benedictionem recipere. Quem Præsul cum suscepisset solo prostratus pretiosos ipsius pedes humiliter osculatus est, & ab eo benedictione suscepta ab ejus conspectu alacriter Deo gratias referens regressus est.

His omnibus finitis ipse Excellentissimus Rex Holodowicus (23) ampla cum lætitia Papiam reversus est. Ubi ab exordio Principatus sui culmen regebat. Tunc vero læti omnes cum conjugibus, ac liberis Senatus, Populusque Romanus ingenti peste liberati, & jugo tyrannicæ immanitatis redempti, Sanctissimum Sergium Præsulem velut salutis auctorem, ac restitutorem pacis venerabantur. (24) Ille tamen non suæ virtuti rem gestam, sed divino muneri deputabat. Jam quia lingua cuncta, quæ gessit, per ordinem explere non prævalet, transeamus ad ea, quæ in sanctis locis obtulit, & breviter enarrare inchoemus. In primo quidem Pontificatus sui exordio superno amore exardescens in Basilica Salvatoris, quæ Constantiniana vocabatur, miræ pulchritudinis opus explevit. Nam ambitum sacri altaris, qui strictim in ea fuerat olim constructus, largiorem proprio digito designans à fundamentis perfecit, pulchrisque columnis cum marmoribus desuper in gyro sculptis splendide decoravit. Ubi nunc sacra plebs in administrationem sacri largiter constitit officii. Quo expleto ipse almificus Pontifex pro decore, atque ornatu hujus præclari operis in eadem Basilica obtulit vela alba holoserica viginti ornata in circuitu de fundato. Similiter & alia de fundato valde optima viginti ornata in circuitu de blatthin. Ubi etiam confessionem mirificam Christo cooperante construxit, & argenteis tabulis, auroque perfusis fulgide compsit, quam propriis manibus consecrans, reliquias posuit. Et aliud quidem opus ante fores hujus venerandæ Basilicæ (25) valde optimum peregit. Quia sacra pridem, quæ latebant populis limina, summo studio omnibus manifesta constituit, cum pulchre decoros ibidem arcus à fundamentis construeret, quos etiam variis picturis nitide decoravit.

Ipse vero à Deo protectus, & præclarus Pontifex pro remedio, & futura animæ suæ retributione cameram Præsepii Domini nostri Jesu Christi, quod Basilicæ Beatæ Dei Genitricis Dominæ nostræ connectitur, quæ Major ab omnibus nuncupatur, argenteis tabulis, ac deauratis, habentibus historiam (26) Beatæ Dei Genitricis Mariæ, magnifice, atque præcipue perornavit. Quod nullus Pontificum per tot annorum curricula ad tanti decoris speciem perducere arbitratus est. Hic vero Præsul cum de omnibus Ecclesiis sollicite curam gereret etiam Basilicam Sancti Archangeli, quæ in cacumine Fajani montis est constituta largiorem, quæ pridem fuerat, à fundamentis perfecit, ac radiantibus picturis luculente pingi jussit. Ac sarcta tecta ejus noviter restauravit. Ubi & obtulit vestes de imizilo quatuor. Similiter & vela quatuor. Ipse vero almificus, & Beatissimus Papa, Scholam Cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, cum præ nimia vetustate pene in ruinam posita, atque confracta videretur. Dei annuente clementia à fundamentis in meliorem, ut olim fuerat, statum noviter restauravit. Nam & Basilicam Beati Romani Martyris, quæ non longe ab Urbe foris porta Salaria sita est, à fundamentis perfecit, quam etiam Titulo Sanctorum Silvestri & Martini Parrochiam esse decrevit. Fecit autem & in Basilicam Sancti Theodori Martyris, quæ in Coranis videtur finibus (27) posita milliario ab urbe Roma trigesimo, quam etiam splendide picturis, fulgentibus decoravit.

Fecit autem in Basilica Beati Petri Apostoli vestem de chrysoclavo, habentem in medio Salvatoris effigiem, & dextra, levaque ejus omnium Sanctorum Apostolorum rutilantes figuras, quam etiam pretiosissimis gemmis prasinis, & hyacinthinis perornavit. Igitur summopere consummatus ipse à Deo protectus, & Beatissimus Papa pia devotione sollicitus pro desiderabili dilectione Sanctorum Silvestri & Martini Ecclesiam, quæ Sancto eorum fuerat nomini consecrata, quam ab exordio Sacerdotii sui, usquequo ad Pontificatus culmen deductus est, strenue gubernavit, & per olitana tempora defecta vetustate marcuerat, ruinisque confracta diu antiquitus lacerata manebat, Dei annuente clementia, in meliorem, pulchrioremque statum à fundamentis perfecit. Absidam quoque ipsius aureis musivo perfuso coloribus ingenti amore depinxit. Et ad honorem omnipotentis Dei, ejusdemque Beatissimi Silvestri Præsulis corpus cum Beatissimo Fabiano, atque Stephano, & Sotere Martyribus, ac Pontificibus, simulque Asterio martyre cum sacratissima filia ejus,

(20) D. reconciliare dignaretur.
(21) D. Ludovicus Comes degeret Siconulfus &c.
(22) B., & C. omnia sua deleta sunt.
(23) B. C., & D. Rex Ludovicus.
(24) B., & C. venerabantur. Ipse itaque Beatissimus Pontifex Ecclesiis quamplurimis innumerabilia contulit dona. Ecclesiam denique Sanctorum Silvestri, & Martini, quæ vetustate emarcuerat à novo refecit, atque ibi cum corporibus Sanctorum Pontificum Silvestri, & Martini multa alia recondidit Fabianum, atque Sebastianum, & Sotherum Martyres, & Pontifices, simulque Asterium Martyrem cum sacratissima filia ejus, Sanctoque Cyriaco, Largo, & Mauro, atque Smaragdo, atque Anastasio, & Innocentio Pontificibus unà cum Sancto Quirino, ac Leone Episcopis, pariter *& cætera, quæ infra leges*.
(25) D. Venerandæ Ecclesiæ valde &c.
(26) D. habentibus Storiam Dominicæ Incarnationis, atque Nativitatis Beatæ &c.
(27) *finibus D. *non habet*.

Digitized by Google

ejus, Sanctoque Cyriaco, & Mauro, Largo, & Smaragdo, atque Anastasio, & Innocentio Pontificibus, una cum Sancto Quirino, ac Leone Episcopis, pariter Arthemio, (28) Nicandro, Crescentiano martyribus, cum quibus Beata Sotere, atque Paulina, necnon Memmia, (29) Juliana, & Quirilla, Theopiste, Sophia virginibus, atque martyribus, & Beata Quiriaca vidua, cum aliis multis, quorum nomina Deo soli sunt cognita, (30) utrosque sub sacro altari dedicans collocavit.

His igitur magnifice peractis gratanti animo, menteque sollicita obtulit in eadem Ecclesia perenniter hæc permanenda: Regnum aureum valde pretiosissimum, cum gemmis prasinis, hyacinthinis, & albis, quod nunc usque super altare cernitur pendens, habens in medio crucem de auro purissimo, cum gemmis similiter pretiosis. Item gabathas ex argento purissimo, auroque perfusas quatuor, pend. ante vestibulum sacri altaris, atque gabathas interrasiles deauratis cum bullis duabus. Crucem auream, cum gemmis valde optimis duabus. Et aliam similiter crucem de argento unam. Obtulit in eadem Basilica thimiamateria aureo superinducta colore tria, patenas de argento purissimo, ac deauratas duas. Colatorium de argento, quod in sacro utitur officio deauratum (31) unum. Regnum de argento, cum tintinnabulis, habens in medio crucem, cum palumba, unum. Hic Beatissimus Papa superno amore exardescens obtulit, ubi supra, aquæmanilia de argento paria tria. Item sextaria de argento duo. Coronas majores de argento quatuor, cum delphinis, pensantes libras..... Calices de argento majores (32) pariter ac deauratos, duos. Patenam de argento majorem, auroque perfusam, habentem in medio effigiem Domini nostri Jesu Christi. Cerostata desuper argentata paria tria. Canistra de argento tria. Patenam cum calice deaurato uno. Scyphum argenteum unum, pensan. libras..... Obtulit vero ad honorem ipsius venerandæ Basilicæ cantaros de aurichalco duodecim: rugas similiter de aurichalco paria sex. Fecit autem hic præclarus ad gloriam, atque honorem Sanctorum Confessorum, de quibus superius mentionem fecimus, cyborium ex argento purissimo, pensans libras......

Nam & confessionem sacri altaris argenteis tabulis, auroque perfusis, pensan. libras...... magnificeque ornavit. Ut per sacras eorum intercessiones ætherei regni gaudia possideret. Hic misericordissimus, & benignissimus Antistes obtulit, ubi supra, imagines de argento, auroque perfusas tres. Quarum una habens effigiem Domini nostri Jesu Christi. Aliæ vero duæ Sanctorum Silvestri & Martini, sedentes super vestibulum sacri altaris. Obtulit vero in jam superius dicta Basilica vestem de chrysoclavo, habentem historiam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, cum gemmis prasinis, hyacinthinis, & albis. Fecit etiam & aliam vestem de fundato valde pretiosissimam cum chrysoclavo, habentem in medio effigiem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, dextra, levaque ejus effigies Sanctorum Silvestri ac Martini. Similiter cum gemmis prasinis, hyacinthinis, & albis. Immo vero obtulit Sanctissimus Præsul cortinas Alexandrinas pretiosissimo opere contextas tres. Vela de fundato, ornata in circuitu de blatthin, quæ pendent in arcu ipsius Basilicæ (33) viginti quatuor. Vela alia de fundato, cum periclysi de blatthin quindecim. Vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdatur altare quatuor. Unum ex eis habens in medio crucem, & gammadias de chrysoclavo, & alia ornata in circuitu de blatthin. Hic insignis, & Beatissimus Papa, divina inspiratione protectus, juxta latus ipsius Basilicæ ad laudem Creatoris Monasterium in honorem Beati Petri ac Pauli Apostoli, Sergii & Bacchi, Sanctique Silvestri & Martini à fundamentis construxit. In quo Monachorum Deo servientium Congregationem pro quotidianis laudibus in prædicta Ecclesia die, noctuque Domino Deo nostro deprecantes constituit. Qui Beatissimus Pontifex postquam Sedem Romanam; & Apostolicam annis tribus gloriosissime rexit, hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Fecit autem ordinationem unam in mense Martio, Presbyteros octo, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca numero viginti & tres. Sepultus vero est in Basilica Beati Petri Apostoli. (34)

(28) B., & C. Arthemio, Siliano, Pollione, Theodoro, Nichandro, Crescentiano Martyribus &c.

(29) B., & C. necnon Meminia, Juliana, & Quirilla, Theopiste virgine, & Beata Quiriace &c.

(30) B., & C. cognita, & ibi multa obtulit dona post consecratione ipsius Ecclesiæ. Hic verò insignis & Beatissimus Papa &c. *quæ legenda circa finem hujus vitæ*.

(31) D. utitur deauratum officium unum.

(32) D. majores, auroque perfusos, habentem &c.

(33) D. Basilicæ vela alia de fundato &c.

(34) B., & C. Apostoli; & cessavit Episcopatus mensibus II. diebus XV.

CV. S. LEO IV.

ANNO CHRISTI 847.

LOTHAR. 8. IMPER. MICH. 3. 6.

Leo Quartus, (1) natione Romanus, ex patre Rodoaldo, (2) sedit annos octo, menses tres, dies quinque. (3) Hic adeo Catholicus, atque Apostolicus vir multæ patientiæ, multæque humilitatis extitit, largus, pius, innocens, sive benignus, amator justitiæ, & plebis ferventissimus gubernator, (4) divinarum quoque Scripturarum indeficiens perscrutator, vigiliis, & orationibus semper intentus. In cujus etiam Beatissimo pectore, (5) juxta illud quod in Sancto Evangelio legitur, *& serpentis astutia, & simplicitas inhabitabat columbæ*. Erat enim totius (6) sanctitatis decore repletus. Amator enim religiosorum hominum, Deoque in omnibus assidue famulantium, nutritor pauperum, & contemptor sui. Hic primum à parentibus ob studia litterarum in Monasterium B. Martini Confessoris Christi, quod foris muros hujus civitatis Romanæ, juxta Ecclesiam

LEO.

(1) τὸ Quartus *in* B., & C. non *legitur*.

(2) B., & C. ex patre Rhadualdo.

(3) B., & C. dies VI. Hic à Deo electus Orthodoxus, atque Apost. &c.

(4) B., & C. gubernator vigiliis &c.

(5) B., & C. corpore *legunt pro* pectore.

(6) B., & C. Erat enim omnibus bonis moribus exornatus, Gregorius Præsul, qui tunc temporis regebat Ecclesiam Sanctam Romanam, audita fama illius, Subdiaconum fecit, atque juxta se manere præcepit. Defuncto itaque Gregorio III. Sergius hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter Præsul effectus est, & Beatissimum Papam Leonem Presbyterum consecravit, eique titulum Sanctorum &c.

Digitized by Google

clesiam Beati Petri Apostoli situm est, quousque sacras litteras plenitus disceret, sponte concessit. Ubi non solum litteras didicit, verum etiam in studio sanctæ conversationis, ubi non quasi puer, sicut tunc erat, sed velut perfectus Monachus mansit. (7) Cujus etiam piæ conversationis exemplo alii sub eodem monachico degentes ritu Omnipotenti Domino plus devote serviebant. Eratque cum illis quasi unus ex illis, *& quoniam civitas supra montem posita abscondi non potest*, sic neque hujus rumor sanctissimi viri diu occultus existere potuit. Fama illius, sive Sanctitatis opinio huc, illuc lucelarius divulgata est, atque multorum relatione fidelium ad aures Pontificalis quondam Beatissimi Patris, & Papæ Gregorii mox festino relatu occurrit, cui cum tantæ fuisset castitatis, dignæque conversationis magisterium enarratum, illico eum ex Monasterio, quo pie degebat, exire jubens, ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium perduxit, atque ut in suo semper servitio familiariter permaneret, in Lateranensi Patriarchio esse præcepit.

Subdiaconum quoque eum ob suæ famam vitæ laudabilis fecit. Qui tamen quamvis locum mutaret, vel ordinem, tamen vitam, moresque suos plusquam prius in summi Creatoris nostri servitio regulariter constrinxit, bonisque multiplicavit operibus. Defuncto autem hujus sacratissimæ Sedis Papa Gregorio, tunc Sergius Archipresbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul effectus, hunc de quo superius nonnulla retulimus, Leonem videlicet Beatissimum Papam Presbyterum consecravit, eique titulum Sanctorum Quatuor Coronatorum largitus est. In quo dum bonis polleret moribus, ibique indigentibus necessaria ministraret, peregrinos, ac pauperes, minusque habentes non solum verbo, immo etiam corporalibus alimoniis resoveret is, qui tunc præerat (8) Sergius Romanæ Sedis Antistes ex præsenti vita subtractus est, sub cujus etiam tempore Ecclesiæ Beatissimorum Principum, Petri & Pauli à Saracenis funditus deprædatæ sunt.

Quia igitur calamitate, (9) sive miseria omnis Romanorum vigor elanguit, atque contritus est hoc facto, universa concio Romanorum ex duobus casibus, vel periculis, videlicet de repentina morte Pontificis, & devastatione, quæ facta fuerat in Ecclesiis Sanctis, cunctorumque finibus Romanorum, fatebantur se nullatenus evadere mortis periculum posse. Cumque pari devotione, communique consilio universi Romani proceres de futuro cogitarent Pontifice, ut quis esset, qui tam sanctum, & inviolabilem locum cum omnipotentis Dei timore regere, vel gubernare potuisset, confestim fama Beatissimi Præsulis simul & meritum ab omnibus patefacta est, totamque per urbem diffusa: nec dum enim is, qui obierat, (10) Pontifex ad sepulturam debitam fuerat deportatus.

Et ecce omnes à novissimo usque ad primum una voce, una simulque concordia Leonem venerabilem Presbyterum sibi futurum Pontificem flagitarant. (11) Et quod nullum super se alium habere vellent Præsulem, nisi hunc, de quo crebro dictum est multis conjurationibus, ac vocibus fatebantur. Quorum incunctanter omnium credimus corda ad hunc expetendum non aliud, nisi amor divinus, & divinæ virtutis inflammavit, & univit clementia. Tunc omnes, ut superius adnotatum est, pergentes cum gaudio, multæque aviditatis lætitia ad Ecclesiam, in qua degebat, Beatorum Quatuor Coronatorum eum coactum, invitumque exinde abstrahentes (12) cum hymnis, laudibusque præcipuis ad Lateranense Patriarchium perduxerunt: qui (13) morem conservantes antiquum omnes osculati sunt pedes. Quanta autem in ejus Pontificali electione concordia, vel unanimitas fuerit, nullus breviter enarrare hominum potest. Quid autem electionis suæ tempore Apostolorum suffragiis, suisque sanctis intervenientibus precibus de Saracenis illis, qui tam nefarium scelus commiserunt divina virtus peregerit, hoc inconveniens, aut reprehensibile non est sive ob futurorum, sive timorem, sive memoriam præsentibus litteris adnotare (14). Omnes enim cum vellent iniquitatis, ac deprædationis scelere perpetrato ad Africanam, qua venerant regionem revertere, vasto maris pelago vi ventorum, procellarumque, (15) sicut certa relatione cognovimus, Deo permittente, demersi sunt, antiquumque illud Ægyptiorum miraculum ecce noviter Apostolorum meruit oratio obtinere. Romani quoque, ut diximus, novi electione Pontificis congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine Imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare Pontificem, periculumque Romanæ urbis maxime metuebant, ne iterum, ut olim, aliis ab hostibus fuisset obsessa. Hoc timore, & futuro casu perterriti, eum sine permissu Principis Præsulem consecraverunt, fidem quoque illius, sive honorem post Deum per omnia, & in omnibus conservantes. (16)

Jam quia humanus existimare non sufficit arbiter, nec hoc referre prævalet, quantæ bonitatis, ac pietatis hic Beatissimus extitit Pontifex, redeamus ad ea, quæ fretus Dei amore Sanctorum Ecclesiis obtulit, & à primo Pontificatus sui exordio enarremus. Hic vero insignis, & præclarus Antistes superno amore exardescens obtulit in Basilica Beati Petri Apostoli coronam ex argento purissimo unam, pensantem libras viginti & quatuor. Gabathas interrasiles duas, pensan. libras duas. Vela septem, duo quidem de fundato, & alia duo de stauraci, & tria de spanisco. Obtulit vero ibidem ad splendorem, & gloriam ipsius venerandæ Basilicæ cortinam Alexandrinam miræ pulchritudinis unam, habentem historiam pavonum, portantium desuper homines, & aliam historiam aquilarum, rotarumque, & avium, cum arboribus. Ipse vero egregius, & prudentissimus Papa obtulit in Basilica Sanctorum Quatuor Coronatorum, in qua Sacerdotii sui solertissime functus est officium, canistra de argento purissimo tria, pensan. libras . . . . . . Aquamanile similiter de argento mundissimo par unum, canthara cum thymiamaterio, (*) idest, pens. libras . . . . . Vela de fundato, quæ ad nitorem ipsius in arcu

(7) D. Monachus avidiùs mansit.
(8) B., & C. aderat Sergius &c.
(9) Qua calamitate &c. *in omnibus*.
(10) B., & C. obierat ad sepulturam fuerat deportatus.
(11) flagitabant *in omnibus*.
(12) B., & C. abstraentes perduxerunt.
(13) B. C., & D. cui morem servantes antiquum omnes ejus osculati sunt pedes.
(14) B., & C. literis non adnotamus.
(15) B., & C. procellarumque impulsu sicut &c.
(16) B., & C. observantes *& statim cæteris omissis sic legunt*. Ipse verò à Deo amabilis &c. *ut infra*.
(*) D. Canthara cum thymiamaterio I. pens. &c.

Digitized by Google

cu videntur Ecclesiæ pendere, duodecim. Item vela serica alba triginta & quatuor. Fecit vero in eadem Basilica ad splendorem sacri altaris vestem holosericam, habentem periclysin de chrysoclavo. Et aliam vestem albam cum rosis, habentem rotas septem, & in medio tabulam de chrysoclavo, cum effigie hominis gerentis in capite gemmas prasinas quinque. Item vestem albam de chrysoclavo cum rotis sex. Fecit autem in jam dicta Basilica ad honorem, & gloriam sacri altaris vela habentia cruces, & gammadias de chrysoclavo, & gemmis, ac bullis aureis 33. Velum acupictile, habens hominis effigiem, sedentis super pavonem unum. Item vela, habentia historiam Sanctæ Dei Genitricis tria. Item vela alia fundata quatuordecim, & aliam cum veste de blatthin duo.

Ipse quidem eximius, & Beatissimus Papa fecit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in vico, qui nuncupatur Sardorum, vestem de fundato, habentem historiam Sanctæ Dei Genitricis, de chrysoclavo, cum Prophetis. Ipse vero à Deo amabilis, & prudentissimus Papa, sedilia in ingressu marmoribus Patriarchii construxit, quæ nullus Pontificum, ut perficeret, arbitratus est. Nam & solarium, quod Beatæ memoriæ Leo tertius Papa construxerat, cum præ nimia vetustate fractis trabibus in ruinis (17) cerneretur, eversum, noviter pulchrius in meliorem speciem restauravit. Hic quidem insignis, & pius Antistes in Basilica Beati Pauli Apostoli superno fretus amore vespertinas publice à cuncto clero, & schola constituit die natalis ejus psalli (18) laudes. Hujus beati tempore Præsulis terræmotus in urbe Roma per indictionem factus est decimam, ita ut omnia elementa concussa viderentur ab omnibus. Ipse jam sæpesatus, & solertissimus Pontifex secundum antiquam consuetudinem Canonica auctoritate decrevit, atque constituit, ut dum Sacra Missarum solemnia in Ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in Presbyterio stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs, quæ in administratione sacri officii constituta videtur.

Ipse quidem Beatissimus Pontifex post cædem, & deprædationem sævæ gentis Agarenorum, (19) quam in Sanctorum Apostolorum Ecclesiis peregerunt, ad restaurationem (20) ipsarum quotidie animum prætendebat, quatenus omnia, quæ ab impiis manibus ablata fuerant repararet, sperans æternæ futuræ (21) retributionis mercedem. Quamobrem obtulit in Basilica Beati Petri Apostoli buttonem (22) de argento purissimo cum gabathis argenteis pendentibus in catenulis septem. Fecit autem ad illuminationem ipsius Basilicæ rete ahenum, (23) cum canistris argenteis decem & septem. Nam & pharum miræ magnitudinis ad splendorem, & gloriam sæpius memoratæ Ecclesiæ reparavit; in qua etiam obtulit coronam de argento mundissimo, pensan. libras .... Vela de fundato, quæ in ambitu sacri altaris pulchriora pendent viginti quinque. Item vela leonum, habentia historias, quæ ante vestibulum Sacræ Confessionis cernuntur pendere decem. Et alia vela de fundato, quæ inter columnas ipsius venerandæ Basilicæ dextra, levaque coruscant quadraginta & sex. Item vela de fundato, quæ in arcu ad ornatum, decorationem presbyterii pendent triginta & tria. (*) Verumtamen & alia vela de fundato, quæ in diversis ejusdem Basilicæ locis ipse almificus Papa constituit pendere decem octo. Et alia item vela, quæ ante januas Sacræ Basilicæ pendent quatuor.

Hic vero insignis & prudentissimus Præsul superno fretus amore fecit in Basilica Sanctorum Martyrum Quatuor Coronatorum vestem de chrysoclavo, habentem historiam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, atque effigies prædictorum Martyrum, & ipsius almifici Præsulis: hujus enim præfati almifici Præsulis animus tanto divino fulgebat amore, ut ea, quæ pridem ex Beati Petri Apostoli Ecclesia ab impiis manibus innumerabilia fuerant bona ablata, suo præcipuo tempore libente voluerit pectore omnia noviter restaurare. Idcirco ad decus, & honorem ipsius prædictæ Ecclesiæ fecit coronas ex argento purissimo miro compositas opere duas pendentes in catenulis argenteis, cum gemmis, & bullis deauratis, pensan. una libras centum triginta & duas, & alia centum & triginta, habentes una clamacterios (24) argenteos subter pendentes triginta & septem; & aliam simili modo habentem quadraginta. Et quia divino (25) semper erat munere perornatus, dignamque de omnibus curam, & sollicitudinem habere studebat feliciter, fecit in Oratorio Sancti Andreæ Apostoli ad Sanctum Petrum vela majora de fundato duo, & alia minora quinque, ornata in circuitu de blatthin.

Ipse vero à Deo protectus venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Monasterio Sancti Anastasii pro æterna animæ suæ redemptione vestem sericam de fundato unam, habentem historiam aquilarum. Similiter & vela de fundato duo, compta in circuitu de blatthin. Simili modo fecit in Monasterio Sanctæ Praxedis vestem de fundato unam. Hic quoque prædictus Præsul à die, qua divina fretus potentia sacram Apostoli Petri Sedem omni benignitate conscendit, mox de priscis, vel antiquis sacri palatii usibus, atque ordinibus, qui sub prædecessorum suorum Pontificum tempora erupti, atque diversa consuetudine (26) fuerant deleti, ideo ad suæ memoriam sanctitatis universos reducere, vel in meliorem statum, quam (27) nuper fuerant, omnia libenti animo ordinare avide conatus est. Nam & accubitum, quod (28) Domnus Leo bonæ memoriæ tertius Papa à fundamentis construxerat, & omnia ornamenta, quæ ibi paraverat præ nimia vetustate, & oblivione antecessorum Pontificum deleta sunt. Et in die Natalis Domini nostri Jesu Christi, (29) secundum carnem, tam Domnus Gre-

(17) B., & C. factis tribus ruinis cerneretur, emersit noviter &c. D. cerneretur emersum &c.
(18) psallere laudes *in omnibus*.
(19) B., & C. Agarenorum multa dona obtulit Ecclesiæ B. Petri Apostoli, aliisque quamplurimis Ecclesiis. Hic quoque prædictus Præsul *& cætera ut infra*.
(20) D. restitutionem.
(21) D. æternæ fruere retrib. &c.
(22) D. Butronem.
(23) D. rete æneum cum &c.

(*) D. pendent XXXIV.
(24) D. clamasterios argenteos &c.
(25) D. Nec non qui Divino &c.
(26) B., & C. atque diversæ consuetudines fuerant deletæ &c.
(27) B., & C. quàm unquam fuerint, omnia &c.
(28) B., & C. quem Domnus Sergius sanctæ recordationis tertius Papa &c.
(29) B., & C. Christi, simul tam Domnus Eugenius, quàm & Domnus Sergius sanctæ memoriæ ibidem &c.

Digitized by Google

Gregorius, quam & Domnus Sergius sanctæ recordationis ibidem minime epulabantur. Isdem vero Beatissimus, & Summus Præsul Leo quartus cum gaudio, & nimia delectatione omnia ornamenta, sive alimenta, quæ inde deleta fuerant, noviter reparavit, & ad usum pristinum magnifice revocavit. Necnon & crucem ex auro purissimo, gemmis ornatam, quam Carolus piæ memoriæ Imperator Francorum, & Romanorum, in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur, temporibus Domni Leonis sanctæ recordationis tertii Papæ obtulerat, quæ (30) mos erat, ut in lætaniis ante Sacratissimum Pontificem ipsa præcederet, & sic permansit usque ad tempus sanctæ recordationis Domni Paschalis Papæ, unde diabolica suggestione, atque instigatione à malis extorta est, & à latronibus nocte furtim ablata. Et nullus deinceps prædecessorum Pontificum tam Domnus Paschalis, quam Domnus Eugenius, sive Domnus Valentinus, sive Domnus Gregorius, necnon & Domnus Sergius recordatus fuit, ut eam restauraret, & ad usum Sanctæ Dei (31) Romanæ Ecclesiæ repararet. Sed isdem præfatus, & magnificus Præsul fecit ex auro purissimo, & miræ magnitudinis margaritis, & gemmis hyacinthinis, & prasinis utiliter ornavit, & ad usum pristinum Sanctæ Dei Genitricis (32) Romanæ Ecclesiæ mirifice decoravit. (*)

Hic vero præcipuus, & insignis Præsul divinarum Scripturarum in scientia, & eruditione probatissimus extitit prædicator, qui fama tantæ beatitudinis, atque sanctitatis claruit, ut in conspectu universi istius in Christo fundatæ Ecclesiæ populi miracula operaretur. In primo quidem Pontificatus sui anno juxta Basilicam Beatæ Luciæ (33) Martyris, quæ in Orphea sita est, in quibusdam (34) tetris, abditisque cavernis diri generis serpens, qui Basiliscus Græce, Latine Regulus dicitur, ortus est, qui flatu suo, ac visione, omnes qui ad easdem properabant cavernas, celeriter necabat, mortisque tradebat periculo: ita ut omnes stupor, ac timor invaderet, serpentis virtutes mirantes, (35) & cladem.

Ipse vero Beatissimus, & præclarus Pontifex hanc populi necem, audiensque perniciem, ad orationes se convertit cum jejuniis Dominum deprecari non cessans, ut ab hujusmodi omnes interitu liberaret. Dum hæc agerentur, præclarus, & celeberrimus dies advenit, in quo Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Assumptio celebratur. Tunc præfatus, & universalis Papa à Patriarchio cum hymnis, & canticis spiritalibus, Sancta præcedente icona (36) ad Basilicam Sancti Hadriani martyris, sicut mos est, propriis pedibus cum omni clero perrexit. De qua regressus cum omni fidelium cœtu ad Basilicam Beatæ Genitricis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, quæ ad Præsepe dicitur, cum Dei laudibus magna comitante caterva populi properabat. Qui cum pervenisset ad locum, in quo ipse sævissimus Basiliscus tetris, ut jam superius diximus, jacebat cavernis, omnem clerum, & populum stare præcepit, atque juxta easdem cavernas (37) properans super foramen ipsius, ubi pestiferi flatus egrediebatur serpentis, intrepidus stetit, & oculos ad cœlum pariter tetendit, & palmas. Christumque, qui est super omnia Deus profusis lachrymis deprecatus est, ut ab eodem loco diri serpentis genus sua potentia effugaret. Et data super populum oratione, Dei laudes ad Basilicam, quam superius memoravimus, profectus est exhibere. Ab eodem vero die ipse pestifer Basiliscus ita effugatus, atque ab ipsis projectus est antris, ut ultra in illis locis nulla læsionis ejus macula appareret. Et aliud miraculum ipse almificus Papa perfecit, quod enarrare breviter inchoemus.

In ipso, quod superius memoravimus, Pontificii sui exordio (38) Saxonum vicum validus ignis invasit, qui flammarum virtute cuncta comburere cœpit validius, ubi populorum multa congregata sunt agmina, quæ hujus incendii flammas volebant extinguere: sed ventorum flatibus altius extendebatur ignis in aere cuncta comburens, atque comminuens, ita ut propius Beati Petri Principis Apostolorum Basilicæ proveniret, (39) Saxonum, Longobardorum domos, ac porticum concremans, atque diripiens. Quo audito ipse Beatissimus Pontifex anxius illuc celeri cursu profectus est, & obvius ante ignis impetum se præparavit, ac Dominum deprecari cœpit, ut ipsius incendii flammas extingueret, & crucis propriis faciens signaculum digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit, sed Beati virtutem ferre non valens Pontificis, extinctus flammas redegit in cinerem. (40) Ipse vero à Deo amabilis, & prudentissimus Papa fecit in Basilica Beati Petri Apostoli vela de fundato in circuitu compta de blatthin numero quadraginta quinque. Fecit autem isdem egregius Pontifex in Monasterio Sancti Martini, quod Beati Petri Basilicæ cohæret, ad laudem, & gloriam ipsius Beati Martini oraculi miræ pulchritudinis vestem perfecit, habentem historiam superius memorati Sancti jacentis in lectulo, cum effigie Salvatoris Domini nostri Jesu Christi. Simul effigiem Sanctæ martyris Agathæ, habentis ad pedes effigiem ipsius almi Pontificis, habentem gemmas hyacinthinas decem & septem. Item in eodem Oratorio fecit vela quatuor, & unum quidem habens rotas de chrysoclavo tres.

Fecit idem in Basilica Sanctorum quatuor Fratrum vestem de fundato unam, habentem historiam ipsorum Sanctorum Martyrum, & effigiem ipsius almi Præsulis, habentem gemmas duodecim, similiter & vela de fundato quatuor. Hic vero venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris sui canistrum interrasile de argento purissimo, pens. lib... Ubi supra obtulit coronas de argento mundissimo, pensan. libras....... Hic vero Beatissimus, & præclarus Papa superno fretus amore obtulit Beato Petro Apostolo ad splendorem, & gloriam ipsius Sanctissimæ Basilicæ lucernam bimixyn de argento purissimo,

(30) B., & C. quæ ut mos erat in lætaniis &c.
(31) B., & C. Sanctæ Dei memoriæ repararet. D. pararet.
(32) = Genitricis B., & C. *non habent*.
(*) B., & C. reparavit *pro* decoravit *legunt*.
(33) B., & C. Sanctæ Luciæ virginis, quæ.
(34) B., & C. in quibusdam terris, abditisque &c.
(35) D. mirantes & gladium.
(36) B., & C. Icona, scilicet imagine ad Basilic. &c.

(37) B., & C. cavernas, unde ipsius pestiferi flatus &c.
(38) D. exordio Saxorum vico &c.
(39) B., & C. perveniret. D. perveniret, Saxorum &c.
(40) B., & C. *Verba*, Ipse vero à Deo amabilis &c. *usque ad illa* Nam octava assumptionis &c. *ut infra non habent*.

Digitized by Google

mo, pensantem libras quadraginta quinque. Isdem Beatissimus Præsul fecit in Ecclesia Beati Silvestri Confessoris, atque Pontificis, qui ponitur in monte Soracte, vestem de fundato unam, habentem angulos quatuor, duos quidem tyrios, & duos fundatos. Fecit etiam isdem Sanctissimus, & Beatissimus Præsul in Ecclesia Beati Petri Principis Apostolorum vela, quæ pendent in arcu presbyterii ex auro texta, habentia historiam Beati Petri Apostoli numero decem & octo. Necnon in Oratorio Beati Leonis Confessoris, atque Pontificis, quod est situm infra prædictam Ecclesiam, vestem de fundato unam, habentem historiam aquilarum. Obtulit quoque, ubi supra, coronam de argento unam, pensantem libras......

Jam etiam fecit ibi vela de fundato, ornata ex utraque parte de blatthin numero viginti. Obtulit etiam Beato Petro Apostolo calices de argento, qui sedent super circuitu altaris numero sexdecim, pensan. libras.... Verum etiam & calicem pendentilem, cum catenulis, & delphinis, pensan. libras..... Item Sanctissimus, & coangelicus præfatus Præsul post deprædationem Saracenorum istius Ecclesiæ fecit super corpus Beati Petri Apostoli imagines argenteas, totasque numero tres; & unam quidem in medio, habentem effigiem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, cum gemmis in capite per crucem ornatam hyacinthinis, & prasinis. Item aliam quandam, positam ad dextram partem Salvatoris, & habentem vultum Beati Petri Apostoli, & Beatæ Petronillæ. Aliam quandam, positam ad partem levam depictam, vultum habentem Beati Andreæ Apostoli, simul & vultum prædicti summi Præsulis, pensan. libras centum & quatuor. Fecit ubi supra phara ærea, quæ sedent super vestibulum sacri altaris numero duodecim. Sæpe vero hic Beatissimus Papa omnia Sanctorum, quæ destructa fuerant loca reædificare magnopere cupiebat. Nam Monasterium Corsarum, quod juxta Basilicam Beati Sixti Martyris, atque Pontificis situm est, quod quorundam malorum hominum fuerat operibus desolatum, & ad sæcularem habitationem perductum, pro salute, ac futura retributione animæ suæ perfectius restauravit. In quo etiam Ancillarum Dei Congregationem munivit ad persolvendum Dei omnipotentis quotidie laudes, muneribus auxit, divitiis perornavit, & omnia sacris præceptis, quæ exinde ablata fuerant, restaurans, suis sanctis digitis plenius ea confirmavit. Is sæpius memoratus, & Beatissimus Papa prædicationis suæ alloquio multos ad cognitionem veritatis perduxit, & salutiferas omnibus operationes quotidie demonstravit.

Nam octavam Assumptionis Beatæ Dei Genitricis diem, quæ minime Romæ antea colebatur, vigiliis sacris, matutinisque cum omni clero pernoctans laudibus in Basilica ejusdem semper Virginis Dominæ nostræ, quæ foris muros, juxta Basilicam Beati Laurentii martyris sita est, celebrari præcepit. In quam etiam magna populi multitudo convenerat, novæ festivitatis cupiens celebrare solemnitatem. Hoc ipse magnanimus cum videret Antistes, omnes qui aderant huic celebritati (41) plures argenteos erogavit. Fecit vero isdem Beatissimus in ejusdem Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Ecclesia vestem de fundato unam. (42) Necnon fecit ibidem vela numero quadraginta quinque. Et infra in ipsius Ecclesiæ Oratorium, quod vocitatur, Beatæ Barbaræ, obtulit vestem de fundato unam. (43) Ipse à Deo præcipuus Antistes & in Oratorio Sanctæ Eugeniæ fecit vestem de fundato unam.

Et hic solertissimus, Deo opitulante, sanctissimusque, & in omnibus præclarus, atque præcipuus Pontifex magno animo, & pura voluntate donavit in Ecclesia Beati protomartyris Stephani, quæ ponitur foris muros, juxta Ecclesiam Beati Laurentii martyris, vestem de fundato unam. Et infra hujus mœnia Ecclesiæ in Oratorio Beati Leonis martyris fecit vestem de fundato unam. Et ipse mitissimus Pontifex, atque acutus in omnibus bonis obtulit in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur infra prædictum Monasterium, quod vocatur Corsarum, fecit vestem de fundato unam. Ubi supra obtulit in Oratorio Sancti Cæsarii vestem de fundato unam.

Fecit isdem benignissimus crucem auream noviter, & ipsa crux, ut mos antiquitus (44) est, Subdiaconi manibus ferebatur ante equum prædecessorum Pontificum, quam Deo juvante, in auro, & argento, ac gemmis melius renovavit. (45) Obtulit vero in Ecclesia Beatæ Nymphæ martyris, quæ esse videtur in civitate Portuensi, vestem de fundato unam. Similiter fecit in Eccelsia Beatorum martyrum Cosmæ & Damiani, quæ in Silva Candida esse videtur, vestem de fundato unam. Necnon, ubi supra, obtulit vela de fundato tria, ornata in circuitu de blatthin. Hic vero Beatissimus Papa sacratissimorum Martyrum sepulchra devota mente, ardentique assidue pectore visitabat. Quos vigiliis, sacrisque orationibus cunctos pro orthodoxæ fidei populo exorabat.

Die autem quadam cum ad Sepulchrum Beati Laurentii Martyris pervenisset, & solito more orationem expleret, diligentius inquirere cœpit, ac dicere: Quanti quotidianas hic Monachi Deo Omnipotenti referant laudes? Tunc omnes, qui aderant, Beato Pontifici protulerunt, quod à quibusdam Pontificibus duo Monasteria ibidem fuissent constructa, sed pro magna paupertatis inopia in desolationes reducta sint. Mox autem ipse almificus Pontifex superno nutu compunctus Monasterium, quod nunc Sancti vocatur Stephani & Cassiani, restaurans muneribus, ac divitiis locum plenissime perornavit. In quo etiam sanctæ conversationis plures Græcos genere instituit Monachos, qui Omnipotenti, eidemque Martyri die, noctuque laudes persolverent. Ipse quidem à Deo protectus, & venerabilis Præsul intra Basilicam Beati Petri Apostoli oraculum miræ pulchritudinis, summique decoris construxit, quod pulchris marmoribus circumdans splendide composit, absidamque ejus ex musivo aureo superinducto colore glorifice decoravit. In quo etiam venerabile Corpus Beati Leonis Confessoris, atque Pontificis recondens, sacrum desuper construxit altare, & cyborium cum cruce exaura-

(41) B. C., & D. huic celebritati plenius argento erogavit &c.

(42) B., & C. unam, & multa alia obtulit illi dona. Fecit idem Beatissimus Crucem auream &c. *ut infra, cæteris omissis*.

(43) D. Et in Oratorio supradictæ Ecclesiæ Beati Nicolai donavit vestem de fundato I. Ipse à Deo &c.

(44) D. antiquitus à Subdiaconibus manibus &c.

(45) B., & C. *Verba* Obtulit verò in Ecclesia &c. *usque ad illa*. Fecit quidem in Oratorio Sancti Hadriani &c. *ut infra non habent*.

Digitized by Google

exaurata ad laudem, & gloriam Christi nominis hoc fretus amore perfecit, ut sibi dignum in æthere conquireret locum.

Patratis itaque omnibus, atque perfectis operibus, quorum jam sigillatim superius nomina scripta, vel memorata sunt, confestim isdem Pastor, & Pater Egregius, quamvis universarum proficuam Ecclesiarum Dei curam, dignamque sollicitudinem gereret, & ad omne opus bonum præ omnibus intentus existeret, ex intimo cordis sui longa trahens suspiria, cum quotidie Beatissimi Apostolorum Principis Petri sacratissimum altare cerneret violatum, & ad tantam inhonestatem à Saracenis perfidis, Deoque contrariis, & vilitatem perductum, etiam & quod dolentes, mœrentesque dicimus, ipsi undique Christianum populum ad jam fati Principis sacratissima orationis causa, vel gratia limina (46) destinari cerneret, & ob hoc vota sua, ut olim, perficere non pleniter satagebat, ideo Omnipotentis Domini fretus auxilio, atque consilio, & virtute munitus, aureis, simulque argenteis, tabulis, non tantum Confessionem sacram, verum etiam frontem sæpedicti altaris satis decenter, & honorifice perornavit, ut præsens per omnia opus ibidem dedicatum luce clarius manifestat. Quamobrem venerandi altaris frontem præcipuam tabulis auro optimo noviter dedicavit, una cum gemmis quamplurimis valde optimis, ac pretiosis totam circumdedit, & in meliorem, ut prius statum, decoremque perduxit. In quibus scilicet aureis, ut dictum est, tabulis non solum Redemptoris nostri forma depicta præfulget, verum & ejus resurrectio veneranda, atque indicium sacræ, ac salutiferæ crucis.

Petri quoque, Paulique pariter vultus, atque Andreæ in prænominatis tabulis similiter splendent, atque coruscant, inter quos Sanctissimi quarti Leonis Præsul, necnon & specialis filii sui Domni Imperatoris Lotharii propter futuram memoriam, sive mercedem, personæ Deo caræ, per cuncta sæcula venerandæ, depictæ sunt. Fecit denique tabulam de smalto, opus ducentas sexdecim auri obrizi, pensan. libras ..... Confessionem vero crebro dicti altaris tabulis ex argento patratis purissimo simili modo tota animi devotione ad antiquum decus, & statum perduxit. In quibus Salvatorem in throno sedentem conspicimus pretiosas in capite gemmas habentem, & à destris illius Cherubin, à læva quoque ejus vultus Apostolorum, cæterorumque depictos. Immo & rugas Sacræ Confessionis ex argento constructas, vultus habentes Beatissimi Petri & Pauli, pensan. omnia libras ducentas & octo. Ipse vero à Deo amabilis, & prudentissimus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli vela ex auro texta pendentia in arcubus compte in circuitu de blatthin numero undecim. Necnon & in Oratorio Sancti Leonis Pontificis intra Ecclesiam Beati Petri Apostoli fecit vestem sericam albam sigillatam, cum gammadiis, & periclysi de blatthin unam, & vela similiter alba majora duo, minora octo. Et in Monasterio Sancti Cæsarii, quod ponitur in palatio, fecit vestem de fundato unam, & vela octo.

Ipse vero à Deo protectus, & venerabilis Pontifex propter retributionem, & mercedem animæ suæ fecit in cœmeterio Beatæ Agathæ Martyris, quod ponitur foris portam Beati Pancratii Martyris vestem de fundato unam, & vela octo. Quisnam dicere valeat, vel narrare sufficere possit, quanta ipse à Deo protectus, & solertissimus Papa sanctis locis devota obtulit mente dona? Nam in Oratorio, quod Pauli dicitur Papæ miræ pulchritudinis obtulit vestem aquilarum habentem historiam cum cruce de chrysoclavo, & gammadiis unam. Fecit autem in Oratorio Sanctorum Processi & Martiniani splendoris non modici vestem cum rotis, & hominibus, & historiam cum cruce, similiter de chrysoclavo, & gammadiam unam. Aliam vero vestem fulgidæ visionis in Basilica Sanctæ Petronillæ perfecit, habentem rotam, aquilamque, cum cruce de chrysoclavo, & gammadiis unam.

Obtulit vero in Oratorio Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ, quod in mediana consistit, vestem similiter cum rotis, aquilisque, & cruce de chrysoclavo, cum gammadiis unam. Fecit quidem in Oratorio Sancti Hadriani vestem cum rotis, hominumque effigiebus, cum cruce (47) similiter de chrysoclavo, & gammadiis unam. Ipse vero sæpius memoratus, & Beatissimus Papa obtulit in Basilica Sancti Sebastiani Martyris, quæ in Frascata consistit, vestem pretiosissimæ claritatis, cum cruce de chrysoclavo, & gammadiis unam. Qui summus, & præcipuus Præsul fecit in Basilica Beati Petri Apostoli cortinam holosericam cum historiis multis claritatis immensæ ad decorem, & gloriam ipsius Sacratissimæ Basilicæ unam. Cum vero hæc, (48) & quæ scripta sunt Leo vir Beatissimus quartusque Præsul Domino solaciante amoris, ac desiderii gratia per diversa piorum loca sanctorum perfectius contulisset, tunc de Romanæ urbis statu, ac restauratione murorum, qui longo jam senio, atque vetustate nimia fracti, dirutique funditus videbantur, cœpit cum Jesu Christi Domini tractare consultu, ne si diu sub hac negligentia, sive oblivione consisterent, aut Domino permittente facilius ab hostibus aut capi, aut forsan expugnari potuissent, ideo ne hoc in futurum malum fieret, omnes prænominatæ muros civitatis Romanæ, duodecima instante indictione (49) renovare, atque ad priorem cultum, decusque tota mentis alacritate (50) curavit. Et non solum muros, (51) quos diximus celeri fieri agilitate præcepit, sed & portas, quibus omnis sæpe clauditur civitas novo cultu, lignisque prævalidis ob inimicorum metum, sive terrorem reædificari festinantius jussit. Quæ denique omnia, ut cito fierent, & ad effectum, decoremque essent perducta, præfatus vir Apostolicus indifferenter non solum equo residens, verumtamen sane pedibus propriis per muros, vel portas cum suis fidelibus discurrebat, quatenus in restauratione eorum mora nulla, aut dilatio fuisset exorta. Quapropter, ut ante jam dictum est, inter curas maximam de Romana urbe curam, ac sollicitudinem venerandus Pontifex gerens undique ad melio-

(46) D. limina destinavit. Ob hoc &c.

(47) B., & C. effigies crucem, similiter de Chrisoclavo, & margaritis. Cùm verò hæc; *cætera interposita omittentes*.

(48) B., & C. Cùm verò hæc & cætera, quæ retro scripta sunt &c.

(49) B. C., & D. duodecima siquidem Indictione renovare &c.

(50) B., & C. allacritate reducere curavit.

(51) B., & C. muros, verùm etiam omnes portas lignis etiam renovare præcepit. Insuper etiam quindecim turres, *& cætera ut infra*.

meliorem, novumque cultum cuncta noviter deduxit, & 15. ab ipso solo turres, (52) quas funditus dirutas per circuitum urbis reperit, novis fabricis restaurari præcepit.

Quarum denique duas juxta Portuensem portam ita prudenter, ac sapienter venerabilis Præsul ad ipsam oram Tyberis, idest, juxta litus fluminis ædificari disposuit, ut nullus prius hominum vel cogitare, vel considerare valebat. Et quia per hunc locum non solum naves, verum etiam homines ante facile (53) ingrediebantur, nunc autem vix unquam per eum parvæ naviculæ introire valebunt, & hoc propter futurum testimonium, (54) Saracenorum periculum, & salutem Romanæ urbis factum est. Ipsas igitur turres (55) non solum lapidibus, sed etiam ferreis muniri curavit catenis (56), quatenus si necessitas fuerit per eundem locum, nulla valeat navis transire. (57) Quod noviter opus constructum, & Romanæ urbis defensionem præstat, & videntibus non modicum, sed grande miraculum, quia cum magna sapientia, subtili prudentia, & honestate patratum est.

Ipse quoque à Deo protectus, & Beatissimus Papa multa Corpora Sanctorum, quæ diu inculte jacebant summo studio, summoque cordis affectu ad honorem Omnipotentis Dei infra hujus Almæ Urbis mœnia mirifice congregavit. Nam & Corpora Sanctorum Martyrum Quatuor Coronatorum solerti cura inquirens reperit. Pro quorum desiderabili amore Basilicam, quæ Sanctorum fuerat nomini consecrata, quam ipse dum ad Pontificii deductus est apicem, prudentissimo moderamine rexit, quæ per olitana curricula temporum quassata vetustatis defectu, & pene ruinis confracta diu antiquitus videbatur, & convulsa, supernæ virtutis annuente clementia in splendidiorem, pulchrioremque statum à fundamentis construxit, & ad laudem Omnipotentis Dei, eorum Sacratissima Corpora (58) cum Claudio, (59) Nicostrato, Symproniano, atque Castorio, & Simplicio, necnon Severo, Severiano, Carpophoro, & Victorino, quatuor fratribus. Item Marius, Audifax, & Abacum, cum Felicissimo, & Agapito, Hippolyto cum suis familiis numero decem & octo, Aquilino, Aquila, & Prisca, Narcisso, & Marcellino, Felice, Simetrioque, Candido, atque Paulina, Anastasio, & Felice, Apollione, & Benedicto, Venantio, atque Felice, Diogene, & Siberæli, Festo, & Marcello, atque Superantio, Pudentiana, & Benedicto, Felice, & Venantio, necnon capite Sancti Prothi, Sanctæque Cæciliæ, Sancti Alexandri, Sanctique Sixti, & Sancti Sebastiani, atque Sacratissimæ Virginis Praxedis pariter sub sacro altari recondens collocavit, (60) & alia multa, quorum nomina Deo sunt cognita. Super quod etiam ad gloriam Creatoris miro opere, miræque pulchritudinis cyborium ex argento purissimo, aureo superinductum colore, cum gemmis prasinis, & hyacinthinis, pensan. libras trecentas tresdecim & semis. Ubi supra obtulit in eadem Ecclesia vela rubea, quæ pendent in circuitu altaris numero quatuor. Idem quoque Sanctissimus Præsul fecit in Oratorio prædictæ Beatæ Barbaræ, quod constructum est infra Ecclesiam Sanctorum Quatuor Coronatorum coronam de argento, pens. libras duodecim. Necnon in eodem Oratorio obtulit gabathas de argento decem, pensan. libras .... Verum etiam in suprascripto Oratorio fecit vestes de fundato tres, habentes in medio cruces, cum gammadiis, & vela duodecim.

Prædictus etiam venerabilis Pontifex fecit in Basilica Beati Stephani Pontificis via Latina milliario tertio vestem de fundato unam, cum cruce in medio, & vela sex. Ubi obtulit patenam, & calicem Sanctum modicum de argento, pensan. libr. unam & semis. Obtulit etiam Beatissimus Præsul in Ecclesia Beati Principis Apostolorum turibulum de argento exaurato Apostolatum legente nomen Domni Leonis quarti Papæ, pens. libras quatuor. Ubi etiam in Oratorio Beati Gregorii Confessoris, atque Pontificis fecit vestem de fundato, cum gammadiis, & crucem ex argento texto unam. Similiter ibi ipse in Oratorio Beati Pastoris martyris vestem pari modo fecit unam. Necnon & in Oratorio Beatæ Dei Genitricis, quæ ponitur ad ambonem, eodem modo fecit vestem unam. Et in Oratorio Sanctæ, & superexaltatæ Crucis fecit vestem simili modo unam. Necnon & in Oratorio, quod ponitur ad fontem, fecit similiter vestem unam, & vela de quadrapulo.

Ipse vero venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum super altare majore vestem de fundato, cum cruce in medio, & gammadias, & in gyro listam de fundato unam. Ubi supra in Oratorio Sanctæ Barbaræ similiter fecit vestem de fundato unam. Et in Oratorio Sancti Sixti eodem fecit vestem unam. E in Oratorio Sancti Nicolai similiter fecit vestem cum aquila una. Necnon & in Ecclesia eadem fecit cortinam lineam, cum cruce in medio, & in gyro listam de fundato miræ magnitudinis. Piis moribus, his sacrisque peronatus operibus Papa obtulit in sæpius memorata, quam fretus amore fundaverat, aula, patenam ex argento purissimo, aureo superinductam colore, cum Crucis tropheo, Salvatorisque effigie, Sanctæque Dei Genitricis, & Sanctorum Apostolorum pulchro schemate decoratam, pensan. libras septem. Similiter calicem Sanctum, auroque perfusum Euangelistarum, habentem iconam, & crucem, pens. libras quatuor. Necnon ex argento purissimo cantharum exauratum, in quo signaculum in circ-

(52) B., & C. turres ab ipso solo dirutas novis &c.

(53) D ante facies &c.
B., & C. faciliùs ingrediebantur; nunc vix per eum &c.

(54) B., & C. testimonium *omittunt*.

(55) D. Ipsam igitur turrem.

(56) B., & C. sed etiam ferro muniri curavit, quatenus &c.

(57) B., & C. Nam ipse Beatissimus corpora Sanctorum quatuor Coronatorum, *& cætera ut infra, reliquis omissis, legunt*.

(58) B., & C. corpora idest Claudii, Nicostrati, Simproniani, atque Castorii, & Simplicii, necnon Severii, Severiani, Carpofori, & Victorini, deinde Marii, Audifox, & Abbacuc, Felicissimi, & Agapiti, Ypoliti, cum sua familia numero decem & novem, Aquilæ, & Priscæ, Arsequi, Aquini, Narcissi, & Marcellini, & Felicis, Simetriique, Candidæ, atque Paulinæ, Anastasii, & Felicis, Apollionis, & Benedicti, Venantii, atque Felicis, Diogenis, & Liberalis, Festi, & Marcelli, atque Superantii, Pudentianæ, & Benedictæ, Felicis, & Benenati; nec non caput Sancti Prothi, Sanctæque Cæciliæ, &c.

(59) D. pro Claudio *legit* Cladio, *pro* numero decem & octo; XIX. Aquilina, & Prisca &c.; *pro* Siberæli *legit* Liberali.

(60) B., & C. & aliorum quorum nomina soli Deo sunt cognita. In qua etiam Ecclesia multa contulit dona. Fecit etiam idem Beatissimus Præsul post deprædationem Sarracenorum, *& cætera, quæ infra legenda*.

Digitized by Google

circuitu depressum cernitur Crucis, cum Prophetarum effigiebus, Beatissimique Stephani primi martyris icona. Veruntamen & turibulum ex argento mundissimo Apostolicum unum. Gabathas ad nitorem ipsius venerandæ Basilicæ exauratas quatuor, pens. pondus duarum semis librarum.

His omnibus ita gestis Confessionem cum sacro altari argenteis tabulis, pensan. libras nonaginta & tres decoravit, sanctorumque effigiebus perornavit. Super quod etiam obtulit regnum de argento purissimo, pretiosissimis gemmis, habens in medio crucem, quod usque nunc super eodem pendere altari conspicitur. Ubi etiam obtulit vela de fundato quadraginta & tria. Ipse vero sæpius memoratus, & præclarus Antistes superno inflammatus amore obtulit in Monasterio Sancti Silvestri, Sanctique Benedicti, & Sanctæ Scholasticæ, quod nuncupatur sub Lacu, vestes de fundato tres, & vela similiter de fundato septem. Fecit etiam idem Beatissimus Præses post deprædationem Saracenorum in Ecclesia Beati Petri Apostoli Crucifixum miræ magnitudinis, constructum cum gemmis hyacinthinis, de argento purissimo exauratum, pens. libr. septuaginta, & alias gemmas albas septem, majorem unam. (61)

Ea item, quæ inter cætera per Sanctissimi Præsulis assiduas preces, ac lachrymas à Domino exauditas duodecima insistente indictione mirabiliter acta, vel gesta sunt, non inutiliter agemus, si ob æternam memoriam huic operi clarius inserere studeamus. Ut quantæ sanctitatis in hac erumnosa vita vir iste extitèrit, præsentes, atque futuri facilius agnoscant. Denique post nefandam, & lugubrem, omniquè plenam miseria Saracenorum deprædationem, quam in primo Ecclesiarum omnium capite, Sancta scilicet Romana Ecclesia hortatu diabolico peregerunt, voluerunt iterum ipsi Satanæ filii similia in Romanos fines, & Ecclesiam Beatissimi Apostoli Petri, ut olim damna inferre, & deinde victores ad loca, quibus egressi fuerunt, destinare, sed cura, ac studio summi præfulgente, atque vigilante Pastoris, hæc minime perficere potuerunt. Tamen ut fideles in Domino amplius fideliores jure existant, & illius signa, ac veneranda miracula ex veteribus noviter emanasse non dubitent: à principio retinendum est, quid de eis divina eodem tempore misericordia mirabiliter egit, quantisque miseriis, atque calamitatibus gens illa pestifera merito protrita dilapsa est. Quamobrem pristinum reminiscentes lucrum, vel prædam, quam fecerant, multiplicata iterum perversorum hominum manu, multisque cum navibus ad urbem expugnandam Romanam duodecima indictione vigente venire crudeliter decreverunt. Multisque etiam diebus in loco, qui (62) Torzarum dicitur, juxta insulam Sardiniæ demorati sunt. A qua digressi Romanum portum, Deo illos non adjuvante, inire (*) conati sunt.

Quorum iniquus, ac nefandus adventus Romanos non mediocriter terruit. Sed quia Ecclesiam suam Deus Omnipotens semper inviolatam custodivit, & deinceps custodire non desinit, excitavit tunc inter cæteros omnium Neapolitanorum, Amalphitanorum, Cajetanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere, ac dimicare fortiter debuissent. Mox etenim à locis propriis egressi ante Saracenos inutiles, ipsi cum suis navibus conjunxerunt, suumque repentinum adventum Beatissimo Leoni quarto Pontifici notum fecerunt. Et quod se ob nullam rem venisse aliam sunt professi, nisi ut de Paganis Domino auxiliante victores existerent. Tunc demum venerabilis Papa aliquantos ex eis prius ad se Romam venire præcepit, volens specialiter scire ab eis, si eorum pacificus esset adventus, vel non, sicuti & factum est. Inter quos tunc filius Sergii magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, nomine Cæsarius, advenit, quos benigne in palatio Lateranensi suscipiens, causam pro qua venerunt, inquisivit. Illi autem ob aliud non venisse testati sunt, nisi ob hoc, quod superius legitur exaratum. Quorum pius Apostolicus credulus verbis cum magno (63) armatorum procinctu, mox ad civitatem Ostiam properavit, omnesque Neapolitanos grandi, atque eximia devotione suscepit. Qui ut summum Præsulem conspexerunt, pedes ejus humo prostrati venerabiles sunt osculati, gratiasque Omnipotenti altithrono retulerunt, qui ad se confortandos talem dirigere decrevit Antistitem. Qui ut meliores de Belial filiis victores existerent, summopere deprecati sunt, ut de suis sacris manibus corpus Dominicum percipere meruissent. Quibus ore suo Missam in Ecclesia Beatæ Aureæ decantavit, atque universi ex illius, ut dictum est, manibus communionem sumpserunt. Et antequam hæc fierent, usque ad præfatam Ecclesiam cum hymnis, ac letaniis, canticisque præcipuis, simul cum ipsis Neapolitanis Christo auxiliante profectus est. In qua etiam flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus suis ipse Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur.

Super quos etiam multis cum lachrymis hanc orationem obtulit, dicens:

Deus, cujus dextera Beatum Petrum Apostolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & Coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis horum fidelium vestrorum brachia contra inimicos Sanctæ Ecclesiæ tuæ dimicantia, Omnipotenti dextera tua corroborentur, & convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum nostrum &c.

Die vero altera postquam à jam dicta civitate venerabilis reversus est Præsul, ipsi sceleratorum socii, sive participes juxta litus maris Ostien-

(61) B., & C. majorem I. Post hanc denique deprædationem, quam iniquè fecerant aliam facere putaverunt. Sed Deus Omnipotens precibus Apostolorum facere non permisit; gens itaque illa sæva iter ceperunt Romam veniendi reminiscentes pristinum lucrum, vel prædam, quam fecerant, & multiplicata iterum perversorum hominum manu, multisque cum navibus ad urbem Romanam XII. Indictione crudeliter decreverunt, multisque etiam diebus commorantes, *& cætera quæ infra patebunt*.

(62) B., & C. qui Torarum dicitur juxta Insulam Sardiniæ exire nullo modo potuerunt. Quorum iniquus &c.

(*) D. exire conati sunt.

(63) B., & C. cum magno exercitu, & armorum procinctu mox civitatem Hostiam properavit, omnesque cum gaudio suscepit; illi autem videntes summum Præsulem, omnes cœperunt osculari pedes ejus. Summus autem Præsul Missam in Ecclesia B. Aureæ celebravit, omnibusque corpus Dominicum tradidit, atque orationem post perceptum corpus super eos donavit. *Deus* &c.

Digitized by Google

Ostiensis multis cum navibus apparuerunt. (64) Contra quos Neapolitani impetum facientes, dimicare fortiter voluerunt, etiam aliquantos vulneraverunt ex illis, & deinde triumphum accepissent, si unum non citius impedimentum accidisset. Nam dum ad invicem attentius dimicarent, subito tam validus, ac supereminens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat, qui utrasque naves confestim divisit. Tum Saracenorum naves primo veniebant, usque ad oram maris, deinde vento flante, marique elevato procellis dispergebantur, & iterum post aliquantulum confractis viribus revertebantur. Deus enim omnipotens, pro certo credimus, hunc ex thesauro suo produxerat ventum, qui eos ad nocendum foris minime permisit exire. Super his novis, mysticisque miraculis, quæ nostris, licet non meritis, divina ostendere, ac demonstrare nostris dignata est temporibus semper glorificanda, & conlaudanda est veri Dei nostri clementia, qui eos ad locum, quem desiderabant permisit aspicere, & tamen ne capere potuissent, virtutis suæ potentia longius expulit, multosque postea non tantum per intercessiones, & merita Beatissimorum Petri ac Pauli, Principum maris profunditas, verum etiam fames, & gladius indesinenter extinxit.

Ex quibus per quasdam Insulas nostras famis laborantes penuria, plurimi à nostris hominibus interfecti sunt. Cæteros autem causa veritatis, ac testimonii vivos comprehendentes Romam duxerunt. Quorum Romani proceres ne multiplicatus numerus videretur, multos prope portum nostrum Romanum in ligno suspendi jusserunt. Aliquantos etiam nos ferro constrictos vivere jussimus, per hanc solummodo causam, ut & spem nostram, quam in Deum habemus, (65) & illius ineffabilem pietatem, necnon & propriam tyrannidem luce clarius scire valuissent. Et post hæc ne otiose, aut sine angustia apud nos viverent aliquando ad murum, quem circa Ecclesiam Beatissimi Apostoli Petri habebamus inceptum, aliquando per diversa artificum opera quicquid necessarium videbatur, per eos omnia (66) jubebamus deferri. (67)

Pro his igitur beneficiis, ut jam enarratum est, Beatus Pontifex, obtulit in Basilica Beati Petri Principis Apostolorum post deprædationem gentis Agarenorum, arcus de argento mundissimo numero tredecim. Ex quibus duo, quos posuit à parte dextra, seu sinistra in presbyterio miræ magnitudinis, pensantem libras...... Isdem quoque Beatissimus Præsul fecit in Ecclesia Beati Petri Principis Apostolorum vestem unam auro textam, habentem historiam, qualiter Beatus Petrus prædicavit ad Sanctam Romanam Ecclesiam, cum gemmis albis, idest, margaritis septem, & cum gemmis prasinis undecim, necnon & gemmis hyacinthinis viginti & septem. Fecit & in Ecclesia Beati Andreæ Apostoli cyborium super altare ex marmore, necnon & calicem de argento, cum coronis pendentibus in eodem cyborio numero duodecim, pensan........ libras. Fecit etiam ibi ipsum campanile, & posuit campanam cum malleo æreo, (*) & cruce exaurato. Necnon & in Ecclesia B. Petri Apostoli obtulit turibulum ex auro purissimo ex diversis gemmis ornatum. Et in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur ad Sanctum Laurentium foris murum, fecit vestem unam, habentem historiam Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, & imaginem almifici prædicti Præsulis.

Fecit etiam in Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum canistra de argento undecim, pens. libras viginti quatuor. Obtulit & in Ecclesia Beati Petri Apostoli crucem ex auro purissimo, ex diversis gemmis hyacinthinis, albis, & smaragdis miræ magnitudinis ornatam, quæ stat parte dextra juxta altare majus. In qua etiam noviter renovavit virgam, & deargentavit eam, in qua prædicta crux continetur, pensan. libras argenti undecim & semis, legente de nomine Domini Leonis quarti Papæ. Obtulit & in Ecclesia Beati Stephani Protomartyris vestem ex auro texto, cum gemmis hyacinthinis quatuor. Isdem prædictus almificus & Summus Præsul nimio amore ductus, & bonis moribus affectus fecit in Ecclesia Beati Christi Martyris Laurentii, sita foris murum civitatis Romanæ vestem de serico mundo, cum aquilis, habentem tabulas auro textas tres ex utraque parte, habentes martyrium prædicti Martyris depictum, & imaginem prædicti Præsulis.

Necnon fecit in Ecclesia Sanctorum Martyrum Quatuor Coronatorum imagines de argento exauratas tres, unam quidem habentem vultum Salvatoris, & alias duas habentes vultus Sanctorum Claudii & Nicostrati, pensan. libr. quinquaginta & duas, & semis. Et in eadem Ecclesia obtulit coronam de argento unam, pensan libras viginti quinque. Et in pergula ejusdem Ecclesiæ, quæ est ante altare majus suspendit lilium de argento, habens mala (68) de crystallo, & ranunculum. Fecit etiam, ubi supra, canistra de argento septem, pensan. libras duodecim. Fecit ipse mitissimus in æde propria, quam ipse à fundamentis fieri disposuit, & ex jure parentum suorum ipsi accessisse videbatur, Monasterium Ancillarum Dei in honorem Sanctorum Simitrii & Cæsarii, ubi & dona largitus est, patenam, & calicem sanctum de argento exauratum, habentes diversas gemmas, pensan. libras....... Ubi supra obtulit thymiamateria cum canthara una pendentia libras........ Necnon & ipse vero almificus Pontifex obtulit in suprascripto Monasterio canistra de argento mundissimo tria, & gabathas saxiscas, (69) pensan. in unum libras duodecim & semis. Ibidem fecit propter retributionem, & mercedem animæ suæ vestes de fundato tres, habentes unam tabulam acupictilem interclusam. Fecit ibidem regnum ex auro mundissimo, cum gemmis prasinis, & hya-

(64) B., & C. apparuerunt; præfati autem homines super illos facientes impetum omnes superaverunt orationibus Apostolorum, & Sancti Præsulis. Ex quibus &c. *ut infra*.

(65) *Verba* & illius ineffabilem &c, *usque ad illa* Post hæc ne otiose &c, *in* B., & C, *desiderantur*.

(66) per eos omnia *desunt in* B., & C,

(67) B., & C, deferri. Obtulit idem Beatissimus Præsul post deprædationem gentis Sarracenorum. (C, Agarenorum *semper*) multa dona B. Petro Apostolo, aliisque Ecclesiis. Fecit etiam ibi campanarium in quo posuit campanam cum malo æreo, & crucem exauratam. Post victoriam denique sævæ gentis Sarracenorum ædificavit civitatem, quam suo nomine vocari præcepit, atque super portam, quæ respicit ad S. Peregrinum orationem istam descripsit. *Deus qui &c.* (*quæ infra legenda.*)

(*) D. malo æreo &c.

(68) D. habente mela de cristallo &c.

(69) D. gabata saxisca I. pens. &c.

Digitized by Google

hyacinthinis, quod pendet super altare, pens. libr. . . . . .

Ipse vero à Deo protectus, & venerabilis Pontifex superno amore exardescens, obtulit in Basilica Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur foris muros istius civitatis Romanæ, juxta Beatum Laurentium, vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam exauratam cum effigie Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, & ipsius almifici Pontificis. Et in Ecclesia Beati Laurentii Martyris, quæ ponitur foris muros, obtulit thuribulum argenteum, cum cooperculo suo exauratum, habens catenulas, & bullas per gyrum, pensan. libras sex. At vero in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ trans Tyberim absidam, quæ præ nimia vetustate ruitura eminebat, prænominatus Præsul restauravit. Et in Ecclesia Beati Petri Principis Apostolorum propter honorem, ac vigorem ipsius Ecclesiæ fecit butronem ex argento purissimo, qui pendet in presbyterio ante altare majus, pensan. libras centum quadraginta & novem. Simul etiam fecit in Ecclesia Beati Sebastiani Martyris, quæ ponitur in Frascata, canistrum (70) de argento mundissimo, pens. libras duas, legente nomen almifici Præsulis, & Beati Sebastiani. His denique decentius consummatis, atque peractis post flebilem, & iniquam Saracenorum deprædationem, Catholicus, & per omnia laudabilis Præsul ad decorem, & laudem Ecclesiæ Apostolorum Principis Apostoli Petri, fecit miræ magnitudinis, ac pulchritudinis super illius venerandum altare cyborium, & columnas, ac lilia exaurata ex argento purissimo, pensan. libras mille sexcentas & sex. Nam & super cyborium obtulit coronas quatuor, & calices sexdecim ex auro mundissimo, pensan. libras . . . . . . Et de argento, ut supra, ad honorem, & gloriam ipsius cyborium fecit, calicesque & coronas numero quadraginta sex, pensan. libras viginti duas, & uncias septem. Necnon & super columnas ipsius cyborii propter amplam pulchritudinem ex argento purissimo fecit cophinos numero quatuor, pensan. libras quadraginta & duas. Fecit etiam ibidem ante altaris circuitum vela alba holoserica sigillata numero quatuordecim, listas habentia de fundato.

Obtulit inibi & alia vela linea numero quatuordecim, listam habentia per circuitum de serico albo sigillato. Ubi supra fecit arcus duos ex argento purissimo, pensan. libras quinquaginta. Fecit in Oratorio Sancti Silvestri infra palatium Lateranense vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo modicam, & vela de fundato quatuor. Fecit & in Ecclesia Hierusalem vestem de fundato unam, & vela similiter de fundato quatuor. Fecit etiam (71) & in Diaconia Sanctæ Mariæ Virginis, quæ ponitur in Cyro regnum ex argento intrinsecus, bullis aureis circumdatum. Verum etiam & in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur in Frescata (72) obtulit vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam modicam exauratam interclusam, & vela de fundato quatuor. Necnon & in Ecclesia Sanctæ Genitricis Dei Mariæ, quæ ponitur in (73) Morenico narrano fecit vestem de fundato unam, & vela similiter de fundato quatuor. Pari modo obtulit & in Ecclesia Beati Petri Apostoli, quæ ponitur in Maruli, fecit vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam exauratam modicam interclusam, & vela de fundato quatuor.

Ipse vero à Deo protectus, & venerabilis Pontifex obtulit in Basilica Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur ad Sanctum Laurentium foris muros, fecit cortinam lineam unam, habentem in gyro listam de fundato, & in medio crucis similiter de fundato. Et in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani, quæ in Silva candida esse videtur, obtulit vestem rubeam unam, habentem in gyro listam de argento, & crucem in medio, & vela cum aquilis quatuor. Obtulit etiam in Ecclesia Beati Petri Principis Apostolorum coronam ex argento, cum historiis à foris circumdatam, & exauratam, pens. lib. septem. Ipse quoque à Deo protectus, & Beatissimus Papa superno fretus amore obtulit in Basilica Beati Petri Apostoli ante Confessionem sacri altaris à dextris, seu à sinistris, ad decorem ipsius Basilicæ Angelos sex ex argento mundissimo, pensan. libras sexaginta quatuor. Et super illud cyborium fecit oleas, quæ pendent in circuitu altaris, habentes tabulas quatuor exauratas, necnon & gammadias numero quatuor. Ubi supra fecit arcus quatuor, qui stant in presbyterio ex argento mundissimo, pens. libras (74) centum. Ipse vero Beatissimus Pontifex obtulit in Monasterio Sanctorum Cosmæ & Damiani, quod ponitur in loco qui vocatur Sublacus, miliario ab urbe Roma plus minus quadragesimo, vestem de fundato unam, & vela de fundato similiter tria. Fecit etiam isdem prædictus Præsul in Ecclesia Beati Christi martyris Gervasii & Protasii, quæ ponitur infra civitatem, quæ vocatur, Fundana, vestem de fundato, habentem in medio crucem ex auro texto unam, & velum de fundato unum. Obtulit etiam isdem prædictus Præsul in Ecclesia Beati Christi martyris Cæsarii, quæ ponitur intra civitatem quæ vocatur Terracina, vestem de fundato unam, habentem in medio crucem cum gammadiis, & periclysin de blatthin, legente de nomine Domini Leonis quarti Papæ, & vela similiter de fundato numero quinque. Necnon obtulit in Basilica Beati Petri Apostoli arcus ex argento mundissimo numero quatuor, pensan. libras octuaginta & quatuor. Fecit autem in Basilica Beatæ Rufinæ martyris in Silva Candida vestem de fundato, habentem in medio crucem de periclysi, & in circuitu de blatthin, legente de nomine Domini Leonis quarti (75) Papæ.

Fecit etiam isdem Beatissimus Præsul in Ecclesia Beati Clementis Martyris, atque Pontificis gabathas de argento purissimo numero sex. Tres quidem filopares signo Christi, & duas etiam similitudines palmarum, & unam interrasilem, quæ est saxisca, pensan. simul libras quatuor. Isdem Beatissimus, & præclarus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris sui arcus cum columnis, & liliis de argento purissimo tres, pens. insimul libras cen-

(70) D. canistro exafoti de argento &c.
(71) D. Fecit etiam in venerabile Diaconia S. M. V. quæ ponitur in gyro Regnum &c.
(72) D. quæ ponitur in Frascata.
(73) D. in Moreni cum Narrano &c.
(74) D. libras . . . .
(75) D. *n* IV. *non habet*.

Digitized by Google

centum & duas. Ipse quidem venerabilis Pontifex fecit in Basilica Sancti Cæsarii, quæ ponitur in Terracina, vestem de quadrapulo ornatam in circuitu de blatthin, habente in medio crucem de chrysoclavo, legente de nomine Domini Leonis quarti Papæ. Necnon & in Basilica Beati Petri Apostoli fecit arcus de argento purissimo, cum columnis, & liliis numero tres, pens. libras sexaginta. Fecit & in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ponitur in civitate Portuensi, vestem de spanisco unam, ornatam in circuitu de fundato, & in medio crucem de argento. Similiter vela de spanisco, ornata in circuitu de fundato numero tria. Sed & tabulas de argento exauratas, in gradu ante Confessionem Beati Petri Apostoli numero quatuor, & agnos duos, qui pensan. libras insimul quadraginta & quatuor. Obtulit ubi supra coronas porphyreticas miræ magnitudinis ornatas ex auro purissimo, cum delphinis duodecim, legente de nomine ipsius almifici Præsulis, pensan. auri libras tres, & semis. Necnon & arcus de argento purissimo numero decem, qui pensant simul in unum libras centum octuaginta & unam. Et vela linea, quæ pendent in arcubus, ubi supra, ornata in circuitu de fundato numero quadraginta octo.

Dicere nunc post universa, quæ retroscripta sunt, libet, (76) æternæque memoriæ præsentibus litteris enodare, quæ vel quanta permaximus, ac venerabilis Præsul solerti, pioque studio pro defensione universæ Matris Ecclesiæ, zelo scilicet compunctus divino infra paucorum spatia temporum perhonestè, ac nobiliter dedicavit. Quamobrem dum universa Romanorum nobilitas, pro illa quam jam dudum deprædationem nefandi, ac malevoli Saraceni intulerant in nimia lamentatione consisteret, ne deinceps (nisi Ecclesia Beati Petri Apostoli muris undique munita citius foret) pejora valuissent committere, isdem amabilis Pontifex magnam pro Romanis omnibus cœpit habere angustiam: & quo modo, vel ordine ab eorum cordibus tantum potuisset rancorem, sive timorem auferre anxius cogitare. Cumque in his diuturnis crebro laboribus desudaret, Deo revelante, hujusmodi protinus consilium sumpsit, ut hoc ipsum suo dilecto, ac speciali filio Domno Lothario luce clarius indicaret Augusto, quatenus per illius, Domino annuente, adjutorium, atque consilium civitatem illam, quam prædecessor ejus Leo Papa tertius erga Ecclesiam prænominati Apostoli ædificare cœperat, & cujus multis jam in locis fundamenta posuerat (licet post suum transitum à quibusdam ablata fuissent hominibus, ita ut nec aditus appareret, ubi prius inchoationem præfatus habuerat murus) si vita comes adesset, desideratum opus Christo solaciante, ad effectum posset perducere. Hoc denique piissimus, ac serenissimus Cæsar agnoscens, magna est illico lætitia, & exultatione repletus, rogansque jam fatum summopere Præsulem, patremque per omnia spiritualem, ut quantocyus tanti operis fabricam, sedulo labore perficeret. Ad quam ipse cum suis fratribus non modicas argenti libras direxit, ut, sicut dictum est, tam proficuum opus indeliberatum minime remaneret. Ex quo nuncio praoptato Præsul præcipuus ultra modum hilaris est effectus. Cœpit autem ex tunc de prædicto negotio valde esse sollicitus, convocansque cunctos Sanctæ Dei fideles Ecclesiæ petens ab eis ore suo consilium, qualiter tanta murorum cito valuisset fabrica consummari. Tunc omnibus ita visum est, ut de singulis civitatibus, massisque universis publicis, ac Monasteriis per vices suas generaliter advenire fecisset, sicut & factum est.

Quamobrem secundo Præsulatus illius anno præfata civitas ædificandi sumpsit exordium. Et in sexto consecrationis suæ, utpote magnis, ac mirabilibus omnis est fabricis civitas undique consummata. Cumque per multos labores, atque certamina Beatissimi Præsulis, totum ut desiderabat murorum opus completum, deliberatumque fuisset, cœpit Omnipotenti Deo multimodas, sive innumeras gratias agere, qui suas quotidianas preces pro nova ædificatione murorum exaudire, & adimplere dignatus est. Nam quantam, qualemque curam, vel studium, simulque solicitudinem pius, ac laudabilis Pastor, quousque construeretur, diebus singulis, ac noctibus habuit, nullius hominis lingua breviter enarrare potest, & quia nihil aliud post debita sacrorum mandatorum officia agebat, præter id, quod superius exaratum est, revera non frigus, neque flatus ventorum, vel pluviæ, aut aëris grandis, vel modica conturbatio pigrum in eundo de die in diem quolibet modo facere potuit. Sed modo hic, modo illic per diversas murorum fabricas vigil, ac solicitus discurrebat, ut suum bonum propositum, ac desiderium per Apostolorum pia Petri, Paulique suffragia, Redemptor noster Omnipotens præpropere adimplere decrevisset, atque modo omnes conspicimus. Tunc demum consummatis, simulque perfectis, ut crebro retulimus, novæ civitatis universis operibus, Papa Beatissimus, & per omnia, & in omnibus semper laudabilis, ut prædicta civitas, quæ à proprio conditoris sui nomine Leoniana vocabatur, ut perpetualiter firma, ac roborata consisteret, jussit cum magna animi devotione, cordisque lætitia, ut omnes cum eo Episcopi pariter, ac Sacerdotes incolæ urbis, & universi ordines clericorum Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, post lætanias, & psalterium decantatum, cum hymnis, & canticis spiritalibus per totum murorum ambitum nudis pedibus cinerem portantes in capite circuirent, & inter cætera ab Episcopis Cardinalibus aquam fieri benedictam præcepit, ut inter orationum officia, aquam ipsam transeuntes per murum sanctificationis, gratia jactare omnimodis studuissent, qui, ut ab eo jussum fuerat, humiliter peregerunt.

Ipse autem venerabilis Pontifex ore suo tres super eundem murum orationes, multis cum lachrymis, ac suspiriis, dedit rogans, ac petens, ut sæpedicta civitas, & Christi conservaretur in ævum auxilio, & Sanctorum omnium, Angelorumque præsidio ab universo inimicorum secura, & imperterrita perduraret in cursu. Primam denique orationem fecit super portam, quæ respicit ad Sanctum Peregrinum, cujus finis, & principium tale est: ✠ ✠ ✠

Deus, qui Apostolo tuo Petro collatis clavibus Regni Cælestis ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio à peccatorum nostrorum nexibus liberemur, & hanc civitatem, quam noviter te adjuvante fundavimus, fac ab ira tua in perpetuum manere securam, & de hostibus, quorum causa constructa est, novos, ac multiplices habere triumphos.

Se-

(76) D. libet causa, quæ æternæ memoriæ &c.

Secundam (77) quoque iisdem Pius Papa dedit orationem super posterulam, ubi mirum in modum castellum præeminent, quæ vocitatur Sancti Angeli. Cujus orationis talis est textus:

D*Eus, qui ab ipso mundi hujus exordio, hanc Sanctam Catholicam, Apostolicam Romanam* (78) *Ecclesiam ab hostibus custodire, & conservare dignatus es, iniquitatis nostræ chirographum propitiatus emunda, & civitatem hanc, quam tuo sancto nomini per Apostolorum tuorum Petri, & Pauli suffragia noviter dedicavimus, ab omnibus inimicorum insidiis securam semper, atque imperterritam manere permitte. Per Dominum nostrum, &c.*

Tertiam vero orationem cecinit (79) super posterulam aliam, quæ respicit ad Scholam Saxonum, (80) quæ ex eorum vocabulo Saxonum posterula appellatur, & ipsa oratio tertia hunc specialiter continet modum:

P*Ræsta quæsumus omnipotens, & misericors Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente Beato Petro Apostolo tuo tuæ pietatis indulgentiam consequamur, &* (81) *pro civitate hac, quam ego famulus tuus Leo quartus Episcopus te auxiliante novo opere dedicavi, meoque ex nomine Leonina* (82) *vocatur, jubeas ut semper illæsa maneat, ac secura apud clementiam Majestatis tuæ jugiter exoramus. Per Dominum nostrum, &c.* (83)

In qua scilicet civitate, juxta promissum sui desiderii, quod Deo voverat, magnam sive Romanis, sive diversis nationibus, in summæ solemnitatis die rogam distribuit. Deinde cum cæteris ut præfatum est Sacerdotibus, & omnibus Romanorum Proceribus ad Ecclesiam Beati Petri Apostoli cum orationibus, divinisque laudibus tendens Missam pro salute populi, & civitatis incolumitate, ac stabilitate perpetua, honorifice decantavit. Is Itaqne sacris peractis officiis cunctos nobiles Romæ multiplicibus donis, non tantum in auro, argentove, sed & sericis palliis honoravit, atque ditavit. Fuitque die illo magna cunctis lætitia, videlicet die septimo & vicesimo mensis Junii pridie, (84) ante Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli vigilias, sed & per totam Romanam urbem infinita gaudia, & exultationes innumeræ celebratæ sunt. Inde magis dignum est, atque conveniens, ut pro tanto Præsule, tantoque Pastore cuncti potentem Dominum toto corde, puroque animo jugiter imploremus, per quem, tam admirabile, perhonestumque opus, Christi solatiante potentia, celeri exercitatione expletum ob salutem Christianorum omnium, consummatumque cognoscimus, in nostris orationibus, quatenus & hic diutissime vigeat, & illic cum Sanctis omnibus pro suis innumeris certaminibus, ac laboribus perpetualiter æterna mereatur præmia possidere.

Ipse vero Beatissimus Papa fecit in Ecclesia Sancti Sinzigii, quæ ponitur in civitate Blerana, vestem de fundato unam, habentem in medio tabulas de chrysoclavo, cum effigie Salvatoris, habente in capite gemmas prasinas tres, & Sancti Sinzigii, & Beatissimi Præsulis, & vela de fundato quatuor. Et in Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum fecit cerostata ex argento purissimo 2. (85) pensan. libr. quinque & uncias sex, & gabathas de argento num. 4. pensan. libr....... Fecit in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ponitur ad Beatum Laurentium foris muros, vela de fundato numero viginti septem. Item fecit prædictus Præsul in Ecclesia Beati Clementis Martyris, atque Pontificis regnum, quod pendet super altare majus ex auro purissimo sculptile sine gemmis, habens in medio crucem de auro, cum gemmis fixis in eadem cruce, vitreas quinque, & quæ pendent item vitreas numero quatuor, pensan. libras (86) quinquaginta. Obtulit & in Ecclesia Beati Hippolyti Martyris, quæ ponitur in insula Portuensi, quæ nuncupatur Arsis, vestem de fundato, habentem gammadias ex argento textas unam, vela de fundato numero quatuor. Necnon & in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur infra civitatem, quæ vocatur Anagnia, obtulit vestem de fundato, (87) cum gammadiis auro textis unam, & vela de fundato quatuor.

Verum ne post hæc, quæ superius veraci testimonio, certisque schematibus dilucidata, atque conscripta sunt, silentio, quod minime convenit, cætera transeamus, libet alia Beatissimi Papæ opera (88) potenti Jesu Christi opitulante clementia (89) facta, quamvis plurima, tamen luce clarius indicare. Nam cum in bonis, Deoque dignis operibus mens simul & animus summi Antistis indeficiens desudaret, cœpit de civitate Portuensi permaximum habere certamen, ut quo modo, vel ordine tam suis, quamque etiam futuris temporibus ab hostibus, ac Satanæ filiis, secura, & libera manere potuisset. Cumque diu hoc tacitus in corde suo Pontificali haberet consilium, tunc Pater omnipotens, & excelsus, qui semper in justis, piisque cogitationibus fideles suos adjuvare non desinit, Corsorum animos excitavit, qui timore Sara-

(77) B., & C. Secundam verò scripsit super posterulam, quæ sita est juxta castrum Sancti Angeli: *Deus, qui ab ipso* &c.
(78) Romanam D. *non habet*.
(79) B., & C. *pro* cecinit *legunt* scripsit.
(80) B., & C. *Verba* quæ ex eorum vocabulo &c. *usque ad orationem*. *Præsta quæsumus*, &c. [*non habent*.]
(81) B., & C. *& civitas hac quam ego famulus tuus Leo quartus Episcopus te auxiliante meo nomine Leonina* (C. *Leoniana*) *vocatur novoque opere dedicavi, ut semper illæsa* &c.
(82) D. *Leoniana*.
(83) B., & C. Quamobrem secundo præsulatus sui anno præfato civitas sumpsit exordium, & in sexto consecrationis suæ anno civitas undique consummata est. In illa itaque die pax, & lætitia maxima fuit Clericis, & Proceribus omnibus. Hac itaque civitate expleta condolebat præsul quòd minimè populus subierat ibi ad habitandum. Eodem igitur tempore advenit populus Corsorum, qui propter metum Sarracenorum (C. Agarenorum) gentis civitates suas, & terras, ac possessiones reliquerat, cui cum nimio gaudio hanc civitatem Summus Præsul donavit, multisque divitiis ditavit, atque multas possessiones ei tribuit. Fecit etiam in Ecclesia B. Petri Apostoli portas argenteas majores post deprædationem Sarracenorum. Fecit & Crucifixum argenteum inter columpnas habentem libras LXII. & dimidiam. Fecit etiam & Concilium ubi interfuerunt LXVII. Episcopi, ubi relegi fecit decreta Pontificum in quo damnatus fuit Anastasius Cardinalis propter sua crimina. Hujus verò temporibus &c. *ut infra*.
(84) D. pridie siquidem ante &c.
(85) D. purissimo I. pens. &c.
(86) D. pens. exagia L.
(87) D. vestem de fundato IV. cum &c.
(88) D. libet quidem Beatissimi Papæ opuscula, ut præmissum est, potenti &c.
(89) D. Clementia quamvis breviter luce clariùs indicare. Quamobrem cum in bonis &c.

Digitized by Google

Saracenorum perterriti à propriis finibus exules existebant, & huc, sive illuc sine solo proprio vagantes incedebant, ut ad Sedem Romanam causa refugii, ac salutis venire quantocius debuissent, sicuti & factum est. Venientes vero illi ad Sacratissima Apostolorum Principis limina ter Beatissimo Domino nostro Leoni quarto Papæ illico præsentati sunt.

Qui cum ab eis, suisque Proceribus prudenter satis sciscitatus fuisset, qualis tunc eis imminebat necessitas, pro qua venerant, ipsi autem necessitates suas, calamitates, atque angustias per ordinem quasi uno ore coram præfato exposuissent, se habitaturos cunctis diebus in suo, successorumque Pontificum obsequio, ac servitio declararunt. Hoc sane benivolus Præsul agnoscens in magnam est statim exultationem, ac lætitiam elevatus, gratias Deo referens, qui tales illi transmisit homines, qui in prænominata civitate in perpetuum habitare potuissent. Auditis itaque eorum multis promissionibus Papa præcipuus una cum suis Optimatibus eis clara voce respondit: Si quod verbis nobis dixistis opere curaveritis perficere, satis loca habemus optima, in quibus habitare valebitis, si tantum nobis, nostrisque Pontificibus successoribus boni fideles fueritis. Nam civitatem, quam vobis daturi erimus, valde firmata est, atque munita, quam nos Redemptoris nostri protegente auxilio, novis portis, ac fabricis in locis pernecessariis ad cultum pristinum revocavimus. In qua si, ut diximus, manere cupitis, vineas vobis, ac terras, prataque concedemus, ut nullam possitis habere inopiam. Damus etiam vobis quousque ex labore vestro habeatis, vos, & mulieres vestræ, ac filii unde vivere plenissime valeatis. Boves etiam, & caballos, & animalia cætera, sicut prædiximus, si cuncta bono animo feceritis. Tunc Corsorum populi talia audientes promissa, lætiores effecti sunt, missosque pio Pontifici protinus quæsiverunt, qui civitatem, & loca specialiter demonstrarent, & ita factum est. Placuerunt siquidem omnia, & spoponderunt æquanimiter omnes, quod si noster Papa, & Dominus universa, quæ circuivimus fuerit dignatus conferre, cum omni familia, & supellectili nostra in servitium Sancti Petri, ut suum, successorumque cum omni aviditate properabimus.

Lustrata denique civitate, & possessionibus universis ad venerabilem Pontificem cum eisdem missis reversi sunt. Venientes igitur, (90) ut præmissum est, illique læta, ac prospera nunciantes, & quod Corsorum gens vivere se, ac mori in eisdem locis omnino fuissent professi, vocatis omnibus, ut ipsi similiter secundum missorum assertiones unanimes testarentur, Pontificale eis, quod secundo promiserat (91) (ob Serenissimorum Lotharii, & Ludovici majorum Imperatorum, suamque simul mercedem, perpetuamque memoriam) præceptum emisit, hoc scilicet tenore, & placito antepostito, ut tandiu firmum maneret, ac stabile, quousque Sanctæ Sedis Præsulibus, populoque Romano in cunctis obedientes, ac fideles existerent. Etsi, quod absit, omnem præcepti seriem inrefragabiliter non custodirent, sancitum est in eodem, ut vacuum, & inane consisteret. Loca vero, quæ eis data sunt, & a Missis Pontificalibus consignata tam ex proprio jure Ecclesiastico, quamque venerabilium Monasteriorum, immo & singulorum hominum, qui finitimi existebant, in concesso eis Pontificali privilegio specialiter adscripta leguntur. Ecce enim quanta crebro dicti Præsulis erat, ac præfulgebat misericordia, qui non tantum pro defensione urbis suos Romanos proceres diligebat, sed undecumque valebat colligere homines ad eorum auxilium, & solatium invitabat, plus defensionem diligens patriæ, & plebis securitatem commissæ, quam lucra temporalia, & caduca, pro quibus multos jam recolimus, vitam pariter & possessiones, quibus delectabantur, jugiter amisisse.

Post hæc denique omnia, quæ superius brevi stilo contexta sunt, alia non dissimilia Præsul sanctus, ac venerabilis satis ovans peregit opuscula. Nam Hortanæ, & Amerinæ valde antiquarum civitatum, quarum muri, ac portæ præ nimia vetustate temporum usque ad solum ceciderant, & funditus destitutæ manebant, quas modo fures, modo latrones ingredi patentibus aditis nullo resistente custode facilius ingrediebantur, ipse adeo solertissimus Præsul tantam civitatum prædictarum urbium cognoscens incuriam, eas, quas prætitulavimus civitates hortatu suo, ac studio muris novis, portisque prioribus minime dissimilibus ad pristinum locum, statumque gratia corroboratas divina reduxit. In quibus modo civitatibus exaratis cives & ab inimicorum insidiis melius securi inhabitant, & fures, ac latrones, ut dictum est, clausis muris, ac portis nullum damnum, furtum tam noctibus, quamque diebus de cætero valebunt inferre. His autem, ut prædictum est, diligenter expletis, fecit in Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum regnum ex auro purissimo unum, pendens super altare majus, cum catenulis similiter aureis sculptilem, habens in medio crucem auream, habentem gemmas quatuordecim, ex quibus quinque in eadem cruce fixas, & alias, quæ ibidem pendent novem. Sex quidem albas, & hyacinthinas tres, pensan. simul libram unam, & semis uncias. Necnon & in Basilica Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur in vico Sardonum, obtulit calicem, & patenam de argento exauratam par unum legente de nomine Domni Leonis quarti Papæ, pensan. simul in unam libras quatuor, & uncias quinque. Ipse insignis, Præsulque præcipuus cum innumera summi decoris opera in Basilica (92) Beati Petri Cœli Clavigeri perfecisset, portas, quas destruxerat Saracena progenies, argentoque nudarat, erexit, multisque argenteis tabulis lucifluis, salutiferisque historiis sculptis decoravit, & in meliorem speciem, quam pridem fuerant, reparavit, ut omnes, qui in eandem Basilicam ingredi volunt, (93) laudes Deo Omnipotenti, Sanctoque suo præsulatui referant, & exposcant, ut multa annorum suæ vitæ curricula extendantur, qui tanti fulgoris opere, tantoque pulchritudinis pondere aulam Dei argento, pensan. libras septuaginta ornavit. Qui summus, Deoque amabilis Papa in exordio sui Pontificii cum porticus partis levæ Beati præ nimia vetustate Petri Basilicæ cecidisset, celeri studio præclarius renovavit.

Nam & ipsius præcipuæ sarta tecta Ecclesiæ magnis

(90) D. Venientem siquidem, ut præmissum est &c.

(91) D. quod secundum promiserat præceptum, ob &c.

(92) D. in Basilica Calyxti Clavigeri perfecisset, portas in fundum aquas destruxerat progenies, argentoque Sarracena nudarat erexit &c.

(93) D. Basilicam ingredere veniunt laudes Deo Omnipotenti. &c.

Digitized by Google

magnis trabibus, procacique artificio elevatis luciflue renovavit. Qui etiam porticum, quæ Sancti Andreæ cohæret Ecclesiæ, cum cerneretur casura in melius noviter restauravit. Sed & cameram, quæ ante portas argenteas jam dictæ aulæ (94) esse conspicitur, infinito fretus amore renovans decoravit. Et multas piæ operationis in eadem specie Ecclesias fecit, quas si scripturæ tradere voluerimus, lingua narrare non sufficiet, & nec scribentium valebunt articuli sustinere. Cum ergo per diversas Dei Ecclesias multa perficeret insignia opera ipse Beatissimus Pontifex porticum, quæ ante Basilicam Sanctæ Dei Genitricis consistit, quæ juxta Basilicam Sancti Laurentii sita est foris muros, clarius, ac firmius renovavit. In Ecclesia autem Sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in vico Sardonum, milliario ab urbe Roma trigesimo, 4. Catholicos libros obtulit, unum Evangeliorum, alium regnorum, psalmorum, atque sermonum. In Ecclesia Beati Martini Confessoris, atque Pontificis, foris portam Beati Petri Apostoli, fecit calicem (95) de argento unum, cum catenulis, pensan. libras 4. & uncias 2. Et in Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum fecit thymiamateria duo ex argento mundissimo, pensan. libr. 2. & unciam unam. Simili modo & in Ecclesia Beatæ Petronillæ fecit vestes de fundato tres, & vela duodecim, quatuor quidem de fundato, & tres de spanisco, & linea quinque. Nam & in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam ipse Beatissimus Pontifex à fundamentis supra Scholam Saxonum noviter construxit, obtulit vestes de fundato tres, & vela similiter de fundato quatuor (96)

Idem Beatissimus Pontifex fecit in Basilica Beati Petri Apostoli cereos deargentatos, qui stant in presbyterio numero viginti & septem, pensan. insimul libras quadraginta. Nam & trabes in ingressu, & in medio presbyterii, investivit ex argento purissimo, pensan. libras sexaginta & septem, & uncias tres. Cum autem supernæ zelo patriæ incensus speciosis Christi per ordinem ornaret metallis, ac ornamentis Ecclesias, post fecit alia multa in aula Beati Petri Apostoli Principis coronam ex argento purissimo unam, cum catenulis argenteis quatuor, habentem delphinos quadraginta & duos, pensan. simul libras viginti (97) & tres. Hic quoque Pontifex, Christi semper auxilio fretus, ac divinitus inspiratus, fecit in circuitu altaris Beati Petri Apostoli vela serica de prasino quatuor, (98) habentia tabulas de chrysoclavo, cum effigie Salvatoris, & Apostolorum Petri & Pauli, & sui ipsius almifici Præsulis, & in medio cruces, & gammadias de chrysoclavo, cum orbiculis, in quibus sunt imagines Apostolorum miræ pulchritudinis decoratas, quæ in diebus festis ad decorem ibidem suspenduntur.

Pari modo fecit, ubi supra, alia vela alba holoserica rosata, cum cancellis decorata mirifice, Paschæ obumbrantia sacra. Necnon & aliam coronam minorem ibidem obtulit, cum catenulis quatuor, & delphinis decem, habentem lilium, & uncinum, pensan. libras duas. Hujus namque Beatissimi Præsulis animus semper Deo devotus existens, pretiosis Jesu Christi Ecclæsias ornamentis ingenti ob æternæ vitæ salutem decorare studebat amore, & quod nullus præcessorum ejus Pontificum facere arbitratus est, hic Sancto procul dubio Spiritu fervens, atque compulsus coronas ex auro mundissimo inclytis Christi videlicet, & Sanctorum vultibus refulgentes fieri in Apostolorum Principis Petri Ecclesia juxta altare, sub quo ejus sacratissimum corpus requiescit, dextra, levaque pendentes fieri duas, cum catenulis aureis bullis gemmisque prasinis decoratas decrevit, habentes insimul delphinos sexaginta, pensan. libras viginti. Fecit & Crucifixum argenteum miro opere depictum in eadem Ecclesia, qui in leva introitus parte inter columnas magnas positus ingenti splendet decore, habentem libras sexaginta & duas, & dimidiam. Ipse quoque Beatissimus Pontifex fecit in Oratorio Beati Andreæ Apostoli, quod Sancti Petri cohæret Ecclesiæ, vestem sericam unam, habentem historiam aquilarum, & in medio tabulam cum chrysoclavo, in qua depictæ Christi, & Discipulorum ejus dextra, levaque imagines fulgent, & ipsius almifici Præsulis. Ac similem post totius operis perfectionem, & ornamentis decoris in Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum vestem fecit de eodem serico, cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam, seu miraculum, quod Dominus Christus de quinque panum, & piscium alimentis duorum quinque millia hominum abundanter satians est operatus.

Inter hæc vero, quæ superius scripta sunt, cœpit crebro nominatus Sanctissimus Præsul de singulis Ecclesiarum Rectoribus, videlicet Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, atque omni Christianorum militia curam, sollicitudinemque habere præcipuam. Volens itaque, sicuti & factum est, ex priscis auctoritatibus novam Christo juvante normam præponere, qualiter unusquisque eorum vitam castam, & sobriam duceret, & Deo, cui semper inreprehensibiliter famulatum debemus impendere, in omnibus complaceret, tunc demum Sancti ejus Spiritus gratia revelante una cum consilio serenissimorum Lotharii, ac Ludovici Imperatorum anno Imperii eorum quinto & trigesimo (99) atque Pontificatus jam dicti Præsulis septimo, mense Decembris die octava, Indictione secunda Sanctam, ac venerandam in Ecclesia Beati Petri Apostoli synodum congregavit. In qua tam ipse Catholicus, & Apostolicus vir, quamque & alii cum eo sexaginta & septem Episcopi resederunt. Ex quibus quatuor Episcopi ab Imperatoribus destinati, Joseph Eporegiensis, Nottingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, & alius Petrus Aretinus. Inter quos etiam Paulus Diaconus Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ residens vicem tenens Joannis Archiepiscopi sui absque Presbyteris, & Diaconibus, & Clero Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Et tunc coram omnibus quadraginta & duo capitula, quæ profecto ad salutem, & lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per Diacones Sanctæ, & universalis Ecclesiæ Sedis legi præcepit. Quæ etiam capitula ut in futurum ab omnibus illibata serventur, post cætera decreta Pontificum in Sanctis Canonibus jussit adscribi. Quatenus omnes Episcopi hujus auctoritatis exemplum ante ocu-

(94) D. jam dictæ Ecclesiæ esse &c.
(95) D. fecit canthara de argento I. catenulis &c.
(96) D. vela de fundato III.
(97) D. libras XIII.
(98) D. de prassino III.
(99) D. anno siquidem Imperii eorum quinto, & XLIII.

Digitized by Google

oculos habeant, & suos possint melius instruere, & erudire subjectos. In hac denique post cætera synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli Beati Marcelli ab omnibus canonice est depositus, eo quod parrochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, & in aliena usque hodie demoratur. Qui cum neque ad duo pro eo congregata concilia venire vellet, neque per Apostolicas epistolas, neque per tres vocatus Episcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium, & Joannem, ideo merito uno consensu, secundum quod de talibus sacris continetur Canonibus eum Sancta Synodus deposuit, & sacerdotali honore privavit anno, mense, die, & indictione superius adnotata.

Post præcipuam vero hujus Concilii diffinitionem Beatissimus ejusdem Præsulis animus, cœlestis semper amoris igne accensus ad restauranda Ecclesiarum Dei cunctorum ornamenta vasorum, studium rursus cœpit ingens habere. Nam & in Ecclesia Beati Petri Regni Cœlorum Clavigeri fecit lucernam ex argento purissimo unam bimixam, pens. libras sexdecim. Necnon & in Monasterio Sancti Martini, quod ipsius Apostolorum Principis Ecclesiæ cohæret, fecit aliam lucernam ex argento fusilem, ac bimixam, pens. libras viginti & septem, & dimidiam. Similiter & in Monasterio Sanctorum Joannis & Pauli fecit aliam lucernam argenteam similiter supradictis, pens. libras viginti duas & dimidiam. Quæ Dominicis, vel festis diebus juxta lectorium consistentibus ad legendum sacras lectiones magno luminis splendore lucescat. Isdem vero Sanctissimus Papa fecit regulas de argento fusiles, cum cancellis in ingressu presbyterii, & ante confessionem Beati Petri Apostoli amatoris sui, quæ pulchro lucentes decore hominum præbent mentibus admirationem: quarum duæ pens. libras sexcentum quadraginta & duas. Aliæ vero duæ libras quingentas & octuaginta. Et in Ecclesia Sancti Vincentii, quæ ponitur in Frascata obtulit vestem de fundato unam. Sed quia, ut sæpe diximus, hujus serenissimi Præsulis animus maxime Beatissimi Præsulis Apostoli Petri Apostolorum Principis repletus amore, ipsius summæ Ecclesiæ, cujus divina dispensante potentia thronum regebat, multa desiderabat semper ornamenta perficere. Fecit super ejus Sanctum Altare vestem de chrysoclavo, habentem historiam in medio Salvatoris inter angelicos vultus fulgentes, Petroque Apostolo claves Regni Cœlorum tradentis, & in dextra, levaque gloriosam Petri & Pauli passionem fulgentem. Inter quos ipse Præsul civitatem, quam fieri jusserat, Petro interveniente offert depictam, & crucem auro, gemmisque nitentem, & in circuitu altaris, & desuper, habentem pannos desuper sericos pretiosa aquilarum historia textos, quorum duo aurati cernuntur.

Obtulit autem, ubi supra, vela quatuor cum chrysoclavo, in quibus ipse Præsul depictus imagini Salvatoris, inter angelicos vultus fulgentis civitatem, quam funditus paraverat, offerr. Igitur quia jam pleniter ea, quæ Beati Petri Ecclesiæ prædictus Pontifex obtulit ornamenta, breviter licet, descripsimus. Nunc ea, quæ in Ecclesia Beatissimi Pauli Apostoli Doctoris Gentium post impiam Agarenorum devastationem est operatus, ob æternam memoriam summatim innotescere studemus. Fecit autem super ejus sacratissimum corpus cyborium miræ pulchritudinis, ingenti argenti pondere cum columnis argenteis comptum, pensan. libras noningentas quadraginta & sex. Sed cum benigna ipsius Pontificis mens ante, & post generalia omnium Ecclesiarum, diversa ornamenta, quæ ingenti desiderio præbebat, Beato Petro semper aliquid optimum, & pretiosius offerre curabat, obtulit ei tres oleas masoricas admirabilis pulchritudinis serico textas, colore que depictas, quæ videlicet festis diebus in circuitu altaris majoris dependerent. Fecit autem & in Ecclesia Sancti Marciani, quæ sita est in Domucella, quæ vocatur Balnearola, vestem de fundato unam, & vela spanisca duo. Simili modo & in Ecclesia Beati Laurentii Martyris Christi, atque Levitæ, obtulit vela de fundato, quæ pendent in arcubus infra columnellas majores, numero viginti quatuor. Fecit etiam in Ecclesia Beati Clementis Martyris, atque Pontificis aquæmanile de argento par unum, habens in se sculptum similitudinem capitis hominis cum vite, & alia historia, pensan. libras tres. Item obtulit ipse quidem Beatissimus, & almificus Præsul in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in Æmilia, (100) quæ via Aurelia nuncupatur, vestem de fundato unam. Similiter & in Ecclesia Sancti Stephani, ubi supra, obtulit aliam vestem de fundato unam. Idem vero præclarus, & almificus Præsul superna protectus dextra, (*) usque in Dei semper servitio sincero perseverans animo, post multas bonas actiones, Beati Silvestri & Martini Ecclesiam, quam Domnus Sergius Prædecessor ejus noviter ab imis ædificaverat, multis quidem, (101) pulchrisque decoravit, ac depinxit coloribus: cujus etiam pulchritudo magnam usque hodie humanis oculis admirationem præstat. Nam & ejusdem venerabile, sacrumque altare ex argento investivit, ac decoravit purissimo, pensan. libras centum & sexdecim.

Quamobrem post pulchra, ac laudabilia diversarum Ecclesiarum Dei opuscula, quæ Præsul magnificus tota animi devotione peregit, ne Christianus populus amplius in Centumcellensi castro ab hostibus deperiret, sicuti sæpe fieri solebat: nam per quadraginta annos muris diruta, & habitatore proprio destituta manebat, moreque bestiarum relictis sedibus propriis ob timorem Saracenorum, ut usque jam factum fuerat, per opaca silvarum, montesque incognitos sua domicilia populus, qui relictus ab eis fuerat dedicavit: in quibus etiam præ timore inimicorum diebus, ac noctibus nec soporem oculis, nec ullam juxta humanam consuetudinem quietem vel modicam habere poterat. (102) Cumque tam pius, & laudabilis Præsul de illorum gravamine, atque intolerabili nimium angustia ultra modum, & plusquam credi potest, quotidie condoleret; multis cum lachrymis, infinitisque orationibus Dominum rerum omnium conditorem deprecabatur assidue, ut ei dono gratiæ suæ dignaretur ostendere, quo in loco pro salute, & liberatione crebro dicti Christiani populi Centumcellensis civitas mutari potuisset. Ad quam ipse profectus, loca, quæ ei affinitate erant conjuncta diligenti cura, ac studio pervidit atque conspexit. Sed, ubi locus videbatur idoneus ad urbem ædificandam, aquæ gestabant penuriam, quæ hominibus semper satis est necessaria.

Pera-

(100) D. Mariæ in Avulia, quæ &c.
(*) D. dextra dedit usque &c.
(101) D. ædificaverat muris quidem &c.
(102) D. habere manebat.

Digitized by Google

Peragratis igitur omnibus, ut prædiximus, locis pervenit tandem divina favente misericordia ad locum optimum, valdeque munitum, super quo suus maxime est animus dilatatus, quia & aquarum copiam ad populum confortandum, & cæteras utilitates humanas, aquimolasque molentes pleniter subministrabat. Tamen quo modo, vel ordine hoc divina ostenderit clementia, dignum est, ut ad memoriam, & laudem venerandi Pontificis omnis populus credat veraciter, & cognoscat, quod divino consilio, & consultu opus diu exquisitum effectum est. Nocte denique quadam, dum lectulo proprio juxta morem præclarus jaceret Antistes, & de divinis, ut solet, opusculis cogitaret, ad prævisum, & ordinatum jam locum, qui duodecimo à Centumcellensi urbe milliario distat, in somnis perductus est, & singula loca cuidam Petro magistro militum, quasi per corporalem præsentiam in ipsa revelatione per ordinem demonstravit, ubi Ecclesias, & ubi portas ex Pontificali adjutorio fundare, & construere debuisset. Et quia præ loci angustia non ibidem nisi duæ portæ construendæ erant, in ipsa arcana revelatione digitis propriis adnotavit. Mane autem facto pro somnio, quod viderat, magna cœpit habere certamina, & prænominatum Petrum ad suam illico jussit venire præsentiam, cui quicquid in somnis viderat, retulit; multosque ei in argento mancosos præbuit, ut conducto populo Centumcellensis urbis, (103) cum eis urbem festinantius perficere debuisset. Ac Deo quidem auspice ita nunc (104) omnia ædificata nitescunt, sicut in somno Papa laudabilis manu propria designavit. Cui ex nomine proprio Leopolim nomen imposuit. Ad quam, postquam ædificari cœperat, ad videndum, & considerandum fabricam cum suorum fidelium multitudine amanter accessit. (105) Visis denique portis, & Ecclesiis, in ipsis specialiter locis, sicut monstraverat, & suum Christo protegente desiderium adimpletum, omnipotenti Domino gratias retulit infinitas, qui ei talem ostendere locum dignatus est, in quo & populus salvus existeret, & ad abundantiam inibi ministraret (106) etiam lapides, & arenam, quatenus sine labore operariorum noviter constructa fabrica augmentum percipere potuisset.

Gavisus ex his omnibus urbem Leopolim sæpedictus Pontifex lætaniis, & orationibus pedibus propriis circuivit, tribusque orationibus in modum Trinitatis perpetualiter consecravit; missarum, ut sollicitus erat, officium rite persolvens, & aquam benedictam per muros jactari præcipiens. Et non modicam manibus propriis præ amoris magnitudine universo populo rogam distribuit: commendansque Omnipotenti Domino populum, & civitatem divinitus demonstratam, ne unquam ab hostibus capiatur, vel invadatur. His omnibus perpetratis ad sedem suam cum ingenti lætitia, & alacritate, (107) Christo auxiliante, dieque superaddito decimoquinto, omnis murorum ambitus completus, atque perfectus est, anno Præsulatus sui octavo, Indictione secunda.

Sed & in Ecclesiis, quas ibidem fecit, multa dona obtulit. In Ecclesia videlicet Sancti Petri gabathas ex argento fusiles majores, minoresque septem, pensan. pariter libras sexdecim, & unciam unam. Cantharam (108) exauratam unam, baucas exauratas tres. Fibulatoria majora, & minora (109) quinque. Crucem ex argento deauratam unam, cum gemma una. Item aliam crucem de auro unam, habentem in medio monocossim. Et aliam crucem ex argento, numeratim habentem gemmas quadraginta. Thuribulum aureum exauratum unum, dextram saxiscam unam, coronas aureas duodecim, gabatham unam, & struthiocamelorum ova duo. Atque fecit in eadem Ecclesia jam dictæ civitatis vestes sericas duas: ex quibus unam habet in medio tabulam de chrysoclavo; & alia habet in medio crucem, & orbiculos quatuor cum gammadiis; & vela de fundato decem & octo. Crucifixum ex argento purissimo, pens. libras 7. Necnon & in Ecclesia Sancti Leonis, ubi supra, obtulit patenam exauratam unam, calicem de argento unum, vestes duas, unam quidem de fundato, ornatam in circuitu de olovero, habentem in medio rotam de chrysoclavo, & gammadias, & alia de spanisco. Similiter & codices catholicos numero septem: Historiarum Salomonem, antiphonarium, psalterium, & Sacramentorum, gestorum, & sermones, sed & Evangelium cum tabulis argenteis: atque Sacratissimum Dei altare, quod supra Sanctissimum Beati Petri Apostoli corpus consistit argenteis deauratis, quæ in dextra, & leva ipsius Apostolorum Principis habet miracula, perornavit laminis, quæ ingenti splendore nunc ut cœli astra coruscant, pensan. vero simul libras octuaginta quatuor, & uncias quinque.

Atque post tam immensæ operationis insignia, factaque divina, Dei æterni clementia inspirante, quæ per diversa loca ob salutem Christianorum, ipse Sanctissimus Papa est operatus, Ecclesiam (110), quæ Domini voce supra firmam Petram fundata consistit, & de Beati Petri Apostolorum Principis nomine Sancto gloriosa coruscat, preciosissimo omnium metallorum ornatu præ nimio patriæ cœlestis amore quotidie ornare procurans, ibidem quoque lectorium argenteum inclyta operatione celatum, & super quatuor pedes consistens perfecit. In cujus videlicet summitate leonis caput refulget, pensan. libras triginta unam, & uncias undecim. Necnon & cerostata quatuor (111), quæ à longo tempore Summorum Pontificum in medio Presbyterii festis erigebantur diebus. Atque hæc sagaci arbitrio de argento purissimo investivit, atque ut in perpetuum ibidem erecta essent, constituit, quod nullus Prædecessorum ejus facere cogitavit, habentia simul libras quinquaginta & quinque. Ubi supra, fecit & cerostata de argento majora, par unum, pensan. libras quadraginta octo, & uncias decem, in quibus sedent lucernæ bimixtæ (112) de argento purissimo lucentes juxta altare majus, pensan. (*) simul quadraginta & novem. Necnon & alia cerostata deargentata septem, pensan. libras

(103) D. ut conducto populo cum eo ad vicem Centumcellensis urbis festinantius &c.
(104) D. ita nutu omnia &c.
(105) D. multitudine ovanter accessit.
(106) D. existeret ea, quæ abundantiam ministraret, etiam lapides, & arenam inibi tribuere quatenus &c.
(107) D. & alacritate reversus est. Octavo scilicet mense, Christo &c.
(108) D. Canistram exauratam &c.
(109) D. & minora *non habet*.
(110) D. operatus Sanctam Romanam Ecclesiam, quæ &c.
(111) Nec non & cerea IV. ligneaque à lungo &c.
(112) D. lucernæ viximæ de argento &c.
(*) D. pensan. libras simul &c.

Digitized by Google

libras vigintiquinque, & uncias tres. Pari modo & alia septem tetra fecit cerostata ferrea desuper de argento, pensan. libras unam & viginti, & uncias tres. Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextra, levaque tabulas gemmatas, habentem cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius Præsulis est nomen descriptum.

Jam & Monasterium Sancti Martini, quod longo senio erat casurum, miris domorum ædificiis restauravit, & ad honorem meliorem, quam prius fuerat, funditus decoravit. In quo & vestem albam rosatam cum rosis obtulit, & Salvatorem, cum Apostolis, & Virginem legentem nomen Domni Leonis quarti. Item vela quinque alba rosata, & unum quidem habens gammadias tredecim, & amigdala de argento exaurata tria. In Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum fecit vestem de fundato unam. Præterea idem Summus, & Orthodoxus Pontifex divina inspiratione pulsatus fecit in Basilica Beati Petri Apostolorum Principis calices ex argento purissimo, qui pendent super arcum principalem, necnon & infra columnas majores dextra, levaque numero octuaginta tres, habentes insimul libras quadringentas quadraginta & unam. Id ipsum vero ante sacri altaris vestibulum miræ pulchritudinis fecit trabem, quam post diræ gentis nefandam deprædationem ex argento decoravit purissimo, in qua Sacræ, ac Dei venerabiles sedent imagines, quæ pens. libras sexaginta. Obtulit quoque in Ecclesia Beati Petri Apostoli, quæ ponitur in civitate Leopoli, thuribulum de argento exaurato unum. Pari modo & in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ sita est in Vico Sardorum, gabathas cum canistro de argento exauratas, pensan. libras . . . . . . Similiter & in venerabili Monasterio Hierusalem, quod juxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli ponitur, fecit vestem de fundato cum orbiculis, in circuitu ornatam cum lista, de chrysoclavo (113), cum velis ex imizino duobus, & de fundato tribus. Ipse vero à Deo protectus, venerabilis, & præclarus Pontifex fecit propitiatorium sacri altaris Beati Petri Apostolorum Principis, ubi Sacratissimum Corpus ejus quiescit, spanoclistum, habens quidem argenti libras septuaginta & duas, auri vero octuaginta.

Hujus vero temporibus quidam Daniel magister militum, (114) iniquitatis, ac stultitiæ mole cœcatus, ad Serenissima Domni Ludovici Imperatoris (115) vestigia properavit, eique multa falsa, & inutilia verba, quæ credi nullo modo possunt, super Gratianum Eminentissimum Magistrum militum, & Romani palatii egregium Superistam, ac Consiliarium, dicere non dubitavit. Nam instanter eum accusabat ob falsitatis invidiam, dicens Imperatori: Gratianus Romanæ urbis Superista, quem erga vos fidelem esse creditis, mihi soli in domo sua, nimium super Francos murmurans dixit secrete: Quia Franci nihil nobis boni faciunt, neque adjutorium præbent; sed magis quæ nostra sunt, violenter tollunt. Quare non advocamus Græcos, & cum eis fœdus pacis componentes, Francorum Regem, & gentem de nostro regno, & dominatione expellimus? Quo audito mox prædictus Imperator immenso furore accensus, sine litteris etiam ad Romanorum directis Pontificem, & Senatum, Romam venire velociter procuravit. Quem tamen venientem Domnus Leo Papa honorifice, sicut mos est, super gradus majores Beati Petri Apostoli residens suscepit, & mellifluis prædicationis verbis placare cœpit.

Quadam vero die ipse Imperator cum Sanctissimo Leone Pontifice, omnibus Romanis Proceribus, pariter & optimis Francis in domo, quam beatæ memoriæ Leo tertius Papa juxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli fecerat, sedentibus, de prædicta accusatione placitum habuit. Tunc Daniel iniqua fronte armatus, falsaque cogitatione imbutus, dixit coram omnibus: Iste Gratianus habuit mecum consilium, hanc Romanam terram de vestra tollere potestate, & Græcis tradere illam. Cui statim non solum Gratianus, verum etiam omnes Romani coram Imperatore dixerunt: Mentiris, nullo modo est verum, quod dicis. Cognoscens autem Imperator, & omnis Romanorum, Francorumque nobilitas, prædictum Danielem tale crimen per falsitatem, & invidiam contra Gratianum dixisse, illico Clementissimus Imperator, nolens contra instituta veterum Augustorum peragere Romanorum, eos secundum Romanam legem instituit judicare. Quo judicio ipse Daniel multorum verbis reprehensus ore proprio manifestavit, se falsum super eum dixisse. Ideo jam dicto Gratiano ante omnes est traditus, ut quicquid de eo facere vellet, potestatem haberet. Sed cum jam traditum Danielem Imperator à Gratiano multa, & humili supplicatione petivisset, Gratianus assensit: quem ille statim plenaria sibi reddita gratia libenter suscepit, & sic de mortis est periculo liberatus. His vero peractis Imperator abiit, & Sanctissimus Domnus Leo quartus Papa non post multos dies obdormivit in Domino 16. calendas Augusti, sepultus vero est in Ecclesia Beati Petri Apostoli. Fecit autem ordinationes duas, unam in mense Decembrio, & aliam per mensem Martium, Presbyteros decem & novem, Diaconos octo, Episcopos per diversa loca numero sexaginta & tres. (116)

Hic

(113) D. de crysoclavo, & mela mizinæ II., & de fundato III.

(114) ☞ militum B., & C. *non legunt*.

(115) B., & C. cœcatus ad Serenissimum Ludovicum Imperatorem ire festinavit, eique multa inutilia verba super Gratianum Eminentissimum Magistrum Militum nunciavit, eo quòd divisionem ipse facere deberet inter Regnum, & Sacerdotium, Imperiumque mutare deberet Constantinopolim. Imperator itaque audita hac causa festinus Romam pervenit. Audito igitur Domnus Præsul adventu Regis mirari cœpit, eumque apud B. Petrum recepit, & causam insimul præfatam tractare cœperunt, sed penitus falsam invenerunt. Ipse autem, qui Franciam ivit causa accusandi traditus fuit Gratiani potestati. His verò peractis, *& cætera, quæ infra circa finem hujus vitæ habebis*.

(116) B., & C. *post verba* numero sexagintatres *hæc addunt*, & cessavit Episcopatus menses II. diebus XV.

Hic à quibusdam falso interjicitur Joannes VIII. femina. (†)

CVI. BENEDICTUS III.

ANNO CHRISTI 855.

LOTHARII IMP. 16. MICH. 3. 14.

Benedictus III. (1), natione Romanus, ex patre Petro, sedit annos duos, menses sex, dies (2) decem. Beatus vir iste dilectissimis visceribus editus, sydereo pollens rore, crescensque celerius divinorum studio apicum patris ad erudiendum (3) arbitrio traditur. Qui veluti spongia citissime lympham capit, sacrorum ita voluminum didicit lectiones, rudimentaque cognovit, accepit, mentisque suæ fundatione posuit, & invisibilibus radicibus propagavit. Celeberrima quidem cum de eo fama pervulgaretur, in Lateranense Patriarchium perducitur, cleroque locatur. Erat autem sapiens verbo, doctrina præclarus, sobrius conversatione, loquela pacificus, cunctis compatiens, omnibusque obediens, denique benignissimus. Cum eum intueretur Papa Gregorius almificus peritum doctrinis, atque proficuum, in sancta illum constituit Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum; in quo ordine plura sacræ conversationis certamina habuit, nam carnem vicit, ac mundi Principem, & omnia ejus argumenta nequissima. Obiit deinde Gregorius Præsul, migravitque ad Dominum. Sergius autem gubernacula Romanæ suscepit Antistes Ecclesiæ, eoque defuncto Apostolicam Leo Papa Sedem suscepit. Oppido, qui illum pro felicissimis actibus diligens superno compunctus nutu cælesti cum titulo ingenti Presbyterum consecravit honore. Cujus beatitudo in tantum longe, lateque refulsit, atque præfloruit, ut omnibus beatissimus dictis, & opere diceretur. (4) Evidenter autem in eo divina permanere sapientia cognoscebatur, quia largifluis, purisque ejus omnes fovebat affectibus, & luce clarius perornabat, caducique, ac transituri mundi delectabilia respuebat, & quicquid utebatur egenis, atque pauperibus erogabat. Jejuniis vero validus, oratione assiduus persistebat pervigilque in Dei quotidie laudibus commorabatur.

Leo quidem ubi hac luce subtractus Præsul occubuit, mox omnis Clerus istius Romanæ (5) protectæ Sedis, universique Proceres, cunctusque Senatus, ac populus congregati sunt Domini clementiam exorantes, ut beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur Pastorem, qui culmen Apostolatus regere valuisset tranquille: Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno consensu, unoque eum conamine Benedictum pro tantis quibus pollebat sacris operibus Pontificem promulgaverunt eligere. Illico vero alacri universa studio plebs, & populi cœtus (6) cœlesti titulo properantes, Deo illum omnipotenti, ut solitus fuerat, invenerunt fundentem orationem. Surgens autem, & populi densissima cernens agmina (7) rem cognovit, & mente concepit. Interea multis cum lacrimis genua flectens flebili voce omnes deprecabatur, taliter dicens: Non me à mea deducatis Ecclesia rogo, quia tanti culminis non sufficio sustinere, nec bajulare gravamen.

Illi vero nullatenus acquieverunt, sed virtutibus eum ex eodem titulo abstrahentes cum hymnis, & canticis spiritalibus ampla exultatione, & ineffabili gaudio in Patriarchium Lateranense perducentes Pontificali solio, ut mos est Pontificum, canaque consuetudo demonstrat, posuerunt. (8) Lætatur propterea Urbs, exultat Ecclesia, congaudent senes, ovantesque divinas modulantur virgines laudes, ditantur pauperes, locupletantur inopes, consolantur captivi, consurgunt debiles, infirmi sanantur, celerique pede concurrunt, quia extensa in eis tristitia fuerat, contemplabantur confusa, & tranquillitas florigera videbatur erecta. His itaque peractis Clerus, & cuncti Proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt,

(†) *In recentioribus MSS. Codicibus signatis* B., & C. *quos hactenus adhibuimus ad emendandas Romanorum Pontificum Vitas sub Anastasii nomine editas post Leonem IV. ponitur Johannes Anglicus, qui fœmina fuisse dicitur, ac supra duos annos Romanæ Ecclesiæ regimini præfuisse. Decantatam hanc fabellam Latinis omnibus, Græcisque Scriptoribus usque ad sæculi XIII. finem, aut subsequentis initium incognitam, invictis adeò argumentis explosam fuisse non tam à Catholicis calamis, sed ab ipsis etiam Heterodoxis Eruditus quilibet novit, ut inanis propemodum gloriæ tentamentum foret denuo contra ipsam armari. Quod hic addendum non incongruè putamus, id est labem illam, quæ priùs Mariano Scoto ab aliquibus impacta fuerat (immerito tamen, ut ex Ptolomæo Lucensi dilucidè colligi potest,) ac deinde in Martinum Polonum rejecta, eum videlicet putidi hujus Commenti auctorem extitisse, etiam ab hoc ultimo omnino depellendam esse. Inventum enim hoc fuisse posteriorum ætatum ejusdem Chronicis assutum, & benignè exceptum à sequioris ævi Scriptoribus illis, qui more pecudum aliena sequuntur vestigia, & ab impuris fontibus fæces omnes ebibunt, abundè probant vetusta exemplaria Vaticanæ, Cæsareæ, Colbertinæ, aliarumque Bibliothecarum, in quibus genuina Martini Poloni historia legitur, nullum prorsus de Johanna Papissa verbum referens, quibus nos adjungimus altera duo Bibliothecæ Ambrosianæ in pergamena, perantiquo charactere descripta, primum sub litera A. num. 185., secundum sub lit. H. num. 30. in fol., quæ statim Leoni IV. Benedictum III. successisse narrant, nulla de fœdo hoc mendacio, posterius enato, mentione injecta.*

D. *in margine sic habet adnotatum*

Benedictus III. successit Leoni II. ad annum Domini DCCCLV. nullo alio Pontifice intercedente, ut hinc appareat egregium figmentum, ac impudens mendacium de quadam fœmina Pontificatum Romanum post Leonem IV. invadente, & nomen Johannis VIII. præferente, cujus neque vetustus hic liber, neque nobiles Scriptores superioribus sæculis meminere.

BENEDICTUS.

(1) τὸ III. B., & C. *non legunt*.
(2) B., & C. dies novem.
(3) B., & C. erudiendum studio, & arbitrio traditur. Gregorius almificus Præsul hunc videns moribus ornatum Subdiaconum hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fecit. Cujus Beatitudo &c. *ut infra*.
(4) B., & C. *Verba* evidenter autem &c. *usque ad illa* Leo quidem &c. *ut infra non habent*.
(5) B., & C. Mox enim omnis Clerus istius à Deo protectæ Romanæ Sedis, universi proceres, cunctusque populus, ac Senatus &c.
(6) B., & C. & populi cœtus in Calixti titulum properantes &c.
D. cœtus Calixti titulo &c.
(7) D. agmina recognovit &c.
(8) B., & C. *Verba* Lætatur propterea Urbs &c. *usque ad illa* Qui cum omni alacritate &c. *ut infra non legunt*.

Digitized by Google

runt, & consuetudo prisca ut poscit, invictissimis Lothario, ac Ludovico destinaverunt Augustis. Ipsum autem, qui deducebant legati decretum, fuerunt hi: Nicolaus videlicet, Anagninæ Antistes Ecclesiæ, & Mercurius magister militum, Arsenio (9) Eugubino Episcopo obviantes ad invicem confabulari cœperunt: qui callidis eos sermonibus liniens corda eorum mollire cœpit, beatique fidelitatem jam fati declinaverunt electi, cum quibus etiam consilium studuit confirmare, ut depositum, anathematizatumque Anastasium, quod divina nullatenus permittebat clementia, Pontificatus infula perornarent. Euntes itaque Hludowico decretum benignissimo Cæsari dantes duplici, quam mentibus gerebant, intentione Romam reversi sunt, adventumque missorum nunciantes Imperialium epistolas eidem insigni obtulerunt electo, quibus Augusti continebantur responsa. Qui omni Clero, ac Reipubl. cœtibus diris machinationibus, consilium, quod Eugubii, ut prætulimus, cum Arsenio statuerunt, adimplere cupientes dicebant. Omnes in obviam Imperialibus simul nobiscum exire studete legatis, quatenus Augusti jussionibus obedientes existere valeatis.

Post aliquot quoque dies ipsi, quos prænunciaverunt, missi Hortam, quæ quadragesimo milliario à Roma distat, properaverunt. Ex quibus in eam Adelbertus, Bernardusque ingressi Comites cuidam olim damnato, Arsenio cogente Episcopo, se conjunxerunt Presbytero nomine Anastasio, qui in Sancta Synodo beatæ præsidente Leone memoriæ Præsule rite secundum sacrorum promulgationes canonum excommunicatus, depositus, & anathemate vinctus fuerat: non habentes Deum præ oculis, ipsiusque præcepta confundere, ut tyranni, cupientes evidenter meditabantur, qualiter eundem ejectum, anathematizatumque Anastasium Apostolico culmine sublevarent contra traditionem, omniumque sanctiones Pontificum, virorumque almorum. Missi quoque, quos jam supra meminimus, qui Imperatori nostrum decretum benignissimi de electione Benedicti porrexerant, idest, Nicolaus Episcopus, & Mercurius Magister militum mentibus cognitum conceptum habentes consilium cum aliis quibusdam Romam egressi nobilium, idest, Gregorio, Christophoroque Magistris militum, obviam quasi Imperatoris legatis profecti sunt, Hortamque properantibus urbem fidelitatis sacramentum, quod fecerant almifico Benedicto parvi pendentes, obliviscentesque electo damnato se conjunxerunt, depositoque Presbytero hac sub occasione multi concedentes ab urbe similiter peregerunt, cogitantes consilium, juxta illud Prophetæ elogium, quod non potuerunt stabilire. Urbe deinde exeuntes ab Horta juxta Basilicam Beati Leucii Martyris pervenerunt, insultantes, & gloriantes in sua virtute, cum quibus Radualdus Portuensis Episcopus, Tudertinæque urbis Agatho Antistes aderant, qui clam Roma discesserant urbe. Et eidem anathematizato tetra irretiti caligine se junxerant, obscurati sensu, mente, & anima.

Hoc ipse Dei famulus audiens Benedictus electus, G. G. Majonemque venerabiles, prudentesque, & omni scientia plenos Episcopos ipsis Imperialibus missis cum aliquibus litteris studuit destinare, quos apprehendentes Artio anathematizato monente Presbytero vinxerunt, & custodibus tradiderunt, quod nec barbari gentiles (10) in legatis perfecisse audiuntur. Postmodum autem sæpius dictus Christi minister Benedictus electus Hadrianum insignem secundicerium Sanctæ Sedis Apostolicæ illis, atque Gregorium Ducem obviam direxit.

Altera autem die, missione fungentes, omni Clero, cunctoque Senatui, & universo populo mandaverunt, ut obviam illis trans Milvium pontem, Imperatoris jussionibus, irent. Tunc omnes dolum nescientes Romani, neque fallaciam, adquieverunt, Milviumque trans pontem Urbem egressi unanimiter perrexerunt. Properantibus quidem ad Martyris jam fati Basilicam, ipsi de quibus jam supra legati meminimus, eidem deposito, anathematizatoque Presbytero Episcopo Clerus Romanæ plebis, ac Proceres obviaverunt, cum quibus pariter equitantes per Neronis campum Urbium jam mœniis properabant. Hadrianum quoque insignem secundicerium, de quo supra retulimus, vallatum custodibus deducebant. Gratianum vero sacri superistam Patriarchii, atque Theodorum scriniarium adprehendentes reclusos lanceis retinebant, & astrictos, quod nullatenus Augustorum jussione præceperant, nec eorum voluntate dictaverant, sed hoc infœlix depositi præsumptio agebat Presbyteri, qui virtutibus Leonianam cum ipsis Cæsaris legatis ingrediens Urbem Apostolorum repente, quam non debuerat, Principis introire Basilica, Dei parvipendens judicium, audacter invasit, tantaque, ac talia infaustæ operationis mala peregit, qualia nec Saracena in ea perficere manus præsumpsit, vel arbitrata est. Imagines enim confregit, ignique concremavit, & Synodum, quam supra sanctuarii januas Beatæ memoriæ Leo pingi Papa jusserat, destruxit, Dominique Jesu Christi, ejusque semper Virginis Genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei lacrymas fundentes ingemiscebant, & tristitia replebantur, ac mœrore.

His itaque peractis hostili virtute ipse Rom. depositus ingreditur Presbyter, celeriterque ad Lateranense properavit cum iniquissimis ejus sequacibus, & sæculari potentia Patriarchium, multisque telorum generibus januas ejus aperiens tyrannus veluti cruentus eas introivit, solioque, quod nec manibus debuerat contrectare, resedit, & cuidam Balneoregiensi Episcopo, qui vocitabatur nomine Romanus, tantum cum non opere ferinis obumbratus mentibus cerneretur, præcepit ut Beatissimum Benedictum, quem omnis Romana, ut prætulimus, plebs elegerat, Pontificali, quo residebat, ejiceret solio. Qui etiam vestimenta Pontificalia, quibus indutus erat, ut barbarus, tulit, atque expoliavit, multisque eum injuriis, verberibusque replevit. Tunc ipse depositus Anastasius eundem benignissimum Benedictum electum, humana, non Dei virtute custodibus, qui arctius (11) eum constringerent, tradere studuit, Joanni scilicet, Hadrianoque dudum Presbyteris, qui à Leone Præsule pro illorum criminibus damnati fuerant, atque depositi ex omni sacerdotali officio. Mox universa Urbs ululatu, amplisque repleta est fletibus, & gravi murmure quas-

(9) D. Arsenio, Eugubio, obviantes Episcopum &c.

(10) D. quod Barbari, nec Gentiles in Legatis, vel nationes perficere audiuntur.

(11) D. custodibus arcibus, qui eum &c.

Digitized by Google

quassata jacebat. Illico quidem omnes Episcopi, Clerusque, ac Dei populus Sancta Sanctorum ingressi tundentes pectora sua profusis lacrymis intra vestibulum, & altare solo prostrati jacebant, Dei orantes majestatem, ut tanti erroris caligine sua eos victrice dextra liberaret. Septimæ tum feriæ cursus peragebatur.

Altera vero die prædicti Episcopi cum universo Clero, ac populo in Æmilianæ titulo convenerunt, in quo etiam Augusti sæpius dicti legati frementes, magnaque tumentes superbia pervenerunt, & impetu facto absidam, in qua Episcopi psallentes residebant cum Clero, leones veluti ferocissimi conscenderunt, erectisque jaculis eos conabantur elidere, ensibusque punire, dicentes: Adquiescite, & vestro consensu Pontificali Anastasius culmini subrogetur. Illi vero Sancto repleti Spiritu adfirmabant, dicentes: Nunquam in depositum, & anathemate à Sancto Præsule, beataque Synodo vinctum (12) consentimus, sed modis omnibus abjicimus, & à Dei cœtibus segregamus. Ipsi denique furibundi verberibus eos, tormentisque dicebant se velle eos punire, sed Beatissimus Deique omnipotentis Antistes, & qui cum ipsis aderant terrores, vel minas eorum parvipendentes immobiles perstiterunt. Quorum constantiam jam dicti Franci cernentes ab eis ira discesserunt repleti, & in quoddam cubiculum ipsius Basilicæ sunt ingressi, diversaque consilia meditabantur, in quod etiam Ostiæ, & Albani Antistites coactos introduxerunt, quos molliori sermone, blandisque reducere adulationibus decertabant, & postmodum asperis promissionibus circumdabant, quibus stridula etiam voce dicebant: Nullatenus vitam possidere potestis, sed capitali subjacebitis sanctioni, nisi consecrationis Anastasio gratiam dederitis. Illi autem ante se morti tradere proferebant, membratimque se laniari, quam deposito, anathemate damnato consecrationis tribuerent benedictionem. Arguebant autem eosdem missos, & universas demonstrabant sacræ responsionis scripturas, qualiter nullatenus eundem depositum in ordine, quem poscebat, constituere valuissent. Protinus vero secretius linguam eorum confabulantes furor, qui in eis exuberabat, minuit, mentibusque eorum videbatur expulsus.

Tertia vero feria lucescente omnes Episcopi, cum Clero, ac populo in Basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt. In qua omnis plebs, ac populi multitudo extensa voce clamavit: Benedictum Beatissimum Papam volumus, ipsumque desideramus: quod jam fati audientes Legati. mirabantur Videntes itaque, quia in Anastasium Christi unitas, almaque concordia nullo flectebatur ingenio, in quodam Patriarchii cubiculo Episcopos convocaverunt, atque alios Sacerdotes cum Clero: cum quibus amplum agitare studuerunt conflictum; sed tam probabilibus missorum audaciam superaverunt sermonibus, atque doctrinis, ita ut infausta illorum mentis cogitatio contemplaretur contrita, atque confusa. Hoc cernentes missi venerabilibus dixerunt Episcopis: Accipite vestrum electum, & in quam vultis Basilicam eum deducite. Et modo Anastasium, quem depositum dicitis, ab hoc Patriarchio ejicimus. Tresque per dies jejunium cum orationibus celebremus, & postmodum quicquid superna clementia demonstraverit, impleatur. Almifici vero Episcopi clamaverunt: Ejiciatur nostra præsentia invasor, atque depositus Anastasius, & ab hoc expellatur Patriarchio; & tunc facimus quod hortamini.

Illico prædictus Anastasius magna cum turpitudine de Patriarchio ejectus, atque expulsus est; ut omnes multimodas orthodoxæ cultores fidei Domino nostro Jesu Christo persolverent grates. Episcopi quidem, cum universo Clero, ac populo beatissimum accipientes Benedictum ejectum de Basilica, in qua Clerici commorantur, deduxerunt; quia ibidem custodibus à sævissimo fuerat Anastasio conlocatus. Qui cum omni alacritate, atque exultatione cum ipso in Basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, descenderunt. De qua exeuntes eum super equum ovantes, in quo Leo Præsul sedere consueverat, posuerunt. Quem etiam magna populi præcedente caterva in Basilicam Dei Genitricis, quæ ad Præsepe dicitur, deduxerunt: in qua jejuniis, & orationibus tribus diebus, noctibusque vacantes, summam Majestatem Domini multis cum lacrymis exorabant.

Expletoque jejunio, (13) omnes qui se anathematizato, depositoque conjunxerant, divino compuncti nutu, Deique inflammati favore in jam fatam Basilicam, in qua Beatissimus, ut prætulimus, Benedictus erat, (14) unanimes convenerunt, & procedentes vestigia ipsius osculari cœperunt; qui & dicebant: Erravimus, & lubrico à te pede discessimus; sed Pastor veluti sanctissimus ovium suscipe agmina per nemus errantia, fessosque sinu agniculos collige, tuisque nos obumbra sub alis. Protinus ipse à Deo protectus Benedictus extensis brachiis puris mentibus, cordeque benigno omnes (15) amplecti sitiebat, & osculis perornabat, quibus etiam dicebat: Gaudete, inquit, dilectissimi, & magis exultate, quia Ecclesiam, quæ scissa fuerat, Christus Dei Filius sua unire virtute dignatus est. Hæc dicens, & his similia prædicans, etiam ipsi Imperiales ibidem convenerunt legati, qui salubribus verbis, ac mollioribus cum eodem secretius electo confabulabantur. (16) Subito vero omnes Episcopi, universusque Clerus, atque innumera Romani populi multitudo ex eadem eum deducentes Basilica, cum hymnis, & canticis spiritalibus, in Patriarchium Lateranense introduxerunt, & in pontificali solio, de quo ejectus fuerat, posuerunt. Denique universa

(12) D. *pro* vinctum *legit* junctum.

(13) B., & C. Expleto verò jejunio omnes supercilio deposito sese conjunxerunt, & divino compuncti nutu, Deique inflammati fervore in jam fata Basilica, qua ut prætulimus Benedictus residebat electus, unanimes convenerunt, & quidam procidentes vestigia ipsius osculari &c.

(14) D. Benedictus residebat electus uni animæ convenerunt &c.

(15) B., & C. omnes amplectens osculabatur, quibus etiam dicebat &c.

(16) B. confabulabantur. Nam cùm esset electus factione Episcoporum Rhodoaldi Portuensis, & Arsenii Hortensis, actum est, ut à Legatis Imperatorum Ludovici & Lotharii Cardinales cogerentur multis injuriis, & comminationibus, & gladiorum superque evaginationibus Anastasium, quem quartus Leo deposuerat, sibi promovere Pontificem. Sed, Deo præstante, patientia, & unanimitate sua eosdem supervenerunt; subitò eum omnes Episcopi &c.

C. *legit ut in* B. *sed pro* supervenerunt *habet* superaverunt.

Digitized by Google

versa congratulabatur Ecclesia, & omnis populus amplis vocibus resultabat. Praeterea Dominico die diluculo in Basilicam Beati Petri (17) Apostoli, ab Episcopis, Clero, Proceribus deductus est, & in conspectu omnium, Imperialibus missis cernentibus, in Apostolica Sede, ut mos est, & antiqua traditio dictat, consecratus, ordinatusque est Pontifex. (18) Portuensis vero Episcopus prohibitus ab Ecclesia, ordinationem, quam debuerat, super eum nullatenus fecit, quod anathemate sese junxerat, ac in perjurii voraginem ceciderat, atque manebat.

(19) Post sacra autem tunc Missarum solemnia celebrata, in Patriarchii Lateranensis Pontifex ordinatus, reversus est Ecclesiam. Erat enim mitissimus, & omnibus sacris decoratus operibus, vultu pulcher, & mente clarus, dulcis verbo, doctrina benivolus. (20) Sed quia cuncta non sufficimus per ordinem enarrare, ad ea, quae diversis Sanctorum locis obtulit, extendere calamum studeamus. In primo quidem Pontificatus sui exordio superno exardescens amore in Basilica Salvatoris, quae Constantiniana dicitur, ipsius Redemptoris Domini nostri Jesu Christi mirae pulchritudinis ex argento purissimo, auroque perfusam fecit iconam, leonem, draconemque pedibus conculcantem, pensan. libras sexdecim, & semis. Et in Basilica Sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis Dominae nostrae, quae ad Praesepe nuncupatur, auream obtulit, pretiosissimamque coronam unam, pensan. libras quatuor: in qua vero Basilica baptisterium destructum multa per tempora manserat, celeri studio, futuram sperans à Domino retributionem, restauravit, & ad pristinum statum perduci procuravit. Ipse quoque insignis, & Beatissimus Papa in Basilica Beati Petri Apostoli ex argento mundissimo, auroque fusam cantharam interrasilem, in quam thus mittitur, obtulit: ubi etiam candelabra septem cum cornibus ex argento purissimo obtulit aureo nitentia colore.

Jam & in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli sepulcrum, quod à Saracenis destructum fuerat, perornavit, pensan. libras numero centum tres. Etiam in Basilica Beatae Dei Genitricis Trans Tyberim obtulit vestem unam, in circuitu ornatam de olovero, habentem in medio crucem de chrysoclavo. Fecit autem in Basilica Beatae Dei Genitricis, quae vocatur Antiqua, quam à fundamentis Leo Papa viam juxta sacram construxerat, vela de fundato, cum periclysi de blatthin numero tredecim. Qui etiam in Basilica Beati Laurentii Martyris, sita foris muros civitatis, obtulit aureas claves, atque concessit. In mense vero quinto consecrationis hujus praeclari Pontificis, id est, mense Januario die... fluvius, qui appellatur Tyberis, alveum egressus est suum, & per campestria se dedit, intumuitque inundatione aquarum multarum, & ingressus est per posterulam, quae appellatur Sanctae Agathae, in urbem Romanam hora diei. Transcendit interea aliquibus locis, & ingressus est in Ecclesiam Beati Silvestri, ita ut & gradus omnes ascenderet in Basilicam Beati Dionysii prae multitudine aquarum, excepto uno, qui superius erat. & exinde expandit se super plateam, quae vocatur, Via Lata, & ingressus est in Basilicam Sanctae Dei Genitricis Mariae, & ibidem tantum intumuit aqua, ut etiam portae ipsius Ecclesiae non viderentur prae multitudine aquarum. Ac inde ascendit per plateas, & vicos usque ad clivum argentarii: exinde vero reflexus ingressus est per porticum, quae est posita ante Ecclesiam Sancti Marci, mense supradicto die sexto Apparitionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, idest, Theophaniae. Inde autem impetum faciens, coepit decurrere in cloacam, quae est juxta Monasterium Sancti Silvestri, & Sancti Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. Et ab ipso die, & deinceps coepit paulatim aqua minui, & fluvius post, multo damno facto, in suum alveum reversus est. Nam domos evertit, agros desertavit, evellens segetes, & eradicans arbusta. His itaque peractis praefatus Beatissimus Papa nimio amore constrictus in Ecclesia Beatae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae Dominae nostrae, quae ponitur trans Tyberim, fecit vestem in altari majori de chrysoclavo, habentem historiam Assumptionis ejusdem Dei Genitricis.

Obtulit etiam in Monasterio Sancti Christi martyris Anastasii, quod vocatur ad Aquas Salvias, gabatham saxiscam ex argento purissimo unam, pensan. libras numero tres. Necnon & in Basilica Beatae Dei Genitricis, quae olim Antiqua vocabatur, nunc autem sita est juxta viam sacram, fecit vestem cum chrysoclavo, habentem historiam Nativitatis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Simili modo & in Monasterio Beati Martini fecit canistra ex asoci (21) duo ex argento purissimo, pensan. libras numero quatuor, & semis. Item venerabilis, & praeclarus Pontifex fecit in Ecclesia Beati Cyriaci martyris, quae ponitur via Ostiensi, vestem de fundato unam. Pari modo & in Ecclesia Beati martyris Felicis, quae ponitur in Pincis, fecit vestem de fundato unam, cum gryphis. Fecit vero egregius Praesul in titulo Beati Chrysogoni martyris calices ex argento purissimo numero quinque, qui pens. simul libras (22) II. & uncias semis. Nam & in titulo Calixti fecit amam unam ex argento purissimo, pensan. libras (23) decem. Ibi & ipse fecit gabathas quatuor, pensan. libras novem, & semis. (24) Similiter & canistra novem, pensan. insimul libras (25) II. Ad laudem, & gloriam ipsius Ecclesiae fecit Euangelium argento, auroque perfusum unum, pensan. libras quindecim. Item ibi ipse fecit cortinam unam, canistrum unum, arcum cum duabus gammadiis ex argento purissimo, pensan. insimul libras quadraginta. Et in Ecclesia Beatae Balbinae martyris obtulit Euangelium ex argento purissimo.

Verum etiam & in Basilica Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli fecit vestem de chrysoclavo mirae magnitudinis, & pulchritudinis decoratam unam. Et in Ecclesia Beati Petri Principis

(17) B., & C. Petri Apostoli, ab ipsis Clero, proceribus, & optimatibus, ac Reipublicae coetibus deductus est &c.

(18) *Verba* Portuensis verò Episcopus, *& sequentia usque ad finem hujus periodi desunt in* B., & C.

(19) B., & C. Sacraque tunc Missarum solemnitate celebrata in Patriarchio Lateranense Pontificali ordinatus reversus est gloria. Erat enim &c.

(20) B., & C. Hic Beatissimus Praesul quamplurima dona obtulit Ecclesiis Dei; *caetera verò, quae sequuntur usque ad* Hic constituit, ut cùm Episcopus, Presbyter &c. *ut infra minimè habent*.

(21) D. exafoti.

(22) D. libras II. & uncias semis.

(23) D. libras XI.

(24) D. τὸ & semis *non habet*.

(25) D. libras XI.

pis Apostolorum nutritori suo præ nimio amore exardescens ad cooperiendum billicum Confessionis fecit cooperculum ex auro purissimo, pensan. libras tres. Et in Monasterio Sanctorum Christi martyrum Sergii, & Bacchi, quod appellatur Callinici, fecit calices de argento purissimo duos, & patenam unam, colatorium unum, cantharam unam, thymiamaterium unum, pensan. simul libras quatuor. Ipse quidem insignis Beatissimus Pontifex in superno fundamine mentis observantiam ponens, nil terrenis, finemque habentibus, sed spiritualibus, salubribusque tantummodo operibus delectabatur, & in cunctis, quæ salutis sunt, quotidie præclaro intuitu permanebat.

His vero sacris beneficiis ornatus Apostolorum Principi, populique janitori, obtulit miræ pulchritudini vestem unam aureo textam, opere, decoreque fulgentem almificam, Annunciationis habentem historiam, & (26) hypapanti, qualiter ipse unigenitus Dei Filius Templum ingressus Doctorum in medio residebat. Veruntamen isdem prædictus, & Beatissimus Præsul nimio amore accensus, Deique adminiculo suffultus fecit in Basilica Beati, ac egregii Prædicatoris Pauli Apostoli regnum de auro purissimo spanoclistum cum catenulis suis, habens in medio crucem auream; item spaniscam, quæ pendent assidue super ejusdem altare, pensan. libras duas, & unciam unam. Obtulit quoque in eadem Basilica cantharam de argento mundissimo unam, pensan. uncias novem. Ipse vero insignis, & Beatissimus Papa fecit cruces argenteas septem, quæ per olitana tempora per omnes Catholicas Ecclesias more solito præcedebant, & quia præ nimia vetustate confractæ fuerant, isdem præclarus, & Sanctissimus Præsul à noviter restauravit, & in pristinum statum iterum reduxit, quæ pensan. simul libras quinquaginta unam & semis. Necnon & in Basilica Sancti Christi martyris Beati Sebastiani, quæ ponitur in loco, qui vocatur Frascata, obtulit idem Pater egregius vestem de fundato unam, habentem in medio crucem, cum gammadiis de quadrapulo. Simili modo fecit in Basilica Beati, & egregii Prædicatoris Pauli Apostoli vestem rubeam de arodina (27) I. cum chrysoclavo.

Verum etiam & in titulo Sancti Cyriaci martyris fecit vestem de fundato unam. Ipse vero Beatissimus Pontifex exardescens amore fecit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritori suo pharum ex argento unum miræ magnitudinis, qui pensan. libras, & uncias....... Hic vero Beatissimus Pontifex divina inspiratione repletus fecit in Ecclesia Beati Levitæ Laurentii, foris muros hujus civitatis Romanæ, vestem de fundato unam, cum chrysoclavo, miræ magnitudinis decorata. Sed & ipsius præcipuæ sarta tecta Ecclesiæ Beati Petri Apostoli nutritoris sui idest, navem majorem, & aliam navem, quæ super corpus ejus est, magnis trabibus impositis numero septem, procacique artificio elevatis luciflue renovavit. Et in titulo Beati Cyriaci martyris obtulit Evangelium unum ex argento purissimo ad laudem, & gloriam ipsius Ecclesiæ. His itaque peractis præfatus Beatissimus Papa nimio amore constrictus in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur trans Tiberim absidam majorem ipsius Ecclesiæ, in ruinis positam, noviter, atque à fundamentis faciens ad meliorem erexit statum. Fenestras vero vitreis coloribus ornavit, & pictura musivi decoravit. Necnon & porticum, atque baptisterium cum secretario omnia, & in omnibus sarta tecta noviter renovavit. Cœmeterium vero Beati Marci Confessoris, atque Pontificis, quod ponitur foris portam Appiam, qui in ruinis jam positis, omnia restauravit. Necnon & in Ecclesia Beatorum Petri, & Marcellini martyrum, cujus tectum jam vetustate positum vicinum ruinæ existebat, depositis vetustissimis trabibus, & aliis impositis, noviter ipsum tectum, atque porticum in circuitu omnes noviter restauravit.

In Basilica quoque jam sæpius dicti Egregii Doctoris Mundi Beati Pauli Apostoli isdem Antistes Sanctissimus Benedictus Præsul pulcherrimi decoris rete factum miro opere totum ex gemmis alvaberis, & bullis aureis, conclusas etiam auripetias in se habens smaltitas, videlicet majori numero viginti unam, cum aliis pariter minoribus. Necnon & amendulas aureas numero undecim, & gemmas chrysoclavas pendentes numero decem magno amore præcepit fieri, & super sacrumsanctum altare ad honorem Apostoli offerens pendere jussit assidue. Verum etiam ætherio compunctus nutu magnam Sanctæ Ecclesiæ, ut idoneus Christi minister, curam corde purissimo indesinenter gerens, textum scilicet voluminis, in quo constant veræ prædicationis Pauli, videlicet Apostoli, & aliorum Apostolorum Epistolæ, atque Prophetarum ordinabiliter constitutæ lectiones, quæ à Subdiaconibus leguntur per cunctas Ecclesiarum stationes more solito sursum in ambone raptum, vel perditum à Sancta Ecclesia fuisse percipiens, captus magna, vehementique solicitudine tale dignum similiter volumen præparare studuit, in quo Græcas, & Latinas lectiones, quas die Sabbato Sancto Paschæ; simulque & Sancto Pentecostes Subdiaconi legere soliti sunt scripturas adjungi præcepit, miræque operationis tabulis argenteis decenter adornans Sanctæ Ecclesiæ Romanæ libenter obtulit.

Hujus temporibus Michael filius Theophili Imperatoris Constantinopolitanæ urbis Imperator ob amorem Apostolorum misit ad Beatum Petrum Apostolum donum per manum Lazari Monachi, & Pictoriæ artis nimie eruditi, genere vero Chazai, idest, Evangelium de auro purissimo, cum diversis lapidibus pretiosis. Calicem vero similiter de auro, & lapidibus circundatum, reticulo pendente de gemmis albis pretiosis miræ pulchritudinis decoratum, & vela duo de olovero, cum cruce de olovero, & lista similiter de chrysoclavo, & parva coopertoria ipsius calicis, sicut mos Græcorum est. Similiter & vestem de purpura Imperiali munda super altare majus ex omni parte cum historia, & cancellis, & rosis de chrysoclavo, magnæ pulchritudinis deornatam, etiam & velum de stauraci unum, cum cruce de chrysoclavo, & litteris de auro Græcis.

Hujus temporibus Rex Saxonum nomine, causa orationis veniens, relictis omnibus suis rebus, regnum proprium suum dimisit, Romam properans ad limina Apostolorum Petri, & Pauli cum multitudine populi, & obtulit dona Beato Petro Apostolo, coronam ex auro purissimo, pensan. libras quatuor. Baucas ex auro

(26) D. & ypopanti.

(27) D. diarodina.

Digitized by Google

auro purissimo duas, pensan. libras ...... Spatam cum auro purissimo ligatam. Item imagines duas min. ex auro purissimo. Gabathas saxiscas de argento exaurato quatuor. Saraca de olovero, cum chrysoclavo (28) 2. Camisias albas sigillatas holosericas, cum chrysoclavo, & vela majora de fundato duo. Et ipse Rex Saxonum postulante Sanctissimo Domno Benedicto Papa, ut faceret rogam in Ecclesia Beati Petri Apostoli publicam de pondere auri, vel arg. librarum, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & universo Clero, & Optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minutum argentum. Et postmodum finita causa orationis reversus est ad proprium regnum suum; & post paucos dies vitam finivit, & perrexit ad Dominum.

Multum denique idem Præsul Sanctarum Dei Ecclesiarum curam gerens, semperque pio mentis affectu, ac studio in illarum reparatione gaudens in Basilica Regni Cœlorum Clavigeri nutritoris sui pharum cantharum argenteum sedentem in pedibus quatuor à Saracenis olim ablatum, in quo ad decus ipsius Basilicæ in diebus festis, atque Dominicis lucerna simul, & cerei ponebantur juxta lectorium mirifico opere fecit, ac renovavit, pensan. libras ...... Erat enim ad Divini cultus amorem semper intentus, pacisque amator, & omnium supernorum pudicis moribus operum cultor. Hic constituit, ut cum Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus (29) moreretur, Pontifex una cum omnibus Episcopis, & Presbyteris, atque Diaconibus, necnon & reliquis Clericis ad ejus sepeliendum corpus, & commendandam animam conveniret. Similiter etiam ipsi facerent, cum Pontifex ab hac luce migrasset, quod non solum docuit, sed & fecit. Cujus vestigia sequens successor ejus in causa pietatis hujus, sicut & in cæteris eum tanquam heres devotissimus imitatus est. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, Presbyteros quinque (30); Diaconum unum, Episcopos per diversa loca numero (31) sexaginta & sex. Sepultus vero est ante fores Basilicæ Beati Petri Apostoli. (32)

CVII. NICOLAUS I.

ANNO CHRISTI 858.

LUDOVICI II. 3. MICH. III. 17.

Nicolaus, natione Romanus, ex patre (1) Theodoro Regionario, sedit annos novem, menses duos, dies viginti. Hujus insignes Beatissimi actus omnibus à primordio pueritiæ suæ fulserunt, intactisque moribus claruerunt. (2) Tanta enim sacrorum comptus erat pulchritudine operum, ut nihil ludis, nihilque, ut pueri solent, inhoneste delectaretur. Vacabat autem patientiæ, & sobrietati, fragrans humilitate, puritateque præcipua. Pater vero ejus liberalium cum fuisset amator artium, & nobilissimum polleret fomitem castis eum (*) elementis, almificisque ritibus imbuens, litterarum studiis, & optimis artibus perornabat, ita ut nulla sacrarum species remaneret disciplinarum, quam internis conceptam visceribus, suæque cognitioni traductam non haberet. Gliscit autem membris, gliscit & sapientia, clarus, modestia fretus, scientia decoratus, probabilium nempe morum, si quocumque viros conspiceret loco, concitus adhærere studebat, illisque gratulabatur opime. Cumque cum prudentissimo patre ad quendam beatissimum crebro virum accederet, qui Sancti per illustrationem Spiritus plura fidelibus prædicabat, amplo eum asserebat in culmine ascensurum. Decoris enim intimi magnitudinem intuens, mentisque dulcedinem corruscare, hujus ordinatione ad clericatus perductus est ordinem, ut quod divino senserat nutu, futuris temporibus impleretur. Sergius porro Præsul in summæ actionis cum fastigia conscendisse eum audiret, parentum illum deducens ab ædibus in Patriarchio locavit, & in Subdiaconatus per benedictionis gratiam constituit gradu. In quo, mirificis observationibus degens, cœlesti fovebatur ardore. Sergio vero Papa ab hac corruptibili vita subtracto, Romanæ Ecclesiæ Leo gubernacula Præsul suscepit. Qui in eo sæpissime videns perseverantiæ fructus, ingenti illum Diaconum consecravit dilectione. Hoc quippe eo in ordine ministrante, tanta illi desuper concessa fuerat gratia, ut summæ actionis à cunctis cerneretur perfectionibus rutilare. Amabatur autem à clero, à nobilibus laudabatur, & à plebe magnificus amabatur.

Leone scilicet Papa defuncto Benedictus miræ Beatitudinis vir, & sacratissimus Pontifex superno protectus auxilio Romanæ præponitur Sedi, suæque illum administrationi conjunxit, eo quod magis illum, quam suæ consanguinitatis propinquos dilexit, ita ut per nullius horæ momentum sine illo esse delectaretur. Quicquid Ecclesiasticarum rerum utilitatibus intuebatur congruere, cum eo promulgans diffinitioni tradebat, prudentissimas sui contemplans arbitrii opes, sensusque clarescere virtutem, utriusque enim semper observantiæ utiliora suo conamine faciebat. Ad extrema quidem vitæ perductus, pretiosæ cohortis calicem sumpsit, suisque eum humeris cum adhuc Diaconus esset, usque ad Apostoli Beatissimi Petri Basilicam, cum aliis Diaconibus gestans propriis manibus tumulo conlocavit, (3) dilectionis præmium pandens, quod circa eum habebat, & amoris integritatem.

Eo autem tempore invictissimus Romanorum Hludowicus Cæsar discesserat. Qui ejus cum transitum cognovisset condolens, & concitus ad eam reversus est. Romani quippe tanto Pastore amisso mœstissimo gemitu lachrymas suffundebant. Cumque Clerus, Proceres, & Optimatum genus congregarentur, jejuniis, & orationibus, atque vigiliis insistebant, incessabilique Dominum certamine obsecrabant, ut qualem amiserant, talem illis dignaretur ostendere virum, Pontificatus quem culmine sublevarent. Hæc

(28) D. cum chrysoclavo I.
(29) B. aut Diaconus Cardinalis moreretur &c.
(30) Presbyteros VI. *in omnibus*.
(31) B., & C. numero XX.
(32) B., & C. Et cessavit Episcopatus dies XV.

NICOLAUS.

(1) B., & C. ex patre Theodosio. Sedit annis VII. mensibus novem, diebus XIII. Hujus &c.

(2) B., & C. Sergius itaque audita fama illius ordinavit eum Subdiaconum; Leo ordinavit Diaconum. Mortuo igitur Benedicto prædictus Pontifex Nicolaus, qui adhuc in Diaconi officio degebat, cum aliis Diaconis gestans &c. *ut infra, antecedentibus ommissis*.
(*) D. eum alimentis &c.
(3) B., & C. dilectionis præmium; *& alia usque ad finem hujus periodi non legunt*.

Digitized by Google

Hæc vero cum gererentur in Basilica Beati Dionysii Confessoris, atque Pontificis, cum universo populo convenerunt. In qua per aliquod spatium confabulantes horarum sidereo accensi fulgore unanimes illum Apostolicæ Sedis Præsulem esse sanxerunt, & celeri gressu Principis Apostolorum Petri continuo (4) aulæ properaverunt, in qua, confugiens, latitabat. Dicebat enim indignum se tanti regiminis gubernacula esse suscepturum. Impetum vero, qui aderant, facientes (5) virtutibus illum de eadem Basilica abstrahentes, sacris adclamationibus in Patriarchium Lateranense introduxerunt, Apostolicoque solio posuerunt. Postmodum vero à nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in Basilicam Beati Petri deductus Apostoli præsente Cæsare consecratus est, Apostolicaque sublimatus in Sede factus est Pontifex, & Missarum solemnia supra sacratissimum corpus Apostoli beatifice celebravit. Qui densis optimatum, populique agminibus (6) cum hymnis, & canticis spiritalibus in Patriarchium iterum Lateranense perductus est. Coronatur denique, Urbs exultat, Clerus lætatur, Senatus, & populi plenitudo magnifice gratulabatur. Tertio igitur consecrationis ejus die Augusto convescens ophistico (7) famine resplendebat, caritateque plenus epulabatur in Christo. Finitoque convivii apparatu consurgit, (8) Cæsaremque specialem, & veluti charissimum deosculans filium immenso circumdedit amore.

His itaque gestis Serenissimus Imperator inde discessit, sedemque in loco, qui quintus dicitur, conlocavit. Beatissimus autem Præsul hoc audiens dilectionis ejus compulsus plenitudine, atque amoris ad eundem cum Proceribus, & Optimatibus Romani nominis locum properavit. Excellentissimus quem cum vidisset Augustus obvius in adventum ejus occurrit, frenumque Cæsar equi Pontificis suis manibus adprehendens pedestri more, quantum sagittæ jactus extenditur, traxit. Imperiali cum quo ingressus tentorio salubribus ab invicem fruebantur eloquiis, mensisque epulis perornatis pariter cibum speciali sumpserunt alacritate satiati scilicet, mensisque remotis plura Serenissimus Cæsar Beato Præsuli contulit dona. Quibus susceptis equum conscendens, unde discesserat, conabatur reverti. Augustus, cujus amore (9) frenum Imperialis equi superscandent cathedram ob antiquum eo incedebant animi voluntate, ad quendam quidem cum pervenissent spatiosissimum itineris locum, Imperator equo descendit, equumque Pontificis iterum, ut meminimus supra, traxit, dulcissimisque osculis ad invicem perornantes luciflue (10) gratulati sunt. Cæsar vero ad tentorium remeans cœptum arripuit iter. Præsul autem nobilissimorum cœtibus, quibus profectus fuerat, cœptus (11) Romam ingressus, almificaque est conversatione magnificatus. Erat enim aspectu pulcher, forma decorus, doctus in verbo, loquela humilis, actu præclarus, jejuniisque, (12) & Divino cultui intentus, pauperibus largus, orphanorum protector, & viduis fautor, populique cuncti defensor. Sed quia cuncta quæ sacri operis gessit, huic tradere scripturæ non possumus, ad ea quæ sanctis locis obtulit redeamus.

Hic Beatissimus Præsul divina inspiratione repletus in Diaconia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, quæ vocatur Cosmedin, fecit vestem holosericam unam de stauraci, habentem historiam leones majores (13) 11. Ibi ipse fecit velum album rosatum unum, ornatum in circuitu de tyrio miræ magnitudinis. Obtulit vero in jam dicta Diaconia gabatham saxiscam de argento purissimo unam deauratam, quæ pens. libras duas, & uncias quatuor. Fecit autem in Basilica Salvatoris, quæ (14) Constantinianæ nomen sumpsit à nomine Constantini, cruces de argento purissimo, quæ pendent ante figuram substantiæ carnis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. In quibus ad laudem ipsius Ecclesiam festis diebus cerea figura solitis, quæ pensan. libras numero quatuor, & semis. Item in Basilica quoque semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ vocatur ad Præsepe, fecit cantharum de argento sessilem parium unum, pensan. libras octo, & uncias quatuor. Ipse quidem à Deo protectus, & Beatissimus Pontifex superno favore plenus obtulit in Basilica Beati Petri Apostoli nutritoris sui gabatham de auro purissimo 1. pretiosissimis gemmis, pensan. libras numero tres, & uncias octo. Fecit enim in confessione ipsius sacratissimæ Basilicæ jugulum de auro mundissimo unum, pensan. libras numero 2. Similiter vero in jam dicta Ecclesia fecit cruces de argento mundissimo numero sex, pens. simul libras tredecim, & uncias quinque. Eo autem modo in Basilica Doctoris Gentium Beati Pauli Apostoli cruces ex argento purissimo duas, pens. simul libras numero quatuor. Nam & in Basilica Sancti Laurentii Martyris, quæ sita est foris muros, fecit cruces duas de argento purissimo, pensan. simul libras numero quatuor.

Primo quidem Pontificatus sui anno aurea quædam ipsius Beatitudini pretiosissimis compta gemmis corona perducta est, librarum habens pondera numeto octo, & unciarum quatuor, ad gloriam supra Sacratissimæ ejus altare Basilicæ aureis ingenti exaltavit amore catenulis. Verum etiam in jam dicta Ecclesia Beati Petri Apostoli nutritori suo gabathas ex argento purissimo numero novem, qui pens. simul libras numero duodecim, & semis.

Ipse vero à Deo protectus venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Monasterio Sancti Stephani, & Silvestri, quam noviter fundavit sanctæ recordationis Domnus Paulus quondam Papa, in Ecclesia majore, quæ vocatur Sancti Dionysii, ad honorem, & gloriam sacri altaris, vela quatuor de stauraci. Hujus præclari Pontificis, id est, mense Octobris die trigesima, Indictione (15) octava, fluvius, qui appella-

(4) B., & C. continuo ad aulam properaverunt in regiminis gubernacula suscepturum. Impetum verò &c.
(5) B., & C. facientes, & viribus illum &c.
(6) B., & C. agminibus circumdatus cum hymnis &c.
(7) B., & C. Sophistico.
(8) B., & C. Cæsaremque spetialem, *& reliqua usque ad sequentem periodum non legunt*.
(9) B., & C. amore fretus Imperialis, qui superscandens Cathedram ovanti cum eo incedebat animi voluntate &c.
(10) B., & C. dulciflué.
(11) B., & C. septus.
(12) B., & C. jejuniis, vigiliisque ditatus, & Divino cultui intentus, Hujus præclari Pontificis tempore &c. *ut infra, reliquis omissis*.
(13) D. majores II.
(14) D. quæ Cæsarea nomen sumpsit à nomine, Cruces ex argento &c.
(15) Indictione nona *in omnibus*.

Digitized by Google

pellatur Tiberis, alveum suum egressus est, & per campestria se dedit, intumuit etiam inundatione aquarum multarum, & ingressus est per posterulam, quæ appellatur Sanctæ Agathæ in urbe Roma, quam hora diei (16) transcendit, interea aliquibus locis, & ingressus est in Ecclesiam Beati Laurentii, quæ appellatur Lucinæ. Inde se extendit, & ingresſus est in Monasterium Sancti Silvestri, ita ut ex gradibus, qui ascendunt in Basilicam Beati Dionysii præ multitudine aquarum ne unus videretur, excepto uno, quæ superius erat. Et exinde expandit se per plateam, quæ vocatur, via Lata, & egressus (17) est in Basilicam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ibidem est. Tantumque intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius Ecclesiæ non viderentur præ altitudine aquarum. Et inde ascendit per plateas, & vicos usque ad clivum argentarii. Exinde (18) redundans ingressus est per porticum, quæ est posita ante Ecclesiam Sancti Marci. Inde impetum faciens cœpit decurrere in cloacam, quæ est juxta Monasterium Sancti Laurentii Martyris, quæ vocatur Pallacini. Ab ipso die cœpit, & deinceps paulatim aqua se minuere, & fluvius post multo damno facto in suum alveum reversus est. Nam domos, & muros evertit, agros desertavit, evellens segetes, & eradicans arbusta. Simili modo in mense Decembrio die vigesima septima Natali Sancti Joannis Evangelistæ, Indictione suprascripta ingressus est alia vice fluvius, ipse qui appellatur Tiberis alveum suum egressus est, ut supra, in civitate Romana; omnia ut supra.

(19) Simili modo præclarus, & Beatissimus Pontifex fecit in Monasterio Sancti Valentini, quod est positum in territorio Narniensi, juxta Interamnem, vestem de fundato unam, habentem historiam Leonum, & in circuitu myzinum. Item venerabilis, & præclarus Pontifex formam aquæ, quæ vocatur Tocia, at vero jam per evoluta annorum spatia nimis confractam existentem, per quam decurrebat aqua per centenarium in urbem Romanam, à fundamentis ad fabricandum, atque restaurandum, eadem forma præparavit. Verum etiam & in Ecclesia ejusdem Dei Genitricis, & Domini nostri Jesu Christi, quæ vocatur Cosmedin, fecit hospitium largum, ac spatiosum, satisque præcipuum ad opem, atque utilitatem Pontificum, ubi obediens opportunum fuerit cum omnibus, qui eis famulantur amplissime hospitetur. Simili modo & in Ecclesia Beati Petri Principis Apostolorum nutritori suo obtulit vela in arcus presbyterii cum chrysoclavo, habentem historiam Leonum figuras, numero quadraginta. In eadem vero strenuo catenam opere factam contulit ex argento mundissimo, quæ pens. libras numero quatuor. Nam & in Oratorio Sanctæ Crucis, quod infra Basilicam Beati Petri Apostoli constitutum est, fecit gabatham de argento unam, **pensan. libras duas. Ipse quidem Sacratissimus** Pontifex fecit in Basilica Doctoris Gentium Beati Pauli Apostoli candelabrum argenteum unum, pens. libras numero duas, & uncias sex. Verum etiam in titulo Beati Eusebii Confessoris Christi fecit super cyborium crucem cum velo de argento purissimo, pens. libras quatuor.

Hujus temporibus Michael filius Theophili Imperatoris Constantinopolitanæ urbis Imperator ob amorem Apostolorum misit ad Beatum Petrum Apostolum dona per Episcopos, quorum hæc sunt nomina: Methodius Metropolitanus, & Samuel Episcopi, (20) & alii duo depositi ab honore Episcopatus, quorum nomina hæc sunt: Zacharias, & alius Theophilus, & alius Imperialis laicus nomine Arsavir (21) protospatharius, idest, patenam ex auro purissimo, cum diversis lapidibus pretiosis albis, prasinis, & hyacinthinis. (22) Similiter calicem de auro, ex lapidibus circumdatum, & in circuitu pendentes hyacinthos in filo aureo, & repidis duobus in typo pavonum, cum scutis, & diversis lapidibus pretiosis hyacinthis albis, qui pens. simul libras numero...... Similiter vero & vestem de chrysoclavo, cum gemmis albis, habentem historiam Salvatoris, & Beatum Apostolum Petrum & Paulum, & alios Apostolos, arbusta, & rosas utraque parte altaris, legentes de nomine ipsius Imperatoris, miræ magnitudinis, & pulchritudinis decore. Et alia multa dona porrigentes Pontifici, legationis verba sibi injuncta protinus ediderunt. Porro fatus Imperator Græcorum inventa pro imaginum depositoribus occasione sacrarum, missos Apostolicæ Sedis per suprafatos suos legatos Constantinopolim dirigi postulavit, intentans scilicet causam Ignatii Patriarchæ, & Photii Constantinopolitanæ Ecclesiæ pervasoris: cupiens hinc eundem Sanctum virum Ignatium judicio Sedis Apostolicæ callide per invidiam, ut postmodum patuit, condemnare, Photiumque neophytum ipsi Ecclesiæ subrogare.

Tunc Pontifex summus Imperatoris adhuc pessimæ cogitationis ignarus, duos Episcopos illuc Radualdum scilicet, & Zachariam direxit. Præcipiens, ut quicquid de sacris Imaginibus quæstio afferret, Synodice diffinirent, & ipsius Ignatii Patriarchæ, Photiique neophyti causam solemniter inquirerent tantum, & sibi renunciarent. Qui Sancti Pontificis parvipendentes statuta, quæ vel quanta insana pecunia illic corrupti, more Vitalis, atque Meseni, peregerint, inferius succincte transcurram. Interea multi Ravennatum, qui à Joanne ejusdem urbis Archiepiscopo in rebus, & juris sui proprietatibus incommoda sustinebant, ad hunc Beatissimum Papam, ut à tantis oppressionibus eruerentur, veniebant. Quorum pie clamores audiens ipsum legatis suis, & litteris sæpius Archiepiscopum, quatenus talibus cederet actibus, commonuit. Sed ille mente confusa monita

(16) B., & C. hora diei decima transcendit &c.
(17) B., & C. & ingressus.
(18) B., & C. Exinde rediens ingressus &c.
(19) B., & C. Simili modo, *& omnia. quæ sequuntur usque ad periodum incipientem* Hujus temporibus Michael &c. *non leguntur*.
(20) B., & C. τὸ Episcopi *non legunt*.
(21) B., & C. Lasa vir &c.
(22) B., & C. de auro cum lapidibus, & aliis donis. Is denique præfatus Pontifex Johannem Ravennatem, qui pro suis criminibus tertiò commonitus ad Sedem Apostolicam venire contempsit, à Pontificali deposuit offitio. Audiens itaque Archiepiscopus hoc, quod Summus fecerat Pontifex Papiam adivit, & Lodovicum Imperatorem exoravit, ut eum adjuvaret. Imperator autem misit Pontifici ut causam audiret. Præfatus autem Pontifex Concilium cum Archiepiscopis, Episcopis, atque Clericis in domo, quæ dicitur Leoniana, fecit, eumque Archiepiscopum cum Imperialibus Nuntiis audivit. Archiepiscopus itaque reum se esse dicebat, & misericordiam à Summo Pontifice cum universo expetivit Concilio. In angustiæ lamenta, & nimiæ tribulationis se contulit, & quos poterat cum lacrymis implorabat, dicens: miseremini mei &c. *ut infra cæteris omissis*.

Digitized by Google

alta pii Patris obtendens pejora prioribus addere minime metuebat. Quanto autem benigna inspectio summi Præsulis illum, ut resipisceret, ammonebat, tanto magis ad deteriora seculi vertebat, & super iniquitatem iniquitatem addere non desinebat.

Nam quosdam temere excommunicabat, quosdam autem à visitatione Sedis Apostolicæ avertebat, & quorundam res sine legali judicio occupabat. Necnon & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurima prædia auferebat. Missos illius spernebat, & gloriam Beati Petri Apostoli, quantum in se erat evacuabat. Præcepta etiam juris Sancti Petri, si apud quoscunque inveniebat, frangebat, & ad jus Sancti Apollinaris transferebat. Nam Presbyteros, & Diaconos non solum sibi subjectos, sed etiam per Æmiliam constitutos ad Apostolicam Sedem pertinentes sine canonico judicio deponebat, & alios carceri, alios autem fœtidis ergastulis retrudi faciebat: alios crimen, quod non fecerant, scriptis confiteri cogebat. Constituta præterea Ecclesiastica absque Sedis Apostolicæ consensu deprimebat. Et vocatus à Summo Pontifice Romam se ad Synodum non debere occurrere jactitabat. Nec mirum cur postea ista fecerit, qui cautiones, & indiculos, qui soliti sunt ab Archiepiscopis Ravennatibus in scrinio fieri, in initio consecrationis suæ more Felicis decessoris sui falsavit, & quædam barbara scripta, quædam vero falsa composuit.

Eodem tempore Papa prædictus ter ad Synodum suis litteris eum vocavit, & ille venire contemnens à Sancta Synodo communione privatus est. Deinde Papiam pergens Imperatoris auribus Ludovici Cæsaris molestiam intulit, solamenque mundanum quæsivit. Tunc largiente ei Augusto legatos præcipuos cum illis superbiæ repletus tumore Romam pervenit. Sed Pontifex almus, quia contra Sacrorum Canonum regulas excommunicato ipsi legati communicaverunt, benigne eos redarguit. Illis autem, quæ egerunt, deflentibus eidem Achiepiscopo à Deo conservandus Papa mittebat, ut in calen. Novembris ad Synodum, à qua fuerat excommunicatus occurreret, plenamque satisfactionem ostenderet, necnon & tantis prævaricationibus finem imponeret. Ille autem noluit, sed retrorsum abiens recessit. Et ecce Æmilienses, ac Senatores urbis Ravennæ cum innumero populo ad vestigia Præsulis hujus Beati Romani cum lachrymis properantes rogabant, ut ad imitationem Domini nostri Jesu Christi pro recuperatione eorum non dedignaretur proficisci Ravennam, quatenus inspectis omnibus ad summam eos perduceret libertatem.

Itaque persemet Beatissimus Papa Ravennam proficiscens, cum de ejus adventu Joannes Archiepiscopus cognovisset, usque Papiam continuo ad Imperatoris aures denuo molestandas iter arripuit. Tum Præsul optimus omnibus Ravennensibus, Æmiliensibus, & Pentapolitanis res, quas Joanne Archiepiscopo, & Gregorio fratre ejus rapientibus amiserant, clementer restituit, & præceptionis suæ decreto, quæ retrancidit, (23) confirmavit. Præfato autem Archiepiscopo, ut prædictum est, perveniente Papiam, concives ejusdem urbis una cum Liutardo Episcopo suo à Romano Pontifice consecrato cum audivissent, quod à Summo Pontifice excommunicatus idem esset Archiepiscopus, in tanta se custodiæ circumspectatione dediderunt, ut nec in suis domibus eum reciperent, nec hominibus ejus paterentur aliquid venundare, ne per tale commercium saltem locutionis eorum viderentur esse participes, ac per hoc excommunicationis notam incurrerent. Potius autem cum de assistentibus ipsius Archiepiscopi aliquos per plateas incedentes vidissent, clamabant: Isti de illis excommunicatis sunt, non licet nobiscum illis misceri. Tunc videns se idem Archiepiscopus voluntatis suæ per hoc non posse machinamenta perficere, identidem se ab Imperatore adjuvari poposcit. Cui ad hæc per internuntium mandat Augustus dicens: Vadat & fastu elationis deposito tanto se humiliet Pontifici, cui & nos, & omni Ecclesiæ generalitas inclinatur, & obedientiæ, ac subjectionis colla submittit, quia, quod cupit, aliter minime consequi poterit: Cumque Archiepiscopus hæc audivisset, anxiari cœpit. Et iterum importunis precibus legatos Imperiales expetens Romam pervenit. Quem contra Beatissimus Papa hæc cognoscens omnem illius arrogantiam tanquam aranearum tela despiciens, in qua prius sententia fuerat, perseveravit, atque immobilis fuit. Tamen eisdem Augustalibus missis Papa Sanctissimus magna cum mansuetudine hujuscemodi agens locutus est.

Si dilectus filius noster Domnus Imperator istius Joannis Archiepiscopi actus, & mores bene cognosceret, ipse non solum pro illo nos minime flagitaret, sed etiam ut se corrigeret, ad nos eum etiam eo nolente dirigeret. Tunc, sicut ipse egregius Papa decreverat, multis in unum Episcopis provinciarum convenientibus eidem Archiepiscopo destinavit, ut coram veniens de se plenissimam satisfactionem ostenderet: & quæ prævaricatus fuerat satius emendaret. Quod Archiepiscopus audiens, & se à nemine adjuvari posse, conspiciens, in angustiis lamenta, & nimiæ tribulationis se contulit victus, & quos poterat cum lachrymis implorabat, dicens: Miseremini mei, peto misereri mei. Et clementiam summi Præsulis, ut mei misereatur, exposcite. Quia ecce paratus sum ad omnia, quæ præceperit peragenda. Quod nonnulli videntes, & audientes, summo referebant Antistiti, & (24) responsionis illius, quas lamentabili voce dabat suggestiones ad liquidum exponebant. Tunc compatientissimus Papa, Dominum, qui mortem non vult peccatoris, imitatus, misericordia motus præfatum Archiepiscopum ad humilitatis viam tandem conversum suscipere decrevit. Tunc ille confestim apprehensa charta repromissionis, & juramenti sui scripturas, quas tempore consecrationis suæ imperfectis, confusisque, ut in eis videbatur, repleverat dictionibus propria manu scribens, juxta consuetudinem antedecessorum suorum composuit. Et domum, quæ dicitur Leoniana, (25) in qua Beatissimus Præsul cum Episcopis, Presbyteris, Proceribus, & Optimatibus multis astantibus residebat, conscendit, prædictasque scripturas, quas fecerat super vivificam Crucem Domini nostri Jesu Christi, atque sandalia ejus, & super sacrum quatuor Sanctorum Evangeliorum codicem posuit, & has manutenens, innumeris, qui convenerant, audientibus clara voce sponte juravit se omnibus diebus vitæ suæ observando integriter tenere, atque perficere, sicut in ipsis suæ respon-

(23) D. retradidit.
(24) B., & C. & Sponsionis *semper*.

(25) B., & C. Leonina.

Digitized by Google

responsionis continebatur, atque legebatur scripturis. Quas etiam in conspectu omnium ore proprio legit, summoque Præsuli tradidit. His ita peractis ipse insignis, & præcipuus Pontifex in Basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, cum omnibus Episcopis, & cuncto Clero altero die descendit; ubi à Summo Pontifice jussus prænotatus Archiepiscopus affuit, & de crimine hæreseos, quo impetebatur, se expurgavit. Quem communioni ipse Papa restituit, & ut Sacrarum Missarum solemnia celebraret licentiam ei benignus indulsit. Sequenti vero die præsidente eodem summo, & universali Papa in eadem domo Leoniana, & juxta morem residente Sanctissimo Sacerdotum, & Coepiscoporum Collegio affuit idem Archiepiscopus, & jussu summi Præsulis resedit.

Tunc Æmilienses astiterunt Episcopi (26) dantes querimoniam in libellis super eundem Joannem Archiepiscopum, dicentes se multa præjudicia, & superimposita ab ipso Archiepiscopo sustinere. Nam & nonnulli Ravennenses, & Æmilienses eadem fatebantur, ficut in gestis, quæ in Bibliotheca rejacent, quisquis investigaverit, poterit reperire. Quæ audiens à Deo protectus Pontifex una cum Sancta Synodo contra Ecclesiasticæ regulæ normam talia esse prædixit, & ut omnes istæ transgressiones corrigerentur acclamante Sancta Synodo ita debere fieri dulci affatu statuit, ne sibi principaliter grex commissus Dominicus per desidiam lupinis lacerandus morsibus relinqueretur. Verumtamen ò Joannes Archiepiscope, egregius inquiens Præsul, ut cuncta, quæ dicuntur speciali possint correctione amodo facilius corrigi, præcipimus tibi, ut remota omni excusatione præter gravem corporis molestiam, quæ te venire omnino prohibeat ad Sedem Apostolicam semel in singulis properare studeas annis, nisi forte remorandi licentiam ab Apostolica Sede percipias. Item sancimus, ut Episcopos per Æmiliam non consecres (27), nisi post electionem Ducis, Cleri, & populi per epistolam Apostolicæ Sedis (28) Præsulis acceperis eos consecrandi licentiam. Ipsos autem Episcopos quotiescumque ad Apostolicam Sedem accedere voluerint nequaquam prohibeas. Sed & nullam dationem, quam Sacri Canones non (29) præcipiunt, ab eis aliquando exigas. Præcipimus etiam, ut ipsos Episcopos illam malam consuetudinem, quæ à quibusdam tricesimalis dicitur, nullo modo Ravennati exhibere, aut exercere, (30) compellas Ecclesiæ, nec (31) illum morem, qui contra Episcop. privilegium fit, ab eis exigere quoquo modo tentes. Nihilominus præcipimus tibi, ut numquam res cujuscumque personæ qualicumque ingenio, vel chartula acquisita, & possessas olim modo occupes, aut titulum superimponas, donec in præsentia Apostolica, vel missi ejus, aut (32) vestararum Ravennæ legali ordine illas in judicio convincas. Cumque hoc à Papa Beatissimo observandum Archiepiscopo Johanni fuisset injunctum, ac imperatum, surrexit Sancta Synodus, & tribus vicibus acclamavit: Rectum judicium summi Præsulis, justa diffinitio totius Pastoris Ecclesiæ, salubris institutio Christi discipuli omnibus placet. Omnes eadem dicimus, omnes eadem sapimus, omnes eadem judicamus. Tunc tandem eodem Archiepiscopo, quam omni Sancta Synodo sacri verbi pabulo refectis, dulcissimique saporis à Beatissimo Præsule nectare (33) faciatis. Unusquisque ad propria, licentia accepta Pontificis, exivit.

(34) Eodem tempore hic egregius, & à Deo conservandus Papa in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis Mariæ, quæ vocatur Cosmedin, fecit scalpi...... de argento purissimo, pensan. libras quinque, & uncias duas. Necnon in titulo Vestinæ expressæ figuræ Beati Vitalis martyris fecit iconam, habentem quatuor libras, & semis. Fecitque etiam in Basilica Beati Christi martyris Anastasii in circuitu sacri altaris cum periclysi de blatthin vela quatuor. In Basilica vero Beati Petri Apostoli in Oratorio Sancti Gregorii Papæ vestes fundatas per circuitum ornatas de olovero obtulit tres. Qui Beatissimus, & præcipuus Pontifex in Ecclesia Doctoris Gentium Beati Pauli Apostoli miræ pulchritudinis vestem auro textam in circuitu gemmas habentem hyacinthinas albas, ac prasinas, simulque & carbunculos lapides mente obtulit pura. Ubi etiam & duo vela pari modo auro texta fecit cum gemmis, & obtulit. Ecclesiam autem Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ primitus antiqua, nunc autem nova vocabatur, quam Dominus Leo Quartus Papa à fundamentis construxerat; sed picturis eam minime decorarat, iste Beatissimus Præsul pulchris, ac variis fecit depingi coloribus augens decorem, & plurimis corde puro ornavit speciebus. (35)

Igitur, ut paulo superius protuli, quoddam in Sancta Constantinopolitana schisma adoleverat Ecclesia, scilicet quia ejecto ex ejusdem sede Ecclesiæ Ignatio reverendissimo Patriarcha, Photium ex laicis, & ex militia tonsuratum contra reverendorum Canonum statuta Neophytum subito inibi subrogarunt Antistitem. Verum quia Michael Imperator Græcorum super his Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, quem tempore Domni Leonis Quarti Papæ laudum præconiis extulerunt, vituperando, & invasorem Photium collaudando, Romanam Sedem, ut illuc iste Beatissimus, & insignis Papa missos suos ad invenienda, quæ dicebantur, dirigeret, humiliter per Arsavir spatarium, scilicet legatum, & apices suos, consuluit. Porro eo quod vigorem Ecclesiasticum desiderabat intemeratum consistere, id fieri summus

(26) Episcopi D. *non legit*.
B., & C. Tunc Episcopi Æmilienses omnes proclamationem super eundem Archiepiscopum fecerunt. Præfatus Pontifex præcepit ei, dicens, ut omni remota occasione, præter gravem corporis molestiam, quæ te omnino venire prohibeat &c. *ut infra*.
(27) B., & C. non consecres *non habent*.
(28) B., & C. Sedis Præsulem non habeas consecrandi licentiam.
(29) B., & C. non recipiunt, ab eis aliquo modo exigas.
(30) B., & C. aut exercere *non legunt*.
(31) B. C. & D. nec ullum morem &c.
(32) B., & C. aut Vesterarii Ravennæ &c.
(33) B. nectare sanatis.
C., & D. nectare satiatis.
(34) *Verba* Eodem tempore hic Egregius &c. *usque ad illa* Ecclesiam autem Dei Genitricis &c. *ut infra* B., & C. *non habent*.
(35) B., & C. Hujus denique temporibus gloriosus Rex Burgarius (C. Bulgarius) cum toto sibi Regno commisso ad prædicationem ejus baptizatus est, atque Archiepiscopum ipsemet expetivit. Ipse autem Beatissimus Pontifex totum Mundum sedavit, atque Photinum invasorem, & Neophytum, ut Mœchum ejecit, & juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ibi Archiepiscopum constituit. Hic fecit ordinationem &c. *ut infra*.

Digitized by Google

mus Præsul minime recusavit, cupiens zizaniorum cumulos usque ad radicem evellere, ne in Sancta Dei Ecclesia per desidiam in aliquo macula pullularet.

Tunc è latere suo duos Episcopos Radualdum, sicut prædictum est, Portuensem, & Zachariam Anagninum, quos idoneos ad hoc opus esse putavit, direxit, præcipiens, & mandans eis, ut causam electionis (36) ipsius Ignatii, & subrogationis Photii solummodo inquirerent, & sibi renunciarent: & interim Photii Neophyti communionem vitarent, quousque revertentes certum de omnibus responsum reddere studuissent. Illi autem abeuntes, quod in mandatis acceperant contemnentes, non solum Photio Neophyto contra sibi interdictam sententiam communicaverunt, sed etiam corrupti muneribus, ipsi & consecrationi ejus favendo convocata generali Synodo eundem virum Ignatium Patriarcham denuo deposuerunt. Sicut in gestis Constantinopoli ab illis compilatis facile reperitur, & per legatos, scilicet Leonem à secretis, ac alios, necnon & epistolam prædicti Imperatoris veraciter mansit compertum. Revertentibus autem ipsis Legatis, quod in Photio egerant nonnullis præconiis extollebant, & qui in Ignatio Patriarcha nequiter operati fuerant, multis oppositionibus vituperabant. Rector ergo, & totius Ecclesiæ Princeps, Apostolicæ Sedis eximius, & discretus Præsul Romæ hæc sancto considerabat intuitu, sed audita, quæ contra suam dispositionem fuerant perpetrata, donec secundum mysticum suæ intellectum Sophiæ cuncta scrutaretur, minime credebat. Interim sacræ suæ auctoritatis tam ad Michaelem Græcorum Imperatorem, quam ad eundem Photium litteras, quæ in hujus sedis scrinio habentur, componens, dansque illas eidem Leoni à secretis, & mandans nec in depositione Ignatii Patriarchæ, nec in subrogatione Photii se fore consensurum, quousque veritate agnita coram se legitimum causa finem acciperet.

Ubi aliis ajentibus ipsius Præsulis in hoc fuisse decretum, & aliis acclamantibus Ignatium injuste extitisse depositum, supernum arbitrum idem summus jugiter Pontifex precabatur, ut per ejus clementiam, quem nulla latent abscondita, Dei patefieret Ecclesiæ suæ voluntatis in talibus non fuisse consensum. Tunc vocavit zelo fretus divino Episcoporum Concilium, in quo luculentius patefactum est in depositione Ignatii illum minime consensisse, (37) & legatos Apostolicæ Sedis in talibus deviasse. Denique decernente eodem piissimo cum Sancta Synodo Præsule præfatum Zachariam Episcopum, qui tunc aderat, sicut Beatus Papa Fœlix Vitalem, & Misenum Episcopos, qui Petro Alexandrino hæretica fece coinquinato coacti consenserant, Sacerdotali gradu, imo Ecclesiastica communione privavit, eo quod in pluribus Apostolica interdicta excessisse inventus est. Et Radoaldi Episcopi causa, quem postea cum Sancta Synodo pariter Papa pius mandata ejus, (38) etiam in Gallitis violantem, & excommunicationem frangentem, judiciumque canonicum subterfugientem damnavit, suspensa est.

Igitur ipse præclarus vir, Sanctique Studii Pontifex quendam Peponem Diaconum à Pandulpho (39) Episcopo Sedem Apostolicam appellantem injuste depositum, (40) officio suo restitui jussit, & quia sine certo numero Episcoporum, imo sine criminis approbatione, & ipse Diaconus sine oris professione fuerat judicatus, omnem illam judicii sententiam cassavit, & ad rectitudinis tramitem Apostolica causam pietate reduxit. Ipso etiam præstantissimo Præsule culmen Apostolicum gubernante Hludowicus Augustus hæc Sancto Petro Apostolo contulit dona, videlicet: Erat autem clementissimus idem Pontifex in exhibendis Dominici gregis vigiliis adeo curiosus, ut cum aliquod scandalum in Sancta Ecclesia oriebatur, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori, quousque per missos, aut litteras suas, pax reformaretur, & tranquillitatis populus (41) resumeret lucrum.

Nam Hlotharius Rex relicta Theutberga Regina, & Waldrada concubina in matrimonium sumpta, licet carnaliter super his Romanam Sedem, eundemque pium consuluisset Pontificem, in putredine luxuriæ, carnisque petulantia volvebatur. Cumque hoc summus Pontifex malum qualiter ab Ecclesia Dei pelleret, ne alios hujus morbi peste Rex ille pollueret, intra se cogitaret, diutissime cœpit affligi, & intimo corde dolens, valde super istis gemebat erroribus; præsertim cum Theutgaudum Treverensem, & Guntherum (42) Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopos, cum Haganone Bergomensi, & cæteris Episcopis talem eidem Regi auctoritatem dedisse audierit, ut Theutbergam liberius posset rejicere, & Waldradam concubinam in matrimonium legitime copulare. Et quos debuerat ante Dominum adjutores habere, atque ductores ipsos habere, Præsul Beatissimus compererat hanc dando pro auctoritate perpetuo igni, traditores. Unde sine mora continuo missos suos in Franciam destinavit, præcipiens, & monens, ut in Metensium urbe aggregato Synodali conventu, requirerent, cur idem Rex Theutbergam rejiceret, aut Waldradam sibi in conjugium copularet? Quo requisito, & invento legitimum finem imponerent.

Sed pervenientes illuc Sedis Apostolicæ Legati scrutari cœperunt hujuscemodi causam, & id ab Lothario inter cætera audierunt. Quicquid ego feci, (43) istorum Episcoporum consilio usus feci. Erant autem ibi præcipui prædicti Theutgandus, & Guntherius Archiepiscopi, quos auctores in tanto scelere Sanctus jam Papa compererat, astruentes, & dicentes legitimum illud fuisse connubium, quod de Waldrada concubina Rex construxit Lotharius, & quæ dicebant, coram Domino eximio Papa venientes se defendere posse spondebant. Cumque Legati Apostolicæ Sedis, licet in multis seducti, Romam iter regrediendo reflecterent, quæ à Rege, ac Theutgando, & Gunthario Archiepiscopis audierant, ac cognoverant summo retulerunt Pontifici. Piissimus autem Præsul adventum Archiepiscoporum dum præstolaretur illorum, ecce superna dirigente clementia, idem Theutgandus, & Guntharius Archiepiscopi Romanam urbem adeuntes, vestigiis hujus Præ-

(36) D. causam ejectionis ipsius &c.
(37) D. minimè consensisse. Denique decernente &c. *reliqua interposita omittens*.
(38) D. Papa Pius ex eo amplius mandata ejus &c.
(39) D. Candulfo,

(40) D. appellantem in Judicio se depositū, officio &c.
(41) D. tranquillitatis fidelis populus &c.
(42) D. Gutharium Agrippinæ &c.
(43) D. Quicquid ego feci, inquiens, istorum Episc. consilio usus sum.

Digitized by Google

Præsulis se sacris præsentari petierunt. Quibus benigne Præsule à præstantissimo susceptis, libellum ei obtulerunt, dicentes, se nihil plus, vel minus egisse, nisi sicut libellus ipse cantabat. Quo diligentissime scrutato, non pauca in eo reperta sunt prophani, & multis inauditi sermonis turpitudinem habentia, quæ Episcopalem excedentes ordinem ipsos sicut phreneticos ligaverunt Archiepiscopos. Denique convocata Synodo in Lateranensi post hæc palatio sub Apostolis, inventi sunt iidem, ut dictum est Archiepiscopi, unde damnationis notam incurrerent. Præcipue, quia auctores se tanti divortii fuisse clamabant, & sententiam (quam in Ingiltrudin uxorem Bosonis (44) Papa tulerat, quæ eundem virum suum Bosonem per septenne tempus reliquerat, atque excommunicata etiam, & à summæ Sedis Pio Papa ligata, & anathematizata extiterat, & ad eum reverti curaverant communicantes, ac conversantes cum ea, imo loquentes) dissolvisse se non negabant, sed altisone publicabant, & epistolam Pii Pontificis, sicut in illis (45) male compositis gestis in scrinio hujus sedis repositis declaratur, ad libitum falsaverant. Tunc judicante, & eodem Sancto Præsule cum Synodo decernente, Sacerdotali honore privati sunt. Et depositionis censuram merito incurrerunt. In hac quidem Synodo benignus Præsul Metensem Synodum, ubi gesta illa contra voluntatem Dei, & suam digesta fuerant, illico cassavit, & quædam necessaria in Sancta Ecclesia capitula promulgavit.

His ita peractis, una cum jam dicto Haganone Episcopo, qui, sicut quidam Episcoporum eidem Coangelico Præsuli scribebant, ob sermones imperitos, qui in prænominatis prophanis gestis à Theutgaudo, & Gunthario oblatis sonabant, Heliu nominatus est, eo quod ipse Hagano auctor illorum præfuerit, & talia cum eisdem Archiepiscopis inconvenientibus, mendacibusque loquelis composuerit, Joanne, de cujus superius memoria textus eloquitur, ascito Archiepiscopo cum Gregorio germano fratre illius, qui multarum prævaricationum juramenti, quod præstaverant, obliti obnoxii habebantur, iidem depositi pœnitentiæ lamenta non requirentes, & tantum facinus, quod in uxorem Lotharii Regis gesserant, adhuc non condolentes cum eisdem Haganone scilicet, & Joanne Ravennate Episcopo, atque Gregorio fratre ejus contra Sedem Romanam, imo specialiter contra Summum Pontificem, & populum illi subditum, & à Domino Jesu Christo per Beatum Petrum Apostolum, Regnique Cœlorum Clavigerum commendatum, multa nefanda, multa contraria, multaque sacrilega, & Christianitatis modum excedentia palam, & clam fraudulenter, atque procaciter operari cœperunt, ita ut eorum nequitia montes transiret, & maria. Et in Cœlum os suum ponentes populum Domini crudeliter discerperent, & innocentes animas viperea factione deciperent. Et quibus non sufficiebant mala præterita, nova, & inaudita alia deteriora prioribus diabolo suadente facere non recusabant. Quia & quod sigillatim utrisque prohibitum, & synodice secundum qualitatem sceleris interdictum fuerat, audaster contingere præsumpserunt, & quæ (46) tentanda nemini, Deo contempto, eheu pro dolor! peregerunt.

Hic Christi amicus omnium nomina claudorum, cœcorum, atque ex toto debilium in urbe Roma consistentium scripta apud se retinens quotidianum illis victum ministrare studiose curabat. Nam reliquis pauperibus gressum, aut vires habentibus hujuscemodi, ut vicissim eos pasceret sapienter, reperit modum, scilicet bullas suo nomine titulatas fieri jussit, & has eis dari præcepit. Ut quanti prima feria, quanti secunda, quanti tertia, vel cæteris obliquis feriis prandere debuissent per signum bullarum facilius nosceretur, & in illis quidem bullis, quæ eis datæ sunt, qui prima feria refici debebant fecit per singulas duos nodos, & sic per omnes usque in Sabbatum, ut quot feriæ essent, tot essent nodi per singulas bullas includens in eis nuces, (47) ubi nodi fiebant, quatenus nullus pauper haberetur in urbe, qui vel uno die per hebdomadam de suis eleemosynis non esset refectus. Interea Carolus Rex Sancto Apostolo obtulit ex purissimo auro, & gemmis constructam vestem, habentem gemmas prasinas, hyacinthynas, & albas. Sanctissimus autem, & fulgidissimus Pontifex dolens populum tot oppressum calamitatibus, Deum tantummodo innumeris invocabat precibus, & infinitis laudabat præconiis, non tamen Ecclesiarum Dei curam relinquens, sed potius in tribulatione, & temporali tentatione decenter adaugens. Nam renovavit in Basilica Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur Cosmedin, secretarium, ibique pulchri decoris fecit triclinium cum caminatis ad honorem, & decorem ejus.

Pari modo juxta idem secretarium porticum renovans ille construxit, atque ædificavit Oratorium in honore Sancti Nicolai, & plurima dona ibi contulit almus. Renovavit etiam ipse Pastor benignus Cimiterium Beati Fœlicis martyris, ac Confessionem via Portuensi. Necnon & Cimiterium eadem via ad Ursum pileatum, ubi corpora Sanctorum Christi martyrum Abdon, & Sennen requieverunt, jam in ruinis posito, pulchro, ac miro restauravit honore. Via autem Appia de Cimiterio Sancti Christi martyris Sebastiani, in Catacumba, ubi Apostolorum corpora jacuerunt, quod multis ab annis ruerat, meliori illud fabrica renovans, Monasterium fecit, & Monachos sub Abbatis regimine undecumque potuit, aggregavit, victuique necessaria dari, cæteraque stipendia ministrari præcepit.

Hujus igitur tempore cum multi ad Sanctitatis ejus nomen accurrerent, quidam de Anglorum gente Romam venerunt, qui in Oratorio Beati Gregorii Papæ, & Confessoris Christi (48) in Principis Apostolorum æde Frascatæ constructa unam tabulam argenteam posuerunt, habentem libras....... Prædictus clementissimus Pontifex in Ecclesia Cœlestis Regni Clavigeri Beatissimi Petri Apostoli vela numero quinque de fundato, quæ ad decorem ipsius Basilicæ sursum in trabibus intra tantæ ædis vestibulum appenduntur, ornata in circuitu olovero optimo fecit, & pro æternæ vitæ contulit palma. Hujus Beatissimi temporibus Præsulis tot, tantæque diversarum provinciarum cognita luce clarius doctrina præclari dogmatis ejus, ad Sedem Apostolicam consultationes directæ sunt, quantas nunquam penitus quis reminiscitur à priscis temporibus pervenisse, qui præsagus sacri verbi pabulo Præsul ubertim singulos

(44) D. Bosonis, quæ eundem &c.
(45) D. sicut in illis ab illis male &c.
(46) D. & quæ nunc intentando nemine &c.
(47) D. in eis nuscas, ubi &c.
(48) D. Christi in Frascaram Principis Apost. ædem constructam &c.

Digitized by Google

los reficiebat, tradensque eis præcepta, juraque mystica beatificis illos institutis satiabat, docebat, & ad propria benedictos, & eruditos remittebat. Et quicquid quoquo modo perperam fieri cognoscebat, audiebatve per aliquos, Dei tantum respectu corrigere illud malens, gravibus lamentis, orationibusque infinitis vacabat, ut Deus omnipotens per suam clementiam tale quid, tanquam non esset, bonis, ac præcipuis immutaret exemplis. Sicuti veniente de Insula Sardiniæ relatione, quod etiam & per domesticos suos genere Sardos agnoscens, hujuscemodi verbis ei relatum fuit.

Quod judices ipsius Insulæ cum populo gubernationibus suis subjecto in proximis, ac sanguinis sui propinquis, incestas, & illicitas contraherent copulas, velut temporibus Domni Gregorii quarti Papæ facere consueverant. Tunc enim mellifluos, & prævaricantibus, à Sancto Spiritu doctus terribiles suæ prædicationis, quæ in universo Orbe micabat, componens apices, Missos etiam strenuos Paulum Populoniensem Episcopum, & Saxu venerabilis Monasterii Sanctorum Joannis, & Pauli Abbatem accersiens, misit eos illuc, ut eandem gentem Sardorum à tanto revocarent errore: quibus euntibus valde quosdam ex eis invenerunt adversos, disciplinæ monita recipere contemnentes. Verumtamen secundum præceptionis summi Præsulis auctoritatem Sardos excommunicaverunt, ac anathematizaverunt auditores, quousque malum incestarum effugerent copularum, pœnitentiæ medicamina requirentes, sicut in epistolis, quas iidem legati in Sardiniam deportaverant regesto ipsius Præsulis continetur, insertis. Et sic Romam post affluentes prædicationes datas reversi sunt.

Quidam præterea Hincmarus Remorum Archiepiscopus Rhothadum Suessonicæ urbis Episcopum Sedis Apostolicæ judicium appellantem contra Sardicensis Concilii regulas deposuit, custodiaque arcta servari præcepit: cujus videlicet depositi ter Beatissimus Papa libellos cum innocentia suscepisset, ipsum Archiepiscopum monens litteris, & præcipiens, ut depositum Rhothadum Romam dirigeret cum suis missis audiendum. Sed veniente eo hanc Romanam secundum mandatum Beati Papæ ad Urbem, & per novem circiter menses hic commorante nunquam penitus ex accusantium parte quisquam affuit, qui coram Sanctissimo Præsule cum eodem Rhothado contenderet, aut illum accusaret. Tunc in die vigiliarum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quo secundum olitanam consuetudinem hujus Apostolicæ Sedis Præsul cum Clero, & populo in Basilica Dei Genitricis ad Præsepe missarum officia celebrare consueverat, conveniens cum omnibus Papa benignus fecit in ambone publice de ipso Rhothado sermonem. significans qualiter Sedem Apostolicam appellans depositus fuerit, & in conspectu suo nullus per tot menses accusatorum occurrerit. Denique consentiente sibi Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, omniumque conventu, decrevit, ut dignus esset idem Rhotadus indui sacerdotalibus indumentis, qui à nemine per tot menses accusabatur, & ad Sedis Apostolicæ judicium proclamabat, nec honore privaretur. Ubi vestitus Episcopali Rhothadus indumento, omni tempore se pollicitus est suis infestatoribus responsurum, rursus expectatis aliquantis diebus, scilicet usque in diem natalitium Sacræ Virginis Agnetis, qui est duodecimo cal. Februarii, sed nec sic quisquam affuit adversum Rhotadum jam restitutum Episcopum aliquid altercans.

Conveniente ergo Beatissimo Præsule cum omnibus in Basilica ipsius virginis foris muros urbis via Numentana idem Rhothadus Episcopus excusationis, & promissionis suæ, qua pollicitus fuit, se omni tempore accusatoribus suis responsurum, libellum Summo Pontifici tradidit, qui coram cunctis audientibus jussu Præsulis eximii est recitatus. Ubi etiam restitutionis ejus forma relecta est, & post omnium consensum in Ecclesia Sanctæ Constantiæ juxta eandem Sanctæ virginis Basilicam decreto Beatissimi hujus Præsulis sæpedictus Rhotadus jam restitutus Episcopus Missarum solemnia solemniter celebravit. Sequenti vero die congregata in domo, quæ nuncupatur Leoniana denuo Synodo, excusatoque ipso, sicut in libellis ab eo recognitis, duobusque quaternioribus insertis, atque diverso tempore missis, & oblatis, Archivoque hujus Sedis repositis continetur, Rhothado ne talia Sacerdotes, & maxime Sedem Apostolicam appellantes ultra discrimina paterentur, sicut prænotatum est, in gradum pristinum est restitutus, & ad propriam Sedem cum Apostolicis sanctionibus remissus, quatenus vestitus Episcopalibus infulis, si provocatus fuisset de cætero suis accusatoribus coram Sedis Apostolicæ Præsule responderet. Cumquo & Sanctissimus, & à Deo conservandus Præsul tam pro restitutione illius, quam pro abolenda Regis Lotharii copula, & pace etiam, & concordia Regum Galliarum conservanda Arsenium Episcopum hujus almæ Sedis Apostolicæ Apocrisarium, & missum illico destinavit, quatenus reformata pace Sanctæ eos Ecclesiæ finibus sine refragatione conjungeret, & quædam necessaria in Galliarum Ecclesia ex Apostolica traditione statuta diligentius, & affluentius perageret.

Nihilominus Seufredum Placentinæ sedis Antistitem à sede propria à cujusdam Diaconi Pauli perfidia pulsum per legatos suos idem Papa sedi suæ restituit, & eundem Diaconum, qui sedem illam proprio Rectore superstite præsumpsit invadere competenti cum suis sequacibus increpatione corripuit. Pro cujus etiam infausta, nefariaque præsumptione penitus amputanda Sanctitatis studio jussit, & pro pace Dei Ecclesiæ ipsi jam fato præcepit Diacono, ut nec tale quid unquam tentaret peragere, nec eandem sedem Placentinam sive viveret Seufredus, sive moreretur Episcopus repetere præsumeret, vel recipere. Omnium namque insignis idem, atque præclarus Pontifex pietate magistra miserias, ac necessitates prævidens cunctis clementer compatiendo celeri subveniebat egenis intuitu, & imitatione Domini nostri Jesu Christi, qui ad redimendum humanum genus è sublimi descendit ad infima in populo labores sustinebat ingentes.

Claudorum quapropter, atque cœcorum, necnon & diversis pœnis affectorum in porticu Beati Petri Apostoli jacentium ad oram Tyberini fluminis ad sitim auferendam non posse gressus conspiciens tendere, ac diversarum gentium, quæ undique pro sceleribus Apostolica limina propriis expetebant utilitatem divinitus attendens, jussit, minime corpori suo parcens, formam aquæductus, qui multis à temporibus ruerat, & ad Beatum Petrum Apostolum ob hoc aqua non ducebatur, in meliorem, quam fuerat certamine quamplurimo revocari statum: ita ut non solum hominibus profuerit debilibus, sed

Digitized by Google

sed etiam omnibus Ecclesiam Beati Principis Apostolorum adeuntibus præcipuum opus extiterit, sicut hactenus ad decorem Leonianæ urbis luculenter conspicitur, ac habetur. Præterea Ostiensem urbem, quam (49) diu, ac memoriæ Beatus Papa Gregorius, ne gens iniqua Saracenorum populum Domini in circuitu caperet, aut interimeret ad salutem multorum construxerat in ruinis jacentem inspiratione superna tactus fortiori, firmiorique fabrica reædificari iste Sanctissimus Præsul jussit, & in melius restauravit, portisque etiam, & turribus fortissimis muniens promptos ad bella in ea homines collocavit, ita ut nullatenus alienigenæ gentis incursio de cætero illi possit dominari, aut concivibus ejus damna in aliquo, nisi, quod absit, per desidiam operari.

Interea meritis beatissimi hujus in orbe prorsus exuberantibus operante potentia summi Dei, qui quotidie suos per famulos signa, & mirabilia magna facit, Rex Bulgarorum Christianitatis, & fidei sanctæ doctrinas agnoscens, meruit baptizari, & qui prius creaturæ serviens sæviebat crudelitate, hujus temporibus Creatori colla summittens ampla cœpit religione jubere, magnaque usus est pietate. Tunc ad hunc Catholicum, & vere Præsulem orthodoxum Legatos suos mense Augusto Indictione XIV. destinavit, donaque non parva tam sanctis locis, quam eidem Summo Pontifici contulit, suggerens ejus Apostolatui quid se facere salubrius oporteret, vel quid erga reliquum Bulgaricum adhuc Baptismo sacro carentem populum, ut fidei Sacramenta perciperet, agi deberet. Quod Beatissimus audiens Papa magna repletus lætitia laudes Christo reddidit amplas, & cum omni sibi divinitus commissa Ecclesia gratulans infinita præconia Deo nostro, qui novissimis his temporibus tantum fecit miraculum devota mente, supplici quoque voce resolvit. Porro Legatos ejusdem jam nomine Michaelis Bulgarici Regis à Sancto Papa receptis honorifice apud se eos retinuit. Et interim Sedis Apostolicæ missos, Paulum scilicet Populoniensem, & Formosum Portuensem, magnæ Sanctitatis Episcopos, statuens, hosque monitis mellifluis, atque doctrinis instruens ad prædicandum genti illi eos ire decrevit. Cum quibus quoniam per Bulgaricum Regnum iter usque Constantinopolim terra tenus tenditur, ut quicquid de Sancta Constantinopolitana Ecclesia, licet jam per Orientem hoc ipsum idem Papa semel, & bis Apostolicis litteris divulgatum habuerit, apud se decretum existeret, eidem per suos Legatos Ecclesiæ notum faceret. Donatum Episcopum Ostiensem, Leonemque Presbyterum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon & Marinum Sanctæ Sedis Diaconum Apostolicæ missos idoneos æque direxit, ut illi Bulgariæ populum ad fidem converterent, & isti quid, vel qualiter Apostolica Sedes de eadem Constantinopolitana deliberatum habuisset Ecclesia, modis omnibus nunciarent. Quod in nomine Domini cum adjutorio Sancti Petri, & Pauli factum est. Sed præfatis Paulo, & Formoso venerabilibus Episcopis in Bulgaria morantibus Donatus Reverendus Episcopus, Leoque Presbyter, & Marinus Apostolicæ Sedis minister, dum Constantinopolim ire vellent: ecce inter fines Bulgariæ, Constantinopolitanorumque quendam Theodorum illam (50) custodientem invenerunt, qui eos ultra non dimisit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis adeo tantæ Sedis Legatis abusus est, ut etiam equorum, in quibus sedebant, capita percuteret, diceretque, Imperator noster vos necessarios sane non habet.

Sed idem Imperator Legatis Regis Bulgarorum ita fertur dixisse: Nisi per Bulgariam missi Sedis Apostolicæ venissent, nec faciem meam, nec Romam diebus vitæ suæ viderent. Illi vero per quadraginta dies illic residentes, ut cognoverunt, quia hoc Imperator Græcorum fieri jusserat, terga verterunt, & Romam hæc eadem nunciantes coacti reversi sunt. Porro à prænominato Rege Bulgarorum Apostolici missi mente alacri, magnaque suscepti devotione, cœperunt salutaribus edocere populum monitis, & à minimo usque ad maximum sacro fonte cum Dei gratia abluerunt, omnemque ritum Christianæ fidei, sicut à Sanctissimo Papa instructi fuerant, in consuetudinem Bulgarorum tradiderunt. Gloriosus autem Bulgarorum Rex fidei tanta cœpit flagrare monitis hujus pii Patris illectus constantia, ut omnes à suo Regno pellens alienigenas, præfatorum Apostolicorum solummodo prædicatione usus missorum, pascuis vitæ æternæ jugiter refici, nempe decreverit, unumque ex his Formosum vita, & moribus Episcopum sibi dari Archiepiscopum expetierit. Tunc iterum Legatos suos Romam direxit, & inter alia Beatissimo Papæ id ipsum suggerens ab ejus sanctitate pro instructione gentis illius Presbyteros postulavit. Ipse vero talibus Papa compertis valde gavisus est, & infinitas Deo laudes rependens non pauci numeri coram se probavit Presbyteros, & quos dignos reperit prædicationis gratia in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivensem, & Grimoaldum Polimartiensem Episcopos destinavit: ut quia ipsum Formosum plebem dimittere sibi creditam non oportebat Episcopum, ex his Presbyteris ad Archiepiscopatum, qui dignus inveniretur, in nomine Domini tandem eligeretur, & Sedi consecrandus Apostolicæ mitteretur.

Inter hæc quidem statuit Beatissimus Papa, solertissimusque vitiorum corrector, & Dei cultor, ut penetrantibus ipsis Bulgariam Episcopis, Paulus, cujus superius memoriam fecimus Populoniensis, ipseque Grimoaldus (51) Episcopi Bulgariæ quicquid ad Divinum ministerium pro instructione gentis illius pertineret, efficerent. Et sæpius dictus Formosus, atque Dominicus venerabiles Episcopi iterum Constantinopolim pro schismate ibi exorto, de quo jam late disserui, proficiscerentur. Sed dum hæc agerentur Dei judicio Michaelem Græcorum Imperatorem ultio digna perculit, & nefanda nece peremit. Imperante autem Basilio in Constantinopoli, quoniam voluit Deus ipsius Sancti Pontificis juges labores, quos pro Sancta Constantinopolitana passus fuit Ecclesia cum fine boni operis consummare, sicut fama se habuit, Photius neophytus, ac invasor, ut mœchus pellitur, & juxta Decretum Sedis Apostolicæ Patriarcha Ignatius Constantinopolitano redditur throno. Neque enim hic divinorum executor operum piissimus, & Catholicus Papa, quæ sua sunt, sed ea, quæ Dei sunt primo loco posuit, & quæsivit. Et cum adjutorio Sancti Petri bella Domini summo dispen-

(49) D. quam divæ memoriæ &c.
(50) D. Theodorum Marcham illam &c.
(51) D. Grimaldus.

Digitized by Google

dispensationis libramine spiritaliter præliari curavit. Prælatos siquidem quosque, ne subditos læderent magna provisione moderans, ut pater commonuit, & ut subjecti Prælatis subessent juxta uniuscujusque privilegia pastoraliter quoque decrevit. Cujus qui sanctum studium vult agnoscere, in epistolis suis, quas bene libratas per mundi partes direxit luce clarius invenire valebit: quippe qui animam suam in manibus suis posuit, qui nulla, nisi cœlestia cogitabat, qui jejuniis, vigiliis, & orationibus nocte, ac die vacans, nec requiem corpori, nec membra dabat sopori. Nam si cuncta, quæ Christi gratia plenus virtutibus, atque fide sanctitatis opera gessit, & moribus, vitaque docuit, & implevit, chartis inserere volumus, prius fortasse membrana, quam sermo deficiet. Tamen antequam ad finem vitæ illius stylum vertamus, ad ea, quæ sanctis locis contulit, redeamus.

Hic igitur egregius Papa ob amorem Principis Apostolorum Petri Apostoli nutritoris sui fecit in Basilica ejus pannos tam scilicet de stauraci, quam & de fundato, vel aliis pulchris, variisque coloribus numero ...... Qui trabes majores in presbyterio respicientes omnes in gyro complevit, quæ illud luculenter ornant, decusque augent, & amplius mira sua magnitudine dant honorem; ubi etiam, quod nullus post devastationem Saracenorum agere nixus est, arcum fecit argenteum, & melius, quam olim fuerat super excellentiorem trabem, quæ est ante cyborium in medio posuit, pensan. libras ...... & tres imagines argenteas, una figura Domini Salvatoris, duabus vero Angelorum scalpsit effigies, ac illis novem libr. auri deaurans subposuit; quarum una pens. libras octuaginta, alia libras septuaginta, tertia vero pens. libras similiter septuaginta. Fecitque ibidem crucem auream unam, pretiosis gemmis ornatam, pensan. libras...... & in summitate ejusdem eam arcus locavit, ubi pro amplitudine decoris ejus, atque speciminis appendit coronam auream (52) unam, cruces argenteas duas, calices argenteos duos, & staupos argenteos duos. Porro in purpureis marmoribus, quæ ante Corpus Beati Petri Apostoli rugas argenteas retinent, dextra, levaque duas cruces argenteas offerens posuit, pens. libr.....

In Patriarchio siquidem Lateranensi domum pulcherimam, nimisque decoram fieri jussit. Et Oratorium Sanctæ Dei Genitricis illic construens, vestes, & competentes ornatus pro æterno vitæ amore lucifluis votis ipse Beatissimus Pontifex obtulit. Idem etiam à Deo protectus, & cœlesti gratia circumvallatus multa casum minantia renovavit loca Sanctorum, & diversis Ecclesiis diversa munera contulit, & commoda luculenter adauxit. Et in cyborio Constantinianæ Basilicæ optimos de sifori, & de fundato quatuor pannos appendit. Deinde Regni Cœlorum Clavigero paris in cyborio numeri pannos optimos obtulit. In Ecclesia Doctoris Gentium similiter fecit. In Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe pari modo, æternæ pro retributionis præmiis egit. Et in Ecclesia Sancti Laurentii Christi martiris foris muros Urbis æque pannos optimos quatuor in cyborio dedit. Hujus quippe Beati temporibus Præsulis tanta ubertas, & victuum copia extitit, ut omnem memoriam famis decessoris sui factæ diebus hæc oblivioni traderet abundantia. Hic fecit ordinationem unam per mensem Martium, Presbyteros septem, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero sexaginta quinque. Postquam autem Sedem Apostolicam victoriosissime, & ut verus Dei athleta Catholice, ac principaliter rexit, ex hac luce idibus Novembris indictione prima migravit ad Dominum. (53) Porro quid dicam, cum non solum ejus exitum diversæ hominum nationes plena ratione utentes, verum etiam, quantum ad intemperantiam aeris, ipsa mundi elementa diu fleverunt, & de morte tanti viri in tristitia permanserunt. Quo defuncto corpus ejus sepultum est ante fores Basilicæ Beati Petri Apostoli. (54)

ANNOTATIO HONUPHRII PANVINII IN PLATINAM, POST NICOLAUM PRIMUM.

Ad hunc usque Nicolaum Romanorum Pontificum Vitas scripsit Anastasius Monachus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, sub quo & ejus successoribus Hadriano secundo, & Joanne octavo in Orbe floruit. Quæ sequuntur, concinnavit Gulielmus quidam alter Bibliothecarius, quæ in Libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, extant.

CVIII. HADRIANUS II.

ANNO CHRISTI 867.

LUDOV. II. 12. IMPER. BASILII 1.

HAdrianus, (1) natione Romanus, ex patre Talaro, postepiscopo (2) regionis tertiæ, sedit annos quinque. Hic ex proximitatis genealogia Beatæ recordationis quarti Stephani, Sergii junioris Pontificum descendens, dum miris polleret actibus à venerandæ memoriæ quarto Gregorio Sedis Apostolicæ Præsule Subdiaconii sortitus est ministerium. Deinde vero in Lateranensi Patriarchio familiariter assumptus laudabiliter conversatus ad regendum titulum Sancti Marci Confessoris Christi, atque Pontificis Presbyter ordinatus tam inculpabiliter deguit, tam viriliter ministravit, ut non tantum sicut factus Presbyter, sed sicut futurus Pontifex, reverenter ab omnibus coleretur. Siquidem & inerat in Christo, ejusque Genitrice, apud cujus Præsepe jugibus orationibus incumbebat, tantam fiduciam, ut bene faciens non deficeret, nec quicquam discriminis, cuncta quę habere poterat discretissime largiens, incurrere formidaret. Nam cum die quadam inter compresbyteros suos à Sanctissimo Papa Sergio consuetu-

(52) D. auream *non habet*.

(53) B., & C. migravit ad Dominum. Quo defuncto &c. *interpositam periodum omittentes*.

(54) B. *post verba* Beati Petri Apostoli *hac addit*, & cessavit Episcopatus annis VIII. mensibus VII.

C. *legit ut* B. *sed* mensibus VII. *adjungit* diebus IX. *sicut in margine ipsius* B. *notatur*.

HADRIANUS.

(1) B., & C. Adrianus.

(2) B., & C. Talaro Episcopo sedit annis V. mensibus IX. (C. menses X.) dies XII. Hic cùm aliquando inter Compresbyteros suos à Papa Sergio consuetudinaliter denarios XL. percepisset, domum regressus equestri suo præcepit, ut multitudini peregrinorum, quos ante januam ejusdem domus invenit, ternos ex eisdem denariis in singulis erogaret. Cùmque ille *& cætera ut infra*.

Digitized by Google

suetudinaliter denariis quadraginta perceptis domus suæ portas revertens ingredi vellet, ac præ multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter more solito velut ad horreum commune confluxerat, omnino nequiret: misericordia motus equestri suo retulit, nil sine tantis fratribus in tantillis denariis sibi esse commune. Cumque ille (3) neque tertiæ parti pauperum singulos denarios posse sufficere intulisset, in virtute, inquiens, Christi, qui de quinque panibus, & duobus piscibus, quinque millia hominum satiavit, non singulis singulos, sed ternos singulis denarios erogabo. Et hæc dicens forinsecus portæ succedens, ac de manu equestris sui suscipiens peregrinis cunctis egredientibus ternos sigillatim denarios erogavit. In qua redundatione cum miraretur equester non solum non defecisse denarios, quinimo superfuisse, liberalis Presbyter, qui supererant domum recipiens multitudini familiæ suæ ternos nihilominus personatim nummos largitus est. At cum sex itidem superessent, videas quam largus, & quam suavis sit Omnipotentissimus Dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum & fratribus nostris per ternos distribuit, & mihi ternos, tibique ternos æqua sorte servavit.

Erat præterea tantæ hospitalitatis, & largitatis, ut non immerito Beato Job in his valeat comparari, nam ab infantia crevit cum eo miseratio, & de utero matris cum ipso egressa est. Non despiciebat prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, cujus (4) latera nimirum ovium calefaciebat velleribus, nec buccellam quidem suam comedebat solus, cum hanc cum pupillis, & egenis comederet. Quippe qui oculus esset cœco, & pes probabatur existere claudo, & ut scriptis virtutum ejus multiplicitas referatur. Pater erat pauperum, & cordis viduæ consolator, ostium ejus viatoribus patebat, nec erat clausa janua domus ipsius, quippiam postulantibus ab eo, ut ab omni clericali gradu, ab omni senatorio, & populari concordissimo cœtu, sicut post mortem quarti Papæ Leonis, ita post obitum tertii Benedicti Pontificis, subire summum Pontificium, nisi ipse diversis argumentis, & exquisitis excusationibus verecunde subterfugisset, cogeretur. Sed cum Apostolicæ memoriæ Sanctissimus Papa Nicolaus rebus excessisset humanis, & iste impræsentiarum tertium quintum & vigesimum annum transiret, omnes urbis Romanæ concives, simul & hi, quos extrinsecus tunc adesse contigerat, tam pauperes, quam divites, tam clericalis ordo, quam cunctum populi vulgus, omnis scilicet ætatis, professionis, & sexus, contemptis omnibus excusationibus Hadrianum desiderant, Hadrianum dari sibi Præsulem, ac Pastorem exoptant. Nullusque in totius Urbis amplissimo spatio repertus est, nisi vel se, vel suum quemque provehi voluisset, qui non Hadrianum promoveri ad hoc culmen medullitus exoptaret. Proceres vero licet soluto in duas partes corpore, viderentur esse divisi, una tamen mente, parique circa hunc flagrabant ardore, quoniam causam divisionis eorum, non nisi nimius in tantum virum faciebat charitatis affectus, dum sic alterutra pars sibi præferri gestiret, ut si hunc altera pars deligeret, pars altera penitus dubitaret, nec erat ibi parti alteri retinendi voluntas, nisi quia opinabatur eam sua in alium vota dirigere, præsertim cum multi Monachorum, plerique Religiosorum Sacerdotum, ac fidelium laicorum cœlitus emissis visionibus, multo jam tempore Hadrianum futurum Pontificem, non solum dubitarent, verum etiam apertis vocibus proclamarent. Inter quos quidam Hadrianum in Sede Apostolica pallio humeris obducto reclinatum videbant. Alii eum cum Apostolicis infulis Missas (5) celebrantem. Nonnulli more Apostolico in Basilica Lateranensi aureos erogare. Plerique in equo, cujus sessione Sanctissimus Papa Nicolaus ad Sanctum Petrum pergens usus fuerat, eum cum Pontificali pallio impositum præcedentibus axiomaticis, & subsequentibus reliquis turbis in urbem redire, Patriarchiumque subire conspexerant. Verum ubi evidentibus indiciis (6) hunc eundem utraque parte dirigi claruit, tanta in eum unitas, & animorum, & corporum fuit, ut unum in eis erga eundem Domini Sacerdotem cor, & unus spiritus inesse omnibus videretur. Ita ut lapis angularis, salva reverentia Jesu Christi Domini nostri, quodammodo possit vocari. Quoniam per ostensionem, immo profectionem suam solvens inimicitias cordium, fecit utraque unum. Collectis igitur omnibus tam Episcopis cum universo clero, quam primoribus Urbis cum obsecundantibus sibi populis, ab Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe, rapitur, trahitur, & ad Lateranense Patriarchium certatim, ac à Procerum, & plebis multitudine deportatur. Quod audientes (7) tunc missi Principis moleste tulere, indignati scilicet non quod tantum virum nollent Pontificem, quem nimirum anxie cupiebant, sed quod se dum præsentes essent, Quirites non invitaverint, nec optatæ à se futuri Præsulis electioni interesse (8) consenserint. Qui accepta ratione, quod non Augusti causa contemptus, sed futuri temporis hoc omissum fuerit omnino prospectu, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præsulum mos expectandi per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem suæ mentis (9) indignationem, medullitus (10) sedavere, ac salutandum electum etiam ipsi humiliter accessere.

(11) Cumque Patriarchium Lateranense ascenderent, atque descenderent, tantis clamoribus universæ plebis, ut sibi diu desideratus vir ad consecrandum daretur clamitantis obsessi sunt, ut nullus eorum loquentis secum collegæ sui

(3) B., & C. Cùmque ille neque tertiæ parti eorundem singulos satisfacere posse affirmaret, ipse acceptis denariis ternos singulis erogavit. In qua redundatione cùm miraretur equester, liberalis Sacerdos ex residuis multitudini familiæ suæ iterum ternos largitus est cuique. Et cùm VI. superessent: vides, inquit, quàm largus est Dominus, qui ex illa quadragenaria quantitate mihi, tibique trinos misericorditer reservavit. Hic cùm ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei Genitricis Dominæ Nostræ, quæ dicitur ad Præsepe *& cætera, ut in sequenti capite, non longè à fine expressa invenies*.

(4) D. de cujus nimirum &c.

(5) D. Missas celebrare &c.

(6) D. emicantibus judiciis &c.

(7) B., & C. Quod audientes Missi Ludovici Imperatoris molestè tulerunt, indignati scilicet, quòd dum præsentes essent, non invitati fuerunt, nec optatæ &c.

(8) B., & C. interesse meruerunt.

(9) B., & C. *Verba* suæ mentis *non habent*.

(10) B., & C. indignationem, mollitus sedavere &c.

(11) B., & C. *Verba* Cùmque Patriarchium &c. *usque ad illa* Audiens hoc Hludovvicus &c. *ut infra non habent*.

Digitized by Google

fui verba posset audire. Erat enim cernere singulos circa consecrandum Pontificem, tantam dilectionis efficaciam possidere, quantam nec vidisse, nec visurum unquam, quis æstimasset. Denique omnes hunc certatim coram eisdem Legatis rapere, & ad summum Pontificatus apicem provehendum trahere, ac anxie nitebantur portare, nisi blanditiis Senatorum, & consiliis aliquantulum sedati fuissent. Quorum omnium unanimitatis desiderium audiens (12) Hludowicus Christianissimus Imperator, cognoscens etiam, qualiter in eo decretum suis subscriptionibus roboraverunt, valde gavisus est. Et ut tantus Domini famulus, cunctisque gentibus, videlicet tam Romanis, quam diversis advenis desideratus, & desiderabilis Christianæ plebi præficeretur, medullitus exoptavit: & mox imperialem scribens epistolam, cunctos Romanos, quod dignum tanto (13) elegissent officio Præsulem conlaudavit, per quam videlicet innotuit, nulli quippiam præmii fore ex consecratione ipsius, quoquo modo pollicendum, cum ipse hanc non suorum suggestione, sed Romanorum potius unanimitate commotus (14) ardentissime cuperet provenire. Maxime cum reddi, quæ ablata fuerant, non auferri ab Ecclesia Romana, vel deperire quippiam se diceret (15) amare. Itaque Sabbato peractis rite orationibus, vigiliis, & eleemosynis, Dominico, secundum morem, idem venerabilis Sacerdos ab universitate ad Ecclesiam Sancti Petri Apostolorum Principis ductus nonodecimo calend. Januariarum indictione I. anno præfati Augusti decimonono, per Episcopos reverendissimos, scilicet Petrum Gavensem, Leonem Silvæcandidæ, deinde tertio loco Donatum Ostiensem, quia Episcopus Albanensis obierat, Formosus vero Portuensis à Beatissimo Nicolao ad prædicationem, & instructionem Bulgarorum destinatus exstiterat, benedictionem summi Pontificatus ad consolationem videlicet multorum Sanctæ Dei Ecclesiæ filiorum, qui factiosorum tyrannide liberius solito sæviente inter unius decessionem, & alterius substitutionem Pontificis diversis agebantur exiliis, variisque afficiebantur incommodis, suscipere meruit in nomine Domini.

Siquidem ad celebritatem Missæ ipsius tam incredibilis extitit multitudo, ut certatim de manu ejus omnibus communicare nitentibus Teutgaudus Trevirorum Archiepiscopus, & Zacharias Anagninus Episcopus, quia à Domno Nicolao sacerdotio denudati, etiam communione caruerant, simulque Anastasius, qui dudum à Leone, Benedictoque Pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat, Ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione receperint. Igitur mox ad Patriarchium Lateranense reversus est, & consuetudine ab eo, qua diversorum xeniorum hinc inde confluentium (retentis solum quæ usibus mensarum sufficerent reliquiis) pretia capiuntur, exclusit dicens, non esse pium, quod gratis accipimus, pretio venundare, & cariores habere rationalibus fratribus irrationabiles numos, pro quibus Christi pretiosus est cruor effusus, sed parvipendantur, inquit, obsecro, hæc pudenda pretiorum commercia, & quod gratis accepimus, gratis juxta præceptum Domini largiamur, & oblationes Christi cum ejus hospitibus, ac inopibus partiamur, propter quos has nobis tribui divinitus scimus. Evestigio etiam Dominicum, & Grimoaldum Episcopos, quos decessor suus Sanctæ recordationis Papa Nicolaus in Bulgariam patriam ire præceperat, & à se in ipso articulo sui discessus absolverat, quique (16) videntes tanti Patris obitum ire distulerant, eadem fungentes legatione direxit, & quasdam epistolarum, quas ille mittendas delegerat, ut se ejusdem voluntatis, & studii fore ostenderet, suo nomine titulari præcipiens, in quantum tempestas fluctuosi temporis permittebat, piissimi Patris votum pius heres implevit.

His ab urbe dimissis, continuo exules gaudere, cum videlicet Veltriensem, & Stephanum Nepesinum Episcopos, & Joannem cognomento Hymmonidem, quos procacissima falsitas, Serenissimo Augusto incusans, domo, patriaque proscripserat, ab Augusta mansuetudine multis epistolarum documentis requirere studuit, dicens, se bonum Ecclesiæ Dei Pastorem videri non posse, nisi oves, quas fides, Sanctæ Ecclesiæ infidelis vir per suam surreptionem proscripserat, recepisset. Qua religiosa suggestione lætificatus Augustus una cum Christianissima conjuge, non solum eos, propter quos Summus Pontifex miserat honorifice ad Urbem remisit: verum etiam quoscumque privata simultate tanquam reos Imperatoriæ majestatis, & in ergastulis quilibet truserat, ut reverterentur, præcepit absolvi.

Post hæc Summus Pontifex Basilicam Nicolaitanam, quam Sanctissimus Papa Nicolaus à fundamentis adeo luculenter cum tribus aquæductibus fabrefactis extruxerat, ut omnes Lateranenses Basilicas sui pulchritudine superaret, juxta votum decessoris sui picturis variis decoravit. Cujus ipse conversationis exempla sic solertissime sequebatur, ut ab hostibus Sancti Nicolai, quia omnibus ejus acta penitus infringere nitebantur, Nicolaitanus & scriberetur, & publice diceretur. Quorum scilicet hostium, quia nonnullos parturientes injustitiam, conceptum dolorem effusuros esse cognoscens, penes se veluti zizaniam inter frumenta, usque ad maturitatis tempus dispensatorie retinebat, rumore fallaciter exurgente, creditum est, quod omnia decessoris sui acta, quæ ille zelo divino sanxerat, hostes vero ejus ad proprios libitus infamabant, voluisset infringere.

Unde accidit, ut omnes Occidentalium regionum Episcopi solemnes, ac honorificas literas emittentes religiosam ejus memoriam, utpote orthodoxæ, & veræ philosophiæ Pontificis excolendam Summo Pontifici jugiter inculcarent. A cujus videlicet Sanctissimi Hadriani Papæ collegio, cum per dies aliquot quidam Græcorum, & aliarum gentium servorum Dei per id tempus Romæ morantium, se clanculo suspen-

(12) B., & C. Audiens hoc Lodovicus Christianissimus Imperator mox Imperialem scribens Epistolam ad cunctos &c. *ut infra*.

(13) tanto peregissent officio &c. *in omnibus*.

(14) B., & C. *&* commotus *non legunt*.

(15) D. se decere anhelaret.

B., & C. se diceret anhelare. Hujus temporibus celebrata est apud Constantinopolim Synodus pro expulsione Phocii, & restitutione Ignatii Patriarchæ, & Bulgarorum Legati coram Basilio Imperatore, & Legatis quatuor Apostolicarum Sedium lungam disceptationem habuerunt: utrum Romanæ, an Constantinopolitanæ Ecclesiæ subjecti esse deberent. Postea verò Legatus Michael Bulgarici Regis cum donis regalibus Regias literas obtulit Summo Pontifici Domno Adriano deprecans, ut aliquem ex Cardinalibus dumtaxat suæ Ecclesiæ &c. *ut infra*, *cæteris omissis*.

(16) D. quippe videntes &c.

Digitized by Google

suspendissent, sexta feria, LXX. idem Sanctissimus Antistes eos secundum consuetudinem, refectionis gratia, solito plures numero convocavit. Quorum omnium manibus per semet humiliter aquam fudit, cibos apposuit, pocula ministravit, & quod nullus Pontificum ante se fecisse noverat, ut eos promptiores ad prandium redderet, cum illis discubuit, canticis spiritalibus ibi per totum spatium jugiter laudes concrepantibus.

Dum surrexisset ab epulis in faciem suam coram omnibus procidit, dicens: Rogo vos, & suppliciter obsecro patres, fratres, & filii, ut fundatis Domino pro Sancta Catholica Ecclesia sua preces, oretis pro Christianissimo filio nostro Hludowico Imperatore Augusto, ut ei Deus omnipotens ad nostram perpetuam pacem Sarracenorum faciat subditam nationem. Oretis etiam pro me fragili, & imbecilli, ut det mihi Christus virtutem, tantam Ecclesiæ suæ multitudinem in sanctitate, & justitia regendi, qui commisit Beato Petro Apostolo cunctos regere, quos redemit: quatenus qui curarum secularium pulvere caligans, plerumque spiritalia minus luculenter intueor, vestra mihi jugis oratio, quæ tanto purior, quanto ab inquinamentis seculi remotior est, divinitus suffragetur. Cumque illi pro se magis illum oportere preces fundere clamitarent, qui tanto acceptior apud Deum haberetur, quanto solus pro omnibus in labore ferventior, interna miseratione commotus cum lachrimis ait: Quia pro valde bonis orare, charissimi, gratiarum actiones Deo persolvere est, peto, ut Dominum patrem, decessoremque meum Sanctissimum, & orthodoxum Papam Nicolaum habentes in vestris orationibus communes grates Domino referatis, qui eum Ecclesiam suam miseratus, elegit, & ad excludendum mundi tumidissimos strepitus, sicut Josvæ clypeo protectionis armavit, & gladio spiritalis potentiæ roboravit.

Quo audito cuncti famuli Domini, videlicet Hierosolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Constantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi principum fungebantur, diutino (17) stupore attoniti, in vocem clarissimam prorupere dicentes, Deo gratias, Deo gratias, qui talem Ecclesiæ suæ præficiendum disposuit: qui nosset, sui patris, & decessoris reverentiam præ oculis ponens, gregem Dominicum in virga, & baculo pascere, testamentumque patrum non convellere, sed implere. Deo gratias, Deo gratias, qui in Sede sui Apostoli non posuit Apostaticum Papam, qui domus suæ fundamenta posuit non super arenam, sed super firmissimam petram, qui te succedere fecit Sanctissimo Papæ Nicolao, nec ab ejus decretis abscedere. Eja cesset invidia, mendax fama recedat, Domno nostro Hadriano à Deo decreto summo Pontifici, & universali Papæ vita dictum est ter. Cumque manu silentium innuisset, summus Præsul intonuit, dicens: Reverendissimo, Sanctissimo, & Orthodoxo Domno Nicolao à Deo decreto summo Pontifici, & universali Papæ sempiterna memoria: dictum est ter. Novo Heliæ vita perennis, & immarcessibilis gloria, dictum est ter. Novo Phinees æterni sacerdotii infulas, dictum est ter. Sequacibus ejus Pax, & gratia, dictum est ter.

Igitur Lambertus (18) Vintonis filius Dux Spoletanus tempore consecrationis hujus venerandi Pontificis Romanam urbem, præter consuetudinem, sicut tyrannus intravit, non rebellantem, sicut victor satellitibus suis ad prædandum distribuit, majorum domos multis muneribus vendidit, nullis Monasteriis, Ecclesiis nullis pepercit: quinimo nobilissimi generis puellas tam intra Urbem, quam extra suis satellitibus indifferenter diripiendas concessit. Propter quæ apud Augustos piissimos Romanorum querimoniis prægravatus, Ducatum perdidit, iram Principum, & invidiam pene cunctorum Gallorum, tanquam revera Sedis Apostolicæ hostis adjudicatus incurrit. Mox Romanus Pontifex tanta tyrannide liberatus Aistaldum (19) Walterium, Hilpianum, Odonem, & Teopertum, cum cunctis aliis raptoribus, & prædonibus quousque rapta redderent, sibique legaliter satisfacerent, omni Ecclesiastica communione privavit. Sed Teopertus quæ rapuerat haud difficulter reddere studuit. Aistaldus vero vir Deo devotus, belloque fortissimus ad Præsulem se percutientem tota humilitate conversus est, ejusque gratia, secundum omne Romanorum libitum, satisfacturus accipiens, spem quoque resumendæ communionis (20) accepit. Quam nimirum recipere prævaluisset, nisi conjurationi Lambertorum postea conscius cum viris excommunicatis, ac rebellibus fugiens Beneventum petere maluisset.

His ita compositis, postquam Michael Græcorum Imperator Bardam Cæsarem, Photii fautorem suum, sicut perhibent, interitum machinantem peremit, Basilium collegam sibi adoptans Imperatorem constituit: cumque novus Imperator Basilius à Catholicis, tanquam qui semper eis faverit, summo studio coleretur, Michael à Spadonibus suis, dubium an filii voluntate, peremptus est. Moxque Basilius rerum potitus, primo quidem non se fuisse conscium necis Michaelis, ut fertur, omnibus satisfecit: tum vero secundum Romanæ Ecclesiæ constitutum pervasorem Photium pepulit, & Ignatium Patriarcham, populo adnitente, Patriarchio restituit, ac ex utraque parte Ignatii videlicet Patriarchæ, Photiique neophyti legatos Romam per suum Spatharium Basilium nomine destinavit, qui præsente summo Antistite alternatim confligerent, & justitia suffragante, aut justificarent Photium, aut perpetuo condemnarent. Sed divino judicio disertissimam partem Photii pelagus sorbuit, & simplicissimam partem Ignatii cum legato Imperiali salvam servavit. Nullusque ex neophyti parte, nisi Monachulus, Methodius nomine, solus evasit. Qui postmodum neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium, contra quem, sed neque universalis Ecclesiæ, ad quam venerat, jura suscipiens, tertio conventus, tertio perfidiæ denotatus, semel anathematizatus abscessit.

At vero Basilius legatus Imperatoris, & Joannes Metropolita Cæsareæ Cappadociæ Nicolao fuerant destinati. Hinc Sanctissimo Papæ Hadriano, cum Episcopis, & Proceribus in Secretario Sanctæ Mariæ Majoris, juxta morem Sanctæ Sedis Apostolicæ, residenti se satis humiliter præsentarunt, dona, & epistolas obtulerunt. Quibus susceptis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus conamine Constantinopolitana Ecclesia de schismate purgata surrexerat, multiplices gratias retulere, ac post innumera laudum

(17) D. divino.
(18) D. Lampertus VVitonis.
(19) D. Austaldum.
(20) D. Communionis frequenter accepit.

Digitized by Google

dum præconia concordi voce dixere : Devotissimus filius vester Imperator Basilius, & Patriarcha munere (21) vestro restitutus Ignatius, dum Ecclesia Constantinopolitana per interventum vestrum invasorem Photium propulisset, in archivo ejus librum summa falsitate congestum contra ingenium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sanctissimique Papæ Nicolai reperere. Quem bullatum, quasi vere contagiosum à sua urbe penitus propulere, vobisque utpote summo capiti, cui Christus Cœlo, terraque solvendi, atque ligandi potestatem tribuit, (22) misere. Quem, precamur, suscipientes rimamini, & fraudulentium, quam insontibus Constantinopolitis noster versipellis Photius inferre potuit, ex eo quod in hanc Sanctam Romanam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi, audacem linguam exacuit, prorsus advertite : & quid Ecclesia Dei de hoc latrocinio sit sentiendum, quod sub nomine Synodi furtim ab eo confictum est, palam omnibus promulgate. Utrarumque partium concessum Pontificem annuenti, R. contra Sedem Apostolicam, Pontificemque ipsius, quia Photius vocem non habuit, sententiam forte præcipitare potuit, judicium vero librare non potuit; sed (23) à Sede Apostolica bis judicatus, bisque damnatus est.

Et quia viribus suis confidens in Sanctissimum Pontificem nostrum Nicolaum falsa garrire non timuit, os suum nimirum in cœlum posuit, & linguam suam, ut terram pertransiret, exeruit. Ideoque conciliabuli ipsius librum scrutandum admittimus, ut auctor illius, & fabricator mendacii, & inventor perversorum dogmatum tertio judicetur. Egressus Metropolita librum exhibuit, & in terram præcipitavit, imprecando illi, dicens : Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus: Te minister diaboli Photius, novus Simon mendacii compilator aptavit : Te minister Christi Nicolaus, novus Petrus veritatis amator atrivit. Et Spatharius calce suo, enseque librum percutiens, nihilominus ait : Credo, in hoc opusculo diabolus habitat, quia per os complicis sui Photii ea, quæ per se dicere nequit, eructat. Nam & subscriptionem Basilii nostri Imperatoris post subscriptionem Michaelis, quem ebriosissimum subscribere noctu suasit, falsissime continet, quam ejus non esse restitutio Ignatii declaravit, & satisfactio nostra, si vobis placuerit, jurejurando firmavit. Neque enim unius semper Catholici Basilii nomen potuit falso suis feralibus commentis inserere, qui mutato charactere potuit multorum absentium Episcoporum nomina cum paucis complicibus suis describere. Quorum videlicet Episcoporum universitas tam immunis est hujus subscriptionis, quam tenoris ignara. Siquidem nullus Constantinopolitanorum, quando illud conciliabulum collectum fuisset (quia re vera nec fuit) agnovit, sed quia Constantinopolim comprovinciales, veluti regiam civitatem, pro diversis negotiis instar istius urbis ascendunt, pervicacissimus Photius mendacium suum veritatis medicamento, sicut ei à primævo fuerat institutum, linivit.

Dum in locum quorundam Sanctissimorum Episcoporum cives quidem aliquorum illorum, sed transfugas, ut fama vulgatum est, muneribus excæcatos, subscribere fecit. Inde est, quod subscriptionum istius videntur diversi characteres, & quidam eorum acutiori penna, quidam grossa, nonnulli vero decrepitum simulantes grossiori membranam inquinantes describunt, ut videlicet fraude præsentium, simplicitati absentium illudatur : & illud credat facilius universitas esse verissimum, quod dissimilibus litteris fecerit falsitas esse diversum. At vos illico subscriptionum (24) quidem dissimilitudinem referentes characteres videbitis. Fraudem vero, nisi Constantinopolim, ut omnis illa Ecclesia deprecatur, miseritis, minime cognoscetis. Tunc Summus Pontifex utriusque linguæ peritis librum scrutandum per aliquot dies decrevit, & omnia quæ in eo continebantur coram Synodo fideliter propalari, quæ ubique omnia strenue perscrutata est. (*)

Nam venerabilis Pontifex adnitente omni senatorio, populari que conventu apud Beatissimum Petrum Apostolum in defensionem suæ Ecclesiæ, decessorisque sui Sacrum Concilium convocavit. Et primo quidem per legatos Constantinopoleos, veritate (25) luculenter audita, decessoris sui per hujusmodi litteras legens sinistram ipsius famam purgavit. Deinde Photium cum Conciliabulo, complicibusque suis tertio anathemate perculit. Ad extremum vero cæterorum subscriptionibus, & sententiis roboratum, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum excussit. Quem nimirum rogus, ut fomentum quoddam ignis excepit, & pene antequam semiustum credi potuisset, cum magno fœtore, piceoque colore consumpsit. Et cum forte focus inundatione pluviæ naturaliter debuisset extingui, ad pluviam quasi ad guttas olei flamma convaluit, & in laudes Dei, Sanctissimique Papæ Nicolai, simulque Hadriani Summi Pontificis miraculi stupor tam Latinorum, quam Græcorum corda resolvit. Post hæc cum epistolis decessoris sui, sicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum Episcopum Ostiensem, & Marinum Diaconum Constantinopolim destinavit : deinde ejusdem epistolas suo tantum nomine titulatas, & commonitorium. Sed & Stephanum Nepesinum Episcopum sociavit, eisque præcepit, ut omne scandalum Ecclesiæ Constantinopolitanæ solerter sopirent, consecratisque à Methodio, & Ignatio sub satisfactione libelli, quem de scrinio susceperant, proprias Ecclesias redderent. Photianis vero sub eadem, ac districtiori satisfactione communicarent quidem, sed Sacerdotum (26) judicium, usque ad Sedis Apostolicæ sententiam manente, Sanctissimi Papæ Nicolai judicio protelarent. Itaque multorum anfractuum laboriosos circuitus penetrantes, tandem Christo præduce Thessalonicam veniunt, in quam Basilius Imperator Eustachium Spatharium candidatum cum suæ salutationis officio Sanctæ Romanæ legatis Ecclesiæ obviam destinavit.

Qui eos admodum honorifice per contigua itineris loca ducentes Sillambriam pervenerunt: ubi à Sisinnio Imperiali Protospathario, & Theognisto (27) Patriarchali Eugumeno, qui Romæ apud Sanctissimum Papam Nicolaum pro restituendo Ignatio sedulus intercessor extiterat, cum

(21) D. munere nostro.
(22) D. tribuit, & miserere.
(23) D. Sed Sede Apostolica ab his judicatus &c.
(24) D. Subscriptionum dissimilitudinem librum referentes videbitis.

(*) quæ ubique strenuè perscrutatus est.
(25) D. rei veritate &c.
(26) D. Sacerdotum usque erecidivam Sedis &c.
(27) D. & Theognito.

Digitized by Google

cum quadraginta equis de stabulo Imperiali, & totius mensæ argenteo apparatu, officialibusque, qui sibi ad omnem libitum famularentur, sunt excepti. Ad castrum autem rotundum, in quo est Ecclesia miræ magnitudinis Sancti Evangelistæ Joannis nomini dicata, favore Augustali, Sabbatho mansionem suscipiunt. Et Dominica, quæ quintadecima dies Septembris erat, Indictione tertia, singulos equos cum sellis aureis devotione (28) Imperatoria capientes, obviati omnibus scholis, videlicet Spathariorum, candidatorum, strategorum, mandatorum, cæterorumque Palatinorum ordinum, omnibusque clericorum planetatis ordinibus ad portam auream veniunt. Ibi à Paulo librorum custode, Joseph vasorum custode (29), simulque Basilio Saccellario Ecclesiasticis indutis vestibus salutati (30) . . . . à Patriarcha Constantinopoleos solemniter præceduntur, & ab omni populo cum cereis, & lampadibus prosequuntur. Sicque ad Hirenis palatium descendentes in domum, quæ dicitur, magna aurea, à Joanne à secretis, Spathario que candidato, & Strategi Spathario candidato, quibus subministrationis gratia deputati fuerant, laudabiliter suscipiuntur, per quos imperialia mandata suscipiunt devotissime procul dubio suggerentia, ne forte moleste ducerent, quod imperiali natalitio imminente in crastinum suscipi non valerent. Quo feliciter celebrato misit Imperator in occursum ipsorum omnes ordines palatinos. Quibus præcedentibus ante Imperatorem in chryso triclinio sibi continuo assurgentem salutabundi conveniunt, Apostolicas epistolas Imperatori offerunt: quas Imperator per semet suscipiens osculatur. De statu Romanæ Ecclesiæ, & de salute Domni Hadriani Summi Pontificis, deque omni Ecclesiasticorum, Senatoriorumque ordine, ordinabiliter perscrutatur, legatosque amabiliter osculatus Ignatio Patriarchæ jussionem Apostolicam prolaturos absolvit. Qui sequenti die ad Imperatorem redeunt, à quo taliter alloquuntur: Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ per ambitionem pervicacissimi Photii diversis scismaticorum fluctibus laceratæ, Sancta omnium Ecclesiarum Dei Mater Ecclesia Romana, Sanctissimi Domini & universalis Papæ Nicolai (sicut ex ejus litteris, quarum auctoritate præsens Pater noster Ignatius, qui violenter fuerat à Photianis expulsus, sedi propriæ nuper juvante Domino restitutus est, potest luculenter intelligi) fida provisione consuluit.

Quapropter nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atque Episcopis censuram Sanctæ Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per biennium præstolantes, propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando auctoritate vestri sacri Collegii tam pestifera Photianæ tergiversationis scandala propellantur, quatenus unitas, & tranquillitas optatæ diutius juxta decretum Sanctissimi Papæ Nicolai restaurentur. Legati Sanctæ Sedis Apostolicæ responderunt; Et nos ideo venimus, ideo missi sumus: sed neminem Orientalium vestrorum nunquam in nostram Synodum suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio Sanctæ Sedis Apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum. Imperator, & Patriarcha dixerunt: quia novum hoc, & inauditum de libello proferendo asseritis, necesse est, ut tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata est, & de Latino in Græcum conversa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam, libellum proferentes in Sancta Synodo resederunt, proferre nolentes extra Synodum inglorii relicti sunt, sed dietim fervore Sancti Spiritus temperati, præmissa libelli satisfactione, ad unitatem sacræ Synodi reversi sunt. In hanc Synodum Photius ille pervasor de multis criminibus perpetratis rationem redditurus adducitur. Omnes epistolæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra eum prolatæ leguntur. Et depositionis, ac anathematis sententia dudum Apostolica Sede prolata, in eum ab omnibus identidem jaculatur, inque ipsius conspectu nefandissimi Conciliabuli profanata volumina, quibus contra Sanctissimum Papam Nicolaum susurra fauce latraverat, igne combusta, veritatis, innocentiæque lampas emicuit. Qui laqueum, quem olim alteri paraverat glorificandus, nunc rationis virtute ad extremam taciturnitatis inertiam devolutus intravit; & apertum sibi communionis ostium, qui sub satisfactione libelli suscipiendus admonebatur, quasi cœcus in meridie declinavit. Denique gestis salubriter omnibus, qui in decem sessionibus Synodi textus complectitur, legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ textum Synodi, ne quid Græca levitas falsum in eam congesserit, Anastasio Sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecario (qui tunc temporis pro causa Hludowici serenissimi nostri Augusti cum Suppone Archiministro post eos Constantinopolim, divina, ut creditur, dispensatione pervenerat) subtiliter inquirendum, antequam subscribant, committunt. A quo, quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris, Sanctissimus Domnus Hadrianus Pontifex in epistola sui decessoris Arsenio Episcopo imminente adjecerat, resecatum inveniunt.

Quapropter epistolam Sedis Apostolicæ fraudulenter corrosam, summis clamoribus conqueruntur, fatentes se nullo modo synodalibus actionibus subscripturos, nisi totius epistolæ integritas gestis Synodicis jungeretur, hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero, non esse in Synodo de laude Imperatoris, sed de solius Dei tractandum altisone respondentibus, nomenque Imperialis nostro Cæsari penitus invidentibus. Tandem ad hoc usque perventum est, ut interposita conditione voluntatis Apostolicæ, diffinitis sententiis minus finite subscriberent, ita legentes: Ego ille vices agens Domini mei Sanctissimi, & universalis Hadriani Papæ in hac Sancta Synodo præsidens usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis ad omnia, ut superius legitur, consensi, & manu propria subscripsi.

His expletis, quidam Græcorum Imperatorem conveniunt, & Constantinopolitanam Ecclesiam per oblatos libellos in potestatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur, ex dubietate subscriptionum. Omnia quæ in Synodo decreta fuerant, revolvenda, cunctaque residuis erroribus confundenda fatentur, & nisi libellos reciperent, libertatem pristinam se non posse recipere fingunt, & illico quidam libelli à custodibus, quoniam excellentiorum Episcoporum libellos Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, futurorum præscii, prorsus (31) abstulerant, defraudantur, ac per hoc incredibiliter consternati Supponis Archiministri, & Anastasii diser-

(28) D. τὸ devotione *non habet*.
(29) D. *Verba* Joseph Vasorum Custode *non legit*.
(30) D. Salutati IIIC.
(31) D. prorsus occulerant, defraudantur &c.

Digitized by Google

disertissimi Sedis Apostolicæ Bibliothecari fidelissimis auxiliis innituntur. Quibus diverso modo non sine magno laboris periculo imminentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt; sed Imperatoris iram pro nimia suæ districtione fidei vehementer incurrunt.

Igitur post diem tertium, quo sacratissima Synodus cum suis scriptoribus omnino in codice consummata, retractaque est ad omnem elegantiam in Ecclesia Sanctæ Sophiæ fuerat, ab Imperatore in domo, quam cum Vicariis Patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, simulque Patriarcha Ignatio, qui cum aliquibus ibi residebat, callide convocavit, sedere jubentur, & quod Principes Bulgarum eis litteras, & dona per Petrum, aliosque direxerint, audiunt. Quorum legationem, Imperatore potissimum imminente, suscipiunt: sicque post salutationem Petrus Bulgarum legatus exorditur: Domnus Michael Princeps Bulgaricus audiens, quod pro utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ ex diversis partibus auctoritate Apostolica conveneritis, gratanter accepit, vobisque qui ex Sede Apostolica missi estis, quia in vestro transitu vestris eum litteris visitare dignati estis, multiplices gratias agit. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Nos quia vos filios Sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus, insalutatos vos præterire neque debuimus, neque voluimus. Quos nimirum, Sancta Sedes Apostolica, ut propria membra complectitur.

Bulgarum Legati dixerunt: Usque hodie pagani fuimus, & nuper ad gratiam Christianitatis accessimus. Ideoque ne in aliquo errare videamur, cui Ecclesiæ subdi debeamus, à vobis, qui vices summorum Patriarcharum geritis, nosse desideramus. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui per te, ò Petre, tuus Senior Beato Apostolorum Principi Petro cum omni gentis suæ regno se tradidit, à cujus successore, videlicet egregio Papa Nicolao & præcepta vivendi, & Episcopos, ac Presbyteros suscipere meruit, vos & pertinuisse, & pertinere debere, etiam in eo monstratis, quod postulatos nostros Sacerdotes & suscepistis, & hactenus veneratione congrua retinetis. Bulgarorum Legati dixerunt: A Sancta Romana Ecclesia Sacerdotes nos petiisse, & suscepisse, & hactenus habere nos confitemur, & ei in omnibus obedire decernimus, verum utrum Romanæ, an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabilius subdi debeamus, cum his Patriarcharum Vicariis diffinite. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Propter quę nos Sancta Sedes Apostolica cum Orientalibus diffinienda mandaverat, Domino juvante finivimus, de causa autem vestra secus quam diffinita est finienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel diffinimus, vel in præjudicium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diffiniendum censemus. Quinimo, quia omnis vestra patria nostris Sacerdotibus ut & plena est, nulli vos nisi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinere debere, diffinitiva sententia quantum ex nobis est, promulgamus.

Vicarii Orientalium Patriarcharum Bulgaris dixerunt: Quando vos illam patriam cepistis, cujus potestati subdita erat, & utrum Latinos, an Græcos Sacerdotes habuerit, dicite? Legati Bulgarum dixerunt: Nos illam patriam à Græcorum potestate armis evicimus, in qua non Latinos, sed Græcos Sacerdotes reperimus. Vicarii Orientalium responderunt: Si Græcos Sacerdotes ibi reperistis, manifestum est, quia ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: A Græcis Sacerdotibus argumentum sumere non debetis; quia linguarum diversitas ecclesiasticum ordinem non confundit. Nam Sedes Apostolica cum ipsa Latina sit, in multis tamen locis pro ratione patriæ Græcos Sacerdotes & semper, & nunc usque constituens privilegii sui detrimenta sentire nec debet, nec debuit.

Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Etiamsi Græcorum Presbyterorum ordinationem vestri juris fuisse doceatis, illam tamen patriam Græcorum regno pertinuisse nunquam negare poteritis. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sicut Bulgariæ nobis diverso modo pertinere ordinationem dicentes mendacium non loquimur; ita nimirum eandem Bulgariam ex Græcorum regno fuisse nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant jura sedium, aliud patiuntur divisiones regnorum. Nos de divisione regnorum non agimus, sed de jure sedium loquimur.

Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Illud quod vobis diverso modo Bulgariam pertinere dicitis, addiscere volumus. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sedes Apostolica, juxta quod decretalibus Sanctissimorum Romanorum Præsulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet, veteremque, totamque Thessaliam, atque Dardaniam, in qua & Dardania civitas hodie demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit, & obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione omiserat, non à Constantinopolitana Ecclesia modo, ut fingitur, abstulit, sed ab his factis ipsa Christianis recepit. Secundo modo, quia Bulgares, qui jure gentili sibi patriam subjugantes, eam per tot annos retinent quod ceperunt, Sedis Apostolicæ semet, ut superius diximus, patrocinio, ordinationique specialiter committentes nobis debent, nec immerito subici, quos ultronea voluntate magistros elegere. Tertio modo, quia eosdem Bulgares Sancta Sedes Apostolica, jussu quondam Sanctissimi Papæ Domni Nicolai, tam per aliquot nostrum, qui hic sumus, & illic, multas Ecclesias dedicantes, Sacerdotes creavimus; quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, ac Formosum venerabiles Episcopos, sed & Grimoaldum Coepiscopum nostrum, quem hactenus isti Bulgares cum multis nostris Sacerdotibus in conspectu nostro habere se fassi sunt, à diversis erroribus ad Catholicæ fidei veritatem multo sudore, Christi gratia præduce, transferens, ecce ultra triennium tenuit, tenet, ordinat, ac disponit. Ideoque consequens non est, ut sine conscientia Romani Summi Pontificis Ecclesia Romana, de quibus præsentialiter vestita cernitur, spolietur. Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: At quem istorum modorum modo dispensare velitis, edicite. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sancta Sedes Apostolica vos, quia revera inferiores estis, super sua causa Judices nec eligit, nec per nos elegit, utpote quæ de omni Ecclesia sola specialiter fas habeat judicandi; sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cognitionis judicium, ei qui librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex in-

Digitized by Google

integro reservamus. A qua omnis vestra sententia tanta facilitate despicitur, quanta levitate profertur.

Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Satis indecens est, ut vos, qui Græcorum Imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in Regno nostri Principis ordinandi jura servetis. Quapropter Bulgarum patriam ex Græcorum potestate dudum fuisse, & Græcos Sacerdotes habuisse comperimus, Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, à qua quia per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus. Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ clamantes dixerunt: Sententiam quam non electi, neque admissi, sive timore, seu gratia, vel quicquid illud est, modo præcipitastis, potius quam protulistis, auctoritate Sancti Spiritus usque ad diffinitionem Sanctæ Sedis Apostolicæ omnino rescindimus, ita ut nullo modo vel nomen habere sententiæ mereatur. Teque adjuramus, Patriarcha Ignati, auctoritate Sanctorum Apostolorum Principum, coram Deo, suisque Angelis, omnibusque præsentibus, (*) ut secundum hanc epistolam sanctissimi restitutoris tui Domni Hadriani Summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus, industriam tuam ab omni Bulgariæ ordinatione immunem, nullum tuorum illuc mittendo, custodias: ne Sancta Sedes Apostolica, quæ tibi tua restituit, per te sua perdere videatur. Quin potius si, quod non credimus, justam te habere querimoniam æstimas, Sanctæ Ecclesiæ restitutrici tuæ solenniter suggerere non omittas. Tunc Patriarcha Ignatius Apostolicam epistolam suscipiens, licet magnopere monitus, eam legere distulisset, respondit: Absit à me, ut ego his præsumptionibus contra decorem Sanctæ Sedis Apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipse omittam. Hoc fine collocutio illa finita est.

Sed Imperialis commotio, licet spem fronte simularet, augmentum suscepit. Legatos tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad prandium convocans donis optimis decoravit: eosque Theodosio Spathario non ea qua congruebat sollicitudine deducendi gratia commendavit, Acodyrcharium usque perducti, negligenterque sine ulla provisione dimissi, post dies aliquot navigantes, in Sclavorum deducti manus, pro dolor! inciderunt: bonisque omnibus, ac authentico, in quo subscriptiones omnium fuerant, exemplari denudati sunt, ipsique capite plexi fuissent, nisi ab his, qui ex illis aufugerant, sibi timuissent. Tandem Apostolicis, Imperialibusque litteris ab exilio liberati, & undecimo calendarum Januariarum die, Indictione quarta, Romam reversi, omnia quæ superius diximus, coram Sanctissimo Summo Pontifice, ac Proceribus retulerunt, nihilque aliud scripturarum, quam librum actionis Ignatii, & libellos, quos à Sclavis receperant, & reliquos libellos, quos Supponi Archiministro, & Anastasio prudentissimo Bibliothecario Sanctæ Sedis Apostolicæ (cujus præscientiæ sollicitudine exemplar amissæ Synodi, quod sibi scribendum impetraverat, Ecclesia Romana suscepit) dudum Constantinopoli commendaverant, ostendere potuerunt.

Superiore tempore Formosus Portuensis, & Paulus Populoniensis venerabiles Episcopi, qui cum cæteris jussu Sanctissimi Papæ Nicolai causa prædicationis destinati fuerant, remeantes de Christianitate Bulgarum, ac omnimoda subjectione, qua specialiter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissima colla summiserant, Sedem Apostolicam recrearunt, & Michaelis Bulgarici Regis legatum, Petrum nomine, Summo Pontifici præsentarunt. Qui legatos cum donis regalibus, regias quoque litteras obtulit Summum Præsulem summopere deprecantes, ut aut Marinum sibi bene compertum Diaconum Archiepiscopum consecratum remitteret, aut aliquem ex Cardinalibus dumtaxat suæ Ecclesiæ virum sapientia, persona, vitaque Archiepiscopatu dignissimum Bulgaris eligendum dirigeret, quem post approbationem eorundem, denuo remeantem Archiepiscopali ministerio sublimaret. (32) Sed Marino Constantinopolitanum missaticum devotissime, ut diximus, (33) sortito, Summus Pontifex Silvestrum quendam Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano, & Dominico Tarvisiensi (34) Episcopis, simul & litteras pro Archiepiscopo, aut Formoso Portuensi Episcopo, remittendo importunissime deprecantes remittentibus Bulgaris magna sub velocitate recepit. Quibus inter nonnulla rescripsit, ut quemcunque nominatim devotio regalis exprimeret, eum sine dubio Pontificalis provisio Bulgaris Archiepiscopum commodaret.

At vero Bulgarum Rex expectationum moras diutius ferre non valens, ad Græcorum Imperatorem, (35) natorum Theodoræ occasione, alterna regna sibi alternatim rapere machinabantur, adductus eundem Petrum, quem à Roma, sine desiderii sui effectu sero receperat, cum aliis è latere suo Constantinopolim requisitionis gratia, cui potissimum Bulgaria pertinere deberet, emisit, ibique à legatis nostris, quod juri Romano pertinerent, sunt convicti: at postmodum per Orientales, Constantinopolitanosque (36) donis, ac promissionibus persuasi Græcos Sacerdotes, (37) juxta quod Grimoaldus Episcopus, qui ab his se repulsum fatetur, suscipientes, nostros ejiciunt, & per eundem Grimoaldum Episcopum, quia sine conscientia Sedis Apostolicæ, commissum sibi prædicationis officium deserens, Romam ditissimus remeavit, magnum epistolæ volumen frivolis allegationibus, tanquam sub prætextu deliberatæ sententiæ, Synodo præsidentium implicatum Apostolicæ Sedi super excusatione sua remisit. In quo facto, quia Episcopus à Bulgaris expulsum epistola tacente se asserit, & Presbyteri non se pulsos à Græcis, vel Bulgaris, sed ab Episcopo (38) circumventos, profecto dubium, quin mutuæ subsit proditionis imago, donec Christus renum rimator, & cor-

(*) D. præsentibus contestamur ut &c.

(32) B., & C. sublimaret. Pontifex verò Silvestrum quemdam Subdiaconum Bulgaris &c.

(33) D. ut diximus pœnitente sortito, Summus Pontifex Silvestrum quemdam Subdiac. Bulg. &c.

(34) B., & C. Tervisiensi. *Sequentia non legunt usque ad illa* postmodum per Orientales &c. *ut infra*.

(35) D. Imperatorem, quoniam natorum &c.

(36) B., & C. Constantinopolitanosque Bulgari donis &c.

(37) B., & C. Sacerdotes suscipientes, Romanos ejecerunt. Iste Beatissimus oleo inunxit, & Imperatorem constituit Carolum Lodovici filium, *& hic explicit vita Hadriani*.

(38) D. Episcopo conventos, protectosque dubium quare commusitant proditionis imago quodammodo suspicatur. Sed veritatis integritas, donec Christus renum rimator, & cordium insuorum &c.

Digitized by Google

cordium, in suorum servorum examine hæc in lucem protulerit, non videtur.

Videntur aliqua deesse.

CIX. JOANNES VIII. (1)

ANNO CHRISTI 872.

CX. MARINUS. (2)

ANNO 882.

CXI. HADRIANUS III. (3)

ANNO 844.

CXII. STEPHANUS VI.

ANNO CHRISTI 885.

CAROLI CRASSI 7. IMP. BASILII 19.

Stephanus, (1) natione Romanus, ex patre Hadriano, de regione via Lata, sedit annos (2) quatuor, menses septem, dies quatuordecim. Iste siquidem Beatissimus Pontifex nobilium parentum Romanorum quoque prosapia ortus dum per Dei gratiam cresceret sacris est edoctus dogmatibus, studio, & sollicitudine Zachariæ Sanctissimi Episcopi consanguinei sui, & Sedis Apostolicæ Bibliothecarii, (3) cumque conspiceret piæ memoriæ Hadrianus junior,

JOANNES.

(1) *In nostris Codicibus MSS.* B., & C. *sequitur vita Joannis VIII. quam eo libentiùs hic damus, quòd animadverterimus ex eodem emendari posse nonnulla, quæ corruptè leguntur in hac ipsa Vita à Clariss. Viro Stephano Balutio T. VII. Miscellan. pag. 349. edita. Huic adjecimus breviusculas Vitas Martini II., seu Marini, & Hadriani III., in eisdem Codicibus descriptas; monentes in altero ex iis signato* C. *notari in margine Gulielmum Bibliothecarium tamquam auctorem Vitarum hujusmodi à Nicolao I. usque ad Gregorium VII.*

Johannes natione Romanus ex Patre Gundo. Sedit annis X. diebus II. Hic Beatissimus pro utilitate omnium Ecclesiarum Dei, & præcipuè Gallicanæ Ecclesiæ Arelatensis, maritimali itinere devectus est; ubi Leo Abbas in Provincia ejus veniens contra Gilbertum, Nemausensem Episcopum conquestus est. Monasterium enim S. Petri, in quo quiescit corpus Beati Ægidii in finibus Gothiæ, in Valle Flaviana, quam Vallem Flavius quidam Rex Beato Ægidio donavit, & Sanctus Ægidius exinde donationem integriter Romanæ Ecclesiæ, & Domno Papæ Benedicto fecerat, & ibi in veneratione Principum Apostolorum Petri, & Pauli Monasterium ædificaverat. Præfatus Gilbertus Nemausensis Antistes prædictum Monasterium quadam temeritate invadens abstulerat eidem Leoni. Deinde Præceptum ex Rege Francorum exceperat, in quo nec firmitatem credens Romanum Pontificem adiit: Super hoc in auctoritatem furti, quasi de suis Apostolicam exquisivit: Sed Sanctæ Recordationis Dominus Nicolaus Papa licèt hujus fraudis esset ignarus Divino tamen Spiritu plenus, omnes de hoc legem quærentes excusare fategit. Sed Dominus Johannes Papa; cùm monumenta cartarum ejusdem Monasterii requireret, Privilegium, quod Romanus Venerabilis Papa Benedictus Sancto Ægidio corporaliter tradiderat, ei oblatum est. Tunc Domnus Papa Johannes per Deusdedit Ducem Ravennatem Advocatum suum contra Gilbertum Nemausensem Episcopum ipsum Monasterium quæsivit. Tunc ambarum partium advocatis per fidejussorem Legatis, executore dumtaxat Georgio Scriniario, & Deusdedit agentem, voluit idem Gilbertus Episcopus per præceptum Domni Nicolai piæ memoriæ ibi relectum, quo furtim quasi de suis ex Apostolica Sede fraudaverat, & per præceptum, quod ex quodam Rege Francorum falsum exceperat, in quo nec ulla firmitas subsistebas defendere. Sed Domnus Papa, omnes Episcopos, & Judices Romæ, vel Provinciales sub excommunicationis anathemate admonuit de hoc rectam legem dicturos, & facturos. Tunc Arelatensis Archiepiscopus, & Aribertus Ebredunensis Archiepiscopus, VValbertus Portuensis Episcopus, Paschalis Amerinus Episcopus, Radbertus Valentiæ Episcopus, Litiduinus Massiliensis Episcopus, Hictarius Vivariensis Episcopus, & alii Episcopi Provinciæ, & Judices, Johannes Dux, & Dativus Ravennæ, Ardus, Albertus, Guisalfredus, Ardeardus, Godulfus, & alii nonnulli Provinciales Judices, ut Præceptum lectum audierunt, mox cognoverunt Apostolicam Domni Nicolai censuram excusare, de hoc legem quærentes, & dixerunt, per illud Præceptum hoc Monasterium non posse defendi, judicantes statim, ut præfatum Monasterium Gilbertus Episcopus Domino Papæ redderet & pœnam invasionis sibi componeret. Tunc ipsum Advocatum Deusdedit Ducem Ravennatem Domnus Papa illuc transmisit, qui super hoc corporalem traditionem de omnibus rebus prædicti Monasterii, tam intus, quàm extra à præfato Gilberto Episcopo recepit; deinde in Galliam transitum faciens anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIX. (*) XV. Septembris, Indict. XI. anno Pontificatus sui in Sacratissima Sede Beati Petri Apostoli VI. apud Trecas civitatem in præsentia Domini Lodovici Serenissimi Regis, concilium permaximum celebravit. Hujus etiam temporibus floruit Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, qui tam Græco, quàm Latino eloquio pollens septimam universalem Synodum de Græco in Latinum ipso jubente transtulit: etiam de Græco in Latinum Jerarchiam Dionysii Areopagitæ Athenarum Episcopi scriptam ad Thimoteum Episcopum Ephesi, & direxit Carolo Imperatori filio Lodovici; transtulit etiam de Græco in Latinum passionem Sancti Petri Alexandrini Archiepiscopi, & passionem Sancti Acacii, Sociorumque ejus, & vitam Sancti Johannis Elemosinarii.

C. *legit ut in* B. Sed *pro* XV. Septembris *habet* XV. Kal. Septembris.

(*) *Veriùs an. DCCCLXXVIII. ut Balutius etiam notavit.*

MARINUS.

(2) B., & C. Martinus Secundus natione Gallisanus ex patre Palumbo. Sedit anno uno, mensibus quinque, & cessavit Episc. diebus duobus.

HADRIANUS.

(3) B., & C. Adrianus tertius natione Romanus ex patre Benedicto. Sedit anno uno, mensibus duobus. Hic constituit ut Imperator non intromittat se de electione Domini Papæ. *Et etiam in margine sic habent.*

In Gronica Vincentii post Adrianum ponitur Basilius Papa, sed nullus nisi ipse.

STEPHANUS.

(1) B., & C, Stephanus quintus.

(2) B., & C. Sedit annis VI. diebus IX. Et cessavit Episcopatus diebus quinque. Hujus temporibus Normanni, adjunctis sibi Dacis, penè totam Galliam devastarunt; propter ipsorum timorem corpus Beati Martini Turonensis Antisiodorum (C. Altisiodorum) est deportatum, & in Ecclesia Sancti Germani collatum, sed Monachis propter oblationes litigantibus, & suo Sancto miracula, quæ fiebant, ascribentibus, pro determinatione leprosus inter Sanctos Martinum, & Germanum positus, ex parte Martini curatus tantùm, & alia nocte reversus, ex alia parte ab eodem curatus est, non propter impotentiam Germani, sed quia hospitem honoravit. *Et hic clauditur Stephani Pontificis Vita.*

(3) D. quem scilicet cùm conspiceret &c.

Digitized by Google

junior, Pontif. moribus bonis pollentem, & litterarum studiis ferventem, à prædicto inclyto genitore suo eum auferens, ad Subdiaconatus, Deo favente, gradum provexit, statuens eum inter alios sibi familiarem, & in Patriarchio Lateranensi Ecclesiasticum peragentem officium, & hoc honore percepto vitam ipse duxit mirabilem.

Erat enim corpore castus, animo benivolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus (4) largus, ingenio facundus, mœrentium consolator, pupillorum, & inopum enutritor, & ut generaliter comprehendam, omnium virtutum floribus adornatus. Quamobrem hic idem Eminentissimus Præsul in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ servitio perdurans, & magis, ac magis specialibus studiis vacans, à Reverendæ memoriæ Marino Summo Pontifice bene notus, & amatus familiaribus ejus potius est ascitus obsequiis. Hujus namque cum castimoniam, & prudentiam, atque fidelitatem idem Marinus Summus Papa per omnia intueretur, ob suæ fidei, & prudentiæ meritum manipularem sibi delegavit, & scita sua spiritali conversatione tituli Beatorum quatuor Coronatorum Presbyterum consecravit, & in nullo à se dum vixit separari permisit. Igitur defuncto recordandæ memoriæ Hadriano Papa, qui eidem Beatissimo Papæ Marino successerat super fluvium Scultiuna, (5) in villa, quæ Viulzachara nuncupatur, cujus tempore Romani cives multa, tam locustarum devastatione, quam & pluviæ sterilitate, seu famis inopia perpessi fuerant incommoda, credentes se posse hujus venerabilis viri sanctitate relevari, per Dei misericordiam facto conventu Sanctissimorum Episcoporum, & totius clericalis ordinis, necnon nobilium Senatuum, & virorum illustrium cœtu, acclamantibus omnibus, una cum omni populo, & utriusque sexus vulgi multitudine, dixere: Dominum Stephanum Presbyterum Deo dignum omnes volumus, omnes quærimus, & petimus nobis præesse Pontificem; quia proculdubio credimus ejus sanctitate nos posse liberari ab imminentibus periculis. Tunc (6) quia jam nominatus Hadrianus Pontifex Romæ reliquerat Joannem venerabilem Ticinensem Episcopum, (7) ut missum Caroli Excellentissimi Imperatoris pro tuitione Urbis, omnes cum eodem legato Imperiali juncti unanimes venerunt ad domum, ubi cum patre ipse almificus Stephanus Sancto meditabatur colloquio, & ecce fractis foribus tenetur, & ducitur electus Dei Pontifex ad eundem titulum Sanctorum quatuor Coronatorum sibi creditum reluctans plurimum, simul cum patre acclamantibus utrisque, & indignos se tanto honore profitentibus. Ubi & omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scholæ gaudentes conjunctæ eundem venerandum electum trahentes, ad Lateranense, Christo præduce, perduxerunt palatium, cum omni honore, & debita reverentia. Prius quidem quam ad sacrum pervenerit palatium tanta pluviarum cœlitus facta est inundatio, quæ sua ubertate terram à multo retro tempore aridam reficeret, ut aperto judicio Deus ostenderet tanti almigeri viri meritis, ac precibus omnibus se velle propitiari populis. Quo scilicet in eodem residente palatio gaudent utriusque ordinis Proceres, & debitam fidelitatem cœperunt exhibere. Adveniente autem proximo die Dominico, ad Beati Petri Apostolorum Principis limina omnis Romana Ecclesia eum honorabiliter detulit, ubi & consecratus Pontifex Missarum ex more celebravit solemnia. Et rediens cum debito honore, ac honorificentia ad Lateranense palatium, suum ministerium miris cœpit decorare operibus.

Deinde cum venerabilibus Episcopis, & Augustali legato, ac honorabili Senatu per omnia sacri palatii, perrexit vestiaria, quæ in tantum devastata reperit, ut de sacratis vasis, quibus mensas teneri festis diebus Pontifices consueverant, paucissima invenirentur. De reliquis vero opibus nihil omnino; sed (8) quia nimirum si vestiariorum gazas ablatas reperit, qui sacraria perquirens de pluribus donariis, & Ecclesiarum ornamentis pene nihil invenit. Crux tamen aurea illa famosissima, quam Belisarius Patricius ad honorem Beati Principis Petri Apostolorum instituit, & plurimæ sacratissimorum altarium aureæ vestes, cum reliquis pretiosis ornamentis (9) non defuerunt. Nam ideo ipse Beatissimus Papa coram tantis testibus ea requirere providit, ut cuncti cognoscerent nil tale suis temporibus esse adtemptatum.

Idcirco gravi mœrore affectus est, quia devastatis vestiariis, horrea simul, & cellaria vacua inventa sunt, & quid erogaret clero, & scholis non habebat, vel unde captivos redimeret, orphanos, & viduas pasceret in tam validissima, quæ instabat, fame, carebat quid faceret? Conversus ad patrias facultates, quas inclyti sui parentes possederant, abstulit, & larga dextra prout posset, pauperibus erogavit, & ita Deo miserante factum est, ut famis inopiam suo studio mitigaret. Ministros itaque, & familiares hinc inde perquirens tales suis obsequiis aggregavit, qui & vitæ sanctitate, & fidei sinceritate, & sapientiæ doctrina, & eloquentiæ fœcunditate, & morum probitate pollerent. Cum autem ad prandium sedebat, orphanos quotidie advocabat, quos ut filios alebat. Convocatos vero nobiles cum corporeis pasceret cibis, spiritualibus epulis refovebat. Et tantum Dei timorem mentis oculis ferebat, & in divinis laudibus insistebat, ut ad ejus prandium sacra per singulos dies lectio recitaretur. Missarum autem solemnia quotidie celebrabat, nocte, ac die orationi insistebat, & nunquam psalmodiis cessabat, nisi cum utilitates populi ad se reclamantis perficere cupiebat, ut oppressos sublevaret, & afflictis subveniret. Intuitus vero insolentiam populi, & cœcitatem cordis sui vaniloquis, & nefariis fabulis, & otiosis sermonibus vacantis in Ecclesia, & audiens quosdam vulgante fama maleficiis, & incantationibus uti, hac allocutione Missam celebrans populum ammonuit: Filiationem vestram, charissimi, commonemus, ut convenientes ad sacratissimum Dei templum id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis. Si enim veraciter templum Dei esse creditis illud, ad quod convenitis, id procul dubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cujus templum est, ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit inibi, quod ei placeat, debet expeti. Est igitur misericors Deus, ita tamen suam misericordiam unicuique disponit impertiri, ut roganti-

(4) D. operibus.
(5) D. Scultinna.
(6) D. Tunc tam nominatus &c.
(7) D. Episcopum, & missum &c.
(8) D. sed quid mirum! vestariorum gazas &c.
(9) D. ornamentis defuerunt.

gantibus eam tribuat non ingratis, & tanto largiori illam tribuat unicuique pietate, quanto majoribus gemitibus, & ardentiori animo fuerit à quolibet deprecatus, ficut ipse dicit: Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Est namque templum Dei locus orationis, ficut ipse alicubi dicit: Domus mea domus orationis est cunctis gentibus. Et Psalmista: Domum tuam decent sancta Domine. Quippe si orationis domus est, id ibi oportet peragere, quod vocatur, id est orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, & mentis gemitibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare. Est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi Angelici ordines (10) pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures perferunt Domini Sabaoth. Qua rogo fronte in sacratissimo Dei templo assistit, qui inanibus fabulis, & otiosis verbis insistit? Nam si de omni verbo otioso in die Judicii ratio est reddenda, de his maxime reddetur ratio, & exigetur vindicta, quæ in conspectu tantorum Sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua, inquam, spe veniam consequi de præteritis arbitratur delictis, qui non solum peccata sua negligit abluere, sed potius contendit augere? Pavescite illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes, & ementes de templo. Remissius, scilicet est utiliter negotiari, quam inaniter, & otiose confabulari.

Cum convenitis ad locum orationis, cum silentio state, intento corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis Sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat. habentes præ oculis monentem Dominum, & dicentem: Cum statis ad orationem dimittite si quid habetis adversus alterum, ut & Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra. Hæc meditantes, & divina gratia inspirante facientes & Evangelicis, & Apostolicis documentis imbuti, impetrata ab Omnipotenti Deo misericordia, cum fructu bonorum operum quasi lampadibus illuminati cum gaudio, & Christo repræsentari, & cum Sanctis coronari merebimini. De cætero, charissimi, nosse vos volumus, quod legem Dominus populo suo instituens Moyse teste, intulit dicens: Maleficum ne patiaris vivere. In hac itaque Urbe, quod dolens dico, inveniuntur quidam, qui non solum maleficos non impetunt, sed potius tuentur, & fovent. Per quos incantationibus quibusdam dæmones consulere non perhorrescunt, & divinæ legis, & Apostolicæ doctrinæ immemores, quæ intonat dicens: Quæ participatio luci ad tenebras, aut conventus Christo, & Belial? In hoc enim, quod Christo contempto dæmones gentium more consulunt, Christianos se omnimodis non esse fatentur. Quod quam horribile, quamque sit prophanum, ut Christo contempto dæmones Christianus adoret, unusquisque perpendat, ut tale facinus fieri perhorrescat. Quamobrem quisquis deinceps tali contagio se polluere tentaverit, alienum vivifici fieri Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Spiritus Sancti judicio donec à tanta resipiscat ignavia, judicamus. Qui vero tam salubribus interdictis contemptor extiterit, & in eadem pestifera pertinacia perseverans resipiscere neglexerit, perpetuum à Deo Patre, & Jesu Christo Filio ejus sit anathema.

Cumque talis iste præstantissimus Præsul existeret, & in his, quæ divino cultui conveniunt fine tenus perseveraret, tanta illi est divinitus gratia concessa, ut quicquid habere potuerat, sacris donabat Ecclesiis, Captivos redimebat, sollicitus existens pro salute omnium, quia cum fama sui nominis, atque actuum tam per Orientales, quam Occidentales partes diffamaretur, pene omnes ad eum accurrebant, ut ejus benedictionem perciperent. Nam inter alia de donariis, quæ Ecclesiis diversis contulit longum est enarrare. Verum ut de multis pauca dicamus: Cum in Basilica Beati Petri Apostolorum Principis, ubi sacro ipse corpore requiescit, cerneret nocturnis laudibus vix semel thymiamatis incensum offerri, instituit, ut per singulas lectiones, & responsoria adoleatur. Et in pergula ipsius Basilicæ ipse Reverendus Papa ob amorem Beati Petri nutritoris sui posuit cantharam auream unam, cum pretiosis margaritis, & gemmis, ac smalto, cum perpendiculo ad pendendum. Necnon & in eadem venerabili Basilica Sancti Petri obtulit regnum aureum unum, cum diversis margaritis, spatham cum vagina de auro, & gemmis cum balteo unam. Contulit etiam & in eadem Basilica vestem unam, cum auro, & albis gemmis Vela serica in circuitu altaris quatuor, sed & homelias B. Gregorii numero quadraginta. In qua supradicta venerabili Basilica cum idem Sanctissimus Papa & omnium vitiorum fortissimus extirpator malam consuetudinem invenisset, ut Presbyteri, qui ibidem Domino sacrificium quotidie offerebant, omni anno unam mulctam consuetudinaliter darent, quam consuetudinem sanctæ memoriæ Domnus Marinus Papa antecessor ejus fregerat, sed subreptionibus quorumdam hominum tempore Hadriani tertii Papæ repullulaverat, sub forti obtestatione præcepit, ut nullus unquam ab eis non solum hoc, verum etiam aliquod tributum acciperet; sed cum omni honore ficut Sacerdotes oportet suum peragere officium eis liceret. Idem autem Sacratissimus Præsul pro sui sempiterna memoria cum conspiceret nocturnis vigiliis in Ecclesia majori, quæ vocatur sanctæ, & superexaltatæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe, lampadas consuetudinarie deesse, gabathas argenteas cum lampadibus obtulit, & continuatim vigiliis ardere præcepit. Necnon idem mitissimus Pontifex fecit in eadem prædicta Basilica vela quatuor in circuitu altaris majoris, quorum duo sunt de serico pigacio, tertium pavonatile, quartum de Alexandrino, ornatum totum in circuitu de olovero.

Denique sæpedictus à Deo protectus Sanctissimus Papa, ob retributionem animæ suæ fecit in Ecclesia Beati Pauli Apostoli Doctoris Gentium regnum ex auro purissimo unum, cum diversis gemmis albis, prasinis, hyacinthinis, & in medio regni cruciculam auream pendentem unam, cum catenulis suis, & vestem fericam supra altare majus unam, cum auro, & gemmis. Fecit etiam in eadem Basilica egregii Doctoris Gentium belothera quatuor, ex quibus unum auro textum. Præfatus vero venerabilis, & præclarus Pontifex fecit in Ecclesia Domini Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, vestem supra altare majus, auro textam unam, cum diversis margaritis.

Pari modo & in eadem Basilica contulit jam fatus Reverendissimus Præsul (11) vela serica de blatthin byzantea quatuor in circuitu altaris majo-

(10) D. ordines, Sanctorum Chori, qui fidelium vota, & preces Sacerdotis pro populo deprecantis ad aures perferunt Domini Sabaoth.

(11) D. Præsul delothera Syrica de blatthin &c.

majoris, duo ex his aquitata, & duo de basilisci, ornata in circuitu de olovero. Et per singulos arcus presbyterii vela ferica leonata nonaginta. Et pro futuro animæ suæ remedio contulit ibidem cantharam exauratam unam, libr. (12) comment. I. Prophetarum libr. I. Gestarum rerum (13) libr. 2. Cum autem esset sollicitus pro statu Ecclesiarum Dei, ne suis temporibus, quæ in ruinis positæ erant, caderent, Ecclesiam Beatorum Apostolorum Jacobi, & Philippi, quæ nimio senio consumpta ruinæ proxima erat, à fundamento renovavit. Quam collato calice, & patena exaurata nomine Græcis, Latinisque litteris inscripto adornavit. Et insuper pro sua perpetua salute contulit in eadem Basilica Apostolorum cortinam lineam unam, velothera serica tria in circuitu altaris. Et Oratorio Sancti Thomæ, sito in Monasterio Sancti Andreæ Apostoli, juxta Basilicam Apostolorum fecit vestem unam. Ipse vero egregius, & prudentissimus Papa cum sciret Basilicam Sanctorum Quatuor Coronatorum, in qua sacerdotii fungebatur officio, modico uti ornatu, pro reverentia, & amore eorundem Sanctorum obtulit in ea crucem auream super altare, cum gemmis, & smalto, & fagulum ad pendendum in regno, & cerostata vestita de argento paria duo. Atque præ nimio amore illorum idem benignissimus Papa contulit ibidem cantharam exauratam unam, Salomonem unum, regnum aureum unum, cum gemmis pretiosissimis, & vestem unam, cum auro, & gemmis albis, atque sermonum (14) libr. unum, gestarum libr. unum, Euangeliorum librum unum, cum Epistolis. Hic ipse præcipuus Præsul magis, & magis divino zelo ductus in eorundem Sanctorum motus amore fecit in Basilica eorum canistra de argento purissimo miræ pulchritudinis operata numero quindecim, pensan. simul libras triginta, & tribuit codicem unum Beati Joannis Chrysostomi.

Fecit autem idem almificus Papa in titulo Sancti Marcelli martyris, atque Pontificis canistrum argenteum unum, pensan. libras tres. Crucem de auro unam, vela linea sex & viginti, cortinam lineam unam, simulque & historiarum librum unum, Homelias Sancti Gregorii numero viginti. Misit quoque in Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, sitam in Manturiano, librum regum unum, vestem sericam super altare unam. Jam memoratus mitissimus Papa fecit in Monasterio ad clivum Scauri, crucem auream unam, necnon omnium Ecclesiarum sollicitudinem habens ipse piissimus Pater contulit in Monasterio Sancti Silvestri in monte Soracte thymiamaterium de argento unum, cantullam (15) argenteam unam. Et magis, ac magis divino amore succensus fecit in titulo Sanctæ Pudentianæ sermonum librum unum. Et in titulo Beatæ Anastasiæ sermonum, & Epistolarum librum unum. Et in Ecclesia, quæ vocatur Hierusalem, in susurrio obtulit librum Regum, & Salomonis unum, & reverentiam Beati Gregorii Præcessoris sui præ oculis cordis habens, tribuit idem summus Pontifex in Hospitali ipsius Beati Gregorii in porticu Beati Petri Apostoli sermonum Sanctorum librum unum. Et in Schola Cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, Heptateuchum (16) unum.

Idem autem elegantissimus Præsul, atque fortissimus rectæ fidei prædicator in Ecclesiam Ravennatem auri libras duodecim, argenti libras....... remisit pro animæ suæ remedio, quæ quorundam subreptionibus inde fuerant ablatæ. Similiter & in Ecclesia Imolensi auri libras septem, argenti libras....... ablatas restituit. Item Deum præ oculis habens in Bononiensi Ecclesia patenam de argento unam æque reddidit. Immo & pro perenni mercede in Ecclesia, alias Sanctorum reliquias per diversos Cardinales titulos, alias etiam circumquaque per diversa largitus est Monasteria, ubi plurimis coruscant miraculis: maximam vero partem digna honorificentia collocavit apud Ecclesiam, quæ ad Apostolos dicitur. Hanc senio consumptam, & ruinæ proximam isdem Sanctissimus Papa à fundamentis renovavit, & plurimis donariis compsit, & ornamentis. Erat quippe omnis ejus intentio, ut ea semper ageret, quæ Deo sunt acceptabilia. Cum clades itaque locustarum, quæ Prædecessoris sui Hadriani, videlicet tempore totam patriam pene consumpserat, male multiplicato germine nasci cœpissent, & omnia replevissent, misertus idem Sanctissimus Papa afflicto populo, primum quidem divulgavit, ut si quis de eis unum sextarium caperet, & sibi attulisset, quinque, aut sex denarios ab eo perciperet. Hoc autem populi audientes cœperunt huc, atque illuc discurrere, easque capere, & misericordissimo Patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequivisset, ad Domini misericordiam confugiens, in Oratorium Beati Gregorii, ubi ejus lectus habetur, juxta Ecclesiam Principis Apostolorum, veniens sese cum lachrymis in orationem dedit, cumque diutius oraret, surrexit, & aquam propriis manibus benedicens, Mansionariis præcepit, dicens: Tollite, & singulis distribuite, monentes, ut in nomine Domini agros suos circumeant, & hanc aquam spargant per sata, & vineas, petentes divinum sibi suffragium, & subsidium. Quo facto tanta omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, ut ubicumque ipsa aqua conspersa est, nulla penitus locusta remaneret. Hæc circumquaque vicini audientes ad Urbem confluunt, subveniri sibi deposcunt, omnem terram in pulveris modum locustis coopertam clamitant, quos piissimus Papa benigne commonuit, eos de Cœlo auxilium petere debere contra flagellum imminens, & mox læta. *Cætera desiderantur*. (17)

---

(12) D. lib. comtte I.
(13) D. ♥ rerum *non habet*.
(14) D. Sermonum libr. unum, cum Epistolis. Hic ipse &c.
(15) D. cantrellam argenteam unam.
(16) D. eptaticum unum.
(17) D. *sic habet in fine adnotatum*.
Hic insignis liber per multos annos deperditus ex Monasterio Sanctissimæ Trinitatis fuit tandem Reverendo Domino Nicolao Antonio Murensi Episcopo procurante, Sacro Cavensi Cœnobio restitutus fuit, tempore, quo Dominus Pater Chrisostomus de Neapoli ejusdem Sacri Monasterii Abbas existebat. Regiminis verò sui anno V. videlicet an. salutis MDXVI. die VIII. Novembris.

Digitized by Google

VITÆ
NONNULLORUM PONTIFICUM ROMANORUM
A NICOLAO ARAGONIÆ
S. R. E. CARDINALI
CONSCRIPTÆ,

Nunc primùm editæ ex tribus MSS. Codicibus Bibliothecarum Ambrosianæ, Estensis, & Rev. Capituli Metropolitani Mediolanensis,

Quibus loco suo insertæ sunt aliæ Vitæ Summ. Pontiff. Romm. ex variis Auctoribus excerptæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN VITAS ROMANORUM PONTIFICUM ANASTASIO BIBLIOTHECARIO ADDITAS.

PROLEGOMENA LUDOVICI ANTONII MURATORII.

VEterum Romanorum Pontificum Vitae a variis Scriptoribus literis consignatae, quae sub Anastasii Bibliothecarii nomine circumferuntur, in Hadrianum II. & Stephanum VI. seu, ut rectius dicendum est, V. desinunt, quarum postremae Guilielmo Bibliothecario tribuuntur. Subsequentium Pontificum Vitas par est credere olim, suisque temporibus, per Bibliothecarios S. R. E. aliosve Historicos fuisse conscriptas. Verum nonnullas tempus absumsit, reliquas superstites nullus hucusque in unum corpus collegit. Particulam ego addere decrevi. Nempe Estensis Bibliotheca membranaceum in folio mihi Codicem vetustum suppeditavit, ubi leguntur *Gesta Paparum omissa in Chronicis*. Rubrica autem haec habet: *Sequuntur aliqua Gesta Romanorum Pontificum aliquorum, quae in Chronicis communibus non habentur, quae quia digna sunt memoria, & sunt ad posterorum eruditionem, recollecta sunt modo infrascripto. Et primo de Leone Papa IX. qui coepit Anno Domini ML.* Codex scriptus videtur circiter Annum Christi 1360. aut saltem paucis post annis: ibi enim legitur eodem charactere exaratus *Libellus de praeservatione ab Epidemia, compilatus per Magistrum Maynum de Mayneris de Mediolano Philosophiae, Physicae, & Artium Professorem Anno Domini MCCCLX.* Habentur ergo ibi Vitae Leonis IX. Stephani IX. Nicolai II. Alexandri II. Gregorii VII. Paschalis II. Gelasii II. Callisti II. Honorii II. Innocentii II. Coelestini II. Lucii III. Eugenii III. Anastasii IV. Adriani III. Alexandri III. & Gregorii IX. quas nunc simul conjunctas in Eruditorum commodum profero. Erat ad manum & magno Annalium parenti Baronio fere similis Codex, eoque docente intellexi, quis harum Vitarum Collector fuerit. *Habet Vaticana Bibliotheca* (scribit ille ad Annum Christi 1073.) *res gestas Gregorii Papae VII. seorsum scriptas ab auctore ejus temporis, quas Nicolaus Aragonius in Commentario, quem de Romanis Pontificibus scripsit, incipiens a Leone IX. ut se habent, intexuit*. Memoraverat etiam ad Annum 1055. *antiquiora Gesta Romanorum Pontificum*, quae *collegit Nicolaus Aragonius Cardinalis*. Itaque Collectorem habemus harum Vitarum *Nicolaum Rossellium Aragonium*, qui sub Innocentio VI. Pontifice Maximo floruit, Cardinalium S. R. E. Collegio adjectus Anno 1356. Monet etiam nos Baronius ad Annum 1097. praeter Collectionem istam, *in Vaticana Bibliotheca una cum aliis ejusdem Auctoris*, (scilicet Nicolai Cardinalis Aragonii) *Commentariis* exstare *Commentarium de jurisdictione quadruplici Romanae Ecclesiae in Regnum Siciliae*.

Horum autem Pontificum Vitae a coaevis pleraeque, aut saltem vicinis Scriptoribus, ac praecipue Bibliothecariis S. R. E. literis commendatae fuerunt. Et iis quidem saepe usus est Baronius ad suos contexendos Annales: usus est & Raynaldus. Verum, praeterquamquod praestat habere conjuncta, quae Baronius pro instituto suo discerpta exhibuit, multa etiam ille omisit, quae nunc in publicum diem efferentur. Ad haec tanta quandoque diversitas intercedit inter lacinias e Vaticano Codice productas, & Codicem nostrum, ut aliqua dubitatio mihi olim oborta fuerit, num revera eadem ac nostra esset Collectio Vitarum a Baronio laudata. Ministravit etiam Mediolanensis Urbs Codices duos antiquos, ubi eaedem Vitae leguntur, quorum unum Ambrosiana servat, alterum Bibliotheca Capituli Metropolitani. Quare istorum etiam collatione conati sunt Palatini Socii exactiorem facere hanc editionem. Sed his ultra immorari nihil interest. Lectorum erit, pro ut occasio se obtulerit, editionis hujus utilitatem pensare. Quod superest, in eodem Codice Estensi subsequebantur alia quaedam monumenta, nempe *Donatio facta Domno .... Episcopo Ma-*

galonensi per Dominum Innocentium Papam III. de Comitatu Malglorii. Item Concordia pacis facta inter Dominum Clementem Papam III. & Senatores, Populumque Romanum, aliaque id genus, fere omnia aut a Baronio, aut a Raynaldo in Annales Ecclesiasticos inlata. Ego pauca, quae in eorum Libris desiderari mihi visa sunt, in calce hujus Collectionis addam. Nonnullas vero Epistolas inter Carolum I. Siciliae Regem & Petrum Aragonum Regem, simultatis plenas, fortassis etiam fictas, omisi.

Praeter haec, quandoquidem Ambrosianae Bibliothecae ditissimum promtuarium quorumdam Summorum Pontificum Vitas a *Pandulpho Pisano* conscriptas exhibet, has etiam collectioni praesenti inserere Socii Palatini atque ego utilissimum putavimus. Incipiunt autem a Gregorio VII. & desinunt in Alexandrum III. atque a Scriptore proficiscuntur, qui iisdem temporibus in vivis erat, atque ea scriptis mandabat. Jamque testibus Felino, Onuphrio Panvinio, Ludovico a Sancto Carolo, aliisque noveramus, Pandulphum ejusmodi Vitas elucubratum fuisse; & ex iis etiam multa in suos Annales derivarat summus Ecclesiasticae Historiae illustrator Baronius. Imo Constantinus Cajetanus Anno 1638. typis Romanis tradidit, ac notis illustravit Gelasii II. Vitam ab eodem Pandulpho conscriptam, ex qua intelligimus, Scriptorem hunc Anno 1118. Ecclesiasticae militiae adscriptum in Romana Curia vixisse. Sunt qui Pandulphum hunc eumdem censent cum *Pandulpho Masca* Purpuratorum Patrum Senatui addito a Lucio III. Papa, ejusque vitam protrahunt ad Annum usque 1198. imo & ultra. Placuit haec sententia Oldoino, Caveo, & aliis; sed improbata est a Pagio ad Annum 1121. num. IX. & jure quidem merito, ut mihi quoque videtur. Neque enim veri videtur simile, Pandulphum Historicum ita suam produxisse Vitam, ut centum superaret annos, & vel centenarius arduas & longinquas legationes susciperet: quod de Pandulpho Masca Cardinali legitur. Itaque duos excogitare homines aequius est, quibus nomen quidem & patria fuerint communia, sed plane diversa aetas atque persona.

Praeterea ad Collectionem nostram accedent Vitae Romanorum Pontificum a *Bernardo Guidonis* concinnatae, de quibus nunc sermo instituendus. Inter Scriptores Ecclesiasticos illustre est nomen *Bernardi Guidonis*, atque illius fama ita vulgata in Eruditorum Libris, ut superfluum plane foret huc aliquid adferre de ejus Vita & Scriptis. Pauca tamen delibabo. Patria Lemovicensis fuit, natus circiter Annum 1260. in Vico Roëria prope Rupem Apis. Praedicatorum Ordini nomine dato, insignia munera inter eos gessit, & Anno 1305. Inquisitor haereticae pravitatis adversus Albigenses decretus est. Anno 1323. Episcopus Tudensis in Gallaecia constituitur, & sequenti Anno ad Lodevensem, sive Lodovensem Sedem in Gallia Narbonensi translatus, Anno tamdem 1331. diem ultimum clausit, sepultus in Templo Praedicatorum Lemovicensium. *Vir magni consilii, magnae experientiae, expertaeque prudentiae, ac religionis probatae; vir modestus atque sensatus, ac humilitate profundus; fama, gratia, scientia, ac eloquentia clarus; assimilatus insuper in Fidei fervore, in zelo, ac sinceritate religionis, Patribus primitivis.* Hisce verbis delineatas habes praeclari hujus viri singulares praerogativas in ejus Vita antiquitus scripta & praefixa *Speculo Sanctorali* (hoc etiam spissum Opus est ab ipso elucubratum, & adhuc luce carens) quam edidit Philippus Labbeus in Nova Biblioth. MStorum Libror. Tom. 2. pag. 512. ubi reliqua ad illius Vitam spectantia omnibus prostant. Appellatus autem fuit non *Bernardus Guido*, sed *Bernardus Guidonis*, hoc est filius Guidonis, uti Paulus Warnefridi, & Petrus Damiani, cui a Damiano fratre loco patris habito agnomen accessit. Catalogum Librorum, quos post se Bernardus reliquit, exhibuerunt Dupinius in Biblioth. Ecclesf. & Caveus in Historia Literaria, ut alios omittam praeclarissimi hujus Scriptoris ac Praesulis laudatores. Nunc mihi edocendus Lector, adservari in amplissima Bibliotheca Ambrosiana pervetustum Codicem MStum, complectentem varia Bernardi Opera, diligentissime scriptum, picturisque & auro exornatum se offert Liber. Diceres ipso Auctore vivente, atque illius etiam jussu conscriptum, concinnatumque, ut Principi alicui viro offerretur. Saltem non longe ab ipsius aetate exaratum puto per Antonium quemdam Hispanum, cujus est in calce mentio. Ibi ergo primo occurrunt *Flores Chronicorum, seu Catalogus Pontificum Romanorum*, de quibus infra erit sermo. Johanni XXII. Papae dicatus est Libellus. Auctor his verbis se prodit *Frater Bernardus Guidonis Ordinis Praedicatorum, Inquisitor haereticae pravitatis in Regno Franciae per Sedem Apostolicam deputatus*. Adnotatum in margine Libri olim fuit: *Nota: hic Inquisitor postmodum fuit Episcopus Lodonensis*, scribo *Lodovensis*. Testatur autem Bernardus, se ejusmodi Vitas collegisse usque ad XVI. Annum Johannis Papae, scilicet ad Annum 1331. Et profecto ad eum usque Annum deducitur narratio rerum, quamquam in fine Epistolae ad eumdem Papam haec legantur: *Datum Avenione VII. Idus Augusti, expletis annis IV. a creatione Pontificatus vestri, nec minus nec amplius una die, Anno Domini MCCCXX.* Scilicet eo Anno haec scripserit Bernardus;

Digitized by Google

dus; tum, ficuti usu venit, addiderit quae identidem accidebant ad suum usque diem emortualem, sive ad Annum 1331.

Sequitur in Ambrosiano Codice *Catalogus*, seu *Historia Romanorum Imperatorum* a Julio Caesare ad Ludovicum Bavarum deducta, desinitque in Annum 1329. *quo haec scripsimus*, ut is adnotavit. Incipit: *Romam Sanctorum matrem, & Confessorum, ac Virginum* &c. Tum alium Tractatum exhibet idem Ambrosianus Codex *De Origine prima Francorum*, cui hoc exordium: *Franci ex sua prima origine fuere Trojani, sicut ex gestis Francorum, & ex Chronicis antiquis colligitur evidenter*: qua in re veterem fabulam sequutus est Bernardus. Perducitur autem narratio usque ad Philippum VI. Regem, sive ad Annum 1329. atque ibi omnium Regum Francorum, imo totius Regiae Familiae Genealogia pertexitur, singulorumque Regum vultus minio, auro, aliisque coloribus expressi cernuntur, ex pictoris potius, ut arbitror, ingenio, quam ex veris eorum lineamentis fere omnes desumti. Tum Tractatus alter additur, a priori diversus, *De Origine prima Gentis Francorum, & eorum progressu*. Haec ibi prima verba: *Franci origine fuerunt Trojani, Pagano ritui dediti*. Est autem hic Liber longe superiori locupletior, & luce dignus, idemque ad tempora Philippi Valesii, & ad Annum 1330. excurrit. Subinde exhibetur in Ambrosiano Codice MSto *Catalogus*, seu Historia *Comitum Tholosanorum*, cujus initium est: *Legitur in gestis Francorum, & in Chronicis antiquis, quod Karolus hujus nominis Primus* &c. Hunc Libellum edidit Catellus Tholosae Anno 1623. Subsequitur in Ambrosiano Codice *Tractatus brevis de temporibus & annis Generalium & Particularium Conciliorum*. Tum pone succedit *Catalogus* seu Historia *Apostolorum ac Discipulorum Domini Jesu Christi*. Post haec *Tractatus de ordinatione Officii Missae facta a Domino nostro Jesu Christo, & Sanctis ejus Apostolis, & demum per Summos Pontifices Romanos successive*. Chorum denique claudit *Libellus brevis de Articulis Fidei, & Sacramentis Ecclesiae &c. pro Rectoribus, & Curatis Ecclesiarum nostrae Lodonensis Dioecesis ad erudiendum plebes sibi commissas*.

Habes Catalogum Operum Bernardi Guidonis, quae manu exarata adservat Ambrosiana Mediolanensis Bibliotheca. Nunc ad Vitas Romanorum Pontificum regrediamur. *Chronicam quoque, famosam valde, de Romanis Pontificibus, Imperatoribus, ac Regibus Franciae (a Jesu Christo suum faciens principium) stilo veraci ac diserto usque ad sua tempora continuavit*: ita legitur in antiqua ipsius Bernardi Vita, edita, ut supra diximus, a Labbeo. Meminerunt & alii recentiores. Sed in hanc rem nemo diligentius introspexit, quam Stephanus Baluzius, vir magni nominis, qui ad connectendas ac evulgandas Vitas Paparum Avenionensium, iisdem usus est, quas Bernardus ad posterorum eruditionem scriptas reliquerat. Monente autem ipso Baluzio novimus, a Scriptore hoc effluxisse duplex Opus de Romanis Pontificibus, nempe unum prolixum, alterum brevius, utrumque hactenus ineditum, si ea excipias, quae Baluzius ipse tenebris eripuit. De his in Codice quodam Colbertinae Bibliothecae adnotatum fuerat: *Primum Opus, respectu istius secundi, dicitur praecedens Catalogus Pontificum Romanorum, seu Flores Chronicorum, ubi singula de Romanis Pontificibus, & Imperatoribus, & Regibus Francorum latius describuntur; in praesenti vero Opusculo breviter & succincte*. Et profecto Baluzius, imo ante illum Franciscus Bosquetus, Lodovensis & ipse Episcopus, duas Clementis V. Papae Vitas ab eodem Bernardo concinnatas in lucem protulere, alteram altera fusiorem, uti & duas Johannis XXII. Usi sunt etiam hisce Vitis ad suam Historiam Ecclesiasticam contexendam pluribus in locis Henricus Spondanus, & Odoricus Raynaldus. Quum ergo praesenti Italicarum Rerum Tomo III. ea destinarim, quae Summorum Pontificum Vitas ab Anastasio, ut fertur, collectas continuare aliqua ratione possint, ne in eorum serie tot lacunae deprehenderentur, statutum est huc inserere Vitas a Bernardo Guidonis conscriptas, non omnes sane, sed eas tantum, quas Operis nostri continuationi utiles censuimus, videlicet a Victore III. usque ad Johannem XXII. Ingenue autem fatetur Bernardus, per quem ipse profecerit in colligendis hisce Vitis. Nam post brevem Innocentii III. Vitam candide subdit: *Huc usque Chronica Richardi Monachi Cluniacensis protenditur, & terminatur*. Richardum hunc commemoravit Martinus Polonus, tum Volaterranus, & alii, eumque floruisse circiter Annum 1155. auctor est Vossius de Histor. Latin. Lib. 2. Cap. 53. Verum, quando ex ejus calamo Vitam Innocentii III. habemus, jam serius ipsum vixisse nemo non intelligit. *Illiterate* tamen *magis quam inepte* is ea scripsisse dicitur. Addit deinde Bernardus noster post Vitam Johannis XXI. *Huc usque Chronica Martini Poloni &c. protenditur & finitur*. Itaque ad Victoris III. Vitam nobis opem ferre Bernardus incipiet, quando eam Pandulphus Pisanus brevibus expedivit, Cardinalis vero Aragonius ipsam penitus insalutatam dimisit.

Praeterea Lectorem monebo, *Gesta Johannis VIII. Papae* ex memorato Codice Estensi, atque aliis duobus Bibliothecae Ambrosianae descripta, jam edita fuisse a Cl. V. Stephano Baluzio Miscellaneor. Lib. 7. pag. 349. Laciniam tamen addendam sup-

Digitized by Google

ſuppeditavit mihi idem Codex cum aliis ſupradictis. Tum adjeci Vitam, ſeu Geſta *Innocentii III.* ab ipſo Baluzio evulgatam Tom. I. Epiſtolarum ejuſdem Pontificis. Hinc vero multa ad Hiſtoriam ejus temporis illuſtrandam hauriri poſſunt, quandoquidem celeberrimus Pontifex ille fuit, cujus, ut nomen retinet, ita & Virtutes nunc imitari pergit INNOCENTIUS XIII. Pontifex Maximus, ex eadem nobiliſſima Familia progenitus. Vitam quoque *Innocentii Papae IV.* ſcriptam a Fratre Nicolao de Curbio Ordinis Minorum, poſtmodum Aſiſiniate Epiſcopo, atque editam a Baluzio Tomo ſupra memorato pag. 353. huc inferendam cenſui, utpote minus obviam. Ad haec conjunctam volui *Gregorii Papae X.* viri ſanctitate conſpicui Vitam, quam publici juris fecit Petrus Maria Campius Anno 1651. in Appendice Part. II. Hiſtoriae Eccleſiaſticae Placentinae pag. 343. Fuit illa ignota Odorico Raynaldo, dum Annales Eccleſiaſticos conſcriberet; ac proinde omnium intereſt, ut ejus exemplaria latius propagentur atque multiplicentur. Denique adjungendam mihi ſpero *Nicolai V.* Vitam nondum publici Juris factam: qua de re Lector monendus ſuo loco erit. Sed antequam manum ponam, grati animi profeſſio exigit, ut ingenue fatear, ad haſce Vitas colligendas, eaſque ornandas, & ordine laudabili diſtribuendas, plurimum laboris ac ſtudii collatum fuiſſe a Clariſſimo *Saxio* noſtro, Ambroſianae Bibliothecae Praefecto. Is enim potiſſimum (auxiliarem opem praebentibus Palatinis Sociis, & infatigabili Viro Philippo Argelato) cum Ambroſianis MStis Vitas Anaſtaſio attributas contulit; tum ſubſequentes ad alios MStos exegit; Pandulphum quoque Piſanum, & Bernardum Guidonis ad lucem inſtruxit: uno verbo tum ex Bibliothecae Ambroſianae locupletiſſimo aerario, tum ex editis Libris, quidquid potuit, ab Auctoribus praeſertim coaevis excerpſit, quo nobile Romanorum Pontificum argumentum luculentius in hac noſtra Editione Lectori ſe ſiſteret. Ei propterea non vulgares gratiae habendae. Tu interim, benevole Lector, labore noſtro & ſociali conatu fruere: unam quippe publicam utilitatem, Literarumque bonarum incrementum prae oculis habemus.

MO-

Digitized by Google

MONITUM.

INsolens fortasse videbitur quòd susceptum ex instituto ordinem chronologicum Auctorum in hac serie Vitarum Pontificum Romanorum abruperimus, proferentes in lucem ea, quæ Scriptores posterioris ævi de iisdem nobis tradiderunt. Consultò tamen id fecimus, ut in uno volumine Anastasium Bibliothecarium, & subsequentes alios Auctores de rebus hujusmodi scribentes ad eruditi studii sui commodum Lector haberet. Verum quidem est omni ea, quam adhibuimus diligentia, minimè nos assequi potuisse ut Pontificalem librum integrum ederemus. Lata enim inter Stephanum VI. aliis V. & Leonem IX. hiat lacuna; sed deficientibus Auctoribus coævis, & MSS. Codicibus, licèt summo studio ac precibus conquisitis, & alicubi etiam negatis, satius duximus Lectorem jejunum relinquere, quàm ea, quæ ad manus erant, fabulis plena, & recentiorum deliriis deturpata in lucem depromere. Interim spem non abjecimus fore ut aliquando, meliùs perpensa consilii nostri ratione, benigniores reddantur ii, apud quos recondita hæc temporum superiorum scripta custodiuntur, nobisque eadem indulgeant in appendice inserenda ad operis complementum, & Reipublicæ literariæ utilitatem.

Primus, quem ad hanc seriem continuandam adhibuimus Scriptor est Fr. Nicolaus Cardinalis Aragoniæ, cujus Codicem MS. nonnullas Romm. Pontiff. Vitas complectentem ex Bibliotheca Estensi eruit Clariss. Muratorius; apud nos autem duplex hujusmodi exemplar extabat, cum quibus eumdem contulimus, & varias inde lectiones exoerptas, suisque locis adjectas consueto more signavimus lit. M quæ MS. Metropolitanæ Bibliothecæ, & lit A. quæ alterum Ambrosianæ significant. Quandoquidem verò de hisce apud nos servatis codicibus sermo est, operæpretium ducimus ea referre, quæ in utroque continentur. Nam præter ea, quæ in Estensi legi monuit laudatus Muratorius in sua præfatione, in nostris reperiuntur commentaria quamplura ad Ecclesiæ Romanæ jura & dignitatem spectantia, illaque etiam, quæ Baronius ad annum 1097. in suo Vaticano descripta esse narraverat. Imo ex iisdem apertè discimus Auctoris nomen; ita enim inscribuntur.

Præsentem Librum ordinavit, & scribi fecit Reverendiss. in Christo Pater, & Dominus, D. Fr. Nicolaus Cardinalis Aragoniæ, quem compilavit ex diversis Registris, & ex libris Cameræ Apostolicæ, & ex aliis etiam Libris, & Chronicis diversis cum magna diligentia, & labore &c.

Succedit Pandulphus Pisanus, de cujus patria, ætate, & scriptis hæc in commentariis suis ad Gelasii II. vitam à nobis in hoc volumine recusis Constantinus Cajetanus tradiderat.

Scripsisse Pandulphum Gelasii II. Vitæ Historiam, tres, aut quatuor antiqui, manuque exarati Bibliothecæ Vaticanæ Codices, in quibus descriptam eam legimus, indeque excripsimus, (ut etiam ex iis Polyhistor Eminentissimus Cardinalis Baronius Tomo duodecimo Annalium) certissimos nos reddunt.

Patriam insuper habuisse Pisas, principem olim Etruriæ Civitatem idem Pandulphus de se ipso demonstrat, dum Vitas Romanorum Pontificum à se conscriptas recenset: idque etiam certum fit ex antiquis ejusdem Pisarum Patriæ monumentis, ex quibus adhuc constat natum illum fuisse ex nobili Pisana Familia Masca: quam quidem viros domi, forisque virtutibus claros peperisse, eadem produnt monumenta. Nobilem quoque matrem ex Pisana Vicecomitum Familia eundem habuisse Pandulphum, idem ipse de se testatur, dum Hugonem ex Vicecomitibus Cardinalem, suum nominat Avunculum: *Viro Reverentissimo*, ait ille, *& sagaci Domino, & Avunculo meo Hugoni Cardinali Sanctorum Apostolorum, Beneventanæ Urbis custodia à Gelasio Papa est commendata* (*). Nobilibus quoque, & claris ortum parentibus, ipsemet etiam Pandulphus de se fatetur, dum eundem Hugonem Avunculum suum, Virum nobilem, & illustrem asserit. Sic enim supra scripserat in eadem sua Gelasii Vitæ Historia: *Rediit, & inter alios Hugo Magnus, ac nimiùm honorabilis Apostolorum Presbyter Cardinalis à Circæa Arce, quam ei ob rabiem Teutonicam iterum præcavendam, ad omnia providus quondam Paschalis Papa, perquam homini nobili, & illustri noviter commendaverat*. Cæterùm Hugo hic Cardinalis à Paschali II. Papa creatus (ut vetustissima testantur Pisarum monumenta) prodiit ex nobilissima Vicecomitum Stirpe, quæ Ottone Magno Imperatore, anno Christi 962. more Pisano, cum Cajetana nostra Pisas venit, atque inter septem principes illius Reipublicæ Familias connumerata est: cujus posteri, etiam terra, marique potentissimi, fortissimique extiterunt.

Pandulphum præterea eundem Gelasii Vitæ Scriptorem, ab ipsomet Pontifice Clericum Romanæ Ecclesiæ ordinatum fuisse, ex illis verbis apparet, in quibus ait: *Petrum Rufum Diaconum Cardinalem, Baronum Subdiaconum, & me Pandulphum Ostiarium (qui hac scripsi) in Lectorem, & Exorcistam promovit.*

Denique eundem Pandulphum, eo ipso Summo Pontifice Gelasio vivente, familiarem, & oculatum scripsisse, collige ex iis aliis suis verbis: *Sicque invitus, ac renitens Domnus Johannes Cajetanus, qui hodie est Gelasius, in Papam, Spiritus Sancti gratia mediante, electus est*. Et ex illis: *Fugimus & omnes cum eo*. Atque iterum: *Inde ad Sanctum Germanum, videlicet Casinense Monasterium devenimus*. Tandemque: *Magis ut peregrini, quàm Domini Romam, sicut Deus novit, intravimus*.

Ad hæc, idem Pandulphus in Callisti II. Papæ vita, quam etiam scripsit testatus est, se ab eodem Pontifice ordinatum fuisse Subdiaconum Sacri Palatii Apostolici, ut tunc dicebant: *Fecit*, inquiens, *Ordinationes in Urbe Cardinalium, & Episcoporum quamplures. Primò Domnum Petrum Leonis Cardinalis S. Mariæ in Transtyberim, ubi oleum effluxit*. Atque etiam: *meque Pandulphum ipse ad Subdiaconatum promovit*.

Cùm verò Lucius Papa III. anno Domini 1182 Pontificatus II. mense Decembri, Velitris novem creasset S. R. E. Cardinales, inter eos quarto loco connumeratum voluit, *Meque Pandulphum Mascam, Pisanum, ex Sedis Apostolicæ Subdiacono, Presbyterum Cardinalem Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum.* More Majorum, videlicet Tituli, quem Hugo Vicecomes illius Avunculus antea obtinuerat.

Porrò Pandulphus, quem Vaticanæ præsertim Bibliothecæ monumenta, claro Magistri titulo donant, non solùm literis, verùm etiam mira prudentia fuit insignis. Quamobrem à Cœlestino III. Legatus Genuam Anno Domini 1196. ad discordias civiles componendas, & pacem cum Pisanis procurandam, fuit missus: missus mox etiam ab Innocentio III. anno Christi 1198. cum Bernardo Tituli Eudoxiæ Presbytero Cardinali, in Tusciam Legatus, ut fœdera Civitatum Etruriæ, quæ inconsulta Sede Apostolica, facta fuerant, irritaret, præsertim cùm Tusciæ Ducatus ad jus, & dominium Ecclesiæ Romanæ pertineret. Utrosque Pontifex Innocentius Cardinales, viros prudentes, & doctos vocat.

Interfuit quoque idem Pandulphus creationibus Romanorum Pontificum, dum esset Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, ac Presbyter mox Cardinalis, præsertim Urbani, Clementis, Cœlestini, atque Innocentii hujus nominis Tertii. Et sub Innocentio subscribitur: *Mag. Pandulphus Masca, Pisanus, Presbyter Cardinalis Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum, Prior Presbyterorum.*

Inter alia quoque tum antiquorum, tum recentiorum monumenta, ejusdem Pandulphi jam Cardinalis Presbyteri meminere Bullæ Lucii III. Ecclesiæ Vercellensis anno 1182. Urbani III. Clementis III & Innocentii III. S. Mariæ de Glarea Veronæ anno 1201. Pluribus etiam ejusdem Innocentii Registrum anno I.

Quod

(*) Pandulphus in vita Gelasii II. nostræ edition. pag. 398.

Digitized by Google

Quod autem ad Pandulphi mortis annum spectat, longa illum ætate confectum obiisse, id in primis ostendit, quòd Lucius Papa III., ut vidimus, Anno Christi 1182. eumdem Presbyterum Cardinalem creaverit: ostendunt etiam Innocentii III. Bullæ, quibus ipse Pandulphus subscripsit, anno Domini 1201. concessæ Veronensi Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Glarea: post quem annum, cùm nulla de eodem reperiatur memoria, facilè credi potest, centenarium illum non longè ab eodem anno exuisse mortalitatem.

Denique Pandulphum Maximorum Pontificum Vitas à S. Petro Apostolorum Principe, ad suam ætatem, hoc est, usque ad Innocentium III. contexuisse: atque harum quasdam partim composuisse, partim à Damaso, Anastasio, & Petro Guilermo excerptas, scripsisse, certum est. Hoc Pandulphi Opus nondum editum, manuque exaratum extat in Bibliotheca Vaticana, signatum numero 226. & 3762 Extat etiam apud Alexandrum Cherubinum, de Antiquitate bene merentem. Ex quibus, atque aliis MSS. Codicibus exemplar nostrum contulimus. Nam etiamsi Codices isti omnes Pandulphi ipsius nomen inscriptum minimè præseferant, nos tamen, tum ex ipsarum Vitarum scriptione, in qua idem Pandulphus nomen suum non semel expressit; tum ex Auctoribus illis, qui de Romanis Pontificibus pertractantes, eas ipsas ab eodem Pandulpho conscriptas Romanorum Pontificum Vitas pro testimonio in medium afferunt, ausi sumus affirmare, Opus illud de Vitis Romanorum Pontificum Pandulphi Pisani potiùs, quàm alterius ingenio fuisse elaboratum.

Illud etiam hoc loco animadvertendum duximus: Pandulphum sæpius dictum, uti de Pisarum patria optimè meritum, & memorem, res ab ipsis Pisanis, vel domi, forìsque; vel pace, belloque præclarè gestas, justo volumine descripsisse, id quod ipsemet testatur in Vita Paschalis II. Papæ à se literis mandata, hisce verbis: *Quòd autem egregia Pisanorum industria, & admirabilis pertinacia per eundem Domnum Papam* (Paschalem) *Balearibus Insulis, Effizæ, & Majoricæ contulerit: quem apparatum, quas copias, supplementumque, quemque Legatum Episcopi habuerint, quo Consule, sub quo Imperatore militaverint: cujus Vexilli militiam secuti fuerint: quisve eorum fortiter fecerit: quot navibus, & quomodo ierint: quid naufragii, quidve laboris in reficiendis ratibus passi sint: illud etiam gloriosum, admirandumque subsidium, quod non desperaverint: quomodo etiam evulsis captivis, direptis spoliis, subversis urbibus victores redierint, quia digno volumine comprehendere disposui, suo loco, suo tempore distuli*. Hoc tamen Pandulphi Opus à me diligentissimè perquisitum, invenire nequaquam potui. De eo Guillielmus Eisengrenus in Catalogo testium veritatis sub anno 1184. pag. 106. hæc habet: *Pandulphus Pisanus sacræ paginæ Doctor, S. R. E. Subdiaconus, Presbyter Cardinalis SS. Duodecim Apostolorum, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Historicus celeberrimus, nec ulli Theologorum secundus, vitas Romanorum Pontificum docto volumine complexus est*. Et hæc hactenus de Gelasii nostri Vitæ Scriptore Pandulpho.

Ex his, quæ Auctorem hujus, & aliarum vitarum Summ. Pontiff Pandulphum Mascam Pisanum evincunt, facilè corrigi potest Papebrochius, qui in Paschale II. alterum excogitavit ejusdem vitæ Scriptorem, nempe Petrum Pisanum, quem, *ut ipse ait*, Ciacconius appellat Papæ Scriptorem, pro cujus reconciliatione, eo quòd Anacleto Antipapæ contra Innocentium Papam adhæserit Schismaticus laborandum S. Bernardo fuit. *Nullus enim, quem viderimus, Petrum hunc auctorem hujusmodi, aut aliarum vitarum testatur. Quòd autem à Ciacconio appelletur* Papæ Scriptor, *id non alicujus, ab ipso compactæ historiæ testimonium, sed officii vocabulum esse, pluribus ab ipso Ciacconio exemplis probari potest, & cuilibet est compertissimum. Fucum autem fecit Papebrochio initialis litera P. quam in suo MS. reperit, pro qua intellexit legendum* Petrus Pisanus, *cùm legi potiùs debuisset* Pandulphus Pisanus. *Neque obstat styli diversitas, quam ipse in opinionis suæ argumentum adducit; cuilibet enim conferenti hasce vitas patebit minimè tantam esse, ut alterum Pisanum auctorem, Petrum nempe Gerardescum Cardinalem, contra quem S. Bernardus pugnavit, annalibus ejusdem urbis notum quidem ob familiæ nobilitatem, non tamen inter historicos numeratum, quærere debeamus. Præterea fallitur etiam Papebrochius dum patriam hujus Pandulphi Alatrum putat, ideo inscribens vitam Gelasii II. hoc modo*. Vita à Pandulpho Aletrino familiari composita. *Hæc enim verè patria erat Hugonis Cardinalis ejus Avunculi, non tamen cum Pandulpho communis, ut ex supra relatis à Cajetano constat.*

Addimus ad hæc in altero ex nostris MSS. reperiri notatum in margine nomen Pandulphi Pisani ad vitam Gregorii VII., ut de Auctore ejusdem, & subsequentium Romm. Pontiff. quas in hoc volumine dedimus Lector moneatur; quocirca vix dubitandum relinquitur an idem scriptor sit, qui Paschalis II. vitam, cæterasque à nobis editas, atque Pandulpho constanter adjudicatas collegerit; haud credimus tamen omne Pandulphi opus in MSto nostro contineri, si verum est eumdem à S. Petro usque ad suam ætatem, nempe Innocentium III. Pontificalem historiam contexuisse; præcipuè cùm nonnullæ nostri Codicis vitæ ita brevi contextu expediantur, ut vix credibile sit omissa fuisse à Pandulpho tot præclara Summorum Pontificum gesta ab aliis narrata, quæ suo tempore, ac fermè sub oculis suis accidere. Vaticana Bibliotheca, quæ illum servat, hoc Reipublicæ literariæ commodum facere poterit, nobis aliquando, si placuerit, ut enixè rogamus, communicando.

Postremò Bernardum Guidonis ex Ambrosianæ pariter Bibliothecæ ditissimis scriniis depromsimus. Hujus MS. ætas quadringentos ferme annos attingit, sed alicubi implexis adeò characteribus, ut vix Auctoris mentem assequi potuerimus: nihil tamen diligentiæ ac pertinacis laboris omisimus ne vel latum quidem unguem à fide Codicis discederemus; imò in iis, quæ dubia erant, quæque edita fuerant de hoc authore à Bosqueto, Baluzio, & Papebrochio, eorumdem scripta consulere non prætermisimus. Quòd si contra sedulitatem nostram aliquos errores in hoc volumen irrepsisse Lector depræhendet, persuasum eidem fore credimus fatale hoc malum esse prælis, ut sine mendis vasta edi volumina vix sperare jam liceat. Nonnulla nos ipsi, quæ occurrere difficilis explicationis, eo prorsus modo quo in MS. legebantur impressimus, religioni ducentes nostram miscere interpretationem, quæ absona à veritate fortasse judicari poterat, ac divinatio vocari.

Præterea studium omne impendimus, ut si quæ extabant è synchronis Auctoribus conscriptæ Summ. Pontiff. vitæ, licèt jam editæ, suis locis sparsim apponerentur, ne dum rivos exhibebamus, fontes neglexisse videremur.

Hæc sunt de quibus te monere necessarium censuimus. Si uberiora imposterum ad explendas lacunas nancisci licebit, consummatum fortasse opus recudemus. Vale.

VITÆ

Digitized by Google

VITÆ NONNULLORUM PONTIFICUM ROMANORUM A NICOLAO ARAGONIÆ S. R. E. CARDINALI CONSCRIPTÆ.

VITA LEONIS IX. PAPÆ.

De Leone Papa IX. qui cœpit anno Domini ML.

LEo natione Germanicus, nobilis quidem genere, sed moribus insignis, atque præclarus, Episcopus Civitatis Tullensis (1) ex nomine Bruno, sedit annis V., mensibus II., diebus VII., & cessavit Episcopatus undecim mensibus, de cujus electione, quia non habuit initium bonum, pauca præmittere non inutile duximus. Damaso itaque Apostolicæ Sedis invasore de medio celeri morte sublato, Romani ad Henricum Regem in Saxoniam festinarunt, petituri de prava consuetudine ab eo Pontificem, ac suscepturi. Rex verò eorum petitioni satisfacere cupiens, cùm nullum Theuthonicorum Pontificum ad suæ voluntatis consensum inducere posset, transivit in Germaniam, & Brunonem Episcopum, tamquam virum simplicem in tantum seduxit, ut Papatum Romanum per ipsius investituram susciperet, & cum Romanis ad Urbem ipsum transmitteret. Cùm autem per Bisuntium (2) faceret transitum, Abbatem Cluniacensem, & Hildebrandum Monachum fortuitu habuit obvios; qui cùm viderent eum mitratum incedere, & rubea clamyde insignitum, seorsum cum eo, ac secretè colloquium habuerunt, & ostendentes ei tam ex manifesta ratione, quàm ex institutis Sanctorum Patrum, quòd non Episcopus, sed Apostaticus haberi deberet qui per Laicam potestatem Pontificatum assumit, illico piis eorum suggestionibus Vir bonus humiliter acquievit, & Papalia ornamenta deposuit, intelligens se diabolica fraude fuisse deceptum. Cupiens igitur, quod perperam fecerat, ne indignationem Regis incurreret, honesta occasione velare, iter inceptum non omisit, sed assumptâ perâ, sicut peregrinus, & devotus Orator, ad Apostolorum limina cum prædictis Romanis devotè accessit. Altera autem die congregato in Beati Petri Ecclesia Clero, & Populo Romano, locutus est eis, & dixit: Viri, fratres, & amici carissimi, legationem vestram satis audivi, & Imperatoris voluntatem, ac propositum nihilominus perscrutari, & attendere studui. Sed ad hunc locum me alia causa venire non compulit, nisi affectuosa devotio visitandi hujus gloriosi Apostoli Petri sacratissimum corpus. Et quoniam, dilectissimi fratres, hæc Apostolica Sedes jamdiu vacavit, & eam ampliùs vacare non expedit, fraterna charitate hortor, ac fideliter consulo, ut, dilatione seposita, idoneum vobis Pastorem, & animarum vestrarum Episcopum concorditer eligatis. Cùm autem Episcopi, & Cardinales hoc ei unanimiter responderent: Te solum, & non alium, volumus, & in Pontificem Romanum eligimus: Archidiaconus statim de more clamavit dicens: Brunonem Beatus Petrus elegit. Dum verò Clerus, & Populus hoc ipsum verbum insimul concreparet, raptus est, & in Beati Petri Cathedra violenter (3) inthronizatus. Suscepta itaque Pontificalis officii plenitudine prædictum Hildebrandum, qui pium sibi & sanctum consilium dederat, in Subdiaconum promovit, & Oeconomum Romanæ Ecclesiæ constituit. Processu verò temporis ejusdem Hildebrandi consilio Synodum celebravit, in qua diversa capitula contra Incontinentes, & Simoniacos Ecclesiarum Prælatos promulgata sunt. In secundo quoque anno sui Pontificatus pro quibusdam quæstionibus contra Græcorum insolentiam ad Monacham (4) Imperatorem Constantinopolitanum Legatos Sedis Apostolicæ destinavit, cum quibus Fridericum magni (5) Ducis Gotifredi germanum direxit: qui venientes illuc, ab eodem Imperatore honorificè suscepti sunt, & honestè tractati. Causâ itaque, pro qua venerant, sinè longa dilatione discussâ diligenter, & concorditer diffinitâ, Legati magnis muneribus ab eodem Imperatore honorati ad propria redierunt, deferentes Beato Petro, & Domno Leoni Papæ pretiosa & amplissima dona. Interea Normannorum fortissima gens, quæ Apuliam, atque Calabriam ab invasione Græcorum liberaverat, Beneventum invadere attemptavit. Ea propter nimio timore perterriti ad Domnum Papam Leonem Beneventani accesserunt, ut ejus defensionem, & auxilium contra Normannos ipsos mererentur habere. Unde factum est, quòd per offertionis chartulam Beneventum Beato Petro, & Apostolicæ Sedi tradentes, ab eodem Pontifice protectionis auxilium impetrarunt. Hujus itaque rationis prospectu (6) quoniam feritas Normannorum nec Beneventum, nec alias Beati Petri Terras invadere cessabat, atque auferre, post secundam, & tertiam commotionem (*) Pontifex eos tamquam rebelles, & contumaces anathematis mucrone percussit, & postmodum gladio materiali feriendos decrevit. Sed quoniam *judicia Dei abyssus multa*, ineffabili providentia Domini factum est, quòd bello commisso Normanni extiterunt victores, & Romanus Pontifex licèt captus, honorificè tamen, ac reverenter usque ad Beneventum per mediam stragem deductus fuit. In hoc autem, quòd Omnipotens Deus eos, qui pro Ecclesiæ justitia decertantes occubuerunt, manifestis clarificare miraculis voluit,

(1) A. Villensis.
(2) A, & M. Bisantium.
(3) A., & M. velociter.
(4) A. Monatham.
(5) A. Regni.
(6) A. profectum.
(*) *fortasse* commonitionem.

luit, magnam posteris fiduciam dedit, ut contra malefactores, cùm opus fuerit, armis debeant jura Ecclesiæ defensare. Post hæc Beatus Leo reversus est Romam. Sed cùm Beati Petri Ecclesiam pro sui officii debito post modicum visitasset, repente febrium languore correptus ante Confessionem ipsius Apostoli se fe- A cit deferri; ubi assistente sibi Clero, & Populo, & commissâ Ecclesiæ curâ Domno Hildebrando Oeconomo, feliciter migravit ad Dominum. Eo autem in eadem Ecclesia digno cum honore sepulto, infirmi concurrentes ad ipsius tumbam, & variis languoribus detenti per divinæ operationis clementiam salvati, & sanati sunt.

MONITUM LECTORI.

CUM Leonis IX. vitam dederimus ex MSS. Card. Aragoniæ Scriptoris tribus ferme sæculis ab illius ævo disiti, vitio fortasse nobis dari potuisset, quòd alteram omitteremus à VViberto Archidiacono Auctore syncrono conscriptam. Ne igitur desiderare aliquid à nobis debeas, eam hic recudere placuit ex editione MABILLONII, qui eandem post *Sirmundum*, & *Henschenium*, Sæculo VI. Benedictino, Parte II., quibusdam additis notis, inseruit.

VITA
S. LEONIS IX. PAPÆ
AUCTORE
WIBERTO ÆQUALI

Ex Editis, & MSS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. P*Ræter auctores qui Summorum Pontificum gesta scripserunt, nonnulli Beati Leonis IX. vitam seorsim edidere. Wibertus ejus in Episcopatu Tullensi Archidiaconus, primò unum librum edidit de iis, quæ ille antequam ad Sedem Apostolicam proveheretur gesserat, Romanis relinquens, ut ipsemet in Prologo loquitur*, ea posteris transmittere, quæ Papa Romanus egisset. *Verùm postea mutatâ sententiâ, librum alterum primo adjunxit, in quo ea, quæ Beatus vir usque ad mortem peregit, fusiùs exponit. Auctor Anonymus, & ipse quidem testis oculatus, Historiam mortis ejusdem conscripsit, in qua accuratè & particulatim narrat, quo pacto Beatus Pontifex morti proximus, sese toto triduo ad ipsam obeundam præparaverit; tum subjungit aliquot miracula, quæ statim post ejus obitum edita sunt. Hanc historiam ex vetustissimo Codice Ecclesiæ Beneventanæ, literis Langobardicis exarato, publici juris fecit Ferdinandus Ughellus in Italia sacra tomo VIII. ubi de Beneventanis Episcopis agit. Invenimus præter ea in MS. Codice Archimonasterii Remigiani apud Remos Anonymi cujusdam collectionem miraculorum, vitæ Beati Pontificis à Wiberto scriptæ subjunctam, in qua miracula complura narrantur, quæ ad ejus tumulum paullo post illius mortem patrata fuerant, quorum quidem duorum Anonymorum opuscula, cum aliis item miraculis ex variis Codicibus descripta, in unum consarcinavit Godefridus Henschenius, eaque edidit die* 19. *Aprilis Bollandiani simul cum vita à Wiberto descripta. Ad hæc Bruno Signiensis Episcopus Vitam Beati Leonis conscripsit, quæ inter alia ejusdem Brunonis opera typis vulgata est. Præterea, ut plurimos auctores omittam, qui de aliquot ejusdem Sancti viri gestis data occasione scripserunt, Anselmus Monachus Sancti Remigii Remensis libellum edidit sub nomine Itinerarii Papæ Leonis IX. in quo refert ea, quæ Beatus Pontifex anno MXLIX. variis in Germaniæ, & Galliæ locis patravit, potissimùm Remis, ubi Archimonasterii Sancti Remigii Ecclesiam dedicavit, ac in ea Concilium habuit generale. Denique Desiderius Casinensis Abbas, qui postea sub Victoris III. nomine summus Pontifex fuit, libro* 3. *Dialogorum nonnulla ejusdem Sancti viri gesta & miracula narravit. Verùm ex iis omnibus auctoribus sufficere nobis visum est, binos Wiberti libros hìc edere, cum Anonymi opusculo*, (1) *quod ex Ughelli Italia sacra modò laudavimus. Cætera qui cupit, adeat Bollandum ad diem XIX. Aprilis. Si quæ tamen in aliis auctoribus observatione digna occurrerint, quæ ad Beati Pontificis acta illustranda conferre valeant, ea pro opportunitate in notulis ad vitæ textum, aut in his observationibus prævis referre non omittemus.*

II. *Quanta sollicitudine Ecclesiam sibi à Deo commissam Beatus Pontifex gubernaverit, probant, præter libellum quem ab eo contra Græcos editum laudat Wibertus, complures literæ, quas ad varios orbis Christiani Episcopos conscripsit. Ex iis quædam habentur ad Africanos ad sublevandum istius tam celebris olim Ecclesiæ statum, quæ sub Barbarorum tyrannide gemebat; aliæ ad Gallos, Germanos & Italos datæ sunt ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam; nonnullæ ad Antiochenum Patriarcham, ut eum in Apostolicæ Sedis obedientia confirmaret; aliæ ad Imperatorem Constantinum Monachum, ejus animi in recta fide firmandi gratiâ; denique ut cæteras omittam, quas pro variis ingruentibus negotiis data occasione edidit, ad Michaëlem Cærularium Constantinopolitanum Patriarcham non semel scripsit, ut eum ad pacem inter Græcos & Latinos conciliandam adhortaretur, cùmque ille noluisset à calumniis, quas in Romanam Ecclesiam evomebat, abstinere, eum tandem per legatos suos, quos ea de causa Constantinopolim misit, e sede exturbavit, cujus sententiam executioni mandari voluit Imperator, qui eumdem Michaëlem in exilium deportari jussit. Non minùs laboravit piissimus Pontifex in simoniacis & uxoratis Presbyteris extirpandis. Istorum occasione decretum celebre edidit, quod à Petro Damiani laudatur in Epistola ad Cunibertum Episcopum Taurinensem, inserta Opusculo XVIII. ejus operum novæ editionis, quo scilicet cautum est, ut quæ-*

(1) *hoc congruum duximus omittere, utpote ad rem nostram minimè pertinens.*

Digitized by Google

quæcumque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, extunc & deinceps Lateranen. palatio adjudicarentur ancillæ. *Contra utrumque vitium multis in Conciliis actum est, sub Leone ejusque successoribus, ut videre est in Conciliorum collectionibus, ubi etiam Epistolæ Beati Pontificis, quas modò laudabamus, editæ habentur.*

III. *Berengarium Archidiaconum Andegavensem, qui contra realem præsentiam corporis Christi Domini in Eucharestia insurgebat, Beatus Leo ab ecclesiastica communione removit. Hæ controversiæ occasionem præbuerunt varias Synodos congregandi, ac edendi professionis fidei formulas, quibus fidei catholicæ integritas sartatecta servaretur. Sed de his aliàs; hìc verò observasse sufficiat, quanta fuerit Pontificis nostri vigilantia in iis, tum quæ ad ecclesiasticam disciplinam stabiliendam, tum quæ ad tuendam rectam fidem pertinebant. Unde mirum non est, si Victor III. in ejus laudem asseruerit; ab eo omnia ecclesiastica renovata fuisse, novamque lucem, ex quo Pontificatum assumpsit, visam esse mundo exoriri. Sed illustrius est tanti Pontificis testimonium, quàm ut ipsum hìc integrum non referamus. Hæc itaque sunt ejus verba, quæ quibusdam miraculis à Beato Leone patratis præmittit in libro tertio Dialogorum.* Leo, de quo nobis est sermo præ manibus, vir per omnia Apostolicus, regali genere ortus, sapientiâ præditus, religione conspicuus, omnique ecclesiastica doctrina apprime eruditus, ac qui, quemadmodum scriptum est, cœpit invocare nomen Domini: quemque etiam vidi, ejusque familiaritatem habere merui: sæpe etiam eo in Ecclesia Missas celebrante, cum illo ad divinum altare, sacris indutus vestibus steti, eique Euangelium legi. A quo omnia ecclesiastica studia renovata ac restaurata, novaque lux mundo visa est exoriri. Hic sæpe Sacerdotale Concilium advocans, Sacerdotes, Diaconos, & reliquos Clericos, non regulariter ordinatos, removit; & in eorum locis, ad veri & summi Dei cultum, qui dignè ministrare possent constituit. Quotidie quoque per se suosque discipulos ubique missos populis viam Domini, literis & verbis prædicans ostendebat, qui per apostolicam vitam semper gradiens, apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus. De quo quidem plura audire me contigit, &c. *Hi paucis verbis Victor absolvit summam elogii Beati Leonis, qui similiter* totam Galliam illuminasse *dicitur in Testamento Odalrici Præpositi Ecclesiæ Remensis ubi tanta cum eloquentiæ vi contra pravos Ecclesiasticorum mores in Concilio Remensi disseruisse memoratur, ut multi ejus verbis perterriti beneficia, etiam quæ legitimè obtinuerant, dimittere cogitaverint. Ex his se fuisse fatetur Odalricus, qui eidem concilio intererat. Testis est Leo Marsicanus libro 2. Chronici Casinensis cap.* 88. *eumdem Beatum Pontificem, quamdiu Romæ moratus est, solitum fuisse tribus diebus per hebdomadam, è Lateranensi Ecclesia usque ad Sanctum Petrum, privato habitu ac nudis pedibus. cum duobus aut tribus Clericis, noctu psallendo & orando pergere. Historiam Sanctimonialis cujusdam Beati Leonis amitæ, quæ signo crucis Diabolum fugaverat, refert Petrus Damiani in Opusculo 47. cap. 3. & 4. quam ex ore* Beati Leonis IX. Papæ *ab Adhelaide Augusta auditam fuisse testatur. Sed de his satis.*

IV. *Dubitant nonnulli an umquam Beatus Leo professionem Monasticam emiserit: certè hunc Ordini nostro adscribunt præter Benedictinos scriptores plerique etiam exteri, id ipsum disertè affirmat Trithemius in Chronico Hirsaugensi ad annum MXLVIII. ubi sic habet*: Bruno Episcopus Tullensis.... erat filius Comitis de Elingem, & Monachus Ordinis nostri. *Bollandiani tamen qui se optare ajunt in observatione prævia, ut tantus Pontifex inter Ordinis Benedictini alumnos recenseri possit, postea in notis ad caput 5. Vitæ per* Wibertum *scriptæ, dicunt videri sibi ex* Wiberti *verbis colligi facilè posse, Leonem Benedictinis nequaquam esse adscribendum, cùm sic loquatur*: Porro sequentia lecturi desinent profectò mirari, hunc potiùs per Sanctum Benedictum, quàm per alium quemlibet Sanctorum, sospitati restitutum, ubi volvente sermonis rota perpendere poterunt ex paucis, quanto zelo pii amoris erga Monachorum institutionem & correctionem flagraverit. *Verùm hæc verba Beati viri Monasticæ professioni non adversantur, quæ optimè cum illo Sancti* Pontificis *in rem monasticam studio coaluerit. Certè nostrorum causæ favent pleraque Sancti Pontificis gesta. Etenim vix extra nostra Monasteria in itineribus, quæ sanè ab eo frequenter facta fuerunt, hospitabatur; & cùm in monasteriis versabatur, potissimum in præcipuis, capitulo intererat, & refectorio cum ceteris monachis. Sic Remis peracta Basilicæ Archimonasterii Remigiani dedicatione, ac soluto Concilio, in* Capitulum venit atque à fratribus societatem petiit & accepit. *In monte Casino cùm dies esset Sabbati, Mandato fratrum adfuit, pedesque duodecim Monachis lavit, à quibus vicissim & ipse lotus est: postea in refectorium quoque ingressus communem cum aliis refectionem accepit, ut narrat Leo Chronici Casinensis libro 2. cap. 85. Omitto Ordinis nostri Monachos, quos è Monasteriis eductos in legationibus aliisque majoris momenti negotiis gerendis adhibuit, vel quos ad Episcopales Sedes evexit; denique cùm esset morti proximus, Richerium Casinensem Abbatem accersivit, ut Romam redeundo eum haberet itineris socium. Sed quid ejus rei argumenta aliunde quærimus, cùm ipse Beatus Pontifex morti proximus se Monachum fuisse disertis verbis dixerit?* Cellam, *inquit*, quam monachus incolui, &c. *apud Anonymum in Relatione ejus mortis, quam post ejus vitam exhibebimus, num.* 4. *Hinc mirum non est si injurias Monachis irrogatas, sibi ipsi factas diceret, ut ipse ait in Epistola ad Stephanum Dominum Castelli-novi, quam cùm adhuc esset Tullensium Episcopus scripsit, habetur apud Perardum in collectione chartarum Burgundicarum; at in charta pro cella Bertiniacæ-curtis ibidem, sic loquitur*: cùm primùm divina clementia me ad Pontificatus honorem provexit, mox anhelare cœpi ad restaurationem meæ Ecclesiæ, ac Monastici ordinis religionem, aut ubi erat augmentare, aut ubi perierat pro posse meo recuperare.

V. *Jam verò si de beneficiis, quibus Monasteria nostra Beatus Pontifex cumulavit, loqui libeat, innumera propemodum fuerunt. Casinensi Abbati Sandaliorum, Dalmaticæ & Chirothecarum usum permisit; Monasterium Saxonanum intra Romanam Urbem eisdem Casinensibus subjecit, eisque Terracinense Monasterium confirmavit, ac navem in Romano portu liberam concessit, atque alia multa in eorum gratiam præstitit, quæ apud Leonem Marsicanum libro secundo referuntur. Sublacense Monasterium ab invasore fere destructum, in pristinum statum restituit. In Gallia Corbejensis, Remigiani Remensis, Cluniacensis, Sancti Arnulfi Mettensis, Casæ Dei, aliorumque Monasteriorum prærogativas confirmavit, & eorum possessiones asseruit. Monasteria suæ diœceseos, advocato Beato* Willelmo *Abbate tunc celebri, ad Regulæ Benedictinæ praxim accuratam revocavit. Nulla est ferme in orbe Christiano provincia, in qua Ecclesiam aliquam Ordinis nostri non dedicaverit & privilegiis munierit. In Hirsaugensi Monasterio, quod ab annis quadraginta & octo destructum fuerat, sub anathematis judicio Monachos restitui imperavit, ut fusiùs exponit Trithemius in ejusdem loci Chronico. De eadem re scripsit Chronographus Magdeburgensis, quem penes nos*

Digitized by Google

MS. habemus, ad annum MXLVIII. ubi etiam inter alia Leonis gesta memorat elevationem è tumulo corporis Sanctæ Richardis Imperatricis in Cœnobio Virginum apud Andelaum in Alsatia, quod ipsa fundaverat. Idem Pontifex Eduardum Regem Anglorum à voto Romam petendi absolvit, modò pecunias quas in itinere expendisset, conferret ad Monasterium aliquod, vel de novo excitandum, vel restaurandum. Illius ea de re Epistola extat apud Spelmannum tomo 1. Conciliorum Angliæ, & apud Labbeum tomo 9. Conciliorum generalium.


VI. *Nihil verò mirum est, si tanta fuerit Beati Pontificis in Ordinem nostrum propensio, cùm eam jure quasi hæreditario à parentibus suis acceperit. Ii enim non solùm sua, sed & se ipsos sub habitu Monastico serviendos Deo consecravere. Utrumque disertis verbis habet* Wibertus Cap.I. *licèt quibus id in locis factum fuerit non expresserit. At in Altorfiensi Cœnobio (quod à Beati Leonis parentibus conditum fuisse idem auctor affirmat) visitur vetus oratorium Beato Gregorio Sacrum, in quo iidem parentes Beati Pontificis, loci scilicet fundatores, sepulti memorantur. In Necrologio autem quod ibidem vidimus, hæc habentur die IV. Septembris.* Ob. Eberhardus Comes, qui requiescit in summo choro, item Domina Bertha Comitissa ejus uxor. item Hugo Comes & monachus hujus loci, qui requiescit ante altare S. Gregorii in capella. item Hugo Comes frater prædicti Hugonis, qui requiescit in hoc Monasterio, hi fuerunt fundatores Monasterii. *Habent ejusdem loci Monachi bullam, cujus apographum vidimus, qua Beatus Pontifex omnia bona à suis parentibus eidem Monasterio collata confirmat ea lege, ut sub Regula Beati Benedicti perseveraret. De Helvide verò ejus matre scribit Johannes de Bayon in Historia Medianensis Monasterii, quod cùm bellum inter Henricum Cæsarem, & Theodericum Mettensem Episcopum exarsisset, illa, firmatis castris quæ ad eam pertinebant, secesserit in Monasterium Medianense, ubi piis operibus vacans, Corpora Sanctorum Lazari Regis & Azæ ejus filiæ, quæ ante annos nonaginta & quinque in maceria Basilicæ Sancti Petri* ob Pannonicam gentem Gallias pulsantem *abscondita fuerant, detexit. Plura idem auctor habet de Sancto Leone, quæ suis locis pro opportunitate commemorabimus. Ejus verò scriptoris notitiam Reverendissimo Patri Domno Hyacinto* Alliot *Medianensis Monasterii Abbati è congregatione Sancti Vitonis debemus, qui non solùm hujus auctoris historiæ exemplar ad nos transmisit, sicut & alia quæque vetera instrumenta, & scripta quæ in Lotharingia & Alsatia, & in vicinis Germaniæ Monasteriis comparare potuit: sed nec curis aut laboribus, sive etiam sumtibus parcit, ut actis Sanctorum nostrorum illustrandis, aut annalibus Benedictinis concinnandis suppetias ferat. Ex eo nonnulla quoque didicimus de Monasteriis, quæ à Beati Leonis parentibus constructa à* Wiberto *dicuntur. Quatuor potissimum recensentur, Hissa, Sancti Cyriaci, Lutra &* Woffenheim, *quæ etiam Richerius libro 2. Chronici Senoniensis capite 14. commemorat his verbis.* Anno, *inquit*, MII. nativitas Beati Brunonis . . . . . cujus parentes Hessam Monasterium Sanctimonialium penes Sareborch ædificaverunt. Aliud quoque Monasterium construxerunt, quod Aldorf dicitur, Ordinis Sancti Benedicti, quod in Alsatia situm est; tertium etiam, quod Lustrense dicitur, & quartum sanctimonialium in honore Sanctæ Crucis item in Alsatia, quod Wofeinheim nuncupatur, quæ Monasteria bonis propriis ita ditaverunt, ut ipsorum conventus largissime valeant sustentare. *Idem auctor lib.4. cap. 21. omisso Lutrensi Monasterio, tria alia à Beati Leonis Papæ patre ædificata, & dotata fuisse scribit. Et quidem Lutrense Monasterium ante annos ferè quadringentos à Beato Deicolo constructum fuerat, Sæculo septimo ineunte. At Beati Pontificis parentes, & ejus avi, ut loquitur* Wibertus, *ad ipsum restaurandum nonnihil conferre potuerunt decimo sæculo labente, quo tempore, ut refert auctor vitæ ejusdem Sancti Deicoli, quam ad annum DCXXV. protulimus, Lutrense Cœnobium, quod devastatum fuerat, restauratum est ab Hugone Comite, postea Monacho, & ejus filiis. Ea de re Ottonis M. præceptum extat in favorem Baldramni, qui ibidem Abbas institutus fuit, ut diximus Sæculo superiori ad annum CMLX. pag. 277. subsistit hodieque Monasterium Lutrense, vulgò* Lure *dictum, in Diœcesi Bisuntina, quod unicum cum Murbacensi Monasterio Abbatem habet, ita tamen ut ille Abbas in comitiis Imperii inter Principes duobus suffragiis gaudeat. Sed pace inter Imperium, & Galliam anno MDCXCVII. sancita ea omnia quæ citra Rhenum sita sunt, ad Francorum Imperium pertinere debent, ac sic utrumque illud Monasterium hodie sub Gallica ditione situm est. Hissa etiamnunc priscum nomen retinet, vulgò* Hesse, *unâ circiter leucâ distans à Sarburgo,* (1) *Lotharingiæ opido ad radices Vosagi montis. Hic locus in prioratum, uti vocant, simplicem redactus Abbatiæ Altæ-Silvæ* (2) *Ordinis Cisterciensis unitus est. Altorfense* (3) *Monasterium, quod Sancti Cyriaci appellat* Wibertus, *hodieque subsistit Ordini Benedictino addictum, haud procul à Molshemio Alsatiæ Urbe non ignobili situm. De eo Bucellinus in Germania Sacra. Wosenheimense denique Cœnobium post varias fortunas in cellam redactum, ac pœne omnino dirutum jacet. Ejus sola supersunt rudera; cujus Ecclesiæ aliorumque ædificiorum muri absque tectis etiamnunc visuntur haud procul ab Egarsemio opido, à quo uno circiter milliario Wosenheimensis parthenon distabat, quatuor verò aut quinque à Columbaria,* (4) *Supremi Alsatiæ Senatus Sede. Cæterum illud est ipsum ancillarum Dei Monasterium* Sanctæ Crucis, *de cujus advocatia disceptabant Hugo, & Gerardus Beati Leonis nepotes tempore Gregorii VII. ut patet ex ejus Epistola 14. libri 2. ad Guarnerium Argentinensem, & Burchardum Basileensem Episcopos, ubi idem Pontifex testatur istud* Monasterium Sanctæ Crucis, in terra hæreditatis suæ à beatæ memoriæ Leone Papa fundatum, ac propriis opibus ejus constructum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui piè & sanctè præsidebat in proprium jus ab eo fuisse traditum. *Data est* XIV. Kal. Novembris Indictione XIII. *Præter hæc Ludovicus Beati Pontificis avus, si Johanni de Bayon credimus, dicitur cellam ædificasse Monachis Mauri-monasterii* (5) *in honorem Sancti Quirini, haud procul à Dasburgo castro, quod quidem castrum præcipuam Hugonis Beati Leonis patris sedem fuisse ajunt; quin & alia cella eidem vicina habetur sub titulo Sancti Leonis, cujus rudera supersunt in veteri castro, quod sicut & Comitatus ipse Dasburgensis in Comitum Linangiorum Lutheranæ Sectæ possessionem devénit, qua verò ratione hic Comitatus à Beati Leonis familia transierit ad exteros, exponit Richerius in Chronico Senoniensi libro 4. cap. 21. Castrum illud, quod validissimum erat, hodieque pristinum nomen retinet,* Dasbourg, *seu, ut vulgus loquitur,* Dabo *dictum, situm in rupe Vosagi montis versùs Alsatiam, ad quam attinet, cum subjecto sibi opidulo, & vicino tractu. Destructum fuit jubente Francorum Rege anno* MDCLXVIII. *sed jam ad Beatum Leonem redeamus.*

VII. *De Leonis extremo anno nulla videtur esse difficultas, eum quippe anno MLIV. ad superos abiisse consentiunt omnes, præter solum* Wibertum, *qui annum sequentem assignavit. Id ex librariorum vitio in* Wiber-

(1) Sarbourg. (2) Hautefeille. (3) Altorf. (4) Colmar. (5) Maurmunster.

Digitized by Google

Wiberti textum irrepsisse censent Bollandiani; & quidem verisimile est hunc errorem provenisse occasione electionis Victoris II. ejus Successoris, quæ nonnisi anno ferè integro post Leonis obitum facta fuit. Sic tamen habent non solùm editi, sed & Codices 2. MSS. Bibliothecæ Remigianæ apud Remos, quos consuluimus. Sed ut ut sit, unico Wiberti testimonio præferendum censemus aliorum omnium Scriptorum, etiam æqualium, consensum. Cæterùm Leo statim post mortem coli cœpit, non solùm Romæ, ubi sacrum ejus corpus quotidianis miraculis corruscabat, verùm etiam Beneventi, ubi ædificata fuit in ejus honorem Ecclesia, & festum ipsius celebratum. Idem de sua signiensi Ecclesia testatur Bruno. Nomen ejus exhibent Kalendarium Breviarii MS. Casinensis Monasterii, quod sub Oderisio Abbate exaratum est, & primum ex Capuanis, quæ à Michaële Monacho in Sanctuario referuntur, quod & in aliis passim occurrere non dubitamus, in quibus, sicut & in Martyrologio Romano, die XIX. Aprilis celebratur. Non enim Romæ solùm, aut & in Italia festum ejus recolitur, sed & in aliis quoque regionibus memoria ejus celebris est, potissimum in Tullensi Diœcesi, ubi sub ritu duplici celebratur, & apud nostros Remigianos semiduplici. Idem fit in Diœcesi Basileensi ex Johannis à Schonavv Episcopi mandato, nec dubium est quin idem præstetur in variis Galliæ, Germaniæ, & Belgicæ locis, quæ dum viveret lustravit, ac sua præsentia, & Pontificali benedictione ac variis privilegiis consecravit, ac communivit. Cæterùm si ob vitæ Sanctimoniam cœlitibus adscriptus est, ob doctrinam inter Ecclesiasticos Scriptores locum obtinuit. De ejus operibus nihil notandum occurrit, quàm quod cæteri jam observarunt. Sigebertus recensitis ejus operibus, eum ob ea, quæ in Sanctorum honorem composuit, Gregorio Magno comparat, cap. 149. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Aubertus Miræus verò in notis ad hunc Sigeberti locum, adjicit præter Epistolas ejus varias, quæ in Conciliorum editionibus, & Baronii Annalibus habentur, ejusdem Sancti Pontificis Homilias, & sermones Lovanii anno MDLXV. & Coloniæ MDCXVIII. prodiisse, quod idem notavit Cardinalis Bellarminus. Denique summam ejus in literas propensionem probat, idque veluti mirabile proponit Wibertus libro 2. cap. 14. quod nempe ultra quinquagenarius tanto ferveret studio, ut divinarum lectionem Scripturarum græco addisceret eloquio.



VITA

Digitized by Google

VITA
S. LEONIS IX. PAPÆ,
LEUCORUM
ANTEA EPISCOPI
WIBERTO ARCHIDIACONO
COÆTANEO AUCTORE.

PROLOGUS.

Viam universæ carnis ingresso Pontifice Herimanno, (1) *successit venerabilis Bruno, vir natalium prærogativâ, atque morum elegantiâ mirabiliter donatus à Domino. Qui licèt jam quasi postremus appareat in Pontificalis decessionis catalogo; primus tamen enituit ex Summi Pontificatus privilegio. Et velut Lucifer cæli statione novissimus, sed soli propinquior exiit, dum post longam decessorum seriem, suo sacerdotio Leucam urbem, immò totum Christianorum orbem illustravit, & verum solem sibi vicinum, errorum fugando caliginem, vivacitate sui nitoris ostendit. Nec præjudicium incurrit ex posteritate, qui ante sæcula divinitus præfixo destinatus est tempore. Immutabilis enim divinitas, cui cuncta assistunt acta, & agenda simul, sic disponit alternationes mutabilium, ut non sibi quidquam serum aut præposterum sentiat in ordine rerum. Nempe ut de reliquis interim taceatur, redemptio generi humano maximè necessaria in fine sæculorum exhibita comprobatur; & qui plus omnibus laboravit Paulus, post Apostolos omnes de cælo vocatur, unde etiam abortivum semet nuncupasse invenitur. Verùm ne diutiùs hîc hæreatur, suscepto negotio stylus reddatur, ut de tanto Præsule non tam audita, quàm visa ad ædificationem plurimorum transcribantur. Et quidem benignitas ipsius dignata meam parvitatem familiariùs sibi jugiter assistere, non suo studio effecit, ut plura de eo imitanda valuissem per memet dignoscere, nonnulla quoque veracium, & gravium relatione, de quibus quædam vix summo tenus perstringo, quædam etiam sciens prætereo, ne aut sim longus plus justo, seu adulatoris noter elogio, aut quia adhuc superest, impugner illo Salomonis proverbio;* Ne laudes hominem in vita sua. (*) *Et quoniam propositum habemus dona Dei laudare in eo, quæ sunt laudanda in pagano: non hominem laudamus, sed illum à quo, & per quem omnis homo veniens in hunc mundum illuminatur, ut aut bona cogitet, dicat, vel operetur. Nunquid verò tantum Præsulem protestamur in hac misera vita, quæ utique est tota tentatio, sine peccato aliquando vixisse aut vivere, quod nec unius diei infanti valet evenire? Sed quibus est studii divinas virtutes in aliquo homine impressas ad utilitatem aliorum prædicare, peccata hominis quæ jam à Deo tecta sunt, nolint ad ejusdem improperium retegere. Hinc est quòd Israëlitæ jussu Dei aurum, & argentum in vasa formatum ab Ægypto asportaverunt, effigiatum autem in idola omnino reliquerunt. Unde ab ipsius exordio noster jam ordiatur sermo, in quo plurimum nobis successisse, credemus, si ea tantùm, quæ in Pontificatu Leucorum laudabiliter gessit ex aliqua parte quovis stylo posteris transmiserimus. Sapientum autem, & præcipuè Romanorum erit, si quæ ipse Papa Romanus egit, Catholicæ Ecclesiæ fideli pagina non ingrati transmiserint.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Reverendus igitur Bruno utriusque parentis lineam adeò retinuit generosam, quatinus ab ipsis atavis, & supra, quicumque ad nostram potuerunt pervenire notitiam, aut regni seu Imperii retentaverunt habenas, aut proximas Regibus, & Imperatoribus gestaverunt infulas. Procreatus est autem in dulcis Elisatii (2) finibus, patre Hugone, matre verò Heilewide: quorum religiositas multorum ora consuevit ad laudem Dei aperire. Et pater ejus natione Teutonicus, Imperatoris Conradi Consobrinus, (3) in patria lingua atque Latina disertissimus, mater quoque Latina, æquè utriusque linguæ perita. Quorum patres & avi à prima indole, armis & animis supra modum acies fortiter compresserunt sibi resistentes, se suasque defensando partes, & circa senium abjecta omni superbia generis, & luxu mundi, induerunt humilitatem, & paupertatem Christi, patrimonia sua dando Ecclesiis, Cœnobia construendo in suis, & ex suis prædiis: Sicque tandem perfectè secuti Christum, seipsos etiam abnegarunt, stultâque sapientiâ sæculi omnino posthabitâ, sapienti stultitiæ Dei, atque Monastico habitui tota cordis contritione summiserunt, laudabilique per cuncta fine decesserunt. Etenim inter plurima, quæ sparsim divinis distribuerunt templis, duo Mona-

(1) Herimannus Episcopus Tullensis ex hac vita migravit anno MXXVI.

(*) Eccl. 11. 30.

(2) Alsatia Provincia notissima ad Rheni ripas, in qua Brunonis parentes multa bona possedisse satis patet ex iis, quæ diximus in observationibus præviis.

(3) Hugo Conradi Consobrinus dicitur, quòd Adelais Conradi mater, & Hugo pater Brunonis ex duobus fratribus Eberardo Adelaidis patre, & Hugone Brunonis nostri Avo nati fuerint. Johannes Bayon ejus avum Ludovicum Comitem de *Dasporch* appellat, quod de paterno avo intelligi non potest.

Digitized by Google

Monasteria instituerunt ex suis prædiis, (4) scilicet Hissam in honore Beati Martini Pontificis, necnon alterum Cœnobium venerationi Sancti Cyriaci Martyris. Quin etiam Lutrense Cœnobium patrimoniis suis plurimùm ampliaverunt. Quorum devotionem imitatus Hugo Comes præcipuus, & ejus devotissima conjunx parentes utique præfati Domini Brunonis, Cœnobium remotæ vitæ aptissimum construxerunt Woffenheim, penes nobile castrum suum Eginiskeim (5) dictum, ex prædiorum suorum decimis, in quo ad præsens Sanctimonialium congregatio consistit, ad venerationem, & gloriam almæ & victoriosissimæ Crucis.

CAPUT II.

HI denique ambo tantam, tamque honestam exibebant cunctis conversationem, ut etiam ecclesiasticæ personæ, & diversis gradibus functæ, ab Episcopis, usque ad laicos quiddam imitabile sibi in eis deprehenderent. Nam ut modò de multiplici eorum erga Deum vigilantia taceamus, utrum integrè reddidissent rerum suarum decimationem, sub judicio aquæ frigidæ perscrutabantur. Per quos dum decrevisset Omnipotens Deus Ecclesiæ suæ Præsulem destinare, genitrici gravidæ qualem quantamque prolem in utero gestaret, dignatus est præmonstrare. Nam quadam nocte vir in religioso habitu per visum eidem apparuit, & quia masculam sobolem, magnamque ante Deum futuram concepisset edocuit, atque Brunonem nominari jussit. Qui undecimo Kalendas Julii, anno videlicet ab humanato Dei Verbo millesimo secundo, Indictione quintadecima, ubi in hanc lucem fusus est, mirabile dictu, totum ejus corpusculum invenitur charaxatum (6) quasi cruciculàrum stigmatibus. Cujus rei novitate mater permota, & ex prioris visionis pollicitatione certior effecta, præter suam consuetudinem à nulla nisi à seipsa pertulit eum sustentari lactis alimoniâ. Quem congruo tempore ablactatum, Bertoldo Sanctæ Tullensis Ecclesiæ Antistiti tradidit jam quinquennem liberaliter educandum, literarumque studio imbuendum. Qui videlicet Bertoldus genuinæ honestatis sectator mirabilis præ suis prædecessoribus, Leucam urbem filiis nobilium nobilitavit, in diversis speciebus thesauros ejus, & decus valde ampliavit, ædificiis quamplurimis decoravit, literalis exercitii personis adimplevit, Monasteriorum normam intus, & exteriùs restauravit.

CAPUT III.

TAm idoneus itaque vir infantulum præfatum gratanter susceptum & literis fecit erudiri, & omni honestate ingenuis pueris competenti. In quo cum quotidianis corporis incrementis, accrescebat ingenua indoles mentis, quæ eum præ cæteris consodalibus commendabat cunctis. Sicut enim doctissimus pater Hieronymus attestatur, mollis cera & ad formandum facilis, quadam tractabilitate naturali divinitus formabatur, etiam si exterioris artificis cessaret manus. Unde cœlesti præeunte & subsequente gratia, cunctorum in se benevolentiam provocabat, quia nihil extollentiæ in eo conspiciebant, ex regalis stemmatis, atque divitiarum, formæ quoque ac ingenii excellentia, quibus solent carnales supra modum intumescere, moxque detumescere. Erat quippe affabilis omnibus, etiam infimis, aspectu & affatu quoque hilaris, obedientissimus non tantùm majoribus & coæqualibus, verùm & suis minoribus. Ejus quidem collegæ quamvis eo majusculi extiterunt duo Adalberones contribules sui, ex quibus prior immaturo est hinc raptus exitu, Ducis videlicet Theodorici filius, (7) alter autem Hezilonis Ducis germanus, ac Frederici eximii Principis natus sub scholarum magistro, magister nepotuli sui Brunonis constitutus, quia tunc pro tempore habebatur sciolus. Qui postea ad antistitium Mediomatricæ Urbis voto cleri & plebis, magìs quàm suo assumptus, vir huic nostro tempori refulsit adprimè prædicandus. Nam à primævo soli Deo placendi cupidus supra ætatem suam & valitudinem, carnem suam cum vitiis crucifigere conatus est, adeò fervens igne divinitatis, ut ab ipsis Christiani tyrocinii rudimentis putaretur perfectissimus. Denique ut in præsentia de plurimo ejus cœlibatu, de columbina innocentia, de serpentina prudentia, de discreta acrimonia, deque matura gravitate in tenera indole taceatur, in tantum semet jejuniis & vigiliis affecit; ut illud B. Job etiam historialiter dici possit: *Pelli meæ consumptis carnibus, adhæsit os meum.* (*)

CAPUT IV.

HInc ergo tali collegæ indivisibiliter gemino connexus affectu, spectabilis puer Bruno insistebat literarum gymnasio, deque liberalitate sua sibi congaudebant mutuò. Quibus & si adhærebant nobilia examina puerorum, ipsi tamen duo omnibus suis consodalibus præeminuerunt, tam capacitate liberalium studiorum, quàm honestorum excellentiâ morum. Nempe ut primùm competit rudibus, decurso artium trivio, non solùm claruerunt prosa & metro, verùm & forenses controversias acuto & vivaci oculo mentis deprehensas expediebant, seu removebant sedulò. Denique quadruvium naturali ingenio vestigantes degustarunt, atque non minimum in ipso quoque valuerunt, sicut sequentia ex parte indicabunt. Igitur cùm ibidem pariter educarentur prædicti pueri, domini Brunonis genitrix somnio hujusmodi edocetur de futura promotione filii sui. Nam videbat quasi seipsam à parte Pontificalis carceris venerandam Basilicam (8) Beatissimi Protomartyris Stephani ingredi, Sanctæque memoriæ Præsulem Gerardum, in vita, & post mortem clarificatum miraculis occurrere sibi, ac solventem à propria cervice orarium, quod vulgò stola dicitur, eidem reposuisse in manica. Quod utique ceu conjici potest, illud portendebat, quod filium ipsius non tam sedis suæ, quàm boni studii successorem cœlitus præstituebat. Nam cùm quintus à Domino (9) Gerardo reverendus Bruno computetur, ab ipso tantùm, &

(4) De his Monasteriis fusè egimus in observationibus præviis.

(5) Situm est in Alsatia Superiori, haud procul à Columbaria Urbe, *Colmar*. Porrò statuerat Beatus Pontifex, ut qui ex sui generis posteritate major natu in hoc castro moraretur, advocatiam Monasterii haberet, ut discimus ex epistola XIV. libri II. Gregorii Papæ VII.

(6) I. scalptum.

(7) Adalbero Friderici filius sedem Metensem conscendit anno MXLVII. obiit anno MLXXII.

(*) Job 19. 20.

(8) Ecclesiam Cathedralem Tulli Sancto Stephano sacram.

(9) De hoc egimus in appendice Sæculi superioris (*idest V.*)

Digitized by Google

& non ab aliquo sequacium ejus videtur præelectus, quoniam Deo annuente eum præ illis est imitatus. Sed quia omnipotentis Dei pia dispensatio consuevit donis suis flagella & tentationes permiscere (quemadmodum novimus Beato Job, atque Apostolo Paulo, & pænè cunctis electis contigisse) dicendum videtur, qualiter in ipsius pubertatis ingressu fuerit periclitatus, & mox accedente cœlesti medicina salvatus.

CAPUT V.

Cùm jam solito liberiorem à scholari jugo adeptus fuisset cervicem, multotiens parentum suorum invisebat mansionem: delectatus non tantùm gemina affectione, quantùm religiosa eorum conversatione, & liberrima domus suæ in militibus & familia dispositione. Ergo quodam æstivo tempore dum ex more cum eis apud nobile castrum Eginisheim nuncupatum moraretur, superveniente cujusdam nocte Sabbathi in amœnissimo cubiculo soporatur. Cujus dextram faciem venenosa illa rana, quæ Bufo nuncupatur, sive rubeta, conscendit, eique ex anterioribus pedibus unum in genis, alterum autem sub labio, & ex posterioribus priorem post aurem, alterum verò sub mento affigens, sugere ac stringere immaniter cœpit. Quo dolore expergefactus, horribilis animalis deprehendit faciei suæ incumbere perniciosum pondus. Tanto itaque, tamque novo periculo attonitus, à strato se otiùs corripuit, & immodicum non perferens cruciatum, ictu palmæ post aurem libratæ virosum illum in eundem stratum suum decussit, timens ne si manu medium arreptum extrahere tentasset, acriùs irreperet. Tunc nequam ille, licèt in suo super lectum casu elisum sonitum reddiderit, tamen capitalem pulvillum denuo conscendere, ipso perspiciente, non distulit, nam lunaribus radiis tunc illustrabatur omne penetral cubilis. Nec mora famulorum turba repentino dilecti domini sui clamore accita accurrit, lucernam secum exhibuit, sed pestiferum illud animal sub illorum ingressu nusquam comparuit. Inquiritur passim diligentissima vestigatione vernaculorum, sed omni supellectili cubilis eversa ac perscrutata, minimè fuit repertum. Sed sive illud verum aut fantasticum fuerit, plagas tamen veras, & dolores veros reliquit. Quibus etiam totum vultum, guttur, ac pectus tumefactus, usque ad desperationem aliquatenus recuperandæ sospitatis est infirmatus. Uterque ejus parens, omnesque sui super hoc miserabiliter duobus mensibus plenis consternabantur, solum funus jam efferri suspicantes, lugubrem illam exequiarum pompam continuis suspiriis & lacrymis præstolabantur. Verùm benignus JESUS desperatis rebus succurrere solitus, super plenaria ejus sospitate subitò parentes ejus est consolatus: & Ecclesiæ suæ per hunc relevandæ, secundùm propositum suum recordatus. Nam cùm jam duobus mensibus à lecto per se minimè surgere potuisset, jamque concrescente infirmitatis nimietate sinè loquela octo diebus permansisset: tandem quadam die apertis oculis, supino, ut recubabat, vultu, vigilans conspexit quasi luminosam scalam ab ipso suo grabato per se ipsam erigi, & fenestrâ ad pedes ejus transitâ usque in cœlum porrigi, atque per eam quemdam nimiæ claritatis reverendæque canitiei senem descendentem in habitu monachali, cujus dextera gestabat crucem conspicuam in longo hastili. Qui ad ægrotum ut pervenit, sinistra manu scalam retinuit, dextrâ verò eamdem crucem primùm ori ejus apposuit, deinde loca tumoris ex ipsa signavit, & totius veneni incoactam putredinem post aurem extraxit: statimque viâ, qua venerat, reversus, dimisit infirmum habentem se meliùs. Nec mora denique Adalberonem suum clericum, tunc tantummodo ejus assidentem lectulo allocutus, per eum optato nuntio paternam domum cunctam repressit à diutinis clamoribus. Post aliquot autem dies omni veneno pustulæ illius, rupta cute, post aurem dextram ejecto, sospes & incolumis evasit, sub maximo cunctorum miraculo atque gaudio. Qui sicut nunc usque inter commonitoria colloquia tam evidentem Dei miserationem super se agnitam recitare suis familiarissimis est solitus, profitetur se in præfata exstasi Beatissimum patrem Monachorum Benedictum illico luce clariùs agnovisse ex qualitate vultus & habitus. Cujus corporis accidentalem dignoscentiam ita hactenus commemorat, quasi præ oculis carnis adhuc habeat. Porrò sequentia lecturi desinent profecto mirari, hunc potiùs per Sanctum Benedictum, quàm per alium quemlibet Sanctorum restitutum sospitati: ubi volvente sermonis rota perpendere poterunt ex paucis, quanto zelo pii amoris erga Monachorum institutionem & correctionem flagraverit.

CAPUT VI.

Hinc itaque decedente Domino Bertoldo suo nutritore, succedenti Herimanno non recusavit æquè parêre: quasi illud Beati Papæ Gregorii dictum jugiter præ oculis mentis videretur habere: *Primus esse non audeat, qui subesse non didicerit, ne obedientiam subjectis imperet, quam Prælatis non novit exhibere*. Compatiebatur equidem tunc temporis adversa passis, præsertim venerabilibus venerabilis viri Apri Cœnobitis, in quos procacissimæ adulatorum & invidorum linguæ supra modo instigabant animum præfati Antistitis. Nunc pro eis murum semet, quantùm poterat, opponebat, nunc quod solum poterat, cum flentibus flebat. Ejus etiam annitente auctoritate & industria, in statu: quem ab idoneis & prioribus Præsulibus acceperat, integerrimè permansit sub Herimanno institutio & præbenda canonica, intra Beatissimi levitæ, & protomartyris Stephani claustra. Verùm quoniam omnia tempus habent, secundùm quod dispensat temporis conditor temporis expers, qui per quædam aliena suis perducit ad sua accidit, ut eximius adolescens à parentibus, & consanguineis assignaretur glorioso Imperatori Conrado contribuli suo, ejus educandus in aula, atque excubaturus in Basilica. Ubi nondum multis decursis diebus, omnium aulicorum benevolentiam perfectè est adeptus, utpote quem gratiosum exhibebat præco ejus conversationis ac prudentiæ, generis ac formæ decus. Unde cùm ab eis ibidem Brunones æquè vocarentur nonnulli, hic tantum Bonus-Bruno meruit appellari. Quam prærogativam ita in dies augmentando, sinè sodalium invidia vendicabat sibimet, ut & minoribus sese quadam rationabili condescensione aptaret, majoribusque liberali dignitate per omnia congrueret. Præterea unico & patrio affectu ab Augusto, Augustaque adeò est dilectus, ut etiam in secretissimis eorum consiliis gratanter admitteretur, & sententia ipsius reverenter dulciterque expectaretur, ac promulgata indubitanter susci-

Digitized by Google

suscіperetur. Quem cùm quotidie deliberarent, incessanterque ambirent sublimare honore quàm maximo, & ut patenter dicam, donare pontificio temporalibus copiis supra modum locupletato: ipse jam præmonitus domni Gregorii irreprehensibili & aureo stilo, cœpit hoc suspectum habere omnino, ne sibi divinitus imputaretur, quasi munus ab obsequio: à quo nonnullos consociorum suorum ob aliquantulæ sublimationis spem, nulla corporis poterat revocare fatigatio, nulla rei familiaris annullatio. Unde quia nec ab Imperiali latere recedere sibi licebat, nec taliter obsequi libebat, in animo suo tantùm Deo conscio & teste proponebat, ut si cum beneplacito ejus ad quantumlibet pauperrimæ Ecclesiæ invitaretur regimen, allacrior ad id accederet, quàm si eum majestas regia ad supremæ potestatis, & locupletationis dignitatem aliquo carnali affectu impelleret. Quod quidem tantò admirabilius est habendum in levitate juvenili, quantò rarius deprehenditur & in gravitate senili. Sed jam dicendum videtur, qualiter iste humiliari pro Deo cupidus, paulatim ab ipso fuerit mirabiliter exaltatus, sicut in libro Regum per Prophetam testatur: Glorificantem me glorificabo; qui autem contemnunt me erunt ignobiles. (*)

CAPUT VII.

ANno igitur ætatis vigesimotertio, cùm jam alteram adolescentiæ hebdomadam fuisset ingressus, & ab Incarnato Dei Patris Verbo MXXV. excurreret annus, vice sui Pontificis Herimanni in expeditione præfati Conradi Imperatoris Longobardiam, & maximè super Mediolanum tunc rebellem, præclarus Bruno est profectus, Levitico officio insignitus. Namque illo suo Antistite annis morbisque prægravato, ipse auxiliares militum copias Imperatori venientes à Tullo, ducendas & disponendas suscepit, tam ejusdem Episcopi, quàm Augusti placito; salvo tamen per omnia proprii gradus sacramento. In illius itaque sæcularis militiæ dispositione, sic repente sagax apparuit & providus, quasi hujusmodi negotiis tantùm fuisset hactenus exercitatus. Metabatur castra suis, disponebat stationes cum vigiliis, sumtus & stipendia opportunis administrabat in locis & horis, sobriâ sufficientiâ apparatas dapes distribuebat suorum singulis; quos sic per assignata, & congrua unicuique officia curabat ordinare, ut tantùm pro se quique tam nobiles, quàm privati debuissent solliciti esse. Cujus certè sollicitudo & suis erat tuitio, & hostibus dejectio, & sibi ipsi digna laudatio. Unde factum est, ut reddendo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo quæ sunt Dei, per Apostolum suum præcipientis quatinus omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quoniam non est potestas nisi ab ipso; per alienum quantocyus ad suum pervenire promeruit. Et quia fideliter ac prudenter inservivit exterioribus, ad plenum remuneratus est interioribus, ut super multa constitutus, & Conditori suo adhæreret celsiùs, & proximo compateretur profundiùs.

CAPUT VIII.

DEnique instante anno ab Humanitate Filii Dei MXXVI. Leucus præsul Herimannus abstractus est carnis ab hospitio, cùm Quadragesimali tempore moraretur Coloniæ in quodam suo prædio. Extemplò Clerus & Populus provisore orbatus, concordi voto, eademque sententia confœderatus, diu sibi desideratum & dilectum Brunonem consonis, & continuatis expetit vocibus. Hinc totius recrastinationis impatiens, deprecatorios atque contestatorios super tam unanimi electione sua dirigit Imperatori apices. Quorum, ut compendiosè dicatur, causa ista fuit. Post præmissam debitæ salutationis reverentiam, nimiùm compunctam suæ calamitatis exponunt tragœdiam, dicendo se quaquaversum impeti atque inquietari pæne quotidianis deprædationibus sive concertationibus, utpote in trium regnorum constitutos confiniis, in Imperii sui videlicet finibus, in quibus tantò acriùs ab hostibus laborarent, quantò longiùs terrarum spatia ab ejus præsentia eos arcerent. Præterea civitatem suam à Francorum Regibus jugiter reposci diversis & multis machinationibus, cui damno Reipublicæ ac suo, vexationique suorum si dignaretur obviare, designaret eis Pastorem nobilem ac sapientem quàm maximè, cujus strenuitas & industria sibi infensam hostium rabiem valeret propulsare. Ad quem utique vestigandum non esset valde laboraturus, quando quidem Cleri & plebis unanimitate delectus penes ejus Imperialem Majestatem consanguineus Bruno haberetur Deo bonisque hominibus dilectus. Hunc sibi notissimum, utpote suum ipsorum alumnum, & inter ipsos, atque ab ipsis, liberalium literarum scientiâ eruditum, sinè querela conversatum, & per singulos gradus Ecclesiæ regulariter ad Leviticum ordinem provectum; hunc non modò cum suburbanis urbani, verùm & omnes circumcirca expeterent vicinæ plebes, & comprovinciales Episcopi. Aut concederet ergo eis cum beneplacito Dei istum, aut nullum: quoniam in promtu haberent illud Beati Papæ Cœlestini decretum: *Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè oprepat, nec debitam alteri sibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi si se viderint prægravari, & quod sibi ingeri ex transverso noverint, non timeant refutare: qui si non debitum præmium, saltem vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium.* (*) Et illud Domni Leonis præclari Doctoris: *Nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; & fiat minùs religiosa quàm convenit, cui non licuit habere quod voluit.* Contra tam evidentem & canonicam auctoritatem, si posset eis terrena potestas violentiam inferre, non tamen benevolentiam eorum ab isto suo electo valeret aliquando avertere. Tandem igitur unanimi & præcordiali prece ipsorum moveretur Imperialis ejus serenitas, & magis in hac parte attenderetur Ecclesiæ Dei utilitas, quàm illa, quæ secundùm sæculum pertractabat altiùs eum sublimare ejus consanguinitas. Interea & speciales literæ Domino Brunoni sunt directæ, quæ totius Cleri, Abbatum, & cunctarum Congregationum, universique Leucæ diœcéseos populi taliter nitebantur desiderium seu negotium perorare: quòd viduati Pastore ipsum sibi concorditer solùm delegissent, & ab Imperatore exigerent, propter Omnipotentis timorem pariter & amorem, nullo pacto eos inde perturbaret;

(*) 1. Reg. 2. 30.

(*) Epist. 3.

Digitized by Google

baret; ac ne paupertatem illorum, cujus hactenus bene conscius erat, abhorreret. Contestabantur eum per illum, qui cùm esset dives, pauper pro nobis factus est: nec quod tanti præconii, tantæque nobilitatis personam sibi viles & abjecti præoptarent, majoribusque ac suis meritis congruis urbibus inviderent, ad injuriam sibi aliqua, quam adhuc in eo non deprehenderant, arrogantia reputaret, propter eum, qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem. Liceret eis laboris sui fructu perfrui, & versa vice à nutritio suo nutriri, quia secundùm Apostolum, (*) laborantem agricolam oportet primum de fructibus suis percipere. Consequens enim foret, ut Ecclesia, quæ talem educare meruisset, talem & sibi mereretur destituta Pastorem, qui etiam pro modulo divinitus concesso mortalibus, illud speciale boni & Summi Pastoris dicere posset: (*) Cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Non verò eos lateret, quòd terreni Principis pietas ad majora eum merito consanguinitatis, & complacitæ illi conversationis promotum ire deliberaret. Itaque si ipsos post se clamantes exaudiendos censeret, continuis precibus de reliquo cœlestis Imperatoris largitatem pulsarent, ut ei cœlestem ac terrestrem honorem accumularet. Si autem contemnendos putaret, quia eminentioris dignitatis apici seculariter inhiaret, divina æquitas contemtus illorum ultrix sic accederet, ut nec ad illum cui intendebat, nec ad quemlibet alium honorem aliquando ascenderet.

CAPUT IX.

HUjusmodi ergo syllabis à Domno Notberto, tunc laudabilis vitæ Monacho, pridem autem Sancti Prothomartyris Stephani Canonico, atque Liethardo adhuc quidem Canonico susceptis, qui præ sui comitibus itineris alacres & impigri executores tantæ talisque causæ fuerant designati à Clero & Populis: plurimo varioque curarum æstu uterque afficiebatur, Imperator scilicet, ac Dominus Bruno eidem carissimus. Et Imperator quidem, quamvis gauderet dilectionem, quam erga ipsum venerabilem Brunonem meram & germanam debito affinitatis, considerationeque strenuitatis ejus possidebat, multorum laudibus, vel testimonio commendari & approbari, non mediocriter tamen contristabatur, quia illud suum desiderium, quo appetebat illius temporaliter sublimiorem dignitatem, sentiebat præpediri. Timebat ne Deum offenderet, si Ecclesiæ ejus tam unanimi voto repugnaret: dolebat si tantæ personæ pro meritis non responderet. Quid hîc multis hæreo? in tanta mentis fluctuatione deprehensus, per Legatos à latere suo directos, omnibus ingeniis inde jam sæpedicti Domini Brunonis intentionem revocare est conatus, modò conflictationes creberimas, atque depopulationes illius Ecclesiæ commemorando, & paupertatem supra modum exagerando; modò quòd in extremis Imperii sui finibus urbs illa posita, aut numquam, aut rarissimè æstimaretur digna Imperatorum diversorio: modò quòd eumdem nepotem suum sibi per omnia carissimum nequiret perferre æquo animo disgregari à se tanto terrarum spatio. Parceret igitur sibimetipsi, & tam suæ utilitati consuleret atque quieti, quàm medullitus eum amantis Imperatoris voluntati & perturbationi: potiùs surda aure illos præteriret, qui suam ipsorum necessitatem seu consolationem, quàm ejus salutem & honorem pluris penderent; maximè cui ipse condignam suo generi ac merito dignitatem instanter prævideret. Verùm quia multa consilia in corde viri, voluntas autem Domini fiet, ut Salomon agit, longè aliter afficiebant subditum Deo animum Reverendi Brunonis destinatæ illi syllabæ ab Ecclesiæ populis: quorum unanimi & humili invitatione sentiebat se ad humilia invitari ab ipso Magistro humilitatis, qui Rex hominum fieri refugit, & ultro ad crucem venit, nec immemor illius (10) sui prioris propositi, quo malebat jugiter omni humilitate, vilitate & extremitate contentus Christo famulari, quàm temporaliter cum aliqua corruptela integræ conscientiæ, id est quavis venalitate sublimari, quam trimodam compererat dictis Beati Gregorii, scilicet à manu, ab obsequio, à favore. His utique tribus pedissequis ambitiosæ venalitatis animadvertens Ecclesiasticas dignitates nimis confundi ac subrui, nec facilè aliquem ab aliqua istarum immunem reperiri; nihil sibi tutius fore credidit, quàm populari electioni ad humilia se vel adversa attrahenti assentiri, & Imperiali suggestioni ad magna vel prospera incitanti reluctari. Denique laudabile est quemquam pro Deo prospera declinare: sed multò laudabiliùs constat adversis se sponte offerre. Hinc est, quòd Moïses ad Principatum divinitus vocatus excusat, & se postposito alium postulat, dicendo: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*; (*) atque Isaïas ad nuditatis ignominiam, multiplicemque passionem, nec nominatim designatus, ultro se ingerit proclamando: *Ecce ego, mitte me*. His ergo & aliis virtutum incitamentis succensus, & oleo divinæ gratiæ repletus, rectæ intentionis flammam tantò spargebat alacriùs, quantò flatibus carnalium affectionum impellebatur acriùs. Fiebatque ut illa dissuasoria aura à Cæsare veniens & ejus aula, magis augmentaret & confoveret, quàm consopiret aut extingueret ignem divini Sacrificii devotæ mentis in ara. Itaque illam Beati Petri sententiam qua dicit: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*; (*) gratanter amplexus, disruptis cunctæ dilationis nexibus, Imperatori adhuc dissuadenti obtulit syllabas missas sibi à Clero & Plebibus, ingenua tamen, ut ita dicam, virgineo pudore ora suffusus. Apicum autem tenore Clarissimus Princeps edoctus, ad lacrymas est permotus, & uberrimis fletibus attestantibus, extrinsecus palàm fecit, quanti eum haberet intrinsecus. Demum aliquanto interjecto silentio, linguam famine solvit in isto: Meam sententiam super honore tuo, dulcissime mi nepos, jam diu deliberatam, supernâ video sententiâ impugnari, immo expugnari; cui cogor manus dando, sicut debeo suffragari, quoniam non sinè pernicie nostrûm amborum & multorum possum diutiùs refragari. Pietas Omnipotentis jam nunc tibi in hoc adsit, quæ quid ambobus nobis & omnibus expediat magis novit. Mihi ergo jam libet, quod evitare non licet. Tu tamen gratiâ Dei contentus, qua sola crederis ad illius Ecclesiæ regimen præelectus nullo venalitatis modo,

(*) 1. Cor. 9.
(*) Joan. 10. 14.
(10) Ex verbis sequentibus è Regulæ Benedictinæ capite 7. desumptis designari videtur Monastica Sancti Leonis professio.
(*) Exod. 4. 13.
(*) 1. Pet. 3.

Digitized by Google

do, nec ipsius conjugis meæ, nec cujusvis mortalium tuæ parti concilies affectus, ne hinc ex te per omnes tibi credendas oves serpat hujus Simoniacæ pestis nævus. Proculdubio enim qui cœpit in te bonum opus, perficiet quantocyus. In ipsius gratuita pietate tuum jacta cogitatum, & ipse te enutriet, secundùm veridicum suæ divinæ sententiæ promissum. De nostri autem consilii & juvaminis solatio, quantumlibet illud sit, ne fias ullo modo dubius: quia super omnes tui ordinis, de tua re prosperanda semper ero sollicitus, quem nobis commendat & indefessus labor fidelis erga nos serviminis, & consanguineus invicem affectus avitæ propinquitatis. Tantùm satage Omnipotenti fideliter deservire, & bonorum morum indolem, quæ in te à cunabulis est, studeas augmentare. His aliisque verbis à regali dulcedine roboratus venerabilis Bruno, sponte laborioso se submisit oneri in solo fisus Domino, quippe qui noverat se non vocari ad prosperitatis gaudia, sed ad gravium laborum perpetienda pericula.

CAPUT X.

Adeptus ergo donum Pontificalis culminis, in non minimo reliquit contribules aulicæ potestatis mœrore, qui ejus semper innitebantur consiliis salutaribus; quorumque causas sedulò procurabat interventor strenuus. Et licèt ei congratularentur de attributo honoris culmine, sibi tamen dolebant, quòd carerent ejus contubernalis familiaritatis, & affaminis prædulci solamine. Accepto autem ab Imperiali potestate digrediendi commeatu, deferuntur illi nova adversitatis nuntia, in ipso itineris procinctu, scilicet nisi præcaveat se fore passurum insidias à Longobardis patriensibus, qui per id adhuc temporis contra Augustum superbis rebellabant cordibus. Nam illis fortè diebus regius exercitus Orbam (11) Mediolanensium opidum oppugnabat, quia inibi infidi infidelitatis apostatæ Imperatori subjectionem abnegantes latitabant. Commonetur ergo à familiaribus horum insidias divertendo præcavere, adstruentibus fore utilius aliam viam quamlibet longiusculam expetere, quàm incautè propter itineris compendium in manus eorum incidere. At ille expers timoris juxta illud Salomonicum: Justus quasi Leo confidens absque terrore erit; scuto fidei præmunitus, lorica justitiæ, galeaque spei salutis adornatus, taliter se à recto itinere dehortantibus infit: Omnipotentis manibus cunctam nostræ salutis curam committamus, quia nemo valet illi nocere, quem Divina voluerit protectio defensare. Si autem me destinaverit igne tribulationis à peccatorum scoria expurgare, non abnuo voluntati pii artificis me ad informandum committere, quoniam nec debet figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic, reclamando dicere. Viâ regiâ absque diverticulo gradiamur, & quidquid nobis supernus arbiter prævideril, libenti animo patiamur. Tali itaque commonitorio suos sagaciter adhortatus, cœptum tendebat iter de cœlesti auxilio jam securus. Sed qui erat vas humilitatis dicatum Deo, ne notaretur superbiæ cauterio, si omnino refutaret familiarium uti consilio; partim voluntati eorum obsequitur, scilicet ut à grege comitantium cum paucis disparatus eos itinere præiret diei unius. Interea in cunctis pœne mansionum abditis Longobardorum occultantur insidiæ, ubi spes erat eum causâ corpus reficiendi debere pernoctare, maximèque apud Iporejum (12) civitatem hujusmodi insidiarum parantur fraudulentiæ. At ipse, ut dictum est, paucis, hoc est, non plus quàm quinque comitantibus, poli axe solis calore jam fervente, per medium ejusdem civitatis ingressus, ita securè, Dei annuente gratia, omnem illius urbis popularem frequentiam pertransiit, ut nec in alloquendo quidem ullus ei viam incommodaverit, neque sibi alium alloquendi necessitas ingruerit. Jam autem solis sphæra undas irradiante Oceani, urbem intrant ejus sequipedes, comites post terga relicti, moxque ab omnibus insidiarum latebris accurritur, ac si diu quæsita canum præda violenter rapiuntur, in cunctorum vultibus solus Bruno requiritur, sed quem Christus eruerat, inter omnes solus Bruno minimè reperitur. Toto noctis spatio fit de eo quæstio, abieritne, an veniat, sed nulla veri ratio ejus factum publicat. Nascitur suspicio, quòd jam pridem pertransierit, ad quem insequendum celeres diriguntur veredarii. Sed dilectus Præsul jam ad extremos Italiæ fines pervenerat, locumque qui dicitur ad (13) Cameram, subintraverat, ubi eum mirabili consilio divina protectio liberat. Nam sui pauci comites longinquo defatigati itinere, ibidem ad recreandum disposuerant residere. Sed ille præsagus mente, solus uno contentus portas pertransit Cameræ, expectaturus socios parva refocillandos requie. Cùm verò ab eis esset ablegatus intra spatium duorum sagittæ jactuum, subitò prædicti insecutores anhelo cursu adveniunt, lassos ejus comites jam discumbentes reperiunt, raptos retrogrado itinere celeriter Iporejum perducunt, sperantes se diu quæsitam prædam reperisse, quos Deus jocundo miraculo quodammodo voluit deludere. Tali itaque consilio divina virtus malorum nequitiam propria spe defraudavit, sibique fidelem ab ipsorum rabie liberavit, cui etiam mox cuncta sua de integro salva restituit, suppetiante ejus cognata, nepte Rodulfi regis Jurensis, conjuge sui germani, nomine Gerardi, (14) strenuissimi atque elegantissimi militis.

CAPUT XI.

Auspicato ergo cursu cœptum iter exequitur, à cunctis prætergrediendis urbibus per viam plausibiliter excipitur: à propriis civibus ejus desiderio inhianter attonitis, favorabiliter præstolatur. Tandemque die Dominicæ Ascensionis, tertiodecimo (15) Kalendas Junii, omnium inexplebili gaudio susceptus, præsentibus cunctis Belgicæ Galliæ primoribus, electus ac laudatus, à suo consobrino domino (16) Theodorico Mediomatricorum

(11) Bollandus legendum putat *Ortam*, cùm ejus nominis opidum habeatur in ea regione ad lacum, qui etiam Orta vocatur.

(12) Eporedia Episcopali Sede, & Marchionatus titulo insignita, in Pedemontio.

(13) Opidum Maurienne vallis, vulgò dictum, *la Chambre*.

(14) Is à Johanne de Bayon dicitur Comes EKeimsheim, qui occisus est in conflictu quodam adversùs Regnibaldum. Et dubiò procul pater fuit duorum Beati Leonis nepotum, qui memorantur in epistola jam laudata Gregorii VII. lib. 2. epist. 14.

(15) Bollandus legendum censet, *Decimo Kalendas Junias*, quia inquit, Pascha fuerat die 10. Aprilis, Cyclo Lunæ 1. Solis 27. Littera Dominicalis B.

(16) Obiit anno MXLVI. à Sigiberto dicitur frater Sanctæ Cunegundis uxoris Beati Henrici Imperatoris.

Digitized by Google

eorum Præsule est Pontificaliter inthronizatus. Quique sciens se esse debere in domo Dei lucernam non sub celante modio, sed super refulgens candelabrum collocandam; sollicitâ studuit vigilantiâ mox expromere Divinæ religionis ignem, quo semper incaluerat, ac sibi subditos ardenter in supernæ virtutis zelo verbis & exemplis accendebat. Et sicut fertur exemplo sæculari, quoque magis tegitur tectus magis æstuat ignis, ita cœpit in eo diu clausus cœlestis amoris fervor inardere: sicut qui ab ipsius infantiæ bona indole solitus erat Christi inspiratione fervescere. Suum itaque sagax studium super omnia convertit in propaganda religione monastica, quæ præter Sancti confessoris Christi Apri Cœnobium in omni sua Diœcesi, jam, proh dolor! longo tempore refriguerat: Medianensis (17) namque ac Sancti Mansueti Monasterii Prælatos, qui posthabito animarum sibi commissarum studio, in solo exteriorum dominatu se putabant constitutos, deposuit in ipso suæ electionis exordio, atque Domno venerabili Guidrico, tunc per id temporis Præposito præfati Cœnobii Beati Apri, commendavit, cujus provisione & sollerti instantia ordo monasticus, ut adhuc in propatulo est, in eisdem locis ferventer recaluit.

CAPUT XII.

Victoriosus verò Rex Conradus auditis, fama vulgante, ejus laudabilibus actis, in dies erga illum magis magisque ardebat affectibus pii amoris, præsagiens ipsum vas fidele ad resformandam sacræ religionis normam, & ad augmentandam jam defluentem Romanam Rempublicam. Et quoniam causis instantibus usque in sequenti Pascha distulerat sibi à Domno Apostolico Romæ dandam Imperialem benedictionem: itidem etiam isti vinculis perfectæ dilectionis astrictus differri jusserat ejus Episcopalem ordinationem, ubi simul unaque in Basilica sumerent utrique ab eodem cœli Clavigeri Vicario prædestinati officii consecrationem. At ipse prædestinatus Deo amabilis Bruno, custos veræ humilitatis, & servantissimus præceptorum Dominicæ auctoritatis, cognito quia hic terrenus honor sibi ab Augusto collatus aliquos invido dente mordebat, quòdque Trevirorum Archipræsul prolatione sui cujusdam privilegii huic regiæ voluntati obstare cupiebat: hic noster mox adiit Regem obnixo precamine, ut à tali desisteret conamine, malens se honore hujus benedictionis carere, quàm in alicujus dissidio contradictionis contra quemquam remanere. Vix ergo & cum difficili labore Domnum Augustum ab ea voluntate resipiscere cogens, ac ipsius dulci commeatu Belgicam Galliarum repetens, à Domno Archiepiscopo Trevirorum Poppone (18), Pontificalem humiliter poposcit benedictionem: atque inter se statuerunt tempus hanc Sanctam fieri ordinationem. Trevirim ergo venitur, consuetus ordo consecrationis inquiritur: ubi durus quæstionis scrupulus omnem rem peragendam diutiùs intricat, ita ut omni inperfecto labore jam dictus dulcis Pater frustratus domum redeat. Nam à prælibato Archipræsule quoddam privilegium promulgatur, in quo hæc lex superflua atque impossibilis à nemine servanda continebatur, scilicet ut quisque suorum suffraganeorum ab eo ordinandus priùs sub Divinæ præsentiæ testimonio spondere debeat, quatinus in cunctis rebus agendis eum sibi ad consilium adhibeat, sublatoque omni excepto, nihil extra suum præceptum aut velle, aut, quasi quidam servus, agere præsumat. Memor itaque Divinæ Scripturæ fidelis Bruno, quia displicet Deo infidelis & stulta promissio; omnimodis se abnegat hujus incongruæ rationis fore sponsorem, ne per impossibilitatis effectum mendacii incurrerent offensam. Diuturno autem spatio hujusmodi alternatim perstitit litigium, nostrumque sæpedictum Patrem re infecta contigit à Treviris habere regressum. Quo cognito divæ memoriæ Conradus Augustus, ad suum Palatium, Wormatiæ utrosque convocavit concitus, ipsiusque innitente auctoritate, tandem vicit Archiepiscopum justæ rationis præmonstratio, atque cessit à superfluo, quod injustè exigebat, professionis voto: tantùm requisivit ab eo sponderi, quòd in Ecclesiasticis negotiis agendis, ipsius uteretur auctoritate consilii. Hac ergo accepta sponsione, quinto Idus Septembris, cum summa omnium gratulatione, fit Sancta ordinatio, atque demum utrique inviolabiliter perstitere in perfectæ amicitiæ soliditate. Hoc verò idcirco tam expressè perstrinximus, ut cujusmodi fuerit humilitatis hic vir liquidò panderemus, & ad evitandum mendacii nævum, prout homini sit possibile, quantùm extiterit cautus.

CAPUT XIII.

Igitur ad sedem propriam repedans læto cunctorum excipitur tripudio, moxque uti sua erga Sanctum ac gloriosum Aprum major erat devotio, domnum religiosæ vitæ & conversationis virum jam dictum Guidricum, sub nomine Abbatis eidem præfecit Cœnobio, voluntate & petitu Domini Guillelmi (19) ipsius loci tunc temporis venerabilis Patris: cujus sancta fama cis mare per cunctos fines orbis extitit memorabilis. Hujus Præsulis solatio non minimùm sudavit prælibatus pater Guidricus in ampliando sui Cœnobii decore, quod jam pœne labens incœpit à fundamentis instruere, cui idem Pontifex triginta librarum supplementum sua contulit largitate. Eumdem etiam delegit Abbatem supra prænominatas Medianensis Sanctique Mansueti Abbatias, quibus ad augmentandum in eis Sanctæ religionis statum, nonnullas tribuit Ecclesias. Quin & in Portus suavis (20) Cœnobio à suo prædecessore, ex Pontificalibus stipendiis inchoato, sed à se studioso labore ædificiis & sumtibus ad unguem adornato, devotam Sanctimonialium constituit congregationem, atque nobilis generis vitæque laudabilis quam-

(17) Monasterium-Medianum, vulgò *Moyen-moutier*, in Vosago. Monasterium verò S. Mansueti in suburbio Tullensi: utrumque perstat sub Congregatione Sancti Vitoni, sicut & tertium Beati Apri, in altero Tullensi suburbio, *S. Evre*, de quo etiam hic agitur.

(18) Poppo Ecclesiam Trevirensem ab anno MXV. usque ad MXLVII. quo obiit, administravit.

(19) Is est Beatus Guillelmus Divionensis, cujus vitam dedimus ad annum 1031. qui VVidricum sibi substitui curavit.

(20) Cœnobium prope Mirecurtium, *Mirecourt*, in Lotharingia Superiori, seu Vosegiensi, hodie in Collegium, seu Abbatiam Nobilium Canonicarum Sæcularium, Ordinis Benedictini, conversum, vulgò *Poucé* dictum. Moniales verò ibi à Sancto Leone anno 1043. institutas fuisse scribit Johannes de Bayon in historia Mediani-monasterii.

Digitized by Google

quamdam, nomine Berrennam, (21) ipsi cœtui matrem ordinavit: cujus instanti sollicitudine, Divini fervor servitii ibidem florescendo crevit, & Ddivina opitulante gratia, in longas post generationes crescendo florebit. Inerat quoque ei mirabilis & honesta morum elegantia, adeò ut cum splendido corporis decore, quem illi super cunctos illius temporis contulit Omnipotentis munificentia, quidquid agebat cunctorum animis complaceret; quidquid dicebat omnium corda intimo amoris affectu delectaret. Cum serpentina astutia tantùm pollebat in eo columbina simplicitas, ut ab hujus sæculi prudentibus, omnium videretur superior in prudentia, & à Divina sapientibus mirè coleretur pro puræ mentis innocentia. Tanta largitatis abundabat caritate, ut pœne cuncta distribuens indiscretè, in aliorum opulentia, ipsum multotiens contingeret indigere. Eleemosynarum virtuti ante omnia & super omnia insudabat, nec pro ullo sæculari impedimento quemquam diem omittebat, quin omni manè ipse per se pauperum turbæ deserviret, ac dominico exemplo, eorum vestigia abluendo, victum sufficientem tribueret. Devotione contriti cordis, & compunctione lacrymosorum gemituum inundabat mirabiliter adeò ut nihil sacræ orationis, nullum Divini sacrificium officii superno vultui præsentaret, quin continuo lacrymarum flumine faciem & pectus irrigaret. Tali se holocausto in conspectu Divinæ majestatis mactabat assiduè, sciens certissimè, sacrificium gratum Deo spiritum contribulatum fore. Sapientia divinarum humanarumque artium in eo refulgebat amplissima, maximè artis delectabilis musicæ peritia, qua antiquis auctoribus non modò æquiparari poterat, immo in mellifica dulcedine nonnullos eorum præcellebat. Nam componens Responsoria in veneratione gloriosi martyris Cyriaci (22) Sanctique Hidulfi Trevirorum Archiepiscopi, necnon Beatæ Odiliæ virginis, atque venerandi Anglorum Apostoli Gregorii Doctoris, Divini laudes servitii mirifico decore ampliavit. Humilitatis quoque ac patientiæ donum ita in eum enituit, ut si forsan aliquem subjectorum pro suæ culpæ noxa increparet, utque fieri solet, ille impatientiæ motus felle multa improperiorum convicia arguenti Præsuli irrogaret; iste pro verborum injuriis non verbera, sed lacrymas condolendo impenderet.

CAPUT XIV.

His ergo aliisque bonis actibus perspiciens eum ducere humani generis adversarius, ejus piæ religioni modis omnibus contraire nititur: & licèt non possit eum usquequaque à recto deviare tramite, tamen per suos satagit satellites, tentationum & adversitatum spiculis à sancto proposito deterrere. Nam quidam hujus primores patriæ eum sapientiæ luce fulgere cernentes, & in disponendis regni consiliis apud Imperialem Majestatem super cunctos pollere invidentes: dum apud aulicos, quos omnes sibi nimio amore devinxerat, nequeunt ei moliri insidias, apud exteros contra eum tractant artificiosas calliditatum machinas. Itaque Odonem (23) vicinæ commarchiæ Francorum Comitem, in Beatum Præsulem concitant, eumque multiplici adversitatum molimine ab Imperialis fidei stabilitate dejicere laborant. Videres fidem in uno Brunone contra multorum fraudes viriliter decertantem, mirandâ patientiâ multorum spicula hostium æquanimiter perferentem, præcordiali compassione subditorum sibi dispendia dolentem, ipsis inimicis affectuosa caritate quàm facillimè indulgentem. Sed non est necesse, quos bellorum motus, quas Ecclesiæ sibi commissæ devastationes, prædas, incendia pertulerit, recensere, dum Omnipotentis gratia, de cunctis ejus æmulis in nequitia radicatis, citum dignata est finem imponere, ac sibi fidelem famulum pia consolatione per visum voluit relevare. Siquidem dum adhuc adversitatis angoribus artaretur, quadam nocte multiplicum sollicitudinum fessus laboribus, miseriam sibi subjecti populi revolvendo; lacrymabiliterque suis eam reputando criminibus, soporatur, ac videt in somnis quemdam angelici vultus præferre sibi sphæram supra solis splendorem fulgidam, quæ videbatur in se totius mundi retinere machinam, in qua etiam specialiter ei ostendebantur duo præclaræ formæ homines. Quorum dum nomina eorum discere cuperet, hujusmodi vox suas pervenit ad aures: Hos Mariam Magdalenam, Galienumque noveris esse Episcopum, quorum consortio te frui in futuro lætaberis. Dumque eamdem sphæram lætabundus accipiens manibus, sibi in sinum vellet ponere, præsago futurorum est experrectus sopore. Nec mirum hunc Beatæ Mariæ dici fore consortem, cùm par erga Deum dilectionis affectus, & continuus lacrymarum velut fontanarum aquarum decursus, ejus meritorum illum reddiderit participem. Quamvis autem à nobis adhuc ignoretur, quis iste Galienus extiterit, non est tamen dubium magni esse eum meriti, quem divina vox tantæ laudis viro coæquaverit. Quam visionem subsecuta est efficax Divinæ gratiæ consolatio, præfato Odone Comite per bellicosum nostræ patriæ Ducem Gozilonem turpiter morti tradito, ac pace per hunc Beatum Præsulem restituta, non solùm Lotharingiæ regno, verùm etiam adjacentibus provinciis, Christi annuente suffragio. Nam ejus intercurrente sapientia, legatione, & consilio, est Romano adjunctum & corroboratum Imperio regnum Austrasiæ, quod dudum ab origine tenebat Rodulfus Rex Jurensis Burgundiæ, & idem jam dictus Pontifex est directus legatus pro pacis concordia inter suprafatum Conradum Romanorum Principem, ac Robertum Franciæ Regem. Quam legationem quàm honestè compleverit est testis Francia, quæ adhuc quasi novum refert, quanta in eo resplenduerit sapientia, quæ humilitas, quæ denique in cunctis cœptis efficacia,

(21) Boll. *Berzennam*. Johannnes de Bayon supra laudatus *Berbennam* appellat.

(22) S. Cyriacus Patronus est Monasterii Altorfensis, S. Hidulfus Mediani-monasterii, S. Odilia Parthenonis cognominis, seu Hoëmburgensis in editissimo monte, unde omnis pœne Alsatiæ regio ultra Rhenum ad Silvam-nigram conspici potest. Sancto autem Gregorio dicatum est vetus Oratorium in Altorfio Monasterio, in quo Beati ipsius Leonis parentes sepulti dicuntur. Responsoria autem hìc memorata ab Humberto postea Cardinali, sed tunc Monacho Medianensi, ubi etiam vetus Oratorium S. Gregorii, anno 1044. composita fuisse memorat Johannes de Bayon.

(23) Is est Odo Campaniensis nuncupatus, Odonis Comitis ex Berta Rodulfi Ignavi Burgundionum Regis absque liberis defuncti sorore: qui cùm Burgundiæ regnum adversùs Conradum ambiret, occisus est à Gozelone prope Barrum. Sepultus est in Majori-monasterio prope Turonos, juxta patrem suum loci restauratorem.

Digitized by Google

cia, quàm decorus fuerit habitu mentis & corporis, quàm congruus in inferendis verbis legationis. Quem cuncti ut patrem nimio amore suscipiebant, quem omnes ut Sanctum summa veneratione excolebant. Itaque tanta firmitate pacem & concordiam inter utraque regna stabilivit, ut quoad vixerunt præmemorati Principes, cum sibi succedentibus filiis utrisque Henricis (24), nullus quantumcumque fraudulenta arte discordiam inter duo regna serere valuerit. Sed invidus humani generis hostis perpendens se nequire ejus devotionem per suos Satellites à recto tramite deviare; per se in illum Divino permissu insurgens, nimio corporis aggravat languore continuatim annuali tempore. Aderat tota lugubris plebis multitudo, de ejus sospitate desperans: aderat etiam cœtus medicorum dolorem desperativis verbis augmentans; omnium rigabant ora lacrymæ, ipsi quoque jam defecerat spes vitæ. Tunc Divino admonitus instinctu, jubet se nocturali hora ante Sancti Blasii Altare ferri, confisus se ejus dignis meritis à præsenti angustia citissimè liberari. Itaque ibidem raptus in ecstasi, non dico per somnum, qui eum omnino aufugerat, videt quasi Sanctum Blasium ab Altari progressum sese invisentem, atque modum languoris compatienter exquirentem, cunctisque suis languentibus præcordiis apertis, veluti ipse ea conspicaretur, misericordi manu abluentem, ac medicamine resoventem, omnibusque suo loco restitutis, eò quò venerat redeuntem. De qua ecstasi regressus, sospes de lecto surgens, circumstantes advocat, visionem lætus pandit quam viderat, ac sicuti prælibatus Martyr jusserat, responsorium. Quis deus magnus sicut Deus noster, cum præsentibus in voce jubilationis concinit, & nocturnis impletis officiis, pedibus propriis alacer domum rediit.

CAPUT XV.

VErùm quoniam majora exarare stilus properat, videtur congruum, ut quiddam de ejus matre dignum memoratu brevi referat. Nam quanta illi fuerit devotionum serenitas, quanta usque ad novissimum quadrantem eleemosynarum largitas, quàm diutina in Divinis orationibus, vigiliis, jejuniisque instantia, quàm longanimis in carnis maceratione pœnitentia, non est facilè promere verbis, cùm ipse finis in quo omnis laus canitur securè, manifestè prodiderit. Siquidem in tantam corpulentiam superflui abundantiâ humoris ejus corporis quantitas excreverat, ut vix rheda posset vehi quò opportunitas commonebat. Quæ gravitas corporis quoniam sibi videbatur intolerabilis, multotiens Christi gratiam profusis exoravit lacrymis, ut sicut unius matris eam protulit alvus mundo, ita unius mulieris ulnis possit terreno mandari sepulcro. Cujus vocem exaudivit Oriens ex alto. Nam diutini maceratione languoris ita ad ultimum fuit tenuata, ut pœne cuncto humore carnis exsiccato, sola ossa, cute & nervis sese tenentibus, viderentur tantummodo cohærentia. Itaque ad extremam vitæ metam veniens, cunctis distributis quæ ipsa per se, exceptis mariti reditibus, ex proprio sumptu in usus pauperum expendendo quotidie aggregaverat, sacra inunctione, ac vivificæ communionis participatione munita, diu exanimis, & absque ullo vitali flatu jacuit, cuncta ejulante familia, cum pauperum viduarum atque orphanorum catervis. Quæ subitò resumto spiritu rediens, ac confusum deplorantium clamorem sedari præcipiens, omnes domo eliminari jubet, solamque Regelwidem (*) Cœnobii Sanctæ Crucis Abbatissam cum proprio retinet marito. Quibus cum fletu admirantibus, quid sibi vellet, ait: Non me lugeatis quasi morituram, quoniam nunc mihi adsuit piissima Dei Genitrix Maria, quæ me dulcissima affabilitate consolans, promisit secum æternaliter victuram, & in sempiterna gloria feliciter conregnaturam. Unum ergo te, ò amantissime conjunx, suppliciter oro, ne meæ petitionis verba quæ dictura sum, molesto feras animo. Cùmque ille ignarus futurorum gratanter se impleturum sponderet, quæcumque illa ex promta voluntate juberet, ait: Peto, ut sicut nuda egressa sum de utero matris meæ, ita me nudam in tumulo suscipiat alvus terræ; & quidquid ornamenti ad consepeliendum mihi paraveras, in usus pauperum fideliter erogare studeas. Cujus petitioni quamquam invitus jam præfatus sponsus annuit, eamque cum summa alacritate mentis hominem exutam, modo, quo constituerat, sepulturæ tradidit. Hæc autem ideo tam studiosè retuli, ut patescat præsentibus & futuris, quantæ fidei & devotionis hæc mulier extiterit, quàmque fervens in eleemosynarum largitate fuerit. Sed congruum videtur, hîc anchoram nostri navigii figere, quatenus aliquantulum respirando, reparatis armamentis, cœptum valeamus æquor efficaciter transmeare.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

SUscepti munus operis, Christi suffragio annuente, prosecuturi, & qualiter ad Apostolicam dignitatem pervenerit vir Beatus, quæque ei ibidem contigerint, immo quæ per eum, ejusque temporibus Dominus efficere voluerit, monstraturi; opportunum videtur præcedentes causas ad id pertinentes ostendere, & quomodo superna gratia ei ventura revelaverit notificare. Summa inerat ei devotio primum Pastorem Clavigerum cæli annuo revisere recursu, & pro ovibus à Deo sibi creditis ejus juvamen supplici exorare precatu. Itaque quodam tempore solitum aggressus iter, comitante cœtu Clericorum, necnon laïcorum, quingentorum numerum superantium, qui pro ipsius meritorum dignitate, affabilitate, sanctitate, indivulsum ejus sequebantur comitatum, cunctis surrepsit lues dira Italici corruptione aëris, ita ut nulli hac tabe infecto esset spes in crastinum differendæ mortis. Vir autem Domini immodicè mœstus de afflictione sese comitantis turbæ, festinum reperit remedium, Divina gratia præcurrente. Nam Sanctorum, quæ secum vehebat, propria manu tinctis vino pignoribus, maximèque Sancti Apri articulis, cui se commendabat devotiùs, quicumque hujus-

(24) Henricus scilicet I. Franciæ Rex Roberti filius, & Henricus II. seu III. Niger dictus, Imperator qui Conrado II. Salico dicto, suo patri successit anno MXXXIX.

(*) *Boll. al.* Regilindam.

Digitized by Google

hujusmodi poculum quantulumcumque libasset, mox convalescebat, quantuscumque languor invasisset, si tantùm liquoris illius saporem gustare valuisset. Ipse etiam pœne dietim toto itinere Divini Sacramenti victimam offerendo, & inter Missarum solemnia populos adstantes ad correctionem morum, pœnitentiamque commonendo, cunctos piis ortatibus ad superna capessenda animavit, & ab imminentis mortis articulo sanctis precibus liberavit. Itaque toto noctis interstitio turba comitum & patriensium, quorum necessitas intererat, ad ejus hospitium cum luminaribus excubias celebrabant, ac manè per Sanctorum merita, ejus annuente suffragio, integram sospitatem reportabant. His ergo causis per cunctas Romaniæ partes celerrimè divulgatis, vir Domini summa veneratione excolitur, ejusque dilectio omnium cordibus funditus inculcatur. Hic autem suus erat mos assiduus, ut nocturnæ quieti membra traditurus, Sanctorum pignoribus sese attentiùs commendaret, & à sæcularibus absolutus curis, in sancta contemplatione animum relaxaret, atque in ipsa meditatione, necessarium corpori soporem susciperet. In hac ergo pia intentione quadam nocte soporatus, per visum ad principalem Ecclesiam urbis Wangionum (1) est adductus, ubi contemplabatur quasi consistentem infinitam multitudinem albatorum, quorum major pars videbatur esse sacerdotum, inter quos unum recognoscebat quondam sibi familiarem, Bezelinum Archidiaconum, qui ejus comes in Romano itinere exuerat hominem. Quem interrogans quæ esset tanta multitudo, audivit hos omnes mundanam finisse vitam in Principis Apostolorum servitio. De hoc intra se miranti, veluti cœlorum Claviger Beatus Petrus superveniebat, & illam multitudinem sanctam communionem ejus manibus participaturam esse ajebat. Quam Pontificaliter indutam (*) idem Beatus Petrus, cum Prothomartyre Stephano, ad Altare prædictæ Ecclesiæ cum ineffabili cantus melodia deducebant, & sacris peractis officis, omnes de ejus manibus vivificum munus percipiebant. Visum quoque ei fuerat, quòd post sacram communionem, ipsi Sanctus Petrus quinque calices aureos conferret (2), alteri autem se subsequenti tres, tertio verò unum calicem tribueret. Hæc ergo suis familiaribus referens, quid portenderent secum mirabatur: sed quis eorum fuerit exitus, in sequentibus suo loco dicetur. Alio itidem tempore illi per somni quietem videbatur, quòd quasi persona cujusdam deformis vetulæ eum importunè impeteret, & veluti familiari, sed tamen sincero colloquio sibi adjungi exposceret. Quæ tam horrendi vultus, discissæ vestis, hirsutis capillis, atque turpiter erectis videbatur, ut vix quicquam humanæ formæ in ea recognosceret. Cujus deformitatis horrore nimiùm perculsus, eam plurimùm volebat evitare, sed ipsa tanto magis illi nitebatur insistere. Qua importunitate victus vir Domini, ei signum Crucis in faciem imprimebat; at illa ad terram veluti mortua proruens, in admirabilem pulcritudinem denuò resurgebat. Cujus visionis terrore experrectus, ad nocturnas surrexit vigilias, denuoque in hujus rei admiratione sopori reddidit membra: cui videbatur in somnis adesse venerabilis Abbas Odilo, quem quasi rogabat sibi portendere, quæ esset hujus visionis significatio. Qui lætissimus ei tali respondit oraculo: Beatus es tu, & tu animam ejus de morte liberasti. Hæc non esse ficta probat idonea virorum, ac venerabilium testificatio, Domni videlicet Walteri Leucorum claustri Decani, nec non intimi consecretalis ejus Warneheri, qui asserunt se audisse talia cum lacrymis ab illo referri, & quid signarent quamplurimum admirari. Nec incredibile esse videtur, talia ei à summa Divinitate præmonstrata fuisse, cùm crebrò nocturna in lecto suspiria, & frequentes pectoris tunsiones, ac stratus sæpe à veridicis cubiculariis repertus irrigatus lacrymis, ostendunt illum divina visione fuisse dignum. Nulli autem dubium est, quid significet prælibatæ mulieris visio, quicumque legit pœne simile somnium Magni Constantini pro restituenda Urbe Byzantio (3). Nam certum est horribiliter extabuisse per diversas orbis partes Ecclesiasticum decorem, immo Christianam religionem, & per eum, Christi adminiculante suffragio, ad pristinum reductam esse honorem.

CAPUT II.

Interea apud Wangionum urbem ante præsentiam gloriosi Henrici secundi Romanorum Augusti, fit Pontificum reliquorumque Procerum non modicus conventus. Inter quos hic Christo dignus Præsul convocatur: quippe sinè cujus consilio intra Imperialem curiam nihil magni disponebatur. Et repente, illo nihil tale suspicante, ad onus Apostolici honoris suscipiendum eligitur à cunctis. Quod onus humilitate commonente diutissimè refugiens, dum magis ac magis cogitur, triduanum consulendi deposcit spatium, in quo jejuniis vacans, & orationibus, omnino sinè cibo potuque permansit. Cùmque denuo repurgaretur ad obedientiæ completionem, spontaneè coram omnibus suam dixit confessionem, conatus quasi quadam suorum enormitate scelerum, communem permutare electionem. Quis autem queat ejus inundantiam fletuum referre, quos in publica confessione emisit, cùm etiam omnium affectus in nimias lacrymas excitaverit? Unde unanimiter cunctorum ore hæc pia vox resonabat: Nolit Deus, ut filius tantarum lacrymarum pereat. Videns ergo nullo modo se posse effugere Imperiale præceptum, & commune omnium desiderium, coactus suscepit injunctum officium, præsentibus legatis Romanorum, ea conditione, si audiret totius Cleri ac Romani populi communem esse sinè dubio consensum. Sicque ad propriam Leucorum scilicet Sedem repedans, cum summa devotione ibidem Domini celebravit Natalem cum coëssentia quatuor Pontificum, Hugonis scilicet de Cisa (4) Urbe Italorum, legati

(1) VVangionum civitas, seu VVormatia, urbs Episcopalis notissima, sub Monguntina Metropoli.

(*) *edit.* Quem indictum.

(2) Hanc visionem auctor infra interpretatur de annis, quibus tam ipse, quàm duo ejus proximi successores Pontificatum tenere deberent.

(3) Hanc Constantini Magni visionem refert Sozomenus, libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3.

(4) Sic habet Codex Remigianus, & alii MSS. apud Bolland. Editi habent *Pisa*, sicut & Johannes de Bayon in historia Mediani-monasterii. Sed Hugo tunc Pisanæ Ecclesiæ non præerat. Nullam tamen *Cisam* urbem Episcopalem in Italiæ tabulis reperire licuit. Legendum fortè *Assisia*; tunc quippe Hugo ejusdem urbis Episcopus vivebat, qui anno 1050. corpus S. Rufini transtulit, ut monet Ughellus Italiæ Sacræ tomo I. col. 224.

Digitized by Google

legati Romanorum, & Everardi Archiepiscopi Treverorum, Adalberonis quoque Mettensis, atque Theoderici (*) Virdunensis Præsulis. Inde humilitate magistra, contra omnium Apostolicorum morem, sumto (5) peregrino habitu, Romanum arripuit iter, indefessè sacris orationibus, ac Divinæ vacans contemplationi, non tam pro rerum commissarum sibi, quàm pro cura animarum, nimiæ intentus sollicitudini. In qua meditatione apud urbem Augustam suspensus, Divinam promeruit consolationem, dum in revelatione audivit angelica voce resonare harmonicam modulationem dulcissimè consonantem: Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis: invocabitis me & ego exaudiam vos, & reducam captivitatem vestram de cunctis locis. Qua pia consolatione animatus, & de superno adjutorio certior jam factus, cœptum iter perficere aggreditur, utque tanti meriti personam decebat, eum infinita multitudo undequaque supervenientium comitatur. Inter quos quædam religiosæ vitæ ancilla Dei ei adhæret, quæ eum talibus ex præcepto Divino admonet verbis: Mox ut prima vestigia intra valvas Ecclesiæ Principis Apostolorum posueris, ne sis immemor his divinis uti verbis: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Quam Dominicam jussionem & humiliter suscepit, & devotè adimplevit. Venit ergo cum tanto comitatu super Teronem (6) fluvium, qui ita crescendo proprium prætergressus erat alveum, ut per septem dies totum ibi cogeret remorari populum. Vir autem Domini de afflictione plebis diu secum expectantis, mœstus cœleste auxilium invocat, ac benedictionem Ecclesiæ Sancti Johannis in vicino constructæ inchoat. Sed antequam divinum esset peractum officium cœptæ consecrationis, ita fluvius est mitigatus demissit undis, ut mox securum iter omni transgredienti præbuerit, quod omnis præsens multitudo hujus Beati viri meritis contigisse affirmavit. Omnipotentis igitur roboratus solamine, Romam apropriat, cui tota urbs cum hymnidico concentu obviam ire parat: sed ipse pedes longinquo itinere nudis plantis incedit, & magis ad mentis devotionem, quàm ad laudum delectationem animum inflectit. Quis autem ejus contriti cordis in devota oratione affectus? quis denique referre queat continuos lacrymarum velut rivorum decursus, cùm nullius cogitatui sit penetrabile, nedum verbis effabile? Postquam ergo diutissimè se taliter Christo mactavit in cordis altari, hostiam vivam, sanctam Deo placentem, etiam adstanti Clero & populo, divinam, qua plurimùm affluebat, ingreditur proferre exhortationem. Imperialem de se electionem in tam laborioso offitio brevi sermunculo promulgat, eorum voluntatem (qualiscumque erga se sit) pandere expostulat. Dicit electionem Cleri & populi Canonicali auctoritate aliorum dispositionem præire: affirmat se gratanti animo in patriam rediturum, nisi fiat electio ejus communi omnium laude: ostendit se coactum ad tam grande onus suscipiendum venisse. Cùmque videret unanimem omnium acclamationem, ad correctionem vitæ cœptam repetit exhortationem, supplex cunctorum expetit orationem atque absolutionem. Itaque, divina favente gratia, cunctis applaudentibus consecratur, ac Dominica quadragesimalis initii, pridie Idus Februarii Apostolicæ cathedræ inthronizatur. Quantus verò fervor devotionis ad Omnipotentis servitium in eo excreverit, quanto sollertiæ vigore ad res Ecclesiasticas disponendas enituerit, quis brevì explicare valeat, cùm pœne nec totus mundus ad hæc enarranda sufficiat? Non autem sub clavi silentii occulendum æstimo, quantam indulgentiam ejus dignis precibus Hugoni ipsius germano Divina contulerit miseratio. Nam jam dudum ante ejus ad Apostolatum electionem exuerat hominem, atque hic beatus causâ prædictæ ordinationis Romam tendens Populejum (7) advenerat; ubi ejusdem prænominatus frater cuidam boni testimonii Clerico per visum apparuit, illiusque suffragium apud Domnum Apostolicum supplici oramine depoposcit. Siquidem videbatur memorato Clerico prælibatus Hugo, in loco ineffabili amœnitate referto, cum multis collætantibus in curuli sella residere, sed sinè suppedaneo scabello pedes ad ima pendentes retinere. Quem cùm prædictus requireret Clericus super qualitate sui status, respondebat bene sibi esse in omnibus, nisi quòd ad infima laboriosè penderet non firmis pedibus. Petebat quoque, ut idem Clericus fratrem suum hunc Beatum ad Apostolicam euntem consecrationem exoraret, quatinus in introitu valvarum Ecclesiæ Principis Apostolorum sui meminisset, dicens quòd ejus precibus Divina pietas sibi indulgentiam concederet. Quàm visionem præfatus Clericus Sancto Pontifici retulit, ac eum ad Christi gratiam pro salute fratris exorandam animavit. Qui postmodum per visum eidem Domno Apostolico apparens, lætus innumeras reddidit gratias, quia ejus meritis superna clementia à cunctis eum laboribus absolverat.

CAPUT III.

IGitur hic Deo devotissimus mores & vitam Magni Leonis imitatus, cujus & vocabulo fuerat insignitus; immo Leonem de tribu Juda pro posse secutus, omnibus exemplum bene vivendi fiebat lucerna ardens & lucens, non sub modio, sed super candelabrum præeminebat, utque verus sal terræ condimentum Supernæ Sapientiæ cunctorum mentibus infundebat. Verùm licèt omnium virtutum gemmis Christi decoraret diadema, hæ tamen splendidiùs in eo relucebant, misericordia & patientia: celer erga delinquentes in danda indulgentia, mira compassione collacrymans propria confitentibus scelera, in eleemosynarum largitate, etiam usque ad sui indigentiam indiscretè prærogans omnia. Sed quoniam cunctis Divino instantibus servitio solet stimulus supervenire adversitatis, Divina scilicet probatio, quæ ostendit cujus fervoris sit erga Deum cujuscumque mentis affectio; hic Pater venerandus, dum in initio sui adventus Romæ commoratur, aliquanto angustiæ & mœroris dolore perstringitur. Nam ibidem adveniens, nihil Pontificalium sumtuum invenerat: jam enim erant in domesticos usus absumpta, immo in

(*) *edit.* Theodori.

(5) Ex hoc loco planè revincitur eorum sententia, qui asserunt Leonem Cluniaci habitum peregrini sumsisse, ex Hildebrandi consilio, qui eum arguebat, quòd purpuram gesserit antequam Romæ susciperetur. Hujus commenti primus auctor videtur esse Otto Frisingensis. Vide Vitam à Brunone Signiensi scriptam.

(6) Tevero fluvius, qui ex Apenino monte fluens in Tiberim delabitur.

(7) Incertum an eo nomine Populonium, vel Forum-Popilii intelligendum sit, utraque enim urbs Romam adeunti æquè obvia fuit.

Digitized by Google

in eleemosynarum prærogationem cuncta quæ secum attulerat distributa. Defecerant cunctorum ejus comitum plenæ delatæ crumenæ: non erat ulla spes opis, nisi proprias vestes ad minus pretium vendere, & quacumque secreta arte benignissimus Patrem in patriam fugiendo reducere. Quorum renitendo consilio, vir Beatus in Divino confidere solatio sagaciter admonebat: Sed tamen illorum afflictioni misericordi affectu ex intimis condolebat. Instante autem die, quo cuncti comites ejus disposuerant clanculo recedere, ecce adsunt legati nobilium Beneventanæ provinciæ, deferentes xenia Apostolicæ congrua dignitati, ejus benedictionem atque solatium suppliciter deposcentes promereri. Quos Deo dignus Præsul, ut suam decebat honorificentiam, sucepit, sacra benedictione roboravit, non tam lætus de oblatione munerum, quàm Deo rependens grates de devotione fidelium. Dehinc ad præsentes præ nimia anxietate pridem diffidentes conversus, continuò caritativa increpatione in eos invehitur, & de Dei misericordia numquam ampliùs desperare nec diffidere cohortatur. Ex tunc Beati viri fama divulgatur per populos & usque ad mundi fines, cunctasque gentes ejus pervagatur rumor: Christi ubique prædicatur gloria in suo admirabili famulo, nomen Papæ Leonis quocumque orbe terrarum reboat ore consono. Nec mirandum rationabilem creaturam in ejus resonare laudem, cùm etiam irrationabilia animalia (mirum dictu) illius prædicando nomen humanam formarent vocem. Nam sicut à veridicis fertur relatoribus, apud Beneventum gallus frequenti voce ejus nomen repetebat, & naturalem emissurus vocem, cunctis mirantibus (8), Papa Leo, insonabat.

CAPUT IV.

Dicitur etiam illis temporibus in finibus Apuliæ canis extitisse, qui latrando solitus erat humanis verbis, Deus meus, inclamare. Non autem est incredibile, brutum animal in ea regione Dei misericordiam quocumque modo invocasse, dum certum est Christi religionem ibidem pæne omnino deperisse, accolasque illius patriæ alienæ potestati (9) subditos esse, ut ad invocationem superni auxilii saltem irrationabilis pecudis excitarentur voce. Famâ igitur eximiæ laudis ejus usquequaque propalatâ, præter solitum multos animabat ad visenda Summi Apostolorum Principis limina, qui omnes ejus recreabantur consolatione, & roborabantur benedictione: si quibus autem obstabat impossibilitas ejus frui præsentia, cum fide propria ei dirigebant xenia, recepturi ab eo Apostolicæ benedictionis donaria. Illud etiam habebat consuetudinarium cum aliis bonis actibus, quia si quid Apostolico more suis offerebatur pedibus, nihil patiebatur in suos suorumve expendi usus, sed cuncta pauperum largiebatur necessitatibus. Inter multos ergo, qui ejus ambiebant præsentiam invisere, Rex Danamarchiæ (10) transmisit illi avem psittacum in munere, in quo quædam divina apparuit gratia admirabili virtute. Quamvis enim quædam aves humana formare verba discant magistra fame, hæc tamen (ut fertur) nullo cogente toto itinere dum ad Domnum Papam deferretur, ad Papam vado, recinebat; & mox ut ei est præsentata, nemine docente voce, dulcisona, Papa Leo, inclamabat. Si quando etiam hic Pastor venerandus, exteriorum dispositione lassatus, sese in secreto conclavi reciperet, aut fortè nimiis sollicitudinibus afflictum ejus animum aliqua mœstitudo artaret, hæc avis ægritudinis illius levamen frequenter aderat, & concinnè ac recisè Papa Leo resonans, robur mentis illi excitabat. Nec videatur cuiquam reprehensibile hunc justum in sui consolatione hujus avis usum modulatione, cùm legamus Beatum Augustinum pro exitu suæ matris inconsolabiliter lamentantem, musicam melodiam ad levamen mœroris sibi adhibuisse, Sanctumque Antonium rigori Monastico aliquantulum oblectamenti, certo tempore concessisse. Quantam autem solertiam in Catholica lege conservanda adhibuerit, in primo Romano Concilio (11), quod multis Episcopis considentibus habuit, demonstravit: ubi statuta quatuor Synodorum Principalium viva voce corroboravit, decretaque omnium Antecessorum suorum Pontificum tenenda confirmavit; Simoniacam etiam hæresim damnavit, quæ jam nonnullas mundi partes invaserat, & in eodem Concilio quosdam deposuit Episcopos, quos prædicta hæresis nævo suæ nequitiæ maculaverat. In quo Concilio quid contigerit, non congruit reticere, ubi Christus auctoritatem ejus suâ dignatus est gratiâ roborare. Nam Episcopus (12) de Sutrio reus ejusdem culpæ accusatus, voluit injustè se excusare, falsis prolatis testibus: sed peracturus jusjurandum repentè est divinitus perculsus, & inter manus exportatus, non longo post tempore humanis rebus est exemtus. Cunctis hoc audientibus nimius incutitur timor, ne quem in ejus præsentia ad falsum judicium humanus impelleret pudor. Decimas quoque à cunctis dandas Christianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam, & per quosdam orbis fines Ecclesiis restituit; venditiones Altarium sub anathemate prohibuit: sed constituit ut partes decimarum ad Episcopum pertinentes, aut quisque Præsul sibi teneret, aut cuicumque vellet tribueret: partem autem ad Altare pertinentem proprio Pastori Ecclesiæ gratis concederet: Incestas consanguineorum nuptias, in multis orbis partibus indiscretè habitas, discidit, pluresque nobilium hoc turpi devinctos nexu separavit. Alia quoque perplura Canonum capitula studuit renovare, quæ ne fastidium gignant, hîc supersedimus recitare. His sanctis insudans studiis, antiquam reperit patriam, suscipiturque à totius gentis Nobilissimo atque Reverendissimo Archiepiscopo Herimanno apud Coloniam, cujus petitu concessit Domnus Papa hoc privilegium Sedi Ecclesiæ Coloniensis, ut ad Altare Sancti Petri, septem Presbyteri Cardinales quotidie Divinum celebrarent Officium in Sandaliis.

(8) Hujus galli occasione, nonnulli, uti videtur, scripserunt, quod quacumque transiret Beatus Pontifex, statim galli voce humana clamarent, *eo Papa*, vide Richerium Chronici Senon. lib. 2. cap. 14.

(9) Normannis scilicet, qui tunc Apuliam obtinebant.

(10) Codex Remigian. *Dalamarciæ*. Cod. S. Maximini apud Bolland, ut & Johannes de Bayon *Dalmatiæ*, alius Cod. *Dalamichia*.

(11) De hujus Synodi decretis agit Petrus Damiani in epistola seu opusculo ad Henricum Ravennatem Archiepiscopum.

(12) Hunc Kilinum appellat Ferdinandus Ughellus tomo I. Italiæ sacræ, ubi de Episcopis Sutriensibus.

liis. Dedit ei quoque officium Cancellarii (13) Sanctæ Romanæ Sedis, ejusque successoribus, tribuens illi Ecclesiam Sancti Johannis ante portam Latinam. Hinc invitatur ab Herimaro Abbate venerandi Cœnobii Sancti Remigii Remorum Pontificis, ad consecrandam (14) Ecclesiam in ejus honore restructam: ubi non est dictu facile, quanta multitudo à finibus terræ, Hispanorum, Britannorum, Francorum, Scotorum, Anglorum, advenerit ejus invisere præsentiam. In qua præsentia adfuit etiam non modicus cœtus Pontificum, cum quibus advênit venerandus Chrysopolitanorum (*) Archipræsul Hugo, Deo & hominibus amabilis, præ cunctis jucundæ eloquentiæ & affabilitatis: cui in restituendis suæ rebus Ecclesiæ nemo prædecessorum aut successorum est comparandus, in quo Christi tunc apparuit virtus admirabilis. Nam gloriosus Apostolicus, ibidem habito Episcoporum Concilio, quosdam Simoniaca infectos hæresi deposuit ab injustè suscepto officio. Inter quos Hugo Lingonensis Episcopus, multis ac horribilibus infamatus accusationibus, est vocatus ad reddendam rationem. Quippe prædictum Archipræsulem Chrysopolitanorum, utpote eloquentissimum, sibi expetiit causidicum ac prælocutorem. Hic igitur coactus à Domino Apostolico, illius suscepit causam dicendam, sed repentè obmutuit ante cunctorum præsentiam, ut profectò patesceret, Deum noluisse falsis excusationibus verorum criminum tanti Pontificis inquinari linguam. Lingonensis igitur Hugo, hoc miraculo exterritus, noctu, judicium Concilii metuens, aufugit. In crastinum verò in Synodo idem Episcopus requisitus, & non adesse repertus, lectâ sententiâ, tertiò vocatus est. (*) Tunc Vesuntionensis Episcopus surrexit, & quomodo eumdem reum conatus defendere, obmutuerit, coram omnibus patefecit. Quod audiens Domnus Papa, hoc miraculum meritis Beati Remigii adscripsit, & cum omnibus qui aderant surgens gratias Deo, inde Domno Sancto Remigio, cum magno psallentio reddidit. Postmodum tamen præfatus Episcopus Lingonensis, Divino commonitus instinctu, ad Domnum rediit Papam, & cum ingentibus lacrymis publicè crimina confessus, spontaneam suscepit pœnitentiam, & Romam nudis vadens pedibus, ab eodem nostro pio Pastore promeruit absolutionem. Et in redeundo nimiis affectus jejuniis, corporisque maceratione, in bona perseverantia vitam reliquit præsentem. (15)

CAPUT V.

INde per Urbem Mediomatricorum remeans, petitu venerabilis Abbatis Guarini consecravit ibidem Sancti Pontificis Arnulfi Basilicam, ibique exoratus à Domno Sigifrido (16) Gorziensi Abbate, composuit in veneratione gloriosi Martyris Gorgonii nocturnalium Responsoriorum dulcisonam melodiam. Hinc generale apud Maguntiam Concilium habuit, in quo Spirensis Præsul Sibicho (17) criminali reatu accusatus, voluit se expurgare terrifico Sacramento Dominici Corporis: sed, ut fertur, maxilla ejus mansit contorta paralysi, quandiu præsentis vitæ spatium duxit. Quod ideo hîc breviter volui adnotare, ut audientibus fiat notum, quàm horribile sit etiam securâ conscientiâ hujusmodi judicium adire, Sacra dicente Scriptura: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*: Demum Domnus Papa apud Augiam (18) in honore vivificæ Crucis Ecclesiam dedicavit, ubi Divina pietas in proprio famulo suam gratiam mirificè ostendit. Nam inter sacra Missarum sollemnia ibidem adducitur catenis nexus dæmoniacus, qui vix à multitudine poterat coartari, alienâque violentiâ possessus horrendos emittens stridores, clamores, atque fremitus, hymnidicam totius Cleri harmoniam suis diris evincebat vocibus. Itaque Christi servus sacrum incœpturus Canonem, non valens hujusmodi pati inquietudinem, utpote ad Deum totam directurus mentem, à longè signo Crucis edito, manu indixit silentium: & citiùs dicto obmutuit dæmonium, & homo vinculis solutus, sospes cunctis admirantibus domum propriam repedavit.

CAPUT VI.

ROmam igitur rediens, plebem de sua diutina absentia mœstam lætificavit: ubi superna gratia ejus mirabile meritum omnibus publicavit. Siquidem prædictus Herimarus Abbas Cœnobii Sancti Remigii Remorum Pontificis, ei quemdam scyphum pretiosi (19) mazeris ob sui memoriam obtulerat, quem vir Sanctus pro caritate dantis in proprios usus sibi servare constituerat. Sed quadam vice minister ei potum daturus, in multas partes casu confractum repererat. Cujus particulas electus Domini quocumque erant sibi deferri præcepit, & nihil tale futurum suspicatus, cunctas suo loco quasi delectando reposuit, adstantibusque lætabundus dixit: Potens est Omnipotentis majestas in pristinam integritatem has restituere fra-

(13) Hermannus Archicancellarii munere functus legitur in epistola Beati Leonis ad Johannem Salernitanum, quæ data dicitur per manus Friderici..... & Hermanni Archiepiscopi & Archicancellarii. Extat tom. IX. Conciliorum editionis Labbeanæ.

(14) Hujus dedicationis historiam superiùs exhibuimus ad annum MXLIX. quo peracta est.

(*) *idest* Bisuntinus.

(*) Rem. add. & excommunicatus.

(15) Obiit in Cœnobio Sancti Vitoni Virdunensis, cui præerat frater ejus VValeranus, de quo multa habes supra in Vita Beati Richardi ejusdem loci Abbatis. Scripsit librum de Corpore & Sanguine Domini adversùs Berengarium, qui à nostro Acherio editus est.

(16) Ex hoc loco emendandi Sammarthani, qui Sigifridum inter Gorzienses Abbates non recensent. De Gorziæ Monasterio, quod à Chrodegango Episcopo Mettensi fundatum est in honorem S. Gorgonii, cujus corpus à Papa obtinuerat, diximus in sæculo superiori, ubi Sancti Johannis hujus loci Abbatis Vitam dedimus.

(17) Sigebothonem alii appellant. Reginobaldo successit anno MXXXIX. Spirensemque Ecclesiam annis undecim administravit.

(18) Celebre olim Monasterium, vulgò *Richenovv*, quod hodie pauci incolunt Monachi ob mensam Abbatis Episcopatui Constantiensi unitam.

(19) Bolland, *marmoris*, ex Cod. MSS. ut ait, at non solùm editi, sed & MS. Codex Sancti Remigii habet *mazeris*, quo nomine videtur exprimi aliquod pretiosum ligni genus; nam Bruno Signiensis hunc scyphum ligneum fuisse asserit, & Desiderius Casinensis seu Victor III. illud vas, *poculum lignarium* appellat. De ejusmodi scyphis Cangius, in Glossario, ad vocem *Mazerini*.

Digitized by Google

fracturas. Quo dicto, protinus consolidatae sunt partes, ita ut ad memoriam facti signum fracturae ad instar subtilissimi capilli circumquaque appareret: Sed quod magis mirum erat, nihil intra posita liquoris efflueret. Hujus rei adest testis congruus, venerandus Hugo jam dictus Chrysopoleos Archiepiscopus, qui cum lacrymis se praesentem adfuisse testatur, & devoto furto se illud vas sancto viro abstulisse laetatur. Semper autem memor officii sibi à Deo commissi, ut fidelis servus & prudens in tempore dispensans mensuram tritici, iter sumsit peragraturus fines Apuliae, ut Christianam repararet religionem, quae ibidem videbatur paene deperisse: maximèque inter accolas regionis & Normannos concordiam componere satagens, quos dudum adjutores contra exteras gentes susceperant Principes regni: Sed tunc saevissimos tyrannos ac patriae vastatores non sponte sustinebant. In hoc ergo sancto opere sollicitè intentus venit Beneventum, ubi aliquandiu commoratus, cuidam clinicae (20) Divina praeeunte gratia vitale praebuit auxilium. Nam per annos ferè quindecim diutino confecta languore, de proprio grabato, nisi aliorum deportata manibus, nequibat exire: ita cuncta ejus membra paralysis erant dissoluta aegritudine. Cui per revelationem ostensum est, ut de lympha, qua Beatus Pastor sacras abluerat manus, & post celebrationem Missarum hauriret, & absque mora sospitatem reciperet. Qua impetrata, atque cum fideli spe hausta, in crastinum sospes sacra Missarum solemnia adiit, Deo Sanctoque Pontifici gratias redditura. Itaque zelo Sanctae religionis fervens Praesul venerandus, apud Sipontum habito Concilio, duos deposuit ab officio Archiepiscopatus, qui cum mercede sanctum assumserant ministerium, vitio elationis unus ambiens praecellere alterum. Inde repetito gressu Romam rediit, ubi superna admonitus revelatione Beatum Gerardum suae Sedis, Leucorum videlicet, olim praesulem in numero Sanctorum computandum statuit. Eodemque anno in patriam regressus, ipsius Sanctos artus cum summa gloria transtulit. Quae omnia dilucidè sunt exarata in ejusdem vita (21) & miraculis.

CAPUT VII.

Erat autem huic viro Dei non modica concertatio contra pervasores rerum Sanctae Romanae Sedis, maximèque contra Ravennatem Episcopum, spiritu repletum contumaciae & rebellionis: cui nonnulli favebant Palatini, gloriae invidentes Domni Apostolici. Quorum caput in fomento discordiae erat Nizo (22) Episcopus Frisingiae, super quem Divina virtus hujusmodi horrendam ultionem dignata est ostendere. Nam pro responsis Imperialibus in Italiam directus, Ravennam devênit, & in favorem Ravennatis detrectatoria verba contra hunc Beatum proferre coepit, inter quae ducto sub gutture digito, ad haec blasphema prorupit: Hoc guttur gladio abscindatur, nisi eum deponi fecero ab honore Apostolatus. Quo dicto, eodem momento ipsum intolerabilis dolor guttur invasit, & impoenitens die tertio vitam obiit. Archiepiscopus autem Ravennatium ob incorrigibilem praesumtionem est à Sancto Papa anathematizatus. Ideoque Imperiali jussu Ausburgiam vocatus, cum justitia redditis quae injustè pervaserat, absolutionem est petere coactus. Qui cùm licèt corde contumaci ante pedes Sancti stratus jaceret, cunctusque coetus praesentium Pontificum ei absolutionem peterent, ait vir Beatus: Secundùm ejus devotionem tribuat illi Omnipotens cunctorum scelerum absolutionem. Ille verò surgens, cùm subsannatoriè subrideret adhuc superbiâ tumidus, venerandus Pastor in lacrymas resolutus, inquit secretò circumstantibus: Heu! mortuus est miser iste. Nec mora, ille languore corripitur, & vix in patriam revectus, vita & honore quo tumebat, celeriter privatur.

CAPUT VIII.

Magnificus autem Pastor Romanam revisens sedem, dum Paschalibus solemniis apud Sanctum Laurentium esset celebraturus Divini Sacramenti oblationem, inter Sacra Missarum solemnia ei quamdam obtulerunt mulierem, quae plena daemonio sanam amiserat mentem. Quam incessanter debacchantem cernens, fremitumque circumstantium, ac eam vinctam trahi non ferens, è contra vexillo Crucis edito, omnes à longè stare praecepit: Sed illam mox immundus pervasor reliquit, & sana mente incolumis ad propria repedavit. Sollicitus autem de salute animarum primùm sibi specialiter commissarum, Romae positus venerabilem Primicerium Udonem (23) elegit sibi successorem Sanctae Sedis Leucorum, atque ad eum sibi subrogandum Imperiali Majestati proprium direxit legatum. Si quidem ob bonorum morum honestatem, Sanctaeque religionis fervorem, & piae devotionis intentionisque devotionem, illum hoc officio dignum judicabat, & paterno eum amplectens affectu proprium filium vocitabat. Sperabat quoque ejus prudentia, qua in Divinis humanisque affluenter pollet, perfici posse, si quid minùs plenè peregisset in suae primitivae Sedis augmentatione. Quod etiam nunc ex plurima parte fit, Christi annuente suffragio &, ut verè credimus, in dies erga Dominum accrescet ejus sancta devotio. Sed nunc ejus laudibus supersedendum, quia omnis laus in fine securiùs cantabitur. Non modicus quoque ei inerat fervor in augenda Republica. Idcirco Hungariae Principes, à Romano nuper Imperio dissidentes, multiplicibus legatis adierat, ne detrectarent solita subjectione Imperatori prisca persolvere tributa, quod & consenserant, si praeteritorum commissorum eis concederetur indulgentia. Quapropter sancta commonente pietate, coactus est tertiò antiquam patriam repetere, & pro reorum miseratione, qui contra Imperium moverant bellum, persuasoriis precibus Imperiales aures expetere. Sed quia factione quorumdam curialium, qui felicibus Sancti viri invidebant actibus, sunt Augusti aures obturatae precibus Domni

(20) Sic dicitur, quòd in lecto jugiter decumberet, κλίνη quippe lectum signat.

(21) Hanc Vitam exhibent Bollandiani die 23. Aprilis. Nos verò de S. Gerardo egimus saeculo superiori pag. 891. ubi habetur Bulla ejus canonizationis pag. 894.

(22) Sirmondi editio *Vizonem*. Nicerus dicitur à Gualterio in Catalogo Episc. Frisingensium.

(23) Ed. mendosè *Odonem*: Et quidem Udo dicitur passim in compluribus instrumentis. Antea Bibliothecarius & Cancellarius fuerat Ecclesiae Romanae, ut patet ex Bulla S. Leonis pro S. Mansueto.

Digitized by Google

Domni Apostolici, ideò Romana Respublica subjectionem regni Hungariæ perdidit, & adhuc dolet finitima patriæ prædis & incendiis devastari. Dum autem pro regni pace sollicitè laborans ibidem aliquamdiu moraretur, Divina prædestinatio ei in somnis revelare voluit, quid sibi futurum portenderetur. Nam videbatur sibi quòd stans in edito, familiares suos ad se de periculo confugientes reciperet, eisque sub pluviali veste, quæ cappa vocitatur, inclusis, sanguine eorum sibi vestes infici conspiceret. Qua visione certus redditus mœstitudinem sibi suisque affuturam, & sicut triticum in area Domini recondendum, ad tentationem sese præparat sustinendam. Itaque repedans in Italiam, Concilium apud Mantuam habendum constituit, quod factio quorumdam Pontificum, severitatem ejus justi judicii timentium perturbavit. Nam familiæ eorum fautrices scelerum, subitum contra Domni Apostolici familiam moverunt tumultum, securè adstantem ante Basilicam, in qua publicum habebatur Concilium, ita ut vir sanctus cogeretur à medio consessu surgere, & ante portam ad sedandum strepitum procedere. Cujus præsentiam non reveriti Deo odibiles, eo magis magisque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exarmatos confugientes ante oculos ipsius confodere, & à valvis Ecclesiæ, ne ibi tutarentur, repellere; ita ut impetus sagittarum & saxorum circum ejusdem Sancti aures & ora volitaret, atque quosdam ejus veste defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodum difficulter sedatus, cœptum rigorem Concilii imperfectum coëgit relinqui. Sed in crastinum, cuncti hujus seditionis incentores severa examinatione damnandi, à piissimo patre sunt misericordi indulgentia absoluti, ne videretur causâ ultionis asperitatem in eos exercere judicii. Videtur etiam indignum sub fera oblivionis obcludere, quod ejus temporibus ad Divinam laudem apud Narniam gestum refertur memorabile. Cujus rei testes visorii, à minimo usque ad maximum cuncti illius urbis dicuntur extitisse. Nam biennio antequam ibidem hic venerandus Papa Dominicum celebraret Natalitium, contigit quodam die æstivo tempore infinitam multitudinem juxta eadem mœnia habere transitum. Ejus terrore attonita universa plebs muros ascendit, quasi ob capiendæ Civitatis defensaculum. Quæ multitudo infinitum terræ spatium, quantum humanus posset comprehendere visus, implebat, & præ celeri gradu Orientem versùs transcurrebat. Videbantur autem cuncti miro candore habitus, vultusque, ac capitis canitie venerandi, pæne consimilis formæ qualitate decori. Quod mirandum omnes à muris urbis aspectantens stupidos reddidit, & à primo manè usque ad horam nonam excurrere non destitit. Sole autem declinante, cœpit illa admiranda multitudo paullatim rarescere. Unus quoque ex muro spectantium fidentior reliquis, ausus est extra procedere, & è vicino cum tremore adstans, spectabat, si quem eorum posset cognoscere. Tunc inter extremos videt quemdam sibi olim familiarem, ipsius urbis civem, boni testimonii & devotæ mentis hominem; qui jam non diu præsentis vitæ excurrerat finem. Quem cum divina adjuratione nominetenus appellans ad se vocitavit, & quæ esset illa tanta multitudo sibi manifestari depoposcit. Cui inquit: Licèt sis indignus divina mysteria cognoscere, tamen noveris nos peccatrices animas, adhuc immeritas cœlestis regni gaudia possidere, vice pœnitentiæ loca sancta continuatim circuire, & nunc de Sancti Martini Majori Monasterio venientes, ad Beatæ Dei Genitricis Mariæ Cœnobio in Farfa (24) iter agere. Quo dicto disparuit, ac nimio illum terrore confectum reliquit, quique integro anno languens recubuit in lecto, & hæc eadem Domno Apostolico retulit ore proprio.

CAPUT IX.

Ea tempestate orta est hæresis Fermentaceorum, quæ calumniatur Sanctam Romanam Sedem, immo omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam, de azymis vivificum Deo offerre sacrificium. Quam calumniam etiam scripto ediderunt Episcopi, Michaël (25) Constantinopolitanus, & Leo Acridanus: pervicaciter exhalantes pestiferas mephites contra Sanctam & Apostolicam fidem. Hæc quidem calumnia Græco sermone edita, & Johanni Tranensi Episcopo, in suggillationem omnium Latinorum directa, cùm fuisset Trani exhibita fratri Humberto (26) Sanctæ Ecclesiæ Silvæ-candidæ Episcopo, in Latinum est translata, ejus studio, atque delata Domno Papæ Leoni nono. Itaque gloriosus Apostolicus libellum composuit luculentissimum adversùs jam dictas præsumtiones, & nimias vanitates eorum, conatus illos ad viam veritatis adducere: sed postmodum incorrectos Ecclesiastico damnavit anathemate. Prædictus etiam frater Humbertus edidit contra eorum putida scripta responsionem instar Dialogi, ab ipso latinè scriptam Apocrysariatus sui tempore Constantinopoli: & jussu Imperatoris religiosi & orthodoxi Constantini Monomachi græcè editam, sub nominibus Constantinopolitani, & Romani, anno Domini millesimo quinquagesimoquarto. Domnus quoque Fredericus tunc Cancellarius (post à Deo electus Romanæ Sedis Apostolicus (27) invectivè respondit quibusdam objectionibus, quas ediderat Niceta Monachus Constantinopolitanus, qui & Pectoratus, contra Latinam Ecclesiam: quem libellum titulaverat, De Azymo, de Sabbato, & de nuptiis sacerdotum. Quæ invectio de latino translata, & publicè coram prædicto Imperatore est recitata, idemque Niceta coactus est damnare & comburere sua scripta, habita disputatione apud Monasterium Studii in urbe Constantinopolitana. Siquidem gloriosus Apostolicus direxerat Constantinopolim Sanctæ Romanæ Sedis Apocrysarios, præfatum scilicet Humbertum, & Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, Fredericum quoque tunc Diaconum & Cancellarium. A quibus Niceta cupiens perfectam suarum propositionum solu-

(24) Majus-monasterium situm prope Turonos, ut nemo nescit. Farfa autem celebre est Monasterium in Sabinensi Diœcesi in Umbria.

(25) Michaël cognomento Cerularius, ad quem egregiam epistolam seu potiùs librum scripsit Beatus Pontifex. Cæterùm hic Schismatis Græci parens anno MLVIII. è sua sede pulsus est.

(26) Humbertum Mediani-monasterii Monachum fuisse passim scribit Johannes de Bayon in ejusdem loci historia, atque ibi oblatus Monasterio à parentibus anno MXV. dicitur. Ejusdem Humberti libri contra Græcos editi sunt à Baronio in Appendice tomi XI. Annalium. Leonis verò epistolæ apud Labbeum habes tom. IX. Conciliorum.

(27) Dictus Stephanus X. cujus elogium infra habes ubi de SS. Casinensibus.

Digitized by Google

solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta & facta vel tentata adversùs primam & Apostolicam Sedem, sicque ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Michaële autem Constantinopolitano Episcopo præsentiam illorum & colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuntii Domni Apostolici adierunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, & super ejus obstinatione conquesti, Clero ex more ad Missas præparato; jam horâ tertiâ die Sabbati chartam excommunicationis super principale Altare deposuerunt, sub oculis præsentis Cleri & populi. Inde mox egressi, etiam pulverem pedum suorum excussere in testimonium illis, juxta dictum Euangelii, proclamantes: Videat Deus & judicet. Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, & anathematizatis cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum Sacrificium vituperantis, acceptâ orthodoxi Imperatoris licentiâ, in osculo pacis cum donis Imperialibus Sancto Petro sibique collatis, alacres sunt reversi. Itaque Imperator adversùs Michaëlem commotus, quòd ad Concilium in sui præsentia & nuntiorum domni Apostolici venire detrectaverit, immo seditionem vulgi contra eum incitaverit, amicos & affines ipsius honoribus privatos à palatio eliminavit, contraque ipsum usque in finem graves iras retinuit.

CAPUT X.

INterea piissimus Pastor sollicitus pro ovibus sibi à Deo creditis, ac clementi condolens affectu inauditæ afflictioni Apuliæ gentis, collecto aliquanto comitatu, rursum movit iter versùs Beneventum, nisus omnimodis Normannorum sævissimum mitigare impetum. Non est nostrum lacrymosis expendere verbis, quid sibi in hoc itinere contigerit: dum ipse brevi scripto (28) Imperatori Constantinopolitano cuncta intimaverit. Ait enim inter alia: Illa sollicitudine, qua omnibus Ecclesiis debeo invigilare, videns indisciplinatam & alienam gentem Normannorum crudeli & inaudita rabie, & plusquam pagana impietate adversùs Ecclesiam Dei insurgere, passim Christianos trucidare, & nonnullos novis horribilibusque tormentis, usque ad defectionem animæ affligere: nec infanti, aut seni, seu fœmineæ fragilitati aliquo humanitatis respectu parcere, nec inter sanctum & profanum aliquam distantiam habere, Sanctorum Basilicas spoliare, incendere, & ad solum usque diruere; sæpissimè perversitatem ejus redargui, commonui, obsecravi, prædicavi, opportunè importuneque institi, terrorem Divinæ & humanæ vindictæ denuntiavi. Sed quia sicut quidam Sapiens ait, nemo potest corrigere quem Deus despexerit, & stultus verbis non corrigitur; adeò obstinata & obdurata ejus malitia permansit, ut de die in diem adderet pejora pessimis. Unde non tantùm exteriora bona pro liberatione ovium Christi cupiens impendere, sed superimpendi ipse peroptans, visum est mihi ad testimonium nequitiæ ipsorum nihil sic expedire ad repressionem contumaciæ (29), quam humanam defensionem undecumque attrahendam fore: audiens ab Apostolo, Principes non sinè causa gladium portare, sed ministros Dei esse, vindices in iram omni operanti malum; & quia Principes non sunt timore boni operis, sed mali, & Reges, atque Principes missos à Deo ad vindictam malefactorum. Suffultus ergo comitatu, qualem temporis brevitas, & imminens necessitas permisit, gloriosi Ducis & magistri Argyrii fidelissimi tui colloquium & consilium expetendum censui, non ut cujusque Normannorum seu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent qui divina judicia minimè formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverso omnem subjectionem fictè pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur: sed & adhuc de victoria sua potiùs tristantur, quàm lætantur. Sicut enim tua pietas scribere curavit ad nostram consolationem, pro ista sua præsumtione majorem in proximo expectant sibi superventuram indignationem, post illam, quam experti sunt suæ catervæ diminutionem. Nos quoque Divinum adjutorium affore, & humanum non defore confidentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie Sanctæ Ecclesiæ periclitantis. Et hæc quidem Domnus Apostolicus.

CAPUT XI.

ITaque pessima gens Normannorum, peracta cæde familiæ mitissimi Papæ, non sinè magno detrimento suorum, aggreditur opidum, Civitatulam cognominatum, ubi idem Beatus, ignarus eorum quæ acta erant, tardantem suum expectabat comitatum. Qui cùm imminentes hostes cerneret, & quid suis contigisset intelligeret, cum ea, quæ sibi remanserat Clericorum frequentia, cœptum iter versùs Beneventum arripuit, & cunctis hostibus attonitis, quasi leo confidens, absque terrore per medium illorum transiit. Ergo tam admirandam perpendentes confidentiam, mutatis animis, in ejus sunt conversi obsequelam: cujus osculantes vestigia, sibi immeritam deposcebant indulgentiam. Quibus vir sanctus pauca locutus pro tempore, ipsis deservientibus studuit funera cæsorum honorificè procurare, tumulans ea in vicina Ecclesia ab antiquo diruta tempore. Et quoniam pro fide Christi, afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt subire, multiplicibus revelationibus monstravit eos Divina gratia in cœlesti regno perenniter gaudere. Nam & ipsis diversis modis sese ostenderunt Christifidelibus, dicentes se non esse lugendos exequiis funebribus, immo in superna gloria Sanctis conjunctos Martyribus. Ab eisdem quoque illorum interfectoribus super istos restructâ venusto opere Basilicâ, ac concione Deo servientium ibidem aggregata, omnipotentissima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum insignia. Ferocissima verò gens Normannorum his exterrita gestis, crudelitate deposita, populos, quibus cohabitabat, ex tunc compatriotas amicabiliùs tractavit, ac venerabili Papæ quoad vixit, in omni subjectione fideliter deservivit.

CA-

(28) Id habes inter alias epistolas hujus Beati Pontificis in tom. IX. Conciliorum Generalium.

(29) Ea in Leone reprehendit Petrus Damiani in epistola ad Firmium Episcopum, asserens non sic egisse Gregorium Magnum. Verùm multis argumentis hanc Petri sententiam refellit Baronius ad MLIII. quem legesis.

Digitized by Google

CAPUT XII.

EXimius autem Pastor Beneventum veniens, ipsis Normannis etiam injussis per totum iter obsequialiter illum comitantibus, non modico illic anni spatio est commoratus, semetipsum sanctis exercens virtutibus patientiæ, vigiliis, jejuniis, & orationibus. Siquidem omnem lecti mollitiem refugiebat, sed sumto ad carnem cilicio, & tapeti terræ instrato recubans, capiti lapide apposito, nocturnis horis paululum somni insumebat, reliquumque noctis spatium cum integri decantatione psalterii, ac innumera genuum inflexione excurrebat; idem quoque psalterium per singulos repetens dies cum oblatione Divini Sacrificii, cursum multiplicium orationum indefessè transigebat. Illud etiam erat in eo mirandum, quòd ultra quinquagenarius tanto fervebat studio, ut Divinarum lectionem Scripturarum Græco addisceret eloquio. Et quoniam visceribus pietatis & misericordiæ, supra quàm credi potest, affluebat, innumera pauperum multitudo indefessè ad ejus largitatem accurrebat, quibus absque discretione necessaria ministrabat.

CAPUT XIII.

HIs itaque piis insistens actibus, dum quodam sero cuncta ejus familia, causâ nocturni secessisset soporis, ipse prævio lumine cum puero deambulabat per vacuum sui palatii spatium, viditque in angulo jacentem leprosum, scissis panniculis ac ulceribus obsitum, lurida putredine tabidum, qui nimia pressus ægritudine nequibat gressum movere, vixque poterat ex effœto corpore verba proferre. Cui venerandus Pater genibus affixis diu est familiariter locutus, & propriis involutum vestibus suis intulit humeris ad lectum, qui sibi Pontificali more fuerat præparatus. Intrinsecusque januis obseratis, ac ministro soporato, ipse solitæ institit psalmodiæ in vicino Oratorio. Demum post diutinam horam assueto usu humi cubaturus rediit, leprosum, quem extructo locaverat thoro minimè reperit, excitatum puerum interrogat, quorsum pauper abierit. Ille attonitus cunctos circuit angulos domus, ostiorum sollicitè tentat aditus, sed omnia inveniens obserata, cum summa admiratione regreditur. Hoc ergo facto stupidus Domnus Apostolicus dat fessa soporiferæ quieti membra, & nescio quid Divini in somnis cernens, manè puero cum terrifica admiratione imperat, ne cui quoad viveret ullo modo panderet quod actum fuerat. Credo illi in somnis Christus, ut Beato Martino Pontifici, ejus indutus vestibus apparuit; aut velut (30) Martyrius Monachus leprosum de suis exilientem ulnis cœlum ascendere vidit; & causâ humilitatis, ne sibi pro humana laude virus surreperet superbiæ, hoc voluit latere miraculum: tamen non absque re sub tanta comminatione jussit hujusmodi celari factum. Rursus quodam die ibidem solus cum solo Clerico, sanctæ psalmodiæ insistebat, cùm ecce quidam rusticus secum insanam deducens filiam advenerat: quam multotiens pessimo torqueri dæmonio suspiriosè clamabat, ejusque meritis liberari cum lacrymis deposcebat. Cujus precibus pius pater diutiùs nitens contradicere, jussit eum Sanctorum suffragia, quorum innumeræ ibi continentur Reliquiæ, supplici voto exorare. Sed rusticus in proposito obstinatus, immo in solidæ fidei stabilitate firmatus, dicebat se exinde non recessurum, donec ejus benedictione Divinum promereretur auxilium. Itaque vir sanctus ipsius importunitate devictus, granum salis in proximo repertum benedixit, ac in os puellæ cum Divini invocatione nominis projecit; moxque dæmone cum purulento expulso sanguine, lætus pater cum sospite filia domum repedavit. Possent autem de hoc sancto plurima admiranda referri, sed studioso est cedendum lectori, vel incredulo auditori, ideoque brevi ejus memorantes transitum, finem cœpto imponamus operi.

CAPUT XIV.

BOni ergo certaminis cursu consummato, abundantiori supernæ beatitudinis in dies æstuabat desiderio, & tamquam cum Paulo diceret: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo; sic funditus curis hujus vitæ curabat abrenuntiare, ut in corpore adhuc positus, videretur beatam Angelicæ conversationis puritatem exercere. Pro defunctorum quoque requie incorruptorum sacramentorum celebrationi solito frequentiùs invigilabat. Et quamquam hic labor ei fuisset præcipuus toto tempore sui incolatus, ferventiori tamen studio, & copiosiore votorum numero insistebat tam glorioso operi circa diem sui obitus. Et quoniam Divinitatis providentia tum indulgendo, tum verberando operatur salutem sibi obsequentium; ad virtutis cumulum eum adeò flagellavit afflictione salutifera, ut perdito omnis cibi desiderio, irrepentis morbi dolor eum continuare cogeret, quæ olim sponte exercebat jejunia, solius lymphæ poculo, marcido corpori præbente sustentacula. Interea evoluto anni orbe, instabat ejus ordinationis dies anniversarius, in quo solito devotiùs quotannis Christo piis insistebat precibus. Quamvis itaque languoris invalescens molestia fatigati Divinis operibus corporis jam debilitaret præcordia, Spiritu Sancto tamen roboratus, à quo totus ejus vitæ dirigebatur cursus, cum Apostolicæ dignitatis honore eo die Missarum celebrans sollemnia, Beneventanos, cum quibus tunc morabatur, gratificæ affabilitatis exhilaravit lætitiâ. Et hoc fuit ultimum in Divinis Sacramentis obsequium, quasi vivificis valedicens mysteriis, quibus semper se præbuerat dignum. Certificatus autem de suæ vocationis termino, Romam se ferri fecit lecticæ vehiculo. In quo itinere sic eum conciliavit Divinitas, non solùm suis, verùm etiam his, qui nuper fuerant inimici, ut copiosa manus Normannorum, quos supra retulimus diu cum hoc viro habuisse discidium, totius animi sincerissima devotione se invicem prævenirent ad ejus obsequium. Et decebat utique fortissimum defensorem Christianæ religionis, ut regis sui Christi aditurus palatia, deduceretur nobili triumpho victoriæ, præeunte scilicet hostium jam subjugatorum mansuefacta multitudine. Aliquantulum ergo commoratus in Lateranensi palatio, præstolabatur quid de se statueret interni Judicis clementissima dispositio. Beatus autem Petrus, non immemor diutini sudoris, quo sibi in regendo ovili Ecclesiæ affuerat cooperator hic vir memora-

(30) De eo agit Beatus Gregorius Homilia 39. in Evangelia. Vitam verò illius exhibet Bollandus ad diem 23. Januarii.

Digitized by Google

morabilis, eum sibi vicinum deliberavit conjungere: utpote participem futurum magnifici honoris & gloriæ, quam summi Pastoris præeunte gratia, Romanæ impertivit Ecclesiæ. Divina itaque revelatione est edoctus, quòd non aliàs eum remaneret carnis resolutio, nisi in locis Beati Petri vicinis oratorio. Nec mora, gratulabundus super tali visione, seque intelligens vocari Divini respectus miseratione, lecticâ denuo subvectus, Oratorium Beati Petri est ingressus. Ibi ex imo cordis fundo lacrymis permanantibus, ad Deum extendens puram mentem cum manibus, diutissimè clementiam Domini secretis invocavit precibus. Deinde latus in vicinam Episcopii domum, visitatus est frequentiâ fidelium, summæ dilectionis gratiâ ad eum confluentium. Quorum pia consideratio perpendens non diutiùs eum retinendum carnis ergastulo, decrevit, ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus usquequaque, munitusque Dominici Corporis & sanguinis communione, Teutonicâ linguâ, ut testati sunt qui adfuerunt, tali cum Deo locutus est oratione: Miserator Domine, omnium redemptor, unica salvatio, si judicas expedire oculis tuæ Majestatis, ut adhuc communi utilitati populorum tuorum inserviam: merear, oro, celeri medicina tuæ visitationis, instantis ægritudinis evadere molestiam: sin aliud aliquid deliberat tuæ Divinitatis providentia, deprecor Domine, ut quantocyus concedatur mihi exire hujus corporis habitacula. Finitis precibus adstantes respiciens, singulis pro sibi exhibito obsequio gratias retulit, fessaque membra ad requiem componens tolerabiliùs solito se dolorem sentire perhibuit. Credidit circumstantium fidelium multitudo mox eum depositurum carnis exuvias, suspiriosisque singultibus proficiscenti animæ competentes solvebat exequias. Quorum voces comprimens Beatus vir: Hoc, inquit, quod nunc agitur differte in horam tertiam diei crastinæ, expectantes quid de me placeat omnipotentiæ Dei. Vigilantiori igitur affectione, postero die adfuit horâ tertiâ copiosa fidelium frequentia, & circa horam nonam resolutum carne spiritum, cœlosque petentem, deducunt commendatione devotissima. Affluente autem totius Romanæ plebis multitudine, cum summo honore ejus celebratæ sunt exequiæ, & sicut ipse disposuerat, sepultus est juxta Beati Pontificis Gregorii altare, ante fores Ecclesiæ. Et meritò in decore sepulturæ illi extat conjunctus, quem in Divina religione, ac Sanctæ Ecclesiæ instauratione est fideliter imitatus. Cujus vitam & sanctitatem quidam brevi disticho sic est prosecutus.

Victrix Roma dolet nono viduata Leone
Ex multis talem non (*) habitura Patrem.

Exemtus est autem hic vir Magnificus ab hujus vitæ laboribus, ætate quinquagenarius, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quinquagesimoquinto (31), Leucorum Episcopatus vigesimooctavo, Apostolatus autem sexto. Siquidem Romæ sedit annis quinque, adjectis duobus mensibus, & novem diebus, impleta visione, quam supra de revelatione calicum retulimus. Nam quinque calices ei à Beato Petro collati, signabant quinquennale ejus Vitæ spatium: reliqui tres, sui successoris Victoris triennium: sequens unus, beatæ memoriæ Frederici in Apostolatu unius anni cursum. Sed quoniam adhuc restant plurima ad dicendum, quæ ad ejus tumbam fiunt Divina pietate miracula, Romanis relinquimus exaranda, in quorum diatim ostenduntur præsentia. Nostrum est ejus merita devotis precibus exorare, ut viscera pietatis & misericordiæ, quibus in præsenti abundabat vita, nunc in superna positus gloria nobis dignetur aperire: quatinus ejus sancto suffragio scelerum nostrorum abruptis nexibus, supernæ mereamur esse participes gloriæ, eo annuente, qui in Sanctis suis facit mirabilia, à quibus etiam sibi cantatur laus & gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen.

(*) *aliàs* vix.
(31) Omnes omnino auctores Sancti Leonis obitum ad annum MLIV. revocant, post cujus mortem sedes anno ferè integro vacavit.

M.A. Palde In. et Sculp.

Iterum

Iterum ex Cardinali Aragonio.

VITA STEPHANI IX. PAPÆ.

De Stephano IX. qui cœpit Anno Domini MLVIII.

STephanus natione Lotharingus, ex patre Gotelino (1) Abbas Casinensis, nomine Fredericus, sedit mensibus VIII. diebus XXIX., & cessavit Episcopatus IX. mensibus, & diebus VIII. Hic promovit Hildebrandum in Levitam, & Archidiaconum in Romana Ecclesia ordinavit. Hujus temporibus Mediolanensis Ecclesia, quæ superbiæ fastu per ducentos ferè annos à subjectione Romanæ Ecclesiæ insolenter se subtraxerat, prima inter alias eam majorem humiliter recognovit, & ejus magisterio se subjecit. (†) Quod inobedientiæ malum ideo creditur accidisse, quoniam totius Lombardiæ maxima Metropolis eo tempore plurimum refulgebat, atque in ipsa Civitate Imperatores plurimi sedem Augustalem tenuerant. Præterea inter multos religiosos ejusdem Civitatis Episcopos gemma Sacerdotum Beatus Ambrosius in ea floruisse dignoscitur; post cujus tempora Episcopi multis irretiti facinoribus successerunt, qui Romanorum Pontificum pertimescentes correptionem, ab eorum se obedientia subtraxerunt. Eodem tempore cum Simoniaca Hæresis totam Italiam, & Burgundiam occupasset, idem Pontifex misit è latere suo eumdem Archidiaconum cum quibusdam Episcopis ad ultramontanas partes. Cùm autem ad Lugdunensem Provinciam pervenisset, in ea Synodum celebravit, in qua per ipsum Archidiaconum Deus magnum dignatus est operari miraculum. Residentibus namque in eadem Synodo Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis,......... .... Archiepiscopus, vir quidem literatus, & eloquens, accusatus est de crimine Simoniæ; qui sequenti nocte omnes accusatores suos pecuniâ corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem facto rediens ad Synodum, audacter dixit: ubi sunt, qui me accusant? Exeant in publicum, quicumque voluerint me condemnare. Tunc obmutescentibus cunctis prædictus Archidiaconus, tamquam vir discretus, & sapiens, convertens se ad illum dixit ei: Credis, o Archiepiscope, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio unum esse substantiæ Deitatis? Quo respondente, Credo; addidit: dic, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Cumque hunc versiculum fiducialiter incæpisset, *Gloria Patri, & Filio* expeditè dicebat, sed Spiritum Sanctum proferre nullatenus poterat. Quem cùm frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per judicium divinum omnino confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confessus est proprio ore, se Simoniacum esse. Postquam vero à Sacerdotali, & Episcopali officio est depositus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* libera & clara voce decantavit. Quod factum Simoniacos in tantum perterruit, quòd præter alios Ecclesiarum Prælatos decem & octo Episcopi se Simoniacos esse confessi sunt, & suis honoribus absque ulla occasione renunciarunt. Celebrata itaque Synodo, & Ecclesiasticis rebus ritè ordinatis, & compositis, Legati ad Urbem redierunt; sed Domnum Stephanum Papam, unde contristati sunt valde, invenerunt infirmum. Evolutis autem paucis diebus cum infirmitas vehementiùs cresceret, spiritu prophetiæ, sicut ex post facto apparuit, repletus, Episcopos, Presbyteros, & Archidiaconos Cardinales ante se convocavit, & his verbis eos est allocutus. Scio, Fratres, quia post mortem meam exsurgent Viri ex vobis, se ipsos amantes, qui non per ostium, sed contra Sanctorum Patrum decreta, & per laicas personas hanc Sanctam Sedem arripient. Quo audito universi pariter negaverunt, & ob hoc in manu ejusdem Papæ dato Sacramento, mutuo se se obligarunt, quòd nullus eorum ad Apostolicam Sedem, nisi ex consensu, & communi electione Fratrum, debet ascendere, vel ascendentibus consentire. Et post modicum tempus descendit in Tusciam, ubi defunctus est, & in Ecclesia Florentina sepultus.

VITA

STEPHANUS.

(1) A. Gotelmo.

(†) Injustam hanc notam superbiæ, & contumaciæ contra Romanam Ecclesiam, quæ ab hoc Scriptore Mediolanensibus Episcopis impingitur, depulerat jam antea vir de nostra historia meritissimus Johannes Petrus Puricellus in suis monumentis Basilicæ Ambrosianæ num. 110. 121. 260. & seqq. Constat enim ex rescriptis Summorum Pontificum Nicolai I. & Johannis VIII. ab eodem Puricello relatis dicto num. 110. proximos successores Angilberti II. qui, (indignâ Catholicis ejusdem moribus & pietate calumniâ) auctor hujus Schismatis fuisse dicitur, in summa erga S. Sedem Obedientiæ Religione perstitisse: In eadem verò subsequentes quoque perdurasse usque ad XI. seculum colligimus ex Arnulpho, & Landulpho illius ævi Scriptoribus, quos sequenti tomo producemus, clarè asserentes sub Clemente II. ac Leone IX. Mediolanenses Archiepiscopos interfuisse Conciliis à Rom. Pontifice indictis, aliaque id genus munera exercuisse, quæ cum hac rebelli ac schismatica ducentorum annorum pertinacia componi minimè possunt. His documentis corrigendos etiam dicimus Blondum, Sabellicum, Sigonium, Puteanum, Ripamontium, Ughellum, aliosque, hunc fortasse Antesignanum cæcè credulitate sequutos, immo ex recentioribus Danielem Papebrochium, qui in Propylæo Maji pag. 193. * incognitam hujus Schismatis causam, (tacente prorsus antiqua historia) perscrutatus ait: Angilbertum, seu Engelbertum ideo descivisse, quòd neglexerit Pallium petere à Rom. Pontifice, subjectionis signum, ejusque exemplo reliquos Mediolanenses Antistites usque ad Aribertum renovatorem *usus petendi Româ Pallii*, contumaces fuisse in Schismate, quod ipse, attenuans explosam hactenus mendacem hanc famam, *negativum* tantummodo appellat. At neque hoc verum esse ineluctabilis evincit auctoritas; fugit enim doctissimum virum epistola Ratherii Episcopi ad Johannem XII. Sum. Pontificem, superiore ad Aribertum seculo scripta, relataque à Johanne Chapeaville in sua Historia Pontif. Tungren. Traject. & Leodien. tomo 1. pag. 179. in qua ipse Ratherius testatur, se revertentem à Rom. Sede peracta legatione, detulisse privilegium pro D. Hilduino Mediolanensi Antistite actum, *cum Archiepiscopali Pallio*; quod illius conjecturam funditus evertit; eaque de causa narratum Schisma omninò inter fabulas est amandandum.

Joseph Antonius Saxius.

Digitized by Google

VITA NICOLAI II. PAPÆ.

De Nicolao Papa II. qui cœpit Anno Domini MLIX.

Nicolaus Papa II., natione Burgundio, Episcopus in Ecclesia Florentina, nomine Gerardus, sedit annis II., mensibus VI., (1) & cessavit Episcopatus mensibus II., & VIII. diebus. Post mortem Domni Stephani, Romanorum Capitanei, & maximè Gregorius de Tusculano, qui Patritiatus dignitate abutebantur, Mincium Velletrensem Episcopum, invitis Episcopis, & Cardinalibus, in Sedem Apostolicam intruserunt, & nomine mutato Benedictum appellarunt. Qui postposito juramento, quod (2) sicut prædiximus, in manu Domni Stephani Papæ fecerat (3) Beati Petri Cathedram temerario ausu invadere, & per violentiam eorumdem Capitaneorum detinere præsumpsit. Eodem verò tempore Imperatoris Henrici relicta cum puerulo (4) filio gubernacula Italici Regni tenebat. Quæ inter cętera fęmineæ levitatis acta, cuidam Parmensi Clerico, nomine Guiberto, nobili prosapia orto, curam ipsius Regni, & Cancellariam commisit. Interea Hildebrandus Archidiaconus cum Episcopis, & Cardinalibus, quia in Urbe Romana non poterant liberè Catholicam electionem facere, apud Senam pariter convenerunt. Ibique convocatis circumpositis Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, post multam deliberationem, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, Domnum Gerardum Florentinum Episcopum in Pastorem sibi & Romanum Pontificem concorditer elegerunt, & nomen sibi mutantes, Nicolaum appellarunt. Celebrata itaque in pace ipsa electione, idem Pontifex cum Archidiacono, & Cardinalibus consilium habuit, ut pro causa jam dicti Velletrensis intrusi apud Sutrium Synodum celebraret, ad quam non solum Episcopos Tusciæ, & Lombardiæ, sed & magnum Ducem Gotifredum, & Guibertum Cancellarium convocare deberet; quod absque longa dilatione factum est. Prædictus autem Mincius, ubi Nicolaum Papam cum personis, quas apud Sutrium convocaverat, in Synodo residere cognovit, Sedem, quam invaserat, conscientia remordente reliquit, & ad Domnum Papam (5) remeavit. Quod factum postquam Pontifex in veritate cognovit, consilio cum Fratribus habito, ad Urbem cum eis non cum potentia, sed tamquam bonus, & humilis pastor accessit. Unde auctore Domino factum est, quòd cum Clero, & Populo digno cum honore susceptus, juxta consuetum ordinem à Cardinalibus fuit in Sede Apostolica positus. Transactis autem paucis diebus memoratus Mincius ad præsentiam Nicolai Papæ veniam petiturus accessit, & ad ejus vestigia procidens, violentiam se fuisse perpessum asseruit; sed invasionis crimen, & reatum perjurii non negavit. Ex propria igitur confessione digna factis recipiens, Episcopalis, & Sacerdotalis officii depositionem incurrere meruit. Illud autem ipsius Pontificis animum vehementer angebat, quòd Romanorum Capitanei, sicut prædiximus, Ecclesiæ jura, & Urbis dominium per violentiam occuparant, & illicitè detinebant. Rebus itaque hoc modo se habentibus, Normanni ad præsentiam ejusdem Præsulis nuntios transmiserunt, rogantes, ut in Apuliam descenderet, & satisfactione suscepta, eos Ecclesiæ Dei reconciliare paterna pietate deberet. Quibus verbis auditis post deliberationem consilii Pontifex ab Urbe Roma exivit, & in partes Apuliæ venit. Accedentes itaque Normanni ad ipsus præsentiam, & restitutis omnibus Terris Beati Petri, quas abstulerant, in libera potestate Summi Pontificis, à vinculo excommunicationis eos absolvit, & in gratiam Sedis Apostolicæ paternè recepit. Quia verò potentia, & vires eorum tunc temporis in Orbe Romano Magnates cęteros superabant, & in causis Ecclesiæ contra illos, qui Apostolicæ Sedis jura insolenter occupaverant, Romano Pontifici magnum solatium, & opportunum auxilium in manu valida poterant exhibere, hominio, & fidelitate ab eis suscepta, præter Beneventum, totam Apuliam, & Calabriam eis concessit. Post hæc autem, ordinatis & dispositis omnibus, quæ ad Beneventanum patrimonium pertinebant, Nicolaus Papa reversus est Romam. Normanni verò ad ipsius commonitionem (6) collecto exercitu subsecuti sunt ejus vestigia, & transeuntes Campaniam, Prænestinorum, ac Tusculanorum, & Humentanorum Terras hostiliter invadentes, eis tamquam contumacibus, & Domino suo rebellantibus, damna gravissima intulerunt. Deinde fluvium Tiberis cum immensa militia, & fortitudine armatorum peditum, & sagittariorum copiosa multitudine transeuntes, Galeram, & universa Comitis Gerhardi Castella, usque ad Sutrium devastarunt. Post multa denique damna, & exspoliationes, Capitaneorum cervicositas valde contrita, redire ad mandatum, & subjectionem Domini sui Pontificis coacta est. Liberata itaque Urbe ab eorum tyrannide, & in suo statu Ecclesia restituta, Legati Mediolanenses venerunt ad eumdem Pontificem, suppliciter exorantes, ut Mediolanensis Ecclesiæ contritionibus dignaretur misereri, & compati. Hujus rei gratiâ venerabilem virum Petrum Damiani Ostiensem Episcopum Nicolaus Papa illuc destinavit, & vices suas in corrigendis, & statuendis ei concessit. Qui ubi ad memoratam Mediolanensem pervênit Ecclesiam, tamquam vir discretus, & prudens, sapientibus & insipientibus se communem exhibuit: & paulatim ad honestatis, & rectitudinis statum non tantùm ipsam Ecclesiam, sed totam Mediolanensem Provinciam per gratiam Dei reduxit. Post cujus reditum idem Beatus Papa generale Concilium celebravit, in quo cervicosos Lombardiæ Antistites Guidonem videlicet Mediolanensem, cum C. Taurinensi, G. Astensi, B. Albensi, G. Vercellensi (7), O. Novariensi, A. Brixiensi, & O. Laudensi Episcopis, fretus religiosorum auxilio sedere coëgit. Quibus districtè præcepit, ut Diaconos, & Sacerdotes concubinarios ab administratione Altaris penitus removerent, & manifestè Simoniacos ab honoribus suis deponerent. Alia quoque plurima de profectu Ecclesiarum, & religionis observantia in eodem Concilio, auctore Deo, statuta, & ordinata sunt. Eodem tempore Hugo Candidus, quem Leo Papa Cardinalem ordinaverat, vir quidem sedi-

NICOLAUS.
(1) A. & M. & diebus VIII.
(2) A. & M. quod *non legunt*.
(3) A. fecerunt.
(4) A. parvulo.
(5) M. ad domum propriam remeavit.
(6) A. & M. commotionem.
(7) M. *pro* Vercellensi *legit* Veronensi.

Digitized by Google

seditiosus & duplex, à Romanæ Ecclesiæ unitate recessit. De cujus reprehensibili vita, & morum perversitate tacendum potiùs duximus, quàm loquendum. Cùm autem Ecclesia Dei super Apostolatum Domni Pagæ Nicolai plurimum in religione, & omni sanctitate proficeret, repente infirmatus est, & post modicum in sancta confessione de carnis ergastulo exiens Creatori suo spiritum reddidit.

VITA ALEXANDRI II. PAPÆ.

De Alexandro Papa II. qui cœpit Anno Domini MLXII.

ALexander II., natione Lombardus, Ecclesiæ Lucanæ Pontifex, Anselmus nomine, sedit annis XI. mensibus VI. diebus XVI. Hic postquam venerabilis Papa Nicolaus beato fine quievit, à Clero, & Populo Romano concorditer fuit electus, & vocatus à Civitate Lucana, in Beati Petri Cathedra secundùm Ecclesiæ morem inthronizatus est. Cùm autem in Urbe Romana hæc agerentur, Lombardorum Episcopi, tamquam Simoniaci, & incontinentes, auctore Guiberto Parmensi, convenerunt in unum, & consimilium (1) Clericorum multitudine congregata communiter statuerunt, ut aliunde non deberent Papam recipere, nisi ex (2) Paradiso Italiæ, & talem personam, quæ infirmitatibus eorum compateretur, & condescenderet. Quo facto aliquos ex se ipsis ad Imperatricem ultra montes miserunt, qui ejus animum quibusdam verisimilibus figmentis allicerent, & sibi propitiam facerent. Venientes autem ad eam suggesserunt ei, quòd filius ejus ita in honore Patritiatus deberet succedere, sicut in Regia dignitate. Præterea impudenter asserebant, quòd Nicolaus Papa statuerat in decretis suis, quòd nullus deinceps haberetur Episcopus, nisi priùs eligeretur ex consensu Regis. Iis igitur, & aliis circumventionibus Imperatrix decepta, consensum præbuit eorum voluntati, & operi nefario. Quid plura? Postposito Dei timore Cadulum Parmensem in Antipapam sibi procaciter elegerunt, virum siquidem non minus vitiis, quàm opibus locupletem. Qui cùm cum prædictis nunciis favore Imperatricis intraret in Lombardiam, omnes concubinarii, & Simoniaci Sacerdotes inani gaudio, & vana lætitia exultabant. Quippe sola Beatrice Comitissa interdicente, ipsorum lætitia sicut fumus evanuit. Post modicum verò tempus idem Cadulus cum multa pecunia, & conductitiis militibus ex improviso Romæ apparuit, ubi non defuerunt homines se ipsos amantes, quos sibi pecunia favorabiles fecit. Inter quos Romanorum Capitanei, volentes Urbem deprimere, vires ei & auxilium præbuerunt. Cadulus autem eorum auxilio sperans aliquid facere posse, in prato Neronis castrametari præsumpsit, & in prima quidem congressione victor apparuit. Sed post paululum inclyto Duce Gotifredo adveniente adeò coarctatus est, atque constrictus, quòd absque læsione proprii corporis retrorsum abire nullatenus potuit, nisi humilibus precibus, & effusis magnis muneribus. Rediens igitur Parmam, sicut exspoliatus, & profugus, ab iniquo perversitatis suæ non destitit incœpto, sed collectâ iteratò pecuniâ, vix elapso unius anni spatio, ad Urbem occultè remeare nihilominus attemptavit; ibique Capitaneorum favore, & aliorum malignantium auxilio audaciam sumpsit, & pecuniam perfidis Romanorum militibus erogans, de nocte Leoninam Civitatem intravit, & Beati Petri Ecclesiam in opprobrium & confusionem suam occupare præsumpsit. Mane autem facto cùm in Urbe Roma rumores hujusmodi personarent, & Populus Romanus cum armis ad Ecclesiam Beati Petri conflueret, milites, qui cum Cadulo venerant, tantus timor, & tremor invasit, quòd eo penitus derelicto universi fugerent, & in cryptis, & abditis locis se occultarent. Tunc Cencius Præfecti filius, vir nequam & pessimus, eidem Cadulo astitit, & eum in Castello Sancti Angeli recipiens, juramentum sibi, & defensionem præstitit. In quo loco per duos annos à fidelibus Papæ Alexandri obsessus, & calamitatibus multis afflictus exinde egredi nullatenus potuit, donec se ab eodem Cencio CCC. libris argenti redemit. Sic itaque uno ronsino, & uno cliente contentus, inops, & æger inter Oratores occultè discedens ad montem Bardonis, & tamdem ad Burgum Berceti non sine multa confusione pervênit. Interea Principes Imperii generalem Curiam communiter celebrarunt, in qua constitutum est ab eis atque firmatum, ut Imperatrix de cętero Imperii administrationem relinquere, & tamquam monialis in claustro vitam honestam observare deberet, quoniam filius ejus Henricus Rex ad perfectam ætatem jam devenerat, & per seipsum Regni negotia exercere optimè poterat. Unde factum est, quòd eo in consilio Ottoni Coloniensi Archiepiscopo administratio Regni, & Regis custodia commissa fuit, qui prædictum Guibertum Parmensem, quem Imperatrix Cancellarium fecerat, sinè mora deposuit, & in loco ejus G. Vercellensem Episcopum ordinavit. Præterea, quia bonum sibi agere videbatur, si pro concordia Romanæ Ecclesiæ, & Imperii, studium & laborem assumeret, dispositis Teutonici Regni negotiis, Lombardiam intravit, & per Tusciam transiens ad Urbem Romanam festinanter accessit. Deinde Alexandro Papæ mansuetè & modestè ita est allocutus: Qua ratione, Frater Alexander, absque mandato & assensu (3) Domni mei Regis recepisti Papatum? A longis namque temporibus à Regibus & Principibus hoc absque dubio est obtentum. Et incipiens à Patritiis Romanorum, & Imperatoribus, nonnullos nominavit, per quorum mandatum, & assensum plurimi Romanorum Pontifices in Sedem Apostolicam habuerunt ingressum. Tunc Archidiaconus Hildebrandus cum Episcopis, & Cardinalibus eidem Coloniensi sic responderunt: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quòd in electione Romanorum Pontificum juxta Sanctorum Patrum Canonicas sanctiones Regibus nihil penitus est concessum, seu permissum. Et deductis in medium plurimis Sanctorum Patrum decretis, & præcipuè illo Nicolai capitulo, in quo CXIII. Episcopi subscripserunt, post multas, & varias utrinque altercationes, ita rationabiliter & sufficienter eidem Coloniensi satisfecit, quòd ex tunc rationabiliter resistendi occasionem non habuit. Quibus verbis expletis, Domnum Papam rogavit, ut pro hac causa dignaretur in partibus Lombardiæ Synodum celebrare, & ele-

ALEXANDER.

(1) M. consilium.

(2) A. & M. *in*.

(3) M. *&* assensu *non legit*.


Digitized by Google

electionis suæ factum omnimode (4) & rationabiliter demonstrare. Quod licèt inconsuetum, & à Romani dignitate Pontificis videretur penitus alienum, considerata tamem instantis temporis malitiâ, petitioni ejus assensum præbuit, & apud Mantuam Synodum convocavit. Statuto itaque termino exiens ab Urbe cum Episcopis & Cardinalibus ad præfixum locum prosperè, Domino auxiliante, pervênit. Ibi enim omnes Episcopi Lombardiæ cum suis Ecclesiarum Prælatis præter Cadulum Parmensem, quem idem Coloniensis adesse præceperat, & remordente conscientia se absentaverat, pariter convenerunt. Cùm in eadem Synodo cum Episcopis Alexander Pontifex resideret, causam electionis suæ ita discretè rationibus manifestis comprobavit, ita super omnibus, quæ sibi ab æmulis malitiosè subjecta fuerant, sufficienter excusavit, quòd Episcopos Lombardiæ, qui sibi fuerant adversati, benivolos reddit, & sibi subjectos. Sedato itaque per Dei gratiam Imperii, & Ecclesiæ scandalo, post solutionem Synodi & Domnus Alexander ad Romam, & cæteri ad propria hilares redierunt.

Eodem tempore Normanni, tamquam perfidi, & ingrati, fines Campaniæ invaserunt, & Capuam occupaverunt. Quamobrem Hildebrandus Archidiaconus eorum adversionem patienter sustinere non valens, auxilium potentissimi Ducis Gotifredi pro recuperatione Beati Petri patrimonii postulavit. Ad cujus itaque citationem egregius Dux immenso exercitu velociter congregato, cum illustri Comitissa Matilda properavit ad Urbem Romanam, & contra eosdem Normannos in manu valida non distulit proficisci. Sed Normanni metuentes ipsius adventum, Terram, quam invaserant, continuò reliquerunt. Sic itaque recuperata Civitate Capua, & Romanæ Ecclesiæ restituta, gloriosus Dux cum eadem Comitissa Matilda ad Curiam Domni Alexandri cum gaudio remeavit. Præterea jam dictus Hugo Candidus post multas calamitates, quas sub Cadulo Antipapa sustinuit, à Domno Alexandro veniam suppliciter postulavit, & condigna satisfactione præstita impetravit. Idem quoque Cadulus post paucos dies ex divino judicio pessimam mortem incurrit. Guibertus verò Cancellarius, defuncto Ravennate Archiepiscopo, per interventum Imperatricis electus est in ipsa Ecclesia, & postmodum ab Alexandro Papa, licèt invito, multorum tamen instantiâ, consecrationem obtinuit. Cui, priusquam consecrationis manus imponeret, prophetico repletus spiritu idem Pontifex sic fertur dixisse: Ego quidem jam delibor, & tempus resolutionis meæ (5) instat. Tu verò hujus sacrosanctæ Ecclesiæ acerbam senties ultionem. De cætero autem celebrata solemnitate Paschali venerabilis Pontifex X. Kal. Maji beato fine in pace quievit.

(4) A. & M. offendere.

(5) M. *ro meæ non habet.*



Digitized by Google

HIC INCIPIUNT VITÆ PONTIFICUM ROMANORUM USQUE AD HONORIUM II. AUCTORE PANDULPHO PISANO

Ex duobus Codicibus MSS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

Quibus ad calcem ex aliis eorumdem Pontificum Vitis à Cardinali Aragonio conscriptis varia tum ad illustrationem, cum ad pleniorem historiam sunt adjecta.

VITA GREGORII VII. PAPÆ

De Gregorio Papa VII. qui cœpit Anno Domini MLXXIII. regnante Henrico Imperatore hujus nominis Quarto.

A Gregorius, qui vocatur Ildebrandus natione Tuscus (1) de opido Roanco (2) ex patre Bonizo, sedit annis duodecim, mense uno, diebus (3) tribus, regnante Domino nostro Jesu Christo anno clementissimæ Incarnationis ejus MLXXIII. Indictione, & Luna XI. decimo Kalendas Maji; feriâ secundâ, die tertia sepulturæ Domni Alexandri bonæ memoriæ secundi Papæ; ne Sedes Apostolica diu lugeat proprio destituta pastore congregati in Basilica Beati Petri ad vincula nos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acoliti, Subdiaconi, Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, Clericis, Monachis, consentientibus pluribus turbis utriusque sexus, & diversi ordinis acclamantibus, eligimus nobis in Pastorem & Summum Pontificem virum religiosum geminæ scientiæ, prudentia pollentem, æquitatis, & justitiæ amatorem præstantissimum, in adversis fortem, in prosperis temperatum, & juxta Apostoli dictum bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem in gremio hujus matris Ecclesiæ à pueritia satis notabiliter educatum, & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, B Ildebrandum videlicet, & Archidiaconum, quem ammodo, & usque in sempiternum & esse, & dici Gregorium Papam, & Apostolicum volumus, & approbamus. (4)

Hic præclarus, & almificus Dei Pontifex tertio

GREGORIUS.

(1) *Card. Arag. in Codice Estensi.* Patria Suanensis Opido Ronato ex Patre Bonato. *In Codicibus verò Ambros. & Metropol.* Bonito.

(2) C. Roavaco.

(3) diebus quatuor *in omnibus*.

(4) *Hæc à Cardinali Aragonio in hunc modum narrantur.*

Defuncto Alexandro Papa, & in Lateranensi Ecclesia honorificè tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus adhuc esset in ejus obsequiis occupatus, repentè factus est in ipsa Ecclesia maximus Cleri, & Populi Romani concursus, clamantium, & dicentium: Hildebrandum Archidiaconum Beatus Petrus elegit. Quo audito idem Archidiaconus nimis expavit, & quasi extra se raptus cucurrit ad pulpitum, cupiens Populum ipsum frequenter sedare, & à sua intentione retrahere Sed prædictus Hugo Candidus Cardinalis, ubi omnium vota in cumdem Archidiaconum confluxisse indubitanter cognovit, citiùs præcucurrit, & Populum ipsum in hunc modum alloquitur, dicens: Ecce, carissimi fratres, scitis, & indubitanter cognoscitis, quòd à diebus Beati Leonis Papæ hic Archidiaconus tamquam vir prudens & probatus hanc Sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimum exaltavit, & Civitatem istam ab imminentibus periculis liberavit: unde quia idoniorem ad Ecclesiæ regimen, & Urbis defensionem invenire nequivimus, nos Episcopi, & Cardinales in nomine Domini unanimiter ipsum nobis & vobis in Pastorem & Episcopum animarum vestrarum eligimus. Et continuò universitate Populi, & Cleri acclamante, *Domnum Gregorium Papam Sanctus Petrus elegit*, in- C dutus rubea clamyde, sicut moris est, & Papali mythra insignitus, invitus, & mœrens in Beati Petri Cathedra fuit inthronizatus. Altera autem die apud semetipsum sollicitamente pertractans ad quam grave periculum devenisset, æstuare cœpit, & nimis dolere. Sed cùm aliam excusationem de relinquendo Papatu non invenisset, nuncios ad Regem Henricum celeriter destinavit, per quos & electionem de se factam ei aperuit, & ne assensum præberet, ipsum attentiùs exoravit. Quod si non faceret, certum sibi esset, quòd graviores & manifestos ipsius excessus impunitos nullatenus toleraret. Rex verò, ubi electionis veritatem cognovit, electioni ejus assensum præbuit; & statim Gregorium Vercellensem Episcopum Italici Regni Cancellarium ad Urbem transmisit, quatenus auctoritate Regia electionem ipsam confirmaret, & consecrationi

Digitized by Google

tertio anno sui Pontificatus in nocte Nativitatis Domini apud Sanctam Mariam Majorem ad Præsepe dum Missam celebraret, in confractione Dominici Corporis super Altare à quodam Cencio captus fuit, & perductus in domum prædicti Cencii, quæ domus posita erat in loco, qui vocatur Parrioni, sed quia dies erat celeberrimus, omnes Romani in unum convenerunt, ad prædictam domum capiendam perrexerunt, & Domnum Papam de tanta injuria liberaverunt. Liberatus itaque Domnus Papa ad Ecclesiam in qua captus fuit indutus solemnibus vestimentis, ut mos erat, & reversus Missam, quam incœperat, perfinivit, ad palatium denique coronatus, & cum omni laude Episcoporum, & Cardinalium, & procerum reversus, quidquid consuetudinis fuit, celebravit. Romani namque tantam injuriam susceptam ferre non valentes domum Cencii cum omnibus bonis devastaverunt, & in terram contra Domini voluntatem prostraverunt, & homines, & mulieres quamplurimos deformiter detruncaverunt. Ipse verò, qui prædictum malum scelus commiserat aufugit à manibus eorum, cuneam Theutonici Regis requisivit. (5)

Quid verò mali commiserit, quas facultates composuerit, quam discordiam inter Regnum, & Sacerdotium fecerit, & ad ultimum suo instinctu usque in finem perduxerit in sequentibus, prout meliùs potero, explicare curabo. Nunc pauco intervallo quid prædictus Pontifex interdum dum ipse ivit, stetit, & rediit operatus est pro posse dicere studebo. Secundo anno sui Pontificatus antequam istud factum fuisset, unde præfatus malivolus occasionem acceperat, in Concilio, quod Romæ ipse à VI. Kal. Martii usque in secundo Kalendas prædicti mensis celebravit, quinque de familia Theuthonicorum Regis, quorum consilio Ecclesiæ venduntur à liminibus Ecclesiæ superavit. Tertio verò anno idem Domnus Papa Romæ in Basilica Salvatoris Synodum celebravit, in qua Sigifredum Archiepiscpum Maguntinum, qui conatus est Episcopos, & Abbates Regni Theuthonicorum à Sancta Romana Ecclesia, videlicet spirituali matre sua scindere, judicio Sancti Spiritus, & Auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & ab omni Episcopali officio suspendit, & à communione Corporis, & Sanguinis Christi separavit, nisi fortè mortis periculum ei supervenisset; (6) ita tamen ut pœnitentiâ ductus resipisceret, cæteros verò, qui ejus schismati consentiendo subscriberent ab omni Episcopali officio suspendit. Item Henricum filium Henrici Imperatoris in eodem synodo in hunc modum excommunicavit. „ Beate Petre Apo-„ stolo-

tioni ejus interesse studeret. Quod sinè dilatione factum est: nam & infra Octavam Pentecostes in Presbyterum est ordinatus, & in Natali Apostolorum in Romanum Pontificem consecratus. Percepta igitur Apostolicæ dignitatis plenitudine eumdem Regem benignè, ac paternè commonuit, ut matri suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ se devotum, & subjectum filium exhiberet, atque ab Episcopatuum, & Ecclesiarum venditione omnino quiesceret. Ad quod pium opus efficaciter prosequendum transmittere studuit matrem ipsius Regis (M. ↄ Regis *non legit*.) B. Imperatricem unà cum G. Ostiensi, V. Penestrino, & R. Cumano Episcopis. Qui ejusdem Pontificis legatione suscepta usque in Bavariam transeuntes, ad Regis præsentiam pariter accesserunt. Receptis igitur affectuosè Legatis ipsis, & digno cum honore tractatis, cùm per dies plurimos Rex de sua emendatione sanctæ commonitionis verba mansuetè ac patienter audiret, quinque Nobiles Viros, familiares suos, ab Alexandro Papa excommunicatos vix à consortio & societate sua removit. Synodum verò in regione ipsa celebrare Legatis nequaquam permisit, allegans per Lemarum Bremensem Episcopum, vices Romani Pontificis Maguntino Archiepiscopo in Germania, sicut in antiquis Ecclesiæ suæ privilegiis continetur, esse concessas. Cui Legati Sedis Apostolicæ sic responderunt. De legationis officio, venerabilis frater, certum tibi esse debet, quòd neque auctoritas Canonica, neque mos Ecclesiasticus habet, ut ultra obitum ejus, qui dederat, Romani Pontificis protendatur. Præterea sicut in quodam primi Leonis Papæ capitulo continetur; Romanus Pontifex ita vices suas committit, ut in partem sollicitudinis sint vocati, non in plenitudine potestatis. Sed, ut breviter ad finem hujus controversiæ veniamus, Synodo hac sagacitate disturbata, & eodem Bremensi pro inobedientia, & rebellione ab officio Sacerdotali suspenso, Legati à Rege amplis muneribus honorati cum ejus gratia & benigno responso incolumes redierunt ad Urbem Romanam. Evolutis autem paucis diebus Hermannus Babenbergensis Episcopus, qui pro susceptione Pallii Romæ venerat, convictus de Simonia in conspectu Gregorii Papæ, Episcopalis, & Sacerdotalis officii depositionem incurrit, & in locum ejus per mandatum ejusdem Pontificis alius est subrogatus. De Constantiensi quoque Antistite idem factum est.

(5) *Cardinalis Aragonius hæc ita describit.* Interea nihil mali de Rege Henrico suspicans Gregorius Papa Romanus generale Concilium convocavit. In quo Guibertus Ravennas cum Episcoporum diversarum Provinciarum immensa multitudine sedit. Præterea & egregia Comitissa Matildis, & Azzo Marchio, (*nec in* A., *nec in* M. *legitur* Azzo Marchio) & Gisulfus Salernitanus Princeps eidem non defuere Concilio. Sed inter cætera ipsius Concilii Acta Normanni, & Robertus Guiscardus excommunicati fuerunt. Soluto itaque Concilio, & redeuntibus ad propria cæteris, qui fuerant convocati, Guibertus Ravennas cum Papa Gregorio in dolo, utpote qui ad Papatum jam anhelabat, remansit. Et quoniam uniuscujusque proprium solet esse, ut qualis ipse fuerit, tales sibi & alios conjungi velit, quoscumque in Roma facinorosos, & adversantes Pontifici reperit, muneribus, vel promissis favorabiles sibi, & juratos facere studuit; inter quos illum sceleratissimum Virum Cencium Præfecti Stephani filium, de quo supra fecimus mentionem, amicum, & secretarium acquisivit, & cum eo contra patrem suum nequiter se armavit. Hic inter alia, quæ impunè fecerat mala, excelsam Turrim supra pontem Sancti Petri construxerat, & à transeuntibus de novo pedaticum (A. *&* M. *pedagium*) jugiter extorquebat. Hic Deo, & hominibus odiosus in sacratissima nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Vicarium Domnum Gregorium Papam Missarum solemnia celebrantem ab Altari Sanctæ Dei Genitricis, quod dicitur ad Præsepe, ausu sacrilego rapuit, & cum suis complicibus ad prædictam Turrim violenter apportare præsumpsit. Unde universitas Romanorum in iram pro invasione sui Pontificis vehementer exarsit, & in eadem nocte ipsum in eadem Turri discretè obsedit. Manè autem facto Romani & Turrim funditus destruxerunt, & ipsum sacrilegum atrociter trucidassent, nisi eum boni Magistri discipulus Beatus Pontifex à mortis periculo liberasset. Quo facto celebraturus cum fratribus, & aliis Ecclesiæ Fidelibus, de more communi ad Lateranense Palatium remeavit. In secunda verò die post Pascha Populus Romanus eumdem Cencium cum omnibus suis complicibus in rebus propriis condemnavit, & in perpetuum ab Urbe Romana exclusit.

(6) Ç. superveniret.

Digitized by Google

„ stolorum princeps inclina quæsumus pias aures tuas nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi, & usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, quia me pro tua fidelitate oderunt, tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, & Beatus Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quòd Sancta Romana Ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, & ego non per rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, potiùsque volui vitam meam in peregrinatione finire, quàm locum tuum pro gloria mundi, & sæculari ingenio accipere, (7) & ideo ex tua gratia, non meis operibus credo, quòd tibi placuit, & placet, ut populus Christianus tibi spiritualiter commissus mihi obediat spiritualiter (8) pro vice tua (9) commissa, & mihi tuâ gratiâ est potestas à Deo data ligandi, & solvendi in Cœlo, & in terra. Hac itaque fiducia fretus pro Ecclesiæ tuæ honore, & defensione ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, per tuam potestatem, & auctoritatem, Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inauditâ superbiâ insurrexit totius Regni Theuthonicorum, & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos à vinculo juramenti, quod sibi fecerunt, vel facient absolvo, & ut nullus ei serviat sicut Regi interdico. Dignum est enim ut qui studet honorem Ecclesiæ tuæ minuere, ipse honorem amittat, quem videtur habere. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Deum redit, quem dimisit participando excommunicatis, meaque monita, quæ ei pro sua salute misi, te teste sprevit, sed (10) ab Ecclesia tua tentans eam scindere separavit, vinculo eum anathematis vice tua alligo, & sic eum & fiduciâ tuâ alligo, ut scienter sciant gentes, & comprobent, quia tu es Petrus, & super tuam petram filius Dei vivi ædificavit Ecclesiam suam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Post excommunicationem verò multùm rogatus à quibusdam fuit, ut pacem cum eo fecisset; Responsio illius talis erat. Cum eo nos pacem velle habere, si ipse cum Deo pacem studuerit habere, nam vestra fraternitas minimè ignorat quanto tempore Sancta Ecclesia inauditas pravitates, & diversas iniquitates Regis, & utinam Christiani, & veri sustinuit, & quantæ ruinæ, quantæ calamitati, ipso auctore, hoste antiquo præcedente, patuit, cùm nos fraterna dilectione, & amore patris, & matris ejus ducti ad ultimum in Diaconatu positi admonitionis verba transmisimus, & postquam ad officium Sacerdotii, licèt indigni, venimus, summopere, & frequenter eum per viros Religiosos revocare procuravimus. Illis autem, qui dicebant Regem non posse excommunicare, sic respondebat: Quando Deus Ecclesiam suam ter Beato Petro commisit, dicens, pasce oves meas, Reges excepit; ubi Deus Beato Petro principaliter dedit potestatem ligandi, & solvendi in cœlo, & in terra, nullum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit, nam qui se negat non posse Ecclesiæ vinculo alligari restat, impudenter negat, se à Christo Domino sequestrat. (11)

Nunc qualiter est reversus prædictus Rex post ex-

(7) C. arripere.
(8) C. specialiter.
(9) C. mihi commissa &c.
(10) C. seque.
(11) *Fusiùs hæc descripta habemus apud Card. Aragonium.*

Post hæc autem supradictus Guibertus licentiam revertendi Ravennam à Domno Gregorio dolosè petivit, quatenus eum lædere opportuniùs posset, quem fraudulenter se diligere ostendebat. Nam ubi Ravennam devenit, postposito juramento, quod in consecratione sua Alexandro Papæ, ejusque Successoribus fecerat, cum Theobaldo Mediolanensi, & aliis cervicosis Episcopis Lombardiæ conspiravit, atque adversùs Pastorem suum occultè seditionem excitavit unde factum est, quòd expeditio, quam Pontifex per Ducem Gotifredum, ejusque uxorem illustrem Comitissam Matildam, atque alios Nobiles contra Normannos, & cæteros Ecclesiæ hostes de Lombardia excitaverat, in detrimentum Ecclesiæ disturbata est, atque corrupta. Hugonem quoque Candidum, Regem Henricum, & Robertum Guiscardum contra eumdem Pontificem omnino studuit instigare, sicut vir apostaticus omni dolo, & malitia plenus, qui jam secundò ad apostasiam redire nequaquam erubuit.

Eodem tempore Domnus Gregorius circa mediam Quadragesimam Concilium celebravit, in quo sæpedictum Guibertum, quia vocatus venire contempsit, ab Episcopali officio tamquam perjurum suspendit, & eumdem Hugonem Candidum secundùm Apostoli dictum: *hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem devita*, perpetuò ab Ecclesia sequestravit. Et cùm ista in Italia fierent, Saxones contra Regem Henricum fortiter rebellarunt, ea videlicet occasione, quia eis onus importabile satagebat imponere. Unde accidit quòd Rex in manu valida, & multitudine gravi Saxoniam ex improviso intravit. Sed quoniam eos Imperator invasit, victoriam quamvis cruentissimam habuit; quippe, sicut à prudentibus dicebatur, quinque millia virorum ex parte Regis in eodem prœlio ceciderunt. Verumtamen, quia eosdem Saxones sibi non potuit subjugare, Rex tamquam victoriosus in Franciam remeavit, statimque immensa Episcoporum multitudine convocata non egit gratias Deo pro adepta victoria, sed elevatum est cor ejus, & super se nimis extollens, in tantam audaciam, vesaniamque prorupit, ut patrem suum Gregorium Papam, qui Sedem Apostolicam per triennium in pace tenuerat, impiorum consilio abdicare præsumpsit, & ab Ecclesia, quantum in eo fuit, expellere operam pro viribus dedit. Decrevit etiam, firmiterque constituit, ut nullus deinceps Episcopus, vel Abbas, seu Dux, aut alia principalis persona eidem Gregorio tamquam Papæ aliquatenus obedire deberet. Ut autem hanc perniciosam dispositionem posset efficaciter adimplere, quemdam Rolandum Parmensem detestabilem Clericum, & alios execrabiles viros cum literis suis Romam transmisit, quatenus causam ipsam vivaciter & intrepidè prosequerentur. Qui nefaria legatione suscepta processerunt usque ad Urbem, & venientes ad Pontificem tunc in Synodo residentem, in primis Regis literas præsentarunt, & consequenter per os ipsius Rolandi cum nimio fastu, & contumacia locuti sunt in hunc modum: Misit nos Dominus noster Henricus Rex de consilio Episcoporum suorum, & Principum, ut ea, quæ noviter de statu Ecclesiæ censuit, & irrevocabiliter statuit, vobis publicè demonstremus, & efficaciter prosequamur. Inde est, quòd præcipimus, & ex auctoritate Regis præcipiendo mandamus tibi Gregorio, ut de Apostolica Sede sinè mora discedas, & ammodo de Papatu, sicut vitam tuam diligis, te nullatenus intromittas. Vobis autem Episcopis, & Cardinalibus, eodem modo injungimus, ut recepturi Pontificem ad ejusdem Regis præsentiam festinetis. Quibus blasphemiis auditis contra eumdem conviciatorem tota Synodus ita vehementer exarsit, quòd nisi pia man-

Digitized by Google

excommunicationem ad Domni Papæ obedientiam, & quid fecerit dicamus. Ad opidum Canusii apud Longobardiam, in quo Domnus Papa erat, cum paucis Rex advenit, ibique per triduum ante portam Castri, deposito omni Regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus, & laneis indutus persistens; ubi priùs cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium, & consolationem, & auxilium implorare destitit, quare omnes, qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit ad tantam pietatem, & compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes omnes, quidam insolitam suæ mentis duritiam mirarentur, nonnulli verò Apostolicæ severitatis gratiâ, gravitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent. Denique instantiâ compunctionis ejus, & tanta omnium, qui ibi aderant, supplicatione devictus, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum matris recepit, scilicet Ecclesiæ, acceptis ab eo securitatibus, quæ inferiùs scriptæ sunt, quare etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis, & Matildæ Comitissæ, & Adelaræ, & aliorum Principum, Episcoporum, & laicorum, qui ei ad hoc utiles visi erant, recepit. *Hoc est jusjurandum Henrici Regis Theuthonicorum*: Ego Henricus Rex de murmuratione, & dissensione, quam nunc habent contra me Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Comites, cæterique Principes regni Theuthonicorum, & alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur intra terminum, quem Domnus Papa Gregorius constituerit, aut justitiam secundùm judicium ejus, aut concordiam secundùm consilium ejus faciam, nisi certum impedimentum mihi & (12) sibi obstiterit, quo transacto ad peragendum idem paratus ero. Item si Domnus Papa Gregorius ultra montes, seu ad alias partes terrarum ire voluerit securus erit ex mea parte, & eorum, quos constringere potero ab omni læsione vitæ, & membrorum ejus, seu captione, tam ipse, quàm qui in ejus conductu, vel comitatu fuerint, seu qui ab illo mittentur, vel ad eum de quibuscumque terrarum venerint partibus in eundo, & ibi morando, seu inde redeundo: neque aliquod aliud impedimentum habebit ex nostro (13) consensu, quod contra suum honorem sit. Et si quis ei fecerit cum bona fide secundùm posse meum adjuvabo. Actum Canusii V. Kal. Februarii Indictione XV. (14)

Dum

suetudo Beati Papæ Gregorii se objecisset, ipsum Fideles Ecclesiæ cum lapidibus trucidassent. Die verò altera literæ ab Episcopis ultramontanis Pontifici sunt delatæ, in quibus confitebantur se errasse, & nimiùm deliquisse. Postulabant quoque veniam, & omnem de cætero sibi obedientiam observare firmiter spoponderant. Vix itaque sedato tumultu Synodalis tractatus in tranquillitate processit; sed cùm tempus jam instaret absolvendi Synodum, Pontifex habito cum CX. Episcopis utiliori consilio, in eumdem Regem, qui Ecclesiæ unitatem scindere attemptavit, excommunicationis sententiam protulit, & usque ad condignam satisfactionem sententiam ipsam firmiter observari præcepit. Quòd neque reprehensibile, nec novum ab aliquo æstimari non debet, cùm à Sanctorum Patrum sanctionibus minimè discreparet, & à pluribus Romanis Pontificibus hoc ipsum etiam pro minoribus causis reperiatur factum.

(12) C. vel.

(13) C. meo.

(14) *Cardinalis Aragonius ista narrare prosequitur.*

Interea ubi de Regis banno ad aures vulgi personuit, totus Orbis Romanus nimio terrore perterritus non mediocriter vacillavit. Italici namque Antistites, & Episcopi Teotonici Regni super tanta dissensione in partes se diviserunt; & auctore Guiberto apud Papiam contumaces Episcopi Lombardiæ post Pascha convenerunt in unum, ibique imitantes Photium, & Dioscorum, Domnum Papam senioris Romæ ore sacrilego excommunicare instinctu diabolico præsumpserunt. Quod factum attendentes Principes Regni, non mediocriter dubitare cœperunt, an excommunicationem ipsam contemnere, an reverenter observare deberent, maximè cùm in eorum lege contineatur, *ut si quis infra annum, & diem ab excommunicationis vinculo non fuerit absolutus, omni careat dignitatis honore*. Unde ad eorum consultationem prudentes (A. *providentes*) Episcopi hujusmodi dederunt responsum: Quòd secundùm statuta, & exempla Sanctorum Patrum, Romanus Pontifex à nemine judicari, seu excommunicari ullatenus potest. Ideo Principes ipsi, quoniam secundùm malitiam instantis temporis melius nihil invenerunt, cum Radulfo, Guelfone, ac Theoderico Ducibus, & aliis majoribus Regni, juramento firmarunt, ut si Rex consilio eorum adquiescere vellet, operam suam efficaciter adhiberent, ut Gregorius Papa ultra montes veniret, & à vinculo excommunicationis eum absolveret. Quo facto Rex ore proprio juramentum præstitit, quòd in adventu ipsius Pontificis absque malo ingenio ejus staret mandato. Et consequenter Principes iterum juraverunt in hunc modum, ut si Rex quod juraverat observaret, ipsi cum eo in manu valida proficiscerentur ad Urbem Romanam, & accepta Imperialis coronæ dignitate à Domno Gregorio Papa, descenderent cum exercitu in Apuliam, & Calabriam contra Normannos, qui tunc adversabantur Apostolicæ Sedi, & Terram ipsam, expulsis Normannis, Beato Petro, & Ecclesiæ Romanæ restituerent. Quòd si Rex hoc facere denegaret, ex tunc ipsi Principes eum neque pro Rege, neque pro Domino habere deberent. Quibus rite completis, & juramento firmatis, Archiepiscopum Treverensem miserunt Romam, quatenus ea, quæ de sedanda discordia inter Ecclesiam, & Imperium (A. *Imperatorem constituant*) constituerant, Episcopis, & Cardinalibus innotescerent, & propter hoc Romanum Pontificem usque ad civitatem Augustam securè (A. τὸ securè *non leg.*) conduceret. Sed quàm fraudulenter Archiepiscopus ipse per velatam Regis astutiam captus fuerit apud Placentiam, & postmodum vix liberatus, propter Historiæ longitudinem prætermittimus scribere. Venerabilis itaque Papa Gregorius, audita legatione tantorum Principum, licèt tunc gravissima hyems instaret, ne tantum bonum, quod de pace sperabatur, per ipsius negligentiam remaneret, cum eodem Archiepiscopo ipsius itineris difficultatem assumpsit, & usque ad Vercellas processit. Eo autem nihil sinistrè suspicante de Regis promissione, repentè insonuit, quòd ipse Rex velocissimo cursu jam transierat Alpes, & in occursu Pontificis hostiliter festinabat. Quod facinus inopinatum postquam Episcopus Vercellensis cognovit, licèt Regis Cancellarius haberetur, Pontifici tamen rei veritatem fideliter nuntiavit. Quo audito, & in veritate comperto, Pontifex statim habenas vertit, & ad tutissimum Castrum Comitissæ Matildis Beati Petri devotissimæ filiæ, quod Canusium dicitur, non segniter festinavit, & se in tuto cum fratribus suis recepit. Rex verò perpetrati perjurii conscius, ubi reatum suum indubitanter publicatum cognovit, deposita feritate, tamquam vulpes callida simplicitatem columbinam induit, & usque ad ipsum Castrum, ut mereretur absolvi, Pontificem sequi non destitit. In quo loco super nivem & glaciem nudis pedibus per dies aliquot stetit, & absolutionis gratiam instantissimè postulavit. Post mul-

Digitized by Google

Dum verò in excommunicatione manebat divortium quoddam inter Henricum Regem, & Rodulphum de dignitate Regni ortum eſt, quod videlicet divortium multi à Domno Papa factum eſſe clamabant, ſed nullo modo ſe illos offendiſſe prædictus Pontifex profitebatur, immo utrique miſit ut viam ſibi præpararent, quatenus pro definiendo procedere poſſet ſecurè tanto negotio, quia mallet milleſies ſi poſſet mori, quàm ſua occaſione tot millia hominum morti traderentur. Quinto anno ſui Pontificatus celebravit Romæ Synodum; ubi interfuerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii diverſarum urbium Prælati ferè numero C. necnon & Abbatum, ac diverſorum ordinum Clericorum, & Laicorum innumerabilis multitudo, in qua Guibertum Ravennatem inaudita hæreſi, & ſuperbia adversùm hanc Sanctam Catholicam Eccleſiam ſe extollentem ab Epiſcopali, & Sacerdotali officio ſuſpendit, & olim jam factum anathema ſuper eum renovavit eo quòd vocatus ad Synodum venire contempſit; Rolandum verò Tarviſienſem, qui pro adipiſcendo Epiſcopatus honore ſubdolus factus Legatus, inter Regnum, & Sacerdotium ſchiſma facere non abhorruit, perpetuo anathemate alligavit, niſi reſipuerit, & dignè Deo ſatisfecerit. Hugonem Cardinalem Titulo Sancti Clementis tertiò ab Apoſtolica Sede damnatum eo quòd aſpirator, & ſocius factus hæreſis Cadoli Parmenſis Epiſcopi ſynodaliter (15) uſque ad ſatisfactionem anathemate percuſſit. Et quia lis, & perturbatio Regni in maximum Sanctæ Eccleſiæ periculum, & detrimentum quotidie redundare cernebat; placuit ei pro viribus elaborare, quatenus idonei tam pollentes ſcientiâ, quàm etiam Religione nuncii à Latere Apoſtolicæ Sedis ad partes illas mitterentur, qui omnes tam Religioſos, & juſtitiæ amatores in Theuthonici Regni partibus commorantes Clericalis, & Laicalis ordinis viros, & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus, Domini gratia præſidente, (16) aut finem, & pacem juſtè component, aut veritate præcognita cui parti juſtitia magis faveat ad plenum addiſcere valeant quatenus pars injuſta reſipiſcat, & Apoſtolica auctoritate munita, juſtitia vigoris & auctoritatis robur obtineat. Verùm quoniam nonnullos diabolico inſtinctu collectos tyrannidis ſuæ facibus accenſos, turpis lucri avaritiâ mancipatos, diſcordiam potiùs, quàm pacem fieri, & videre deſiderantes fore non ignoramus; ſtatuimus ut nulla unquam perſona alicujus potentiæ, ſive Rex, aut Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, Dux, Comes, Marchio, ſive Miles, aliqua præſumptione, temerariove auſu, fraude, dolove, ſeu aliqua perturbatione Legatis noſtris obſiſtere, & contraire, ne juſtitiam & finem component, pertemptent. Quicumque autem temerario auſu, quod non optamus, hujus noſtræ conſtitutionis violator extiterit, & Legatis noſtris ad hanc pacem componendam euntibus fraudem opponere temptaverit, vinculo eum anathematis alligamus, & non ſolùm in ſpiritu, verùm & in corpore, & in omni proſperitate hujus vitæ Apoſtolica Auctoritate innodamus, & victoriam ei in armis auferimus, ut ſic affatim confundatur, & dupplici confuſione, & contritione convertatur. Expleto itaque Concilio miſit Nuncios ſuos videlicet Bernardum Diaconum, & Bernardum Maſſilienſem Abbatem cum Udone Treverenſi Archiepiſcopo ad componendum pacem cum prædicto Rege Henrico, & Rodulpho, quem Theuthonici ſibi in Regem elegerant, præcepitque eis, ut ſtrictè diſcernerent quis ex duobus majorem haberet juſtitiam, & cuicumque juſtitia competeret, illi Regni gubernacula tribuerent, quia juſtior pars ampliùs de Deo confidere poteſt, & poteſtate Beati Petri omnimodo erit adjuta. (17)

Anno

multas itaque diſceptationes, & varia conſilia, poſt ſatisfactionis, & abſolutionis gratiam, idem Pontifex inter Miſſarum ſolemnia Regi hoſtiam Chriſti porrigens, dixit: *Si corde bono accedis, & quod ore profiteris, mihi obſervare diſponis, hoc Sacrum Corpus ſit tibi ſicut Apoſtolis ad ſalutem; alioquin indignè percipies illud, ſicut Judas, & judicium tibi abſque dubio manducabis.* Et ſtatim ad oſculum eum recepit, & poſt Miſſam cum ipſo paterna caritate comêdit. Præterea excommunicatos, qui cum Rege venerant, fecit abſolvi, & in pace omnes dimiſit.

(15) C. ſimiliter.

(16) C. præeunte.

(17) *Cardinalis Aragonius poſt ſuperiùs narrata hæc ſcribit.*

Decurſo itaque inſtantis anni circulo, quamquam in facie Pontifici Rex devotus & obediens videretur, corde & opere, ſicut rei effectus poſtmodum indicavit, contrarius ſibi, & ſemper in inſidiis efficaciter extitit. Nocturnis enim temporibus cum Guiberto, & Cencio Romano viro nequiſſimo, de quo mentionem fecimus ſuperiùs, & cum aliis Eccleſiæ inimicis familiariter loquebatur, & nefariis eorum conſiliis favorem præſtabat. Sed cùm videret Papam Gregorium à Caſtro Canuſii nullo modo poſſe divelli, Papiam moraturus perrexit, ubi eumdem Cencium peſſima morte defunctum invênit, cujus execrabile funus idem Guibertus cum cæteris excommunicatis pompaticè, ac lacrymabiliter celebrarunt.

Eodem tempore, cùm Rex Henricus in partibus Italiæ moraretur, Principes Regni apud Villam Phorehen. (A. & M. Porchen) in unum pariter convenerunt, & Rodulphum egregium Ducem ſibi in Regem unanimiter elegerunt, virum ſiquidem magni conſilii, & in armis frequenter expertum, ac nimis illuſtrem. Quod ubi Rex Henricus audivit, non mediocriter commotus eſt, & in iracundiam vehementer exarſit. Verumtamen ſicut vir callidus & ſagax Domnum Papam Gregorium per nuntios ſuos blandè & humiliter exoravit, quatenus eumdem Radulphum mox excommunicationi ſubjiceret. Pontifex autem conſilio habito reſpondit, ſe hoc libenter facturum, ſi Radulphus à ſe vocatus rationem ſui facti reddere nollet. Non enim juſtum aut rationabile videbatur, ut, priuſquam conveniretur, excommunicationis gladio puniri deberet. Hujus itaque reſponſionis occaſione adversùs Pontificem maximam indignationem concepit. Sed quia graviſſima ſibi negotia incumbebant, hoc prætermiſſo, in Franciam, & Bavariam contra Radulphum in manu valida feſtinavit. Contra Radulphus de juſtitia ſua confidens, ad conflictum certaminis animoſitate maxima properavit. Quid plura? Horribili bello acriter utrimque commiſſo, cæſa ſunt multa millia hominum hinc inde. Sed quis eorum prævaluerit, non habetur certum. Poſt hæc autem Domnus Gregorius regreſſus eſt cum honore ad Urbem Romam, & illico Synodum convocavit, in qua interfuerunt nuntii amborum Regum. Quibus Pontifex diſtrictè præcepit, ne ipſi Reges ante adventum Legatorum ſuorum pugnare præſumerent, ſed congruus locus ab Epiſcopis utriuſque partis inveniretur, in quo ante ipſos Legatos rationes ſuas quæque pars valeat demonſtrare. Quod verbum licèt nuntiis ipſis placuerit, impediente tamen humani generis inimico, diſturbatum fuit. Et iterum peccatis exigentibus inter eoſdem Reges horribiliter eſt pugnatum, ubi maxima virorum fortium multitudo cecidit. Quæ cauſa cùm devênit

Digitized by Google

Anno VI. Pontificatus ejus, mense Novembris, die XVII. Indictione II. Marzo (18) Gilerii (19) filius habitator in ducatu Spoletano pro redemptione animæ suæ, & parentum suorum dedit, & tradidit, atque obtulit Beato Petro Apostolorum Principi, & super Altare ejus omnia, quæ ei pertinebant de castro, quod vocatur Moritida, (20) posito intra Muricem, & Darignanum, (21) quod conquisitum habebat per concambiationem Aliraldo, & Hugone nepotibus Hugonis filii Ascarii in plebe de Lizano, (22) reservato usufructu diebus vitæ suæ, & Berituli filii sui, & filiorum Berituli, si masculi fuerint de legitimo conjugio procreati. Eodem verò anno celebrata est Synodus Romæ ab eodem Pontifice, in qua inter cætera excommunicatus est Constantinopolitanus Imperator; juraverunt in eadem Synodo, videlicet anno Pontificatus ejus sexto Legati Henrici, & Rodulphi, quisque pro Domino suo, quòd nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apostolicæ in Theuthonico Regno habendum impedirent. Multa & alia sunt ab eodem in ea constituta, quæ longum est enarrare. Renovavit etiam anathema factum super Guibertum Ravennatem, & civibus majoribus omnibus, atque minoribus nunciavit eum excommunicatum, & destructorem Ravennatis Ecclesiæ. Altero quidem anno, Pontificatus ejus septimo, mense Februarii, Indictione secunda celebrata est Synodus Romæ ad honorem Dei, & edificationem Sanctæ Ecclesiæ in Basilica Salvatoris in qua Archiepiscopi, omnes etiam Episcopi, Religiosæque personæ congregatæ sunt, ut Sanctam Synodum celebrarent. Omnibus igitur congregatis habitus est sermo de Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi hs. nonnullis illa priùs sentientibus. Maxima siquidem pars panem, & vinum per sacræ orationis verba, & Sacerdotis consecrationem Spiritu Sancto invisibiliter operante commixti substantialiter in Corpus Dominicum de Virgine natum, qui & in cruce pependit, & Sanguinem, qui de ejus Latere militis effusus est lanceâ asserebat, atque auctoritatibus Orthodoxorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam verò cœcitate nimia, & longa percussi, figura tantùm, se, & alios decipientes quibusdam cavillationibus conabantur astuere. Verùm ubi cępit res agi, priùs etiam, quàm tertia die ventum fuerit in Synodum, defecit contra veritatem niti pars altera. Nempe Sancti Spiritus ignis emolumenta palearum consumens, & fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans noctis caliginem vertit in lucem. Denique Beringarius hujus erroris magister post longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se coram Concilio frequenti confessus, veniamque postulans, & orans ex Apostolica clementia meruit, juravitque sicut in consequentibus continetur: Ego Beringarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in Altari per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram & propriam & vivificatricem Carnem, & Sanguinem Jesu Christi, & Domini nostri, & post consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in Cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris, & verum Sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantùm per signum, & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, sic credo, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia. Tunc Domnus Papa præcepit Beringario ex auctoritate Dei omnipotentis, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ut de Corpore, & Sanguine Domini nunquam ulteriùs cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, exceptò causâ reducendi ad hanc fidem eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant. His itaque piè & feliciter actis inter multas proclamationes conquesti sunt Legati Regis Radulphi super Henrico, quòd nulli loco, nullique personæ parcens regionem transalpinam contereret, & conculcaret, neminem debitus honor, vel reverentia, vel dignitas tueretur, ut vilia mancipia non modò Sacerdotes, sed etiam Episcopi, & Archiepiscopi caperentur, vinculisque manciparentur, partimque etiam trucidarentur. Decreverunt ergo quamplures Concilii in illius tyrannidem gladium Apostolicum debere evaginari, sed distulit Apostolica mansuetudo. Juraverunt igitur Legati Regis Henrici illud, quod in sequentibus scriptum reperitur, Legati Domini mei Regis ad vos venient intra terminum Ascensionis Domini, excepta majore in idem morte, vel gravi infirmitate, vel captione absque dolo, qui Legatos Romæ Ecclesiæ securè ducent, & reducent, & Domnus Rex obediens erit illis in omnibus secundùm justitiam, & judicium illorum, & hæc omnia observabit absque dolo, nisi quantùm ex jussione nostra remanserit; Et hæc juro ex præcepto Domni mei Regis Henrici, itidemque Radulphi (23) quod sequitur. *Si colloquium ex præcepto constitutum fuerit in partibus theuthonicis loco, & tempore à vobis definito ante vestram presentiam, vel legatorum vestrorum Domnus noster Rex Radulphus vel ipse veniet, vel Episcopos, & fideles suos mittet. Paratusque erit judicium, quod Sancta*

venit ad aures Summi Pontificis pro tanta occasione vehementer ingemuit; sed à pio, quod cœperat, opere nolens desistere, Synodum in proxima Quadragesima iterum convocavit, in qua utriusque partis nuntii venientes ore proprio juraverunt, quòd statutum ab Apostolica Sede colloquium per culpam ipsorum Regum nullatenus est disturbatum. Ideo deliberato consilio Pontifex ad partes illas venerabiles viros P. Albanensem, atque O. Paduanum Episcopos, & Aquilegiæ Patriarcham, pro sedando tantæ discordiæ malo transmittere studuit. Quibus in mandatis dedit, ut eosdem Reges à bellorum congressibus prohiberent, & convocata Synodo, Episcopos, & religiosos viros ad suam præsentiam juberent accedere. Qui accepto mandato transierunt ad Regem in Bavariam, & ei consilium & voluntatem patris sui Pontificis ostenderunt; sed apud ipsum efficere nullatenus potuerunt, quòd in Regno suo pateretur Synodum celebrare, nisi Rodulphum Regem absque citatione, non confessum, vel convictum, excommunicationis vinculo innodarent. Quod quia Legati facere non præsumpserunt, dolentes, quòd absque fructu eorum fatigatio remanebat, infecto negotio remearunt ad Urbem Romam. Iterum autem inter eosdem Reges acriter est pugnatum, & multa millia hominum, maximè Bohemorum cæsa sunt.

(18) C. Marro.
(19) C. Izillerii.
(20) C. Moricida.
(21) C. Clarignanum.
(22) C. Luzano.
(23) C. Rodulphi.

Sancta Romana Ecclesia decreverit de causa Regni subire, nulloque modo (24) *ingenio conventum à vobis, sive Legatis constitutum impediet. Et postquam inde certum nuncium videbit, de pace statuenda in Regno & confirmanda studebit, ut legatio vestra provenire ad pacem Regni, & concordiam possit. Hæc omnia observabuntur nisi quantum ex vestra licentia remanserit, vel ex impedimento legitimo scilicet morte, vel gravi infirmitate aut captione sine dolo.* Septimo quoque anno sui Pontificatus idem Pontifex Romæ celebravit Synodum, in qua interfuerunt Archiepiscopi, & Episcopi diversarum urbum, necnon & Abbatum, ac diversorum ordinum Clericorum, & Laicorum innumerabilis multitudo. In qua Apostolica constituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corrigenda (25) firmavit. Inter cætera namque in fine Synodalis absolutionis hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ posteris scribenda mandavit ita dicendo: *Patrum Sanctorum statuta sequentes, sicut in prioribus Conciliis, quæ Deo miserante celebravimus, de ordinatione ecclesiasticarum dignitatum statuimus, ita & nunc Apostolica auctoritate decernimus, & confirmamus, ut si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Episcopo, seu Abbati audientia concedatur; insuper ei gratiam, & introitum Ecclesiæ Sancti Petri interdicimus, quousque locum, quem sub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ, quod est scelus idolatriæ, cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quarumlibet sæcularium potestatum, aut personarum investituram Episcopatus, vel alicujus Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat. Item sententiam depositionis, & excommunicationis jam plerumque datam in Tedaldum Mediolanensem dictum Archiepiscopum, & Guibertum Ravennatem, & Rolandum Tervisinum* (26) *confirmamus, & corroboramus, & Petrum olim Redonensem Episcopum, nunc autem Narbonensis Ecclesiæ invasorem pari sententia damnamus. Item si quis Normannorum terras Sancti Petri, videlicet illam partem Firmanæ Marchiæ, quæ nondum pervasa est, & Ducatum Spoletanum, & Campaniam, necnon Maritimas, atque Sabinum, & Comitatum Tiburtinum, necnon Monasterium Sancti Benedicti montis Cassini, & terras sibi pertinentes, insuper etiam Beneventum invadere, aliàs* (27) *deprædari præsumpserit, gratiam Sancti Petri, & introitum Ecclesiæ ei usque ad satisfactionem interdicimus. Verumptamen si quis illorum adversùs habitatores harum terrarum aliquam justam causam habuerit, priùs à nobis, vel rectoribus nostris, seu ministris inibi constitutis justitiam requirat, quæ si ei denegata fuerit, concedimus, ut pro recuperatione suarum rerum de terra illa accipiat, non tamen ultra modum, neque more prædonum, sed ut decet Christianum, & eum, qui sua magis quærit recipere, quàm aliena diripere, & qui timet gratiam Dei amittere, & maledictionem Beati Petri incurrere.* Item excommunicatio Regis Henrici: *Beate Petre Princeps Apostolorum, & tu Beate Paule Doctor gentium dignemini, quæso, aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire, quia veritatis estis discipuli, & amatores, adjuvate ut veritatem vobis dicam, omni remota falsitate, quam omnino detestamini, ut fratres mei meliùs mihi acquiescant, & sciant, & intelligant, quia vestrâ fiduciâ post Deum, & Matrem ejus semper Virginem Mariam pravis & iniquis resisto, vestris autem fidelibus auxilium præsto; vos enim scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & invitus ultra montes cum Domino meo Papa Gregorio abii, sed magis cum Domno meo Papa Leone ad vestram Spiritualem Ecclesiam invitus redii, in qua utcumque vobis deservivi, deinde valde invitus cum multo dolore, & gemitu, ac planctu in throno vestro valdè indignus sum collocatus; hæc ideo dico, quia non ego vos, sed vos elegistis me, & gravissimum pondus super me posuistis. Et quia super montem excelsum me jussistis ascendere, & clamare, atque annunciare populo Dei scelera eorum, & filiis Ecclesiæ peccata eorum, membra diaboli contra me cœperunt insurgere, & usque ad sanguinem præsumpserunt in me manus suas injicere. Astiterunt enim Reges terræ, & Principes sæculares, & Ecclesiastici, etiam & vulgares convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs nos Christos ejus, dicentes: disrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum, & ut me omnino morte, vel exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere, inter quos specialiter Henricus, quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filius contra vestram calcaneum erexit Ecclesiam; facta cum multis Episcopis Ultramontanis, & Italicis conspiratione, amittens me, dejiciendo eam, sibi subjugare; cujus superbiæ vestra restitit auctoritas, eamque vestra destruxit potestas. Qui confusus est, & humiliatus ad me in Longobardiam veniens absolutionem ab excommunicatione quæsivit, quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suæ vitæ emendatione solam ei communionem reddidi, non tamen in Regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, instauravi, nec fidelitatem omnium, qui sibi juraverant, vel erant juraturi, in qua omnes absolvi in eadem Synodo, & ut sibi servaretur præcepi, & hæc ideo detinui inter eum & Episcopos, ut vel Principes ultramarinos,* (28) *qui ei causâ jussionis vestræ Ecclesiæ restiterant, justitiam facerem, vel pacem componerem, sicut ipse Henricus* (29) *juramento per duos Episcopos mihi promisit. Prædicti autem Episcopi, & Principes Ultramontani audientes illum non servare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi Rodulphum Ducem in Regem. Qui Rex Rodulphus festinanter ad me misso nuncio indicavit se coactum Regni gubernacula suscepisse, tamen se paratum mihi omnibus modis obedire. Et ut in hoc veriùs credatur semper ex eo tempore eumdem mihi misit sermonem, adjiciens etiam filio suo obside, & fidelis sui Ducis Bertaldi filio, qui promittebat firmare. Interea Henricus cœpit me precari, ut illum contra prædictum Rodulphum adjuvarem, cui respondi me libenter facere, audita utriusque partis ratione, ut scirem cui justitia magis faveret. Ille verò putans suis viribus eum posse Deum esse, meam contempsit responsionem; postquam autem persensit se non posse, sicut speravit agere, duo Episcopi, Virdinensis videlicet, & Obseburgensis de consentaneis suis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici me, ut ei justitiam facerem, rogaverunt, quod & Nuncii Rodulphi* (30) *laudave-*

(24) C. malo.
(25) C. corroboranda.
(26) C. Tarvisiensem.
(27) C. vel.
(28) C. ultramontanos.
(29) C. hæreticus.
(30) C. fieri.

Digitized by Google

daverunt. Tandem, aspirante Deo, ut credo, statui in eadem Synodo in partibus ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax statueretur, aut cui amplius justitia faveret, cognosceretur. Ego enim, sicut vos testes mihi estis, patres, & domini, usque hodie nullam partem statui adjuvare, nisi eam, cui plus justitia faveret. Et quia putabam quòd injustior pars colloquium nollet fieri, ubi justitia suum locum servaverit, excommunicavi, & anathemate alligavi omnes personas, sive Regis, sive Ducis, aut Episcopi, seu alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret ut fieret. Prædictus autem Henricus cum suis fautoribus non timens periculum inobedientiæ, quod est scelus Idolatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & seipsum anatemathis vinculo alligavit, magnamque multitudinem Christianorum tradidit morti, & Ecclesias fecit dissipari, & totum pene Theuthonicorum regnum desolationi dedit. Quapropter considerans, & confidens de judicio, & misericordia Dei, ejusque piissimæ Matris semper Virginis Mariæ fultus, vestra auctoritate, sæpe nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omnesque fautores ejus excommunicationi subjicio, & anathematis vinculis alligo; & item Regnum Theuthonicorum, & Italiæ, ex parte Omnipotentis Dei & vestra, interdicens ei omnem potestatem, & dignitatem illi Regiam tollo. Et ut nullus Christianus ei sicut Regi obediat interdico, omnesque qui ei juraverunt, vel jurabunt, de regni dominatione, & juramenti promissione absolvo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamque in vita sua victoriam obtineat. Ut autem Rodulphus regnum Theuthonicorum regat, & defendat, quem Theuthonici elegerunt sibi in Regem ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono & concedo, omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, vestramque benedictionem in hac vita, & in futura, vestra fretus fiducia, largior, sicut etiam Henricus pro sua superbia, inobedientia, ac falsitate à regni dignitate justè abjicitur, ita Rodulpho pro sua humilitate, obedientia, & veritate, potestas & dignitas regni conceditur. Agite nunc, quæso Patres, & Principes Sanctissimi, ut omnis mundus intelligat & cognoscat, quia si potestis in Cœlo ligare, & solvere potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium possessiones pro meritis tollere, unicuique etiam concedere. Vos enim Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus frequenter tulistis pravis & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia judicatis, quid de sæcularibus vos posse credendum est, & si angelos dominantes omnibus superbis Principibus judicabitis, quid de illorum servis facere potestis? Addiscant nunc Reges, & omnes sæculi Principes quanti vos estis, quid potestis, & timeant parvipendere jussionem Ecclesiæ vestræ, & in prædicto Henrico citò judicium vestrum exercete, ut omnes sciant, quòd non fortuito, sed vestra cadat potestate. Confundatur utinam ad pœnitentiam ut Spiritus sit salvus in die Domini. Actum Romæ non. Martii, Indictione tertia. (31)

In octavo siquidem anno sui Pontificatus, Episcopis per Principatus, Apuliam, & Calabriam constitutis inter cætera verba in quadam epistola malignitates prædicti Regis, & Guiberti Ravennatis denunciat; primitus namque malitiam Regis, quam super Dominum Papam Alexandrum per Cadolum Parmensem facere conatus est innotuit. Et quòd Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, superbiam eorum in foveam, quam aliis paraverant cadere pro suis sceleribus justè permiserit, nunciavit; Guibertum verò Ecclesiæ Romanæ perjurum, Ravennatis Ecclesiæ devastatorem, antichristum, & hæresiarcam pro suis nefandissimis sceleribus designavit; Omnibus verò Episcopis Ravennensis Ecclesiæ suffraganeis, & omnibus majoribus, & minoribus ejusdem civitatis, & per totam Marchiam, nec non per totum Ducatum eum sinè spe recuperationis damnatum, atque depositum notificavit. Quorum almificus Præsul consilio, & auxilio fretus, sicut Beatus Petrus, Beatum Apollinarem transmisit ad prædicandum, sic ipse, qui licèt indignus vicem ejus gerebat, Archiepiscopum, qui ibi ad animas hominum Deo lucriferendas, & hæresim prædicti Guiberti destruendam mittere curavit. Eodem verò anno Romæ in Basilica Salvatoris celebrata est ab eodem prædicto Pontifice Synodus, in qua, inter cætera Henricum, & omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverant, & iterum excommunicavit, anathematizavit. Item Ildimundum & Laudium Campanos, omnesque adjutores eorum. Præterea suspendit ab officio quosdam Episcopos, qui ad Concilium invitati neque ipsi, neque nuncii eorum pro ipsis venerunt. Pontificatus autem Domni Gregorii VII. Papæ anno XI. Anno ab Incarnatione Domini MLXXXIV. XII. Kal. Decembris præsidente eodem Apostolico celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica Synodus, in qua fuerunt Archiepiscopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani, nam plurimos perfidia Henrici tyranni iter retro vertere compulit, qui Hostiensem Episcopum de Legatione Apostolica redeuntem contra fas, & juramenti fidem, capi jussit, sive per-

(31) *Cardinalis Aragonius pluribus omissis quæ à Pandulpho narrantur, continenter supradictis hæc adjungit.*

Interea venerabilis Pontifex receptis nuntiis Roberti Guiscardi egregii Normannorum Ducis, versùs Apuliam post octavas Pentecostes iter arripuit, & cum ipso apud Aquinum colloquium habuit. Congrua itaque ab eo satisfactione suscepta, priùs à vinculo excommunicationis eum absolvit, & consequenter fidelitatem, & homagium ejus recepit. Postmodum verò jam assumptum in specialem Beati Petri militem, de totius Apuliæ, & Calabriæ Ducatu per vexillum Sedis Apostolicæ investivit.

Eodem quoque tempore Rex Henricus in magna superbia elevatus antedictum Lemensem, Bremensem, atque Pabenbergensem. (M. Baberburgensem. A. Salbenbergensem) Antistitem, cervicosos viros destinavit ad urbem Romam, per quos nimis protervè mandavit Papæ Gregorio, ac si potestatem super eum haberet, quatenus Rodulphum sibi adversantem excommunicare nullatenus protelaret; quod si non faceret, ipse Papa sibi acquireret qui Ecclesiasticâ censurâ sui hostis insolentiam coërceret. Venerabilis autem Papa, qui pro justitia sanguinem proprium fundere paratus erat, non ad procacitatem verborum superbi Regis, sed ad mandata Judicis æterni respiciens, sæpe fatum Rodulphum rationem justam prætendentem anathematizare, sicut non debuit, minimè voluit. Sed eumdem Regem frequenter commonitum, & à suis excessibus non resipiscentem, quoniam Legatos Sedis Apostolicæ Concilium in terra dominationis suæ nequaquam celebrare permisit, tamquam inobedientem, & rebellem iteratò excommunicationi subjecit.

Digitized by Google

permisit. Tres autem Synodos quadragesimales ejusdem Henrici persecutio præpedivit. Qui semel Beatum Paulum, bis Beatum Petrum aggressus, demum post multum fusum sanguinem non tam suorum fortitudine, quàm negligentia Civium porticus muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior Civitatis, biennii bello fatigatum acri inedia laborabat, cùm nec ipsis ad vicina oppida, vel castra liceret exire, nec jurati Hæretici vellent ad Urbem negotiatum venire; multi quoque fame abacti Urbem reliquerant, proinde cæteri bello remissiùs attenti rem ex animo minùs gerebant, & à custodiis, pro ut cuique libebat, sine timore negligentiùs aberant. Hæc super Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit perstrinxisse sufficiat. (32)

Sed unum est, quod cum silentio transire non

(32) *Clariùs rem totam describit Cardinalis Aragonius sic historiam suam prosequens.*

Quibus ita peractis, Legati cum indignatione ad Regis præsentiam redierunt, ipsius animum ad deteriora, sicut viri Deo odibiles, instantiùs commoventes. Rex verò, ubi se cognovit per sententiam Romani Pontificis à consortio Fidelium segregatum, tristis effectus est; sed cùm à diversis diversa darentur consilia sibi, in anxietatis dubio positus, quid potiùs eligeret, ignorabat. Tamdem perversorum Antistitum, & impiorum Principum sententia prævalente, apud Brixiam generalem Curiam disposuit celebrare. Convenerunt itaque in loco ipso plurimi seditiosi & infames Episcopi cum multitudine Clericorum, & Principum, quatenus in jacturam Domni Gregorii Papæ possent aliquid ordinare, vel statuere, ut inter Romam, & Imperium discordia futuris temporibus fulciretur. Communicato itaque execrabili & detestando consilio, de consensu ipsius Regis elegerunt in Romanum Pontificem, immo Antipapam, Guibertum Ravennatem, virum manifestè perjurum, atque omni malitia, & dolositate plenum. Et quoniam plerumque contingit, ut peccatum sit pœna peccati, de superbiæ radice processit ad perjurium, de perjurio ad inobedientiam, de inobedientia ad excommunicationem cecidit, & de excommunicatione pervēnit ad idololatriam. Hunc talem, sicut diximus, Rex Henricus adoravit pronus in terram; qui etiam, suadente Dionysio Placentino Episcopo, jurasse asseritur, ut ab eo Imperii coronam acciperet. Quid plura? Ita peccatis exigentibus, omnes, qui præsentes aderant, mente excœcati sunt, non ut respicerent cœlum, sed ad ejus vestigia osculanda (heu proh dolor) se pariter incurvarunt. Et his ita peractis Rex in apertam hæresim lapsus, ad propria in octavis Apostolorum regressus est. Guibertus verò Hæresiarcha, insignitus Papalibus insigniis, cum complicibus suis pomposè intravit Italiam.

Eodem tempore idem Rex in maximo potentatu & manu robusta commissurus prœlium cum Rege Rodulpho contumaciter intravit Saxoniam. Cui ex adverso Rodulphus potenter occurrit, & atrocissimo hinc inde facto congressu Henricus contumeliosè terga vertit, atque in longum acerrimè ab hostibus persecutus, jam de vita diffidens, in quodam se Castro recepit, ubi per septem dierum spatium latitavit. Rodulphus autem, sicut vir fortissimus, & animosus, & in armorum exercitatione probatus, nequaquam fugit, sed victor, & triumphator occubuit, quia eum sui non cognoscentes exitialiter vulneraverant. Cùm autem diutiùs requireretur à sociis suis, tamdem super stragem, & cadavera inimicorum, non sinè planctu maximo repertus est. Cujus mors postquam Henrico latitanti, & de fuga cogitanti nuntiata fuit, mox in altum cornu suum erexit, & adversùs Gregorium Papam contumelias & terrores procaciter loqui cœpit, credens detestabilia facta sua in morte Rodulphi Domino placuisse. Post ubi verò hæc gesta sunt, evolutis paucis diebus Henricus filius ejus cum exercitu illustris Comitissæ Matildis pugnavit: & quia, sicut fieri solet, varius est eventus belli, victoriam habuit. His igitur successibus provocatus, de repente intravit Italiam, & post Pascha cum idolo, quod rexerat, Romam veniens, circa Pentecostem castrametatus est in prato Neronis. Sed quis tantorum prudentum virorum admirari non poterat Regis, & Guiberti Hæresiarchæ apertam insaniam, & impudentem stultitiam? Quamvis mentis oculos jam perdiderant, visus tamen corporis non amiserant: an non videbant illam bestiam, quæ ab eis ducebatur, quàm honorificè à Romanis suscipiebatur, & venerabatur? Quippe pro laudibus ei exhibebant convitia, pro canticis ululatus, pro cereis lanceas, pro cœtibus Clericorum armatos. Ut autem in paucis plurima perstringamus, post agrorum vastationem, & multas cædes suorum Civium, post varias clades, atque miserias, quas perpessi sunt Romani, quia Pseudo-prophetam recipere contempserunt, Rex concepta spe ac desiderio suo fraudatus, & in sua erubescentia confusus in Lombardiam cum suo idolo remeavit; & Domnus Gregorius Papa in Apostolica Sede remansit intrepidus.

Anno quoque secundo per Spoletanum Ducatum ad Urbem iterum rediit, & per totum Quadrageâmale tempus ipsam Romam cum multa hostilitate obsedit. Adveniente verò tempore Paschali, ut æstivum cauma vitaret, dispersit per circumscriptas civitates exercitum, & ipse in Lombardiam cum paucis reverti studuit. Guibertum verò apud Tiburtium (M. Tiburtinum) dimisit, & exercitui suo præfecit. Qui postposito Sacerdotio per incumbentem æstatem agros & segetes Romanorum vastavit, & alia mala, tamquam vir sanguinum, eisdem Romanis hostiliter intulit. In tertio quoque anno idem Rex ad obsidendam Romam reversus est. Sed quia seipsum excommunicatum à Cluniacensi Abbate, atque aliis religiosis Deum timentibus, pro certo haberi cognovit, ut eorum simplicitatem meliùs circumvenire posset, ad callida se argumenta convertit. Post captionem itaque Ostiensis Episcopi, & aliorum multorum, quos præcepit absolutos dimitti, universis Romam visitare volentibus firmam securitatem dedit, quam juramento publicè confirmavit. Et ut popularem favorem omnino consequeretur & gratiam, in publico dixit, quòd à Domno Gregorio Papa Imperialis coronæ dignitatem vellet accipere. Quod postquam Populus Romanus cum religiosis viris audivit, non mediocriter lætati sunt omnes, & ad vestigia ejusdem Pontificis lacrymabiliter accedentes, ipsum cum magna instantia exoraverunt, ut patriæ jam ferè perditæ misereretur, & paternâ clementiâ condoleret. Pontifex autem, qui pro justitia, & Ecclesiastica libertate tuenda, si rationabilis causa exigeret, mortem subire paratissimus existebat, constanter in hunc modum respondit: Ego versutias, & calliditates Regis frequenter expertus sum; sed si vult in iis, in quibus manifestè peccavit, Deo, & Ecclesiæ satisfacere, ipsum libenter absolvam, & Imperialem sibi coronam cum benedictione imponam: alioquin nec debeo, nec possum vos in hac parte ullatenus exaudire. Quod verbum cùm Rex, remordente conscientia, penitùs denegaret facere, & Populus Pontifici per plures dies vehementer instaret, ut absque satisfactione Regem susciperet, & Pontifex ad eorum cœcas preces omnino permaneret immobilis: Rex paulatim cœpit popularem favorem pecuniâ, & terrore sibi acquirere. Quod ut Pontifex manifestè cognovit, de constantia Populi prorsus diffidens, in Castro Crescentii se cum suis recepit. Rex itaque, quando Populum Romanum ad voluntatem suam indubitanter attraxerat, Guibertum in Sede Apostolica violenter intrusit. Sed cùm de

Digitized by Google

non oportet: Tres itaque vices Romani venerant, ut dictum est, in ultima namque secum Guibertum Ravennatem jam multocies damnatum, & depositum deduxit invasorem, & super Domnum Papam Gregorium præposuit; sed quid diabolus, & antichristus, Romæ, & in omnibus ejus finibus est operatus longum est enarrare; in castro namque Sancti Angeli Domnus Papa se cum paucis reclusit. Romani verò malam, quam habuerant à principio, consuetudinem perficere ut priùs cœperunt, castrum undique muris obseraverunt ita quòd nulli fas erat introëundi, vel exeundi. Rex Capitolium ascendit, domos omnes Corsorum subvertit, Romam ut propriam domum habere cœpit; dehinc Septisolia, in quibus Rusticus nepos prædicti Pontificis confidebat, obsidere cum multis machinationibus obtentavit, de quibus quàm plurimas columnas subvertit, cui nuncius venit, si non de obsidione exurgeret, à Roberto Guiscardi Duce Apuliæ expulsus esset, & de ejus manibus nemo esset, qui eum liberare posset, quoniam prædictus Dux fidelis, & filius Beati Petri erat, & præfati Pontificis, & dignum erat ut filius patrem de tanta captione eriperet. Rex verò accepto cum suis consilio Romanis omnibus sic allocutus est: Patres, & filii vobis coronam Imperii, & Regni gubernacula manibus vestris, & potestatem committo, animamque meam in vestra cura trado, quoniam mihi operæ pretium est Longobardiæ vertere iter; promitto vobis quòd si unquam rediero, totum me ipsum, & omnia, quæ habere potero modis omnibus tradam. Sed pius, & clemens Dominus, qui omnium cogitationes novit, diu per eum non est passus Ecclesiam suam vexari, ad hanc Civitatem ultra non est reversus; dimissa obsidione Robertus Guiscardus appropinquans his diebus ad deliberandum Domnum Papam penitùs non intravit, sed tamdiu stetit, donec intravit, aditum namque per portam Flamineam habuit. Romani audito eum intrasse bellum erexerunt, sed nihil ei facere potuerunt, immo ipse cum suis totam regionem illam, in qua Ecclesia Sancti Silvestri, & Sancti Laurentii in Lucina sitæ sunt, penitùs destruxit, & ferè ad nihilum redegit, dehinc ivit ad Castrum Sancti Angeli, Domnum Papam de eo abstraxit, secumque Lateranum deduxit, omnesque Romanos deprædari cœpit, & expoliare, atque, quod injuriosum est nunciare, mulieres dehonestare, regiones illas circa Lateranum, & Collisæum positas igne comburere. Eodem anno per totum Orbem magna fames fuit, ita quòd exinde multi homines mortui sunt. Et Sol eclypsim passus est, castrum Sancti Angeli captum est, terra mota est. Dux verò Apuliæ secum Domnum Papam deducens, apud Salernum dimisit, ibique amabilis Deo Catholicus, & prudentissimus vir contra Hæreticorum arma & defensor Ecclesiæ, liberator pauperum, captivorum consolator, Orphanorum miserator vitam finivit, atque Deo per Beatorum Petri, & Pauli manus animam reddidit VIII. Kal. Junii. (33)

de Romana Ecclesia nullum Episcopum, vel Cardinalem posset habere, à Bononiensi, & Mutinensi, atque Cerviensi Pseudo-Episcopis fecit eum secundùm consuetudinem Romanorum Pontificum execrabiliter benedici, & in festo Paschali ab eodem Guiberto Imperii coronam impudenter assumpsit.

(33) *Post superiùs relata Card. Aragonius hanc Gregorii VII. Vitam ita concludit.*

Post modicum verò ad obsidionem Castri Crescentii universos Romanos conduxit. Pontifex autem, sicut vir cautus, & providus, jamdiu Robertum Guiscardi egregium Normannorum Ducem solicitare studuerat, ut in manu valida contra illatam sibi violentiam ei potenter succurreret: quem ad ipsius deliberationem cum maximo exerçitu celeriter venientem audivit. Quod ubi Rex Henricus in veritate cognovit, vehementer expavit, & illico ad Ecclesiam Sancti Petri rediens, domo Capitolina, & Leoniana. (M. Leonina) civitate destructa, vale faciens Romanis, cum eodem Guiberto, non sinè multo rubore aufúgit. In sequenti verò die, antequam Senam Rex pervenisset, memoratus Robertus Dux, tamquam leo fortissimus, Romam violenter intravit, quam non per triennium, sicut Rex Henricus sed una & eadem nocte cepit, atque Beatissimum Patrem & Dominum suum Papam, suffragantibus sibi Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli meritis, ab obsidione, qua tenebatur, potentissimè liberavit. Sic itaque ipsam venalem civitatem velociter expugnatam, sicut gloriosus triumphator, per plurimos dies possedit, vendens plurimos ex ipsis perfidis Civibus, qui Dominum & Pastorem suum prodiderant. Quosdam verò mutilavit, & quosdam secum usque Calabriam captivos duxit. Sed in ingressu ipsius civitatis regionem Lateranensem usque ad Colosseum ferro & flamma combussit. His igitur ita peractis, Dux ad propria rediit, & Patrem suum Gregorium Pontificem in Lateranensi Palatio sedentem cum fratribus suis Cardinalibus, & Episcopis in pace dimisit, pertractantem Ecclesiæ negotia pro sui officii debito de diversis mundi partibus emergentia. Hic liberavit ab illicita occupatione sexaginta Mansionariorum Beati Petri Ecclesiam, qui in universa. (B. diversa) Oratoria, seu ministeria ipsius Ecclesiæ, præter majus Altare, quadam violentia detinebantur, & cunctas Oratorum advenientium oblationes in usus proprios redigebant. Erant enim Cives Romani uxorati, seu concubinarii, barba rasi, & mythrati, mentientes Oratoribus, & præcipuè multitudini rusticanæ Lombardorum, asserentes se Cardinales Presbyteros esse, quorum utique oblationibus receptis Indulgentiam eis, & remissionem peccatorum ausu nefario impudenter præstabant. Ii occasione custodiendæ Ecclesiæ consurgentes intempestæ noctis silentio, infra & circa eamdem Ecclesiam multa impunè homicidia, rapinas, varia stupra, & diversa latrocinia exercebant. Quos, sicut diximus, Beatus Pontifex ab eadem Ecclesia non sinè multa difficultate removit, & custodiæ curam honestis Sacerdotibus, & Clericis commisit, & tradidit. Hic ter quaterque verè Beatus Pontifex, post diutinam in Urbe moram, descendit in Apuliam, & occurrente sibi jam dicto Duce Roberto Guiscardi, Salerni famosam civitatem gloriosè intravit: ibique, dum salutis monita concurrenti Populo daret, repentè in lectum ægritudinis decidens in beata confessione post modicum diem feliciter clausit extremum, ad cujus itaque corpus, in Beati Matthæi Basilica honorificè tumulatum, mirabilis Deus multa miracula operari dignatus est.

LECTO-

LECTORI MONITUM.

SEquentem quoque vitam Gregorii VII. non secus ac illam Leonis IX. superiùs datam omittere religioni duximus, utpote ab auctore illius temporis concinnatam, & documentis refertam, quæ ad pleniùs illustrandam prædicti Pontificis vitam conducunt. Eam autem ex MABILLONIO desumpsimus Sæculo VI. Benedictino parte II. cum prævijs ejusdem commentariis ac notis. Ne autem oneri essemus triplici unius vitæ lectione, satiùs duximus antecedenti à PANDULPHO scriptæ subjicere dissectam alteram CARD. ARAGONII, integro tamen illius textu servato. Quod te monitum volumus.

VITA S. GREGORII PAPÆ SEPTIMI. AUCTORE PAULO BERNRIEDENSI SUBÆQUALI. EX GRETSERO, &c.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. *MAgnis controversiis occasionem præbuit ingens illa Sacerdotium inter & Imperium discordia, quæ sub Gregorio Septimo Papa, & Henrico Quarto Imperatore exarsit. De his alii aliter scripsere auctores historiarum tum veteres, cum recentiores, prout scilicet partibus addicti fuerunt. Nec animus est ejusmodi quæstiones refricare, quæ nihil ad nostrum institutum pertinent, & ex aliis auctoribus facilè haberi possunt. Satis erit nobis vitam hujus Pontificis proferre, quam à Paulo Bernriedensi æquali auctore, paulò post ipsius Gregorii mortem literis mandatam ex Gretsero, & Bollando mutuati sumus. Addemus in notulis aliorum auctorum loca, si quæ occurrant, apta ad illustrandas potissimum res Monasticas, & ad calcem hujus vitæ aliquot Domnizonis* (*) *coævi auctoris versus, quibus ejusdem Pontificis gesta multùm commendantur. Porrò Paulus vitæ hujus auctor fuit primùm Ratisponensis Ecclesiæ Canonicus, qui cùm ex ea urbe ab Henrico Quarto, quòd ejus partibus non faveret, fuisset ejectus, in Cœnobium Bernried. recens constructum se se recepit, ubi suscepto Canonicorum Regularium instituto, aliquot annis degit. Inde Romam profectus Pontificibus familiaris fuit. Præter Gregorii vitam alia item opuscula conscripsit, è quibus ipsemet Beatæ Herluca vitam infra laudat, quam ab eodem Gretsero editam Bollandiani die 18. Aprilis ediderunt.*

II. *Recentiores nonnulli Gregorium ex prænobili Aldobrandinorum familia ortum fuisse scribunt, ad quod probandum vix aliud quidquam proferre valent, præter nominum similitudinem: Hildebrandus quippe vocabatur, priusquam eveheretur ad Pontificatum, ut omnibus notum est. Sed quàm sit frivola ejusmodi ratio, nemo non videt. Baronius è contrario Gregorium humili loco, patre scilicet fabro lignario, natum fuisse ait, quod Gregorio probro verti non posse, Jesu Christi Domini nostri exemplo evincit, qui cùm Verbum Patris, & verus Dei Filius esset, ex paupere Virgine nasci, & fabrum Patrem, ut putabatur, habere non est dedignatus. Papebrochius verò licèt primam opinionem rejiciat, alteri tamen non assentitur in præmissis ad Vitam Gregorii VII. die 25. Maji Bollandiani, ubi Gregorium è nobili familia prodiisse probari posse exinde censet, quòd in Actis Pontificum manuscriptis, quæ penes se asservari dicit, legatur Gregorii* nepotem *fuisse* Rusticum Præfectum septem-foliis, *seu* domui, *quam instar arcis munitam frustra machinis bellicis expugnare conatus fuit Henricus Imperator; quod quidem officium, inquit ille, plebejo homini commissum minimè fuisset. Eandem sententiam suam confirmat Pauli ipsius auctoritate, qui in Gregorii vita, observat eundem Pontificem habuisse avunculum Abbatem Monasterii Sanctæ Mariæ in Aventino. Verùm cùm in antiquis monumentis nihil certi ad dirimendas ejusmodi controversias, auctoribus minimè sibi consentientibus, inveniatur, frustra iis fusiùs agitandis vacare non licet. Eundem in Tuscia natum disertè asserit Paulus, quod alii Senis, alii apud Soanam contigisse volunt. His adversatur Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, ubi Gregorium* Romæ natum ex parentibus Civibus Romanis, *disertis verbis affirmavit.*

III. *Aliquot futuræ ejus Sanctitatis præsagia profert Paulus: at silet, quod ei adhuc infantulo contigisse ajunt in fabri, quem quidam volunt, ut mox dicebamus, ipsius patrem fuisse, officina; ubi ex segmentis rejectaneis cùm adhuc nesciret literas, tamen ludendo eas ita composuisse memoratur, ut Davidicum illud exprimeret oraculum:* dominabitur à mari usque ad mare. *Aliud ejus futuræ potentiæ priori adjicit præsagium Theodoricus Engelhusius Canonicus Hildesheimensis in vitis Imperatorum ex domo Brunsuvicensi oriundorum, ubi in vita Henrici III. Imperatoris cognomento Nigri, narrat Hildebrandum, qui tunc Henrici filii ejus pædagogus erat, visum fuisse in somnis ipsi Imperatori cum suo ipsius filio ad mensam*

(*) Cùm nos in sequentibus Tomis totum Domnizonis Opus daturi simus, ideo versus à Mabillonio relatos hic consultò omittimus.

Digitized by Google

mensam assidere, cornua habentem ad Cœlum usque sublimia, quibus eumdem Henricum filium in lutum dejiciebat, quam visionem cùm Augusta de Henrico filio per Hildebrandum ex Imperiali Sede exturbando interpretata fuisset, Imperator eumdem Hildebrandum in vincula conjecisse fame enecandum narratur, quem postea tamen, uxoris intercessione, liberum abire permisit, ne temerè somniis fidem adhibendo, innocuum perire juberet. Sed hæc incerta sunt, sicut & alia multa à recentioribus conficta, quæ proinde omittere visum est.

IV. *Certum est omnino Gregorium ab ipsa pueritia monasticæ professioni nomen dedisse, quam reliquo vitæ tempore & dilexit, & ejus exercitiis, quantum patiebatur rerum gerendarum necessitas, incubuit. Eum à puero Monachum fuisse disertis verbis tradit Ordericus Vitalis, auctor illorum temporum accuratissimus, libro 4. historiæ Ecclesiasticæ. Idem repetit libro 7. ubi fusè ejus historiam prosequitur. Eumdem* professione Monachum *appellat Chronographus noster Saxonicus MS.* Adolescentiam, *inquit Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi,* assumto sanctitatis proposito, inter mundi contemtores, non sine magnis perfectionis indiciis perdomuit. *His accedit Domnizo in vita Mathildis, cujus aliquot fragmenta inferiùs proferemus, ubi Gregorii mortem Monachos præ cæteris, quòd ipse Monachus fuisset, deflevisse observat. Et quidem Petrus Damiani in Opusculo 32. quod adhuc Monachus ipsi Hildebrando nuncupavit, eum semper* fratrem *suum appellat, tum in præfatione, tum in totius operis decursu. Omittimus Theodoricum supra num. 3. laudatum, Trithemium, & alios ejusmodi auctores; locum verò, in quo monasticam professionem vovit, indicasse videtur ipse Paulus num. 9. ubi scribit, Hildebrandum à pueritia avunculo suo Abbati Sanctæ Mariæ in Monte Aventino commendatum fuisse, ad literas simul & morum disciplinam addiscendes, quod brevi ab eo factum fuisse commemorat.*

V. *Eumdem in percelebri Monasterio Cluniacensi monasticam vitam egisse sentiunt plerique scriptores, potissimùm recentiores, qui eum testantur ibidem Prioris officio fuisse donatum. Id disertè tradit Otto Frisingensis Episcopus scriptor haud ignobilis, qui refert Leonem IX. ab Imperatore Pontificem designatum in Italiam properantem Cluniacum divertisse, ubi tunc Hildebrandus Prior erat, cujus consilio eumdem abdicatis Pontificalibus insignibus sub peregrini habitu Romam perrexisse ait, comitante eum eodem Hildebrando, qui Romanos ad eligendum ipsum jam ab Imperatore electum induceret. Certè Gregorium erga Cluniacenses optimè affectum fuisse nemo in dubium revocare potest. Ipse etiam Sancto Hugone familiariter utebatur, ut ex ejus vita patet. Sub Sancti Majoli, seu potiùs, nam ibi memoriâ lapsum fuisse Paulum censemus, sub Sancti Odilonis disciplina in rebus spiritualibus eum eruditum fuisse colligi potest ex vitæ initio, ubi legitur, scintillarum visionem sæpiùs ostensam primitus in Hildebrando Cluniacensis Monasterii Patrem Sanctum Majolum adnotasse, eique illud Joannis Baptistæ adaptasse: Iste puer magnus erit coram Domino. Observat idem auctor Hildebrandum* adolescentiam ingressum in Franciam profectum *fuisse,* domiturum ibi carnis petulantiam & molestiâ peregrinationis, & instantiâ eruditionis, *quæ fortasse in Monasterio Cluniacensi, tunc temporis celeberrimo perfecit. Romam reversus, indeque cum Gregorio VI. exsulare coactus, rediit procul dubio Cluniacum, ubi Prioris officio donatus fuit, si tamen hac umquam dignitate potitus fuit. Certè eumdem in monasticis disciplinis eruditum fuisse inde colligi potest, quòd à Leone IX. post reditum in Urbem, Monasterio Sancti Pauli præfectus fuerit, ut eo in loco regularem disciplinam, quæ ibi tepuerat, restitueret. Is est ipse, qui eo nomine Vindocinensibus Ecclesiam Sanctæ Priscæ in monte Aventino Romæ sitam eo pacto cessit, ut ibi semper duodecim Monachi Vindocinenses, nec umquam minùs, quàm octo* regulariter vivant. *Id discimus ex literis Alexandri Papæ, quinto Pontificatus sui anno datis, quibus* convenientiam *confirmat ea de re factam* inter Hildeprandum Archidiaconum, atque Cœnobii S. Pauli Oeconomum, seu Rectorem, *& Odericum Vindocinensem Abbatem. Qua ratione nonnulli eum Vallumbrosano ordini nuper adscripserint fusè exponit, & confutat Papebrochius paragrapho 4. sed nulla ea de re apud eruditos auctores potest esse difficultas. Distinguendus est tamen noster Hildebrandus ab alio ejusdem nominis Cluniacensi Priore, sive Præposito, qui in vita Sancti Odonis laudatur, supra sæc. V. pag. 151. vide & elogium Sancti Majoli num. 16. eodem sæculo pag. 766. Quanta verò fuerit nostri erga professionem monasticam, cùm ad Pontificatum evectus fuit, propensio, ex variis ejus epistolis liquet, in quibus passim Monachorum sanctimoniam laudat, eorumque quieti adversùs quoslibet eis infensos paternè providet. Legenda est ea de re ejus epistola 13. lib. 1. ubi Manassem Remorum Archiepiscopum Monachos Sancti Remigii vexantem comprimit; plures ad Lanfrancum scripsit in gratiam Monachorum Angliæ. Eorum plerosque in Cardinalium collegium adlegit; statim atque Pontifex fuit renuntiatus, Casinensem Abbatem sibi adesse voluit, ac morti proximus Hugonem Diensem, Ottonem ex Remensi Canonico Monachum, tunc Cardinalem Ostiensem, ac Desiderium Casinensem solos ut sibi substituantur dignos designavit, ex quibus duo ultimi Benedictini Pontifices fuere. Denique, ut ait Ordericus Vitalis libro 4.* alios quoque Monachos, prout ratio ducebat promovit, & diversarum Ecclesiarum tutelæ digniter præfecit.

VI. *Auctoritatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ acerrimus vindex fuit Gregorius, tam ante, quàm post initum Pontificatum. Fervebat potissimum ejus studium adversùs sacerdotes concubinarios, & simoniacos, quæ duo vitia tunc temporis Ecclesiam pessumdabant in Germania potissimum, & in Longobardia. Ii cùm Henricum Germanorum Regem, occasione investiturarum jam in Pontificem malè affectum suas in partes traxissent, nec id ferre posset Gregorius, magnum in Ecclesia Catholica incendium excitarunt; cùm alii Pontifici, alii Regi faverent. Pontifex Regem tamquam multorum criminum reum, & frustra sæpiùs per literas, & legatos admonitum communione, tum regno privavit; quæ res adeò Henricum ejusque sectatores commovit, ut & ipse Pontificem è sede disturbare conatus fuerit, procurata per Episcopos sibi adhærentes adversùs Gregorium Guiberti Ravennatis electione, qui Clementis III. nomen usurpavit. Hinc natum gravissimum schisma; & Episcoporum, procerumque conventus frequentes tunc temporis fuere.*

VII. *Placet omnino Gregorii cautio, quam in Concilio Romano anno MLXXVIII. habito adhibuit in ferenda excommunicatione. Ut enim simpliciorum hominum, qui ad ejusmodi dissensionum causas apprimè discernendas non erant sufficientes, conscientiæ quieti provideret, declaravit tales homines excommunicationis vinculo innodatos non esse; sicut neque illos, quibus pro conditione, ætate, aut natura excommunicatorum consuetudinem vitare non licebat. Gregorii verba proferenda sunt ex Hugonis Flaviniacensis Chronico Virdunensi ad annum MLXXVIII.* Et quoniam multos peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis quotidie perire cernimus, partim ignorantiâ, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam nimia necessitate, devicti misericordiâ, anathematis sententiam,

Digitized by Google

tentiam, prout possumus, ad tempus opportunè temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo subtrahimus videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos, & servientes, & omnes alios, qui non adeò curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, & illos, qui ignoranter excommunicatis communicant, seu illos, qui communicant cum eis, qui communicant excommunicatis. Quicumque autem orator, sive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum venerit, ubi non possit emere, aut non habet, unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non sustentatione superbiæ, sed humanitatis causâ aliquid dare voluerit non prohibemus. *Idem testatur Bertholdus Constantiensis Presbyter in Chronico ad annum MLXXVIII. Hæc procul dubio didicerat Gregorius ex Beati Patris Benedicti regula, qui semel & iterum vetat, ne illi, qui quanta sit excommunicationis pœna, ignorant, eâ feriantur. Et quidem cùm ejusmodi censuræ nonnisi ad ædificationem adhibendæ sint, aliter agendo, in destructionem eas frequentiùs usurpari contingit. Plura habentur variis in Conciliis, quæ ab eo Pontifice congregata sunt, ad disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem, vitiorumque exstirpationem præclarè sancita, quæ hìc fusiùs describere non est nostri instituti, & quidem habentur in vulgatis Conciliorum collectionibus.*

VIII. *Idem reformandæ Ecclesiæ, virtutisque promovendæ ardens studium, plerisque in ejusdem Beati Pontificis Epistolis elucet, inter quas complures sunt ad varios totius Orbis Christiani Reges, & Principes, quibus bonos laudibus, & gratulationibus ad majora pro Ecclesiæ utilitate suscipienda adhortatur; vitiosos verò nititur minis, & Ecclesiasticis censuris ad meliorem frugem revocare. Alfonsum Castellæ Regem, qui uxoris suæ consanguineam in conjugem adsumserat ab incestuoso connubio deterruit; Robertum Guischardum Nortmannorum in Italia Principem, qui Ecclesiæ terras devastabat, communione privavit, ac postea facti pœnitentem restituit communioni Ecclesiasticæ. Econtra optimos Principes modis omnibus, quibus valebat, sibi satagebat devincire. Hinc Mitræ usum Bohemiæ Duci ab Alexandro II. jam permissum confirmavit. Sueino Danorum Regi literas non semel scripsit, quibus ipsi, ob propensissimam in Sedem Apostolicam voluntatem gratulatus est, atque ab eo expetiit, ut unum è suis filiis in Italiam mitteret, qui Dux,* Princeps, ac Defensor Christianitatis *esset. Ad ejusdem Regis Sueini filium, jam Patri defuncto suffectum scripsit, ut eum Patris sui virtutis æmulum ad Ecclesiarum defensionem invitaret.*

IX. *Ingens etiam illi desiderium inerat omnes Ecclesias in unam fidei concordiam revocandi, quantum verò efflagitaverit unionem Ecclesiæ Græcæ cum Romana discere licet ex ejus Epistola decima octava lib. 1. quæ est ad Michaëlem Orientis Imperatorem data. Quin & in Orientem proficisci meditabatur, quod Henrico Romanorum Regi Epistola 30. lib. 2. testatus est, non solùm ut Græcos, Armenos, aliosque hæreticos Ecclesiæ reconciliaret, sed etiam ut Christianos eriperet, qui sub Saracenorum servitute gemebant.*

X. *Omnes ita Romanæ Ecclesiæ communionem ambire volebat, ut etiam rituum discrepantiam ægrè ferret; hinc tantopere desudavit, ut ritum Mozarabicum, quo à compluribus sæculis Hispaniarum Ecclesiæ utebantur penitùs auferret, Extant ea de re ejus Epistolæ 63. & 64. lib. 1. ad Alfonsum Castellæ, & Sancium Arragoniæ Reges. Miraculo hac occasione Mozarabicum Ritum divinitus approbatum fuisse ajunt vulgati auctores Hispanici, ita ut projecto in ignem libro Mozarabico simul cum eo, qui Ritum Romanum complectebatur, isto in favillas statim redacto, prior illæsus servatus fuerit. At nemo hoc scripsit ante Rodericum Archiepiscopum Toletanum, ut observat Piissimus Cardinalis Bona, qui Rodericus circa sæculi decimi tertii medium vivebat. Nec verisimile est ritum hunc ab Hispanis fuisse dimissum eo ipso tempore, quo tam aperto miraculo ab ipso Deo comprobatus fuisset, quamvis non ita in Hispaniarum Ecclesiis ejus usus abolitus fuerit, ut in plerisque Monasteriis, immò etiam in nonnullis Ecclesiis Cathedralibus, adhuc tempore Roderici non servaretur. Typis tandem editus est, jubente Cardinale Ximenio, qui in Capella quadam Ecclesiæ Toletanæ, nonnullisque in Ecclesiis Parochialibus hodieque observari dicitur; Cæterùm eodem flagrabat desiderio Gregorius cum F. Sueonum Regi gratulatus est, quòd Gallicanos quosdam verbi Dei administros suscepisset, à quibus Ritus Romanæ Ecclesiæ acceperat; ipsum verò interpellat Epistolâ 11. lib. 8. ut nonnullos è suis Clericos, aut Episcopos Romam mittat, qui Sedi Apostolicæ* gentis moribus, & terræ habitudinibus *expositis, inde mandata in patriam referrent, queis tota gens imbueretur. Ad idem pertinet Epistola 13. lib. 8. in qua Olaum Norvegiæ Regem monet, (quod se jam Danorum Regi scripsisse dicit) ut de junioribus, & nobilioribus Regni sui aliquot ad aulam Romanam mittat, qui sub* alis Apostolorum Petri, & Pauli *eruditi; postea in patriam reduces, totam regionem in Romanæ Ecclesiæ consuetudinibus erudire possent. Nonnulla ab eo circa Ritus Ecclesiasticos instituta refert auctor Micrologi, quæ à Baronio laudantur ad annum MLXXXV.*

XI. *Berengarium hæreticum post iteratas condemnationes sæpiùs ad vomitum redeuntem compressit vigilantissimus Pontifex, & quem anno MLV. sub Victore II. tunc Sedis Apostolicæ Legatus in Concilio Turonensi, ad ejurandam suam hæresim jam compulerat, Pontifex factus eundem Romam accersitum semel & iterum in duobus Conciliis, post editas duas fidei confessiones Ecclesiæ restituit. Sed de hac re actum est in præfatione huic tomo præfixa.*

XII. *At hic ommittere non licet, summam ejus in Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti frequentatione devotionem, ac pietatem in Beatissimam Virginem Mariam, quæ duo tamquam firmissima in humani generis hostem propugnacula, Mathildi Comitissæ ita commendavit, ut simul ea cum peccati odio, humilique cordis contritione conjuncta esse voluerit. Legenda est ea de re ejus Epistola 47. libri primi.* Inter cætera, *inquit,* quæ tibi contra Principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut Corpus Dominicum frequenter acciperes, indicavi, & ut certæ fiduciæ Matris Domini te omnino committeres, præcepi. *Tum profert selecta ex Sanctis Ambrosio, Gregorio, & Johanne Chrysostomo testimonia, quibus illi sanctissimi viri ad frequentanda Sacramenta, sui ævi fideles invitabant; tandem, laudatâ Beatissimæ Virginis erga* peccatores conversos *clementiâ, sic concludit.* Pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito, & humiliato lacrymas effunde, invenies illam indubitanter promptiorem, &c.

XIII. *Gregorium etiam ante mortem miraculis claruisse innuit Lambertus Scafnaburgensis Monachus ad annum MLXXVII. ubi ait, signa, & prodigia, quæ per ejus orationes frequentiùs fiebant, simul cum zelo ferventissimo, quo pro Deo, & Ecclesiasticis legibus exæstuabat, sufficientia fuisse ad explodendas ejus inimicorum venenatas detractiones. Obiit Salerni, quò ut Henrici insidias evitaret, confugerat,*

Digitized by Google

gerat. Nulla est circa ejus mortis tempus dissensio apud auctores vulgatos, qui omnes fatentur, eum anno MLXXXV. die 25. Maji è vivis excessisse. Ibidem sepultus est in Ecclesia Metropolitana. At memoriâ lapsus est Ordericus Vitalis lib. 8. ubi scribit Gregorium Beneventi excessisse è vivis, ibique fuisse sepultum in confessione Beati Bartholomæi Apostoli. *Miraculorum copiam ad ejusdem Pontificis tumulum factam fuisse testatur idem auctor.* Ubi, *inquit*, meritis ejus fidei petentium miraculorum copia divinitus ostensa est. *Tum subjungit:* nam leprosi, de aqua, unde corpus ejus ablutum fuerat, petierunt, qua consecuta fideliter loti sunt, & opitulante Deo protinus mundati sunt. *Laudes ejus auctores plerique, recentiores simul & antiqui fusius prosequuntur. Gretserus in ejus Apologia quinquaginta omnino recenset ejus laudatores. Petrus Damiani eum* sanctissimi, ac purissimi consilii virum *appellat. Desiderius Abbas Casinensis, qui ei sub Victoris III. nomine successit, libro tertio Dialogorum eumdem* Christi Ecclesiam verbis simul, & exemplis illustrasse *scribit. Sanctus Anselmus Lucensis Episcopus singularem pro ejus defensione librum edidit contra Guibertum Antipapam. Cæteros omitto, quorum vel nomina solummodo recensere, ob multitudinem facilè non esset. Eum* Confessorem, & Martyrem *obiisse dicit Hugo Flaviniacensis in Chronico, ubi plura de ejus gestis, & obitu referuntur.*

XIV. *Gregorii tamen festum ante sæculi hujus initium publico cultu celebratum nusquam fuit, quod primum fieri permisit Paulus V. Summus Pontifex, ut ex ejus Bulla patet data anno MDCIX. quam integram refert Papebrochius in præmissis ad ejusdem Beati Viri Vitam paragrapho 2. ubi & habet literas Johannis Beltrani de Guevara Arohiepiscopi Salernitani, qui ejusdem Beati Pontificis officium solemni ritu in tota sua Diœcesi recitari præcepit. Gregorii tamen memoria jam antea in Martyrologio Romano consignata fuerat anno scilicet MDLXXXIV. quo Gregorii decimitertii auctoritate illud fuerat emendatum. In nova ejusdem editione à Baronio procurata auctoritate Sixti V. idem Beatus Pontifex laudatur his verbis die XXV. Maji.* Salerni depositio Beati Gregorii Papæ Septimi Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi.

PAULI BERNRIEDENSIS
DE REBUS GESTIS
GREGORII SEPTIMI
PONTIF. MAXIMI
LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

IGitur Gregorius Septimus, super quem verè primi Gregorii requievit spiritus, natione Tuscus, patrem habuit nomine Bonicum, & ipse Hiltebrandi sortitus est in Baptismo vocabulum non sinè grandi præsagio futurorum. Hiltebrandus enim Teutonicæ linguæ vernacula nuncupatione, perustionem significat cupiditatis terrenæ, qualem Psalmista sibi divinitus impertiri precatur, dicens Psal. XXV. Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos, & cor meum. Aptè verò in Baptismo datum est hoc nomen, dicente Johanne Baptista, Marc. 1. Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam; qui autem venturus est post me, fortior est me, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse baptizabit in Spiritu Sancto, & igne. De hoc igne ipse Salvator ait Luc. XII. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat? Quoniam ergo vir iste, ignito eloquio Domini repulsurus erat à Domo Dei ignita jacula inimici non incongruè prætulit incendium appellatione, quod exhibiturus erat ferventissima charitatis, & veritatis attestatione.

A

B

CAP. II.

HAbemus adhuc firmiores in eo divini fervoris præmonstrationes, ex quibus eum quondam Eliæ Prophetæ assimilavimus, cùm fortè Isidorum de ortu, & obitu Prophetarum legeremus. Ibi enim, si memoria non fallit, caput Eliæ recens nati globo ignis traditur illustratum, ad præsignandum videlicet divinæ æmulationis ardorem, quo tandem inflammandus erat contra prævaricationes pessimorum Regum, atque seductiones Pseudo-prophetarum. Simili modo & Gregorii, sive Hiltebrandi parvuli vestibus scintillæ ignis visæ sunt emicuisse, ad prænotandum sinè dubio sancti zeli fervorem, quo & ipse igniendus erat contra gravissimas insolentias Heinricianæ vesaniæ, & contra intolerabiles effrenationes sacerdotalis incontinentiæ. Hanc autem scintillarum visionem sæpius ostensam, primitus in eo Cluniacensis Monasterii Pater Sanctus Majolus (1) fertur adnotasse, atque illud Beati Johannis Baptistæ adaptasse: Iste puer magnus erit coram Domino.

CAPUT III.

DEnique ut cunctas visiones ignis, quas de eo comperimus, sinè intermissione commemoremus; visa est etiam de ipsius capite quo-

C

(1) Lapsus hic est Paulus, nam S. Majolus anno 994. obiit, quo tempore nondum natus erat Gregorius.

Digitized by Google

quodam tempore flamma procedere, ad expressiorem similitudinem Eliæ, si ætatum fulciremur cooperatione. Verùm, sicut illud Propheticæ increpationis prodigium contigit in infantia, ita istud Apostolicæ examinationis ostentum accidit in ætate perfecta.

CAP. IV.

FUit & in hoc aliqua similitudo Eliæ, quòd contemptus à quodam calumniatore terribiliter vindicatus est cœlesti igne. Nam cùm esset Archidiaconus antecessoris sui Alexandri, pauper quidam intolerabilem sustinens sibi hæreditatis ablatæ injuriam ab iniquissimo & metuendæ potentiæ viro, flebilem querimoniam detulit Pontifici Romano. Verùm hic, cùm propterea sibi quoque damnum ab animo irreverenti, & infrunito subeundum formidaret, & justâ sententiâ misericordiam sublevare trepidaret; justus Hilteprandus, quasi leo confidens, cùm primum Pontificem ad exserendam ultionem excitare, & confortare tentasset, sed eum à pusillanimitate spiritus nequaquam liberare prævaluisset, sibi vicem illam misericordiæ, & veritatis committi postulavit; qua protinus accepta, sententiam anathematis in prædonem dedit. At ille, vel non habens, vel erubescens habere videri timorem tanti judicii; cùm exinde tertia die solito exultantis, vel insultantis equestrem militiam inter commilitones ventilasset, subito fulminis ictu percussus, veluti durus Pharao, in stagno ignis ardentis submersus est.

CAP. V.

INterea vidit illud famosum somnium, Pontificalis excellentiæ, & efficaciæ vaticinium, quòd scilicet ex ore ejus ignis exiret, qui totum mundum igniret; haud dubium, quin ille ignis, quem Dominus Jesus Christus misit in terram. & voluit vehementer accendi. Verum non sic impii interpretati sunt, neque sic malignantes experti sunt. Nam quia Spiritum Sanctum blasphemaverunt, eumque in servo suo arguentem de peccato, infernalem titionem vocaverunt: justi Dei ultione, irremissibili delicto obligati, perpetuam miseriam malignæ appellationis inciderunt; & mirum in modum, quod piis erat salutiferum, impiis factum est mortiferum.

CAP. VI.

HUic succedit miraculum non solùm Eliæ, sed etiam justi Abel, & Sapientissimi Salomonis, nec non & aliorum Patrum exemplis gloriosum, quorum videlicet libaminibus illapsa est per speciem ignis gratia Sancti Spiritus. Domino namque auctore sublimatus in specula Apostolorum Petri, & Pauli, cùm in universam terram produceret sonum eorum, & in fines orbis terræ disseminaret verba eorum, moderni Neronis, scilicet quarti Heinrici regis, cujus flagitiis, & facinoribus omnis prædicatio veritatis, velut ignis urens, intolerabilis erat, gravissimam contra se persecutionem commovit: ideoque necessitate compulsus fugere de civitate in civitatem, Christianissimæ Comitissæ Mathildis tutelam ad tempus expetiit.

CAP. VII.

CUmque apud eam in pace factus esset locus ejus, & habitatio ejus in Sion, hoc est in specula divinæ contemplationis, recurrente temporum rota, fortè imminebat dies maximè dedita pontificalibus officiis, quæ nuncupari solet Cœna Domini. Hanc ergo celebraturus adiit Abbatiam, vocabulo Nonantulam, (2) Sanctorum prædecessorum ejus Silvestri, & Adriani (3) patrociniis gloriosam. Ibi nempe sacrosanctis insistens ministeriis, cùm jam consumaret sanctificationem Chrismatis, subitò cœlitus inflammante benedictum liquorem clara specie ignis, conglorificatus est antiquis patribus signo divinæ acceptionis.

CAP. VIII.

SEd jam congruum videtur, miracula de igne in mirabili extinctione ignis finire, quæ in Chronicis venerabilium virorum hac occasione legitur accidisse. Cùm prædictus Heinricus Romanæ civitatis mœnibus hostili manu assedisset, & ob hoc ignem quodam loco injecisset, ut populo à tuendis propugnaculis ad avertenda combustionis pericula converso, sinè prohibitione irrumperet; intelligens hanc versutiam fortissimus in fide Christi Gregorius, signum crucis appinxit, & velut Tiberis inundantiam effunderet, incendium protinus extinxit, plebemque ad propugnacula defensanda redire præcepit.

CAP. IX.

NObis etiam redire placet ad commemorandam pueritiam ejus, in qua avunculo suo Abbati Monasterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in Aventino monte (4) ad instructionem liberalis scientiæ, & compositionem moralis disciplinæ à parentibus commendatus, in brevi ostendit spectabiles flores utriusque nutrimenti.

CAP. X.

JAm verò adolescentiam ingressus, profectus est in Franciam, domiturus inibi carnis petulantiam, & molestiâ peregrinationis, & instantiâ eruditionis. Inde post aliquot annos Romam rediturus, occulta Dei præparatione moram fecit aliquantum temporis in aula Heinrici III. ut quia sublimandus erat in culmine sacerdotii, profectus ejus manifestus fieret omnibus ex alta specula regni. Hinc ipse Imperator ajebat, numquam se audisse hominem, cum tanta fiducia verbum Dei prædicantem. Probatissimi quoque Episcoporum reipublicæ consulen-

(2) De Monasterio Nonantulæ egimus Sæculo IV. parte 1. ubi de S. Anselmo primo ejusdem loci Abbate. De istius loci hodierno statu dictum est in itinere Italico pag 202.

(3) Id de Hadriano III. Papa interpretatur Papebrochius Tomo 6. Maji ad diem 26. at Hadriani I. corpus se habere contendunt Nonantulenses, ut patet ex ejusdem Papæ vita ex veteri Cod. MS. ejusdem loci edita Tomo 1. Musæi Italici.

(4) Monasterii illius Abbas locum tertium tenebat inter 20. Abbates, qui Summo Pontifici celebranti assistere solebant. Ibi servatur Corpus Sancti Sabini Episcopi, nunc est prioratus Militum Jerosolymitanorum. Vide Lubini Notitiam Abbatiarum Italiæ pag. 338.

Digitized by Google

lentium admirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.

CAP. XI.

POst hæc Romam reversus, cùm studio perfectionis insisteret, & accepta divinitus talenta intellectus, atque operationis duplicare satageret; torpentes domesticos sensit inimicos, & illud veritatis elogium probavit: Nemo Propheta acceptus est in patria sua. Proinde parcere volens invidiæ, & majorem charitatis fructum quærere, ingredi statuit in partes Germaniæ, & Galliæ. Cùmque venisset ad Aquaspendentes, (5) apparens ei in visione Beatus Petrus, qui jam ascensiones ejus in cathedram suam disponebat, prodire eum ulteriùs prohibebat. Ipse autem fallacem existimans imaginem, à proposito itinere non reflexit. Item secundæ noctis similem visionem præterivit. Tum verò tertia nocte cum maximo terrore ingerens se facies Apostolica, graviter eum luiturum, si non reverteretur, intentavit; sicque eum in Romanæ Ecclesiæ solatium revocavit.

CAP. XII.

IN diebus illis, mortuo Damaso secundo, (6) successit nonus Leo, qui laudabilis viri prudentiam, & sanctitatem ex corde veneratus, & amplexatus, ejus per omnia consilia incepit; & hæc eorum concordia plurimum in agro Dominico spinis erutis fructificavit.

CAP. XIII.

INterea Subdiaconus ab eodem Papa ordinatus, Monasterio Sancti Pauli (7) miserabiliter desolato prælatus est, tali primitus visione confortatus. Apparens ei Beatus Paulus in Basilica sua stabat, ac palam manibus tenens stercora boum de pavimento levabat, ac foras jactabat. Cùmque spectator otiosus assisteret, increpabat eum Apostolus, quare non se adjuvaret; jussitque eum palam apprehendere, & fimum, sicut ipse faceret, ejicere. Latrunculis enim Campaniæ diripientibus subsidia alimoniæ, in tantum languorem inciderat observantia sanctitatis, & regulæ, ut & armenta licenter ingredientia domum orationis fœdarent; & mulieres in refectorio necessaria ministrantes, famam paucissimorum, qui remanserant, Monachorum dehonestarent. Eliminatâ igitur omni spurcitiâ, & recuperatâ victualium sufficientiâ, congregavit honestam multitudinem regularium Monachorum, quorum religione, & disciplina venerabiliter usque hodie pollet locus iste.

CAP. XIV.

DEnique tam singularem cœpit habere fiduciam super opitulationibus precum illorum, ut si quando non liberaretur ab adversitatibus certissimum ei signum fieret, alicujus delicti impedimentum esse inter eos: quo præsentiæ ipsius examinatione correcto, solito cursu liberationem ejus acceleratam ferret oratio. Beatus planè Pater, & beati filii, quos inter ignorantia, & impunitas culpæ moram non potuit habere; sed exemplo quidem Josue prodita, in spiritu lenitatis, secundùm Apostoli præceptum castigata est. Si qui tamen, cujuslibet professionis fuerint, majores culpas, & maximè ad immunditiam, vel sacrilegium pertinentes, apud Sanctum Paulum committere præsumpserunt, mox in Apostolicæ reverentiæ (honorem) ab exterminatore perierunt. Sicut enim primi Gregorii tempore Beatus Andreas Apostolus ultor extitisse legitur sui sanctuarii: (8) ita & in diebus Hiltebrandi, ejusdemque Gregorii VII. Beatus Paulus Apostolus vindex enituit sui sanctificii, utroque scilicet Apostolo cooperante suo operario.

CAP. XV.

INterea spiritualis agricola Sanctus videlicet Leo IX. Papa, considerans, & admirans multum fructum palmitis hujus, eo quòd ipse maneret in Christo, & Christus in ipso; dilatavit in eo mansionem Christi per impositionem Ordinis Levitici, & ut fructum plus afferret Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum (9) instituit.

CAP. XVI.

POst hæc in partes Galliarum directus, ita creditum sibi Apostolicæ vicis exhibuit officium, ut meritò cum Apostolo dicere posset: (10) Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.

CAP. XVII.

PRimam sanè odoris hujus fragrantiam Lugdunum, quæ prima Sedes est Galliarum, Synodali discussione suscepit. Nam sicut Papa Callistus narrare consuevit, prima Concilii die proclamatus est quidam Pseudo-episcopus de simoniaca Pontificalis culminis ascensione: sed quia ad finem perduci non potuit probatio, in sequentem diem prolata est. Interim quid faceret sibi malè conscius? quò se verteret? Adamante duriorem Judicis mentem nullo munere ausus est attentare, non dubitans se per hoc ardentissimum veritatis amatorem magis exasperare, quàm placare. Datâ igitur pecuniâ, oppilavit ora tam accusatorum, quàm testium; & cooperante securitatis insolentia, tumidus crastinæ sessionis cognitori insultavit dicens: Ubi sunt qui me accusabant? Nemo me condemnavit. Ad hæc zelotes Dei alto gemitu suspirans, & frixorium cordis sui super illis, qui corrupti erant, dedignativo gestu significans ait ad corruptorem: Credis, ô Episcope, Spiritum Sanctum unius cum Patre, & Filio

(5) Olim oppidum agri Urbevetani, nunc civitas Episcopalis, huc translata Sede civitatis Castri ab Innocentio X. anno 1647. sita est ad fluvium Peliam sub ditione Pontificia.

(6) Damasus II. sedere cœpit die 17. Julii anno 1048. post dies 23. veneno, ut creditur, extinctus. Anno sequenti Leo IX. Romæ, coronatus fuit, mense Februario.

(7) Una est ex Ecclesiis Patriarchalibus Romæ, quam etiam nunc nostri Casinates retinent.

(8) Legesis historiam hanc in Vita S. Gregorii à Johanne Diacono lib. 4. à nobis edita Sæculo 1.

(9) Eum à Nicolao II. Archidiaconum fuisse ait Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi.

(10) 2. Cor. 2.

Digitized by Google

Filio esse substantiæ, & Deitatis? Quo respondente, Credo. Dic, inquit, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Cùmque hunc versiculum ad commendandam Sanctæ Trinitatis fidem à Nicænis Patribus hymnizando prolatum, & Beato Hieronymo pro succentu singulorum psalmorum Damaso Papæ commendatum, fiducialiter adorsus fuisset, Gloria Patri, & Filio, dicebat: sed Spiritum Sanctum nominare minimè valebat. Secundò tentare admonitus, defecit in Filio: tertiò repetere permissus, obticuit in Patre. Tunc demum pedibus Apocrisarii pervolutus, simoniacum se esse professus est (11) qui mox, ut ab Episcopatu depositus est; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto clara voce personuit. Ex his Divinæ cognitionis indiciis feruntur nonnulli Pseudo-episcoporum compuncti, malas conscientias spontanea confessione prodidisse, & injustè acquisitas dignitates justè dimisisse.

CAP. XVIII.

IDem venerabilis Archidiaconus Synodum tenuit, cui Hugo Cluniacensis Abbas interfuit: in qua Episcopum quemdam ordine judiciario deposuit. Inde simul ambo profecti, ad flumen quoddam pervenientes transvadabant Archidiaconus verò præcessit Abbatem. Transmisso igitur flumine, conversus retrò respexit, & dixit: Cur talia de me cogitasti? Abbas verò respondit: Tu ne es Deus, qui cogitationes hominum te scire asseveras? Deus, inquit, non sum: sed tamen quæ in animo volvebas, audivi. Dixisti enim in corde tuo me magis Episcopum illum causâ jactantiæ, quàm zelo Dei deposuisse. Perculsus Abbas conscientiâ: Rogo te, inquit, per charitatem Dei, ut edicas mihi, quomodo hoc sentire potuisti. Quia venientem te, inquit, per alveum fluminis respexi, & quasi filum tensum ab ore tuo usque ad aures meas inde hoc perpendisse te sensi.

CAP. XIX.

ALtera autem die, cùm ambo, Archidiaconus videlicet, & prædictus Abbas Cluniacensis, Ecclesiam quamdam ingressi fuissent, Camerarius Abbatis stans ad orationem, clam aliquos nummos è marsupio protulit, atque pro expensis tribuendos de manu in manum calculavit. Interrumpens autem orationem Archidiaconus vociferando, Exi diabole, ac Ecclesiam eum relinquere coëgit: Tum Abbas: Inhumanè, inquit, agis, quòd neque orationem nos complere permittis. Orationem, ait, Monachi tui sciscitare, & cur id fecerim, poteris cognoscere. Requirens igitur Abbas invênit, quòd nummos computasset. Consequenter Archidiaconus intulit: Et ego teterrimum spiritum ante ipsum hoc idem simulare vidi.

CAP. XX.

EOdem itinere venerunt ad quamdam civitatem multa mortalitate laborantem, in qua vidit Angelum Dei erecto gladio paratum ad occisionem. Unde cùm irent ad oratorium secundùm consuetudinem, rogabat Abbatem, ut breviaret orationem, & quantocius relinqueret civitatem, alioquin omnes perituri essent. Dicto parens Abbas velociter reversus est ad hospitium, & ecce reperit duos viæ socios repentina morte prostratos. Cùmque festinantissimè deseruissent locum pestilentiæ, Abbas jam potitus sciscitandi libertate, percunctatus est venerabilem Levitam, quid vidisset, quòd tantam properationem indixisset, & quod prædictum est, audivit.

CAP. XXI.

INter hæc Romam proficiscens, cùm audisset, mortuo Stephano Papa Benedictum (12) quemdam ab iniquis, & importunis hominibus contra Canones in Apostolica Sede substitutum, magis acceleravit iter suum: collectaque Synodo Episcoporum in Tuscia, Benedictum Sancti Spiritus judicio condemnavit: Gerhardum verò Florentinæ civitatis venerabilem Episcopum, communi bonorum consensu electum Apostolicæ Sedi inthronizavit, atque Nicolaum II nominavit. Hoc autem post biennium defuncto, successit Alexander II.

CAP. XXII.

HUjus Camerarius nomine Johannes, narrare solebat factum in semetipso Divinæ curationis miraculum per venerabilem Hiltebrandum adhuc Archidiaconum. Nam cùm idem Johannes apud Tusculanum nimis acri febrium dolore fatigaretur, misso nuntio, Beatum virum rogavit obnixè, ne pigritaretur venire usque ad se. Nec mora; quia boni nuntii hominem esse cognovit, venire non renuit. At ille nimio gaudio repletus in adventu ejus, traditis ei omnibus suis, commendavit etiam, humiliter implorans, ut communem Dominum pro se deprecari, ac religiosos homines in idipsum curaret adhortari. Tunc vir Dei domestica pietate ab intimis visceribus commotus, ejectis omnibus, se diutissimè in orationem cum lacrymis absque verborum strepitu dedit. Completa oratione, Comitissam (Mathildem), cum qua idem Johannes morabatur, vocavit, eamque ut refectionem, pullum videlicet gallinæ, infirmo præpararet, hortatur. Cui renitenti, eo quòd longa debilitate stomachum adeò infirmatum esse non ignoravit, ut etiam ante aliquot hebdomadas cibum percipere fastidierit; vir Dei respondet: sine modò. Scias enim, quòd tam festinanter non præparabitur, quomodo ipse desiderabit. Hoc ita res probavit; nam sufficienter refectus obdormivit soporatus, ac de omni illa validissima invaletudine sinè mora convaluit.

CAP. XXIII.

ITerum vir beatus ad Ecclesiarum directionem à Domino Papa destinatus, cùm inter multa

(11) Idem miraculum narrat Petrus Damiani.
(12) Leo IX. obiit anno 1054. die 19. Aprilis. Anno sequenti die 13. Aprilis coronatus est Romæ Victor II. cui anno 1057. die 28. Julii defuncto substitutus est 2. die Augusti Stephanus IX. ex Abbate Casinensi, qui anno sequenti excessit è vita. Johannes Mincius quorumdam factione ipsi substitutus est sub nomine Benedicti X. quo pulso, electus est Nicolaus II. hic memoratus, qui anno 1059. mense Januar. Romæ coronatus fuit. Obiit die 3. Julii anni 1061. cui Cadaloum Parmensem Episcopum substituere conatus est Imperator sub Honorii II. nomine, sed prævaluit Canonica Anselmi Lucensis electio, qui Alexander II. dictus est.

Digitized by Google

multa bona opera, quæ operatus est, Antistitem quemdam falsis criminibus impetitum à malignantium calumniis duce Spiritu veritatis eripuisset, Romam reversus Basilicam Petri Apostoli causâ orationis, & gratiarum actionis ingressus est. Erat ei familiare diverticulum ad Beatæ Mariæ Dei Genitricis iconem consistentem intra eamdem Basilicam, ut ante eam orando procideret, & plorando cor suum effunderet. Igitur cùm hac vice secundùm hanc consuetudinem facturus accessisset, vidit, quod dictu mirabile est, ipsam imaginem lacrymas stillare, & quasi dolorem suum pro aliqua dilecti sui molestia significare. Ipse autem repletus stupore, & ecstasi, postquam satis in admirationem defixus est, lacrymis lacrymas ubertim reddidit, & supplicatione completa, Lateranense palatium salutaturus Domnum Papam revisit, qui mox perlati ad eum falsi rumoris excipiens indicium, quòd videlicet pro muneribus prænotatum justificasset Episcopum, patenter dedit intelligi, quid in sacra imagine significasset similitudo condolendi. Verùm, cùm sapientia, quæ lucebat in vultu ejus, rationem cœpisset reddere, erubescebant omnes, qui in præsentia erant, adversarii ejus, & juxta Beatum Hieronymum, falsus rumor citò opprimebatur, & mordax lingua citò confodiebatur: quippe vita ipsius voce, & exemplo commendabatur. Inde cùm prædicto more solito repeteret imaginem, converso miraculo, vidit eam arridere sibi tamquam triumphatori.

CAP. XXIV.

NE autem hæc miracula quamvis de sanctis, tamen de insensatis rebus incredibilia videantur; ex probabilioribus Orthodoxorum Patrum scriptis fidem dare volumus. quædam ex his mutuantes exempla, quæ contra hujusmodi incredulitatem non putamus invalida. Sic enim legitur in actionibus septimi universalis Concilii auctoritate primi Adriani Papæ collecti. Narravit nobis Dionysius Præsbyter Ecclesiæ Ascalonis de Abbate Johanne anachoreta dicens (13) quia hic magnus in præsenti generatione fuit homo, & ad statum suum Deo placentem hoc de eo miraculum asserebat. In specu, inquiens, senex sedebat in partibus Sochus, possessionis ab Hierosolymis miliariis IX. fermè distantis Imaginem autem habebat senex in specu sanctæ & intemeratæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ habentem in ulnis Christum Dominum nostrum. Quotiescumque igitur volebat quòquam pergere, aut ad eremos longinquas, aut Hierosolymam ad adorandam Sanctam Crucem, & Sancta loca, vel etiam in Sina monte oraturus, aut ad Martyres, qui ab Hierosolymis multis spatiis aberant; erat enim amicus Martyrum oppidò senex. Nam, nunc quidem ad Sanctum Johannem Ephesum; nunc verò ad Sanctum Theodorum Eucharetam (14), aut ad Sanctam Theclam Seleuciam pergebat, vel ad Sanctum Sergium Arapham, præstruebat candelam, & succendebat, sicuti habebat consuetudinem: & ad deprecationem stans, ut iter sibi dirigeretur, dicebat ad Dominam, in imaginem ejus attendens: *Sancta Domina Dei Genitrix, quoniam viam habeo longam ad ambulandum, multorum dierum spatium habentem, de candela tua curam habeto, & inextinguibilem eam secundùm meum propositum custodi. Ego enim adiutorium tuum comitem habens vadam.* Et his ad imaginem dictis, abibat. Et proposito itinere completo, revertebatur, aliquando quidem mense uno, aliquando verò duobus, vel tribus, nonnumquam quinque, aut sex moratus: & sic inveniebat candelam ordinatam, & ardentem, ut eam ad iter agendum egressurus sinebat: numquam illam aliquando à semetipsa extinctam vidit: neque à somno surgens, neque ab eremo rediens in speluncam. Item ex eisdem actionibus ex vita Sancti Theodori (15) archimandritæ. Cùm esset annorum quasi duodecim, facta est mortalitas ex bubone in illa villa, ita ut & ipse infirmaretur penè ad mortem. Porrò detulerunt eum in oratoriam domum Sancti Johannis Baptistæ, quæ erat juxta villam, & straverunt eum ad introitus altaris. Porrò supra illum in receptaculo Crucis, stabat Imago Salvatoris Jesu Christi. Cùmque ex dolore bubonis cruciaretur, repentè de Imagine ceciderunt super eum roris guttæ, & statim, gratiâ Dei, à dolore convaluit. & sanus effectus est, & ivit domum suam. His exemplis ad astruendam fidem sufficere valentibus, ad nostræ narrationis ordinem redeamus.

CAP. XXV.

IGitur venerabilis Hiltebrandus vidit visionem, Apostolicæ pietatis in proximo suscipiendæ præsignationem. Apparuit ei Simon Magus tripudians, & exultans in navi: & ipse sibi videbatur in illum insilire, & colluctando pedibus subactum insolubilibus nexibus vincire. Quòd navis Ecclesiam significet, rarus est, qui ignoret. In qua nimirum Simon Magus ante beati viri hujus Apostolatum longè, latèque per suos sequaces sacrilega venalitate luserat, liberè scilicet, & impudenter emens, ac vendens Ecclesiasticas dignitates. Quomodo autem per hunc athletam Dei prostratus, & alligatus sit, suo loco dicemus.

CAP. XXVI.

PEr idem tempus quidam Pisani pernoctabant in Basilica Beati Petri gratiâ orandi, cùm ecce vident ipsum Principem Apostolorum in eadem domo sua, cum hoc prędestinato hærede suo deambulantem, eique præcipientem, ut stercora diversorum jumentorum, quæ sparsim inibi jacere videbantur, in saccum, qui cominus haberi cernebatur, congereret, & dorso imposita egereret. Et quidem per hæc stercora luxurias, & spurcitias diversorum hominum, maximè autem Nicolaïtarum, & quarti Heinrici patroni eorum, significari in promtu est. Sed quomodo & portata, & exportata sint, suo tempore, Deo adspirante, demonstrabimus, Nunc electionis ejus post mortem Alexandri Papæ, legitimum ordinem, prout ipsi electores ejus conscripserunt, proponamus.

CAP.

(13) Habes hanc historiam apud Johannem Moschum in Prato Spirituali Cap. 180.

(14) Legendum Euchaïtam. De celebri hac peregrinatione vide præf. in Acta Sancti Theodori num. 2. in Actis Martyrum sinceris pag. 531. De Sancto Sergio vide Baronium in Notis ad diem 7. Octobris.

(15) Theodorus Siceota vel solo nomine celeberrimus.

CAP. XXVII.

Quomodo Gregorius VII. Papa electus sit.

„ REgnante Domino nostro Jesu Christo, „ anno clementissimæ Incarnationis ejus „ MLXXIII. Indictione & Luna XI. X. Kalendas Maji, feriâ secundâ, die Sepulturæ „ Domini Alexandri bonæ memoriæ secundi „ Papæ, ne Sedes Apostolica diu lugeat pro„ prio destituta pastore, congregati in Basilica „ Beati Petri ad Vincula, nos Sanctæ Roma„ næ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Cardi„ nales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaco„ ni, Presbyteri, præsentibus venerabilibus „ Episcopis, Abbatibus, Clericis, & Mona„ chis consentientibus; plurimis turbis utriusque sexus, diversique ordinis acclamantibus: „ eligimus nobis in Pastorem & Summum Pon„ tificem, virum religiosum, geminæ scientiæ „ prudentiâ pollentem, æquitatis & justitiæ „ præstantissimum amatorem, in adversis for„ tem, in prosperis temperatum, & juxta „ Apostoli dictum bonis moribus ornatum, „ pudicum, modestum, sobrium, castum, „ hospitalem, domum suam bene regentem, „ in gremio hujus matris Ecclesiæ à pueritia „ satis nobiliter educatum & doctum, atque „ pro vitæ merito in Archidiaconatus honorem „ usque hodie sublimatum, Hildebrandum vi„ delicet Archidiaconum, quem à modo usque „ in sempiternum & esse, & dici Gregorium „ Papam, & Apostolicum volumus, & appro„ bamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? „ Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta „ Romæ X. Kalend. Maji Indidictione XI.

CAP. XXVIII.

IPse quoque Gregorius de electione sua, continuò has misit Epistolas.

Gregorius in Romanum Pontificem electus, Desiderio Abbati Monasterii Sancti Benedicti Montis Casini, salutem in Christo Jesu. (16)

„ DOminus noster Papa Alexander mor„ tuus est, cujus mors super me cecidit, „ & omnia viscera mea concutiens, penitùs „ conturbavit. Nam in morte quidem ejus „ Romanus Populus contra morem ita quie„ vit, & in manu nostra Consilii frena dimisit, „ ut evidenter appareret ex Dei misericordia „ hoc provenisse. Unde, accepto consilio, „ hoc statuimus, ut post triduanum jejunium, „ post litanias, & multorum orationem elee„ mosynis conditam, divino fulti auxilio statue„ remus quod meliùs de electione Romani „ Pontificis videretur. Sed subitò cùm prædi„ ctus Dominus noster Papa in Ecclesia Salva„ toris sepulturæ traderetur, ortus est magnus „ tumultus populi, & fremitus, & in me quasi „ vesani insurrexerunt: ita ut cum Propheta „ possim dicere: Veni in altitudinem maris, „ & tempestas demersit me. Laboravi clamans, „ raucæ factæ sunt fauces meæ, & timor & „ tremor venerunt super me, & contexerunt „ me tenebræ. Sed quia in lecto jacens valde „ fatigatus satis dictare nequeo, angustias meas „ enarrare supersedeo. Te igitur per Omnipo„ tentem Dominum rogo, ut suffraganeos fra„ tres, & filios, quos in Christo nutris, ad „ exorandum Deum pro me provoces, & ex „ vera charitate invites; quatenus oratio, quæ „ me liberare debuit, ne incurrerem pericu„ lum, saltem tueatur in periculo positum. „ Tu autem ipse quantociùs ad nos venire non „ prætermittas, qui quantùm Romana Ecclesia „ te indigeat, & in prudentia tua fiduciam ha„ beat, non ignoras. Dominam Agnetem Im„ peratricem, & Rainaldum Venerabilem Cu„ manum Episcopum ex nostra parte saluta: „ & quantum erga nos dilectionis habuerint, „ nunc ut ostendant, nostra vice fideliter obse„ cra. Data Romæ IX. Kalend. Maji, Indi„ ctione undecima.

Gregorius in Romanum Pontificem electus, Gottifredo Duci, salutem in Domino Jesu Christo. (17)

CAP. XXIX.

„ GRata nobis est lætitia tua, quam in li„ teris tuis de promotione nostra te ha„ bere cognovimus, non ut hoc aliqua causæ „ nostræ delectatio faciat, sed quòd eam ex „ fonte sinceræ dilectionis & fideli mente deri„ vatam esse non dubitamus. Nostra enim pro„ motio, quæ tibi, cæterisque fidelibus piam „ de nobis existimationem & gaudium admini„ strat, nobis interni doloris amaritudinem, & „ nimiæ anxietatis angustias generat. Videmus „ enim quanta nos sollicitudo circumstat: sen„ timus quantùm nos suscepti oneris sarcina „ gravat; sub quibus, dum nostræ infirmitatis „ conscientia tremit, anima nostra in Christo „ potiùs dissolutionis requiem, quàm in tantis „ periculis vitam cupit. In tantum quippe „ commissi nobis officii consideratio nos solli„ citat, ut nisi in orationibus spiritualium ho„ minum, post Deum aliqua fiducia nos susten„ taret, curarum immensitate mens nostra suc„ cumberet. Peccatis enim facientibus, ita „ pæne totus mundus in maligno est positus, „ ut omnes, & præcipuè qui in Ecclesia præ„ lati sunt, eam potiùs conturbare, quàm fideli „ devotione defendere, vel celebrare conten„ dant: & dum suis aut lucris, aut præsentis „ gloriæ desideriis inhiant, omnibus, quæ ad „ religionem & justitiam Dei pertinent, se ve„ lut hostes opponant. Quo magis nobis do„ lendum est, qui susceptum universalis Eccle„ siæ regimen in tanta difficultate, nec rite ad„ ministrare, nec tutò deserere possumus. Cæ„ terùm quia fidei & constantiæ virtutem, do„ nante Deo, in te sitam esse cognovimus: om„ nem, quam oportet in carissimo Sancti Petri „ filio, in te fiduciam habentes, animum tuum „ de nostra itidem constantissima delectione, & „ erga honores tuos promtissima voluntate, ne„ quaquam dubitare volumus. De Rege verò „ mentem nostram, & desiderium plenè cogno„ scere potes; quòd, quantum in Domino sa„ pimus, neminem de ejus præsenti, ac futura „ gloria, aut sollicitiorem, aut copiosiori de„ siderio nobis præferri credimus. Est etiam „ hæc voluntas nostra, ut primùm oblata no„ bis opportunitate, per Nuncios nostros super „ his, quæ ad profectum Ecclesiæ, & honorem „ Regiæ dignitatis suæ pertinere arbitramur, „ paterna eum dilectione & admonitione con„ venia-

(16) Lib. 1. Epist. 1.

(17) Lib. 1. Epist. 9.

Digitized by Google

„ veniamus. Quòd si nos audierit, non aliter „ de ejus, quàm de nostra salute gaudebimus: „ quam tunc certissimè sibi lucrari poterit, si „ in tenenda justitia, nostris monitis & consiliis „ acquieverit. Sin verò, quod non optamus, „ nobis odium pro dilectione; omnipotenti autem Deo pro tanto honore sibi collato, dissimulando justitiam ejus, contemtum non ex „ æquo reddiderit, interminatio, qua dicitur: „ Maledictus homo, qui prohibet gladium „ suum à sanguine, super nos, Deo providente, „ non veniet. Neque enim liberum nobis est, „ alicujus personali gratia legem Dei postponere, aut à tramite rectitudinis pro humano „ favore recedere, dicente Apostolo: Si hominibus placere vellem, servus Dei non essem. „ Data Romæ II. Non. Maji Indict. XI.

CAP. XXX.

POst hæc, Pontificali benedictone confirmatus, quàm acceptus sibi fuerit ad exemplum Evangelii Pater Cœlestis ostendit, quoniam mysteria, quæ abscondit à Sapientibus & Prudentibus, revelavit parvulis. Nam duo rustici non improbabili curiositate ducti, cùm adventum novi Pontificis in Lateranam Diœcesim comperissent, ad videndum eum mutuis cohortationibus instigati, ad Ecclesiam properant. Quò cùm pervenissent, invenerunt eum juxta Altare Missarum sollemnia celebrantem. Quem curiosè inspicientes, omnes motus corporis & gestus ejus diligenti animadversione notarunt. Sed alter eorum velut in ecstasin raptus, vidit columbam de Cœlo descendere, humeroque Gregorii dextro insidentem alis extensis caput ejus velare. Completo verò Canone, columba collum protendens, calici rostrum, ut sibi visum est, immisit; quo retracto, unde venerat illico reversa est. Stupefactus igitur novo miraculo rusticus, atque post paullulum ad se reversus, ad propria remeavit.

CAP. XXXI.

SEquenti nocte tres viri habitu decoro, vultuque splendido ei apparuerunt, quorum unus vestitu succincto, canicieque decenti figuram Petri, ut in picturis videre solebat, sibi expressit. Alius vultu splendidus, staturâ procerus, in admirationem simul & timorem convertit inspectorem; tertium, cujus qualitatis esset non adeò curiosè quæsivit. Proinde affabilior horum trium, quis esset diu hæsitans: tandem canum illum sermone aggressus, quis ille major esset, vel quo censeretur nomine, sciscitatus est: à quo responsum, quòd Sol vocaretur accipiens, insuper ita increpatus est: Quare non annunciasti Gregorio quod heri vidisti? Ille verò perterritus, nihil se vidisse testatur. Oblitusne es, inquit, quòd columbam heri inter Missarum sollemnia requievisse super humerum ejus videris? totamque visionem, ut viderat, sibi retexuit. Deinde præcepit ei, ut quantocius ad Gregorium iret, quia eadem die inde erat transiturus, atque ex ordine ei visionem recitaret. Mane facto, rusticus quid ageret dubitans, atque visionem illusionem esse secum pertractans, quemdam ejusdem loci religiosum virum adiit, & quid sibi visum fuisset, intimavit. Id autem consilii accepit, quatenus Dominum obnixè deprecaretur, ut si ex illo hæc visio fuisset, secundò, ac tertiò, ei revelare dignaretur: quod ita rusticus devotè peregit. Secunda igitur nocte, item commonitus, obnixiùs precibus institit. Tertia verò nocte, cùm iidem viri terribiliùs solito se ingessissent, præcepit ei unus, ut si vitam aliquamdiu vellet differre, ne dubitaret quod jussus fuerat Domino Apostolico denunciare, ac subintulit: Si tu, cùm prope fuerat, jussis nostris minimè obtemperasti, necesse est te post eum longiùs eundo laborare. Sed ille certius adhuc aliquid ab his elicere gestiens, dixit: Ego quidem rusticus sum & indoctus, quid mihi in signum dabitur, ut à tali persona credatur? Unus eorum, qui tantùm solebat pro cæteris loqui dicebat: Hæc dices Gregorio, quod etiam ipse verum esse cognoscet, quoniam accedens ad Altare, quod eodem die cogitavit, apud Omnipotentem Dominum impetrare meruit. Rusticus ad Gregorium perveniens, secretum ab eo petiit, & quæ itineris & laboris ejus causa extitisset, fideliter insinuavit. Ille verò benignè subridens, ac signum præcognoscens, rusticum tantæ legationis nuncium ad sua regredi cum Apostolica benedictione permisit.

CAP. XXXII.

ALio quoque tempore, cùm maxima detineretur corporis infirmitate (18), quædam neptis sua ad eum visitandi gratiâ venerat, & qualiter se contineret, inquirebat. Tum ille, ut nepti super ægritudine sua animum levigaret, monilia ejusdem manu tenens, an nubere vellet requisivit. Post, recepta sanitate, dum solitis orationibus incumberet, nec recordatione præteritorum malorum, nec spe futurorum bonorum aut desiderio; &, ut breviter concludamus, nullo modo ad hoc, ut saltem unam lacrymulam exprimere valeret, pertingere potuit. Diu igitur mæsto animo revolvens quid egisset, quo delicto Deum offendisset, qua denique culpa datam sibi compunctionis gratiam perdidisset; tandem temperato mærore id consilii accepit, ut religiosos viros secum in jejuniis, & orationibus supplicare Domino deposceret: quatenus ei revelare dignaretur, pro qua noxa donum illi, quod pridem habuerit, sublatum sit. Quod congrua devotione peractum est. Completis itaque duarum hebdomadarum vigiliis, jejunio, & corporali disciplina, pius & velox auditor desiderium cordis tribuit ei. Nam cuidam innocenti, & simplici viro Beata Dei Genitrix in visione apparuit, eique præcepit dicens: Vade, & dic Gregorio, quòd cùm ego illum in chorum (non dubium quin Virginum) elegerim, ipse è contrario aliter, quàm deberet, egit. Novo autem permotus elogio Gregorius, magis hæsitare cœpit, intentiùsque orare, ut apertiùs sibi Dei misericordia, quid esset, ostenderet. Iterum eidem cui supra, Sanctissima Virgo Maria Mater Domini in somnis apparens inquit: Hæc dices Gregorio, quoniam ipse contra gravitatem institutionis nostræ monilia tractavit neptis suæ, idcirco gratiam, quam habuit, amisit. Sed nunc, quia pœnitentiam de peccato suo peregit, donum lacrymarum recipiet. Hinc admonemur illius dicti: Bonum est homini mulierem non tangere. (19)

CAP.

(18) Libro 2. Epistolâ 9. anno 1074. scriptâ, Beatricem, ejusque filiam Mathildem monet se ex gravi morbo convaluisse.

(19) 1. Cor. 7.

Digitized by Google

CAP. XXXIII.

QUadam æstate, quæ Romæ humanis corporibus valde contraria est, dum idem vir Dei maximis per integram hebdomadam æstuaret febribus, apparuit ei Beata Dei Genitrix semper Virgo Maria, atque, ut indignationem ostenderet, ventrem ejus manu versa percutiens recessit. Deinde per alteram septimanam adeò debilitatus est, ut respirare eum, qui exitum ejus præstolabantur, vix sentire possent. Finitâ hebdomadâ illâ, rursus ad eum Beata Dei Genitricis, horâ diei quasi sextâ accessit; qualiter se haberet, & si adhuc satis pœnarum luisse sibi videretur, ab eo sciscitatur. Cui ille respondit: Domina piissima, ut tibi videtur. Tum leni manu, quasi corpus ejus perungens, ab oculis ejus evanuit. Mox illo vestimenta sua, quasi ad Ecclesiam processurus esset, requirente, hi, qui aderant præ nimia infirmitate minùs sanum sentire æstimabant. At ille nil mali se habere affirmans, extorquet, ut vestibus se induant, atque ad Ecclesiam perducant. Quo facto, in tantum sanitate recepta convaluit, ut etiam sacra Missarum solemnia publicè in Ecclesia Salvatoris sequenti die celebraret.

CAP. XXXIV.

INter hæc, quanta obedientia tanto viro exhibenda foret, Hermanno tunc temporis Cardinali, sed postmodum Brixiensis Ecclesiæ Præsuli, divinitus ostensum est. Nam cùm ab eo ad mensam quadam die vocatus non venisset, nocte insequenti, terribilis ei quædam species apparuit, eumque vehementer increpavit dicens: Ut quid miser imitatus es contumaciam Dathan & Abiron supersedendo Gregorii ad convivium invitationem, sicut illi superbè respuerunt Moysi ad concilium vocationem? An excidit tibi, quanta millia millium in inferno demersa sint propter unius Protoplasti inobedientiam? Festina ergo ad satisfactionem, si evadere cupis debitam rebellibus damnationem. Itaque mox ut opportunitas data est, provolutus est pedibus clementissimi Papæ; nec mora, veniam impetravit lacrymosa supplicatione.

CAP. XXXV.

NUnc libet duo miracula Sanctitatis per Beatum Gregorium divinitus facta breviter assignare: ne fortè ingressis nobis sylvam densioris historiæ, excidant memoriæ. Quodam namque tempore, cùm de more sacras manus ablueret, ipsa ablutionis aqua instar lactis facta, ægrum quemdam cum fide recuperandæ sanitatis eam in usum sumentem, confestim ab ægritudine liberavit. Item, cùm in Comitatu gloriosæ Mathildis delitesceret, & rabiem persecutionis, de qua post hac pleniùs dicturi sumus, declinaret, quadam die Venerabilis Hubaldus Mantuanus Episcopus indicavit ei, quòd cocus ejus nimia infirmitate prægravatus, de lectulo surgere non valeret: at ille necessarii commutationem non habens officii, cum fide grano sinapis comparanda, transtulit montem infirmitatis, & crevit in validum gratia sospitatis. Eâdem quippe horâ, qua jubentis vocem audivit, surrexit, ac necessaria præparavit.

CAP. XXXVI.

JAm tempus exigit aliquot decretales Beati Præsulis Epistolas contra Simoniacos, & Nicolaïtas in Galliam, atque Germaniam transmissas ponere, & subinde, quid sibi velit saccus ille stercoribus refertus, quem supra Pisanis visum commemoravimus, aliquam, ut promisimus, conjecturam facere. Denuntiatio quippe regularis judicii prædictorum hæreticorum, eisque faventium concutiens & coërcens ignominiam, non absurdè videtur comparari sacco stercora continenti; quem videlicet vir sanctus quodammodo portavit, dum Epistolas mittendo, conversionem eorum, quos notavit, diu patienter exspectavit: exportavit autem, quando pertinaces in errore, Synodali consensu, ab Ecclesia separavit. Harum igitur Epistolarum prima (20) nobis occurrit ad Ottonem Constantiensem Episcopum directa, quæ ita se habet.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto in Christo Fratri Ottoni, Constantiensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ INstantia Nunciorum tuorum festinanter redire volentium, non permisit nos fraternitati tuæ, quæ in Romana Synodo constituta sunt, seriatim intimare. Hæc tamen necessariò tibi scribenda fore arbitrati sumus, nos juxta auctoritatem Sanctorum Patrum in eadem Synodo sententiam dedisse: Ut hi, qui per simoniacam hæresim, hoc est interventu pecuniæ, ad aliquem sacrorum Ordinum gradum, & officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulteriùs ministrandi locum habeant. Illi quoque, qui Ecclesias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant: nec deinceps vendere, vel emere alicui liceat. Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secundùm inferiores Ordines ministrare Altari debeant. Statuimus etiam, ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, immo Sanctorum Patrum Constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat: ut, qui pro amore Dei, & officii dignitate non corriguntur, verecundiâ sæculi & objurgatione populi resipiscant. Studeat igitur fraternitas tua se in his nobis cooperatricem exhibere, sic crimina ista de Ecclesiis suis radicitus evellere, quatenus boni pastoris meritum apud Deum valeas obtinere, & Romana Ecclesia de te, sicut de carissimo fratre, & studioso cooperatore debeat gaudere.

CAP. XXXVII.

QUa verò contumacia prænominatus Episcopus decretis salutaribus resultaverit, vel potiùs insultaverit, sequens Epistola prodit.

Gre-

(20) Habetur in actis Concilii Romani I. sub Gregorio VII, anno 1074. habiti, in Apologetici capitulo I. Cæterùm Otto ille Henrici Regis partes amplexus à Gregorii communione alienus obiit, sepultus Basileæ.

Digitized by Google

Gregorius Servus Servorum Dei Ottoni Constantiensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ PErlatum est (21) ad nos de fraternitate „ tua, quòd satis invitus & mœstus audi- „ vi, quodque, si vel de extremo Christianæ „ plebis membro ad audientiam nostram defer- „ retur, severiore districtioris disciplinæ cen- „ sura esset procul dubio castigandum. Cùm „ enim Apostolica auctoritate, & veridicis San- „ ctorum Patrum sententiis incitati, ad elimi- „ nandam Simoniacam hæresim, & præcipien- „ dam Clericorum castitatem pro nostri officii „ debito exarsimus, Moguntino venerabili Ar- „ chiepiscopo confratri nostro, cui plures & „ latè dispersi suffraganei sunt, hoc obedientiæ „ munus injunximus, ut tam per se, quàm per „ coadjutores suos hoc Romanæ Ecclesiæ De- „ cretum universo Clero studiosiùs inculcaret, „ & inviolabiliter tenendum proponeret. Tibi „ quoque, cui plurimus Constantiensis Episco- „ pii Clerus, & populus amplissimè dilatatus, „ ob eamdem causam speciales literas cudere, „ bullâ nostrâ impressas, collibuit: quarum „ fultus auctoritate tutiùs animosiùsque præce- „ ptis nostris obtemperares, & de Sanctuario „ Domini Simoniacam hæresim, & fœdam li- „ bidinosæ contagionis pollutionem expelleres. „ Apostolica namque Beati Pauli præpollet au- „ ctoritas, qua fornicatores, & adulteros cum „ cæteris sceleratis connumerans, diffinitam suæ „ jussionis sententiam subjicit, cum ejusmodi „ nec cibum capere. Præterea universus Ec- „ clesiæ Catholicæ cœtus aut virgines sunt, „ aut continentes, aut conjuges. Quicumque „ ergo extra hos tres ordines reperitur, inter „ filios Ecclesiæ, sive intra Christianæ Religio- „ nis limites non numeratur: unde & nos, si „ vel extremum laïcum pellicatui adhærentem „ liquidò cognoverimus, hunc velut præcisum „ membrum à corpore Dominico, à Sacra- „ mentis Altaris, donec pœniteat, arcemus. „ Quomodo ergo Sanctorum Sacramentorum „ distributor vel minister esse debet qui nulla „ ratione potest esse vel particeps? Sed illa „ Beati Papæ Leonis (22) nos impulit aucto- „ ritas, qui Subdiaconis ineundi connubii li- „ centiam prorsus abstulit. Quod decretum „ Beati Leonis posteriores Sanctæ Romanæ Ec- „ clesiæ Pontifices, maximè Doctor eximius „ Gregorius, ita pro lege sanxerunt (23), ut „ deinceps tribus his Ordinibus Ecclesiasticis, „ Sacerdotibus, Levitis, & Subdiaconis vin- „ cula conjugalia omnino sint prohibita. Cùm „ autem hæc omnia tibi observanda, Pastorali „ providentia transmitteremus, tu non sursum „ cor, sed deorsum in terra ponens, prædictis „ ordinibus frena libidinis, sicut accepimus, „ laxasti; ut qui mulierculis se junxerunt in „ flagitio persisterent, & qui necdum duxe- „ runt tua interdicta non timerent. O impu- „ dentiam, ô audaciam singularem! videlicet „ Episcopum Sedis Apostolicæ decreta con- „ temnere, præcepta Sanctorum Patrum con- „ vellere; immo verò præceptis contraria ac „ fidei Christianæ repugnantia de sacratiore „ loco, & de Cathedra Pontificali subjectis in- „ gerere. Quapropter tibi Apostolica auctori- „ tate præcipimus, ut ad proximam Synodum „ nostram proximæ hebdomadæ (24) te præ- „ sentem exhibeas, tam de hac inobedientia, „ & Sedis Apostolicæ contemtu, quàm de „ omnibus quæ tibi objiciuntur, canonicè re- „ sponsurus.

CAP. XXXVIII.

HIc Clero & populo demandat, ne inobedienti Episcopo obediant.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Clericis & Laicis, majoribus & minoribus in Constantiensi Episcopatu consistentibus, Christianam legem diligentibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ MIsimus (25) fratri nostro, Episcopo ve- „ stro Ottoni, literas exhortatorias, per „ quas pro nostri necessitate officii Apostolica „ auctoritate injunximus illi, ut Simoniacam „ hæresim de Ecclesia penitus sua excluderet, „ & castitatem Clericorum studiosè prædican- „ dam susciperet, & firmiter tenendam Epi- „ scopali vigilantia inculcaret. Nam sic eam „ nobis Evangelicæ & Apostolicæ literæ, au- „ thenticarum Synodorum decreta, & eximio- „ rum Doctorum præcepta insinuant, & eam „ dissimulare, & negligere, sinè magno animæ „ nostræ, & populi Christiani detrimento non „ possimus. Sed Episcopus vester, ut nobis re- „ latum est, quæ paternè suaseramus, perficere „ non curavit, & ut non solùm inobedientiæ, „ verùm etiam rebellionis offensam contrahe- „ ret, quemadmodùm accepimus, palàm Cle- „ ricis suis, jussioni nostræ, immo Beati Petri, „ omnino contraria permisit: ita ut qui mu- „ lierculas habuerant, retinerent, & qui non „ habebant, illicita temeritate subintroduce- „ rent. Quod ut audivimus, molestè ferentes, „ secundam ei scripsimus Epistolam, indigna- „ tionis ei nostræ motus ostendentes, & idem „ præceptum iteratò acriùs inculcantes: tum „ etiam ipsum ad Synodum Romanam, quæ pri- „ mâ proximæ Quadragesimæ hebdomadâ futu- „ ra est, advocavimus, ut pro se rationem red- „ dat, & inobedientiæ causas, si rationabiles „ habuerit, in audientiam totius conventus ex- „ ponat. Hoc ideo, fratres carissimi, vobis in- „ notescimus, ut animæ vestræ saluti consula- „ mus. Si enim Beato Petro & Sanctæ Sedi „ Apostolicæ fronte aperta repugnans, & con- „ tumax esse voluerit, liquidò manifestum est, „ quòd qui matrem, vel patrem inhonorat, „ nullam à fidelibus patris & matris jure obe- „ dientiam exigere aut quærere debeat. Indi- „ gnum est enim, ut qui Magistro detrectat su- „ besse, Magister auditoribus postulet præesse. „ Quapropter omnibus, sicut prædiximus, ma- „ joribus atque minoribus Deo, & Beato Pe- „ tro adhærentibus, Apostolica auctoritate præ- „ cipi-

(21) Refertur integra ab Hugone Flaviniacensi in Chronico tomo I. Bibl. Labbeanæ pag. 210.

(22) Ea de re scribit Sanctus Leo ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, & ad Rusticum Narbonensem.

(23) Vide Gregorii Magni Epistolam 42. libri 1. & 34. libri 3.

(24) Legendum *primâ proximæ Quadragesimæ hebdomadâ*, ut patet ex sequenti Epistola. Et certè quomodo aliàs occurrere potuisset Episcopus in Germania constitutus?

(25) Hæc quoque habetur apud Hugonem loco laudato.

„ cipimus, si in obduratione sua persistere voluerit, nullam ei obedientiæ reverentiam exhibeatis, neque id animæ vestræ perniciem esse putetis. Nam si, ut totiens jam prædiximus, præceptis Apostolicis voluerit esse contrarius, ab omni illius subjectionis jugo, Beati Petri auctoritate, absolvimus ita universos, ut cùm sacramenti obligatione quilibet ei fuerit obstrictus, quamdiu Deo Omnipotenti & Sedi Apostolicæ rebellis extiterit, nulla ei fidelitatis exhibitione fiat obnoxius. Non enim cuilibet personæ contra Creatorem suum, qui cunctis præponendus est, aliquis debet obedire: sed debemus contra Deum superbienti resistere, ut saltem hac necessitate coactus ad viam justitiæ addiscat redire. Quanti enim periculi, quantæque à Christiana lege sit alienationis, obedientiam, maximè Apostolicæ Sedi, non exhibere, ex dictis Beati Samuelis Prophetæ potestis cognoscere, quæ Sanctissimus Papa Gregorius in ultimo libro Moralium procuravit exponere. Ut ea autem sint vobis in promtu, scripta transmisimus, quatenus indubitanter sciatis, non vobis novam non dicere, sed antiquam Sanctorum Patrum doctrinam propalare. Hinc Samuel ait: Melior est obedientia quàm victima, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle aquiescere. Obedientia quippe victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. Tantò igitur quisque Deum citiùs placat, quantò ante ejus oculos, repressâ arbitrii sui superbiâ, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adversa igitur meliùs ostenditur quid de ejus laude sentiatur; si enim ariolandi peccatum est repugnare, est quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Sola est quæ fidei meritum possidet, sinè qua quisque convincitur infidelis, etsi fidelis esse videatur.

CAP. XXXIX.

AD Laïcos pro exequendis superioribus institutis.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Rodulfo Duci Sueviæ, atque Bertholdo Duci Carentano, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ SCimus (26), quoniam prudentia vestra miserabilem Christianæ religionis desolationem perspicaci mente perpendit, quæ pro peccatis nostris in ea num extremitate est posita, ut infeliciora tempora nemo viventium viderit, nec à tempore Beati Silvestri, patris nostri, scripturarum traditione repererit. Verùm hujus tanti mali nos caput & causa sumus, qui ad regendum populum prælati, & pro lucrandis animabus Episcopi vocati, & constituti sumus. Ab eorum namque Principatibus, velut à quibusdam initiis, subditorum bona vel mala veniunt, qui aut mundanas dignitates, aut magisterium spirituale susceperunt, qui dum nihil aliud, nisi gloriam & voluptates sæculi quærunt, sinè sua, & populi confusione vivere nequeunt: quoniam in malefactis prava sectantes desideria, & suæ auctoritatis jura per culpam ligant, & aliis peccandi per exemplum frena relaxant. Neque enim per ignorantiam, aut improvidi delinquunt; sed præsumtuosa obstinatione Spiritui Sancto resistentes, Divinas, quas cognoverunt, leges abjiciunt, & Apostolica decreta contemnunt. Sciunt namque Archiepiscopi & Episcopi terræ vestræ, quod & omnibus fidelibus notum esse debet, quoniam in sacris Canonibus prohibitum est, ut hi, qui per Simoniacam hæresim, hoc est interventu pretii, ad aliquem sacrorum Ordinum gradum, vel officium promoti sunt, nullum in Sancta Ecclesia ulteriùs ministrandi locum habeant; nec illi qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secundùm inferiores Ordines ministrare altari debeant. Quæ cùm eos Sancta & Apostolica Mater Ecclesia, jam à tempore Beati Leonis Papæ, sæpe in Conciliis tum per Legatos, tum per Epistolas in se, & commissis sibi plebibus, utpote ab antiquioribus neglecta, renovare & observare commonuerit, rogaverit, & accepta per Petrum auctoritate, jusserit; adhuc tamen inobedientes, exceptis perpaucis, tam execrandam consuetudinem nulla studuerunt prohibitione decidere, nulla districtione punire. Non attendentes quod scriptum est: Quasi ariolandi peccatum est repugnare, & quasi crimen idololatriæ, nolle acquiescere. Cùm igitur illis Apostolica, immo Sancti Spiritus mandata spernentibus, & scelera subditorum criminosâ foventibus patientiâ, Divina ministeria indignè tractari, populum seduci intelligimus, alio quolibet modo contra hæc vigilare nos convenit, quibus cura Dominici gregis præ cunctis incumbit. Multo enim melius nobis videtur justitiam Dei vel novis reædificare consiliis, quàm animas hominum unà cum legibus deperire neglectis. Quapropter ad te, & ad omnes de quorum fide & devotione confidimus, nunc convertimur; rogantes vos, & Apostolica auctoritate admonentes, ut quidquid Episcopi dehinc loquantur, aut taceant, vos officium eorum, quos aut Simoniacè promotos & ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis, & hæc eadem astricti per obedientiam, tam in Curia Regis, quàm per alia loca, & conventus Regni notificantes, ac persuadentes; quantum potestis, tales SacroSanctis deservire mysteriis, etiam vi, si oportuerit, prohibeatis. Si qui autem contra vos, quasi istud officii vestri non esse, aliquid garrire incipiant; hoc illis respondete, ut vestram & populi salutem non impedientes, de injuncta vobis obedientia, ad nos nobiscum disputaturi veniant (27). Quia verò, te Rodulphe dico, Ducem & carissimum, & Sancti Petri filium, ad religionis spiritum desideranter anhelare confidimus, unde nos consuluisti, quidquid nobis perfectius visum est, ad correctionem tuam tibi intimamus, ut quantumcumque pretii te pro disponendis in Ecclesia Clericis accepisse recordaris, aut in utilitatis ejusdem Ecclesiæ, si attinere ei videtur,

(26) Extat in Registro Gregorii lib. 2. Epist. 45.

(27) Hîc definit apud Hugonem Flaviniacensem in Chronico pag. 212. ubi *Berthaldo*, *Rodulfo*, *Vvelphoni Ducibus* inscribitur.

Digitized by Google

„ detur, aut in usus pauperum expendas: ut „ nullâ in te reprehensibilitatis maculâ remanente, inter electos Regni Cœlestis cives „ adscribi merearis. Datum Romæ tertio Idus „ Januarii, Indictione decima-tertia.

CAP. XL.

ITem ad Laïcos pro iisdem institutis.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto in Christo filio & nobilissimo Comiti Adalberto, & ejus uxori, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ GRatias Deo referimus, quòd & Laïci, „ & mulieres ad Dominum mentes erigunt, & cultum religionis libenter intellectu capiunt, & tenêre contendunt. Nam illi, „ qui propter lucrandas animas Episcopi vocati & constituti sunt, & subditos suos verbo & exemplo viam veritatis docere deberent, his temporibus seducti à diabolo non solùm legem Dei deserunt, sed impugnare, „ & omni conatu subvertere, non desistunt. „ Quo minus mirandum est, si ipsi inferiores „ ordines à delicto non prohibent, quorum aut ordinatio fuit hæretica, aut vita omni „ immunditia, & facinoribus cooperta; qui, „ dum in semetipsis propria scelera nec corrigunt nec attendunt, subditorum quoque „ crimina, aut per negligentiam, aut timore „ propriæ conscientiæ portant. De quibus rectè per Prophetam dicitur: Obscurentur oculi „ eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Quapropter quidquid illi contra vos, immo contra justitiam garriant, & „ pro defendenda nequitia sua vobis, qui illiterati estis, objiciant, vos in puritate & „ constantia fidei vestræ permanentes, quæ de „ Episcopis, & Sacerdotibus Simoniacis, aut „ in fornicatione jacentibus ab Apostolica Sede „ accepistis, firmiter credite, & tenete. Datum Romæ VII. Kal. Novemb. Indictione „ decima-tertia.

CAP. XLI.

UT nullus obediat Episcopis præfata Statuta contemnentibus, vel negligentibus.

Gregorius Servus Servorum Dei, omnibus Clericis, & Laicis in Regno Teutonicorum constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ AUdivimus (28) quòd quidam Episcoporum apud vos commorantium, ut „ Sacerdotes, & Diaconi, & Subdiaconi mulieribus commisceantur aut consentiant, aut „ negligant, his præcipimus vos nullo modo „ obedire, vel illorum præceptis consentire, „ sicut ipsi Apostolicæ Sedis præceptis non obediunt, neque auctoritati Sanctorum Patrum consentiunt, testante Divina Scriptura. „ Facientes & consentientes par pœna complectitur. Omnipotens & misericors Deus, qui „ ultra spem, qui ultra meritum miseretur, & „ consolatur nos in omni tribulatione nostra, „ aperiat cor vestrum in lege, & confirmet „ vos in præceptis suis, ut auctoritate B. Petri „ à cunctis peccatis absolutos, vos ad Cœleste „ Regnum perducat regnaturos. Amen.

CAP. XLII.

HAs Epistolas prosecuta est, ipso præsidente, generalis Synodus (29), in qua, sicut gesta ipsius continent, sententia anathematis data est in omnes Simoniacos, & Nicolaïtas hæreticos, qui in erroris sui secta indurati, Synodalibus Sanctorum Patrum definitionibus, & decretalibus eorum statutis scienter inobedientes, Apostatarumque pertinaciâ eis recalcitrantes, studio & voluntate refragantur. Ecce saccus stercoribus plenus eatenus arguendo, obsecrando, increpando cum omni patientia & doctrina portatus; sed ex tunc, justa ultione Divini zeli exportatus, secundùm ordinem, quem suis ultoribus ipse Dominus per Ezechielem Prophetam ostendit dicens: A Sanctuario meo incipite. Clamor namque Sodomorum & Gomorrheorum usque ad ipsius Pontificatum multiplicatus fuerat nimis; in eo scilicet, quòd prædicti hæretici, eorumque fautores, nimia peccandi libertate effrœnati, peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: ideoque nisi Dominus exercituum reliquisset nobis in eo semen correptionis, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.

CAP. XLIII.

HAc fama justificationis instigati Babenbergenses Clerici detulerunt ad aures ejus Simoniacum introïtum Pseudo-Episcopi sui, nomine Hermanni. (30) At ille, contractâ non minimâ pecuniâ pretiosi metalli, & vestimenti copiâ, speravit Apostolicum rigorem muneribus emolliri posse. Et approximans Romæ, exoravit Venerabilem Hermannum Mettensis Ecclesiæ Episcopum & Apostolicæ Sedis Legatum, qui tunc fortè societatem itineris inciderat, uti se ad Dominum Papam præiret, & intercederet. Quod cùm attentasset, humanæ placationis non parvam materiam affore designasset, vir justus excutere manus suas ab omni munere solitus, ut erat in conclavi suo positus SpirituSancto se inflammante, respondit: Fac eum, si aliquam Fidelium communionem velit obtinere, in partes suas redire, & Monasticæ Regulæ districtum jugum pœnitendo subire: quoniam, propitius sit mihi Deus, si domum istam mihi impleret auro & argento, numquam, me consentiente, Episcopali fungetur officio. Hoc itaque modo & iste Simoniacus submotus est à Sacerdotio.

CAP. XLIV.

JAm verò qualiter inimicorum fraudes, tentationes, periculum, detractiones, irrisiones, captiones, custodias, propter nomen Domini;

(28) Hanc Epistolam exhibet integram Hugo Flaviniacensis in Chronico pag. 212.

(29) Hujus Synodi Decreta, & Epistolas supra descriptas habes apud Hugonem Flaviniacensem in Chronico Virdunensi, tomo I. Bibliothecæ novæ Labbeanæ.

(30) Ad eum scripsit Gregorius Epistolam 84. lib. I. eumque monet se causam ipsius Mettensi Episcopo commisisse. Hunc vitam Monasticam in Monasterio Schvvartzachiano fuisse amplexum testatur Bruschius, ubi sepultus est in sacello S. Benedicti.

Digitized by Google

mini; postremò qualiter Domini juvamine, & sustentatione, Apostolorumque comitante suffragio, Reges, Tyrannos, Duces, Principes, animarumque hominum captivatores, voratores, insuper lupos, Antichristi videlicet ministros, Archiepiscopos, Episcopos, & reliquos Ecclesiasticos pervasores fortissimus athleta Dei superavit, nequaquam silentio præterire dignum ducimus: quatenus tam præsentibus, quàm subsecuturis sit in exemplum, & populus Sanctæ Ecclesiæ, olim nostrum sæculum fuisse cognoscat sub tanto talique Pastore prolapsum. Indecens enim & inconveniens esse videtur, tradere oblivioni patris hujus laborem, cùm etiam profanarum causarum memoriâ penes sæculares pro fortitudinis exemplo fiat. Hujus quidem exemplum si tenaci memoriæ tradatur, fit Sanctæ Ecclesiæ supplementum, Christi fidelium ornamentum, & in hæreseon profanarum veniet detrimentum. Hinc enim justorum (pugnæ) iterum prima sumsere principia; hinc Ecclesiastica victoria, & perpetuæ felicitatis quodammodo per filium hæreditas (propagatur.)

CAP. XLV.

FUit itaque quidam vir in Urbe perditionis filius, omnium hominum sceleratissimus & iniquissimus, cujus quidem memoria aërem ipsum commaculat; cui pro dulcedine perjuria, fallaciæ, luxuriæ, traditio, homicidia, machinationes, susurrationes, conspirationes, fraudes, deceptiones, conventicula fuerant; & quicquid virtuti esse potest inimicum, sibi per omnia (licere) credebat: pater furum & socius perjurorum, clypeus fallacis, & hasta mœchi, galea homicidarum, & scutum traditionis, tegumentum machinationis, custos susurrationis, anxietas conspirationis, coloratio fraudis, risusque deceptionis, & crypta malæ conventionis; ad cujus confugium omnis hæreticus, omnisque scelestus properabant; cujus ala velabat scandala, sub cujus umbra Leviathan ipse tortuosus coluber, dulciter & suaviter quiescebat. Qui ad augumentum tanti commercii turres quàm plures in urbe construxerat, & posthabitis tam Dei, quàm hominis inimicitiis, quidquid ante suæ perversæ mentis oculos incentor malitiæ, diabolus videlicet, adduxerat, peragere satagebat. Levia (*) quidem sibi & dulcia verba, sed in fine jacula & absynthium fuerant. Qui ad sui destructionem quemdam suum compatrem occidit; in cujus domum, re nondum plenè cognita, perrupit: quam etiam destruxit, & peracto tanto scelere, in Turrim, quam vivente patre suo Stephano Urbis Præfecto construxerat se recepit.

CAP. XLVI.

AD cujus facinus vindicandum vir Dei accensus, unà cum adhuc vivente Papa Alexandro, maledictionis & anathematis eum vinculis alligavit. Ille verò ad augmentum suæ confusionis, cum quibusdam, quos sibi asciverat, Nicolao videlicet, & Bertramo, ad perditionis filium, scilicet Henricum Regem, properavit; & communicato magnæ impietatis consilio Cadaloum Parmensem, hæreticum, Romam conductum, hospitio recepit (31). & prœlia multa illius ob adjutorium, in Urbe commisit. Cui solatium omnes hæretici Simoniaci pro posse impendebant, & per ipsum Sanctam Ecclesiam confundere disponebant. Sed hæresiarcha tandem illo mortuo, confusus iste pactum se cum Domino Papa facere, & fidelitatem jurare spopondit. Quod & fecit: sed quæ fides ei esse potuit, cui veritas numquam adhæsit? Stabat quidem propter summi Sacerdotis potentiam, ut prædo ligatus. Sed quas poterat fraudes, animo tenus perpetrare non desinebat tartareus hæres. Si quando eum Venerabilis Pater Gregorius, ut à talibus pedem retraheret, hortabatur, in pejus quotidie suum vertebat pectus: sicque factum est, ut in ipsa turri, quam miræ magnitudinis supra pontem Sancti Petri construxerat, viros sicarios poneret; qui ab omnibus introëuntibus, & exeuntibus, ex rebus, quæ ferebantur, prædam caperent.

CAP. XLVII.

QUa de causa Præfectus Urbis, Cincius (32) nomine, vir utique prudens, carus Deo & hominibus, qui non ut Laïcus, sed veluti fidelis Monachus, Deo serviens justitiam excolebat in omnibus, quadam die eum cepit, & in carceris squaloribus tantum latronem, ut dignum fuerat, tradidit. Tandem interventu quorumdam nobilium Romanorum, permittente hoc clementia Domini Papæ, peractis supra Sancti Petri Corpus Sacramentis suæ meliorationis, datisque obsidibus, & reddita turri de qua confidebat, dimissus est. Tunc allatis arietibus & machinis, ferreisque malleis, funditus est eversa: & sic Urbs aliquantisper quievit, & iniquorum factio, timore magno concussa, conticuit.

CAP. XLVIII.

SEd, quid miser faceret? Quousque potuit, iniquos, licèt longè positos, tam per se, quàm per suos Nuncios adiit. Ipse lustravit Apuliam, Lucaniam; Ducem Guiscardum, (33) & cæteros excommunicatos visitans, statuitque cum ipsis tempus opportunum, quomodo Dominum Papam caperet, & occideret: filium verò suum ad Guibertum (34) hæreticum, Ravennatem direxit, idem pactum compositurum; sicque ad Regem etiam suæ fallaciæ destinavit, literas, promittens eumdem Patrem Regio conspectui repræsentandum. Compositis itaque hujusmodi demolitionibus, ad tempus quievit, expectans nimirum opportunitatem, ut eum caperet, & iniquorum populo ad necandum traderet. Sed Dominus omnipotens, qui captione sua mundum liberans diabolum captivavit, Patris istius captione & sanguine, Ecclesiæ statum in melius provexit; & filium iniquitatis non solùm puero suo nocere prohibuit, sed etiam propriis rebus privavit.

CAP.

(*) F. Lenia.

(31) Is est Cencius, qui Cadaloum Antipapam sub Honorii II. nomine, fovit.

(32) Cinthium appellat Petrus Damiani, eumque multis laudat lib. 8. Epist. 1. & 2.

(33) Robertus Guischardus Nortmannorum in Apulia Dux, primò à Gregorio excommunicatus, postea absolutus.

(34) Hic est qui sub Clementis III. nomine postea adversùs Gregorium Antipapa fuit.

Digitized by Google

CAP. XLIX.

PRolapso itaque ferè anno, ministri diaboli tempus advênit. Nam instante festivitate Dominicæ Nativitatis, conspiratores suos cum quibus conjuraverat, hortari cœpit, ut ad tantum flagitium mente promti concurrerent, animumque aptarent, promittens eis ineffabilia, libertatem futuram, quæstum sinè mensura, imitator per omnia fratris & magistri sui diaboli, qui solius morte Domini mundum sibi totum possidendum promittebat. Sed sicut scriptum est, dum capit, capitur; dum prædari incipit, præda fit: & dum ambit illicita, quæ nondum possederat, perdidit acquisita quæ retinebat; sic etiam iste, minister utique illius, si corde deprehendisset se tantis rebus expoliandum, fortasse quoquo pacto à tanti sceleris perpetratione, amore suarum rerum, magis quàm Dei, manum retraheret; sed quoniam obcœcavit eum malitia sua, qua suffarcinatus incedebat, rem ad effectum perducere conatus est: non timens, immo postponens animæ suæ periculum, alter Judas manus in Dominum suum, & Christum Domini injecit. Præsente itaque tantæ festivitatis die, ad peragendum vigiliarum obsequia Pontifex, ut mos est, ad Beatæ Mariæ Ecclesiam, quæ ob tantarum devotionum merita, Major vocata est, cum parvo Clericorum & Laïcorum numero properavit. Nam mos Urbis fuerat semper, in tantæ sollemnitatis excellentia omnes ad eamdem Ecclesiam confluere, totamque noctem illam hymnis & laudibus intentos pervigilem ducere. Sed Domino disponente, ad evitandam tantam Ecclesiam tanti Pastoris sanguine perfundi, ne ministri diaboli animus inhians sui ad destructionem, quæ malè voluerat perficere possit, populus tunc convenire prohibitus est. Die namque ipso vigiliarum tantam æther aquarum inundationem profuderat, ut ipsum primi temporis imminere diluvium omnibus videretur. Vix enim aliquis domus suæ limen linquere, viciniique sibi juncti casam, si necessitas aliqua exigeret, intrare, nedum Ecclesiam tam longè sitam, penetrare valebat. Loquebantur enim quodammodo mundi elementa futurum scelus, & inauditum facinus præsagiebant.

CAP. L.

SEd quid plura? Adest nox, in qua tenebrarum filius lucis aggreditur ministrum, missis itaque exploratoribus ad alios exquisitores venerunt. Nam quamdam societatem, juxta eamdem Ecclesiam ex ipsius vici habitatoribus sibi asciverant: & notantes omnia, ad notitiam scelesti illius miserant, quæ scrutati fuerant. Tunc ille legionem suam loricis indutam cum festinatione conduxit, ponens ita, ut post peractam sive de nece victoriam, seu de vivo portato triumphum, quemcumque equum quis habere posset, ascenderet: ne quis contra ipsos meditaretur insurgere. Ventum tandem ad Ecclesiam est; Papa verò gloriosus in Præsepi positus Missam noctis primam, sicut docet religio, decantabat, corpusque Dominicum tam ipse, quàm Clerus ejus susceperat. Reliqui verò, qui aderant, eadem adhuc Sacramenta percipiebant, cùm magnus subito clamor, magnus & ululatus ex improviso intonuit, & Ecclesiam ipsam implevit. Tunc undique lustrantes Ecclesiam, evaginatis mucronibus percutientes quos poterant, ad locum Præsepii, quo Papa eximius residebat, convenerunt: percussisque ibidem aliquantis, ruptisque ostiolis illis, angulum brevem Præsepii æterni Regis, & Matris, truculentis manibus intraverunt. Tunc injecerunt in eum manus, & tenuerunt. Quorum unus educto gladio caput ejus abscindere voluit, sed tamen Domino volente non potuit. Percussum tamen in fronte, graviterque vulneratum, de Missa nondum finita violentis manibus abstraxerunt, cædentes & percutientes. Ille verò, ut agnus innocens & mansuetus, ad Cœlum oculos erigens, nullum eis dedit responsum, non reclamavit, non reluctatus est; neque, ut sibi in aliquo misererentur, rogavit. Tandem exutum pallio, & casula, seu dalmatica & tunica, eum camisiâ tantùm amictum, & stolâ, ut furem tractum post dorsum cujusdam sacrilegi posuerunt. Ille verò, qui frontem gladio percusserat, arreptus à dæmonio ante ejusdem Ecclesiæ atrium diu volutatus est spumans, equusque ejus fugiens nequaquam ulteriùs inventus est.

CAP. LI.

TAnti fama mali totam citò perculit Urbem. Quis umquam tanta flentium, tantaque funebria narrare lamenta poterit? Sicut enim de Domini nostri Nativitate Urbs cæteris altiùs civitatibus congratulari solita fuerat; sic modò commota, tristitiam sibi non modicam advenisse proclamabat. Expavit pariter hoc factum Cœlum & Terra, & ad tantum facinus vindicandum corda præparantur omnium. Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem & luctum, & gaudium vestrum in luctum. Et illud, plorans ploravit in nocte; & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Tunc Sancta Ecclesia Dei dicebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte? Et illud: Audite, obsecro, universi populi, & videte dolorem meum, tunc omnis maritus sumpsit lamentum; & quæ sedebant in thoro maritali lugebant. Omnis itaque Clerus, Pastore percusso, huc illucque discurrebat, & cuncta pænè Altaria exuentes denudabant. Nihil alicubi, præter quod antedictum fuerat, in Ecclesiis Divini Officii illo die factum fuit. Elementa tamen ad tempus usque illud turbata, ne populum zelantem Domini zelum præpedirent, se pacata monstrarunt: terra verò aquam pænè cunctam, quam nimia inundatione sustinuerat, absorbens, iterum quodammodo siccum ad hoc omnibus ulciscendum ostendit. Tota itaque nocte, signis tubisque sonantibus, militibusque omnes aditus lustrantibus, ne aliquo portaretur extra Urbem ingenio, nullum usquam vestigium patuit: sanè re dubia, omnibusque ignorantibus utrum vivus, an mortuus esset, populo congregato in Capitolio, referentibus quibusdam innotuit, quòd in quadam turri captus teneretur. Tunc omnes gentes tulere voces ad sydera. Verùm ubi primùm dies terris est reddita, omnes inter se hortantes populi innumerabiles ad domum Antichristi venerunt. Incepta itaque pugna est: sed primo congressu pars hostilis fugam arripuit, omnisque factio in eadem se turri conclusit. Tunc omni parte vallatæ ignis appositus est; allatisque machinis & arietibus, rumpitur murus, cunctaque inibi conclusa

Digitized by Google

clusa sit Domini populo præda. Nemo suum periculum vitabat, sed sui oblitus pro posse pugnabat.

CAP. LII.

POrrò quidam vir cum quadam nobili Matrona Patrem Gregorium secutus est, qui ei solatium aliquantisper ferant. Vir namque ille tædio detractionis, & algore hibernalis noctis afflictum allatis calefecit pellibus, pedesque ejus in sinu suo composuit: matrona verò ipsa fomento medicaminis sui, Patris nostri plagam nimio sanguinis rosei profluvio tabidam, deplorando mulcebat, omnesque illos Dei inimicos homicidas sacrilegos acclamabat: altera nimirum Maria effecta; nam quemadmodum illa flens sua delicta, Domini vestigia lacrymando perfuderat: sic ista omnium crimina perferens, lacrymis suis tantum Pastorem proluebat. Osculabatur illa pedes Domini Salvatoris, quo deinde lota caput ad usque perveniret: hæc autem Dei & Domini famula primo baptismate munda, postremo pectoris ardore adusta, caput pectusque deosculans lacrymis rigabat. O memorabile pectus! ô devotissimæ fœminæ laudabile jecur! quantus tibi tunc charitatis ardor inhæserat? cùm ante oculos tuos æterni Regis ministrum, iniquorum manibus malè tractatum, vulneratumque prospiceres; nec satanæ ministris ex tuo ore pudico, sanctisque osculis, quæ pedibus, manibusque & capiti tanti patris feceras jam purgato, convitia digna, & maledictionis jacula subtrahebas. Verè credibile est animam tuam te pro patris vita ponere velle, & tormenta potiùs inexistimabilia percurrere, quàm Dominum captum, & tam malè tractatum videre. Pugnabat manibus omnium generosa virago, & immodicæ mercedis omnium particeps, quam tum sibi accumulabat.

CAP. LIII.

VErùm quantò istius animosa fides, tantò alterius mulieris linguosa perfidia. Nam sicut olim Dominicæ Passionis tempore, ancilla ostiaria Petrum terruerat; sic ista Vicarium ejus mordacibus opprobriis conturbabat. Quæ quidem illius traditoris soror fuerat, & idcirco tanto Patri maledicere non formidabat. Alter verò ejusdem traditoris minister & sequipeda, evaginatum gladium retinens, tanti viri caput ipso die se abscissurum blasphemando asserebat. Cujus impietatis vindictam velocissimum Domini judicium non distulit. Nam lancea à foris vibrata, guttur ejus diræ vocis venam obtruncans, ad terram morientem palpitantemque prostravit, sicque ad tartarum misit.

CAP. LIV.

TRaditor autem jam jamque videns capiendam esse turrim, & sibi periculum mortis imminere, coactus procidit ad pedes Beatissimi Papæ, dicens: Semper misericordiam, Pater, docuisti, docens perfecisti, errantesque convertens, conversos in fide solidasti; suscipe errantem, & ab iniquitatibus se convertentem; conversum solida, ne me desperationis profunditas absorbeat. Peccavi, erravi, tradidi, interfeci, sacrilegium perpetravi, Matris Regis enim thalamum corrupi, violentisque manibus tugurium & parvum Secretarium Dei Filii violavi (35) te Patrem & meum Dominum, ut parricida, perjuriis, sacrilegiis, manibus pollutis ex illius gremio attraxi. Suscipe, libera, tuere, misericordiam fer, da remedium, consilium, suffragium: injunge pœnam, pone pœnitentiam carceris, exilium, patriæ diffugium; & Dei judicio in me justissimè commotum, ex more, placa populum. Tuis me pollutum sanctis suscipe manibus, & hujus diei mihi pœnitenti concede spatium. Furcas mihi jure paratas corde conspicio, dignam pœnam intueor; & idcirco corpore prostrato, corde demisso, me potentiæ tuæ trado.

CAP. LV.

TUnc Papa clementissimus, pio ut erat pectore, tanta supplicantem adorsus est: Video te felle amaritudinis obligatum, & tuæ mentis oculos tenebroso squalore contectos; qui lumen veræ lucis, nobis tanto tempore laborantibus, cognoscere nequiverunt. Tu ipse nosti, quantis Religiosis viris te commonuerim, quantisque per memetipsum patientissimis admonitionibus sollicitaverim, quibus non solum non acquievisti, verùm etiam in deteriora prorupisti: sed tamen adhuc janua tibi vitæ patet, tantùm ut convertaris corde. Qui mox ad terram corruens, verum se reum, miserumque confessus est, promittens omnia sibi injuncta incunctanter perficere. Tandem vir mitissimus, solita sibi pietate commotus, respondit: Quidquid mihi ex ipsa injuria irrogasti, paternè indulgeo. Quod autem in Deum, & Matrem ejus, Apostolosque, seu omnem Ecclesiam contraxisti, luendum fore pronuncio, ita ut primo Hierosolymam tendas, & postmodum, si vivus inde reversus fueris, nostris te manibus & consilio repræsentes, ut sic saltem modo aliquo gratiam tibi reconciliare Omnipotentis Dei valeas. Et quemadmodum cunctis filiis Ecclesiæ, subversionis hactenus exemplar fuisti, ita de cætero conversionis fias. Hæc itaque cuncta, prout jussum est, ut videbatur, explere libentissimè spopondit: & sic, diei illius liberationem promeruit.

CAP. LVI.

TAndem Papa pius ad fenestram erectus, turbæ furenti expansis manibus, ut componeretur, & aliquanti majorum turrim ascenderent, innuit. Nonnulli verò putantes, quòd eos ad opus, quod incœperant, hortaretur, fortissimo impetu turrim scandunt. Et sic foràs adductus est, turbis omnibus flentibus præ gaudio, & præ pietate clamantibus. Cernebatur enim totus cruoris magnitudine respersus; & ideo nimio horrore perculsi, voces ad sidera proferebant. Factâ igitur victoriâ, omnes unà cum Papa Gregorio ad Dei Genitricis Ecclesiam, de qua nocte ipsa abstractus fuerat, gaudio non modico repleti conveniunt. Tunc pater communis Missam, quam nocte ministris diaboli præpedientibus finire non potuerat, horâ ipsâ complevit, & cum tanta victoria revertentibus benedictionis Dominicæ gratiam dedit.

CAP.

(35) Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris, & Præsepium Domini ibi existens violaverat.

Digitized by Google

CAP. LVII.

DEinde cibis summo tenus degustatis, rursum conveniunt adhuc plenius perscrutari omnes, qui inimico Dei se conjunxerant. Inventis autem illis, omnia bona ipsorum perdunt, & exterminio tradunt, nihil omnino linquentes præter personas, quæ præsidium ceperant. Verùm dum apud præfatam Ecclesiam populus pro Pastoris liberatione grates Deo redderet, iniquus ille Judas fugam cum uxore, filiis, & fratribus arripuit; & sic dimissis rebus suis, nudus evasit. Quidquid verò sui juris olim esse poterat, populus postea adveniens distraxit, turribus ac domibus subversis, præsidiis verò fisci titulo sociatis. Perditionis verò filius & Antichristi minister, ante mundi constitutionem damnatus, post suam evasionem, quidquid promiserat, non solum minimè persolvit, sed etiam quibusdam sui similibus profanis associatus; consilia malignitatis contra liberatorem suum dare, quoad vixit, non abhorruit.

CAP. LVIII.

HIs itaque præmissis, ad ea, quæ cum Rege Henrico peracta sunt, veniamus, & innocentiam Gregorii Papæ ostendendo, mala, quæ pro bonis receperat, tam præsentibus, quàm etiam subsecuturis, prout possumus, indicemus. Nonnullos enim fore credimus, qui partim rei gestæ, partim auctoritatum Sanctorum Patrum, ac Decretalium ignorantiâ, contra suæ salutis periculum Patrem communem reprehendere, infamare, &, quod omnino inspectante Deo malum est inexistimabile, maledictiones ingeminare nequaquam timeant. Qui, si fortè Divina inspiratione commoti, magis amore cognoscendæ veritatis, quàm superbæ procacitatis instinctu hoc agerent, veridicis & approbatis, religiosisque viris interrogatis crederent. Habent enim religione pollentes Episcopos infinitos; &, ut è multis paucos enuntiemus, Geraldum (36) Ostiensem, qui ob vitæ meritum ab Apostolica Sede Gallicanis ex partibus assumtus, septimum inter Cardinales Episcopos thronum promeruit. qui ad ejusdem Regis causam investigandam ab Apostolica Sede est transmissus, & ad confirmandum suo prolatum ore testimonium, plurimos est labores, pericula, vincula, carceresque ipsa pro veritate expertus. Habent Prænestinum, qui ad eumdem sufferendum laborem ab Urbe Roma missus est. Habetur insuper & Petrus Albanensis (37), qui ad confirmandum contra Simoniacos veritatis testimonium, immanem rogum pertransiens nudis plantis, sicut in Registro Domini Alexandri II. Papæ scriptum reperitur, illæsus exivit. Habentur etiam complures ex ultramontanis partibus, Udo Trevirensis, & Hermannus Mettensis, Altmannus Pataviensis vel Lauriacensis, Adelbero Wirzeburgensis, Hugo Diensis, in cujus electione tantum lumen fertur cœlitus descendisse, ut diem vinceret; & corda omnium qui aderant, advenisse Spiritum Sanctum, non dubitarent. Ad satisfaciendum etiam incredulis, cæterorum ordinum viri conveniantur: Abbas videlicet Cluniacensis (38) ejusdem Regis pater in baptismate, & Berinhardus Massiliensis, qui ob instantissimum fidei calorem, bis confessor factus, propter Dominum exsilia, compedesque est perpessus. Rapoto, qui nimirum propter sanguinis nobilitatem, & morum honestatem in Regem à populo expetitus asseritur: Adelbertus, Odalscalchus, quibus tam à Rege, quàm etiam à Papa res commissa fuerat.

CAP. LIX.

ET, ut nullus sexus pertranseat, veniamus etiam ad honestas, & tam religione, quàm etiam sæcularium rerum Potentatibus locupletes mulieres: Reginam videlicet Agnetem, ejusdem iniquissimi regis matrem, & verè reginam: quæ regali diademate dimisso, sæculum istud deserens, Dei, ejusque Matris, Apostolorumque ejus Petri & Pauli vestigiis irremissibiliter adhæsit: Beatricem insuper, ejusque nobilissimam prolem Mathildem; quæ licèt mundanâ curâ Ducum officium, Italiam gubernando, gesserunt, ut Debbora nimirum effectæ (quæ judicans Israël Jabin cum suis omnibus in torrentem Cison dispersit) hoc est, iniquos multotiens confusibiles contriverunt: quæ quidem inter Dominum Papam, & Regem mediatrices fuerunt; & Regni statum componere, & confirmare desideranti desiderio cupiebant. Horum omnium, aliorumque probabilium totius conditionis testimoniis non acquiescere, nihil est aliud, quàm Dei iram promereri, perpetuæque damnationis subire sententiam. His itaque ad tanti Patris innocentiam ostendendam commemoratis, illius Regis fraudes machinationes, & interdum etiam in Sanctum Petrum contumelias, nostræ schedulæ conjungentes, ne in erroris tenebrosi ignorantia scire volentes jacere permittamus, pro viribus cœpta sequamur.

CAP. LX.

Quomodo Henricus quartus indignus Regno successit.

TErtio igitur Henrico mortuo (39), quartus ille Henricus Rex, permittente Romano Pontifice Victore, qui tunc morienti præsens erat, hæreditario jure, nimirum puer successit; sed Salomone attestante, & dicente: Veh tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt; ad destructionem sui, & totius Regni, quidquid usquam sceleris esse potest, patravit. Cæco corde petulans patrem non timuit, sed reddentibus cunctis testimonium pueritiæ, imperfectæque ætati, lasciviam ejus Romani Pontifices supportarunt: existiman-

(36) Geraldus è Priore Cluniacensi factus Ostiensis Episcopus Cardinalis, & Ubertus, seu, ut hic auctor infra scribit, Humbertus Episcopus Cardinalis Prænestinus, creati anno 1072. biennio postea ad Henricum Imperatorem Legati missi sunt ad componenda inter Sacerdotium, & Imperium discidia.

(37) Petrus cognomento Igneus, quòd ad comprobandam Petri Florentini Episcopi Simoniam in medio ingentis rogi illæsus remansisset. Erat tunc Monachus Vallis-umbrosæ Beati Johannis Gualberti discipulus, ut in ipsius vita narratur. Obiit die 8. Januarii. Cæteri hîc memorati, noti sunt.

(38) S. Hugo. Bernardus Massiliensis Abbas obiit anno 1080. De eo egimus in prima hujus Sæculi parte, ubi de S. Isarno.

(39) Obiit Botfeldii prope Henricinam Silvam die 5. Octobris anno 1056. relicto Henrico filio, annos septem aut octo nato, sub Agnetis matris tutela.

Digitized by Google

ſtimantes illum virile ſcandere tempus, quo corrigi poſſet per ſe; non attendentes quod ſcriptum eſt: Qui parcit virgæ, odit filium ſuum, nutritur namque vitium. Et dum ramus tener non mundatur, aut evellitur, in maturitatem veniens, manu vix, aut ferro præciditur. Sic nimirum ille majorum aſcendens currum, omnem Eccleſiam ſuperbienti calcaneo ſupponere, calcandamque præbere vilem ut ancillam, pro viribus conabatur.

CAP. LXI.

QUod ſcelus Romana Eccleſia non ferens, quæ caput totius Religionis & magiſtra eſt, & cui cunctos ſæculi potentes præ cæteris corrigere, vacillanteſque conſolidare proprium eſt, ipſo Domino præcipiente Apoſtolo Petro; Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos (*): literis eum convenire, & commonere, & prædicare cœpit. Cujus collum Chriſti jugum ferre neſcium, libertatis ſuæ arbitrio induratum, hac illacque avertendo diffûgit, novo pectore nova verſans conſilia, tempus opportunum expectavit, quo Romanam Eccleſiam, ut cæteras, ſibi ſubjicere poſſit. Ad quod poſtea res ut ipſa patuit, anniſu, quo valuit erectus eſt. Nam mortuo Nicolao Papa II., ſubintroductoque Sanctæ memoriæ Alexandro (40), veſaniâ ſuæ mentis arreptus, hæreticum Cadaloum Parmenſem malè nominatum Epiſcopum; datâ per manum ſuam inveſtiturâ, in Papam erigere non formidavit. Verùm, cedentibus omnibus, controverſus Deo quod deliberaverat nequaquam ad effectum perducere potuit. Quo tempore, quantis ſit paternis literis commonitus, ejuſdem Patris Alexandri libri teſtantur. Cui Pater Gregorius, poſtquam Domini voluntatem fugiens, & renitens ſuccedere coactus eſt, ut decebat, paterna illum viſitavit commonitione, orans, & poſtulans, ut pro amore omnium Regis, etiam pro ſui ſtatus ſalute, pro animæ ſuæ remedio, ab actis, quibus oportebat tantum Sanctæ Eccleſiæ filium & membrum abſtinere, pedem retraheret; agnoſceretque Regem Regum ſuper ſe inſpectorem, qui cordium conſilia, & tenebrarum abſcondita cognoſcens, unicuique ſecundum opera ſua reddit: rogans etiam, ut conſiliarios peſſimos, qui magis ſua quàm eum diligebant, dimitteret; quoniam, talium conſiliis conſentire, nihil aliud eſſe, quàm mortem acquirere, regnumque ſubvertere, & in fabulam cunctis gentibus fieri velle, ſignificabat.

CAP. LXII.

AD hoc Rex ipſe parumper commotus, literas ſupplices, & magis, ut poſtea claruit, ſubdolas, emendationem promittentes miſit. Allatis itaque literis, tota Eccleſia lætata eſt, ſperans Sacerdotium & Regnum Dei gratiâ coadunandum, ad purgandum omne, quod in ipſa ſparſim incumbebat ſordidum. Tunc communi conſilio definitum eſt, ut pro tanta cauſa, tamque Deo digna ratione, Agnes mater ejus Auguſta, unà cum Venerabilibus Epiſcopis, Oſtienſi videlicet & Præneſtino, è latere Domini Papæ miſſis, Regem cum Apoſtolicis literis adiret, ut tanta promiſſione percognita, certum finem malæ rei hactenus commiſſæ imponere vellet. Quam Rex ipſe, cum memoratis Apoſtolicis Nunciis honorificè ſuſcepit: reverſuſque ad cor, ut juſtum fuit, in omnibus Deo, & Sancto Petro ſatisfecit. Quidquid etiam Legati ſibi ſuperpoſuerunt, humillima mente portare promiſit in manibus eorum, de cætero ſe cuſtodire, omneſque Simoniacos, maloſque conſiliarios, & excommunicatos à ſe procul repellere, & Dei Eccleſiam ſecundùm canonicam inſtitutionem per conſilium Papæ ordinandam, componendamque dimittere. His, aliiſque cauſis determinatis, ad Apoſtolicum reverſi ſunt.

CAP. LXIII.

REx quoque reverſus eſt ad eadem volutabra, quibus involvi conſueverat, credens nimirum magis ſuæ blandienti voluntati, maliſque conſiliariis, quàm ſanæ religioni. Ad quod corrigendum mater ejus Auguſta iterum à Sede Romana miſſa eſt. Cum quo, tempore aliquo converſata, Sanctæ Matris Eccleſiæ erga illum affectum omnem aperuit. Ille verò jactum verbi ſemen cordis agro recepit, ſed ſecundùm Evangelicam parabolam, dum mater ferit, aliud cecidit ſecus viam, quod tam humanis greſſibus conculcatum, quàm à volucribus eſt raptum: aliud verò inter ſpinas, & ab exortis ſuffocatum fructum ferre non valuit: aliud verò ſuper lapidei cordis duritiam jactum, aduſtum ſolis ardore radices habere non potuit. Per humanos quidem greſſus, malorum hominum; quibus utebatur, conſilia: per volucres verò, immundorum ſpirituum ſuggeſtiones: per ſpinas verò, divitias, regiaſque voluptates; per petram verò, duritiam cordis ſignificari, intelligere quilibet ſenſatus poterit. Moram autem faciente Regina, ſuas iterum literas Papa miſit, ut inſtaret verbo, & liberationi filii; ipſumque rogavit, ut quemadmodum in literis ſibi olim miſſis continebatur (41), Legatorumque in manibus promiſſio & fides data oſtenderat, ſic ſe cuſtodiret, & maximè à Simoniaca hæreſi, qua inſudabat, ſpiritum ſuum cohiberet, excommunicatos conſiliarios, quos pro ſalute ſua, regnique ſtatu Apoſtolica Sedes, & Synodus juſtè damnaverat, procul abjiceret, ne in eamdem maledictionem incideret. Regina Romam revertens, filium ad Dei juſtitiam & honorem inclinatum fore aſſeruit. Cui non multo poſt vacillanti, blandientes & idoneæ literæ (42) bis miſſæ ſunt.

CAP. LXIV.

Quomodo Saxones conſpirabant contra Regem.

ILlo quidem tempore Saxones, quoniam videbant ab eo ſe nimiùm crudeliter tractari, unanimiter conſpiraverunt, ut pro Rege illum ampliùs non haberent. Tunc coactus ſupplices ad Apoſtolicum literas direxit, orans, ut ſuis orationibus commendatum ſuſciperet; quatenus eum de tam horrendo, pavidoque judicio jam imminenti, ſuis meritis Excelſi Regis dextrâ eriperet; iterum iterumque promittens; nil umquam ampliùs de Eccleſiis Dei facere, quod Sancti Canones reprehendere poſſent. Cujus precibus motus Papa, eiſdem Saxonibus literas, & Nuncios miſit, & circa ejuſdem Regis

(*) Luc. 22.
(40) Anno 1061. ut ſupra obſervavimus.
(41) Vide lib. 1. Epiſt. 85.
(42) Eodem libro Epiſt. 30. & 31.

Digitized by Google

gis radices fodiens, prædicationis suæ cophinos misit, expectans scilicet ut grossos ex ficu colligere posset. Sed unde sumere humoris boni plenitudinem debuit, inde post marcidus aruit: & expectata vitis ad pingues botros ferendum, labruscas viles, & exiles portavit: & seges foliis pulcrioribus ornata, messis tempore nil aliud, quàm infandæ permistionis lolium protulit. Monuit equidem Regem, interim se ab armis suspenderet, donec è Saxonum partibus Nuncios haberet. Rex verò non acquiescens literis, & commonitionibus patris, terras Saxoniæ intravit, ubi ex utraque parte, hominum peccatis exigentibus, multus humanus sanguis effusus est. Regis tamen in manibus, justo Dei judicio, victoria data: pro qua sub manibus Domini humiliari debuit, tamquam ignitus, & spiritu elationis inflatus, contra ipsum intumuit. Nam cuncta, quæ pridem per matrem, per Episcopos, per Clericos, per communes Nuncios & privatos antea promiserat; postmodum, quia securus, in irritum duxit. Siquidem Ecclesias, quas in manibus Domini Papæ corrigendas sub juramento posuerat, non solùm non dimisit, verùm etiam, contra decretales Patrum institutiones, quibusdam adulteris, & simoniacis sub investitura contradidit: inter quos etiam Gotefridum (43), propter Ecclesiæ Mediolanensis invasionem excommunicatum, ejusdem invasionis adulterio investivit, Altono cum Papa morante, quem Archiepiscopum melior pars Cleri & populi suum Dominum elegerant. Dedit etiam Firmanam & Spoletanam.... (44)

CAP. LXV.

HIs autem ad Apostolicam Sedem perlatis, Papa Gregorius non modicum conturbatus est. Cœpit interea agitari multis sollicitudinibus: quoniam cuncta, quæ ad pacem provenire speraverat, verti in contraria perspiciebat. Tandem causas aliquas, sibi per quosdam Legatos secretè missas, quibusdam personis, honestisque viris patefecit, ut perpenderent quid super his statuendum foret. Tantis itaque promissionibus, immo simulationibus inspectis, omnes mirari cœperunt. Verùm, ne Romana Sedes videretur aliquid injustè, seu præcipitanter agere, definitum est, ut eidem Regi acriores literæ scriberentur; in quibus plenè cognosceret, nullo timore, amoreve justitiam dimittere posse Romanum Pastorem. Scripsit autem ad Beatricem, ejusque filiam Mathildem, quæ tunc temporis Italiam totam præ cæteris gubernabant; ad eundem Regem, ad invasorem Mediolanensem, ad suffraganeos omnes.

CAP. LXVI.

TUnc Rex gravi mœrore & timore correptus, hac illacque mente furibunda transcurrens, omnes suos nequam Consiliarios advocavit: deductis in medium nonnullis seductoribus ante perversæ mentis oculos; qui plura, quibus humana mens falli solet, proposuerunt, Regni honorem à patre dimissum, liberum arbitrium, opes infinitas, militum abundantiam & fortitudinem, Episcopos, Duces, tyrannos, & sub fidelitate Principes constrictos superborum etiam colla suo jugo contrita, quæstum insuper Ecclesiarum, suis manibus traditarum, & multa alia, quæ ut diximus, sæcularium mentes illiciunt. Inter quos Moguntinus fuit Archiepiscopus (45), & reliqui, qui sub ipso degebant suffraganei. Facta verò tali conventione, statuerunt, ut Imperialis constitutio, cunctos in suo Regno manentes Episcopos, cursoribus ubique missis, ante suam præsentiam juberet assistere; & coadunatis omnibus, anathemati, quod Moguntinus hæreticus contra Beati Petri Vicarium, immo in Dominum, & Apostolum ejus componeret, subscriberent. Quòd si fortè motus aliquâ reverentiâ quis eorum se subtrahere vellet, rebus omnibus, & dignitate privatus, ut Regalis Majestatis obnoxius capitalem subiret sententiam.

CAP. LXVII.

INterea, Legatis undique missis, ab Urbe quidam Hugo, olim Cardinalis, tunc autem inter Episcopos hæreticos præcipuum caput, qui jam tertiò ab Apostolica Sede damnatus fuerat, quia quosdam Simoniacos reconciliare præsumserat, fictitiis suis literis Archiepiscoporum, Episcoporum personas repræsentans, advênit laudans omnia, quæ super Dominum Papam composuerant; projectis in medium aliis Epistolis, sub omnium Cardinalium, senatusque, ac populi nomine titulatis, quibus significabantur quædam proclamationes ad præsentiam Regiam delatæ; ubi etiam continebantur postulatio novi Pontificis, & abjectio legitimi Pastoris: subintulit etiam multas inimicitias, quas patiebatur à Nortmannis, à circumjacentibus Comitibus, ab ipsis etiam traditoribus in Urbe manentibus. Quibus visis, Rex non modicè lætatus, ad opus componendum fomentum desideratum accepit. Adductis itaque in medium diabolicis Pontificibus, anathema super Dominum Papam, immo super se ipsos protulerunt. Missis etiam in Longobardiam, & Marchiam à Latere Regis tam Nunciis, quàm apicibus, visum est, ut facto anathemati subscriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ, ex præcepto Regis, & magis ex propria malevolentia, & odio ut res patuit, anathemati subscripserunt. Nam ad ostendendum malæ voluntatis cumulum, positis Sacro-Sanctis Evangeliis, juramento firmaverunt, nullo modo se deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros. missisque Nunciis, idem ut alii facerent effecerunt. Scripsit autem idem Rex Romam literas, omni injuria inhonestas, falsitateque repletas, præcipiens Domino Papæ, ut de Sede surgeret. Ecclesiamque dimitteret; vocans eum perjurum, invasorem, & Regiæ dignitatis diminutorem: maximè Simoniacis Longobardiæ elaborantibus, statuerunt etiam, ut non ante literæ darentur & verba, quàm Synodus, quæ congregata in Romana fuerat Ecclesia, pleniùs hoc audire posset, quod etiam factum est.

CAP.

(43) Gotefridum à se excommunicatum, quòd Mediolanensem Ecclesiam Simoniacè invasisset, denuntiat Gregorius lib. I. Epist. 15. Cæterùm nec ejus nec Altoni, seu ut habet Ughellus, Athonis meminit Catalogus Archiepiscoporum Mediolanensium tomo I. Itineris Italici pag. 113. & 115.

(44) Hic aliquid deest supple ex Gregorii Epist. 15. lib. 3. & vide Ughellum tomo I. & II. Italiæ Sacræ ubi de istarum urbium Episcopis.

(45) Sigefredus Archiepiscopus Moguntinus, tunc temporis celebris, sicut & Hugo cognomento Blancus, qui à Gregorii fide desciverat.

CAP. LXVIII.

NAm & Papa Synodum faciente ; quidam Parmensis Clericus, Domini Apostolici ad injuriam, cum eisdem literis præsentare se non abhorruit, & easdem blasphemias in facie totius Ecclesiæ & conventus proferre non formidavit. Per idem tempus, prodigium ad illius iniquitatis indicium, & confirmationem futuræ rei in Urbe, juxta Beati Petri Ecclesiam ortum est, quod omnium corda nimium in stuporem converterat. Nemo enim aliquam significationem super ipsum dare & proferre dignè convenienterque poterat. Siquidem gallina ovum mirifico cælatum opere peperit, in quo duo mira insignita fuerant, serpentis scilicet, & scuti similitudo nimio horrore tenebrosa. Serpens verò qui in triplicem ex eodem ovi cortice se sinuationem erexerat, vertice se sursum erigere velle ad summitatem ovi conabatur : caudam verò in partem tenebrarum illius extenderat. Sed dum ad ovi summitatem tenderet, quodam ictu repercussus, ventre tenus caput reflexerat. Scupea verò ejus non depicta, sed extra corticis ordinem posita. manu deprehendi & tractari, velut alia materialis res poterat. Considerantibus autem omnibus, & mirantibus Episcopis, cæterisque, qui in Synodo consederant, Nuncius ille Antichristi advênit.

CAP. LXIX.

POstquam verò, finito hymno, facturus sermones exhortationis omnibus Papa consederat ; ille præcursor Antichristi, non tribuens honorem Deo, magisque diligens terrenum, quàm Cœleste Imperium ; sic eumdem Papam alloquitur : *Dominus meus Rex, & Episcopi omnes Ultramontani & Italici, præcipiendo mandant, ut invisam Sedem Beati Petri, & Romanam Ecclesiam amodo dimittas. Non est enim dignum, sinè præcepto illorum, & Imperiali dono, tantum honorem scandere*. Et conversus, Clero Romano dixit: *Vobis dicitur, fratres, ut ad futuram Pentecostes sollemnitatem Regio conspectui vos repræsentetis, suscepturi de manibus Regis Papam & Patrem: quia hic, non Papa, sed lupus esse dinoscitur rapax*. Ad cujus verba mox Johannes Portuensis Episcopus, morum honestate & Religione vir præclarus, facto impetu surgens, immensa voce clamavit; *Capiatur*. Tunc Præfectus, facto impetu cum judicibus, militibus & Romanis nobilibus tantum impostorem, evaginatis in ipsa Ecclesia Salvatoris gladiis, ante Domini Papæ præsentiam interimere voluit: & fecisset, nisi pius Pater toto corpore se super eum projecisset, omnibus de ejus morte clamantibus.

CAP. LXX.

TAndem vix impetrato silentio, Dominus Papa dixit : „ Nolite filii Ecclesiæ Sanctæ Domini Dei nostri quietem in seditionem „ aliquam commovere. Oportet enim instare „ tempora. secundùm Divinarum Scripturarum „ seriem, (*) periculosa, in quibus homines „ se ipsos amantes, cupidos, superbos, elatos, „ parentibus inobedientes, neque præceptoribus reverentiam exhibentes esse necesse est: „ ut patientia filiorum Dei, exhibitio fidei nostræ multo pretiosior sit auro, quod per „ ignem probatur. Clamat nobis Divinus sermo dicens. Necesse est, ut veniant scandala. „ Væ autem homini illi, per quem scandalum „ venit. (*) Et iterum, ad ostendendum „ nostræ qualitatis modum, qualiter inter inimicos nostros conversari debeamus, subjunctum est. Ecce. ego mitto vos sicut agnos „ inter lupos ; estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Nunc „ verò licèt Antichristi præcursor in Ecclesiam „ surrexerit, nos tamen multis à temporibus, „ tam à Domino, quàm à Sanctis Patribus „ edocti, sic geminæ scientiæ munere gressus „ incedamus per pristinos, ut quemadmodum „ pii Patres serpentis astutiam columbina simplicitate condiverunt, simplicitatemque columbæ serpentis astutiâ fugaverunt : ita & „ nos mansuetudinem felle carentis alitis teneamus, & prudentiam serpentis non relinquamus. Utrumque enim mente gestare, non „ est vitium, sed dignæ discretionis arcanum. „ Non enim aliquem odio prosequi debemus; „ sed imprudentiâ fatuitateve legem Domini „ volentes infringere, subportare. Ecce enim „ acceptabile tempus adest ; ecce iterum Dominus spiritualiter inter homines ambulat, „ clamans & dicens : Qui vult venire post me, „ abneget semetipsum, & reliqua. (*)

CAP. LXXI.

AD viam ergo vitæ nos Dominum vocantem sequi oportet, si hæreditatis æternæ fructum desideramus carpere. Per multas tribulationes, ut Doctor noster docuit, oportet nos intrare in regnum Dei. (*) Satis est, quòd huc usque in pace viximus Ecclesiæ: nunc verò diu aridam messem, Sanctorum iterum sanguine convenit irrorari, ut fructus illius longo tempore tabidus senio, recenti rore perfusus, in pristinum redeat decoris adspectum. Videmus pugnam diaboli in apertum prosilire campum, hactenus fuscis squaloribus adopertum. Nunc ideo tirones Christi doctas manus ad prælia gestantes, convenit obviare: quatenus Christi fides, quæ eodem inficiente diabolo, toto pæne terrarum orbe dispersa, relictaque cernitur, cuncta, Domino Deo per nos pugnante, instauretur. Ad detrimentum nempe nostræ salutis, sæculares quotidie propugnare conspicimus, qui nihil aliud quàm gehenna acquirunt: si nos, quibus vivere Christus esse debet, & ejus etiam amore mori lucrum ; quibus in retributione post istam miseram & imaginariam vitam felicitas præparatur æterna, à Dei legibus, & fide nostra orthodoxa pedem hosti cedendo non retrahamus.

CAP. LXXII.

COmmoveat nos saltem vox Dominica, quæ dicit : Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum. Terribile nobis videri debet, si tempore illo, à tanto Tribunali sententiam nostris negligentiis diræ verecundiæ capiamus; quorum laboribus Judex omnium alios remunerare vult. Ideo enim domus suæ speculatores nos æterna sapientia esse voluit, ut ipse postmodum venturus inhabitator mundam domum

(*) 2. Tim. 13.
(*) Matth. 18.
(*) Matt. 16.
(*) Act. 14.

Digitized by Google

mum nostro studio habere possit. Ad quod scilicet opus egregium instare Domini Sacerdotes hortantur, cùm in maturo tempore legibus Domini senescentes post quinquagesimum annum custodes vasorum Domini præcipiuntur fieri. Vasa quippe, ut Beatus Gregorius ait, nostra sunt corda, quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Corda etiam Dei vivi templum esse sacra testantur eloquia: quæ quidam tanto mundari convênit diligentiùs & ornari, quanto illorum inhabitatorem cæteris mundiorem esse dignoscimus. Scriptum quippe est: mundus habitator mundam quærit domum. Et iterum: Evigilate justi, & nolite peccare. Et iterum: Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

CAP. LXXIII.

Videmus jam, fratres, si corda nostra erigere conemur intentè, auctorem nostrum pulsare, nosque commonefacere, ut aperiamus illi, & claudamus ostium diabolo, & ejus satellitibus, & complicibus pro viribus resistamus, in promtu habentes ulcisci, secundùm Apostolum, omnem inobedientiam. Neque timendum est, etiam si prævalere possint adversùs nos: quoniam ideo illis potestas à justo traditur Judice, ut fiant nostræ probationis caminus, citò in cinerem & favillas consumendus, nosque vasa explorata perpetuò in Domini ministerium assumenda. Speramus sanè nec dubitamus, quòd nulla tribulatio, persecutio, gladiusve, vincula, carceres, exilia, instantia, futura, poterunt nos separare à charitate, quæ est in Christo Jesu, & Sanctis ejus legibus. Melius est enim mori pro legibus Domini, quàm eorumdem pervasoribus, & destructoribus terga vertendo, Ecclesiæ (jura prodere), quoniam non obviare talibus, Christi planissimè est fidem negare.

CAP. LXXIV.

Videmus præ oculis, & manibus habemus signum antiqui serpentis; quod Omnipotens Deus ideo nobis ostendit, ut cautos sollicitosque redderet, & quid super filium superbiæ extollentem se adversùs hanc Sanctam Ecclesiam Catholicam facere debeamus, insinuaret. Sancta quippe scriptura fidem, Sanctæque Ecclesiæ figuram ovi nomine designat; in qua quidem malos cum bonis permistos esse usque ad mundi terminum, nullus fidelium dubitat. Sed licèt fraudibus, deceptionibusque aliquandiu se occulere studeant, non semper latere, Domino revelante, possunt: ut cùm in apertum venientes emicarint, cunctis appareat fraus, quæ latebat, & in cognitos Sancta Dei Ecclesia ultionis gladium exerat. Rex iste, cujus figuram Deus mihi demonstrari, & cognosci per serpentis similitudinem voluit, hactenus timens, suis subdolis verbis & Nunciis, velut in tenebrosæ noctis caligine latuit: qui modo foras saliens, quod corde gestabat, ostendit sufficienter ad condemnationem, quam passim per Dei Ecclesias commiserat. Nunc verò, ut cernitis, caput ad fidei nostræ fundamentum erigere cœperat, sicut scriptum est: Posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra. De quo Johannes Apostolus dicit: Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias. Et illud: Et cauda ejus (draconis) tertiam partem stellarum traxit. Non attendit miser quid veritas ipsa dixit magistro nostro, & Principi Ecclesiæ: Super hanc, inquit, petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Nunc igitur, fratres convenit gladium ultionis exerere, & inimicum Dei & Ecclesiæ alligando percutere, ut percussum caput quod ad fidei fundamentum, & omnium Ecclesiarum erectum esse dinoscitur, corruat: ut, quemadmodum in primo superbiæ suæ tempore ei dictum est, pectore & ventre repat. Nolite timere, ut ait Dominus, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Satis est quod huc usque sustinuistis. Bene convenienterque illum commonuistis; nunc verò cauteriatam conscientiam se habuisse cognoscat.

CAP. LXXV.

His, atque aliis nonnullis peroratis, Sancta & magna Synodus dixit: Tua, Sanctissime Pater, censura, quem ad regendum nostri temporis sæculum Divina peperit clementia, contra blasphemum, invasorem, tyrannum, desertorem, talem sententiam proferat, quæ hunc conterat, & futuris sæculis transgressionis cautelam conferat. Dignum quippe est jussis tuis obedire, & obsecundare ut possumus: neque facere cupimus animas nostras pretiosiores nobis. Libenter enim, si necesse est, mortem amplectimur. ut Patrum nostrorum vestigia relinquere non videamur. Cur enim non demus pro Dei nostri sanctis legibus illud quod à nolentibus nobis aufertur? Gladium exere, judicium exerce, ut lætetur quilibet justus cùm viderit vindictam, manus suas lavet in sanguine peccatoris. Tandem omnibus acclamantibus, definitum est, ut honore Regio privaretur, & anathematis vinculis tam prænominatus Rex, quàm omnes assentanei sui colligarentur: Acceptâ itaque fiduciâ Dominus Papa, ex totius Synodi consensu & judicio, protulit anathema in hunc modum.

CAP. LXXVI.

Anathema, quod Gregorius VII. protulit in Regem Henricum.

„ Beate Petre (46) Apostolorum Princeps, „ inclina, quæsumus, pias aures tuas no- „ bis, & audi me servum tuum, quem ab in- „ fantia nutristi, & usque ad hunc diem de „ manu iniquorum liberasti, qui me pro tua „ fidelitate oderunt, & odiunt. Tu mihi testis „ es, & Domina mea Mater Dei, & Beatus „ Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quòd „ tua Sancta Romana Ecclesia me invitum ad „ sua gubernacula traxit; & ego non rapinam „ arbitratus sum ad Sedem tuam ascendere, „ potiusque volui vitam meam in peregrina- „ tione finire, quàm locum tuum pro gloria „ mundi sæculari ingenio arripere: & ideo ex „ tua gratia, non ex meis operibus credo. quòd „ tibi placuit, & placet, ut populus Christia- „ nus tibi specialiter commissus mihi obediat „ specialiter pro vice tua mihi commissa; & „ mihi tuâ gratiâ est potestas data à Deo li- „ gandi, atque solvendi in Cœlo, & in Terra. „ Hac

(46) Habetur in Concilio Rom. III. sub eodem Pontifice anno 1076.

„ Hac itaque fiducia fretus, pro Ecclesiæ tuæ „ honore & defensione, ex parte Omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, „ per tuam potestatem & auctoritatem Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Teutonicorum, & Italiæ „ gubernacula contradico, & omnes Christianos à vinculo juramenti, quod sibi fecere, „ vel facient absolvo, & ut nullus ei sicut Regi serviat, interdico. Dignum est enim, ut „ qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, „ ipse honorem amittat quem videtur habere. „ Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Dominum rediit, quem dimisit „ participando excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro „ sua salute sibi misi, te teste, spernendo, seque ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, „ separando; vinculo eum anathematis vice „ tua alligo, ut sciant gentes & comprobent, „ quia tu es Petrus, & super tuam petram „ Filius Dei vivi ædificavit Ecclesiam suam, „ & portæ inferi non prævalebunt adversus „ eam.

CAP. LXXVII.

POst hæc misit ad diversos Epistolas idem anathema, & causas ejus manifestantes, ex quibus has duas interponere præsenti opusculo curavimus.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, omnibus, qui cupiunt annumerari inter oves, quas Christus Beato Petro commisit, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ AUdistis, fratres carissimi, novam & inauditam præsumtionem, audistis sceleratam Schismaticorum, & nomen Domini in „ Beato Petro blasphemantium garrulitatem, & „ audaciam; audistis superbiam ad injuriam, & „ contumeliam Sanctæ & Apostolicæ Sedis elatam, qualem vestri patres nec viderunt, nec „ audierunt umquam, nec scripturarum series „ aliquando à paganis, vel hæreticis docet emersam: cujus mali, etsi aliquod umquam post „ fundatam & propagatam fidem Christi præcessisset exemplum, omnibus tamen Fidelibus pro tanto contemtu & conculcatione „ Apostolicæ, immo divinæ auctoritatis, dolendum foret, & gemendum. Quapropter si „ Beato Petro claves Regni Cœlorum à Domino Deo nostro Jesu Christo traditas esse creditis, & vobis per manus ipsius ad æternæ „ vitæ gaudia introitum patere cupitis; cogitandum vobis est, quantum nunc de irrogata „ sibi injuria dolere debeatis. Nisi enim hic, „ ubi per discrimina tentationum vestra fides, „ & corda probantur, socii passionum efficiamini, procul dubio non estis digni, ut participes futuræ consolationis, & filii Regni „ Cœlestem coronam & gloriam sortiamini. „ Rogamus igitur charitatem vestram, ut instanter Divinam misericordiam implorare „ studeatis: quatenus aut corda impiorum „ ad pœnitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda consilia, quàm insipientes & „ stulti sint, qui petram à Christo fundatam „ evertere, & Divina privilegia violare conantur, ostendat. Qualiter autem, aut pro quibus causis Beatus Petrus anathematis vinculo „ Regem alligaverit, in chartula, quæ huic „ inclusa est, plenè potestis cognoscere.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus, caterisque Fidelibus in Regno Teutonicorum Christianam fidem defendentibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

CAP. LXXVIII.

„ AUdivimus quosdam inter vos de excommunicatione, quam in Regem fecimus, dubitare; ac quærere utrum justè excommunicatus sit, & si nostra sententia ex „ auctoritate, ea qua debuit deliberatione, „ progressa est. Quapropter qualiter ad excommunicandum illum adducti simus, prout „ veriùs potuimus, teste conscientia nostra, „ oculis, & intellectibus omnium patefacere „ curavimus non tam, ut singulas causas, quas „ heu! nimium notæ sunt, quasi nostro clamore in publicum projiciamus, quàm ut eorum opinioni satisfaciamus, qui putant nos „ spiritualem gladium temerè, & magis motu „ animi nostri, quàm Divino metu, & justitiæ „ zelo arripuisse.

„ Cùm adhuc in Diaconatus officio positi essemus, perlata ad nos de Regis actionibus „ sinistrâ & multùm inhonestâ famâ, propter „ spem ac desiderium correctionis suæ, sæpe „ eum per literas & Nuncios suos admonuimus, ut à pravitate sua desisteret, & memor clarissimi generis ac dignitatis suæ, vitam moribus, quibus Regem, & futurum, „ Deo donante, deceret Imperatorem, instituteret. Postquam verò ad Pontificatus apicem, licèt indigni, venimus, cùm illius ætas „ pariter cresceret & iniquitas; intelligentes „ Deum Omnipotentem districtiùs de manu nostra animam illius requisiturum; quantò nobis ad increpandum illum præ cæteris libertas data fuisset & auctoritas, multò sollicitiùs eum modis omnibus, arguendo, obsecrando, increpando, ad emendationem vitæ „ suæ hortati sumus. Qui cùm sæpe nobis devotas salutationes & literas mitteret, excusans se, cum ex ætate quòd fluxa esset & „ fragilis, tum quòd ab his, in quorum manibus Curia erat, multoties malè sibi suasum „ atque consultum sit; monita nostra de die in „ diem se promtissimè suscepturum verbis quidem promisit, cæterùm re & exageratione „ culparum penitus conculcavit.

„ Inter hæc quosdam familiares suos, quorum consiliis & machinationibus Episcopatus, & multa Monasteria, inductis per pretium lupis pro pastoribus, Simoniaca hæresi „ fœdaverat, ad pœnitentiam vocavimus: quatenus & bona Ecclesiarum, quæ per interventum tam scelerati commercii sacrilega „ manu susceperant, venerabilibus locis, ad „ quæ pertinerent, dum adhuc locus esset „ emendandi, redderent; & ipsi pro perpetrata iniquitate per lamenta pœnitudinis Deo „ satisfacerent. Quos, dum ad hæc exequenda datas inducias spernere, & inconsueta „ nequitia pertinaciter stare cognovimus, sicut „ dignum erat, sacrilegos & ministros ac membra diaboli à communione, & corpore totius Ecclesiæ separavimus, & Regem, ut eos „ à domo sua, à consiliis & omni communione „ sua sicut excommunicatos expelleret, admo-

„ nui-

Digitized by Google

„ nuimus. Interim verò aggravescente contra „ Regem Saxonum causa, cùm vires & præ- „ sidia Regni ex maxima parte à se deficere „ velle videret, iterum nobis direxit Epistolam „ supplicem & omni humilitate plenam, in „ qua Omnipotenti Deo, & Beato Petro, ac „ nobis valde se culpabilem reddens, preces „ etiam obtulit, ut quod ex sua culpa in Ec- „ clesiæ causis contra canonicam justitiam, & „ decreta Sanctorum Patrum factum esset, no- „ strâ Apostolicâ providentiâ & auctoritate „ corrigere studeremus: atque in ea suam no- „ bis per omnia obedientiam, consensum, & „ fidele promisit adjutorium. Hoc idem etiam „ postea à Confratribus & Legatis nostris, „ Humberto Prænestino Episcopo, & Geraldo „ Ostiensi Episcopo, quos ad illum misimus, „ ad pœnitentiam susceptus; in illorum ma- „ nus per sanctas stolas, quas in collo tene- „ bant, repromittendo confirmavit.

„ Deinde post aliquod tempus, commisso „ cum Saxonibus prœlio, Rex pro victoria, „ quam adeptus est, tales Deo grates & victi- „ mas obtulit, ut vota, quæ de emendatione „ sua fecerat, continuò frangeret, & nihil eo- „ rum quæ promiserat attendens, excommunio- „ catos in suam familiaritatem & communio- „ nem reciperet, & Ecclesias in eam quam „ consueverat confusionem traheret. Qua de „ re gravi dolore percussi, quamquam post „ contempta Cœlestis Regis beneficia, pæne „ omnis spes correctionis ejus nobis ablata sit, „ adhuc tamen animum ejus tentandum fore „ decrevimus, magis cupientes eum Apostolica „ mansuetudine audire, quàm experiri severi- „ tatem. Itaque misimus ei Epistolas commo- „ nitorias, ut meminerit quid, & cui promi- „ serit, ne credat se posse fallere Deum, cujus „ quantò prolixior est patientia, tantò severior „ est, cùm judicare cœperit, ira: nec inhono- „ ret Deum honorantem se, nec potentiam „ suam ad Dei contemtum, & Apostolicam „ tentet extendere contumeliam; sciens, quòd „ superbis Deus ressistit, humilibus autem dat „ gratiam.

„ Præterea misimus ad eum tres religiosos „ viros, suos utique fideles, per quos eum se- „ cretò monuimus, ut pœnitentiam ageret de „ sceleribus suis, quæ quidem horrenda dictu „ sunt, pluribus autem nota, & in multis par- „ tibus divulgata: propter quæ eum excom- „ municari non solum usque ad dignam satisfa- „ ctionem, sed ab omni honore Regni absque „ spe recuperationis debere destitui, divina- „ rum, & humanarum legum testatur aucto- „ ritas.

„ Postremò, (monuimus) nisi excommuni- „ catos à sua participatione divideret, nos ni- „ hil aliud de eo judicare aut discernere posse, „ nisi ut separatus ab Ecclesia in excommuni- „ catorum consortio foret, cum quibus potiùs, „ quàm cum Christo partem habere elegit. „ Sanè, si nostra monita suscipere, & vitam „ suam corrigere vellet, Deum testem invoca- „ vimus, & invocamus, quantum nos de ejus „ salute & honore gauderemus, & cum quan- „ ta charitate eum in gremium Sanctæ Eccle- „ siæ amplecteremur: utpote eum, qui Prin- „ ceps populi constitutus, & amplissimi Regni „ gubernacula tenens, Catholicæ pacis, & ju- „ stitiæ defensor esse deberet. Verùm, quanti „ ipse aut scripta, aut per Legatos missa no- „ stra verba fecerit, ejus facta declarant. Qui „ indignè ferens se à quoquam reprehendi aut „ corripi, non solum à perpetratis ad emenda- „ tionem revocari non potuit, sed ampliori „ conscientiæ suæ furore arreptus, non priùs „ cessavit, donec Episcopos pæne omnes in „ Italia, in Teutonicis verò partibus quotquot „ potuit, circa fidem Christi naufragare fecit: „ dum eos debitam Beato Petro, & Apostolicæ „ Sedi obedientiam, & honorem in Domino „ nostro Jesu Christo concessum, abnegare „ subegit.

„ Cùm igitur iniquitatem ejus ad summum „ prodiisse vidimus, pro his causis, videlicet „ primùm, quòd ab eorum communione, qui „ pro sacrilegio & reatu Simoniacæ hæresis „ excommunicati sunt, se abstinere noluit: „ deinde, quòd pro criminosis actibus vitæ suæ, „ pœnitentiam, non dico suscipere, sed nec „ promittere quasi voluit, mentita ea fide, „ quam in manus Legatorum nostrorum pro- „ miserat; necnon, quòd Corpus Christi, idest, „ unitatem Sanctæ Ecclesiæ scindere non ex- „ pavit: pro his, inquam, culpis, Synodali „ judicio eum excommunicavimus, ut quem „ mites non potuimus, vel severi ad viam sa- „ lutis, Deo adjuvante, revocare valeamus: „ aut si, quod absit, nec districtionis quasi cen- „ suram pertimuerit, nostra saltem anima ne- „ gligentiæ, aut timoris discrimini non suc- „ cumbat.

„ Si quis igitur hanc sententiam injustè, vel „ irrationabiliter prolatam esse putaverit, si „ talis est, ut sacris regulis intelligentiæ sen- „ sum præbere velit, nobiscum inde agat, & „ non quid nos, sed Divina auctoritas doceat, „ quid decernat, quid consona vox Sanctorum „ Patrum judicet, patienter audiens aquiescat. „ Nos tamen non æstimamus quemquam fide- „ lium, qui Ecclesiastica statuta noverit, hoc „ errore teneri, ut non hoc, & si publicè affir- „ mare non audeat, vel in corde suo rectè fa- „ ctum esse perhibeat. Quamquam & si nos, „ quod Deus avertat, non satis gravi de causa, „ aut minus ordinatè, eum hujusmodi vinculo „ ligaverimus, sicut Sancti Patres asserunt, non „ idcirco spernenda esset sententia, sed absolu- „ tio cum omni humilitate quærenda.

„ Vos autem, dilectissimi, qui justitiam Dei „ non pro Regia indignatione, non pro aliquo „ periculo deserere voluistis, fatuitatem eorum, „ qui de execratione & mendacio in consum- „ mationem (ruunt,) parvipendentes, viriliter „ state, & confortamini in Domino, scientes, „ quòd illius partem defenditis, qui insupera- „ bilis Rex & magnificus triumphator judica- „ turus est vivos & mortuos, reddens unicui- „ que secundùm opus suum: de cujus multi- „ moda retributione & vos certi esse poteritis, „ si usque in finem fideles & inconcussi in ejus „ veritate perstiteritis. Propter quod & nos „ incessanter pro vobis rogamus Dominum, „ ut det vobis virtutem corroborari per Spiri- „ tum Sanctum in nomine ejus, & convertat „ cor Regis ad pœnitentiam: ut & ipse ali- „ quando cognoscat, nos & vos multo veriùs „ amare eum, quàm qui nunc suis iniquitati- „ bus obsequuntur, & favent. Qui si, Deo „ inspirante, voluerit resipiscere, quidquid con- „ tra nos moliatur, semper tamen nos ad reci- „ piendum eum in Sanctam communionem, „ prout vestra charitas nobis consuluerit, pa- „ ratos inveniet.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXIX.

IGitur post excommunicationem & depositionem Regis, Domini præeunte gratia, multi nobiles & mediocres ad Deum toto corde conversi præfatum Regem reliquerunt. Ipsi etiam, qui priùs partim regalibus blanditiis, partim terroribus & minis contra Apostolicam Sedem conjuraverant, conversi, postmodum digno in Regem anathemati conscripserunt, mittentes supplices ad Apostolicam Sedem Nuncios, epithemium (47) pœnitentiæ postulantes. Quibus misericordiæ discipulus non quærens saturari pœnis reorum, gremium Sanctæ Ecclesiæ aperuit, & ut in fide Domini solidarentur, consolatorias eis literas misit. Nonnulli verò Episcoporum gementes tantum facinus, ad Apostolicam Sedem discalceatis pedibus venerunt, tam diu inibi perdurantes, quousque Dominus Papa misericordiæ manum, & pietatis viscera eis compatiens aperiret.

CAP. LXXX.

INterea Dominus magnum miraculum in Regis & omnium oculis fecit: quo cognito, multi eum reliquerunt. Nam post excommunicationis diem, Paschalis diei solemnitate cum Regio apparatu, & comitatu pompaticæ multitudinis ad Ecclesiam Divinitus sibi clausam venire nequaquam abhorruit. Jussu itaque Regis quidam Episcopus (48), si fas est, immo hæreticus & Simoniacus, ad Missæ se præparavit officium. Tandem perlecto Evangelio, ex more facturus popularem sermonem Pontifex idem pulpitum conscendit. Parum autem de tractatu locutus Evangelico, statim se ad blasphemiam Papæ Gregorii cœco corde, menteque vesana prorupit, quæ pro nimio sui horrore silentio præterire complacuit. Difficile est enim, ut bene sibi conscientium probitatem obtrectantium lingua non mordeat; & iniquorum evadat opprobria, cui est amica justitia. Verumtamen eadem blasphemia, qualis in oculis Domini fuerit, continuò sequens ultio, si perpendatur, innotescit. Nam Paschalis diei gaudio nondum finito, subito cœlum fragore intonuit, in quo ignis descendere cœlitus visus est, qui omnem illam Ecclesiam, omnesque domos regali receptui præparatas repentè consumsit, & lætitiam profanorum in mærorem commutavit. Episcopum verò illum blasphemum subitò percussum Divina ultio interemit. Sed antequam vitam penitus exhalaret, ministros suo exitio præparatos. quales essent compulsus est dicere. Video me, inquit, igneis loris adstrictum tetris trahentibus imaginibus ex hac vita convelli: sed tamen ite, & dicite Regi, ut flagitium, quod in Deum & Beatum Petrum, ejusque Vicarium commisit, emendet, ne me præeuntem ad inferi loca sequatur. Et hæc dicens, expiravit. Hoc exemplo commoniti hortamur, obsecramus omnem hominem, qui hæc scripta legerit, ut declinet detrahentium linguas, si mavult consortium habere cum Gregorio in resurrectione vitæ, quàm cum detrahentibus supplicium subire.

(47) Eo nomine mulcta designatur legibus Ecclesiasticis, potissimùm in Clericos indicta. Vide Laurentium in Amaltheo, & Cangium in Glosario.

(48) Is est VVillelmus Ultrajectensis Episcopus, cujus infelicem exitum narrant quoque Lambertus Scafnaburgensis Monachus Herfeldensis, Hugo Flaviniacensis, & alii.

CAP. LXXXI.

NUnc hic ad memoriam redit non minus terribilis damnatio Spirensis Episcopi, (49) qui eadem die, id est VI. Kal. Martii, immo eadem hora, subitò quasi quodam invisibili telo percussus, apud Spiram infirmari cœpit, qua hora & causam ejus in Romana Synodo noster Gregorius Papa ventilare incœpit. Idem quoque tertia die, id est IV. Kal. Martii, miserabiliter expiravit, non imparem, expertus efficaciam illius sententiæ, qua Petrus Apostolus Ananiam & Sapphiram damnavit.

CAP. LXXXII.

CUm igitur prædicti Regis conversionem jam diu, & frustra Principes expectarent, & statum Regni periculosiùs in dies disturbandum, immo sine capite jam penitùs destituendum, viderent; tandem zelo Dei armati, cum Legatis Apostolicæ Sedis convenerunt (50); & eumdem, ut eorum consilio acquiesceret & resipisceret, satis fideliter rogaverunt: alioquin se non ulteriùs ei communicare, vel obedire protestati sunt. Hac ille necessitate, simulatè quidem, ut postmodum apparuit, se per omnia & consiliis Principum, & præceptis Apostolici Domini obediturum promisit. Erat autem eorum consilium, ut Dominus Apostolicus ad generale colloquium Augustam in Purificatione Sanctæ Mariæ tunc proxima veniret: quatenus ibidem causa ejus in audientia totius Regni legitimè determinari posset. Ipsi quoque Principes, missa Legatione, Dominum Papam ad prædictum diem venire suppliciter rogaverunt; ad quod iter agendum, illum promtissimum, ut subscriptæ ejus literæ testantur, invenerunt. Rex autem contra promissionem suam, contra consilium Principum, hoc ab Apostolico per Legatos suos voluit extorquere, ne Augustam veniret, sed ut eum ad se Romam venire permitteret; ea utique intentione, ut tanto facilius Papam fallere posset, quanto pauciores Regni Principes, jam sæpius astutias ejus perpessi, discutiendæ ejus causæ interessent. Unde & Papa votis ejus non annuit, sed, ut Principes rogaverant, ad condictum diem venire disposuit, & subsequentes Epistolas Principibus Regni, pro disponendo itinere suo transmisit.

CAP. LXXXIII.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, necnon majoribus, atque minoribus in Regno Teutonicorum constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ NOs indigni, & inutiles Principis Apostolorum servi, statuimus ad vos, divina auxiliante clementia, venire, & postponentes pæne omnium Fidelium nostrorum auxilia, profectionem nostram maturare, ut

„ VI.

(49) Henricus vocabatur, quem Imperator huic Ecclesiæ præfecerat. Omnibus Ecclesiæ bonis dilapidatis eum subitanea morte præfocatum scribit Lambertus Scafnaburgensis.

(50) Hunc conventum alii apud Openhemium, alii Triburiæ habitum fuisse volunt anno 1077.

Digitized by Google

„ VI Idus Januarii velimus Mantuæ esse, ea quidem fide & desiderio, ut fiducia probatæ spei vestræ quæque aspera, & si necesse fuerit, ipsam sanguinis effusionem pro libertate Sanctæ Ecclesiæ & salute Imperii, pura & sincera intentione subire non dubitemus. Vestri igitur studii sit, eos de susceptione & servitio nostro præponere, quos providentia vestra id posse, & nobis debere cognoverit; sit ita studii vestri per partes vestras pacem firmare, ut intentionis nostræ propositum nihil possit impedire. Quot & quantas colluctationes cum Nunciis Regis habuerimus, & quibus rationibus dictis ejus obviaverimus, quidquid his literis deesse videtur, latores earum plenius indicabunt, quibus sicut de his, quæ per eos Beato Petro & nobis promisistis, indubitanter credimus, ita vos de his, quæ ex nostra vobis parte dixerint, credere volumus.

Gregorius Servus Servorum Dei, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, omnibusque Christianam & B. Petri fidem, & doctrinam defendentibus & observantibus, salutem, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli benedictionem, omniumque peccatorum absolutionem.

„ EGo qualiscumque Sacerdos Apostolorum Principis servus, contra voluntatem & consilium Romanorum confidens de misericordia Omnipotentis Dei, & de vestra fide Catholica, venio ad vos, paratus propter honorem & salutem animarum vestrarum mortem subire, sicut pro nobis animam suam posuit. In hoc enim positi sumus, ut per multas tribulationes tendamus & perveniamus ad Regnum Dei. Vos autem, fratres mei carissimi & desideratissimi, summopere curate, ut hos possim, Deo adjuvante, adire, vobisque in omnibus prodesse. Benedicat vos ex cujus gratia mihi dictum est ad corpus Beati Petri in die ordinationis meæ: Quodcumque benedixeris benedictum erit, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis, &c.

CAP. LXXXIV.

INterea Rex propriæ causæ diffidens, & idcirco audientiam totius Regni subterfugiens, furtivè Italiam cum excommunicatis contra præceptum Papæ, & consilia Principum intravit, & Apostolico ad prædictum diem Augustam tendenti, ante Purificationem Sanctæ Mariæ apud Canusium obviavit, ibique ante portam castri per triduum, deposito omni Regio cultu, miserabiliter, utpote, discalceatus, & laneis vestibus indutus persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium, & consolationem implorare destitit, quàm omnes qui aderant, & ad quos ille rumor pervenit, ad tantam pietatem, & compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem insolitam Domni Papæ duritiam mirarentur; nonnulli verò in eo, non Apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ severitatis crudelitatem esse clamarent: denique instantiâ compunctionis ejus, & tanta omnium qui ibi aderant supplicatione, Papa devictus, tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam, & sinum Sanctæ Matris Ecclesiæ recepit: acceptis ab eo securitatibus, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis, & nobilium Comitissarum Mathildis, & Adalajæ (51), & aliorum Principum, Episcoporum & Laïcorum, qui sibi ad hæc utiles visi sunt, in hunc modum suscepit.

„ Ego Henricus Rex de murmuratione & dissensione, quam nunc habent contra me Archiepiscopi, Episcopi, Duces, & Comites, cæterique Principes Regni Teutonicorum, & alii qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem Dominus Papa constituerit, aut justitiam secundùm judicium ejus, aut concordiam secundùm consilium ejus faciam, nisi certum impedimentum mihi, vel sibi obstiterit: quo transacto, ad idem peragendum paratus ero. Item, si idem Dominus Papa Gregorius ultra montes, vel alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mea parte, & eorum, quos constringere potero, ab omni læsione vitæ & membrorum ejus, seu captione, tam ipse, quàm qui in ejus conductu, sive comitatu fuerint, in eundo, sive ibi morando, seu inde redeundo: neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit; & si quis ei fecerit, cum bona fide secundùm posse meum, illum adjuvabo.

CAP. LXXXV.

REx postquam communione recepta, sed quæstione Regni dilata, solutus ab Apostolico discessit, parum attendens quid ei in reconciliatione sua juramento promiserit, ad solitam nequitiam redire, & Simoniacorum suorum consiliis contra Papam assentire non expavit. Omnes enim Simoniaci, eorumque socii, quorum tyrannidi ipse Sanctam Matrem Ecclesiam subjugaverat, quorum etiam factione, jam pridem Apostolicam Sedem deauctorizare tentaverat: ipsi, inquam, omnes ad eum reconciliatum recurrentes, non terrorem, sed audaciam ab eo pro perpetrata iniquitate acceperunt; quin etiam in damnatione Apostolici apud eum conjurandi locum invenerunt. Ipse verò, ejusque complices, communionem utcumque idcirco festinaverant recipere; quia, juxta legem Teutonicorum, se prædiis & beneficiis privandos esse non dubitabant, si sub excommunicatione integrum annum permanerent: cujus adhuc unus mensis superfuit, dum ad reconciliationem redirent. Communionem itaque non ut se corrigerent, repetebant, sed, ut plurimos jam dudum ab illis anathemate separatos sibi resociarent: sicque tanto audacius, tanto crudelius, quanto cum pluribus solita tyrannide Sanctam Ecclesiam opprimere possent. Nam statim post reconciliationem, ut prædictum est, ad pristinum volutabrum redire, sed & Simoniacis, utpote sui similibus, contra Apostolicam Sedem assentire non dubitarunt.

CAP.

(51) Adalaïa seu Adalaïs, Olrici Magnifredi Marchionis Secusiæ filia, nupsit anno 1014. Humberto Saxoni, inde Marchioni Secusiæ & Comiti Sabaudiæ ac Maurianæ; ob plurima in Sedem Apostolicam præstita beneficia fuit appellata *filia S. Petri*.

Digitized by Google

CAP. LXXXVI.

NOn multo post tamen Rex ab Apostolico Regni jam concessionem callidè, ut communionem, elicere volebat. Missa enim legatione humiliter ei supplicabat, ut vel eum semel apud Sanctum Johannem in Moytia (52) per Episcopos Papiensem, & Mediolanensem, more priorum Regum, coronari permitteret: vel, si hoc nollet fieri per hujusmodi Episcopos, utpote excommunicatos, saltem hoc privilegium Apostolica auctoritate cuilibet Episcopo concederet exequendum. Ob hoc maximè appetens coronari, ut cum communione etiam regnum à Romano Pontifice videretur recepisse. Sed Papa calliditatem ejus jam satis expertus, nullo modo votis ejus voluit acquiescere: diligenter secum ipse reputans, se quidem eum pro multis criminibus, & maximè pro inobedientia, & contumacia Apostolicæ Sedi irrogata à Regno deposuisse, omnesque ei juratos ab ejus dominio liberos reddidisse: & ob hoc nullatenus eum, sicut nec alium, in Regem Principibus, utpote liberis hominibus, superponi debere, absque eorum electione. Nam & à toto Regno de tot ac tantis injuriis ac perfidiis erat inculpatus, ut de his eum necesse esset primitus expurgari, si tamen hoc aliquatenus posset fieri. & sic demum cum consensu totius Regni legitimè coronari. Rex igitur ea vice quoque simulatâ obedientiâ, apud Moytiam regalia insignia non usurpavit: quæ tamen non multo post contra bannum Domini Papæ resumere, & interdicta Regni gubernacula usurpare non timuit.

CAP. LXXXVII.

INterim transibat terminus, quem Rex coram Legatis Apostolicæ Sedis cum Principibus Regni ad Augustam in Purificatione Sanctæ Mariæ condixerat, ad quem jam Papa venire conceperat: & jam illuc pervenisset, si non idem Rex contra commune decretum omnium ingressus Italiam, conducturos Apostolicum à conductu deterruisset: terminus, inquam, ubi coram Apostolico in audientia totius Regni canonicè de criminibus illatis expurgari, si inculpabilis esset; expurgatus legitimè in regnum cum consensu omnium restitui posset, ad quem ipse venire contemsit: immo suæ causæ diffisus non præsumsit, & Papam, ne vel illuc veniret, fraudulenter in Longobardia præoccupavit.

CAP. LXXXVIII.

CUm igitur Principes Regni terminum generali decreto statutum Regem subterfugisse, & se etiam hac vice, solitâ ejus perfidiâ delusos esse animadvertissent: cùmque ejus versutiam nec in ipsa reconciliatione, vel postea cessasse certissima relatione didicissent, mox in Suevia apud Ulmam conventu facto, deliberaverunt, ne se deinceps ab illo ludificari, vel potiùs pristina ejus calliditate periclitari permitterent; sed suæ saluti, in legitimi Principis electione providerent. In eodem autem conventu apud Ulmam generalius colloquium ad Forecheim IV. idus Martii ad novi Regis electionem condixerunt: ad quod etiam Domini Apostolici consilium, & auxilium sibi venire missa Legatione postulaverunt. Quo audito Papa ad id colloquium Legatos direxit, qui Principes rogarent, ut dispositionem Regni usque in adventum ejus differrent, si hoc sinè periculo fieri posse sperarent. Noluit sanè eis hoc ex definito præcipere, ne sibi jure imputari posset, si quod periculum status Regni ex illa dilatione incurrisset.

CAP. LXXXIX.

ALtera autem die, post dimissionem Legatorum, Manegoldus Comes, magnus amator veritatis advênit; cujus relatione Papa de novo Rege constituendo certior factus, alium Legatum, Gregorium scilicet Romanæ Ecclesiæ Diaconum, ad Principes Regni destinavit: qui eos Apostolica auctoritate adventum ejus præstolari compelleret, eo tamen primitus explorato, si Rex, qui adhuc in Longobardia morabatur, ab eodem Legato conventus, securitatem facere vellet, ut Domino Papæ transitum ad Teutonicas partes pro ipsius causa determinanda concederet. Quod si Rex nollet concedere, præcepit Papa, ut Legatus ad se rediret, nec Principes cum aliqua dilatione à providenda Regni necessitate suspenderet. Item eidem Legato præfatam Legationem imponens Papa, dixit inter alia; se quasi pro indicio hujusmodi securitatem exegisse, cujus, inquam, securitatis exhibitio, illum in Regnum restitui posse ex Divino judicio denotaret. Inter hæc verba, Papæ tres digiti ejus dextræ usque ad medium repentè sanguinei apparuere, quos sanguine ex naribus profluente maculatos existimans, detergere cœpit: sed eos sanguineis notis nullatenus emaculare potuit, hinc ipse & reliqui sapientes, qui hoc miraculum conspexerunt, aliquid magni per hæc signa portendi non dubitarunt. Erant autem ibi tunc præsentes prænominatus Comes Manegoldus, & Venerabilis Presbyter Erkinbertus, cum aliis quampluribus in opido Canusii in capite Jejunii, quod eo anno contigit in Kalend. Martii.

CAP. XC.

PErcepta igitur Legatione, statim Legatus ad Regem properavit cum prædicto Comite: sed Rex securitatem quam Papa postulabat, facere contemsit. Unde & ille Legatus ad Apostolicum redire non tardavit. At Comes ad proximum Forecheimense colloquium venire acceleravit, quò & priores Legati jam pervenerant: qui una tantum die priusquam præfatus Comes (discederet), ab Apostolico missi fuerant. Hi autem erant Legati: Bernhardus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Diaconus, item alter Bernhardus Abbas Religiosus de Massilia, ferè sexcentorum Monachorum Pater, qui etiam secum duxit egregium Doctorem quem-

(52) Modoëtia vulgò *Monza*, opidum Mediolano passuum millibus decem dissitum, ubi Imperatores coronam ferream pro Regno Langobardorum à Mediolanensi Archiepiscopo solebant suscipere in Ecclesia Sancti Johannis, olim nostri Ordinis, nunc Collegiata. Ibi plura etiamnunc asservantur Theodelindæ Reginæ loci fundatricis, cimelia, de quibus in Itinere Italico pag. 213.

Digitized by Google

quemdam, nomine Christianum (53), postmodum Aversanæ civitatis Episcopum, cujus opus extat eximium contra Turonensem Berengarium.

CAP. XCI.

NOn indignum videtur hoc in loco paulisper orationis cursum retentare, & quàm fidelem Apostolicæ institutionis sectatorem, & propagatorem in Comite Manegoldo non semel commemorato, Gregorius noster habuerit, declarare. Hic enim ex generosa & religiosa Beati Odalrici (54) Augustensis Episcopi genealogia procreatus, & à sapientissimo fratre suo, Herimanno videlicet Contracto, in omni observantia Christianæ Religionis ad unguem informatus virgo virginem sortitus est uxorem, duosque filios ex ea generatos in tanta disciplina usque ad juvenilem ætatem educavit, ut alterum eorum ad similem monogamiam perducens, hæredem sui relinqueret; alterum, in cœlibatu occisum, immo ipsius occisionis ejus (diem) longo locorum intervallo remotus, per spiritum mirabiliter agnoscens fleret, & gauderet. Flevit enim propter acerbitatem inopinatæ mortis, & gavisus est propter impunitatem incontaminatæ juventutis. Hoc autem maximè castificabat liberos, quod verax pater comminabatur eis exhæredationem, si quam, præter legitimam copulam, cum mulieribus perpetrasse detegerentur coinquinationem. Vir igitur christianissimus, cùm Beatum Gregorium Papam nimio affectu propter justificationes ejus diligeret, eumque sæpiùs propter alternas morum similitudines invisferet; quadam vice, in tantam Romæ positus infirmitatem incidit, ut qui præsentes erant vitam ejus desperarent. Cùmque tristis Nuncius Domino Papæ venisset, valde condolens festinus ad eum venit, & pauxillum panis in scyphum confringens, meroque perfundens, ægro pro benedictione porrexit. At ille protinus ut gustavit, recepit non solùm delectationem comedendi, sed & virtutem cum incolumitate de lecto surgendi. Qui cùm ad propria remearet, & Apostolica statuta, maximè de vitandis Officiis incontinentium Sacerdotum, non segniter ubique divulgaret, & in Clericis atque Ecclesiis ad se specialiter pertinentibus hujusmodi abominationes minimè toleraret, uxor cujusdam Presbyteri sub ejus ditione positi, malignans propter separationem mariti, hoc familiaribus suis audientibus se minabatur effecturam, ut qualem molestiam ipsa sustineret in separatione conjugis sui, talem & Comes sustineret in disjunctione conjugis suæ. Dixit, & eheu! permittente Deo, tam pessimum facinus in Dominam peregit, nam delectabiles cibos veneno infectos obtulit, eamque nihil mali suspicantem, simulata benignitate, decepit. Igitur Comes religiosus adhuc in robusta ætate viduatus, nullis suorum adhortationibus ad secundam copulam permoveri potuit; dicens sibi pudendum & horrendum videri, si cum duabus uxoribus processurus esset ante tribunal Christi, die judicii. In tantum autem profecit per devotam obedientiam Papæ nostri Gregorii, ut ante finem suum, quem senex, & plenus dierum attigit, quibusdam virtutum signis effulserit, & prophetiæ (dono), quemadmodum in occisione filii patuit, venerabiliter claruerit.

CAP. XCII.

HUic Beatæ recordationis Comiti non incongruè adjungitur memoria pretiosæ mortis Beati Cincii Urbis Romæ Præfecti, cujus & superiùs virtutes breviter descripsimus. Hunc etenim propter fidem sæpe dicto & sæpe dicendo Papæ Gregorio exhibitam, Dominus noster Jesus Christus martyrio coronavit, ejusque sepulcrum continuò viginti miraculis in Synodo numeratis, & probatis illustravit. Nam cùm zelum Domini haberet, & exhiberet fidem secundùm Sanctam Apostolicæ institutionis formam, occisus est ab apparitoribus Henricianæ persecutionis.

CAP. XCIII.

FActo igitur conventu apud Forecheim, Præfati Legati literas Apostolicas in medium protulerunt: quàm parum Dominus Papa de promissione Regis lætatus fuerit, cùm adversarii Ecclesiæ plus audaciæ, quàm terroris ex præsentia Regis acciperent. Ad hoc aïebant eum petere, ut novi Regis electionem, de qua audierat, in adventum ejus differrent, si hoc sinè periculo fieri posse perpenderent. Peracta igitur Legatione, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, majores atque minores debitam reverentiam Legatis impendentes, per consessum singuli surrexerunt, & quot contumeliis, & quot periculis jam ab Henrico Rege affecti essent, vel se afficiendos fore non dubitarent, Legatis lamentari cœperunt; seque totiens insidias ejus inter ipsa pacis oscula vix evasisse, ut nec juramento ejus deinceps aliquam fidem exhibere possent: hoc quoque addentes, se tamdiu eum post depositionem tolerasse, non utique ut correctionem ejus, utpote penitus desperatam, expectarent; sed ut quibusdam occasionem calumniandi auferrent, qui fortasse ei, si non tamdiu expectaretur, correctionem interclusam fore conquererentur: totaque illa die cum hujusmodi querimoniis transacta, nec medietatem injuriarum sibi illatarum enumerare potuerunt.

CAP. XCIV.

IN crastinum verò iterum ab hospitiis Legatorum convenientes, pro sua necessitate sublevanda eos consuluerunt, suggerentes eis periculosissimum & irrevocabile schisma in toto Regno futurum, nisi in eodem conventu, ut deliberaverant, in alicujus novi capitis sublevatione confœderati, illud anticipare festinarent. Legati autem Legationis suæ non immemores, satis compendiosè ad hæc responderunt, sibi quidem optimum videri, si Regis constitutionem, juxta eorum Legationem, in adventum Domini Papæ sinè periculo differre possent: cæterùm provisionem Regni non tam in eorum consilio, quàm in Principum arbitrio stam esse

(53) Nullus ejus nominis inter Aversanos Episcopos habetur apud Ughellum. Legendum procul dubio *Guitmundum*. Is è Monacho Crucis Sancti Leufredi in Nortmannia Episcopus Aversæ factus est, cujus opus adversùs Berengarium in Bibliotheca Patrum habetur.

(54) Sancti Uldarici vitam dedimus Sæculo superiori. De ipsius genealogia multa habet Velserus, quem, si lubet, consule.

Digitized by Google

esse dixerunt, qui Rempublicam in manibus tenerent, ac totius Regni damnum sive proficuum optimè prænossent. Itaque Principes Regni de adventu Papæ incerti, sed de maxima dissensione eventura, & periculo, si differrent, certissimi, acceptâ licentiâ à Legatis, apud Maguntinum Archiepiscopum convenerunt, & quid eis agendum esset singulari diligentia invicem tractaverunt: considerantes quidem se ad nullam dilationem ab Apostolico coactos, sed hoc in eorum arbitrio positum esse, nec alicui, nisi sibi ipsis deinceps imputandum fore, si dilatio noceret. Insuper se nullius subjectionis exibendæ Henrico Regi obnoxios, immo per Apostolici banni transgressionem damnandos, si aliquam subjectionem Regi deinceps exhiberent. Nam Papa priusquam eum anathematizaret, ex parte Omnipotentis Dei, & Sancti Petri, & sua, illi Regnum interdixit, & omnes Christianos juramento, quod sibi fecissent, vel facturi essent, absolvit; &, ut nullus ei ut Regi serviret, interdixit: qui postea ab eo communionem tantùm, non Regnum, falsa correctionis promissione, recuperavit.

CAP. XCV.

Hoc igitur Principes Regni diligentissimè perscrutati, se quidem à Regis Henrici potestate penitus, ut prædictum est, emancipatos, nec se illi plus quàm illum illis alicujus fidelitatis vel subjectionis obnoxios, ut liberi homines, Rudolphum Ducem Suevorum, frustra multum renitentem, frustraque vel unius horæ inducias ad consulendum petentem, Regia Dignitate sublimaverunt, virum sanè in humilitate præcipuum, Regio honori ætate & moribus idoneum; eique se debito fidelitatis sacramento subdiderunt, qui utique Regnum, non ut proprium, sed pro dispositione sibi creditum reputans, omne hæreditarium jus in eo repudiavit, & vel filio suo se hoc adoptaturum fore, penitus abnegavit: justissimè in arbitrio Principum esse decernens, ut post mortem ejus liberè, non magìs filium ejus, quàm alium eligerent, nisi quem ad id culminis ætate, & morum gravitate dignum invenissent.

CAP. XCVI.

Hunc igitur Rudolphum tam legitimè electum, Archiepiscopi Moguntinus & Magdeburgensis cum eorum suffraganeis, Legatis Sedis Apostolicæ præsentibus, & Regni Principibus, Regali inunctione consecrarunt. Electus est autem ab Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, majoribus atque minoribus in Conventu apud Forcheim, anno Dominicæ Incarnationis MLXXVII anno IV. venerabilis Papæ Gregorii, in hoc nomine Septimi, Indictione XV. Idibus Martii. Postea, die duodecimo apud Mogontiam consecratus est, id est VII. Kal. April. ubi tunc medium Quadragesimæ occurrit. Die autem prædictæ electionis nix ac gelu resolvi cœperunt, quæ eo anno à festivitate omnium Sanctorum usque in illum diem terram Teutonicorum, & Longobardiæ occupaverant; quod quidam Sapientum ita interpretati sunt, Deum in legitimi Principis electione suam adstipulationem mundo denotasse, per insoliti frigoris depulsionem, & per clementioris aëris reparationem: præcipuè, cùm nullis hujusmodi promotio displicuerit, nisi illis tantùm, qui se sub legitimo Principe Simoniacæ hæresi, aliisque criminibus abrenuntiaturos fore non dubitabant; qui superiori Rege, non dico permittente, sed cooperante, Sanctam Ecclesiam fœdare non cessaverant. Nulli sanè Clerico, Monacho, sive Laïco hujus Principis promotio displicuit, nisi qui se ipsum sub ejus auctoritate corrigendum fore timuit; nisi qui Sanctam Ecclesiam, juxta Canonicas sanctiones instituendam fore contabuit; nisi qui, intercluso Simoniacæ hæresis mercimonio, divitias suas attenuari non dubitavit.

CAP. XCVII.

Nullus autem Rudolpho Regi ejusque Principibus perjurium poterit jure objicere, licèt jam dudum deposito Regi juramentum fidelitatis fecissent. Illud enim juramentum tamdiu observandum erat, quamdiu ipse Regno præerat. Postquam verò omnes Christiani eo sacramento à Papa soluti sunt, eo quidem deposito & anathematizato, non magìs illi aliqua subjectio pro hujusmodi juramento debebatur, quàm cuilibet Episcopo à Subditis suis obeditur, postquam ille, etiam retenta communione, deponitur. Nemo autem Romanorum Pontificem Reges à Regno deponere posse denegabit, quicumque Decreta Sanctissimi Papæ Gregorii non proscribenda judicabit. Ipse enim vir Apostolicus, cui Spiritus Sanctus in aurem decernenda dictavit, in Apostolica Sede constitutus, irrefragabiliter decrevit, Reges à suis dignitatibus cadere, & participatione Dominici Corporis & Sanguinis carere, si præsumerent Sedis Apostolicæ jussa contemnere. Si enim Cœlestia & Spiritualia Sedes Beati Petri solvit, & judicat, quantò magìs sæcularia, juxta illud Apostoli: Nescitis, inquit, quoniam & Angelos judicabimus, quantò magìs sæcularia? Sic utique auctoritate Stephani Papæ Hildericus Rex Francorum pro ignavia sua deponitur: eique deposito, insuper & detonso, & in Monasterium misso, Pippinus in Regnum subrogatur. Præterea, liberi homines Henricum eo pacto sibi præposuerunt in Regem, ut electores suos justè judicare, & Regali providentia gubernare satageret: quod pactum ille postea prævaricari, & contemnere non cessavit, videlicet quoslibet innoxios tyrannica crudelitate opprimendo, & omnes quos potuit, Christianæ Religioni repugnare constringendo. Ergo & absque Sedis Apostolicæ judicio, Principes eum pro Rege meritò refutare possent, cùm pactum adimplere contemserit, quod eis pro electione sua promiserat: quo non adimpleto, nec Rex esse poterat. Nam Rex nullatenus esse potest, qui Subditos suos non regere, sed in errorem mittere studuerit. Quid plura? Nonne quilibet miles Domino suo fidelitatis juramento subjicitur eo pacto, ut & ille sibi non deneget, quod Dominus militi debebat? Si ergo Dominus militi debitum reddere contemnit, numquid non liberè miles eum pro Domino deinceps recusat habere? Liberrimè, inquam. Nec quilibet hujusmodi militem infidelitatis, vel perjurii merito accusabit, cùm totum adimpleverit quod promisit; Domino suo, inquam, tamdiu militando, quamdiu ille fecit sibi quod Dominus militi debeat.

Digitized by Google

CAP. XCVIII.

IGitur Rudolphus Rex in Regem sublevatus, statim Apostolico missa Legatione, de sua promotione innotuit; eique debitum obsequium in Ecclesiasticis administrationibus promisit, multoque se promtiorem ad obediendum Sedi Apostolicæ, quàm antecessor ejus exhibuit. Ipsa enim suæ consecrationis die, obediens banno Domini Papæ officium cujusdam Diaconi Simoniaci recipere noluit, qui ea die ad legendum in Missa ante Regem jam sacris vestibus indutus processit. Unde Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus amoto eo ab Altaris ministerio, alium in ejus locum subrogavit. Hoc autem maximam invidiam Simoniacorum, & incontinentium Altaris ministrorum Regi conflavit; qui & in ipsa sui promotione banno Apostolico obediens, se officia talium respuere per præfati Subdiaconi repulsam monstravit. Nullatenus enim dubitabant se sub tam legitimo Principe, aut officium depositüros, aut concubinis & Ecclesiis Simoniacè acquisitis abrenunciaturos. Quapropter illius civitatis Clerici, eadem ipsa Regiæ consecrationis die, post prandium concives suos vino & insania furentes in Episcopum suum, & Regem, & reliquos Principes concitaverunt. Quidam enim puer ex civitate, nescimus si propria voluntate ductus, an ab aliquo persuasus, cuidam militi Archiepiscopi partem pretiosæ vestis furtivè voluit detruncare: qui statim captus est à milite. Quo audito, Procurator civitatis eumdem per manus acceptum, liberum abire fecit, nulla tamen seditione commota. Clerici autem audito hujusmodi rumore captum fuisse puerum, quem tamen jam dimissum scirent, campanas compulsare, cives nutibus & probrosis adhortationibus ad seditionem excitare, vel potiùs compellere non timuerunt. Sed Rex jam finito prandio ad Ecclesiam de Palatio descendit, & vesperas audire cœpit. Interim plebs furens sanguinem Regis, & reliquorum sitiens, ipsam Ecclesiam, & palatium irrumpere nititur: sed à militibus Regis compescitur, licèt inermibus. Nam in diebus Quadragesimæ consuetudo erat sinè armis procedere; sed & ipsa, si quæ habebant, per civitatem in hospitiis dimissa, præ seditione civium acquirere non poterant. Finitis autem vesperis, Rex cum Archiepiscopo, & reliquis Principibus in Palatium de Ecclesia regressus, cùm Populum furentem ab incœpto nolle desistere, sed eos ipsam Quadragesimam, diem Dominicam, cœmeterium Ecclesiæ, immo ipsam eorum matricem Ecclesiam, furibunda seditione profanare; sicque cum multiplici sacrilegio in mortem suam, Episcoporum, suorumque omnium nihil ab ipsis injuratos conspirasse vidisset, gladio accinctus eorum insaniam compescere deliberavit. Sed Principes ejus, eum contra Regium morem procedere non permiserunt. Ipsi autem ex præcepto ejus, mutuatis undecumque poterant, armis; primum quidem ad supplicandum Deo Ecclesiam ingressi, deinde Kyrie eleison in altum concinentes, per portam, quæ magis impugnabatur, exiliunt de Ecclesia. Qui statim, licèt paucissimi, maximam multitudinem hostium adeò in fugam verterunt, ut quidam eorum etiam se in Rhenum morituri præcipitarent; licèt Regis milites parum eos ultra cœmeterium Ecclesiæ insequerentur.

CAP. XCIX.

ANno ab Incarnatione Domini MLXXVIII. Indictione prima, cùm uterque Rex, Henricus videlicet & Rudolphus, ab Apostolica Sede adjutorium requireret, Gregorius Papa septimus generali Synodo præsidens decrevit.

„ Quoniam lis & perturbatio Regni in maximum Sanctæ Ecclesiæ periculum & detrimentum quotidie redundare cernitur, placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam religione, quàm etiam scientia pollentes Nuncii è Latere Sedis Apostolicæ ad partes illas mittantur: qui omnes religiosos, & justitiæ amatores in Teutonici Regni partibus commorantes, Clericalis & Laïcalis ordinis viros, & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus, (Domini gratia præeunte), aut finem & pacem justè componant, aut veritate percognita, cui parti justitia magis faveat ad plenum addiscere valeant: quatenus pars injusta desistat, & Apostolica auctoritate munita, justitia, vigoris & auctoritatis robur obtineat.

„ Verùm quoniam nonnullos diabolico instinctu collectos, tyrannidis suæ facibus accensos, turpis lucri avaritiæ mancipatos, discordiam potiùs, quàm pacem fieri & videre desiderantes, fore non ignoramus, statuimus ut nulla umquam persona alicujus potentiæ, sive Rex, aut Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, sive Miles aliqua præsumtione, temerarioveausu, fraude, dolove, seu aliqua perturbatione, Legatis nostris obsistere, & contraire, ne justitiam & finem componant, pertentet. Quicumque autem temerario ausu, quod non optamus, hujus nostræ constitutionis violator extiterit, Legatisque nostris ad hanc pacem componendam euntibus prænominatis, fraudem opponere tentaverit, vinculo eum anathematis alligamus, & non solùm in spiritu, verùm etiam & in corpore, & omni prosperitate hujus vitæ, Apostolica potestate innodamus, & victoriam ejus in armis auferimus, ut sic saltem confundatur, & duplici confusione & contritione conteratur. Actum Romæ in Ecclesia Domini Salvatoris V. Nonas Martii, Indictione prima.

CAP. C.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Archiepiscopis, Episcopis, Clericis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibusque majoribus atque minoribus, in Teutonico Regno constitutis, exceptis his, qui Canonicà excommunicatione tenentur, salutem, & Apostolicam benedictionem. (*)

„ NOtum vobis fieri volumus, fratres carissimi, quòd in ea Synodo, quam nuper Romæ celebravimus, inter multa alia, quæ de statu Sanctæ Ecclesiæ, Deo cooperante, peregimus, de ruina & confusione nobilissimi Regni vestri diligenter tractantes; hoc salutiferum, & opportunum pro reparatione

(*) Lib. 5. Epist. 15.

„ tione pacis vestræ fore putavimus, ut religiosi Legati Apostolicæ Sedis ad partes vestras dirigantur, qui Archiepiscopos, Episcopos, & Religiosos Clericos, nec non Laicos ad id idoneos, in loco, qui utrique parti habilis & congruus sit, convenire commoneant, ut, aut pacem, Deo auxiliante, inter vos componant, aut cui parti justitia faveat veraciter addiscant. Nam in eadem Synodo definitum est, quòd nos contra eam partem, quæ pacem fastu superbiæ refutaverit, & cui justitia non faverit, omni conanime, omnibusque modis potestate Beati Petri insurgamus. Et quia nonnullos de Regno vestro intelleximus magis jurgium & discordiam, quàm pacem diligere; ex parte Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli interdicimus, ut nullus sit, qui aliquo ingenio, aut studio, seu violentia impediat prædictos viros ad restaurandam Regni vestri concordiam convenire, aut convenientes justum & legalem huic discordiæ finem imponere. Ad reprimenda etiam mala ingenia, & illicitos conatus, judicio Sancti Spiritus, & auctoritate Apostolicæ Sedis anathematizavimus, & anathematizamus, si quicumque sive Rex, sive Archiepiscopus, sive Episcopus, sive Dux, sive Marchio, sive alicujus dignitatis, vel ordinis persona sit, præsumpserit aliquo modo hanc salutiferam constitutionem perturbare: videlicet, qui operam dederit ne prædictus conventus fiat, aut concordia tantæ perturbationis. Adjecimus etiam eidem anathemati, ut quicumque hujus iniquitatis præsumtor fuerit, non solùm in anima, sed etiam in corpore, & in omnibus rebus suis vindictam Omnipotentis Dei sentiat, & in omni congressione belli nullas vires, nullumque in vita sua triumphum obtineat, sed duplici contritione prostratus semper vilescat, & confundatur: ut sic saltem ad pœnitentiam redire addiscat. Præsentium verò portitorem ad hoc vobis dirigimus, ut unà cum venerabili fratre nostro Trevirense Archiepiscopo, qui Henrico favet, & altero, qui utilis & religiosus ad hoc sit opus Episcopus ex parte Rodulphi, locum & tempus prædicti conventus statuant: quatenus Legati nostri, quos præfati sumus, securiùs & certiùs ad vos venire; & quæ Omnipotenti Deo placeant, ipso auxiliante, vobiscum valeant perficere. Datum Romæ VII. Idus Mart. Indictione prima.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Utoni Trevirensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. (*)

CAP. CI.

„ Quanta nobis solicitudo, quantaque tristitia sit de perturbatione, immo de dissidio Regni vestri, olim clarissimi & potentissimi, in communibus literis, quas hoc in anno ad vos misimus, satis vobis declaratum esse putamus. Verùm quia res de die in diem perniciosiùs implicari videtur, nobis quoque cura cum nimia anxietate altiùs in mente figitur. Proinde quidquid nobis super hac re ad præsens melius visum est, quod nostra providentia vel auctoritate intervenire potuisset, maturare curavimus: quod tua fraternitas literis, quibus illud singulariter scriptum est, pleniùs cognoscet.

„ Rogamus igitur & admonemus prudentiam tuam, in qua multum confidimus, ut secundùm tenorem earumdem literarum, sinè omni dilatione, de causa hac te intromittas, & omnibus tam minoribus, quàm majoribus, quoad potes, quid à nobis deliberatum, & qualiter tibi injunctum sit, notum facias: ut, miserante Deo, & adjuvantibus his, qui Dominum diligunt, tam feralis discordiæ furorem, aut penitùs compescere, &, quod maximè optamus, ad plenam pacem reducere possimus, aut, si illud, peccatis impedientibus, minimè obvenire poterit, saltem nos, in tanto fratrum nostrorum periculo, culpam negligentiæ declinemus. Notificato autem consilio, & decreto nostro, & requisitis utrimque responsionibus, ut eam certitudinem & consensum inveniatis, ne in mittendis legatis nobis dubitandum sit, ordinatis & confirmatis omnibus, quæ ad prosequendum hoc negotium loco, tempore, vel cæteris convenientiis necessaria sunt. Volumus, ut tu, & frater ille, qui tecum hujus rei mediator esse debuerit, confestim ad nos veniatis: quatenus cognitis securitatibus, & quæ spes pacis esse debeat, Legatos nostros tam sinè periculo, quàm sinè desperatione fructus laboris & fatigationis eorum vobiscum mittere valeamus. Nec durum tibi sit, frater, subire quod imponimus: quoniam ex quo in Ecclesia locum Sacerdotii & officium suscepisti, nihil Deo dignius, aut animæ tuæ salubrius fecisti, quàm si in hac re nequitiam diabolicæ fraudis elidere, & saluti tot milium hominum, opitulante Deo, consulere poteris: & si hoc fatigationi tuæ pro voto non successerit, tibi tamen apud illum certa manet retributio, apud quem non infectum reputabitur omne bonum, quod justa & perseveranti voluntate concipitur. Illud tamen à dilectione tua omnino nobis exhiberi volumus, ut etiam si illum alium, quem hujus rei mediatorem te habere supra diximus, socium itineris habere non possis, tu tamen ad nos venire nullatenus prætermittas. Præcipimus etiam tibi ex auctoritate Beati Petri, ut cui justitia favet, tu omnino faveas, & hoc idem facere Clericos, & Laicos, quos poteris, ex parte nostra commoneas. Treuga etiam vobis provisa usque ad quindecim dies post conventus solutionem illæsa servetur. Volumus autem, ut apud Regem diligenter procures, quatenus Legati nostri, qui in partibus illis sunt, Bernardus scilicet Diaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Bernardus Massiliensis Abbas, si voluerint, liventer & securè ad nos redire valeant. Dat. Romæ VII. Idus Martii Indictione prima.

CAP. CII.

Anno ab Incarnatione Domini MLXXVIII. Pontificatus verò Domini Gregorii Septimi Papæ sexto, decimotertio Kal. Decembris, Indictione secunda, congregata est Synodus Romæ in Ecclesia Sancti Salvatoris, in qua juraverunt Legati Henrici, & Rudolphi, quisque pro Domino suo, quòd nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apostolicæ in Teutonico Regno habendum impedient.

CAP.

(*) Lib. 5. Epist. 16.

Digitized by Google

CAP. CIII.

ANno ab Incarnatione Domini MLXXIX. mense Februario, Indictione II. Pontificatus verò Domini Gregorii Papæ septimo, Legati Regis Rudolphi super Henricum proclamaverunt, quòd nulli loco, nullique personæ parcens, regionem transalpinam contereret & conculcaret, neminem debitus honor, vel reverentia tueretur, & ceu vilia mancipia non modò Sacerdotes, sed etiam Episcopi, & Archiepiscopi caperentur, vinculisque manciparentur, partimque jam trucidarentur. Decreverunt ergo, quàm plures Concilii in illius tyrannidem gladium Apostolicum debere evaginari: sed distulit Apostolica mansuetudo, simul & illud attendens, quod Petro Albanensi, & Altmanno Pataviensi (55) Episcopis de eodem negotio scribens, inter cætera dicit: „ Sic vos utrique parti communes, & ab omni „ suspicionis nævo, quantum in vobis est, cum „ Divinæ gratiæ adjutorio exhibete immunes, „ ut justitiæ semper, & nullo modo partibus „ faveatis, sicut habetis formam nostram: qui „ videlicet, postquam judicium tanti hujus negotii in manu Beati Petri commissum est, „ nihil aliud testibus vobis intendimus, nisi ut „ per justitiæ semitam incedamus. Ad nullam „ partem sinceritatem Apostolicæ discretionis „ inflexímus, nullis promissionibus, aut terroribus cessimus, nec aliud umquam, Deo protegente, acturos nos esse confidimus.

CAP. CIV.

POrrò Legati Henrici Regis, qui prædictæ querelæ super eumdem prolatæ præsto fuerunt, secundùm hunc tenorem juraverunt: „ Legati Domini mei Henrici Regis ad vos „ venient infra terminum Ascensionis Domini, „ exceptis legitimis sonnis (56), idest, morte, vel gravi infirmitate, vel captione, absque „ dolo, qui Legatos Romanæ Sedis securè ducent, & reducent, & Dominus Rex obediens „ illis erit in omnibus secundùm justitiam, & „ judicium illorum: & hæc omnia servabit absque dolo, nisi quantum ex vestra „ jussione remanserit. Et hoc juramus ex præcepto Domini nostri Regis Henrici. Itidem Legati Rudolphi Regis juraverunt, quod sequitur. „ Si colloquium ex præcepto „ vestro constitutum fuerit in partibus Teutonicis, loco & tempore à vobis definito, ante „ præsentiam vestram, vel Legatorum vestrorum, Dominus noster Rex Rudolphus vel „ ipse veniet, vel Episcopos, & fideles suos „ mittet; paratusque erit judicium, quod „ Sancta Romana Ecclesia decreverit de causa „ Regni subire, nulloque malo ingenio conventum, à vobis, sive à vestris Legatis constitutum impediet. Et postquam certum inde vestrum Nuntium videbit, de pace statuenda in Regno & confirmanda studebit, ut „ Legatio vestra pervenire ad Regni pacem & „ concordiam possit. Hæc omnia observabuntur, in quantum ex vestra licentia remanserit, vel ex impedimento legitimo, scilicet „ morte, vel gravi infirmitate; vel captione, „ sine dolo.

CAP. CV.

POst hæc rursus exiit edictum Apostolicæ benignitatis, quod idcirco ex abundanti ponimus, ut clarescat & sapientibus, & insipientibus, Principem fuisse Gregorium nostrum in illa beatitudine, de qua Dominus dicit: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, omnibus Archiepiscopis, & Episcopis in Teutonico, atque in Saxonico Regno commanentibus, cunctis etiam majoribus atque minoribus, qui non sunt excommunicati, & obedire voluerunt, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ QUoniam (57) ex lite & dissensione, „ quæ tam diu inter vos est, maximum „ in Sancta Ecclesia periculum, maximum undique inter vos detrimentum fieri „ cognoscimus: idcirco visum est nobis, visum est & fratribus nostris in Concilio congregatis, summo desiderio æstuare, summaque ope elaborare pro viribus, quatenus idonei Nuntii tam Religione, quàm scientia „ pollentes, è Latere Apostolicæ Sedis ad partes vestras mitterentur: qui religiosos Episcopos, Laïcos etiam pacis & justitiæ amatores, in partibus vestris commorantes, ad „ hoc opus idoneos congregarent, qui, Domini gratia præeunte, die & loco ab illis „ statuto tam ipsi, quàm quos ipsis adhuc jungere debemus, aut pacem componant, aut „ veritate præcognita, super illos, qui sunt „ tanti dissidii causa, canonicam censuram exerceant. Verùm quoniam nonnullos diabolico „ instinctu confectos, & iniquitatis suæ facibus „ ignitos, cupiditateque inductos, discordiam „ potiùs, quàm pacem fieri & videre desiderantes, fore non ignoramus; statuimus in „ hac Synodo ad eamdem formam, sicut & „ in præterita, ut nulla umquam persona alicujus potentiæ, vel dignitatis, sive magna, „ sive parva, sive Princeps, sive subjectus, aliqua præsumtione præsumat Legatis nostris „ obsistere; & postquam ad vos pervenerit, de „ componenda pace contraire, nec postea contra interdictum illorum alter in alterum audeat resurgere: sed usque ad diem ab illis „ statutum firmam pacem omnes sinè ulla occasione & fraude observent. Quicumque „ autem hæc nostra statuta ulla præsumtione „ violare tentaverit, anathematis eum vinculo „ ligamus, & non solùm in spiritu, verùm „ etiam in corpore, & in omni prosperitate „ hujus vitæ, Apostolica auctoritate innodamus, & victoriam in armis auferimus, ut sic „ saltem confundatur, & duplici contritione „ conteratur.

CAP. CVI.

ANno ab Incarnatione Domini MLXXX. Pontificatus verò Domini Gregorii Papæ Septimi anno VII. Indictione tertia, celebravit ipse Papa Synodum Romæ, ubi interfuerunt Archiepiscopi, Episcopi diversarum urbium, nec non & Abbatum, ac diversorum Ordinum

(55) Petrus Ignitus de quo supra, & Altmannus Episc. Pataviensis, cujus vitam dabimus ad ann. 1090.

(56) *Sunnis* seu *Sonnis* aut *Sunnia*, idest impedimentum seu impeditio, ex Cod. LL. antiq. Vide etiam Glossar. Cangianum.

(57) Habetur apud Hugonem Flaviniacensem in Chronico pag. 221.

Digitized by Google

dinum Clericorum & Laïcorum innumerabilis multitudo. Supervenerunt autem & Legati Rudolphi Regis & Principum Regni Teutonici, & hujusmodi querimoniam protulerunt super tyrranidem Henrici: „ Nos ex Legatione Domini nostri Regis Rudolphi & Principum „ ejus, conquerimur Deo, & Sancto Petro, „ vestræque Paternitati, & cuncto huic Sanctissimo Concilio, quòd ille Henricus, quem „ vos Apostolica auctoritate deposuistis à Regno, idipsum Regnum contra vestrum interdictum tyrannicè invasit, omnia circumquaque ferro, præda, incendio devastavit: „ Archiepiscopos, Episcopos de Episcopatibus „ suis impia crudelitate expulit, & eorum „ Episcopatus suis fautoribus in beneficia distribuit. Per cujus etiam tyrannidem piæ „ memoriæ Werinharius Magdeburgensis Archiepiscopus occisus est; Adelbertus (58) „ Wormaciensis Episcopus adhuc ab eo contra Sedis Apostolicæ præceptum in captione „ cruciatur: Multa hominum millia ejus factione sunt occisa, quamplures Ecclesiæ ablatis reliquiis incensæ, ac penitus destructæ. „ Innumerabilia quidem facinora sunt, quæ „ idem Henricus in Principes nostros perpetravit, eo quòd sibi contra Sedis Apostolicæ „ decretum ut Regi obedire noluerunt: & colloquium, quod vos pro inquirenda justitia „ & pace componenda fieri decrevistis, ex culpa Henrici, & fautorum ejus remansit. Quapropter vestram humiliter imploramus clementiam, ut nobis, immo Sanctæ Dei Ecclesiæ, decretam sacrilego pervasori Ecclesiarum justitiam faciatis.

CAP. CVII.

HIs & talibus excitatus viri Dei Spiritus, sentiens & imminere diem, quem sibi in visione Beata Dei Genitrix ad proferendam damnationis sententiam in eumdem adversarium Ecclesiæ designaverat; & ne ultra differret præcipiendo interminaverat, gravi cum dolore & gemitu parturivit, & auscultante atque aspirante Concilio, tandem in hæc verba prorupit.

„ Beate Petre Princeps Apostolorum, & tu „ Beate Paule doctor gentium, dignamini „ quæso, aures vestras ad me inclinare, meque „ clementer exaudire: quia Veritatis estis discipuli & amatores, adjuvate, ut veritatem „ vobis dicam, omni remota falsitate, quam „ omnino detestamini, ut fratres mei meliùs „ mihi acquiescant, & sciant & intelligant, „ quia ex vestra fiducia, post Dominum, & „ matrem ejus semper Virginem Mariam, pravis & iniquis resisto: vestris autem fidelibus „ auxilium præsto. Vos autem scitis, quia „ non libenter ad sacrum Ordinem accessi, & „ invitus ultra montes cum Domino Papa Gregorio abii: (*) sed magis invitus cum Domino meo Papa Leone ad vestram specialem Ecclesiam redii, in qua utcumque vobis deservivi: deinde valde invitus cum magno dolore & gemitu & planctu in Throno vestro „ valde indignus sum collocatus. Hæc ideo „ dico, quia ego non vos elegi; sed vos me „ elegistis, & gravissimum pondus vestræ Ecclesiæ super me posuistis. Et quia super „ montem excelsum me jussistis ascendere, & „ clamare, & annuntiare Populo Dei scelera „ eorum, & filiis Ecclesiæ peccata eorum; „ membra diaboli cœperunt contra me insurgere, & usque ad sanguinem præsumserunt „ in me manus suas injicere. Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt sæculares, & Ecclesiastici, Aulici, & vulgares convenerunt in unum adversùs Dominum, & „ adversùs vos christos ejus, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum: &, ut me omnino morte vel exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere. Inter quos specialiter Henricus, quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filius, contra vestram calcaneum erexit Ecclesiam, facta cum multis „ Ultramontanis, & Italicis conspiratione, „ annitens me dejiciendo eam sibi subjugare. „ Cujus superbiæ vestra restitit auctoritas, eamque vestra destruxit potestas: qui confusus & „ humiliatus ad me in Longobardiam veniens, „ absolutionem ab excommunicatione quæsivit. Quem ego videns humiliatum, multis „ ab eo promissionibus acceptis de vitæ suæ „ emendatione, solam ei communionem reddidi; non tamen in Regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, instauravi, nec „ fidelitatem hominum, qui sibi juraverant, „ vel erant juraturi, à quo omnes absolvi in „ eadem Synodo, ut sibi servaretur, præcepi. „ Et hæc ideo detinui, ut inter eum, & Episcopos vel Principes Ultramontanos, qui ei „ causâ jussionis vestræ Ecclesiæ restiterant, „ justitiam facerem, vel pacem componerem, „ sicut ipse Henricus juramento per duos Episcopos mihi promisit.

„ Prædicti autem Episcopi & Principes Ultramontani audientes illum non servare, quod „ mihi promiserat, quasi desperati ab eo, sinè „ meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi „ Rudolphum Ducem in Regem: qui Rex „ Rudolphus festinanter ad me misso Nuntio, „ indicavit se coactum Regni gubernacula „ suscepisse: tamen sese paratum mihi omnibus modis obedire. Et ut hoc verius credatur, semper ex toto tempore eumdem sermonem mihi misit, adjiciens etiam, filio suo „ obside, & fidelis sui Bertholdi filio, quod „ promittebat, firmare. Interea Henricus cœpit me precari, ut illum contra prædictum „ Rudolphum adjuvarem. Cui respondi, me „ libenter facere, audita utriusque partis ratione, ut scirem cui justitia magis faveret. „ Ille autem putans suis viribus eum posse devincere, meam contemsit responsionem. „ Postquam autem persensit se non posse, sicut „ speravit, agere, duo Episcopi, Virdunensis „ videlicet & Ossenburgensis (59), de consentaneis suis Romam venerunt, & in Synodo „ ex parte Henrici, me, ut ei justitiam facerem, rogaverunt: quod & Nuncii Rudolphi „ fieri laudaverunt.

„ Tandem, adspirante Deo, sicut credo, statui in eadem Synodo, in partibus Ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax statueretur, aut cui plus justitia faveret, cognosceretur. Ego enim, sicut vos mihi testes „ estis, Patres & Domini mei, usque hodie „ nullam partem disposui adjuvare, nisi eam „ cui plus justitia faveret. Et quia putabam, quòd

(58) Postea ab Henrico V. Sedi suæ restitutus est obiit anno 1108. ex Bruschio, qui ejus epitaphium refert.

(*) *idest* Gregorio VI.

(59) Ii fuere Theodoricus Virdunensis, & Bernardus Osnabrugensis Episcopi.

Digitized by Google

„ quòd injustior pars colloquium nollet fieri, „ ubi justitia suum locum servaret; excommu- „ nicavi, & anathemati alligavi omnes perso- „ nas sive Regis, sive Ducis, aut Episcopi, „ aut alicujus hominis, qui colloquium aliquo „ ingenio impediret, ut non fieret. Prædictus „ autem Henricus cum suis fautoribus non ti- „ mens periculum inobedientiæ, quod est sce- „ lus idololatriæ, colloquium impediendo ex- „ communicationem incurrit, & se ipsum ana- „ thematis vinculo alligavit, magnamque mul- „ titudinem Christianorum morti tradidit, & „ Ecclesias fecit dissipari, & totum pœne „ Teutonicorum Regnum desolationi dedit.

„ Quapropter confidens de judicio & mise- „ ricordia Dei, ejusque piissimæ Matris semper „ Virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate „ prædictum Henricum, quem dicunt Regem, „ omnesque fautores ejus excommunicationi „ subjicio, & anathematis vinculo alligo, & „ iterum Regnum Teutonicorum, & Italiæ, ex „ parte Omnipotentis Dei, & vestra, interdi- „ cens ei, omnem dignitatem & potestatem „ Regiam illi tollo, & ut nullus ei Christia- „ nus sicut Regi obediat, interdico; omnes- „ que, qui ei juraverunt, vel jurabunt, de Re- „ gni dominatione, à juramenti promissione „ absolvo. Ipse autem Henricus cum suis fau- „ toribus in omni congressione belli nullas vi- „ res, nullamque in vita sua victoriam obti- „ neat.

„ Ut autem Rudolphus Regnum Teutonico- „ rum regat & defendat, quem Teutonici ele- „ gerunt sibi in Regem ad vestram fidelitatem „ ex vestra parte, dono, largior, & concedo; „ omnibusque sibi fideliter adhærentibus abso- „ lutionem omnium peccatorum, veram bene- „ dictionem in hac vita & in futura, vestrâ „ fretus fiduciâ, largior. Sicut enim Henricus „ pro sua superbia, & inobedientia, & falsitate, „ à Regni dignitate justè abjicitur; ita Rudol- „ pho pro sua humilitate, obedientia, veritate, „ potestas & dignitas Regni conceditur.

„ Agite nunc, quæso, Patres, & Principes „ Sanctissimi, ut omnis mundus intelligat & „ cognoscat, quia si potestis in cœlo ligare & „ solvere, potestis in terra Imperia, Regna, „ Ducatus, Principatus, Marchias, Comitatus, „ & omnium hominum possessiones pro meri- „ tis tollere unicuique, & concedere. Vos enim „ Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, „ Episcopatus frequenter tulistis pravis & indi- „ gnis, & Religiosis viris dedistis. Si enim spi- „ ritualia judicatis, quid de sæcularibus vos „ posse credendum est? Addiscant nunc Reges „ & omnes sæculi Principes, quanti vos estis, „ quid potestis; & timeant parvipendere jus- „ sionem Ecclesiæ vestræ: & in prædicto Hen- „ rico tam citò judicium vestrum exercete, ut „ omnes sciant, quia non fortuito, sed vestra „ potestate cadet & confundetur, utinam ad „ pœnitentiam, ut spiritus sit salvus in die „ Domini. Acta Romæ nonis Martii, Indictio- „ ne III.

CAP. CVIII.

IGitur Satanæ traditus infelix Henricus, rabidoque dæmonum furore magis ac magis ad summum iniquitatis conscendit, & legitimum Papam destituere cupiens, auream statuam Simoniacis, & Nicolaïtis in Romana civitate, quam Babylonem Petrus, & Johannes appellant, novus Nabuchodonosor erexit, Guibertum scilicet Ravennatem Episcopum, jam pridem à Gregorio nostro propter incestum, & alia flagitia sua Synodali sententia damnatum. Proinde gravissima persecutione contra virum Dei commota, Salernum recessit, ibique supernæ medicationis absinthio per corporales ægritudines efficacissimè purgatus, Divinæ consolationis dulci responso meruit exhilarari, videlicet purgationes istas ei in perpetuum proficere, & sufficere, nec eum ullam castigationem oportere post obitum timere. Denique in signum sempiternæ sospitatis, temporalem incolumitatem recepit; &, quod valde gloriosum videri potest, circa Kalendas Januarii prænosse cœpit dissolutionem corporis sui futuram circa Kal. Junii. Quibus cùm appropinquasset, & ultimi doloris luctam inchoasset, adstantibus ei Episcopis, & Cardinalibus, eumque pro laboribus sanctæ conversationis & doctrinæ beatificantibus respondit: *Ego fratres mei dilectissimi, nullos labores meos alicujus momenti facio, in hoc uno solummodo confidens, quòd semper dilexi justitiam, & odio habui iniquitatem.* Item cùm anxietatem suam de statu suo post discessum ejus deplorarent; elevatis pius Pater in cœlum oculis, & eodem porrectis, instar Ascensionis, palmis: *Illuc*, inquit, *ascendam, & obnixis precibus Deo propitio vos committam.*

CAP. CIX.

PRæterea rogatus, ut in tanta Fidelium perturbatione, sibi successorem, & Ecclesiæ contra prænominatum adulterum designaret ultorem, trium dedit optionem: videlicet Desiderii Cardinalis & Abbatis Cœnobii Casinensis, atque Reverendissimorum Episcoporum Ottonis Ostiensis, (60), & Hugonis Lugdunensis. Verùm quia Otto nondum à Germaniæ, & Galliæ partibus redierat, ubi Apostolica Legatione functus, Venerabilem Gebehardum Constantiensis (61) Ecclesiæ Præsulem, se præsente & favente consecraverat, & alia nonnulla ad stabilimentum Ecclesiæ pertinentia prudenter ordinaverat: Hugo quoque sua lustrans gubernacula procul aberat; interim suasit eligi vicinum Desiderium, licèt brevissimè victurum, non tamen absque typo victoriæ Victorem esse appellandum. Nam in diebus ejus, qui quatuor aptati sunt mensibus, famosam victoriam dedit Dominus Apostolicæ Sedis propugnatoribus de adversariis ipsius, per quam etiam Cathedram suam diu ab invasoribus detentam recepit Wirzeburgensis Episcopus, nomine Adalbero, vir spectabilis natu, honorabilis vultu, & actu, reduces habens Venerandos Coëpiscopos prædictum Gebehardum Constantiensem, & Heremannum Mettensem, qui & ipsi pro fidelitate Gregorii nostri Sedes suas amiserant. Prædixerat eidem Desiderio Pater Sanctus, quòd non interfuturus esset migrationi ipsius, quamvis ob hoc infirmitatem invisisset, & cum eo usque in finem perseveraret, & sanctas exequias cum cæteris fidelibus celebraret, multùmque eum attonitum tristem-

(60) Is postea fuit Urbanus II. de quo infra ad ann. 1099. de Desiderio, seu Victore III. ad ann. 1087. Hugo autem ex Diensi Episcopo Archiepiscopus Lugdunensis, ob Legationem Apostolicam in Galliis clarus fuit.

(61) Hunc à Petro Albanensi consecratum dicit Bruschius, qui multa de eo habet. Fuerat Monachus Hirsaugiensis Beati VVillelmi discipulus.

Digitized by Google

stemque reddiderat. Cùmque hæreret in admiratione quidnam impedimenti futurum esset, subitò nuntiatur ei à Normannis facta circumvallatio cujusdam Castelli suo Monasterio subjecti: & compulsus necessitate succurrendi suis, abeundi licentiam accepit. Sicque, licèt invitus, explendæ Prophetiæ locum dedit.

CAP. CX.

INterea Pontifex Beatus Gregorius super his, quos excommunicarat, requisitus, si quam dispensationem facere vellet, respondit: *Præter Henricum Regem dictum, & Guibertum Apostolicæ Sedis invasorem, & omnes illas principales personas, quæ aut consilio, aut auxilio favent nequitiæ vel impietati illorum, omnes absolvo & benedico, quicumque me hanc habere specialem potestatem in vice Apostolorum Petri & Pauli credunt indubitanter*. Præter hæc admonens eos de multis, & hoc dedit illis præceptum: *Ex parte Dei Omnipotentis, atque auctoritate Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, præcipio vobis, ut neminem habeatis Romanum Pontificem, nisi canonicè electum, & Sanctorum Patrum auctoritate electum & ordinatum*. Ubi verò in extremo positus erat, ultima verba ejus hæc fuerunt. *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio*. Quod contra quidam Venerabilis Episcopus respondisse narratur: *Non potes, Domine, mori in exilio, qui in vice Christi & Apostolorum ejus Divinitus accepisti gentes hæreditatem, & possessionem terminos terræ*. Itaque septiformi gratia plenus Septimi Gregorii spiritus, qui mundum, & Principes ejus arguerat de peccato, & de injustitia & de judicio, in fortitudine cœlestis cibi nuper accepti, cœlestem vitam arripiens, meritoque divini zeli, velut igneo curru, instar Heliæ subvectus, Urbani prædecessoris sui, cujus ea die festivitas extitit, omniumque Beatorum lætitiam in cœlesti gloria cum Christo laudantium excellenter ampliavit; in terris verò peregrinanter Ecclesiam discessu suo non parvo mœrore consternavit. Corpus ejus sepulturæ traditum est apud Beatum Matthæum Evangelistam de cujus nova inventione lætabundam scripserat ante paucos annos Epistolam. (*)

CAP. CXI.

COnsequenter hîc introducendus videtur præcipuus virtutum ejus sectator, & hæres, Beatus videlicet Anselmus Ecclesiæ Lucensis Antistes, qui ante omnia id studii semper habuit, ut imitaretur eum in omnibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet in aliquo. Deinde, quidquid in ipso fuit, illius semper meritis attribuit. Gregorius namque veluti fons erat, Anselmus quasi rivus fluebat & arida irrigabat: ille, quasi caput, totum corpus gubernabat; iste, ceu manus studiosa, quod injunctum operabatur: ille, sicut Sol illuminavit omnia; iste velut splendor declaravit singula. Olim Helias ex mortalium cohabitatione transiturus dimisit Helisæo pallium suum, Prophetici muneris instrumentum: similiter & Gregorius ex hac mortali vita migraturus, transmisit Anselmo Pontificalis insigne potestatis, videlicet mitram capitis sui: hoc nimirum Deo cooperante, ut sicut ille Prophetiæ per pallium hæreditavit prærogativam, ita & iste Sacerdotalem per mitram obtineret eminentiam. Nempe eò usque processit similitudo, ut, sicut Helisæus per pallium Heliæ virtutum signa demonstraverat, ita & Anselmus per mitram Gregorii quædam magnalia exhibuerit. Nam, ut de pluribus unum magis divulgatum proferamus, Reverendus Mantuanæ Præsul Ecclesiæ Ubaldus, multis jam annis gravissimè spleneticus, & toto corpore ulceratus, præsertim in cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere, qui & multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat, appositâ eâdem mitrâ ubi major ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati.

CAP. CXII.

LIbet ejusdem Anselmi de Psalmorum tractatibus paucas sententias excipere, & quàm pium affectum erga sanctitatem magistri sui Gregorii habuerit, evidentiùs ostendere. Sic ergo loquitur in tractatu secundi Psalmi: „ Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Reges terræ, membra videlicet ejus, qui regnat super omnes filios superbiæ, non solum venerunt, sed & adstiterunt, & exercitu suo Romanam Ecclesiam obsederunt: & Principes Sacerdotum conspirantes convenerunt in unum, contra Sanctum Petrum, & contra Vicarium ejus Gregorium; immo ipsum, qui dixit: Qui vos tangit, me tangit; qui vos spernit, me spernit, crucifigunt iterum Filium Dei. Constat etenim quia caput nostrum in membris suis patitur, in membris infirmatur, sicut ipse Beato Petro dixit: Vado iterum Romam crucifigi. Nonne tibi videntur Principes Sacerdotum in domo Pilati colligere concilium, ut Christum morti tradant, cùm tot falsos testes contra Summum Pontificem Henricus adornavit, cùm omnes clamant: Reus est mortis. Nonne iterum Barabbas eligitur, & Christus sub Pilato morti addicitur, cùm Ravennas Guibertus eligitur, & Papa Gregorius reprobatur? Sic vivere latronem petunt, qui lege damnatur; & Justum damnant, per quem omnes salvantur. Nonne tibi videtur iterum Pilatus manus suas lavisse, & dixisse: Mundus ego sum à sanguine hujus; nullam in eo causam invenio, quando simulatâ pœnitentiâ Henricus adoravit Summum Pontificem; deinde falsis Episcopis suis dixit: secundùm legem vestram judicate eum. Amplius: Dirumpamus vincula eorum, &c. Opprimamus, inquiunt, virum justum, quoniam contrarius est operibus nostris: si enim dimiserimus eum sic, venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Item, si Papa Gregorius vixerit, mittet contra nos prædicatores veritatis, qui discutientes vitam & actus nostros, eripient oves Christi de manibus nostris, & justi diripient spolia nostra, & dimittent Ecclesiam facientibus fructum in ea. Quantæ verò sanctitatis tractator iste fuerit, partim ex lectione sanctorum gestorum ejus animadvertimus, partim ex relatione religiosorum fratrum, qui se de longinquo ad sepulcrum ejus per revelationem invitatos venisse, & à gravibus atque diutinis languoribus absque mora liberatos fuisse testati sunt, perpendimus.

CAP.

(*) Lib. 8. Epist. 8.

Digitized by Google

CAP. CXIII.

NUnc operæ pretium arbitramur paucis demonstrare, qualiter vel gratia, vel ira Dei nostris, hoc est in Germanicis partibus, commendaverit decreta Gregorii nostri contra avaritiam & luxuriam Simonis, & Nicolai: quatenus & justi vigilantiores fiant ad cavendum interdictæ communionis piaculum, & operarii iniquitatis formidolosiores effecti, summis pœnitentiæ conatibus enitantur ad evadendum suæ prævaricationis supplicium. Nam ad sepulcrum ejus cœlitus facta, vel quæ fieri dicunt religiosiores quique Romani; nos illis qui viciniores sunt percensenda reservamus, quibus & personæ faciliùs innotescunt, in quibus vel facta, vel fiunt. Ut ergo contra primam in Ecclesia Simonis pestem primum ponamus exemplum. Reverendissimus Hirsaugensis Cœnobii pater Willelmus (62), cujus religionem scripta quoque Gregorii nostri venerabiliter acceptant, inter multos qui specialem ejus medicinam expetebant, recepit quemdam Presbyterum Simoniacæ pravitatis leprâ maculosum, humilitatis antidoto curandum: sed eheu! vim faciente Monachorum importunitate, quorum pessima consuetudo est de sacris Canonibus aut parum, aut nihil curare, non compescuit eum ab illicita immaculati Agni immolatione. Unde contigit, ut ipse Salvator horrenda eum visione deterreret, cùm fortè post inchoatam Missam cathecumenorum resideret. Oppresso namque sopore apparuit scissis vestibus, aspectu quasi leprosus; eique stupenti & admiranti, quem respiceret causa hujuscemodi apparitionis: Taliter, inquit, tu me tractasti. qui, cùm te Simoniacum non nescires, ad conficienda Sacramenta Corporis & Sanguinis mei nihilominus accedere præsumsisti. Inter hæc, urgente hora surgendi ad lectionem Evangelii, multi fratrum innuerunt, ut excitaretur, sed prædictus Abbas altiori consideratione renuit, ne revelatio, si qua esset, impediretur. Animadvertit enim, non otiosum esse tam profundum illius temporis & loci soporem. Itaque ventum est ad Missam Sacramentorum, & tunc necessariò expergefactus celebrandi causâ mysterii, manifestavit gravedinem & impossibilitatem suam, acceptoque protinus ejusdem Missæ Vicario, ex tunc in reliquum penitùs cessavit à Sacerdotali officio.

CAP. CXIV.

ABhinc proferenda sunt exempla contra Nicolaïtas, & eorum communicatores valentia. Felicis namque memoriæ Virgo Herluca (63), cui familiares erant visiones & revelationes Domini cum infirmitatibus Apostoli, fideli relatu nobis insinuavit, quòd ipsa vice quadam, dum solitaria resedisset in cellula sua, subitò viderat Dominum Jesum ad se introïre, comitante Beato Wicterpo (64), Augustensis Ecclesiæ quondam Præsule, habitoque paulisper silentio, subsistere, & vulnera tantùm sua cruore manantia ostendere. Cùmque horripilasset à timore visionis insolitæ, affatus est eam Episcopus ita dicens. Abhorres ne Soror à cruenta specie Salvatoris? Ait: Etiam Domine. Vis eum inquit, taliter ulteriùs non videre? Respondit: Volo. Noli, inquit, ergo amodo Richarii Presbyteri Missas audire, qui debitam tanto officio castimoniam non vult custodire. Sic enim vocabatur Presbyter, qui illi Ecclesiæ indignus præerat, juxta quam Virgo Deo dedita manebat: ex tunc eum publica vitatione confutatum, & exemplo suo plebem, ut idem faceret, animavit.

CAP. CXV.

ILla quoque visio non indigna commemoratione videtur, qua dilectus Deo, & hominibus, benedictæ memoriæ Adalbero Monachus, & ipse contumelias & terrores ab adversariis Gregorii nostri propter obedientiam decretorum ejus passus, eamdem Herlucam vidisse referebat de quodam Nicolaïta, qui carnalibus desideriis inserviens Ecclesiam illam contaminaverat, quæ est in loco, qui dicitur Rota. In illa namque confinia, hoc est, in confinio Noricorum & Alamannorum, quos Lycus fluvius disterminat, non procul distabant mansiones ejusdem venerandi senis & Beatæ Virginis; multumque se invicem in Christo diligebant, quia excellentem Dei gratiam in se mutuò recognoscebant. Ita ergo dilectus de dilecta narrabat. Beata Herluca inter socias virgines, & viduas quadam die ex more sedebat, & operi manuum juxta consuetudinem suam diligenter incumbebat, cùm ecce subitò per fenestram prospiciens, miserabiliter lamentari cœpit, & vociferari, dicens: Væ væ, melius homini illi erat, si natus non fuisset. Cùmque nimis attonita quædam illustris fœmina, nomine Hadewiga, interrogasset eam, quidnam vidisset, unde tantum commota fuisset? Mortuus est, inquit, infelix Presbyter ille de Rota, & anima ejus ab angelis satanæ sublata portatur ad inferna. Vidi enim eos prætereuntes cum insultatione, & animam comitantem cum ejulatione. Illa optante hoc verum non esse: Mittatur, inquit, qui veritatem inquirat. Missus nuntius familiam lugentem invênit, & eâdem horâ comperit mortuum, qua Beata Virgo spiritum ejus viderat à malignis spiritibus asportatum.

CAP. CXVI.

INterea super ipsas quoque uxores seu concubinas Nicolaïtarum terribiliter desæviit divina ultio. Nam quædam illarum in reprobum sensum traditæ, semetipsas incendio tradiderunt: aliquæ, dum sanæ cubitum issent, mortuæ repertæ sunt in matutino absque ullo præeunte infirmitatis indicio. Aliquarum etiam corpora, post evulsas animas, maligni spiritus rapientes, & in sua latibula reponentes, humanâ sepulturâ privaverunt.

CAP. CXVII.

POrrò incestuosis Missarum celebratoribus ita se manifestavit aliquoties ira Dei; quòd dum jamjamque communicare vellent, turbo vehemens irruit, calicemque subvertens sanguinem

(62) Hujus Beati viri vitam infra habes ad ann. 1091.

(63) Herlucæ vitam scripsit Paulus hujus vitæ auctor, quam videsis tom. 2. Aprilis Bollandiani die 18. simul cum VVicterpi vita ab eodem Paulo consarcinata.

(64) VVicterpus ineunte sæculo 8. Augustanam Ecclesiam egregiè administravit, ex Abbate Elevvangensi Episcopus factus; quo curante Fauecense insigne Monasterium constructum fuit.

nem effudit; panem verò sanctum humanæ inventioni mirabiliter abripuit. Qualis verò Presbyter ille fuerit, qui sæpe dicti, semperque dicendi Gregorii nostri casulam sibi in pignore positam, tempore II. Gelasii Papæ ad Missam semel induere præsumsit, non satis investigavimus: sed hoc pro certo, Romanorum relatu, didicimus, quòd illico scabiosus effectus, vix per dignos pœnitentiæ fructus evasit.

CAP. CXVIII.

QUanta verò gratia Dei subsecuta sit obedientes Gregorianæ Institutioni, ostendit religio quadrata per Apostolicam Gregorii nostri benedictionem venerabiliter in his regionibus inchoata, & feliciter multiplicata, videlicet attonsorum Christi servorum, eisque fideliter servientium fratrum barbatorum; virginum singulari devotione jugiter inclusarum; itemque virginum regulari moderatione introïtus & exitus suos custodientium. Sanè quadraturæ hujus, sive quadrigæ quatuor præcipui rectores fuere, videlicet Canonicæ vitæ renovator eximius Altmannus Episcopus de Patavia, & beatæ recordationis Odalricus (65) Prior de Cluniaco, Venerandi Patres Willhelmus de Hirsaugia, & Sigefridus de Sancti-Salvatoris Cella. (66)

CAP. CXIX.

VErùm, quia Cluniaci mentionem modò repetivimus ad commonitionem Cœnobiis præsidentium, libet ad memoriam revocare duas visiones inibi Gregorio nostro factas, ut qui verbo & exemplo ejus hactenus profecerunt, amodo nihilominus & harum visionum contemplatione proficiant. Igitur cùm adhuc Legatus Apostolicus quadam vice Cluniacum venisset, & Abbati (67) fratrum Capitulo præsidenti assedisset, sublevatus spiritu videre cœpit medium Jesum, modò se placidè acclinantem eidem Abbati rectè judicanti; modò indignanter avertentem, cùm fortè minus invigilaret rectitudini: qui postquam finito Capitulo eidem Patri secretò referebat, non parum cautionis in reliquum suggerebat. Item, cùm divina revelatione præmonitus ex Apostolica auctoritate præcepisset, ut omnes, qui ibidem vel homicidæ, vel adulteri, vel quolibet modo criminosi extitissent, ab Altaris officio secundùm scita Canonum cessare deberent: & iidem protinus pavida confessione declarati fuissent, narrabat prædictus Abbas se in somnis eosdem velut ab Angelo decollatos vidisse.

CAP. CXX.

IN calce libri commemorare delectat plenæ dilectionis bigam martyrii cruore perfusam; Burchardum (68) videlicet Halberstantensem, & Theodomarum Juvavensem Episcopos Gregoriani dogmatis assertores efficacissimos. Horum namque Burchardus Annoni Coloniensi, & Werenhario Magdeburgensi Reverendissimis Archiepiscopis sanguine, & religione proximus, postquam gravissimum Henricianæ persecutionis pondus laudabili constantiâ diu sustentaverat, tandem appropinquante supernæ retributionis die, videt sibi in visu noctis Beatum Blasium Martyrem ac Pontificem assistere, & Beatæ passionis socialem gloriam repromittere. Itaque furiosæ schismaticorum plebis horribili circumdatione apud Goslariam coartatus, & letaliter vulneratus, quamdiu supervixit cum admirabili alacritate præsentes admonuit, ut sibi, & ab hæreticorum contagio caverent, & in obedientia Catholici Pontificis permanerent. Denique inter verba sanctæ exhortationis, & orationis spiritum emittens, sepultus est in memoria Apostolorum Petri, & Pauli, quam ipse à fundamento construxit, & dedicaverat.

CAP. CXXI.

POrrò Theodomarus (69) naturæ præstantiâ, & totius humilitatis, & honestatis artificio præclarus, crebra fugiendi necessitate à Guibertinis, & Henricianis tribulatus, & longa demum captione maceratus, postquam se vidit in suis terminis non posse fructificare, statuit Hierosolymam transmeare; atque inter eundum à Paganis interceptus, & pro inexpugnabili confessione nominis Christi membratim intercisus, supernam Hierusalem victor gloriosus intravit. Hic ordinaverat nostræ humilitatis ordinatorem Reverendissimum scilicet Udalricum Lauriacensem, sive Pataviensem Episcopum, atque Apostolicæ Sedis Legatum, qui ante hoc septennium, post multos agones pro assertione Gregoriani dogmatis, cujus ad normam & electus, & promotus fuerat, legitimè decertaturus obdormivit in Domino, anno ætatis suæ centesimoquinto, neminem, proh dolor, sui similem relinquens inter omnes Germaniarum Præsules. Nullum etenim videmus ita compositum moribus, honorabilem vultu, modestum habitu, auctoritate reverendum, semper habentem in gratia sale conditum sermonem, & opportunis undique responsis expeditum; & alias possidentem prærogativas, quas maluimus dissimulare, quàm concitare inanem invidiam exæquare nos valentium. Hoc tamen cum pace cunctorum putamus dicendum, quòd nihil illius severitate jucundius, nihil erat jucunditate severius; & quòd miræ abstinentiæ cum tanta alacritate moderabatur virtutem, ut nullam penitus redoleret ostentationem.

CAP. CXXII.

CUjus (70) specialis alumna, Virgo Deo devota, vidit cælestes visiones, & accepit donationes ad commendationem Gregorianæ obedientiæ non ineptas, ideoque silentio minimè prætereundas. Dilexerat enim quemdam Presbyterum, eo quòd castè vixisset, & à tam legitimo Pontifice, videlicet Odalrico, sacros ordines accepisset, ejusque in Divinis officiis, etiam ipso tenore vocis, delectabilem suæ caritatis similitudinem attigisset. Unde contigit, ut quadam vice videretur ei Sacra Mysteria cele-

(65) Beatus Udalricus, cujus vitam damus infra. De Monachis & Monialibus hic memoratis fusè agit Trithemius in Chronico Hirsaugensi.

(66) Apud Scaphusam, ut habetur in Epistola 24. libri 7. Gregorii nostri.

(67) Is erat S. Hugo, cujus vitam sæculo sequenti, Deo dante, referemus.

(68) Burchardi martyrium fusè describitur in Chronico Saxonico, quod MS. habemus.

(69) Is est Beatus Thiemo, cujus martyrii acta dabimus initio sequentis sæculi.

(70) Hanc Beatam esse Herlucam putat Gretserus, sed aliam tunc viventem designari censet Papebrochius.

Digitized by Google

celebrare, dextera Divinæ Majestatis desuper apparente, & canonicè signa cum ipso faciente. Verùm post excessum Divini Præsulis, cùm, peccatis exigentibus, posuisset Deus tenebras insipientiæ, & facta esset nox insolentiæ, in ipsam pertransierunt omnes bestiæ sylvæ, ut catuli leonem rugientes, ut raperent, & quærerent à Deo escam sibi, videlicet spiritus maligni: &, quod miserabile dictu est, sacerdotem istum eatenus integrum, morsu luxuriæ corruperunt: quod præfatæ Virgini sic assignatum est. Visus est ei denuo Sacris Mysteriis insistere, dextera quidem Domini nihilominus apparente, sed veluti languida dependente, ac nihil penitus conficiente. Et hæc quidem divinitus ostensa sunt Virgini. Cæterùm aliquoties, cùm incontinentium sacerdotum officia, juxta Gregorianam prohibitionem, corporaliter declinaret, ac per fidem & orationem illis intenderet, quibus corporalem præsentiam exhibere non potuit, mira Salvatoris largitate ejusdem suavitatis gustum sentire cœpit in ore, quem interdum realiter communicando Catholicis se gratulabatur sensisse ex manifesta Sacramentorum perceptione.

CAP. CXXIII.

Diligebat autem hanc Virginem præ cæteris Virginibus beatæ recordationis Antistes Odalricus, non magis propter suam indolem bonam, quàm propter honorabilem Sanctæ Matris viduitatem, & materterarum ejus, quæ omnes illam maximè erudiebant, laudabilem virginitatem. De matre, cui nomen Helisea, breviter adjiciendum, quòd in fervente obedientia Gregorii nostri multis virtutibus, & prophetiæ spiritu præpollens, cùm ad momentum transitus sui de hoc mundo, benignis spiritibus se invisentibus, opportunam solitudinem procurasset, & in eorum glorioso præsidio ad Christum migrasset, è vestigio revertentes quæ discesserant sorores, invenerunt eam ad similitudinem Pauli primi Eremitæ manibus ad Dominum expansis instar supplicantis: quo nimirum pius conditor in defuncta ostenderet, quàm devotè sibi, dum viveret, supplicasset.

CAP. CXXIV.

HÆc nobis scribentibus fortè superlata est narratio duorum miraculorum Salerni cœlitus patratorum, unum mox ut eòdem Beatus Gregorius recessisset. Nam cùm primitus illic prædicare cœpisset, adstans quidam rusticus maligna cœpit intra se taliter dicere: En auctor prœliorum, & seditionum; postquam totum commovit orbem, hanc inquietare venit urbem. His ita cogitatis, dum etiam proloqui voluit, mutum se factum doluit. Cùm verò necessitate compulsus accessit ad hominem Dei, provolutusque pedibus ipsius, quibus signis potuit, peccasse se, & pœnitere innotuit; quo miserente, & benedicente, recepit loquelam, Omnipotenti Deo, famuloque ejus gratias relaturus. Postquàm verò defunctus, & sepultus est, nocturno silentio subintroïerunt fures aperire sepulcrum volentes propter induvias Pontificales; Verùm tantæ vehementiæ ventus obvius eis fuit, ut cunctæ lampades, quæ in crypta Beati Matthæi ardebant, extinguerentur; & ipsi cadentes in amentiam tamdiu jacerent, quousque Cleri, populique spectaculum fierent.

VITA VICTORIS PAPÆ III.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

De Victore III. qui cœpit regnare Anno Domini MLXXXVI.

VIctor, qui & Desiderius Cassinensis Beati Benedicti Abbas sedit menses quatuor, & dies septem. Ad hunc Deusdedit Presbyter tituli Apostolorum in Eudoxia composuit, & ordinavit librum Canonum. (1)

VITA EJUSDEM VICTORIS PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

VIctor III. elapso biennio à morte Gregorii prædecessoris, sicut in quadam Chronica invenitur, cœpit anno Domini MLXXXVI. in quadam verò Chronica scribitur MLXXXVIII. sedit anno uno, mensibus IV. diebus VII. vacavit sedes diebus IX. Hic primò nominatus Desiderius Abbas fuit Montis Cassini. S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus in Galliis claret annis LII. Hic vidit per somnium in solitudine Cartusiæ Deum suæ dignationem (2) habitaculum construentem, stellas etiam VII. ducatum sibi præstantes itineris. Et ecce sanctitatis ejus odore tracti ad ipsum VII. viri venerunt, qui omnes uno desiderio succensi locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, necdum poterant invenire. Horum primus erat magister Bruno, vir Religione, scientiaque famosus, alii IV. literati, duo verò layci. Quos Sanctus Hugo gratanter suscipiens, voti compotes fecit, ipso namque consulente, juvante, concomitante, Cartusiæ solitudinem intraverunt: sicque cœpit ordo Cartusiensis, inter cæteros ordines, merito puritatis, ac theoriæ studio singularis. Cœpit autem anno Domini MLXXXVI. Anno verò Domini MLXXXVII. Venetis meditantibus à Mirrea urbe Luciæ (3) à Turchis tunc temporis desolatæ Corpus Beati Nicholai auferre, præoccupaverunt eos cives Barenses numero XLVII. Mirream de Antiochia venientes, qui extorserunt à IV. Monachis ibidem inventis tumbam S. Nicholai sibi ostendi. Qua effracta, ossa Sancti in olei liquore natantia inde numero extrahentes, Barum cum gloria attulerunt. Facta est autem hæc translatio anno à depositione ipsius Sancti

VICTOR.

(1) Hujus Pontificis vitam (quæ non legitur in Codice MS. Card. Aragonii, sicuti neque sequens Urbani II.) collegit Mabillonius ex Chronicis Leonis Ostiensis, necnon Petri Diaconi ejusdem continuatoris, eamque edidit Sæcul. VI Benedict. parte II., sed cùm nos integrum Leonis opus dare in sequentibus tomis statuerimus, supervacaneum censuimus illam hìc recudere. Interim, ne jejunum omnino Lectorem dimitteremus, brevissimo Pandulphi contextui, qui in nostro MS. legitur, ea apponere placuit, quæ de Victore III. scripta reliquit Bernardus Guidonis, ex ejusdem Codice inedito Bibliothecæ Ambrosianæ, quo etiam imposterum utemur, ad reliqua subsequentiû Pontificum gesta uberiùs illustranda.

(2) *fortè* dignationis.

(3) Lyciæ, veterum orthographiâ, mutatâ y. græcâ in u. latinam.

Digitized by Google

Sancti Nicholai DCCXLV. Victor Papa dissenteriâ dissolutus moritur: fertur autem opinio, quòd ad primam Missam veneno in calice misso potionatus fuerit. Sepultus est in Ecclesia Alteranensi anno Domini MLXXXVIII. vel MLXXXIX.

VITA URBANI PAPÆ II.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

De Urbano II. qui cœpit regnare Anno Domini MLXXXVIII.

URbanus natione Gallus ex opido Castellionis, quod est super Marnam fluvium in Archiepiscopatu Remensi, sedit annis XII. mensibus quatuor, diebus XIX. Vir strenuus, & divinis scripturis eruditus, atque Ecclesiasticis ordinibus imbutus, & in earum observationibus constantissimus perseverator. Audierat iste præclarus, & devotus Pontifex prædecessorem suum Gregorium Papam prædicasse ultramontanis, Hierosolymam pro defensione Christianæ fidei pergere, & Domini sepulcrum ex manibus inimicorum liberare, quod facere minimè potuit, quia persecutio Henrici Regis nimium eum undique urgebat; quod verò prædecessor ejus facere non valuit, iste à Deo electus, & præclarus Dei gratiâ fretus, implevit, ad partes illas videlicet ultramontanas properans, omnes tam majores, quàm minores submonuit, quatenus ad liberandum Sepulcrum Domini venirent, ipseque cum eis esset properaturus; reversus itaque Romam, concursusque populi eum sequens, penitùs præfatum Pontificem secum deducere non potuerunt, quoniam tota Dei Ecclesia pergere illum cum eis non permittebat, sed aucti benedictione ejus, atque absolutione peccatorum suorum accepta, sub eo Principe, & Beato Petro militaverunt. Victoriâ itaque factâ, Deo, & Beato Petro, ejusque Vicario totus Mundus laudes reddere cœpit. Eodem verò anno, quo iter ad eripiendum Sepulcrum Domini gens illa arripuit, stellæ visæ sunt de Cœlo cecidisse, atque Johannes paganus, qui multa mala Romanis fecerat decollatus est, caputque suum Romæ deductum miserabiliter ille infelix in sterquilinio, & sepultura asinorum est sepultus. Temporibus istius Summi Pontificis Mediolanensis Archiepiscopus, qui ab uno tantùm Catholico fuerat Episcopo consecratus, assentientibus quibusdam aliis Episcopis, sed manum non imponentibus, eo quòd scismatici essent, & à Romano Antistite excommunicati, & qui post electionem canonicam à Rege baculum sumpserat per Legatum Sedis Apostolicæ sponte depositus est. Cùmque mox mutato habitu in cœnobio vixisset sanctissimè, necessitate cogente Ecclesiæ per Domnum Urbanum Papam redire ad Episcopatum præceptus est, & compulsus, eique, atque Romanæ Ecclesiæ Sacramentum pro more juravit Episcoporum. Cui post Pallium suppliciter expetenti à Domno Urbano Papa cum his verbis per Horimannum Cardinalem Presbyterum transmittitur; „ Pallium Fraternitati tuæ „ præter consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ „ nulli hoc dignitatis genus, nisi præsenti concedit, tuis literis exorati ex Apostolicæ Sedis benedictione transmittimus. Hoc tempore Toletanus Archiepiscopus Bernardus Romæ ad Domnum Urbanum Papam venit, eique pro Episcoporum more juravit, Pallium, & Privilegium accepit, Regnique Hispaniarum primas institutus est. Tunc etiam in Gallicia omnis Diœcesis Sancti Jacobi ab omni est officio excommunicata divino, quia Sancti Jacobi Episcopus in carcere Regis depositus fuerat. Hoc tempore Henricus Svessionensis Episcopus Romam sponte veniens, quia à Rege Francorum Philippo investituram acceperat, judicio Domni Papæ Episcopatum in ipsius manibus refutavit absque spe restitutionis. Cui postea, necessitate exigente Ecclesiæ, nolenti ac recusanti idem Episcopatus per D. Urbanum Papam restitutus est, & ei pro Episcoporum more juravit, & in sacramento Episcoporum præter solitum istud adjecit. „ Excommunicatis „ ab hac Sede me sciente non communicabo, „ consecrationibus eorum, qui investituram „ accipiunt Episcopatuum, & Abbatiarum de „ layca manu, me sciente, non interero. Sic „ me Deus adjuvet, & hæc S. Evangelia. Tunc etiam de Belvasensi Episcopo idem actum est. Iste benignissimus Pontifex quendam factum Subdiaconum à Guiberto reordinavit, quòd videns se minimè bene fecisse damnavit ne aliquis deinceps faceret. Illi autem cui manum imposuerat sub interminatione præcepit ne ad sacrum ordinem ascenderet, quod & factum est. Qui sex Concilia celebravit, unum apud Claromontem; alterum apud Guardestallum Longobardiæ, in quo fecit præfationem de festivitatibus B. Mariæ Virginis; aliud verò apud Melfiam; & alterum Romæ in Ecclesia B. Petri. Aliud apud Trojam in Apulia, & alterum apud Placentiam. In quibus Conciliis quidquid prædecessor suus Gregorius de stabilimento Ecclesiæ fecerat, & ipse firmavit. Qui fecit ordinationes quamplures (1), Præsbyteros, Episcopos per diversa loca numero . . . Iste præclarus Dei Pontifex beatam vitam ducens suo tempore, Romæ, Ecclesiam bene regendo, contra Hæreticorum dogma suas opponendo doctrinas, multas sustinuit persecutiones, & ad ultimum satis satisque hanc Romanam Ecclesiam deliberavit. Qui Christi Confessor, & bonus Christi athleta apud S. Ecclesiam S. Nicolai in carcere in domo Petri Leonis XIV. (2) Kal. Augusti animam Deo reddidit, atque per Transtyberim propter insidias inimicorum in Ecclesia B. Petri, ut moris est, corpus ejus delatum est, & ibi honorificè humatum.

VITA EJUSDEM URBANI PAPÆ II.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

URbanus II. qui priùs nominatus est Odo, cœpit anno Domini MLXXXVII. in Chronica verò Martini scribitur MLXXXIX. Sedit annis XI mensibus IV. In quadam verò Chronica scribitur: Sedit annis XII. vacavit Sedes diebus XVI. Floruit hoc tempore Ancelinus Canturiensis Archiepiscopus, priùs Abbas Betrensis, vir literaturæ mirabilis, & sanctitate insignis. Hic dilectus Deo, & hominibus verum organum Spiritus Sancti plura scripsit volumina miri ingenii subtilitate fulgentia.

Anno

URBANUS.

(1) C. Diaconos.

(2) C. IV. Kal.

Digitized by Google

Anno Domini MXCV. in Kalendis Martii celebrata est Placentiæ Synodus præsente Urbano Papa cum Episcopis, & Abbatibus, tam Galliarum, quàm Lombardiæ, & Tusciæ, in qua Synodo inter cætera acta ibidem ordinationes factæ à Guiberto hæresiarcha, postquam à Papa Gregorio, & Romana Ecclesia dampnatus fuit, judicatæ sunt esse irritæ, & non valere. In eodem quoque Consilio antiquis novem præfationibus decima addita est de Beata Maria Virgine, quæ cantatur in Missa: *Et te in veneratione Beatæ Mariæ semper Virginis, exultantibus animis, collaudare, benedicere, & prædicare &c.* Anno Domini MXCV. Urbanus Papa in Gallias veniens per Burgundiam, & Franciam habitis consiliis, Gregorii Papæ, qui & Hildebrandus dictus est, decreta renovat, & confirmat, Philippumque Regem Franciæ, qui vivente sua uxore superinduxerat alterius viventis uxorem, excommunicat. Urbanus siquidem Papa prædictus alterum Concilium in Alvernia apud Claromontem urbem mense Novembris celebrat anno Domini MXCVI. in quo statutum est, quòd horæ Beatæ Mariæ Virginis cotidie dicantur, officiumque ejus Sabbatorum solempniter fiat. Exponitur etiam in eo miseria Sanctæ civitatis Jerusalem, Christi dedecus nunciatur, narratur obprobrium, consilium quæritur, auxilium postulatur. Anno itaque Domini MXCVI. occidentalis populi innumerabilis multitudo loca Sancta à gentibus profanari dolentis, Turchosque jam ex magna parte Christianorum terminos audiens invasisse, Duces, Comites, Nobiles, divites, & pauperes, liberi, & servi, Episcopi, Clerici, religiosi, senes, & juvenes, pueri, & puellæ uno animo, unaque inspiratione commoti ab Hispania, Provincia, ab Aquitania, à Britania, ab Anglia, à Scocia, à Normannia, à Francia, à Flandria, à Lothoringia, à Germania, à Borgondia, à Lombardia, ab Apulia, & aliis Regnis, & terris, undique nullum nullo angariante concurrunt, armati fide & virtute, & signo Sanctæ Crucis signati, injurias Dei ulcisci ire se parant. Et quanto quisque hactenus ad exercendam mundi militiam pronior erat, tanto ad exercendam ultro Dei militiam fit promptior, firmissima pace interim ubique terrarum composita, & confirmata, primòque Judæos in urbibus, in quibus erant, ad exercendum compellunt, nolentes autem ab urbibus ipsis eliminant, trucidant, bonisque temporalibus privant; quorum quidam tenendi leges patrias zelo ducti se mutuò perimunt, alii verò ad tempus se credere simulantes ad Judaïsmum postea relabuntur. Eminebant autem in hoc sancto exercitu, vir per omnia clarus Ademarus Podiensis Episcopus, Dux Lothoringiæ Godofridus, Eustachius, & Baldoynus fratres ipsius, Robertus Comes Flandrensis, Radulphus Comes Mettensis, Hugo magnus frater Regis Francorum, Stephanus Comes Blesensis, Raimundus Comes Sancti Ægidii, & Tholosæ, Hosmundus Dux Apuliæ, Robertus Comes Normanniæ, Ancelinus de Riboldi-monte, Raimundus Turennæ, Golferius de Turribus natione Lemonicensis vir memoriæ dignus, qui cùm crebros excursus exerceret in hostes, & multa dampna de die in diem eis inferret, accidit una die, dum ad hujusmodi veheretur, quòd rugitum terribilem cujusdam leonis à serpente immanissimo circumligati audivit, quo audito contra sociorum dissuasionem ad eum audacter accedens, truncato serpente leonem liberat, qui, quod mirabile dictu est, memor accepti beneficii eum sequitur sicut leporarius unus, à quo quamdiu fuit in terra ipsa numquam recedens, multa ei commoda contulit, tam in venationibus, quàm in bellis; dabat enim carnes venaticas abundanter, & quemcumque domino suo adversari videret prosternebat. Quem, ut dicunt, in navi positum cùm rediret etiam derelinquere noluit, sed nautis nolentibus eum in navi recipere, utpote animal tam crudele, secutus est dominum suum per mare natando, usquequo labore defecit. Nullus autem Rex in multitudine sancta fuit, sed omnes Christum Dei filium Regem habentes, uno fervore, una devotione, cum summa pace, & concordia de terris suis egredientes voluntate unanimi Sepulcrum Christi tamdiù sub servitute redactum proponunt reddere libertati.

Anno igitur Domini MXCVII. exercitus Domini per omnia viriliter agens ingressus est terminos Paganorum, fuit autem eis primum bellum ad pontem fluminis, cui nomen Pharphar IX. Kal. Martii, in quo Pagani fuere devicti, captæque sunt urbes Nicæna, & Laodicia; & licèt essent in eodem exercitu plusquam CCC. millia armatorum, tanta eis rerum omnium copia suppetebat, ut aries uno denario, bos V. nummis, XII. tantùm tres venderetur. Antequam autem Antiochia caperetur Sanctus Andreas apparuit cuidam rustico simplici Provinciali genere, dicens: Veni, ostendam tibi lanceam, qua perforatus fuit Jesus Christus. Qui rusticus capta civitate præsente Feudo Comite Tholosano, & Capellano suo, fodiens terram in Ecclesia Sancti Petri, in loco, quo revelationem habuerat, lanceam invênit. Anno Domini MXCIX. dubitantibus autem plurimis, utrum esset lancea Christi, quidam Bertholomæus nomine, quem Christus sibi apparens de lancea certificaverat, cum ipsa lancea per ignem XIII. pedum, quem fieri jusserat, illæsus transivit, & sic exercitus fiduciam in Christo, & lanceam ipsius habentes intrepidi processerunt. Anno verò Domini MXCVIII. obsessa est Antiochia ab exercitu Christiano, & in tantum propter inopiam rerum attenuati sunt Christiani, ut in toto exercitu C. boni equi (3) inveniri valerent. Et quamvis ex inopia rerum multi se subtraherent, multique repatriarent, nono obsidionis mense Antiochia capitur; & mox superveniente Corboranno cum magno exercitu, Christiani à Paganis versa vice obsidentur, tantaque fame afflicti sunt nostri, ut vix se aliqui ab humanis carnibus abstinerent. Sed confortati à Deo per inventam Jesu Christi Domini nostri lanceam à tempore Apostolorum non visam obsessi obsessoribus IV. Kal. Julii audacter occurrunt, & hoc etiam bello tertiò victoriâ potiuntur. Quartum etiam bellum fuit eis in Kamania, quam nunc appellamus Moream Kal. Julii, in quo etiam Turchi vincuntur. Comissâ denique Antiochiâ Duci Hosmundo, propter vitandum tædium, & famem, & maximè propter Principum discordias proficiscuntur in Syriam, & expugnatis urbibus Sarracenorum Marta, & Barra, & multis regionis illius castellis, tanta ibi fame afflicti sunt Christiani, ut corpora Sarracenorum jam fœtentia edere compellerentur. Anno Domini MXCIX. Christianis fortiter debellantibus, eorumque urbes, & castra sibi bellando vindicantibus, contigit

(3) *Videtur deesse vix.*

tigit apud quoddam munitissimum castrum, quod vocatur Archas, ab eo Jerusalem octo mansionibus situm, multos eorum perire. Inter quos Ancelinus de Riboldi-monte in capite lapide percussus occubuit post acceptum vulnus, hoc solummodo verbum tertiò repetens: *Deus adjuva me*. Post hoc exercitus Dei Divino monitu in Syriæ interiora profectus, refocillatus est larga Dei manu. Et quia cives, & castellani Regionis illius Legatos ad eos cum multis donariis præmittebant, tradere eis urbes, castraque parati; à quibus securitate accepta, urbibus, & castris indicto tributo, multis, qui se tempore tribulationis subtraxerant, ad eos redeuntibus apud Tyrum, Aerlin tandem pervenerunt, eâque obsessâ cùm pro victus, & præcipuè aquæ penuriâ laborarent, ex condictu communi omnes quotidie nudis pedibus orando circuiverunt civitatem. Octavo igitur die talis humiliationis, obsidionis autem XXXIX. pedibus (4) Junii feriâ VI. Jerusalem capitur, & in templo Salomonis, & in porticu ejus Christiani cum Paganis quinto bello confecto tanta in eos cæde debaccati sunt, ut in sanguine occisorum usque ad equorum genua equitarent. Post hac urbe obtenta, & mundata, Patriarcha ordinatur, Rex eligitur, spolia dividuntur, fidelitas pro Dei amore, & timore reverenter eis à subditis exhibetur. Hiis itaque taliter ordinatis, & Principibus de repatriando tractantibus, ecce Rex Sarracenorum cum C. millibus equitum, & quadringentis millibus peditum ad rebellandos eos ad Scaloniam venit, Quibus cùm exercitus Domini in quo erant non plus quam V. millia equitum, & XV. millia peditum occurrisset, Deo pro servis suis ad se clamantibus pugnante, & nube eos ab æstu Solis, & intemperie aëris defendente, Sarraceni solo Christianorum impetu territi, projectis armis fugerunt; & in hoc sexto bello VI. Kal. Augusti commisso cæsa sunt C. millia Paganorum in porta verò Ascaloniæ usque ad duo millia suffocantur, eorum autem, qui perierunt in mari, quique inter spineta consumpti sunt numerus ignoratur. His itaque gestis Duce Godofrido remanentibus in Jerusalem ad principandum electo, cæteri Principes ad propria revertuntur. Capta est autem Jerusalem civitas anno Domini MXCIX. post annos circiter CCCLX. ex quo sub Eraclio Imperatore secunda vice capta à Sarracenis possessa est, post annos verò nonaginta ex quo à Turchis invasa est, Sarracenis inde aut ejectis, pariter aut occisis. Interea anno Domini MXCVIII. XII. Kalendas Aprilis in festo S. Benedicti in Burgundia in Episcopatu Cabillonensi non longè à castro Divinionis fundatum est Cœnobium, quod Cistercium dicitur. Hujus Cœnobii primus Abbas fuit Domnus Robertus Abbas Molismensis, qui Divino sollicitatus fervore cum XXI. Monachis, depositis omnibus, quæ in vestimentis Regulæ obviabant, aut pietati, egreditur de Molismo, & auctoritate Domni Papæ Urbani suffultus ad vastam heremi horribilemque solitudinem pervênit Cistercii, ubi, consensu Domini Galterii Cabillonensis Episcopi, favente, & auxilium præstante Domino Odone Duce Burgundiæ, habitacula construentes, consistere elegerunt. Dominus itaque Robertus prædictus à Cabillonensi Episcopo cum virga Pastorali curam fratrum suscipiens, Cistercii efficitur primus Abbas. Verùm eodem anno, cogente ipso Papa Urbano, propter infatigabilem querelam Molismensium Monachorum revertitur ad Molismum, cui in Cistercio substituitur Albericus, Alberico successit Stephanus. Urbanus Papa obiit anno Domini MXCIX., sepultus est in Ecclesia Lateranensi.

(4) *Fortasse legendum* idibus.

VITA PASCHALIS PAPÆ II.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

PAschalis, qui & Rainerius antea vocabatur, natione Flamminææ Provinciæ Bledæ, patre verò Crescentio, matre Alfacia, sedit annis XVIII. mensibus VI. diebus VII. Hic puer Monachus factus philosophantium artibus eruditus, pro Monasterii sui causis agendis ab Abbate sibi injunctis vicesimo ætatis suæ anno Romam venit, quem & Monastici Ordinis sui gravitas, & morum honestas, & solertis ingenii circa commissum prudentia, Domno Gregorio, qui Summi Pontificatus Monarchiam Catholica soliditate tunc regebat, notum fecit, & vidit eum, & expertus est, placuit, retinuit, certis temporibus in titulo Sancti Clementis in Urbe presbyterum consecravit. Quanta huic postmodum bona successerint, in sequentibus audietis: Solemnis memoriæ Domno Urbano Papa defuncto magnanimo, Ecclesia, quæ erat in Urbe pastorem sibi dari expetiit. Ob hoc Patres Cardinales, & Episcopi, Diaconi, primoresque Urbis, Primistrinii, & Scribæ Regionarii in Ecclesia Sancti Clementis conveniunt. Hic dum de multis agitur, subitò de hoc commodiùs placuit, quod compertum viro bono displicuit, volensque vitare, fugit, latuitque, sed non diu potuit in unius commodum latere consilio humano, quem in multorum salutem Divini Numinis gratia revelare disposuit; Invenitur, trahitur in conventum, & convenitur, de fuga arguitur à Patribus: fugere, inquit ille, magis oportuit Patres, quàm inæqualis sarcinæ pondus immoderata animi præsumptione subire, nec decebat me Sacerdotem illius honoris cingulo accingere, cujus oneris vinculo involutus succumberem. Non sic, ajunt Patres, non sic facias oportet, sed illuc tua se debet cohibere intentio, quò Divini intuitus cognoveris se infigere sapientiam. Ecce te in pastorem sibi dari expetit populus Urbis, te elegit Clerus, te collaudant Patres, denique in te solo totius Ecclesiæ quievit examinatio, divinitus ista proveniunt, divinitus hic congregati in nomine Domini te ad Summi Pontificatus apicem & eligimus, & confirmamus. Sic eo diu renitente à Primistriniis, & Scribis Regionariis mutato nomine ter acclamatum est, responsumque: Paschalem Papam Sanctus Petrus elegit. His, aliisque laudibus solemniter peractis, clamide coccinea induitur à Patribus, & tyarâ capiti ejus impositâ, comitante turba cum cantico Lateranis vectus ante eam porticum, quæ est ab australi plaga ad Basilicam Salvatoris, quam Constantinianam dicunt, adducitur, equo descendit, locaturque in sede, quæ ibidem est, deinde in patriarchali, ascendensque palatium ad duas curules devênit. Hic baltheo succingitur, cum septem ex eo pendentibus clavibus, septemque sigillis, ex quo sciat se divinam septiformem Spiritus Sancti gratiam, Sanctarum Ecclesiarum, quibus Deo auctore præest, regimini in claudendo, aperiendoque tanta ratione pro-

Digitized by Google

providere debere, quanta solemnitate id quod intenditur, operatur. Et locatus in utrisque currulibus, datâ sibi ferulâ in manu, per cætera palatii loca solis Pontificibus Romanis destinata, jam dominus, vel sedens, vel transiens electionis modum implevit; die altero, mense sexto, XIV. die primo consecrandus in Pontificem, consecraturique Pontifices, cum frequentia populi, plebisque Basilicam Beati Petri adeunt, quorum nomina sunt hæc: Oddo Ostiensis, Mauricius Portuensis, Gualterius Albanensis, Bono Lavicanus, Milo Prænestinus, Offo Nepesinus, & inter missarum solennia, loco & termino quo decuit manum sibi imponunt, primus in consecratione Oddo Ostiensis, qui ad hoc utitur pallio, & benedixit, & linivit eum chrismate catholicè. Igitur à catholicis, & orthodoxis Episcopis in Pontificem consecratus, translato in se pallio, expletisque, quæ restabant missarum solennibus, cum plenitudine laudum, cum ingenti applausu populi plebisque, cum alacritate Patrum, ac Cleri (1) Domnus Pascalis Papa secundus coronatus in Urbem rediit, convaluitque Ecclesia. Dum hæc Romæ agerentur, Albertus Allatrinus Episcopus quidquid futurum (2) per oraculum vidit. Religioso cultu quædam persona sibi apparuit, quæ interroganti quis Domno Urbano succederet, respondit: Rainerius: ut quid, inquit, propter fidem, & constantiam elegit eum Dominus? & iterum: putasne, inquit ille, vivet? vivet, ait, sedebitque (& ostendit id scriptum) quater, quaternique (3). Episcopus sciturus rem, Romam venit, quem ut vidit intronizatum, & Papam, quod vidi, inquit, Deo gratias, video, & tu quantum vives videas, & ait quater, quaternique, (4) hoc numero X. & IX. annorum tempus exprimitur, & cùm tot dies, hebdomadæ, & menses, eo superstite jam transierint, vitam ejus ad totidem annos produci per Dei gratiam expectamus. Robur autem, & successus ejus in his, quæ Dei sunt, hominumque, multiplicabatur, atque crescebat, devotione solenni, spe meliori, gratiâ certâ, cuncta prospera, cuncta salubria in Urbe inveniebantur. Quies pro tumultu, pax pro bello. (5) seditionibus concordiæ gratæ indissolubilesque connectebantur. Omnes gaudebant, & cœlitus eum advenisse clamabant, & meritò eum dominari dicebant, quia statum Urbis, mores hominum, copias, & egestates cognoverit, (6) saluti publicæ privatimque sinè offensione providere cœpit: omnibus erat amabilis, ab omnibus diligebatur, ut tanto affectu in Pontificio quisque sibi applauderet, quanta familiaritate in Sacerdotio cuique fuerat conjunctus. Jamque instabant causæ, multiplicabantur concilia, densioribus turmis hinc inde plebs, populusque ad eum confluere cœpit, in aure loqui, nova afferre nunc cætera (7) certiora, nunc undique nunciare. Providendum sibi quisquam commodiùs cœpit æstimare. Turbæ sibi meritò videri debere dicebant, hæresiarcham Guibertum ab Ecclesia toties in capite damnatum, gloriosæ memoriæ Domno Gregorio, Urbano magnanimo, & Victori glorioso, prædecessoribus suis miræ virtutis Pontificibus, diu, acriterque adversatum in Urbe, suburbiisque, in eum etiam aliquod perniciosum machinari, atque pati eum se non posse omnes clamabant. Et Patres, si pecuniæ, inquiunt, desunt, auro, argentoque subveniemus. Dumque hujus dispositionis acriter angeretur utrimque, Legati Rogerii Comitis in Urbem veniunt, curiam intrant, & more domini ex parte Comitis officiosissimè Papam salutant, & resalutanti inclinati ad pedes ejus posuerunt auri uncias mille; id tam devotè susceptum est, quàm opportunè mandatum. His auxiliis ad expugnandum prædictum hæresiarcham de superioribus collatis, audaciam adeptus Domnus Pontifex: operari, inquit, jam, Deo gratias, magis, quàm consiliari possumus. Albæ erat Guibertus, dedit operam, expulit eum ab Alba; defectio Albæ exterruit eum ab Urbe, suosque; Obstitit homo dum potuit, prævaluit Deus cùm voluit. Miser Guibertus jam non Papa, qui nunquam Papa, dimissa Urbe, nec adhuc securus in Castellum se proripuit, & hìc finis, (8) & meritò, nam dum superbè agendo, Deum, quem in servis suis impiè offenderat, fugere nititur, infelix subita morte præventus, diabolum, cui contumaciter servivit, invênit. Transitus, immo mortis ejus diem scire æstimo indignum mortalibus fore, ac ejus memoriam in terris scribere, cujus nomen Deus in Cœlis de libro vitæ delevit; hæresiarcha fuit, hic sibi sit titulus. Divino igitur judicio de medio sublato Guiberto, & Ravennas superbiâ cecidit, & Romana respiravit Ecclesia. Nec tamen in cæteris malorum diabolo defuit materia, qua & unitatem divideret, & turbaret Ecclesiam. Alter post alterum duo statim eliguntur Antipapæ, & unus quidem eodem, alter post centesimumquintum electionis suæ diem à fidelibus captus, qui Albertus vocabatur, apud Sanctum Laurentium Aversæ retrudi, & qui Theodericus, apud Sanctam Trinitatem in Cava heremiticam vitam addiscere, Patrum judicio adjudicati sunt; sicque dejecit eos Dominus dum allevarentur. Eligitur & tertius Maginulfus (9) nomine; hic quia nigromantiæ fabulis simplicem populum, illos maximè, qui conscientia scelerum, vel habitus, (10) spe futuri successus ad eum refugium fecerant, allicuerat, gravem in Ecclesia calcem impressit. Sed dum auguriis fisus, Pontificium adipisci nititur, quod ex diabolo dari non potuit, divinis destitutus auxiliis meritò amisit, & Sacerdotium, quod sinè Deo arripuit, tenere non licuit; miser amisit & Urbem, & exul gravi inopia, miseriisque afflictus, corrosâ, ut ait, (11) linguâ, vitam cum carne finiret. Sic uno, altero, & tertio impiè succedentibus, deficientibusque, confessis hæresim suam, qui piè præerat Paschalis Domnus Papa nimio (*), qui erat, convaluit, quievitque. Eo tempore Domnus Papa civitatem Castellanam per suos aggressus, locum naturâ satis munitum, miro Dei auxilio, vi, virtuteque obtinuit, parum post obtinuit & Benedictum. (*) His diebus Petrus de Columpna, Cava, scilicet oppidum de jure Beati Petri invaserat, sed dum aliena contumaciter retinere nititur, turpiter amisit & propria. Egressus Urbe Domnus Papa Cavas recepit, Columpnam, & Gazzarolum (12) oppida juris ipsius sapienter expugnata, prudenter sunt capta. Ajunt & prodigia his annis fuisse; mare quibusdam locis passibus XX.

(1) C. devotione.
(2) C. affuturum esset.
(3) C. quaternique, ternique.
(4) C. quaternique, ternique.
(5) C. pro.
(6) C. his multorum hominum saluti &c.
(7) C. certa.

(8) C. funus.
(9) C. Malinulfus.
(10) C. ambitus.
(11) C. ajunt.
(*) *fortasse deest* dolore.
(*) *in MS. Papebrochii* Beneventum.
(12) C. Zagarolum.

Digitized by Google

XX. plus solito litus occupasse, quibusdam locis passibus plus minus centum in altum transivisse. Cœlum papilionis in modum, zonis, rubeisque à superiori ad inferius insignitum apparuisse, iris totum ferè id comprehendit. In meridie per dies XXIX. Cometa apparuit miræ potentiæ, longitudinisque, ut quod superesset Cœli quartam partem occuparet, & ante occasum Solis cum Sole appareret. Sed & adhuc fumicat sceleratorum Æthna Paschalicis suffocata virtutibus, tantoque frequentiùs interiùs æstuat, quanto solidiùs exteriùs compilatur. Quoniam Corsorum domus, videlicet Stephani, & filiorum, & fratrum ejus, atque nepotum jam per Domnum Papam Paschalem omnes destructæ erant, qui Stephanus nimis in iram exarsit, Ecclesiam B. Pauli cum omnibus bonis apprehendit, omnesque reos sibi consociabat, sicque civitatem confundebat, nihil in Urbe tutum, nihil extra securum, fasque, nefasque simul. His stimulis primores Curiæ instigati Ecclesiam Beati Pauli, & oppidum, quod Stephanus occupabat clavibus ulixicè expressis in ceram, & ad earum exemplar de ferro confectis, noctu dispositis insidiis cautè aggrediuntur, dum illi interiùs negligunt, quod exteriùs timent, nostri exteriùs fingunt quod interiùs machinantur; capta turri, patentibus portis, copiis introductis, sentiunt subitò quod non suspicabantur; utrimque pugnatum est acriter, illis interior turris, & ardua porticus servabat vires, istis facilis ingressus, & certa auxilia augebant audaciam. Manè Domnus Papa cum plenitudine Civium oppidum ingressus, cepit quæque, & Stephanum sacrilegum abjecit, quem, quia Monachus videbatur, illæsum abire dimisit. Hostibus Ecclesiæ sic exterritis, & Urbe jam sedata ex parte, eo anno Domnus Papa in Tusciam apud Florentiam Concilium celebravit, in quo cum Episcopo loci de antichristo, quia eum natum dicebat, satis disputatum est, sed frequentia populi, qui ob audiendam rei novitatem hinc inde confestim, tumultuatimque confluxerat, nec Concilium finem, nec disputatio deliberationem suscepit. In Longobardia apud Guardastallum celebravit Concilium, in quo quidem de investituris, de homagiis, de sacramentis Episcoporum laicis exhibitis, exhibendisque, certis capitulis statutum est. Sic pertransivit usque in Franciam, & Trecis Concilium celebravit, in quo quæ ordinanda multa erant ordinavit, & quæ destruenda erant, bono fine destruxit Reversus itaque Domnus Papa, ut solet esse in absentia Principum, Urbem turbatam invênit, superiorem maritimam per eum, quem dimiserat Stephanum, defecisse, & in sui deditionem attractam occupari, crevit indulgentiâ malus, quia nullo pietatis affectu mulceri potest, quo sit bonus, qui nunquam desinit esse malus, superbè se armavit exteriùs, qui turpiter intus perdiderat. Pontecelem, & Montem-altum oppida de jure B. Petri copiis munivit, & armis; hæc Domnus Papa aggressus, alterum quidem cepit, alterum ob impatientem in locis illis autumnum, depopulatis quæ extra erant, dimisit. His favoribus simplicis populi novas seditiones oriri, antiqua bella resuscitari, alterum in necem alterius pasci existimantes, cùm nihil formidandum, nihil eis timendum foret ob latrocinia, factionesque eo deficiente. Hæc æquo animo ferebat Domnus Papa, tum quia inæqualitas temporis tunc eum prohibebat, tum quia in Apuliam transire disposuerat; ob hoc accinctis fidelibus, Lavicano Episcopo, Ecclesiarum curam; Petro Leonis, & Leoni Fragepanis Urbem & urbana, Ptholomæo cætera, quæ extra erant, Beati Petri patrimonia, & Principem militiæ nepotem suum Galfredum tuenda commisit, ipse dispositionis suæ articulo usus transivit, moratusque quò debuit, ut decuit fecit, cùm debuit rediit. In itinere erat, audivit in Urbe seditiones, innumerasque terribiles connecti extra Anagnam, Prænestem, Tusculanum, ipsas etiam Sabinas defecisse. Hujus defectionis caput roburque Ptolomæum, ascivisse sibi Petrum de Columpna Abbatem Farfensem, Romanorum copiam, Albam, Maritimamque fidem servantium hostilibus irruptionibus depopulatam, ipsum etiam Ptolemæum submurmurasse, nec inde aditum patêre Domno Papæ redeunti ad Urbem; sed Dominus, qui Beati Petri fide Ecclesiam solet tueri, reditum dedit prosperum, accito Gajetano Duce, Richardo de Aquila, ut hujus itineris dux sibi foret, injunxit, triduo post in maritimis nos assecutus est; atque sic Dei, & Beati Petri auxilio usque Albam pervênit; Albæ verò Domnus Papa tanta devotione susceptus est, quanto desiderio expectatus, & soluto donativo, quod militibus heredariis debebatur, Romam venit, quos hîc hostes, quos fideles, sociosque invenerit, plenè cognosci non potuit; dum verò Romæ cum suis considere cœpit, omnes Beati Petri possessiones recepit, inter quas cum magno labore, & multa nece hominum Tiburtium (13) suscepit, parum post Capitolium ascendit. Hic inquit Montem-altum, & cætera Beati Petri patrimonia de Stephani Abbat s manibus evellenda, & ob pertinacem ejus superbiam, ejus personam (14) vindictam sinè pietate dignum est irrogare; parvo igitur prœlio, sed horrendo satis, captis domibus, subversisque turribus, adeò sunt omnes exterriti, ut & patrimonia Beati Petri, cæterarumque Ecclesiarum, quæ injustè occupaverant, redderent, & obsides tactis Sacrosanctis Evangeliis darent, se de perpessis nec vindictam sumere, nec ultra turpibus conditionibus Ecclesiam afficere. Victor igitur in toto Domnus Papa Paschalis cum Provincialibus dedit fidem (15) satis solidam, quia suis erat quisque contentus. Viguit autem pax, quoadusque exterminatorem terræ Henricum Henrici Imperatoris filium Divinæ ultionis ira in Italiam traxit. Quid verò prædictus Ecclesiæ hostis in itinere operatus sit longum est per singula ambulare, atque nunciare, tamen in quantum possumus, sub brevitate posteris significare curamus. Civitates multas, & castra in itinere dolo pacem ostendendo subvertit, Ecclesias destruere non cessavit, Religiosos, ac Catholicos viros capere, quos invenire poterat, nullo modo desistebat, quos vero habere non poterat, à propriis sedibus pellere non cessabat. Sic impiè agendo per Longobardiam, & Tusciam Romam usque pervênit. Cùm verò Romam pervênit quid mali in ea, quæ caput est totius Mundi, operatus est, res ipsa clarè demonstrat: priùs juravit, sed perjurare minimè dubitavit. Quod facere potuit, non pro Deo, sed pro hominum timore dimisit, ut dictum est, cùm cœpit Civitati appropinquare, ut ammoniti erant, majores Urbis omnes ei obviam exierunt. Clerici

(13) C. Tiburtinum

(14) *legendum* in ejus personam, ut in Codice *Papebrochii*.

(15) C. pacem dedit fidam. Codex *Papebrochii* Comprovincialibus pacem dedit, fidam satis, solidamque, & suis &c.

Digitized by Google

rici verò minores, uti mos erat, à porta Civitatis, quæ juxta castrum Sancti Angeli sita est, usque ad Ecclesiam Beati Petri, honorificè omnes planetis, cappis, atque dalmaticis induti eum ad processionem susceperunt; majores verò, videlicet Episcopi, & Cardinales Presbyteri, Cardinales Diaconi, atque Subdiaconi, cæterique Ordines cum Domno Papa Paschali intra Ecclesiam Beati Petri, expectaverunt. Proceres verò, Judices, Advocati, Scriniarii omnes cum eo in comitatu venerant, eandem (16) ei, ut alii ferebant, referentes, atque dicentes: Henricum Regem Sanctus Petrus elegit. Susceptus itaque à prædicto Pontifice non priùs Ecclesiam intrare voluit, quàm eam suo jure, suoque dominio à suis fidelibus detineri vidisset. Deliberata itaque est ei Ecclesia, & omnes munitiones circumquaque sitæ, & in hac deliberatione obsides dedit, videlicet nepotem suum, & alios barones, ostendendo se fidem servaturum, quam penitùs malè observavit, Domnum Papam Paschalem dolo, fraude cum Episcopis, Cardinalibus, cæterisque Ordinibus, & cum proceribus apprehendit quamplurimis: de aliis verò quammaximas strages fecit, Clericos verò, Archiepiscopos omnes, Presbyteros expoliavit, planetas, timiamateria eis auferendo, & proprias vestes, ex quibus vestiti erant, minimè dimittebat; nec etiam subtellaria, atque fœmoralia eis habere permittebat. Hæc verò acta sunt mense Februarii II. Idus Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo undecimo, Indictione quarta; eodem namque die, quo legebatur Evangelium: *Assumpsit Jesus XII. discipulos suos, & ait illis ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur*. Ascensio ista descensio fuit, quoniam, ut Dominus à malignis perpessus est injuriam, sic & iste à barbaris malitiosè captus est; consummata de Christo fuerunt, quia à Prophetis prænunciatum fuerat eum passurum Hierosolymis; in isto, quoniam jam multis vicibus dictum erat non iturum, si verò ivisset non priùs rediret, quàm omnia quę vellet faceret: traditus fuit videlicet à suis, & non ab extraneis, flagella, multaque opprobria diu ab ipsis perpessus est, à prædicto namque die, videlicet à II. Idus Februarii usque in V. Kal. Maji devotus Dei Pontifex multis affectus est cruciatibus, tamen ad ultimum pro liberatione Ecclesiæ, & multorum captivorum, qui cum eo detenti erant, cum prędicto exterminatore pacem composuit, sed non diu duravit; Discedente igitur eo, videlicet Henrico, Romæ pax rediit, non illa, quam insimul composuerant, quia minùs boni continens erat, sed terræ pax est reddita, quia omnes possessiones Beati Petri, quas abstulerat Beato Pontifici collatæ sunt.

Viguit autem pax annis plus minùs novem posteris vix credenda, quam profectò vidi tantam, quantam timidus bubulcus exoptat, & audax perhorruit latro, ut quisque locus depositum tueretur. Quid autem egregia Pisanorum industria, & admirabilis pertinacia per eundem Domnum Papam Balearibus insulis Æffizæ, & Majoricæ tulerit, quem apparatum, quas copias, supplementumque, quemve Legatum Episcopi habuerint, quo Consule, sub quo Imperatore militaverint, cujus vexilli indicia secuti fuerint, quisve eorum fortiter fecerit, quot navibus, & quomodo ierint, quid naufragii, quidve laboris in reficiendis ratibus passi sint, illud etiam gloriosum, admirandumque subsidium, quod non desperaverint, quomodo etiam evulsis captivis, direptis spoliis, subversis urbibus victores redierint, quia digno volumine compræhendere disposui, suo loco, suo tempore distuli. Hujus temporibus prodigia: apud Mamistram terræmotus muros omnes, domosque subvertit, majorem hominum partem ruinâ involvit, quam dum miles quidam fugere nititur ad Antiochiam properans, subito hiatu terræ cum equo absorptus, priùs est sepultus, quàm mortuus; ibidem alio hiatu terræ bos interceptus est, dum corpore inferiùs fluxit, cornibus superiùs hæsit. Romæ Lateranis in Basilica Salvatoris fulmen turrim sacram percussit, partem culminis, & gallum æneum vento versatilem, campanasque dejecit, & quassato angulo ejusdem Basilicæ, sepulcrum Papæ, quod erat inferiùs, omnino destruxit. Ædem Sancti Pauli ex tribunali igne de cœlo tactam destruxit, ut & tecti plumbum conflaretur, & trabes visibiliter arderent; profectò arderet tota, nisi aquâ, & auxilio Apostolorum confluentes populi Urbis obstarent: monstrant indicia trabes. Beneventi bicipitem vitulum sinè pedibus natum, Romæ in porticum Gallæ (17) id quoque prodigium: ab ea gloriosa nomine & virtute, bonum filium, juvenem audacissimum, gladium tunc ferentem, & hastam armo dextro cepisse: suscipiensque eum: tu ne es, ait, ille nequam, qui virum meum interfecisti? & abstricto cutello de supparo, quem tenuit, evisceravit, volentibusque sumere vindictam: ut quòd, illa inquit, virum meum interfecit? Sic pro pœna gloriosè gloriosa mansit.

Anno XVII. Pontificatus Domni Papæ Paschalis II. anno pacis decimo, mense primo, XVI. (18) die mensis, die transitus Domini ira de manu calicis ejus de terra ascendit. Petro Urbis Præfecto defuncto homines scelerati, seditiosi, proni ad malum, privatis malè negotiis, publicis pessimè providentes, inconsultis partibus (19) primoribus, puerum adolescentem in Urbe Præfectum eligunt: cujus modus hic est. Dum domi in cilicio (*) pater Præfectus moritur, extra in gradibus filius Præfectus eligitur: patris cadaver ad Ecclesiam ducitur, filii fastus ad loca præfectoria destinatur, patri exequiæ funeris in Ecclesia, filio laudes præfectoriæ in atrio applaudunt: illi patrem rationem Deo redditurum in sepulcrum deponunt, isti filium juraturum populo in ambonem sublevant. Miserabilis casus utrorumque! & tu exequias funeris pro comitiis filii perdidisti pater, & tu pro patris exequiis comitiorum applausum amisisti fili. Concludat igitur qui vult, dicatque: patrem malo terminasse exitu, cujus in morte uxor gaudeat, filius lætetur, domus tota exultet, filium principiis incohasse nequam, cujus in comitiis mater laceratis crinibus plangat, filius scissis vestibus gemat, domus tota tristetur. Turbavit Domnum Papam, curiamque simul allatim, & mors patris, & excessus filii, initoque consilio, quia nostra, inquiunt, ante tempus occupant, meritò & non sua in tempore perdant. Vale. P. & tu castrum, & ex omnibus, quæ ad præ-

(16) *deest* laudem, *ut leg. in C. Papebroekii*.
(17) C. vidi.
(18) C. XXVI.

(19) C. Partibus.
(*) *fortè* in cubiculo.

Digitized by Google

præfecturam pertinent, ad Curiæ commodum in testimonio venerabilis hujus nostri Diaconi te investias. Parui jussis: in reditu tumultum, insidiasque in Deum (*) necem persensi, providi auxiliis in subsidiis positis, loco, & tempore egregiè facturis; deinde sic sibi adfuturum fore denunciavi. Jamque ille cum tumultu populi, plebisque Constantinianæ Basilicæ pede limen tetigerat cùm subitò oleum consecrandum in Chrisma jam infectum balsamo, confectumque, fracto vase diffusum est. Turbari Patres, mirari Domnum; nec credebant prodigium, eo quòd in prosperitate positi nullius periculi casum affuturum timebant. At iterum alio oleo confecto, Domnus Pontifex ad exequendæ tantæ solemnitatis mysterium ad Altare ascendit, jamque ex tribunali sede orationem: Deus à quo & Judas reatus sui pœnam, & latro confessionis præmium sumpsit, incœperat, cùm illi puerum scissis vestibus inter Altare, & tribunal sibi opponunt, confirmari eum in Urbe Præfectum petunt. Cùmque, ut ejus Domni moris erat, ob reverentiam incœpti officii respondere differret, irasci illos, magnis acclamare vocibus, Deum sibi testem facere, & vota jurare ni responderit, aliterque si senserit, atrocis facti miserias eo die visurum. Tandem: confirmari eum in Præfectum petitis, inquit, quem nec nos dignè dare, nec vos hodie honestè petere potestis, cùm vos hodierni funeris exequiæ à comitiis meritò subtrahant, & nos solemnis diei charismata ab hujusmodi justè removeant, quibus peractis respondebitur dignè. Et illi: pro velle vestro utemur dispositi; tumultuantesque discedunt, fecissentque dispositis viam, nisi eorum, quæ ira tumuerat, nostrarum copiarum timore enervaretur audacia. Die altero, die Parasceve cùm omnium Civium hujus Urbis, maximè vetusti moris sancta devotio, per loca sancta, per Martyrum cœmeteria, per votiva solemnia pedibus discalciatis in Urbe, subur biisque confertim diffunderetur, illi simplicem populum, plebemque in factionis suæ charybdin sub armis jurare compellunt. Itidem die magni Sabbati, die Paschali gravius. Secundâ feriâ eunti Domno ad Basilicam B. Petri, juxta radicem pontis Trajani cum tumultu se puer ille opposuit, confirmari petiit, quod quia adeptus non est, sequentis familiæ alios cepit, alios injuriis affecit: in reditu, coronato Papa, ut ejus diei mos est, Patribus solemniter procedentibus in injuriam (*) ex Capitolio, strepitu, clamore, lapidibus eos prosequuntur, nec adhuc satis. Delegant post eum, nec antea vestes sacras eum exui licuit, quin respondere opportuit: sequenti sexta feria de confirmatione communi consilio deliberandum; at ille non contentus termino, eo die quę restabant pręfecturalia, à quibus potuit, in se compleri fecit; feriâ sextâ in tantam exarsit audaciam, ut eorum domos subverteret, quorum religio fidei in Domnum Papam perfidè agere noluisset. Prævidens autem Domnus Papa huic ruinæ absque multa cæde resisti non posse, in Albam secessit, furor illius, Francorumque (20) in Ecclesiam, & domum Petri Leonis, qui eam tueri videbatur, omnimodo conversus, nec posse pati, nisi reverso eo, suorum fulciretur auxilio. Reversus tanto compressiùs (21) Principibus curiæ largitus est dona, quanto laboriosiùs bellicis sudoribus pro se subjiciendos fore cognoverat; Ptholomęo Arichiam, cæteris aurum, argentum, alteriusque supellectilis copiam.

Hac spe boni auxilii nostri securi ad congrediendum eis Tiberim copias exponunt; præsto fit prælium, ut qui Urbis totius milites cum heredariis nostris paucis fortunam belli sortiri debuissent, magno ausu, sed subitò nostri victores, illorum alios jurisjurandi religione in captionem (*) Domni reversuros astringunt, alios, & ipsum puerum secum captivos ducunt. Jam nostri ad Fumonem properantes Albam transierant, jam terram Ptholomæi uti securi, molles, dissoluti, inermes intraverant, Algidum jam devenerant, cum Ptholomæus irruens in eos, captos abstulit, & capientes cepit, non veritus Domnum Papam ob noviter susceptum beneficium triplicata jurisjurandi religione. Hac Ptholomæi perfidia in exemplum suscepta, perjurii contagium omnes penè infecit, adeo ut ob participationem consortibus sceleris, in Urbe, & cęteris hinc inde, perjurium, nec infamia, nec crimen haberetur. Execrabile dictu, horribile auditu, hoc ausu, hac indulgentia criminis Sarminetum, Nimphas, Tyberiam, & omnem Maritimam error (22) defectionis involvit; similiter totam & Urbem: vix unus in multis, quem factionis reum dicta vel facta verisimilibus indiciis non demonstrarent. Ebullire totam machinis, & tormentis, ea parte, qua Capitolii rupes ædibus Petri Leonis imminet. Contiguè ordinans, quis, quid, armis, igne, manu inferri poterat; invidia magis, quàm ratio moliebatur, factumque ut solus ex parte pateretur in toto, quidquid ab omnibus poterat undique inferri in unum: hujus tamen impetus fluctus cœpit tandem detumescere, vel Divinis auxiliis, vel operibus rusticanis pro maturitate illius temporis omnibus ferè instantibus; ipsa enim curia ob impatientem in locis istis æstatem in Campaniam. Maritimamque secessit. Altero namque anno sequenti Rex Henricus in Italiam rediit manifestus hostis Ecclesiæ, tantòque infestior bonis, ac religiosis, quanto benignior malis, seditiosisque. Hujus consiliarii familiaresque Abbas Farfensis, qui ob sacrilegium, factionemque ab Ecclesia bis, terque in capite dampnatus, Johannes maledictus, Ptholomæus, horumque fautores: Tunc similiter atque Latium intravit, Beati Petri fidelibus bellum injecit, magna conatus est, famosa fecit, sed parva. Ob hujus victoriæ gloriam, quam fecerat, videlicet quòd apprehenderat quædam castra, plebs, populusque Romanus triumphum sibi instituit. Coronata Urbe Rex, & Regina transivit per medium: magnus apparatus, parva gloria: huic nullus Patrum, nullus Episcoporum, nullus catholicus sacerdos occurrit: fit ei processio, empta potiùs, quàm indicta. Iturus ad Basilicam Sancti Petri, navi transivit, & non ponte. Trajectus, coronari expetiit: respondetur: in ea Basilica à Papa, vel Patribus coronandus coronari debet, aliter nequis; quòd si velis (23) fore petendum. Fit consultum: delegat in hunc modum. Si divinitus datum foret, Patres conscripti rerum publicarum statum digno moderamine gubernari, dignâque reverentiâ earum res (24), alter ab altero præveniretur, pax foret, nec Imperialibus Comitiis Urbis abesset Pontifex, nec Pontificalibus Orbis abesset Imperator; alter alterius gloriâ fulciretur, gloria alterius, gloria utriusque foret; & robur; robur utrorumque, timor omnium, amorque in utrosque tota

(*) *Papebroebio* in Domni Papæ.
(*) *Papebrochio* in Curiam.
(20) C. fautorumque.
(21) C. copiosius.

(*) *Papebrochio* receptionem.
(22) C. enormitus.
(23) C. ab eis.
(24) C. rectores.

Digitized by Google

tota se converteret Civitas. Nos Patres, nos Consules, nos Primores, nos omnes boni Urbis, & Orbis intuerentur, Gotthi, Galli, Hispani, & Affri, Græci, & Latini, Parthus, & Indus, & Arabs, aut timerent nos, aut diligerent. Nunc autem, dum secus agitur, fit aliter: dimissis cæteris invicem agimus, invicem agitur (25) ab omnibus: meritò hæc patimur, maledicimur, impugnamur, exterminamur. Convertimini igitur, & mei licèt peccantis votum, correctionemque suscipite, ne dum per vos in me rigescit justitia, multiplicatis sceleribus in aliis, sinè me qualiter rigescat non habeat. Ecce à Patre Romanæ Ecclesiæ Domno Papa è Galliis in Urbem coronandus adveni, eum abesse infortuniis meis deputo, nunc autem id à vobis exposco (*) *tantoque id recipienti fiet gratius, quanto* ut id mihi fieret, gravius elaboravi. Solent accuratiùs extollere homines, quod diu quæsitum periculis adinvenerint. Sit pax, & quidem erit, si velitis, sinè crimine loquor: profectò sedatis ventis quiescent maria: hæc Rex.

Ad hæc Ecclesia, quæ erat in Urbe: Inhonestum satis, atque indignum vestri arbitramur, Rex, ut aliquando dulcibus dictis nos convenias, quos sellitis actibus in dies circumvenire contendis: credis ne credamus, Rex, te ad pœnitendum satisfacturum advenisse, per quem acerbâ irâ (*) continuasque barbaricas irruptiones, rapinas, sacrilegas ordinationes, & execrabiles exordinationes impias, seditionesque assiduè conflari, fierique cernamus? Simul ac Latium intrasti, Rex, Beati Petri fidelibus bellum intulisti: si non successit voto, id Deo, non Regi. Age: qui sunt pro quibus agitur? (26). Abbas Farfensis, & Ptholomæus uterque anathematizatus. Qui sunt contra quos agitur? Beatus Petrus, & Paulus, uterque Apostolus. Quibus locis agitur? in eorum patrimoniis, in domo propria. Oblitus horum, Rex, illis Ducibus, audax, audacter Ecclesiam Beati Petri intrasti. Quibus Clericis quibus Patribus, cum quibus Episcopis? quomodo silendum, quomodo agendum, est? Adde, qui sunt, qui nunc ante ejus fores excubant? nonne seditiosi? Qui sunt qui ejus thesaurum custodiunt? nonne sacrilegi? Qui sunt qui ejus altari deserviunt? nonne hæretici? Heu, heu, expulsis Catholicis reverendam cunctis Orbis populis Beati Petri Ecclesiam per te hæretici occupant; hæccine est via, Rex, illa, qua pœnitens veniam merearis? Satisfactio, qua Ecclesiæ conformeris? pax qua bella quiescant, seditiones cessent, venti sedentur, mare detumescat? Profectò inconversus, immemor mali, aliter cum Deo senseris Rex, aliter Rex Regum cum Rege sentiet Deus. Comitiari cum excommunicatis Rex nosti nos nec debere, nec posse, eo maximè cùm contremiscat comitiis tuis interesse secundis, quicumque nostrûm interfuit primis. Diffisus hinc Rex, accito Mauritio Braccarensi Archiepiscopo, qui ob superbiam, levitatemque curialis effectus, per biennium extra Parochiam propriam opulentissimè cultu regio hac & illac, molliter, dissolutèque vagaverat, ante corpus Beati Gregorii coronari se fecit, sicque comitiatus abscessit.

In itinere erat, æquè distabat ab Urbe, & Sutrio, audivit Principem Apuliæ cum expeditis scelestis (27) Campaniam intrasse, Pillumque ob defectionem ab eisdem depopulari. Fit consilium eos vel capi, vel amoveri posse, si ante diem à Regio exercitu incautis subveniatur. Nec mora: totum robur belli ea agilitate illuc destinat, & quidem succederet voto, ni quædam nobilis Matrona ex Plumbinaria, dum sic properatur, intuita exercitum, vidit periculum, quod timebat, accito Veredario affuturum Principi annunciaret: sicque dum cavit uni, providit utrisque, ut duo tam feroces exercitus, jam ferè contigui, alter in vicum Mauritii, in Accutiarcem indempnis se alter conferret. Domnus Papa celebrato Concilio, quod in partibus Apuliæ congregaverat, rediens in Campaniam Pillum, Pillanumque in maritimis oppidum Sancti Silvestri in sui ditionem convertit. Jamque Autumnus instabat, cujus calore, vel æstu exteriùs constipatus, interiùs dissolutus, uti senex, & qui erat in castris debilior, in Anagniam se contraxit, hìcque adeò infirmitas eum oppressit, ut qui aderant medici, morti eum magis, quàm vitæ propinquum adjudicarent: sed auctor vitæ Deus vitam ejus produxit in longum, & diu dissolutis interiùs membris compaginis soliditatem injecit, exustis interiùs fomenti robur diffudit: factumque est ut qui antea ex lecto alterius auxilio suspensus vix sedere poterat, postmodum ante Altare per se erectus Missarum solempnia celebraret. Hac valetudine venit in Præneste, & Beati Agapiti Ecclesiam ibidem dedicavit. Nativitatis Domini vigilias, Romani Ordinis Missas, & Matutinum post Missam, & iterum Missam, & post Missam cum omni voto & solemnitate illi diei debita, Octavas etiam, & Epiphanias devotissimè celebravit, & datâ licentiâ Legatis Constantinopolitanis, quos ibidem receperat, deliberaturus Beati Petri Basilicam incautis hostibus Romam in porticum (*) venit, ob cujus inopinatum adventum subitumque, tantus terror Ptholomæum, & Præfectum invaserat, ut ante aliter quàm vellet. Domnus Papa dare pacem peteret, quod desperans de gratia, dimissis penatibus, in Urbe latitare pararet; jamque bonus Pontifex ad perficiendum quod incœperat, machinas, & tormenta, & quæque necessaria bello incredibili agilitate per biduum per suos parari fecerat. Vicisse eum diceres, quàm victurum, sed dum voluit, quod voluit fecit Dominus: vitam ejus, quoniam ob gratiam distulit, ob debitum terminavit. Biduo post reditum, tantò arctiùs ob dolorem (28) itineris, populique frequentiam infirmitas in eum convaluit, quantò remissiùs ob quietem assiduitatis, amœnitatemque obsequii ante defecerat. Vir sanctus moriebatur, & operabatur. Convocatis Patribus ut in constantia fidei, & sinceritate veri eum sequerentur, injunxit: in cautela doli ab his qui intus forent, & extra, in execratione Gibertinorum & enormitatis Teutonicæ, ut invicem se diligerent & invicem, idest, ut & ipsum verum, quem diligerent Deum in omnibus tenerent. Post hoc unctus Oleo Sancto, facta confessione, peractis in eo omnibus, prout decuit sanctum, psallendo cum psallentibus, nocte media, ut qui de tenebris properabat ad lucem, senex honestus, immo ipsa honestas, carnis debitum solvit XV. Kal. Februarii. Corpus ejus balsamo infectum, & ut ordo habet sacris indutum vestibus cum obsequiis debitis, & honore digno, cum frequentia Cleri, & Populi, nec cuilibet tanta gleba imposita est deportanda, sed ab ipsis Patribus honorificè est deportata

(25) *Papebrochio* angimur; ab omn. &c.
(*) hæc ex MS. *Papebrochii* supplevimus.
(*) *Papebrochio*, acerbâ irâ continuâ barbaricas &c.

(26) C. agitatur.
(27) C. celeribus.
(*) *Papebrochio* Portica *idest lectica*.
(28) C. laborem.

Digitized by Google

tata in Basilicam Salvatoris, in Sede propria, in Patriarchio, dextero latere templi, in mausolæo purissimi marmoris talipsico opere sculpto, supradicto die, videlicet XI. Kal. Februarii mirificè collocatus est. Qui Beatissimus quamplures fecit ordinationes per diversos menses, Presbyteros L. Diaconos XXX. Episcopos centum. Consecravit Ecclesias XX. Romæ Ecclesiam Sancti Adriani in tribus fatis II. anno sui Pontificatus, dedicavit & Ecclesiam Sanctæ Mariæ positam in regione Areolæ in loco qui vocatur Monticelli, similiter consecravit, & Ecclesiam Sanctorum quatuor Coronatorum, quæ tempore Roberti, Guischardi Salernitani Principis destructa erat à fundamentis refecit, atque consecravit anno Pontificatus sui XIII. (29) mense Januarii, die XX. Celebravit Concilium apud Guardastallum in Langobardia, aliud apud Trecas civitatem in Francia, postea defuncto eo cessavit Episcopatus diebus tribus.

VITA EJUSDEM

PASCHALIS II. PAPÆ.

EX CARDINALI ARAGONIO.

De Paschali Papa II. qui cœpit anno Domini MCIX.

PAschalis II., natione Tuscus, ex Comitatu Galliace, (1) Oppido Bleda, ex patre Crescentio, sedit annis XVIII. mensibus V. diebus VII. Hujus temporibus, anno videlicet MCXI., Pontificatus quoque sui anno secundo, Indictione IV. Henricus Quartus (2) Teutonicorum Rex cum magno exercitu venit in Tusciam, & missis Romam in Porticu Sancti Petri nuntiis, cum Petro Leonis, & aliis Domni Paschalis nuntiis hoc pactum deliberatum est.
„ Rex scripto refutabit (3) omnem investituram „ omnium Ecclesiarum in manu Domni Pa- „ pæ in conspectu Cleri, & Populi, in die „ coronationis suæ. Et postquam Domnus Papa „ fecerit (4) de Regalibus, sicut in alia char- „ ta scriptum est, sacramento firmabit, quòd „ numquam de Investituris se ulteriùs intro- „ mittet, & dimittet Ecclesias liberas cum „ oblationibus, & possessionibus, quæ ad Re- „ gnum manifestè non pertinebant; & absolvet „ Populos à juramentis, quæ contra Episcopos „ facta sunt. Patrimonia Beati Petri, & posses- „ siones restituet, & concedet, sicut à Carolo, „ Ludovico, Henrico, & aliis Imperatoribus „ factum est, & tenere adjuvabit secundùm „ suum posse. Non erit in facto, aut consilio, „ (5) ut Domnus Papa perdat Papatum Ro- „ manum, vel vitam, vel membra, vel capia- „ tur mala captione, aut per se, aut per sub- „ missam personam; nec ipse, nec fideles ipsius, „ qui pro ipso securitatem ei fecerint, idest „ Petrus Leonis cum filiis suis, quorum bona „ studiosè damna patiantur, vel alii, quos Regi „ significaverit; & si quis ei, vel eis fecerit, „ Rex eos fideliter adjuvabit. Pro hujus securi- „ tatis observantia mediatores dabit Rex Do- „ mno Papæ Principes, quos petiit, idest Fre- „ dericum filium sororis suæ, Marchionem En- „ gelbertum, Marchionem Tiebaldum, (6) „ Comitem Hermannum, Fredericum Saxonem, „ Albertum Cancellarium, Cononem fratrem „ Berengarii, Sigeboth de Bavaria, Henricum „ Ducem Carinthiæ, Bertoldum filium Ducis „ Bertoldi. Qui jurabunt Domno Papæ secu- „ ritatem de vita, de membris, de Papatu, de „ captione. Et si hæc omnia supradicta non „ observaverit, ipsi cum honoribus suis ad Do- „ mnum Papam, & ad Romanam Ecclesiam se „ tenebunt. Obsides pro securitate Domni Pa- „ pæ dabit Rex proximâ quintâ feriâ, & securè „ mittet ad Insulam in potestate Domni Papæ „ Fredericum Ducem nepotem suum, Bruno- „ nem (7) Spirensem Episcopum, Conradum „ nepotem Comitis Hermanni, & filium Hen- „ ricum, fratrem Comitis Frederici. Obsides, „ si receperit, reddet in die coronationis suæ „ transito Ponte. Et si fortè coronatus non „ fuerit, aut non transierit, similiter (8) red- „ det apud Castellum Sancti Angeli. Legatos „ autem, quos Domnus Papa ad eum miserit, „ in eundo, & redeundo securos faciet tam à „ se, quàm à suis; & si eis nescienter injuria „ illata fuerit, ad emendam fideliter adjuvabit.

Forma juramenti Baronum Henrici Imperatoris, facti Domno Papæ.

„ Ego Albertus Cancellarius, ego Comes „ Hermannus, ego Comes Fredericus, ego Co- „ mes Godefridus, ego Folcmarus (9) juro „ vobis, quia Domnus Rex proximâ quintâ „ feriâ ita jurabit, & Principes jurare faciet, „ & obsides dabit sicut in conventionis charta „ scriptum est, & observabit sic Domno Papæ „ sinè fraude, & malo ingenio, si Domnus Papa „ proximo die Dominico sic adimpleverit Regi, „ sicut in alia conventionis chartula scriptum „ est.

Conventio ex parte Domni Papæ Paschalis.

„ Si Rex adimpleverit Domno Papæ, sicut „ in alia conventionis chartula scriptum est, „ Domnus Papa præcipiet Episcopis præsenti- „ bus in die coronationis suæ, ut dimittant Re- „ gi, & Regno, quæ ad Regnum pertinebant „ (10) tempore Caroli, Ludovici, Henrici, & „ aliorum Prædecessorum ejus, & scripto sub „ anathemate confirmabit auctoritate sua, & „ justitia, ne quis eorum vel præsentium, vel „ absentium, vel successores eorum intromit- „ tant se, vel invadant eadem Regalia, idest „ Civitates, Ducatus, Marchias, (11) Comi- „ tatus, Monetas, Theloneum, Mercatum, „ Advocatias Regni, Jura Centurionum, & „ Curtes, quæ manifestè Regni erant, cum „ pertinentiis suis, Militiam, & Castra Regni; „ Nec ipse Regem, & Regnum super iis ulte- „ riùs inquietabit, & Privilegio sub anathe- „ mate confirmabit, ne posteri sui inquietare „ præsumant. Regem benignè, & honorificè „ suscipiet, & more Prædecessorum ipsius Ca- „ tholicorum scienter nihilo subtracto corona- „ bit, & ad tenendum Regnum officii sui auxi- „ lio adjuvabit.
„ Si Domnus Papa hoc Regi non adimple- „ verit, ego Petrus Leonis cum tota potentia „ mea tenebo me ad Regem. Obsides autem, „ nisi

(29) C. XVII.

PASCHALIS.

(1) A. Galliate.
(2) M. Quintus.
(3) A. refutavit.
(4) A. fecit.
(5) M., & A. Auxilio.
(6) A. Trebaldum.
(7) A. Branonem.
(8) A. simpliciter.
(9) M. Folemarus.
(10) M., & A. pertinent, & pertinebant.
(11) ✝ Marchias A. non habet.

Digitized by Google


Sigillum plumbeum Gelasii II
de quo pag. 314.
hic exhibemus
S.PAUL. S.PETR.
GELA
SIVS
PP. II.

„ nisi effugerint, reddemus altero die post coronationem Regis. Si per Papam remanserit ut non coronetur, similiter reddemus. Die Dominico, cùm Rex ad processionem receptus fuerit, obsides dabo aut per me, aut per nuntium meum Gratianum filium meum, & filium Hugutionis (12) filii mei, vel filium sororis meæ, si eum habere potuero, nisi per Regem remanserit, pro securitate Regis, ut securè transeat Castellum, & Pontem.

Juramentum Petri Leonis factum Imperatori Henrico ex parte Domni Paschalis Papæ Secundi.

„ Ego Petrus Leonis juro vobis, quia Domnus Papa proximo die Dominico adimplebit Regi, nisi in Rege remanserit, quod in conventionis chartula scriptum est, si Rex observaverit Domno Papæ, sicut in alia conventionis chartula scriptum est. Actum II. Nonas Februarii in Atrio Beati Petri, in Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Turri. Post hæc Domnus Papa misit nuntios suos Sutrium, coram quibus Rex in hæc verba juravit.

Juramentum Henrici Imperatoris factum Domno Paschali Papæ II.

„ Ego Henricus Rex ab hac hora in antea non ero in facto, aut consilio, ut Domnus Papa Paschalis II. perdat Papatum Romanum, vel vitam, vel membra, vel capiatur mala captione, aut per me, aut per submissam personam; nec ipse, nec fideles sui, qui pro ipso securitatem mihi fecerunt, vel fecerint, idest Petrus Leonis cum filiis suis, & Galfredus, quorum bona damnum non studiosè patientur, vel alii, quos Domnus Papa mihi significaverit. Et si quis Domno Papæ, vel eis fecerit, ego eos fideliter adjuvabo. Legatos, quos ad me Domnus Papa miserit, in eundo, & redeundo securos faciam tam à me, quàm à meis. Et si eis nescienter injuria illata fuerit, ad emendandum fideliter adjuvabo. Sic observabo Domno Papæ sinè fraude, & malo ingenio, si Domnus Papa proxima die Dominica sic adimpleverit mihi, sicut in conventionis charta scriptum est.

Aliud iuramentum, quod fecerunt Principes Henrici Imperatoris Domno Paschali Papæ II.

Post hæc sic etiam Principes juraverunt. Ego „ Hermannus Fredericus Dux, ego Engelbertus Marchio, ego Hermannus Comes de Saxonia, ego Berengarius Comes de Bavaria, ego Godericus Comes, ego Fredericus Saxo, ego Cono frater Berengarii, ego Sigeboto (13) de Bavaria, ego Henricus de Carinthia, ego Bertoldus filius Ducis Bertoldi, ego Albertus Cancellarius, non ero in facto, aut consilio, ut Domnus Papa Paschalis II. perdat Papatum Romanum, vel vitam, vel membra, vel capiatur mala captione. Et si Rex juramentum hoc, & ea, quæ in charta conventionis scripta sunt, non observaverit, ego cum honore meo ad Domnum Papam, & ad Romanam Ecclesiam me tenebo. Sic observabo Domno Papæ sine fraude, & malo ingenio, si Domnus Papa sic adimpleverit Domno nostro Regi proximo die Dominico, sicut in Conventionis charta scriptum est. Actum Sutrii in Burgo V. Idus Februarii.

Post hæc idem Rex Romam accessit III. Idus Februarii, in Sabbato videlicet ante Quadragesimam. Altera die obviam venit ei Domnus Papa. Misit in montem Gaudii, qui & mons Malus dicitur, Signiferos cum bandis, Scriniarios, Judices, & Stratores. Maxima etiam Populi multitudo ei cum ramis occurrit. Duo juxta priorum Imperatorum consuetudinem juramenta, unum juxta Ponticellum, alterum ante Portam Porticus Romanorum, Populo fecit. Ante Portam à Judæis, in Porta à Græcis cantando exceptus est. Illic omnis Romanæ Urbis Clerus ex Pontificis præcepto convenerat, & eum ex equo descendentem usque ad Sancti Petri gradus cum laudibus deduxerunt. Cùm verò ad superiora graduum ascendisset, illic Domnus Papa cum Episcopis pluribus, cum Cardinalibus, Presbyteris, & Diaconibus, cum Subdiaconibus, & cæteris Scholæ Cantorum ministris affuit. Ad cujus vestigia cùm Rex corruisset, post pedum oscula ad oris oscula elevatus est. Ter se invicem complexi, ter, se invicem osculati sunt. Mox dexteram Pontificis tenens cum magno Populorum gaudio, & clamore ad Portam venit Argenteam. Ibi ex libro professionem Imperatoriam fecit, & à Pontifice Imperator designatus est, & iterum à Pontifice osculatus mox super eum Orationem primam, sicut in Ordine continetur, Lavicanus Episcopus dedit. Post ingressum Basilicæ, cùm in rotam porphyreticam pervenisset, positis utrinque sedibus consederunt. Pontifex refutationem Investituræ, & cætera, quæ in conventionis charta scripta fuerant (14), requisivit, paratus & ipse, quæ in alia conventionis charta scripta fuerant, adimplere. Ille cum Episcopis suis, & Principibus suis secessit in partem juxta secretarium. Ibi diutiùs quod eis placuit tractaverunt. In quo tractatu interfuerunt Longobardici Episcopi tres Bernardus Parmensis, Bonusenior (15) Reginus, Aldo Placentinus. Cùm autem longior se hora protraheret, missis nuntiis Pontifex conventionis supradictæ tenorem repetiit adimpleri. Tunc Episcopi transalpini ad Papæ vestigia corruerunt, & ad oscula surrexerunt. Sed post paululum familiares Regis dolos suos paulatim aperire cœperunt, dicentes, scriptum illud, quod condictum fuerat, non posse firmari auctoritate, & justitia. Quibus cum Euangelica, & Apostolica objiceretur auctoritas, quia & reddenda sunt *Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus*, nedum militaribus, cùm *armorum usus*, secundum Beatum Ambrosium, *ab Episcopali officio alienus sit*. Cùm hæc, & alia illis Apostolica, & Canonica Capitula objicerentur, illi tamen in dolositate sua, & pertinacia permanebant. Cùm jam dies declinaret in vesperam, consultum à Fratribus est, ut Rex eodem die coronaretur, & cæterorum tractatus in sequentem hebdomadam differretur. Illi etiam hoc adversati sunt. Inter hæc tam Pontifex, quàm omnes, qui cum eo erant, à militibus armatis custodiebantur. Vix tamdem ad Altare Beati Petri pro audiendis Missæ officiis conscenderunt, vix ad Sacramenta divina conficienda panem, vinum, & aquam invenire potuerunt. Post Missam ex Cathedra descendere compulsus Pontifex deorsum ante Confessionem Beati Petri cum Fratribus sedit. Ibi usque ad noctis tenebras ab armatis militibus custoditus, inde ad hospitium extra Ecclesiæ atrium cum Fratribus deductus est. Capta est cum eo & Clericorum, & Laicorum, numerosior multitudo.

(12) A. Huguicionis.
(13) A. Sigebutto.

(14) M., & A. sunt, vel fuerant.
(15) A. Bomisenior Regitonus.

Digitized by Google

tudo. Qui autem evaserunt, alii exspoliati, alii graviùs verberati sunt. Factus est igitur in Urbe tota repentinus tumultus, dolor, & gemitus. Postera die Romani adversùs Teutonicos acriùs pugnaverunt, adeo ut eos ex Porticu propulerunt. Unde tantus eos terror invasit, ut per totum sequens biduum die, ac nocte in armis essent. Porro cum se Romani die tertio cominus pugnaturos pronuntiassent, illi nocte ipsa tanto metu ex Porticu profugerunt, ut non solum sarcinas, sed multos etiam socios in hospitiis reliquerint. Dehinc usque ad pedem Soractis progredientes juxta Beati Andreæ Monasterium Tyberis alveum transierunt, & per Sabinos ad Lucanum pontem iter agentes ulteriores Romanæ Urbis partes aggressi sunt. Trahebantur inter hæc (16) Clericorum, & Laicorum nonnulli funibus alligati. Pontifex autem cum duobus Episcopis, Sabinensi videlicet, & Portuensi, & Cardinalibus quatuor apud Trebicum, cæteri verò Cardinales apud Corcdilum (17) in custodia tenebantur. Itaque cum & agros Romanorum Rex quotidie depopularetur, & eorum animos dolis, ac pecunia prætemptaret, tantam Deus Populo constantiam tribuit, ut nihil cum eis pacisci sine Papæ, & Cardinalium liberatione potuerit. Diversis inter (18) se consiliis distrahebatur, sed perpetrati sceleris conscius nihil sibi ulteriùs tutum fore apud Papam arbitrabatur. In hoc tamdem plena deliberatione convênit, ut omnes, quos ceperat, liberos faceret, dummodo securitatem sibi apud Papam futuri temporis provideret. Hoc profecto (19) per Principes suos, hoc per Clericos, hoc per Laicos, hoc per Cives Romanos solicitus satagebat. Cæterum Domnus Papa faciliùs vitam exponere, quàm Investituris Episcopatuum, & Abbatiarum consentire malebat, quamvis ille per Investituras illas non Ecclesias, non officia quælibet, sed sola Regalia se dare assereret. Proponebantur Pontifici captivorum calamitates, qui amissis liberis, & uxoribus, domo, & patria exules, durioribus compedibus arctabantur. (*) Proponebatur Ecclesiæ Romanæ desolatio, quæ pænè omnes Cardinales amiserat. Proponebatur gravissimum Schismatis periculum, quod pæne universæ Romanorum Ecclesiæ imminebat. Victus tamdem miseriis filiorum, laborans gravibus suspiriis, atque gemitibus, & in lacrymas totus effusus: Cogor, ait, pro Ecclesiæ liberatione, (20) ac pace, hoc pati, hoc permittere, quod pro vita mea nullatenus consentirem. Ad hanc enim securitatem confirmandam Episcopi, & Cardinales, qui capti fuerant, expectabantur, nec omnino aliter (21) aut captivorum dimissio, aut Ecclesiæ pax, quantum in ipsis erat, poterat provenire.

Juramentum factum Imperatori ex parte Papæ.

Cum Comes Albertus de Blanderada, & cæteri Regis laterales juramentis conditionem præscribi non finerent, Paschalis Pontifex ait: Quandoquidem conditionem scribi non patimini, verbis apponamus. Tunc totus exercitus versus ad Regem dixit: Juramenta hæc ideo facimus, ut vos illa, quæ pacti estis, sanciatis, (22) & observetis. Quod Rex cum suis omnibus lætissime, ac libentissime annuit. Ex verbo igitur Papæ Paschalis sic à Cardinalibus juratum est in Agro juxta Pontem Mammæum, qui Romanos à Teutonicis dirimebat: „ Domnus Papa Paschalis non inquietabit Dominum Regem præsentem Henricum, neque de Investitura Episcopatuum ejus Regni, aut Abbatiarum se intromittet, neque de injuria sibi illata, & suis, in persona, & bonis, neque malum meritum reddet ei, neque alicui personæ pro hac causa. Et penitus in personam Regis numquam anathema ponet; neque remanebit in Domno Papa, quin coronet eum, sicut in Ordine continetur; & Regnum, & Imperium officii sui auxilio eum tenere bona fide adjuvabit. Et hæc omnia implebit Domnus Papa Domno Regi præsenti Henrico, sine fraude, & malo ingenio. Sic me &c. Ille invicem juravit in hæc verba.

Juramentum, quod fecit Henricus Imperator Domno Paschali Papæ.

„ Ego Henricus Rex quarta, vel quinta Feria proxima dimittam Domnum Papam, & Episcopos, & Cardinales, & omnes captivos, qui cum eo, vel pro eo capti sunt; & obsides, & captivos perduci faciam intra Portas Transtiberinæ Civitatis, nec ulteriùs capiam, aut capi permittam. Et iis, qui in fidelitate Domni Papæ Paschalis remanent, & Populo Romanæ Civitatis, & Transtiberinæ, & Insulæ, pacem & securitatem servabo tam per me, quàm per meos, & in personis, & in rebus. qui pacem mihi servaverint. Domnum Papam Paschalem fideliter adjuvabo, ut Papatum quietè, & securè teneat. Patrimonia, & possessiones Romanæ Ecclesiæ, quæ abstuli, restituam. Cætera, quæ jure habere debet, more antecessorum meorum recuperare & tenere adjuvabo bona fide. Et Domno Paschali Papæ obediam, salvo honore Regni, & Imperii, sicut Catholici Imperatores Catholicis Pontificibus Romanis. Hæc omnia servabo bona fide, sine fraude, & malo ingenio. Sic me Deus &c. Post hæc Coloniensis Archiepiscopus (23) Fredericus, Tridentinus Gebeardus, Monasteriensis Burchardus, Bruno Spirensis, Albertus Cancellarius, Comes Hermannus, Fredericus Palatinus, Comes Albertus de Blanderada, Fredericus Saxo, Berengarius Comes, Fredericus Frisingensis, Bonifacius Marchio, & Garnerius, Godefridus Comes de Suevia, posita super Euangelium hujus juramenti chartula juraverunt sic ex præcepto Regis: „ Sicut in hac chartula scriptum est, sic Dominus Rex præsens Henricus observabit Domno Papæ Paschali præsenti, sine fraude, & malo ingenio. Sic me Deus, &c. Actum III. Idus Aprilis, tertia Feria post octavas Paschæ, Indictione IV.

Restabat illa exactionis, & extorsionis, ut de Investituræ permissione Privilegium Regi personaliter scriberetur. Nec igitur ipse, nec ipsius laterales passi sunt, ut intra Urbem scriptura ipsa defferretur, ubi sigillum Pontificis dimissum fuerat. Altero itaque die in eodem campo, qui septem Fratrum dicitur, dum castra moverentur, dictari oportuit illud, & transito juxta pontem Salarium Tyberis fluvio, dum apud Octanum castra sita essent, accitus ad Urbem Scriniarius, scriptum illud intra nocturnas tene-

(16) A. hos.
(17) M., & A. Corodilum.
(18) A. inter hæc.
(19) A. perfecto.
(*) A. arcebantur.
(20) A., & M. liberalitate, *fortè* libertate.
(21) A. • aliter *non legit*.
(22) A. faciatis.
(23) M. post hæc Coloniensis Archiepiscopus, Fredericus Tridentinus, Geberardus Monasteriensis, Bruchardus.

Digitized by Google

tenebras exaravit, Cui nimirum scripto ibidem, quamvis invitus, Pontifex subscripsit. Porro, cùm ibidem chartam ipsam Rex accepisset, postmodum tamen cum in Beati Petri Ecclesiam pervenisset, post coronæ acceptionem eam ad manus Pontificis reddit. Nec solùm contra ejus voluntatem, sed etiam contra omnem consuetudinem de manu ejus accepit. Coronatus est autem idem Rex portis omnibus Romanæ Urbis, ne civium multitudo ad eum accederet, obseratis. Post coronationem, finitis Missæ solemnibus, ipse Rex statim ad castra in campum egreditur. Pontifex tunc tandem cum Episcopis, & Cardinalibus liber in Urbem regrediens, tantâ frequentiâ Populi occurrentis, & Deum laudantis excipitur, ut vix circa vesperas ad hospitium potuerit pervenire. Actum Idibus Aprilis, quinta Feria post Octavas Paschæ, Indictione IV. Hæc, sicut passi sumus, & oculis nostris vidimus, & auribus nostris audivimus, mera veritate conscripsimus.

Litera, quam misit Domnus Papa Tusculano, & Velletrensi Episcopis.

„ Paschalis Episcopus, servus servorum Dei. „ Venerabilibus Fratribus Johanni Tusculano, „ & Leoni Velletrensi Episcopis, & Cardinalibus in unum congregatis, consortium, & „ pacem in Christo. Id, quod in personam „ nostram, immo in Patrem vestrum præter ipsius, Ecclesiæque judicium, atque præsentiam vos egistis, & si vobis ex Dei zelo visum fit, non tamen, ut mihi videtur, canonico tramite incessistis. Non enim caritas, „ sed æmulatio id dictasse perspicitur. Quocumque tamen modo factum sit, nos quidem „ confisi de misericordia divina pro animæ nostræ salute cogitabimus; & commissum, quod „ pro fratribus, & filiis, & pro excidio Urbis, „ & universæ Provinciæ fecimus, emendare curabimus, ut quod in aliis correxi, in me „ quoque correxisse ostendatur Ecclesiæ. Vos „ autem ita pro Ecclesia in Ecclesia agite, ut „ illum Dei zelum, quem vos habere ostendistis, experiatur Ecclesia. Valete in Domino. „ Datum Terracinæ III. Nonas Julii.

Litera, quam misit Domnus Papa Constantiensi Episcopo.

„ Paschalis Episcopus, servus servorum Dei „ Venerabili Fratri Gebeardo (24) Constantiensi Episcopo salutem, & Apostolicam „ benedictionem. Quæstionum, quas ad nos „ misisti, latebras tuam credimus prudentiam „ non latêre. Cæterum, quia super iis per „ Apostolicam Sedem postulas certius informari, quid doctrinæ sanitas habeat, respondemus. Excommunicatis enim communicare in „ iis, quæ à sacris sunt prohibita Canonibus, „ nullo modo sit licitum, & voluntate quidem „ communicantes, sive sint Monachi, sive sint „ alii, ejusdem reatus flagitio involvuntur. „ Qui verò aut ignari, aut inviti actione (25) „ communicant, licèt in oculis hominum contagio polluantur, non tamen eos propter hoc „ reos in conspectu æterni Judicis arbitramur. „ Ipse enim dixit: *si oculus tuus fuerit simplex*, „ *totum corpus tuum lucidum erit*. Porro excommunicatorum cadavera de Sanctorum Basilicis projicienda censemus, quia eorum pudores ad superna conscendunt, sicut Tertius „ (26) Dialogorum Beati Gregorii Liber indicat, & Sanctorum ipsorum revelatione didicimus: ideoque, dum ea illic continentur, „ cessandum à divinis officiis arbitramur. De „ confecto ab Hæreticis chrysmate, vel oleo „ ratio suggerit, ut pro divinæ invocationis reverentia intra Ecclesiam debeat concinnari. „ (27) Ab ipsis Hæreticis venientes ita omnino recipiantur, sicut antiquitus recipiendos, vel receptos fuisse Sanctorum Predecessorum nostrorum Leonis, & Gregorii monimenta declarant. Datum Laterani VIII. „ Idus Februarii.

De Concilio Lateranensi, quod celebravit Domnus Papa Paschalis.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXIII. XV. Kalendas Aprilis celebrata est Synodus Lateranensis à Domno Paschali Papa in Basilica Constantiniana, ubi Episcopi complures ex Italicis provinciis interfuerunt, Transalpini duo. In qua nimirum Synodo de Guibertinis die quarto quæstio facta est, eo quòd referrentur quasi ex permissione Papæ interdicta officia celebrare. Tunc Pontifex ait, nec excommunicatos, sicut ajunt quidam, generaliter absolvi. Constat enim neminem nisi pœnitentem, & satisfacientem absolutionis gratiam consequi, nec Guibertinis officia interdicta restitui, imo Ecclesiæ sententiam in eis editam juxta Prædecessorum nostrorum deliberationem laudamus, & confirmamus. Die autem quinta idem Pontifex narravit omnibus, qualiter ab Henrico Teutonicorum Rege, cum Episcopis quibusdam, & Cardinalibus tam Presbyteris, quam Diaconibus, & cum magna tam Romanorum, quam aliorum, qui tunc secum convenerant multitudine captus fuerit, quodque (28) coactus contra deliberationem suam fuerit pro redemptione captivorum, pro pace Populi, pro libertate Ecclesiæ, ut supradicto Regi de Investituris, quas sæpius prohibuerat, scriptum concessionis daret, & juramenta per Episcopos, seu Cardinales fieri præciperet, quatenus nec de Investituris deinceps eum inquietaret, nec in personam Regis anathema poneret. Quamvis autem conditio juramentis præposita ab ipso, & suis minus observata sit, neque enim servaverunt nobis, quod ab eis juratum est, ego tamen eum numquam anathematizabo, & numquam de Investituris, & cohercionis instantia repellam. Habet judicem Dominum. Porrò scriptum illud, quod, magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute, aut gloria mea, sed pro solis Ecclesiæ necessitatibus sine Fratrum consilio, aut subscriptionibus feci, super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur, pravè factum cognosco, pravè factum confiteor, & omnino corrigi Domino præstante desidero. Cujus correctionis modum Fratrum, qui convenerunt, consilio, judicioque constituo, ne forte per inposterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, animæ meæ judicium relinquatur. Tunc communi omnium favore laudatum est, ut Fratres omnes, qui donum à Deo sapientiæ, scientiæque perceperant, maturiùs super hoc consilium communi collatione susciperent, quod insequenti die per inspirationem Sancti Spiritus responderent. Die itaque VI., quæ & ultima Concilii fuit, fidei suæ veritatem Sanctis Patribus per omnia congruentem Domnus Papa Paschalis in audientia totius Concilii exposuit, asse-

(24) M. Geberardo.
(25) M. necessitate.
(26) M. IIII.
(27) M. concremari.
(28) quamquam.

Digitized by Google

afferens se, Scripturas Sanctas veteris, & novi Testamenti, & Concilia universalia veneranda suscipere, ac venerari, quæ Catholica Ecclesia suscipit, & veneratur. In calce etiam ejusdem professionis adjiciens: „ Prædecessorum „ quoque nostrorum statuta sequentes, maxime „ Gregorii VII. & Urbani II. quod damnave- „ runt, damnamus: quod statuerunt, statuimus; „ quod confirmaverunt, confirmamus. Tunc ex ore omnium, qui ad consulendum hesterna deliberatione convenerant, Engolismensis Episcopus Gerhardus hanc in scripto sententiam recitavit.

De alio Concilio, quod celebravit Domnus Papa Paschalis apud Guardastallum (29)

Aliud quoque Concilium idem Domnus Papa Paschalis celebravit, inter Lombardiam apud Villam frequentissimam Guardastallum, Anno Dominicæ Incarnationis MCXVI. XI. Kalendas Novembris, cum Episcopis diversarum Provinciarum, sive ultra, sive citra montes. In hoc Concilio (30) constitutum est, ut Æmilia tota cum suis Urbibus, idest Placentia, Parma, Regio, Mutina, Bononia numquam ulterius Ravennati Metropoli subjacerent. Hæc enim Metropolis per annos jam pæne centum contra Sedem Apostolicam erexerat se; nec solum ejus prædia usurpaverat, sed ipsam aliquando Romanam invasit Ecclesiam Guibertus ejusdem Metropolis incubator. Circa solutionem verò Concilii lecta sunt de reconciliandis, qui extra Ecclesiam Catholicam ordinati sunt, Sanctorum Patrum Capitula, Augustini ex epistola ad Bonifacium. Leonis Primi ex Epistola ad Mauritanos, Carthaginiensis Concilii IV. capitulum tertium, cujus initium est. „ Placuit, ut literæ „ mittantur ad Fratres, & Coëpiscopos nostros, „ & maximè ad Sedem Apostolicam. Nonum verò in hæc verba capitulum institutum est. „ Per multos jam annos Regni Teutonici lati- „ tudo ab Apostolicæ Sedis unitate divisa est; „ in quo nimirum Schismate tantum pericu- „ lum factum est, ut, quod cum dolore dici- „ mus, vix pauci Sacerdotes, aut Clerici Ca- „ tholici in tanta terrarum latitudine reperian- „ tur. Tot igitur filiis in hac strage jacentibus „ Christianæ pacis necessitas exigit, ut super „ hoc materna Ecclesiæ viscera aperiantur. „ Patrum itaque nostrorum exemplis, & scrip- „ tis instructi, qui diversis temporibus Nova- „ tianos, Donatistas, & alios hæreticos in suis „ ordinibus susceperunt, præfati Regni Epi- „ scopos in Schismate ordinatos, nisi aut inva- „ sores, aut Simoniaci, aut criminosi compro- „ bentur, in officio Episcopali suscipimus. Id „ ipsum de Clericis cujuscumque Ordinis con- „ stituimus, quos vita, scientiaque commendat.

Aliud Capitulum Concilii.

„ Jamdiu à pravis hominibus tam Clericis, „ quàm Laicis Catholica est Ecclesia conculca- „ ta; unde plura temporibus nostris schismata, „ & hæreses emerserunt. Nunc autem per Dei „ gratiam hujus nequitiæ deficientibus auctori- „ bus in ingenuam libertatem resurgit Ecclesia. „ Unde providendum est, ut horum schisma- „ tum causæ penitus abscindantur. Patrum ergo „ nostrorum constitutionibus consentientes, Ec- „ clesiarum Investituras à Laicis fieri omnimo- „ de prohibemus. Si quis autem decreti hujus „ temerator exstiterit, tamquam maternæ inju- „ riæ reus, Clericus quidem ab ejusdem digni- „ tatis consortio repellatur, Laicus verò ab „ Ecclesiæ liminibus arceatur.

Item aliud Capitulum Concilii.

„ Nullus Abbas, nullus Archipresbyter, nul- „ lus Præpositus Ecclesiæ audeat possessiones „ Ecclesiæ suæ vendere, commutare, locare, „ vel in feudum dare sinè communi fratrum „ consensu, vel Episcopi propriæ civitatis; „ alioquin ordinis sui periculum patiatur.

Item aliud Capitulum Concilii.

„ Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, „ venerabilibus in Christo fratribus, Gebeardo „ Constantiensi, Odelrico (31) Pataviensi, & „ cæteris Teutonicarum partium tam Clericis, „ quàm Laicis Catholicis salutem, & Aposto- „ licam benedictionem. Pro religionis vestræ „ fervore (32) gaudemus, & Omnipotenti Deo „ gratias agimus, qui vos in sui nominis amore „ confirmat. Quosdam autem vestrûm minus „ secundùm scientiam Dei zelum habere audi- „ vimus, ut, dum pravorum commixtionem „ vitant, etiam à religionibus vestris discedere „ meditentur. Qui profectò nequaquam laude „ Apostolica digni sunt, dum in medio nationis „ pravæ & perversæ perseverare non possunt, „ inter quos luceant velut luminaria in mundo, „ verbum vitæ continentes. Uno enim pondere „ peccata hominum metiuntur, dum & excom- „ municatos propriæ voluntatis merito, excom- „ municatosque communicantes reos æqualiter „ arbitrantur. Verùm enim, ut non diversa- „ rum voluntatum, diversus reatus agnoscitur. „ Si quis enim criminosus in Ecclesia juxta „ Apostolum nominatur, hujusmodi omnino ca- „ vendus est. Eadem etiam cautela vitandi sunt, „ qui nominatis ipsis aut actione, cùm possunt, „ aut, cùm nequeunt, voluntate se copulant. „ Qui verò hujusmodi excommunicatis omnino „ inviti vel servitio, vel cohabitatione jungun- „ tur, si hujuscemodi imperfectionis dolore „ tangantur, non omnino vitandi sunt, nec ta- „ men ad communionem sinè correptionis re- „ medio admittendi. Hinc est, quòd prædeces- „ sor noster sanctæ memoriæ Gregorius VII. „ Papa excommunicatorum uxores, servos, fi- „ lios, rusticos, quorum consilio, vel voluntate „ excommunicationis meritum non perpetratur, „ viatores quoque ob itineris necessitatem invi- „ tos excommunicatis communicantes, excom- „ municationis vinculo non teneri constituit, „ sicut Beatus Augustinus ad Auxilium (33) scri- „ bens evidenter ostendit. Discant igitur Fra- „ tres nostri in omnibus regiam tenere viam, „ & in medio nationis pravæ & perversæ, tam- „ quam luminaria, lucere studeant, ut non „ suæ tantùm, sed alienæ salutis mercedem ab „ eo mereantur accipere, qui singulorum exa- „ minat voluntates, causas discutit, quia nuda „ & aperta omnia sunt oculis ejus; de cujus „ miseratione confidimus, quia simplicis oculi „ corpus tenebrarum caligo non opprimet, „ quomodo charitas operit multitudinem pec- „ catorum.

Refutatio Investituræ Episcoporum, quam fecit Rex Hungariæ ad mandatum Papæ.

„ Renuntiamus vobis, Pater venerande, nos „ legi divinæ subditos, ac secundùm eam ser- „ vire vobis paratos. Unde & Investituram „ Episcoporum hactenus à majoribus nostris habi-

(29) M. Guardastallum in Lombardia.
(30) M. Capitulo.
(31) M. Udalrico.
(32) M. favore.
(33) M. ......

Digitized by Google

„ habitam, juxta admonitionem vestram dimi-„ fimus; & si quid in electionibus hujusmodi „ minus canonicè retroactum est, de cætero „ Deo volente cavebimus

Cassatio Privilegii, quod extorsit Imperator à Papa.

„ Privilegium illud, quod non est Privile-„ gium, nec verè debet dici Privilegium, pro „ liberatione captivorum, & Ecclesiæ, à Do-„ mno Papa Paschali per violentiam Henrici „ Regis extortum, nos omnes in hoc Sancto „ Concilio, cum eodem Domno Papa congre-„ gati, canonica censura, & Ecclesiastica au-„ ctoritate, judicio Sancti Spiritus, damnatum, „ & irritum esse judicamus, atque omnino cas-„ samus: Et ne quid (34) auctoritatis & effi-„ cacitatis habeat, penitus excommunicamus. „ Ideo autem damnatum est, quia in eo Privi-„ legio continetur, quòd electus canonicè à „ Clero, & Populo, à nemine consecretur, nisi „ prius à Rege investiatur, quod est contra „ Spiritum Sanctum, & canonicam institutio-„ nem. Perlecta verò hac charta acclamatum est ab universo populo, *Amen*, *Amen*, *fiat*, *fiat*. Archiepiscopi verò, & Episcopi, Presbyteri quoque, Diaconi Cardinales, qui interfuerunt ipsi Concilio hi sunt. C. Sabinensis. P. Portuensis. L. Ostiensis. C. Prænestrinus, & I. Tusculanus, Episcopi. Patriarcha Venetus. S. Capuanus. L. Beneventanus, Amalfitanus, Reginus, Idruntinus, Brundusinus, Consanus, Girontinus, Rousanus Archiepiscopi. G. Engolismensis, G. Leoginensis, & Legatus pro Bituricensi, & Viennensi Archiepiscopis. R. Vulterrensis. G. Senensis. R. Popolonensis (35) G. Terracinensis, & G. Siracusanus pro omnibus Siculis. G. Trojanus, Bruno Signiensis, & alii ferè centum Episcopi. Presbyteri etiam Cardinales: B. titulo Sancti Marci, R. titulo Sancti Eusebii, R. titulo Sanctæ Priscæ, G. titulo Sanctorum Apostolorum, B. titulo Sancti Petri ad Vincula, A. titulo Sancti Clementis, R. titulo Sancti Laurentii in Damaso, I. titulo Sanctæ Cæciliæ, B. titulo Sancti Martini, T. titulo Sanctorum Johannis & Pauli, G. titulo Sancti Crysogoni, R. (36) titulo Sanctorum Petri & Marcellini. V. titulo Sanctæ Sabinæ, P. titulo Sancti Sixti, & A. titulo Sanctæ Susannæ. Diaconi verò Cardinales, Abbas Sublacensis, Johannes Gajetanus, Abbas Sancti Andreæ, Leo, (37) Gregorius, Aldo, Theobaldus, & Rossimannus. Ii in damnatione prædicti Privilegii consenserunt cum Abbatibus, & innumerabili multitudine tam Clericorum, quàm Laicorum. Hæc charta dictata est à Gerhardo Engolismensi, Leone Ostiensi, G. Terracinensi, Galone Legionensi Episcopis, Roberto titulo Sancti Eusebii, & Gregorio titulo Apostolorum, Presbyteris Cardinalibus, communi aliorum consilio.

Litera, quam misit Domnus Papa Paschalis Viennensi Archiepiscopo.

„ Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, „ venerabili fratri Viennensi Archiepiscopo Apo-„ stolicæ Sedis Legato salutem, & Apostolicam „ benedictionem. Si constantiam tuam sæva „ illa barbaries minis, blanditiis, aut aliis mo-„ dis tentat inflectere, prudentia tua immobi-„ lis perseveret. Si enim in viridi ligno factum „ est sic, quid fiet in aliis? Si in capite sic „ perpetratum est, quid agetur in membris? „ Igitur, Frater carissime, in tuo bono incœ-„ pto constanter, & viriliter permaneas, Do-„ mino præstante, ne blandimenta, vel alii sua-„ sionis, vel dissuasionis modi prudentiam tuam „ non moveant; sed ita Domino auxiliante „ perdura, ut aliis tua constantia salutaris per-„ severantiæ sit exemplum. Quæ cognoscere „ postulasti sunt hæc: Scripta, quæ in tento-„ riis, in quibus cum multitudine Clericorum, „ & Civium Urbis, & totius Provinciæ custo-„ diebamur, pro libertate Ecclesiæ, pro abso-„ lutione captivorum omnium, & pro excidio, „ quod Ecclesiæ, Urbi, & universæ Provinciæ „ superincubante undique gladio imminere „ videbatur, de electione, seu Investituris per-„ sonarum facta sunt. Videlicet de electione „ liberè facta, sine vi, & aliqua simonia, con-„ sensu Regis, facultatem habeat Rex inve-„ stiendi per virgam, & anulum; & electus à „ Rege, & Populo, non consecretur, nisi à „ Rege investiatur. Ego canonica censura cassa „ omnino, & irrita judico, & anathemate, & „ sub damnatione perpetuò permanente decer-„ no, ut nullius umquam auctoritatis sint, & „ nullius bonæ memoriæ. Ea verò, quæ sacri „ Apostolorum Canones, & Antiochenum, at-„ que universalia Concilia, & Prædecessores „ nostri, & præcipuè felicis memoriæ Domnus „ Gregorius, & Urbanus de iis prohibuerunt, „ damnaverunt, statuerunt, & firmaverunt, ego „ prohibeo, damno, constituo, & confirmo, „ & me illorum sanctiones profiteor servatu-„ rum.

Litera, quam misit Viennensis Episcopus Domno Papa.

„ Domino Sancto, & dulcissimo Patri Pa-„ schali Papæ V. Viennensis Archiepiscopus, & „ Apostolicæ Sedis Legatus, & cæteri Archie-„ piscopi, Episcopi, & Abbates, qui Viennensi „ affuimus Concilio, debitam subjectionem, & „ reverentiam. Sanctæ pietatis vestræ mandata „ sequentes, apud Viennam convenimus, ibi-„ que cooperante gratia Spiritus Sancti de In-„ vestituris, de captione vestra, & vestrorum, „ de proditione, & perjuriis Regis, de pessimo „ illo pacto, & privilegio, quod à vestra Maje-„ state violenter extorsit, tractare diligenter cu-„ ravimus. Affuerunt Legati Regis, Literas „ bullatas quasi ex parte vestra (38) ad eum „ missas audacter, & publicè prætendentes, in „ quibus erga eum vester affectus pacis, & „ concordiæ, & perfectæ amicitiæ significaba-„ tur. Quas nimirum literas post Concilium, „ quod in præterita ultima Quadragesima Ro-„ mæ celebrastis, se recepisse, & sibi missas „ idem Rex testabatur. Cùmque super his mul-„ ta nobis incuteretur admiratio, memores ta-„ men literarum illarum, quas humilitati no-„ stræ de bona justitiæ perseverantia miseratis, „ & totius Sanctæ Ecclesiæ, & nostræ fidei rui-„ nam certissimam evitare cupientes, ad Dei „ honorem, & vestrum animati, canonicam „ viam aggressi sumus. Igitur dictante Spiritu „ Sancto Investituram omnem rei Ecclesiasticæ „ de manu Laica hæresim judicavimus esse. „ Scriptum illud, quod Rex à vestra simplici-„ tate extorsit, damnavimus. In ipsum Regem „ romi-

(34) M. *pro* ne quid *leg.* quod.
(35) M. Populensis.
(36) M. B.
(37) M. Leo Gregorius.
(38) M. = vestra *non habet*.

Digitized by Google

„ nominatim, & solemniter, & unanimiter sententiam anathematis injecimus. Et nunc, Domine Pater, vestram, sicut dignum est, Majestatem suppliciter exoramus, ut quod pro Sanctæ Catholicæ Fidei robore, pro Dei, & vestro honore fecimus, auctoritate Apostolica confirmetis. Cujus confirmationis augmentum per apertas literas nobis significare dignemini, quas etiam, ut gaudium nostrum plenum sit, alter alteri destinare possimus. Et quoniam Principum terræ pars maxima, & universa ferè populi multitudo in hac re nobiscum sentit, in remissionem peccatorum suorum omnibus injungatis, ut si necesse fuerit, auxilium nobis, & patriæ ferant unanimiter. Illud autem cum debita reverentia vestræ suggerimus pietati, quia si nobiscum in his steteritis, si, ut rogamus, confirmaveritis, si deinceps ab ipsius crudelissimi Tyranni, & nunciorum ejus literis, locutione, muneribus abstinueritis, unanimiter nos, sicut decet, habebitis filios, & fideles. Si verò, quod minimè credimus, & aliam viam aggredi cœperitis, & nostræ parvitatis assertiones prædictas roborare nolueritis, propitius sit nobis Deus, quia nos à vestra subjectione, & obedientia repellitis.

Litera, quam misit Domnus Papa Poloniensi Archiepiscopo.

„ Paschalis Poloniensi Archiepiscopo. Significasti, Frater carissime, Regem, & Regni majores admiratione permotos, quòd Pallium tibi ab Apocrysariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si sacramentum, quod à nobis scriptum detulerant, jurares. In Pallio, Frater, plenitudo conceditur Pontificalis offitii, quia juxta Sedis Apostolicæ, & totius Europæ consuetudinem, ante acceptum Pallium Metropolitanis minimè licet, aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare. Mirentur in hac causa Dominum Jesum Christum; cùm enim Dominus Jesus Christus, ut Dominus, ovium suarum curam Simoni Petro committeret, conditionem posuit, dicens: diligis me Simon Petre? Pasce oves meas. Si conscientiarum factor, & conditor, conditione hac usus est, ut nec semel tantùm, sed & secundò, & usque ad contestationem, qua nos solicitudine, qua provisione oportet tantam Ecclesiæ prælationem, tantam Christi ovium curam fratribus imponere, quorum conscientias non videmus, illis maximè, quos nullo usu novimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? quid fiet? Ajunt: omne jusjurandum à Domino Deo in Evangelio (39) esse prohibitum, nec ab ipsis Apostolis post Deum, nec in Conciliis inveniri posse statutum. Quid est ergo, quod idem Dominus subsequenter ait? Quod amplius est, à malo est. Hoc enim amplius, ut exigamus, malum nos illo permittente compellit. Nonne malum est, ab Ecclesiæ unitate, à Sedis Apostolicæ obedientia resilire? nonne malum est, contra Sanctorum Canonum statuta prorumpere? Quam multi hoc etiam post sacramentum præsumpserunt? Nonne prædecessor tuus præter Romani Pontificis conscientiam damnavit Episcopum? Quibus hoc Canonibus, quibus Conciliis legitur esse permissum? Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos, non auctoritate Apostolica, sed nutu Regio præsumuntur? Propter hæc mala, & alia evitanda, hujusmodi juramentum exigitur. Cur autem juramenta Dominus prohibuerit Apostolus Jacobus manifestat, adjiciens: ut non sub judicium incidatis. Ne quisquam, sicut Beatus Augustinus exponit, assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem dilabatur. Quapropter juratione non utatur, nisi necessitate, cùm videt pigros esse homines ad credendum, quod utile est eis credere, nisi juratione firmetur. Hoc nimirum malo, hac necessitate compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Porrò Apostolum Paulum pro auditorum diffidentia jurasse ipsius Epistolæ protestantur. Ajunt: in Conciliis Statutum inveniri; quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum Statutis Romana patenter auctoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonensis Concilii actione XVI. statutum est; ante omnia quidem Primatum honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Reverentissimo Archiepiscopo conservari? Itaque censuerunt (40) Rex, & Magnates à supradicta sacramenti conditione te quiescere. Videtur ne vobis judicium Evangelicum Primatus nostri honor præcipuus? Numquam animo cecidit illa sententia Domini? Non est discipulus super magistrum. Numquam Hungarico Principi dictum est? & tu conversus confirma fratres tuos. Numquid hæc nos commodi nostri provisione requirimus, & non unitatis Catholicæ statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam Sedem contemnere, possunt adversùm nos calcaneum elevare. Datum à Deo privilegium evertere, vel auferre non possunt, quo Petro dictum est: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum. Quibus tamen quatuor Conciliorum decretis dandi Pallii modus præscriptus est, & professionis, vel obedientiæ ordo sancitus. Cùm igitur à Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantùm corpore assumuntur, justum est, ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvatis, quæ vos cum Beato Petro, tamquam membra de membro, hærere, & Catholici capitis unitatem servare declarent. In quibus à Prædecessoribus nostris ea est adhibita moderatio, ut nihil injuriosum, nihil difficile sit appositum, quod non etiam præter exactionem nostram ab omnibus debeat Episcopis observari, qui sub Apostolorum Principum Petri, & Pauli obedientia decreverunt, & unitate persistere. Numquid non ultra vos Saxones, Dacique consistunt? & tamen eorum Metropolitani & idem juramentum afferunt, & Legatos Apostolicæ Sedis honorificè tractant, & in suis necessitatibus adjuvant, & Apostolorum limina per Legatos suos non tantùm, per triennium, sed singulis annis visitant. Ita te Frater carissime, fruamur in Domino, ut non per te in Ecclesiis subtractionis, & dissidii, quod absit, oriatur occasio.

De

(39) M. in Evangelio *non leg.*

(40) M. consuevernnt.

Digitized by Google

De Antipapis, qui fuerunt tempore Papæ Paschalis, & de morte, & sepultura ejus.

Hujus temporibus quidam perversi Schismatici ex Clero Romano, diabolico inflammati spiritu, contra ipsum Pontificem insurgentes, tres Hæresiarchas, & invasores, Albertum videlicet, Aginulphum, & Theodericum in diversis temporibus erigere præsumpserunt, insignientes eos Papalibus insigniis, & Sanctorum eis Pontificum nomina imponentes. Qui Hæresiarchæ, licèt in principio turbationes multas, & infestationes eidem Domno Papæ, tamquam Antichristi præambuli, nefanda præsumptione intulerunt, processu tamen temporis in sua erubescentia confusi ab eodem Papa prostrati sunt, atque à grege schismatico potenter expulsi.

Hic fecit ordinationes per Decembrem, & alios menses, Diaconos, Presbyteros, & Episcopos multos. Defunctus est autem apud Ecclesiam Transpadanam XI. Kalendas Februarii. Inde per mediam Urbem usque ad Lateranum cum totius Cleri, ac Populi Romani frequentia vectus, in ipsa Domini nostri Salvatoris Ecclesia cum honore maximo tumulatus est, Dominicæ Incarnationis anno MCXIX. Indictione XI.

VITA GELASII II.

Ex manuscripto Bibliothecæ Ambrosianæ
Pandulphi Pisani, *cum commentariis*
Constantini Cajetani.

GElasius (1), qui & Johannes (2) natione Gajetanus (3) sedit anno uno. Hic à nobili-

---

(1) Gelasius. Hujus nominis Secundus; primus enim, cujus celebrem, sanctamque memoriam Universalis Ecclesia quotannis veneratur sub die undecima Kalendas Decembris, doctrina & sanctitate floruit ab anno Christi 492. ad 497. Igitur Sanctissimi, doctissimique Pontificis, quem ille imitari satagebat, statim ac in Romanum Pontificem fuit electus, nomen assumpsit. *Tyrius nobilis Scriptor* (verba sunt eruditissimi Papirii Massonis de nostro Gelasio) *elogium viri literati ei tribuit, quia plurimarum rerum cognitione, scientiaque instructus erat; ut ille olim Gelasius I. inter doctissimos homines positus à Cassiodoro Senatore*. Annales Pisani, Chronicon S. Vincentii ex Vulturno, atque alia veterum Scriptorum monumenta, Gelasium nostrum hujus nominis tertium dixerunt, quòd Pelagium I. Papam, qui post Vigilium Romanæ præfuit Ecclesiæ Gelasii Secundi nomine, licet falsò, appellassent.

(2) Nomen hoc in gente nostra Cajetana, atque in Gelasii præsertim antecessoribus solemne semper fuit, & frequentissimum: atque (ut alios nunc prætercam) septem numero extiterunt ex ejusdem Gelasii progenitoribus, Joannes nomine, qui Cajetano Principatui præfuerunt. Joannes quoque dictus est Martini III. Cajetæ Ducis filius, post Gregorium Juniorem, urbium Neapolis & Surrenti Dux. Ipsius quoque Pontificis pronepos & abnepos, quos Romanos inter Principes connumeratos legimus, Joannes vocabantur. Et quidem meritò. Nam Proceres isti à nascente Cajetana ipsorum familia, post Deum Ter Opt. Max. ac gloriosissimam Virginem Matrem, dilectum Christi discipulum Joannē Apostolum & Evangelistam, tutelarem Patronum, ac defensorem sibi perpetuò asciverant. Qua de re in ejusdem S. Joannis honorem, prope ipsius Cajetanæ civitatis portum, Collegiatam Clericorum tunc Ecclesiam, atque in agro vicino, cum Ecclesia, Fillinense, Benedictinorum Monasterium: quemadmodum & in Urbe Pisana, Ecclesiam olim Benedictinorum Eremitarum Collegiatam (quam vulgus appellat, San Giovanne al Gaetano) unà cum Monasterio à fundamentis extrui jusserunt, atque ornamentis, redditibusque amplissimis donavere.

Ad hæc, anno Christi 1269. zelo zelati divino Cajetani iidem Pisarum nobiles, Ecclesiam suam istam Sancti Joannis Evangelistæ, sicut & Monasterium strictioris Observantiæ Benedictinæ Camaldulensium Congregationi aggregarunt. Hujus verò aggregationis meminit Augustinus Florentinus Camaldulensis hisce verbis: (hist. Camald. lib. 2. c. 46.) *Per eos dies Eremitæ Capellæ S Joannis Cajetani Pisarum, inter Camaldulenses cooptari, multis nobilibus Cajetanis suffragantibus, operam navarunt, seseque discipulos ipsi Joanni Ordinis Camaldulensium Generali dediderunt: Quos ille habitum candidum Camaldulensium induit, & inclusioni vacare, instar Eremitarum S. Mattiæ Mauriani, & sacræ Eremo subjectos esse voluit 19. Junii, manu ipsius Bruni Notarii.*

Cæterum quia nil terreum perpetuum, cùm hæc Cajetanorum S. Joannis Evangelistæ Ecclesia temporum calamitatibus ruinæ proxima videretur, atque ideo Cajetani Pisani Patritii, Gentiles mei; eam restaurare aggrederentur, hanc ego illis, inscriptionem in marmore incidendam, atque in ejus Ecclesia reponendam direxi.

Memoriæ Sacrum.

Audi Posteritas. Postquam Cajetæ Collegiatam Ecclesiam, atque in ejusdem civitatis agro cum Ecclesia Benedictinorum Monasterium in honorem S. Jo: Apostoli, & Evang. exædificassent, dotassentque ejus urbis Cajetani Duces, Campaniæ Comites, atque Imperii Constantinopolitani Patritii, necnon Romanæ Urbis Præfecti, ex iis Hugo Occidentis Imperii Baro, Othone Magno anno Christi 962. Pisas commigrans, Cajetanam Familiam in ipsa mox Republica inter septem Principes connumeratam constituisset, hanc etiam ad Dei Ter Opt. Max. cultum, Matris Virginis Mariæ, ac dilecti discipuli Joannis, Familiæ ipsius Cajetanæ Patroni honorem, anno Christi 1140. Ecclesiam extrui à fundamentis jussit, ornamentis, redditibus, ac possessionibus amplissimis, modiorum præsertim terræ 141500. (ut autenticis constat tabulis) *ad montem Zadri & vallem Giojosam, qui ad X. M. P. Pisis distantes, collis & valles S. Joannis de Cajetano deinceps dicti sunt, pro Clericorum victu & cultu religiosè dotavit, ac sub jure patronatus posteris suis reliquit strenuus ac Clarissimus Miles D. Gerardus Reip. Pisanæ Consul, D. Hugonis F. D. Cajetani N. Clarissimorum item militiæ Ducum, ac Consulum ejusdem Reip. Post multos autem annos eandem rerum sublunarium communi casu succumbentem, injuriis temporum ruinæ proximam, pristino decori restituendam curarunt Pisani Patrii duo, ejusdem Cajetanæ Familiæ & nominis & virtutum hæredes D. Franciscus D. Benedicti F. & D. Adrianus D. Tiberii F. anno Christi 1629. Hæc in tam munifici Fundatoris, ac beneficorum Restauratorum Gentilium suorum memoriam ac splendorem Posteritati commendare voluit Domnus Constantinus Cajetanus, Syracusanus, Siculus, ex Marchionibus Sortini, atque Abbas S. Baronti ex Congregatione Cassinensi, necnon Fundator & Abbas Præsidens Collegii Gregoriani Domus Sancti Benedicti de Urbe*. Hæc nos alias.

Cæterùm non est hic locus enumerandi quot & quæ loca Deo dicata, Ecclesias & Monasteria, Cajetani Principes nostri, vel eorum propagines fundavere ac dotavere Romæ, Cajetæ, Fundis, & per universam Campaniam. Pisis, in ejusque urbis agro, in Provincia, Sardiniæ Comitatus Orisei, atque in Sicilia. Ex ejus enim Familiæ monumentis constat: eos, Cathedrales Ecclesias numero duas, Clericorum Collegiatas sex, Religiosorum Monasteria supra duodecim, Ecclesias denique multò plures erexisse.

(3) Sive Cajetanus. Quicumque de Gelasio hoc Pontifice sermonem habuerunt, atque ab ipsius Gelasii ætate ad hæc nostra usque tempora ejusdem meminerunt, omnes, nemine excepto, ultro fassi fuere: Gelasium Cajetæ natum. Suffragantur & omnia Scriptorum, tum veterum, tum recentiorum, monumenta: Suffragantur, & manu exarati Codices omnes, & qui in nobilissima Vaticana, & Casinensi (in cujus Monaste-

nasterio Gelasius ferè ab infantia nutritus est) Bibliothecis, atque Archivis asservantur; quos ego datâ operâ, studiosè scrutatus sum; Sed eorum testificationes hoc loco recensere, nostri instituti ratio non patitur. Verùm enimverò, etiamsi nullus alius Scriptor Gelasium Cajetæ exortum affirmaret, unius tamen Pandulphi id asserentis auctoritas tanti æstimanda esset, ut sola sufficere videatur. Fuit Pandulphus, ut supra vidimus, Pisanus, nobilis, & religiosus, ac Gelasii nostri familiaris, ejusque peregrinationis comes individuus, ut ipsemet de se scribit in Vita ejusdem Gelasii, & Calisti II. ejus successoris. Et nihilominus solidam hanc tanti, talisque Viri, atque oculati testis veritatem, præproperè satis infringere tentavit recentissimus Scholiastes (vir alioqui doctus) Andræas Victorellus in Notis, vel Additamentis, ut ipse vocat, ad F. Alphonsi Ciacconii Vitas Romanorum Pontificum, columna 2024. sub hisce verbis: *Natum Toleti in Hispania Gelasium, Patrem habuisse virum Italum ex clara Cajetanorum Familia, scripsit Julianus Petri Hispanus, Archipresbyter S. Justæ Tolentanæ in rerum Hispanicarum Chronico: puerumque in Italiam delatum, S. Benedicti Ordini se addixisse: ad Purpuramque, & tandem ad Romanæ Sedis Infulam pervenisse. Librum Juliani è tenebris erutum, atque extra Italiam editum, videre non potui; sed quæ narravi, Thomas de Herrera*, Fr. Eremita Agustin. *pro certo mihi affirmavit hoc an. 1630. Aug. mense*. Hæc Victorellus in additamentis, relatione ductus Herreræ; cùm supra columna 472. in eodem Gelasio scripsisset: *Hunc natione Campanum, patria Cajetanum, professione Monachum Casinensem, Ordine Diaconum S.R.E. munere Cancellarium fuisse, omnes affirmant*: Card. *Baronius ad annum* 1118. *cum Pandulpho Subdiacono*. Hæc ille. Porrò, cum plus valeat oculatus testis unus, auritis decem (ut lepidissimus, Comicorum inquiebat Terentius) quid Victorello subesse potuit, ut tam levi vento se transferri permitteret, & notæ illi, quam citò credentibus Ecclesiast. 19. inurit, se exponeret? Asserit Pandulphus oculatus testis, asserit cum reliquis omnibus Cardinalis Baronius, asserit & ipsemet Victorellus, Gelasium natione Campanum, patria Cajetanum. Qui igitur fui, tantorum testium, quin & veritatis ipsius tam facilè eum cœpit oblivio? Aliquid profectò hìc afferri debet, immo & insigne illud, quod tantis testibus: & receptæ apud omnes fidei præponderet: *Natum*, inquit ille, *Toleti in Hispania, scripsit Julianus Petri, &c.* Non fidem, amicissimum mihi caput; non doctrinam & eruditionem, sed nimiam facilitatem penè accusaverim, qui tam facilè in eam sententiam concessisti, quam nequidem oculis hauseras. At inquis: Illud fide dignissima relatione accepi. Credemus. At quis nescit, puriores in ipso fonte aquas hauriri, multumque interesse, num inspexerit quis Auctorem, an laudatum acceperit? Ipse Julianus plures experientiæ tuæ, & eruditioni circumstantias suggessisset, quæ fortè nodum ipsum solvissent, quas habere non potes à referente. Demus igitur ita retulisse A.R.F. Thomam de Herrera; immo demus, scripsisse Julianum; non aliter debebas allegare illud, nisi transfigendum obelo, aut spongia delendum. Nam & si magnus Julianus, major tamen in rebus Italis, præsertim Gelasii, referendis Pandulphus, major Baronius: major, quin & omnium maxima universorum hactenus Auctorum, & vetusta, perpetuaque traditione firmata veritas.

Præterea Juliano Toletano opponere possumus multos, etiam ipsius Hispaniæ Scriptores; & dignitate & doctrina clariores; sed unus pro illis omnibus sufficiat, Nicolaus Rosellius, Tarraconensis, qui ex Provinciali Ordinis Prædicatorum & Inquisitore Generali Aragoniæ, ab Innocentio VI. Papa A. C. 1356. S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Sixti creatus, in suo rerum Pontificiarum Regesto, quod ex Apostolicæ Sedis monumentis descripsit, compilavitque, ita affirmavit: *Gelasius II. natione Campanus, patria Gajetanus*. Nicolao Cardinali Hispano suffragatur vir eruditissimus, Joannes Mariana, (hist. Hisp. lib. 10. cap. 11.) & ille Toletanus, dum ait: *Gelasius eo nomine Secundus, magno vir animo, per Tiberim* Cajetam, *ubi natus erat, primùm evaserit* His assentiuntur Annales Pisanorum, (MS. apud Ronciones Pisan. & apud nos,) qui ab eodem Gelasio Pisis aliquando commorante, cujus patriæ esset, optimè rescire poterant; qui ita habent: *Gelasius Cajetæ natus*. Hermannus Schedellius, Germanus, in Chronico suo: *Gelasius II. Joannes antea vocatus, patria Cajetanus*. Franciscus Johannetus, (Hab. post Chron. Florentii VVigornien.) qui ex veteribus Germanis Scriptoribus, Romanorum Pontificum Vitas contexuit: *Gelasius II. patria Gajetanus fuit*. Anonymus Anglus Monachus VVigorniensis, illorum temporum Scriptor: *Sacræ memoriæ Paschalis Papa defungitur, & loco ejus Johannes Gajetæ natus, substitutus est*. Denique innumeris aliis omissis, claudat agmen, Vir eruditissimus, Papirius Massonus Gallus, in hæc verba: *Johannem Cajetanum à Cajeta portu mediterranei Maris, Virgilii versu celebrem, dictum ajunt; quòd in eo Oppido natus esset*. Sed pluribus ista persequi non est visum; præsertim cum ipse Victorellus, jam in nostram sententiam, vel potius in veritatem nobiscum ivit. Ita enim ille in quadam sua Epistola ad Hieronymum Carraciolum, Clericum Regularem Theatinum. *De Gelasii II. Viri sanctissimi laudibus, nulla ætas conticescet; lætor te illi addictum, & mecum sentire. Thomam de Herrera, Eminentissimi Cardinalis Spinulæ Theologum, dicentem (non aberat VVimbodinus ejusdem Cardinalis Secretarius) aliquando audivi, scriptum à Juliano Petri S. Justæ Toletanæ Archipresbytero in Hispanica historia, hunc Gelasium Italum Crescentii filium, ex vetustissima, & nobilissima Cajetanorum Familia (patria etiam Cajetanum) Toleti in Hispania natum. Hoc in postremis ad Ciacconium Notis ex Thomæ narratione retuli. Patria & genere Cajetanum fuisse non dubito: at in Hispania natum, neque affirmavi, neque affirmare possum. Parvulus in Casino sub Desiderio Abbate, S. Benedicto oblatus fuit* (ut Petrus Diaconus Monachus Casinen. libro de Viris Illustribus Ordinis Benedictini, testatus est) *quare in Italia ortum tecum opinor. De hac re Constantinus Cajetanus Collegii Gregoriani Præses, S. Baronti Abbas, varia instructus eruditione, uberiùs; Plura tu, si volueris, ex illius fonte hauries. Vale, Romæ ex ædibus nostris 3. Non. Mart. 1631*. Ita Victorellus.

At quis meliùs Gelasio ipso noverit, poteritve hanc veritatem elucidare? Ille namque in Epistola ad Joannem Avunculum suum scripta, patriam Cajetanam utrique communem appellat: *In patria*, inquit, *nostra Cajetana*. Veritas igitur usque adeo verissima, ut sic dicam, est, Gelasium Cajetæ natum fuisse, ut Juliani Toletani auctoritas in hoc respuenda sit. Immo etiam cùm Avunculus ipsius, ad quem scribit Gelasius, & qui inter Sanctos Casinenses relatus est, Cajetanus fuerit, pariformiter & Joannis Avunculi Soror, & Gelasii mater Cajetana erit, non Toletana. Quis enim Fratrem Cajetanum, Toletanam Sororem fuisse asseret? Hanc verò Epistolam, ne jota unum, aut unus apex Sanctissimi Pontificis intereat, integram ex Bibliotheca Casinensi descriptam damus. Sic enim se habet: *Domno* (*in Domino Dominorum dilectissimo*) *Johanni Avunculo suo, Johannes Subdiaconus, & Monachus Casinensis Cœnobii, totius obsequium servitutis. Cùm scriptum sit: Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere, Paternitatis vestræ imperiis, nedum precibus, quidquam denegare, summi apud me videtur esse delicti: quippe cui post Deum, & Sanctissimum, & Reverendissimum Abbatem nostrum Desiderium, soli debeam, quicquid liberalibus sum studiis consecutus. Passionem ergo Martyris Erasmi, cujus corpus in nostra Patria, videlicet Cajetana, quiescit, hactenus tantis à te precibus fatigatus, minimè literis tradidi; ea permaxima fuit causa, quòd in discendi exercitio desudans, non poteram rebus hujusmodi operam dare. Nudius verò tertius, hoc opus aggressus, tanto affectus sum tædio, ut disponerem, & tibi non obedire, & Martyris historiam incultam, ut erat, incompositamque relinquere. Enimverò duæ ejusdem historiæ editiones, eatenus à se invicem discrepant, ut* duo-

Digitized by Google

bilibus (4) juxta saeculi dignitatem parentibus feliciter educatus, literarum studiis pura mentis intentione est traditus, in quo videlicet studio parvo satìs in tempore quaeque (C. quaeque sunt) puerorum addiscens, ultra coaevos suos omnia memoriae commendavit.

duorum Sanctorum videantur eadem gesta narrare. Sed Eusebii Caesariensis Ecclesiasticis historiis diligenter investigatis, & Fratre quodam nostro, qui in locis illis aliquando mansitavit, antequam Sanctus Martyr deductus fuisse narratur, interrogato, comperi, alteram, quae vetustior est, existere veriorem. Chronicon ergo secutus Eusebii, & vetustioris editionis materiam digerens, Sancti Martyris meritis, tuisque orationibus fultus, opus aggrediar toties postulatum. Epistolam hanc Joannes Cajetanus, mox Gelasius, praeposuit historiae à se conscriptae passionis S. Erasmi Episcopi; quam & nos unà cum ejusdem Sancti Episcópi passione exscripsimus ex perantiquo MS. Codice Bibliothecae Casinensis.

Ne tamen Juliano Petri, viro gravi, & de historia Ecclesiastica benemerenti, videamur omnem negare fidem (si tamen Chronicon illud ipsius sit, de quo multi Viri docti dubitant) sic eum cum veritate conciliamus, vel certè interpretamur, ut nomine Cajetano deceptum existimem. Non enim Crescentius Cajetanus, Gelasii pater, in Hispaniis sub Alfonso Rege meruit: immo nec in Hispanias concessisse illum, vel inveni uspiam, vel adducor facilè, ut credam. Nam Cajetani illi, qui non contemnendam operam locarunt debellandis Mauris (ut alibi ex historiis satìs superque probavimus) Pisani fuerunt: & nunc etiam ex eo patêre potest, quòd nobiles ii Hispani, sive Toletani Cajetani, pro Insigniis non detulerunt quadripartitum illud scutum rubro, & argento asperium, ut Gelasii nostri progenitores; sed potiùs, iis relictis, quae & avitae Familiae eidem Cajetanae fuerant, decussatam desumpserunt Crucem argenteam cum angulis obtusis in campo rubro, quae ipsissima erant eorum Pisarum patriae Insignia. Ex his igitur Joannes ille ductor copiarum praestantissimus, Gerardi Pisanae etiam Reipublicae triginta post annos Progeneralis trecentorum navigiorum classis adversùs Sarracenos in Balearico bello, Patruus, inter alios (ut in monumentis Cajetanorum Pisanórum legimus) donis, praemiisque regiis ditatus, anno Christi 1083. Toleti haesit, & Cajetanis illis terra, marique claris, & qui in hodiernum usque diem in Hispania florent, initium dedit. Quare fieri potuit, ut ipsorum aliquis uxorem duxerit Heroinam illam Albertam, Petri Alvari filiam, ex nobilissima Ficulneorum Familia; atque occasionem dederit Juliano, autumandi Gelasium II. illius filium extitisse; cùm revera nunquam ille, non Pater suus in Hispaniis fuisset.

(4) Ita & verè testatum reliquit Pandulphus: cui suffragantur omnes etiam Scriptores, qui de Gelasii stemmate tractaverunt, affirmantes, eundem & claro, & nobili genere progenitum, nedum patrià, verùm etiam familià Cajetanum. Talem enim illum nobis exhibet Gullielmus Tyrius (hist. bell. Sacr. lib. 12. cap. 5. id. cap. 8. ann. 118.) celebris eorum temporum Scriptor: *Domino*, inquiens, *Paschali, successit Dominus Gelasius, qui & Johannes Gajetanus dictus est.* Et interiùs: *Mortuus est Dominus Gelasius PP. II. Domini Paschalis successor, qui & Johannes Gajetanus dictus, vir literatus.* In eandem etiam sententiam concedit, Gelasiumque Cajetanis adscribit Petrus Diacon. Cassinen. (lib. 4. cap. 7.) ejus temporis etiam Scriptor, in haec verba: *Papa Urbanus iterum ad has partes deveniens, Johannem Cajetanum loci hujus à pueritia Monachum, in Lateranensi Patriarchio ordinavit* Petro Diacono adstipulatur Conradus Urspergensis Abbas, ad annum D. 1116. & 1118. ubi quater Gelasium, ante adeptum Pontificatum, *Johannem Cajetanum cognominat*. Ricardus Vassemburgius: (lib. 4. Antiquit. Gall. Belg. *Gelasius II. antea nominatus Johannes Cajetanus*. Hieronymus Rubeus: (hist. Raven. lib. 5.) *Paschali Pont. Max. mortuo, Johannes Cajetanus, nobilissimo genere natus, Gelasii II. sumpto nomine, subrogatus*. Adde Onophrium Panvinium in Epitome Pontificum Rom. & Arnoldum VVionem, (ling. Vit. lib. 2. cap. 9.), qui uterque omnem suspicionem exhaurit, illumque ut patrià, ita familià, Cajetanum agnoscit. Verba Panvinii sunt: *Sanctissimus Dominus noster Gelasius II. Pont. Max. F. Johannes Cajetanus, natione Italus, patria, Cajetanus*. Arnoldi VVion verba sunt: *Dominus Johannes Crescentii filius, Cajetanus, familià scilicet & patrià. Monachus Monasterii Montis Casini, ex Subdiacono, & Urbani Papae II. Praesignatore S. R. E. Diac. Cardinalis, ac postea Sanctus Gelasius II.* Confirmat idem hanc suam sententiam in ejusdem Operis Appendice. Blondus quoque Flavius, (hist. inclin. Rom. dec. II. lib. V.) qui vixit sub Eugenio IV. cui fuit à secretis, rerum Italicarum Scriptor scientissimus: *Paschali*, ait, *successit Gelasius, patre Crescentio, Cajetanus*. Et quòd Blondus intelligat de Gelasii familia, haec alia de ipsius Pontificis nepote verba ab eodem contestata, luce clarius ostendunt; inquit enim: *Pontifex invitatus ad Divina in S. Praxedis Ecclesia celebranda, etsi Frangepanes timeret vicinos, tamen Romanorum Corsorum, & Crescentii Cajetani nepotis sui viribus, ac tutelae fisus, accessit*. Haec ille. Tandem claudat ordinem, qui ducere eundem debuit, ipsemet Gelasius; qui nunquam se Cajetanum, idque in Literis Apostolicis, appellasset, nisi verè fuisset familià Cajetanus. Hic igitur in Literis suis sub Datum Romae apud S. Petrum 10. Kal. Aug. Pontificatus anno primo, statim in principio haec habet: I. (Joannes) *Gajetanus, Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Monachis Terrae Majoris, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum super controversia, &c.* Literas has beneficio Eminentissimi Domini Aloysii Card. Cajetani accepi; qui illas revera, ut par est, pro thesauro habet. Patri, filium, ac familiarem, & dilectum illum, ac propterea majoris auctoritatis, Gelasio scilicet conjungamus Pandulphum, qui ejus Vitam in hunc modum prosequitur: *Johannes Gajetanus jam adolescens, Monachus Casinensis*. Et mox: *Sicque invitus ac renitens, Johannes Gajetanus, qui hodie est Gelasius, in Papam, Spiritus Sancti gratia mediante, electus est*. Haec Pandulphus; qui satis liberali manu, nedum ipsum Gelasium Cajetanis adnumerat, sed & Nepotem illius virum Principem ac potentissimum, Gajetanum appellat. Verba illius sunt: *Fulti tamen Stephani Northmanni, & Crescentii Cajetani, ejusdem Papae nepotis, antiquis stemmatibus, itum est*. Fuit etiam Crescentius Gelasii Nepos, Urbis Praefectus, ut alibi ostendemus.

Sed stemmatis Cajetani in Urbe Roma, & nobilitas & claritudo, magis magisque clarescit in Johanne Cajetano Crescentii filio, Gelasii pronepote, quem inter Romanae Urbis Principes viros connumeratum fuisse, Radevicus Frisingensis Canonicus, ejus aetatis Scriptor, testis est luculentissimus. Edisserens enim de schismate illo (anno Christi 1159 Friderico I. Imp. agente) inter Alexandrum III. Rom. Pont. & Octavianum, à Schismaticis Victorem IV. nominatum, ait inter alia: (in append. ad Otton. Frisingen. lib. 11. c. 67.) *Episcopus Alatrinus in praesentia Domini Guidonis Cremensis Cardinalis, & Gimundi, & Johannis Gajetani, & aliorum multorum, dixit: non possum ad Dominum Victorem venire*. Et paulò inferius: *De omnibus supradictis capitulis* (ea intelligit Auctor Capitula, quae pro electione Alexandri III. à multis Cardinalibus, Clero, Principibus, & Populo Romano validè facta fuerunt) *testimonium perbibuerunt praedicti Rectores Cleri Romani, & Septem Archipresbyteri supramemorati, & Petrus Urbis Praefectus, & Stephanus de Thebaldo, & Stephanus Northmannus, & Johannes de Sancto Stephano, & Johannes Gajetanus, & VVlferaminus de Gidocica, & Gimundus de Domo Petri Leonis, & multi alii Illustres Romani, & Nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia viderunt, & tractaverunt*. Hactenus Radevicus.

Hinc igitur luculentum est, Cajetanos, qui etsi no-

men ab Urbe Cajeta sumpserint, ibique antiquissimam habuerint sedem, loca possederint; nihilominus & Romæ dignitatem Parritiam & Senatoriam cum pari splendore obtinuisse. Illud etiam meminimus alibi à nobis dictum: Civitatis Cajetæ Duces, Romanæ Campaniæ Comites, aliosque Cajetanos Romæ degentes, domos suas sive palatium, Romæ in Insula Lycaonia habuisse; in qua unà cum Monasterio amplè dotato, ac Monachis S. Benedicti tradito, profanum Æsculapii Templum, in Templum Deo vero ejusque Virgini Matri dicatum, erexerunt; quod postea, Ottone Magno Imperatore, qui S. Bartholomæi Apostoli corpus Benevento huc transferre voluit, ab ejus nomine dictum est. Præterquamquod hujus Monasterii juris erat civitas Portuensis, aliaque bona plura. Gelasius verò, jam Cardinalis S. R. E. creatus, nil antiquius habuit, quàm ut Ecclesiam hanc à progenitoribus suis fundatam, tunc ruinæ proximam, nobiliter restitueret: *Gelasius II. Pont.* (verba sunt Blondi Flavii) (Rom. instaurat. lib. 1.) *Ecclesiam S. Bartholomæi, vel extruxit, vel, quod magis credimus, instauravit.* Et hinc factum, ut Johannes Cajetanus paulò ante nominatus, Senator Romanus (quod etiam probat, illum ex eodem cum eodem Gelasio stemmate fuisse) ejusdem Ecclesiæ juspatronatus habuerit. Ita Cencius Cardinalis Camerarius in suo censuum Cameræ Apostolicæ Regesto, eundem Joannem Cajetanum pro Eccl. S. Bartholomæi in Insula Lycaonia, sex den. Eccl. Rom. Presbyteris quotannis solvere consuevisse testatur.

Hujus præterea Johannis soror, & Crescentii filia, Caietana dicta, circa annum Domini 1151. Urso de Filiis Ursi (sic enim antiquitus cognominabantur qui nunc Ursini) Romano Senatori, Jordani Cardinalis fratri nupsit, magnumque in eam familiam splendorem intulit; quam postea Nicolaus III. Pernæ Cajetanæ, Johannis filiæ filius, Ursi abnepos, summo incremento locupletavit. Post eam enim, multò felicior Berecinthia Deorum matre, resplenduit Perna ipsa Cajetana, quæ Matthæo Rubeo de Ursinis, magni nominis Romano Senatori in matrimonium locata: quintuplici prole nobilis Heroina, Johanne scilicet Cajetano (ita quidem à matre dicto, etiamsi pater Ursinus esset) qui postea Nicolaus III. Papa fuit: Jordano S. R. E. Diacono Cardinali S. Eustachii amplissimo, & plurimis facinoribus illustri: Neapolione tot titulis, & honoribus insigni, cujus filii, Franciscus Ursinus Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice, Johannes Cajetanus Diaconus Cardinalis Sancti Theodori, & Bertholdus S. R. E. Armorum Dux Generalis; à quo ferè omnes descendunt, qui nunc sunt de familia Ursina; duabus insuper filiabus, Perna altera, quæ Jacobum Cajetanum, Petri de Stephanescis, Romani Senatoris etiam filium, Romanum, non Anagninum (ut recentiores asserunt) Diac. Cardinalem S. Georgii ad velum aureum: altera, quæ Latinum Malabrancam Cardinalem Episcopum Ostiensem peperit. Atque ita contigit, Familiam Cajetanam Romanam in Ursinam transiisse; cùm Pernæ alius non superesset, qui lineam perpetuaret: eaque honores, Arces, Castella, possessiones, splendorem, & quicquid Cajetanorum Romanorum erat, secum transtulerit ad Ursinos: qui usque in hodiernum diem, tantum nomen sustentarunt egregiè, & feliciter conservarunt, Urbi & Orbi Romano spectabiles, bello fortes, paceque fideles. Et hæc summatim excerpta, aliàs plura daturi, ex Romanorum Pontificum historiis, ac etiam monumentis Archivi Excellentissimi Ducis Bracciani collecta.

Sed quod spectat ad Gelasii II. Papæ, aut ejus Parentum Romanorum Insignia: non alia illos habuisse dicendum est, quàm quæ eorundem Progenitores Comites & Duces Cajetæ habuerunt: Scutum videlicet in quatuor partes divisum, ac rubro & argento alternatim delineatum. Id quod de Ducibus Cajetanis satis apparet, tam in illorum civitate Cajeta, quæ usque hodie eadem retinet insignia, quàm in illorum etiam posteris Cajetanis, qui Ducibus ipsis in humanis degentibus, Pisas migrarunt, quibus etiam similia sunt insignia: quemadmodum & eadem ipsa, lapidi insculpta, nos vidisse, & observasse meminimus in arce civitatis Laviniæ, juris hodie Excellentissimorum Principum Cæsarinorum; sed quam olim Comitatus titulo Gelasii Nepotes possedisse dicuntur. Atque hæc de posteris Cajetanis Gelasii II. dicta sunto. Quibus facilè convincitur errasse F. Alphonsus Ciacconus in de Vitis Pontificum Romanorum libro, qui nulla ductus auctoritate, sed solus & primus, ipse novissimus, affirmare ausus est: Gelasium nostrum, ex Familia de Cajeta, quæ multò post Gelasium, ejusq; posteros audita est: nec ex Cajetanis Principibus, ut Gelasius: sed ex Cajetanis privatæ sortis hominibus, etsi nobilibus, ortũ habuit, prodiisse.

Hactenus ex secundi Gelasii posteris, Romanum stemma Cajetanum probavimus. Nunc verò hoc ipsum ex ejusdem Gelasii Majoribus restat, ut inquiramus: atque eo magis, quòd suam pro me Eminentissimus Card. Baronius (Annal. t. 12. sub. ann. 1119.) oppignoravit fidem, dum Gelasii II. à Comitibus & Ducibus Cajetanis deductum stemma, à me exaratum fassus est, & viva voce probavit sæpissimè. Tot scilicet Comitum ac Ducum sanguis unum Gelasium nobilitabat. Nepotes enim ipsius (S. R. E. Cardinales duo, alter Gregorius Diaconus S. Luciæ in Septemsolio à Paschale II. PP. creatus anno Christi 1103. alter Lictifredus, Presbyter S. Vitalis, Tituli Vestinæ, ab Honorio II. Papa, anno Christi 1127. creatus: Tertius demum Crescentius, cujus supra meminimus, ob rei militaris peritiam, in publicis monumentis Miles dictus) quorum genitor Marinus Consul & Dux Fundanus, Gelasii frater extitit. Utrumque Crescentius Dux & Consul Fundanus: Crescentium item hunc genuit Crescentius Dux Fundanus & Præfecturius (eo quòd sæpius Romanam exercuerit Præfecturam: vel juxta alios, Præfecturius, quasi Expræfectus) dictus. Huic Marinus item Consul, & Dux Fundanus, mox Cajetæ: cui Docibilis II. pater, Cajetæ Dux & Hypatus (Ὕπατος Græcè, Latinè Consul). Hic Docibilis II. fuit etiam pater Hugonis, qui Pisis Cajetanam Domum, ut paulò inferiùs ostendam, primus propagavit. Avus Joannes III. Cajetæ Dux & Hypatus, atque Imperii Orientalis Patricius: cujus filiam SiKelgaitam Uxorem duxit Landolphus, Capuæ Princeps. Anatolius IV. autem frater germanus, Dux fuit civitatis Terracinæ. Abavus, Docibilis I. fuit, Cajetæ Dux, & Hypatus, atque Imperii Constantinopolitani Patricius: Atavus, Joannes II. Cajetæ Dux & Hypatus, atque Imperii Orientalis Patricius (cujus ex sorore Helisabeth, Neptem uxorem duxit Theodosius Neapolitanæ urbis Præfectus, sive Dux). Hic verò Joannes II. Magni agnomentum promeruit: quia Saracenos, qui septuaginta annorum spatio Italiam omnem flammis & ferro absumpserant, unà cum aliquot Italiæ Principibus, deletis copiis, reliquos Italiæ finibus expulit, Horum Majores extitere: Anatolius II. Cajetæ Comes, Joannis hujus magni pater: Joannes I. Cajetæ Comes, ejusdem avus: atque Anatolius I. Miles & Comes, magni ipsius Joannis abavus. Hic ille felix & clarissimus Heros fuit, qui cùm pro Sede Apostolica Tribunus militum adversùs Saracenos, præsertim Italiam devastantes, præclara multa facinora præstitisset, à Maximo Romano Pontifice Gregorio II. (ut ex ejus Regesto MS. in Vatic. animadvertit Cencius S.R.E. Cardinalis Camerarius) Cajetâ, atque eidem vicinis oppidis & locis, beneficiario munere donatus fuit, circa annum Christi septingentesimum trigesimum. Sed cujus stemmatis fuerit iste Anatolius, apertè non liquet: ex genere quidem Romano Patritio & Senatorio extitisse probari potest duobus præcipuè argumentis. Primum est, quòd ea tempestate in Romana Republica, Tribunitiæ potestatis, qua ornabatur Anatolius, homines militares, non nisi ex Patritiis ac Senatoribus, iisdemque sicut nobilitate claris, ita divitiis ac virtute præstantibus deligerentur. Secundũ, quòd (ut ex Archivorum perantiquis monumentis civitatis Cajetæ, & Monasterii Fossæ novæ etiam in Campania, probare possumus) Anatolius atque ipsius nepotes ac posteri, fuisse asseruntur ejusdem stirpis, qua & Signiæ, & Ceccani, ac Campaniæ Comites exorti sunt. Verumtamen cùm Comites isti (Leonardo Aretino, Innocentii VII. Papæ à secretis, Arnoldo VVione, Johanne Sifrido, aliisque in de Familiæ Aniciæ historiis attestantibus) ab eadem Anicia, Annia,

Digitized by Google

& Julia æquè ac Claudia gente (cujus præclara in primis fuere germina Romani etiam Comites Tusculani) originem suam protraxerint, revera non dubium, quin & ipsemet Anatolius ex eademmet Gente prognatus fuerit. Et quidem Joseph Castalionius, vir doctissimis libris editis clarus de Cajetana eadem Domo carmine elegantissimo locutus idipsum ita confirmavit.

Nobilis Heroum series generosa propago,
Cui nomen Cajeta dedit felicior ortis
Hesperidum, placido quamvis hæc aurea cœlo
Poma ferat; quamvis jucundos semper odores
Afflet, & æternum nitida ver educet umbra
Re magis insignis nulla, quàm stemmate tantæ
Gentis, ab Æneadum, cui sanguine fluxit origo,
Et cui maternos Gens Claudia misceat honores.

Hæc ille.

Præterquamquod, Julia & Annia Gens cum Claudia juncta sanguine (ut rerum Romanorum Scriptores affirmant) una postmodum eademque Gens fuit æstimata. Castalionio Carolus Stengelius & ipse eruditissimus, in præfatione ad Monasteriologia Germaniæ, suffragatus est hisce verbis: *Ut verò longiùs ne abeam: possem enim hìc commemorare laudes Illustrissimæ Familiæ Cajetanæ: ex qua trecentis continuis annis Urbis Præfecti extitere, ex Juliis Cæsaribus genus suum trahentes: Possem recensere maternum genus ex Sueviæ Ducibus profectum: qui & ipsi ex Romanis, ut ajunt, Claudiis Impp. Augg. processere.* Hucusque Stengelius: qui dum asserit, ex Cajetana Familia trecentis continuis annis Urbis Præfectos extitisse, alludit ipse ad Vici Elvii in Etruria Dominos magnæ in Italia potentiæ Principes, Signiæ ac Ceccani Comitum, nec non Cajetæ Ducum Gentiles: qui per trecentos continuos annos Augustissimæ Urbis Præfecturæ clavum tenuere. Quemadmodum etiam dum idem Stengelius dicit, maternum Cajetanorum genus ex Sueviæ Ducibus profectum fuisse intelligit Constantiam Friderici ex Sueviæ Ducibus, II. Imp. filiam, Conrado Cajetano, Pisano Equiti, ac Regni Siciliæ annis undecim Proregi, in uxorem junctam. Id quod etiam Josephus Castalionius verbis istis testatus est.

Proximus à primo Fredericus jungere Natam
Vult, Conrade, tibi: quem Cajetana superba
Heroum de stirpe domus tulit inclyta Pisis.

Hæc ille.

Quid? quòd Paulus hujus nominis primus, Romanus Pontifex Maximus, Sanctissimusque, qui vixit ab anno Christi 757. ad 767. in quadam sua Epistola, quam scripsit ad Pippinum Francorum Regem, & Patritium Romanorum, Cajetanos tunc Comites, sed Campaniæ Principes, quemadmodum & Duces Neapolitanos (eorundem potentiam, & amplitudinem prospiciens) appellavit Reges. Sunt ejus verba: *In Embolim* (In embolo, vel embolio, Græcè; Latinè postscriptum, Jacobo Gretsero. Nihilominus videtur intelligendum ἐν ἐμβολῳ, sive ἐμβολίῳ Græcè, Latinè verò per interpositionem) *verò direxit nobis à Deo protecta Excellentia vestra, præfatum vos Desiderium* (Longobardorum Regem) *admonuisse REGES NEAPOLITANOS AC CAJETANOS constringere, ob restituenda Patrimonia Protectori vestro Beato Petro, illic Neapoli sita. Quapropter maximas de hoc, & de omnibus Excellentiæ vestræ referimus grates.* Hæc Paulus Maximus Pontifex.

Verùm id, quod hìc breviùs, in nostris tamen Cajetanæ Familiæ Commentariis, in quibus vetustissima etiam ipsa Instrumenta ad verbum referemus, latiùs & solidiùs, Deo favente, tractabimus.

Cæterùm Marinus ejus nominis III. Cajetæ Dux Constantini II. Cajetæ etiam Ducis filius præter Marinum Imperii Constantinopolitani Protospatarium alterum habuit filium, Johannem nomine, Neapolis & Surrenti urbium Ducem: Cujus etiam meminit Julius Cæsar Capacius in historia Neapolitana. (lib. 1. pag. 161. & lib. 2. pag. 597.) Johannis hujus Neapolitani ac Surrentini Ducis filius Neapolio fuit Reipublicæ Neapolitanæ Vicarius: quem Henricus III. Imp. cognomento Niger, scriptis literis anno Christi 1014. illustri hoc titulo donat. Viro nobili *Neapolioni Cajetano Vicario in Republica Neapolitana dilecto Consiliario, familiari & fideli nostro, gratiam & bonam voluntatem.* Ab his Neapoli clarissima Cajetanorum Domus propagata est: eorumque posteri in nobilem Portus, quem dicunt, Sedilem cooptati non multò post millesimum trecentesimum Christi annum extincti. Insignia tamen non ea progenitorum suorum Ducum Cajetanorum (quadripartitum videlicet scutum) præ se tulere, sed (ut ex veteribus ejusdem Sedilis monumentis edocti fuimus) Leonem argenteum in umbone cœruleo, vel rubro, antiquiorum consanguineorum, à quibus primùm Cajetani tanquam ex stipite descenderant, Aniciorum, Anniorum, Juliorumque habebant: & quæ etiam Cajetani antiqui Campaniæ Comites deferebant: & quæ adhuc hodie Frusinon civitas eorundem Comitum, & Campaniæ Regia præsefert.

Nec etiam hoc loco præterire fas est (quod etiam ex supracitatis antiquis chartis accepi) clarissimos tres illos, fortissimosque Cajetanos Heroës ab Imperatoribus Constantinopolitanis Augustali Protospatariatus dignitate donatos: quorū nomina: Gregorius Docibilis II. Cajetæ Ducis filius, Leo Leonis Cajetæ etiam Ducis filius, & Marinus Marini III. ejusdem civitatis Ducis filius. Tres omnes Imperii Constantinopolitani, ejusque Imperatorum Protospatarii. Porrò Protospatarius Spatariorum Princeps erat militum in Aula Imperatoris Stationariorum, induebanturque propriis Augustalibus vestimentis. Ita Georgius Codinus Curopalates in de Officiis Palatinis lib., c.5.n.46.& 65.ubi plura his.

Monasterium Casinense quantâ à Deo fuerit gratiâ donatum, ex eo præsertim patet, quòd permagnum ejus servum Benedictum, profligato jam inde ementitæ divinitatis cultu, fit substituta in ejus locum veri numinis cognitio, ac reverentia; ita ut in ipso montis fastigio, in quo idololatriæ sedes erat, vero numini dicata sint templa, sanctitati gymnasium, ingenuis artibus honestissima sedes. Hinc S. Zacharias Papa I. Diplomate suo ajebat: *Casinense Cœnobium exaltantes, decernimus, ac in perpetuum confirmamus: Ut supradictus locus dignitate, vigore, & bonorificentia præcellat omnia Monasteria, quæ constructa, vel construenda sunt in toto Orbe terrarum: Abbasque ejusdem loci celsior & celebrior existat omnibus Abbatibus eandem regulam tenentibus.* Eandem hanc maximam Cœnobii Casinensis, ejusque Abbatis dignitatem confirmavere Romani etiam Pontifices Paschalis II. Urbanus II. Innocentius II. aliique, quibus etiam suffragati sunt Imperatores, ac Reges: Ex quorum privilegiis decretum legimus in Archivo Casinensi ejusdem Abbatis titulum, quo inscribebatur in hunc modum:

PATRIARCHA SACRÆ RELIGIONIS: ABBAS SACRI MONASTERII CASINENSIS: DUX ET PRINCEPS OMNIUM ABBATUM, ET RELIGIOSORUM: VICECANCELLARIUS SACRI IMPERII PER ITALIAM: CANCELLARIUS REGNORUM UTRIUSQUE SICILIÆ, HIERUSALEM, ET HUNGARIÆ: COMES, ET RECTOR CAMPANIÆ, TERRÆ LABORIS, MARITIMÆQUE PROVINCIÆ: VICE-IMPERATOR, ET PRINCEPS PACIS.

Nos verò isthæc quoque voluimus hoc loco recensere, ut ex iis etiam eximius Gelasii nostri consanguineorum splendor cognosceretur, cùm eidem Casinensi Cœnobio duo præfuerint Abbates (Patriarchæ Sanctissimi Benedicti Vicarii): & uterque mira religione, ac pietate insignis: alter Docibilis Gregorii Cajetæ Ducis, ac Consulis filius à pueritia Monachus, creatus anno Domini 1009. Alter Otho Johannis Fundorum Ducis, ac Consulis filius in ipsis infantiæ annis Omnipotenti Deo oblatus. Utrisque meminere scripta monumenta Archivi Ecclesiæ Cajetanæ; sed & Docibilis Leo Ostiensis Chron. Casin. lib. 2. cap. 28. Othonis verò Petrus Diaconus Casinensis, eorumdem Casin. Chron. lib. 4. cap. 26. cum recentioribus, qui de rebus Casinatibus tractavere.

Illud præterea etiam animadvertendum venit: eos ipsos vel Cajetæ & Fundorum Duces, vel Trajecti, Suessæ, & Sugii, vel Campaniæ Comites, nedum apud exteros, sed & suos etiam, Caje-

Digitized by Google

Cajetanos audivisse, talesque sæpissimè in scripturis & monumentis antiquis nominari. Extat apud nos ex Archivo Casinensi, Ottonis III. Imperat. Privilegium, datum Romæ anno Christi 990. Imperii Quarto, Regni decimosexto, Joanni Cajetæ Duci & Consuli verbis istis: *Otho, superna favente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Noscant omnes fideles nostri, qualiter ob supplicem rogatum Hadamarii, nostri amabilis, Principis Capuani, juge obsequium & fidelitatem, Johannis Cajetani, Senioris, Consulis, atque Ducis, nostri Charissimi fidelis intuentes, dedimus sibi in proprium, prout jure & legaliter valemus, Castellum Pontecurvo nuncupatum, cum omnibus pertinentiis.* Extat etiam Instrumentum quoddam apud nos in hunc modum: *Nonodecimo anno Principatus Domni Landolfi* (est Christi annus 963.) *eximii Principis, mense Martio, quinta Indictione: Memoratorium facto à nobis Sergium Gajetanum filium Domni Johannis gloriosi Consuli ac Ducis Gajetæ.* (Item illud aliud): *Undecimo anno Principatus Domni Pandulfi, & Septimo anno Principatus Domni Pandulfi ejus filii, gloriosis Principibus, mense Madio, nona Indictione. Ideoque ego Landulfus Langobardus Capuanus filius bonæ recordationis Astolphi Langobardi Capuani, sicut mihi aptum & congruum est, bona mea voluntate, per hanc Cartam venundedi vobis Domnæ Mariæ Gajetanæ Comitissæ ex Comitatu Trajecti, relictæ bonæ memoriæ Domni Gregorii Comitis, hoc est, integram sextam partem ex integra Curte.* Alterum etiam. *Anno vigesimo Consulatus Domni Johannis, & octavo anno Consulatus Domni Johannis filii ejus, mense Octob. Indictione 12. Cajeta. Ideoque nos Gajetanus & Maria Honf. jugalibus & fil. quondam Gajetani Comitis bonæ mem. habitatori autem supradictæ civitatis.* Hoc est, ex stemmate Ducum supradictæ civitatis. Denique (ut ejus generis alia nunc missa faciam) notabile satis est etiam istud: *Mense Julio, indictione secunda Memoratorium factum à Domno Ederradus de fine, quod feci cum Domno Marino Zio meo, & cum Daferius & Lando fratribus & meis consanguineis, ante præsentiam Domni Adenulfi gloriosi Consuli & Duci mei senioris: & ibidem adessent Domno Leoni & Domno Johanni fratribus & Ducibus, & Domno Leone Episcopo Gajetano, & Domno Leone & Domno Crescentio Ducibus Fundanis, & Domnus Petrus Comes Suessanus, & Domnus Johannes de Maranola, & Domno Docibili Domni Landolfi, & Domno Marino Coronella, & Domno Johannes Domni Mastali, Nobilissimis Viris Gajetanis, &c.* Et hæc Instrumenta, & plura ejusmodi, quæ penes me habentur, luculentum faciunt, Cajetanos, seu Cajetæ Duces & Comites, seu Pisis, & Romæ ac Neapoli, seu in Sicilia, & in Hispania, ac Florentiæ nobiles fuerint, ejusdem stemmatis fuisse. Quid enim toties iisdem nominibus & cognominibus veniunt? Quid promiscuum, eorundem locorum Principes nominantium, nisi exploratissimum omnibus fuisset, omnes Cajetanos, omnes ejusdem Gentis fuisse, & ejusdem Arboris nobilissimos ramos?

Verùm enimverò, quod à Familiam Cajetanorum Pisanam attinet, huic Deus Ter Opt. Max. incrementum dedit felicissimum. Etenim cùm Hugo ille Baro Imperii clarissimus, Docibilis II. ut antea dicebamus, Cajetæ Ducis filius, atque Terricii Pisani oppidi Comes, Othone Magno Imperatore, anno Christi 962. Pisas adventasset (ut testatum reliquere rerum Pisanarum Scriptores) atque in ea Republica potentissima, Familiam suam Cajetanam inter septem Pisanas principes connumeratam propagasset, ex ea originem habuerunt multi multorum castrorum ac terrarum Domini & Comites: exercituum Duces multi, ac Clarissimi Navarchi, bellica virtute præstantes; quemadmodum prudentia & consilio, multi ejus Reipublicæ clavum tenuerunt: literis & vitæ sanctitate multi præfulserunt; quos inter satis erit hoc loco recensere S. R. E. Cardinales septem (ut ex antiquis, Pisarum præcipuè monumentis, quæ etiam recenset Alphonsus Ciacconus in de Romanis Pontificibus & Cardinalibus Libro, colligitur videlicet: Gregorius à Paschale II. anno Christi 1100. creatus est Presbyter Cardinalis Basilicæ SS. duodecim Apostolorum: Mattheus à Callisto II. anno Christi 1122. Diaconus Cardinalis S. Adriani: Villanus à Lucio II. A. C. 1144. Presbyter Card. S. Stephani in Cœlio monte: Gerardus ab Eugenio III ejus affine Anno Christi 1164. Diaconus Card. S. Mariæ in Via lata: Petrus ab Alexandro III. Anno Christi 1146. Diaconus Card. S. Mariæ in Aquiro: Sofridus sive Gualfridus à Lucio III. Anno Christi 1182. Diaconus Card. S. Mariæ in Via lata: Gualfridus istius nepos ab Innocentio IV. ejus affine Anno Christi 1251. Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi. Prætereo etiamnum ex eadem Cajetana Pisarum Domo progenitos Patriarchas Archiepiscopos, & Episcopos complures; sed non prætéribo ex eadem Cajetana Domo assumptos Archiepiscopos Pisanos tres: Villanum Anno Christi 1146. Vitalem Anno Christi 1218. & Joannem Anno Christi 1310. Quippe quæ hæc ipsa totius Tusciæ Metropolis cæteris omnibus Italiæ dignior esse meruit. Nam Legatus natus Romani Pontificis existit, Comes Palatinus, Sardiniæ & Corsicæ Primas, Pallio Pontificio utitur, stuppaque Templum ingredienti accenditur, cæterisque aliis Pontificiis Insignibus præter capitis ornamentum, quod Regnum vocant, ut Summus Pontifex honestatur: atque (ut Decius Jurisconsultus celeberrimus testatur) inter S. R. E. Cardinales computatur.

His demum adjungas ex Cajetanis etiam Pisanis assumptos, ac literis, & sanctis virtutibus à Scriptoribus valde commendatos, Episcopos tres, Richardum Urbevetanum, anno 1180. Marzuccum Massanum anno 1212. & & Marzuccum juniorem Lunensem & Sarzanensem anno 1216.

Verùm hoc loco præterire non debeo Cajetanam eandem familiam, quæ Pisis Florentiam, atque in Siciliam commigravit. Et quidem Petrus, (domum suam Florentiæ sistit A. C. 1405.) qui Florentiam strenuus miles, atque Eques auratus filius fuit Benedicti etiam militis fortissimi, nepos verò Philippi itidem militis ac pronepos Jacobi, cognomento Sciarra, Dynastæ in Republica Pisana etiam potentissimi, utpote provinciæ totius Orisei in Sardinia Comitis, Comitis etiam ac Domini oppidorum & propugnaculorum in agro Pisano & Tuscia, Terricii, Pomajæ, Lajatici, Orciani, Petræ cassæ, Agnani, Riccii, & Fabricæ, Pisanæ quoque Reipublicæ armorum exercitus Ducis Generalis. Ac pro Roberto Regni Neapolitani Rege anno Christi 1332. Regii in Urbe Roma Vicarii. Quamobrem Petrus ipse dum Pisanam patriam turbatam, atque in partes dissectam prospiceret, consuleretque pristinæ ejusdem libertati, à Gabriele Maria Vicecomite, eam tyrannicè occupante, factus est extorris. Quare Florentiam florentissimam tunc Rempublicam se recipiens, atque ab eadem perquam honorificè susceptus, & Dux Cataphractorum equitum constitutus, non minima causa fuit, ut expulso Pisis eodem Gabriele Maria Mediolanensium Duce, eadem Florentina Respublica Pisana potiretur urbe jam antea potentissima & superbissima. Petrus enim Heros iste Cajetanus in patria Pisana inter potentiores potentissimus erat, utpote Dominus hæreditarius oppidorum, eorumque propugnaculorum in Tuscia à nobis modò relatorum. Mentiuntur autem qui scribunt, ejusmodi oppida ac propugnacula Reipublicæ Pisanæ juris extitisse, atque ab eodem Petro militari quodam stratagemate, & grati animi ergo Reipublicæ Florentinæ concessa fuisse: cùm scriptis authenticis, quæ alibi referemus, certissimè constet; eamet oppida & propugnacula Petri ipsius Progenitorum juris fuisse: quinimmo ab eisdem, ut plurimum exædificata, atque aucta Fortalitiis.

Sed qui in Siciliam profectus est, Petrus etiam vocabatur, superioris Petri patruelis, Stephani verò illius, qui ob utriusque juris peritiam & prudentiam, Pater Patriæ dictus est, filius; nepos autem modò dicti Philippi militis, Terricii & Pomajæ in agro Pisano oppidorum Comitis, ac pronepos Jacobi Sciarræ supra memorati: qui non minus literis, quàm armorum gloria inclytus, cùm ejus virtutis fama ad Alphon-

Digitized by Google

phonsum V. Aragoniæ & Siciliæ Regem pervenisset, ab eo ultro accersitus, in suam clientelam sese commisit: Mox Claramontii & Tripis in Sicilia oppidorum Dominus, eundem Regem in bello Neapolitano ad victoriam & Regni acquisitionem, ope & opere egregiè juvit. Quamobrem multis ab eodem Rege tum Privilegiis, tum honoribus ornatus, ac Regni ipsius Siciliæ Magister Rationalis, Regis Consiliarius, ac demum Præsidens creatus, in eadem Insula sedem fixit. Illum verò cum suis descendentibus posteris fuisse non modo Messanensem, & per universam Siciliam, sed etiam per Hispaniam, atque alias omnes Regias ditiones decretum civem ejusdem Regis Alphonsi Privilegio, quod apud nos ex Panormitana Regia Cancellaria exscriptum habetur, apparet.

Philippus Junior germanus frater Petri hujus Junioris, Stephani etiam filius, natu minor, Terricii & Pomajæ Comes, V. I. D. prudentissimus, seipsum destituit, ut captivæ & mœstæ Pisanæ Patriæ socium & solatium se præstaret. Etenim ex eo Surculi duo nobiles Cajetani descenderunt: atque ex Gerardo ejusdem Philippi consanguineo Cajetanus item nobilis alter Surculus: qui quidem omnes tum magnificentias ac splendores domi, atque in Patria partos: tum res ab eisdem fortiter præclarèque pro Deo, & pro Patria foris gestas, atque jam immortalitati donatas, jure optimo ad vivum repræsentant.

Petro jam nunc supradicto accedit Berengarius ejus Patruelis, Messanæ Urbis nobilissimæ Strategus, atque ejusdem Regis Alphonsi Vexillifer (Stendardarius Regio privilegio dicitur) atque armorum Uxerius: Dux Militum scilicet illorum, qui Regis custodiæ sunt adscripti. Porrò Berengarius filius fuit Antonii Pisani Patritii & Militis, Andreotti etiam strenui Militis nepos, Jacobi cognomento Sciarra supranominati pronepos: qui Cajetanam domum Cataneæ etiam in Sicilia collocavit; cujus germanus frater Johannes Ordinis Sancti Benedicti, literis & sanctis moribus conspicuus, Episcopus Stabiensis vivebat anno Christi 1366.

Placidus Berengarium patrem in bellica peritia & Regia dignitate secutus, ejusdem Regis Alphonsi armorum etiam Uxerius extitit, ac Messanæ urbis nobilissimæ Strategus.

Barnabas, seu Bernabò, Petri Junioris filius (sic dictus, quòd Catharinæ matris, Plumbini Principis filiæ avus, Barnabas, seu Bernabò fuerit Mediolani Dux) oppidorum in Sicilia Tripis, Calatabiani, Montis Albani, Castri novi, & Vicari Dominus, Regis Ferdinandi in Hispania Consiliarius, ejusque Hispaniæ Regnorum Magnus Camerarius (Camerlingus Regio Privilegio vocatur) in bello Granatensi (in quo naturali morte religiosissimè obiit) adversùs Mauros Dux fortissimus.

Guido ejusdem Petri etiam filius secundo-genitus, oppidorum Claramontii & Sortini Dominus, Magnus Portulanus (Magistrum Siculi vocant) Regni Siciliæ. Don Didacus Guidonis hujus filius, Dominus oppidorum etiam in Sicilia Tripis, Castrinovi, Vicari, & Castri Oxinæ, Miles etiam Regius, atque in bello Granatensi adversùs Sarracenos itidem clarus, Regisque ejusdem Ferdinandi Alumnus & Pincerna, primus qui ejusdem Catholici Regis gratia & privilegio, nobilissimum, Regiumque illud prænomen, Don, in Cajetanam Siciliæ Familiam intulit.

Don Blascus Guidonis item filius, vir tum doctrina, tum sanctis moribus ornatus, Episcopus Milevitanus extitit.

Don Barnabas junior Guidonis etiam filius, Regius item Eques, Regisque Ferdinandi in militia Præfectus, ac Caroli V. Imp. in Regno Siciliæ totius exercitus Dux Generalis, qui vulgò Campi Magister dicitur.

Don Alphonsus, Don Barnabæ hujus junioris filius, Miles etiam Regius & Magnus Syracusarum urbis Senator.

Don Barnabas III. Don Alphonsi istius filius, pater meus dilectissimus, Miles etiam Regius, ac Magnus Patriæ urbis Syracusarum Senator. Hujus filii, ac germani fratres mei charissimi, Don Julius Cæsar, & Don Honoratus J. U. Doctores celeberrimi, & Regii in Regio Siciliæ Consiliarii extitere: Don Domitius S. Theologiæ Doctor, Urbani VII. Pont. Max. intimus Cubicularius, mox Regum Catholicorum Philippi II. ejusque filii Philippi III. à Sanctis Sacrificiis. Qui omnes vitam suam nobilissimis moribus, & scriptis libris immortalem, clarioremque reddiderunt. Præterquamquòd idem Don Domitius Auctor & suasor fuit; ut Matriti anno Domini 1598. quidam nobiles Itali Ecclesiam S. Petri Apostoli, atque Hospitale nationale construerent: quemadmodum Romæ, anno 1595. Matthæo Catalano, Siculo, Sacerdoti, Viro sanè pio: ut Ecclesia S. Mariæ à Constantinopoli dicta, ejusque Hospitale Siculæ nationis, instituerentur. Porrò mea, superiorumque fratrum germanorum mater, Barnabæ III. uxor, Hieronyma dicta, filia fuit Joannis Nicolai de Perno, sive de Pernis Syracusarum Patritii, ac Floridiæ Baronis (hoc oppidum nunc Ducatus titulo insignitur) quæ à pueritia ad adolescentiam usque apud Sanctimoniales Benedictinas religiosè nutrita, moxque nuptui tradita, quàm egregiè erga Deum fidei & devotionis, atque in pauperes pietatis, & propensionis fuerit, illud unum præ cæteris ostendit, quòd Dominus eandem corporalibus etiam afflictationibus diu vexatam, tunc ex hac vita vocaverit, quando neque obulum, neque sudariolum ei superesset, & quin bona omnia sua prius pauperibus erogasset. Eam verò de Pernis familiam, quæ nunc extincta est, Syracusis primus propagavit Hugo Fulcoi Domini Oppidi de Pernis in Normandia, qui sub Roberto Guiscardo Apuliæ Duce, & Rogerio ejus fratre Siciliæ Comite adversùs Sarracenos Copiarum Præfectus strenuè se gessit. Meminit etiam ejus familiæ de Pernis Ordericus Vitalis Histor. Eccles. lib. 3. ad ann. Christi 1060.

Nec eodem hoc loco præterire debeo, duos illos ex Venerabilis S. J. Religiosos Dei servos, omni heroicarum virtutum genere conspicuos, Octavium scilicet trium superiorum jam modò dictorum germanum fratrem, ac Franciscum eorumdem patruelem. Etenim Octavius tum erga suos in societate, tum erga exteros in sæculo summa in primis humanitate, summaque prudentia usus est: cujus vitæ religiosæ statum Deus Ter Opt. Max. laudabilem eidem demonstrasse dicitur: cùm ante illius ad eandem ingressum, oranti coram Crucifixi Imagine, eamet sibi visa est capite annuisse. Anteactam quoque ipsius vitæ sanctitatem Altissimus Dominus eidem, atque aliis palàm etiam ostendisse fertur. Ad altare namque paulò ante ipsius ab hoc sæculo egressum, Sacrificium laudis offerenti, atque orationi instanti, universa mox Siciliæ Insula, Sanctis Martyribus, Confessoribus, ac Virginibus in eadem Insula celebribus, immenso splendore irrigata, ante illius oculos (ex circumstantibus etiam aliquot prospicientibus) Divino favore oblata. Et quidem meritò id favoris creditur consecutus. Nam cùm istorum Siciliæ Sanctorum res gestas in magna duo volumina indefesso labore collegisset, scholiisque eruditissimis illustrasset, dignus est visus, quem benignissimus Deus famulum suum adhuc viventem, sicut etiam in ejus vitæ transitu, divina eorundem Sanctorum visione voluerit honorare. Obiit Panormi, die 8. mensis Martii anno Christi 1620.

Venio nunc ad Franciscum Don Cæsaris Cassari Principis germanum fratrem, cujus vità brevi summa descripta, eodem ipsius transitus anno 1601. à Superioribus Collegii Messanensis ad Claudium Aquavivam ejusdem Societatis Jesu Generalem Reverendissimum, sic se habet.

Franciscus Cajetanus Illustri genere clarus (Petri Sortini Dynastæ, & Joannæ Moncatæ ex Paternionis Principibus filius) virtute clarior fuit; cùm omnibus, qui se ad Christum adjungere gestiunt, exemplum extiterit Sanctitatis & disciplinæ. A religiosæ Vitæ incunabulis ad extremum usque spiritum sui nunquam similis, cùm quotidie melior fieret, secum acerrimè certavit. Orationis studio ap-

primè deditus erat: abjectionem sui, honorisque despicientiam adeo coluit, ut nihil iniquius ferret, quàm prædicari. Superiorum dicto obtemperantissimus. Nec mirum, cùm inferiorum quoque consiliis, sententiisque facillimè pareret. Corpus tamdiu edomare studuit, quamdiu vires ipsæ pertulerunt. Neque enim dum lento phtisis morbo laboraret, in valetudinario diversans, severitatem pristinam remitti aliquantisper perpessus est. Ea de re admonitus, objicienti licere in tam gravi valetudine corpori parcere, quin cùm vitæ periculum timeretur, vel maximè expedire; salutari odio flagrans: Proinde, inquit, severiùs agendum est, quòd & lucrandi tempus brevi existimetur, & ad trbunal Judicis celeriter veniendum est. Quocirca cùm ejus germanus Frater (Sortini Marchio) homines cum lectica ex Oppido suo mitteret, ut commodè in avitam domum veheretur, si fortè hoc uno remedio vis morbi imminueretur; rem iniquissimè tulit, eumque animo dolorem indeptus est, ut Pater Provincialis neutiquam id jubere ausus sit. Jam omnibus certissimum erat, illum dissolvi cupere, & esse cum Christo. Quod maximo argumento comprobatum est. Quandoquidem in extremo vitæ certamine multa cum Deipara, multa etiam cum ejus filio Jesu Christo, suavissimè locutus, feriâ sextâ Majoris Hebdomadæ, cum eodem Christo conjunctus est. Hæc pauca desumpsimus ex iis quæ justo volumine de egregio isto Socio scribi possunt: & alii fortasse scribent. Mortuus est ætatis anno 31. mensibus 5. & diebus 9. Societatis 8. Hactenus illi, quæ nos ante Sedis Apostolicæ auctoritatem, quantùm valet humana credulitas, bona fide proponimus

Cæterùm Francisci & Octavii vitas Divinis virtutum & signorum enarratione refertas descripsit P. Alphonsus Cajetanus, frater germanus etiam meus, eruditus Christi servus, ex eadem Societate Jesu: ac vitam Francisci typis edidit, Octavii autem manu exaratam, propediem imprimendam, apud ipsum asservatam scio.

Claros interim alios Sortini, Tripis & Cassari Oppidorum Dynastas Cajetanos nunc prætereundos, brevitatis causa, censeo; sed ex illis duos hîc magni nominis viros præterire non possum, Don Petrum scilicet Don Cæsaris Senioris pro Chatolico Rege Philippo II per Siciliam sæpius Armorum Vicarii, filium: & Don Cæsarem juniorem hujus filium, illius nepotem. Don Petrus, inquam, qui non solùm bellica virtute claruit (fuit enim sæpius per eandem Siciliam Regius Armorum Vicarius) verùm etiam Romana Progenitorum suorum generositate excelluit. Cujus rei gratia, mirificum illud unicum de eodem hîc referam quod Georgius Gualterius (in antiqu. Tab. Siciliæ p. 159.) Germanus hisce verbis enarrat: *Magnifici operis aquæductus Syracusis antiquum earum opulentiæ posthumum monumentum vidimus, quadrato Saxo XX. M. pas. Sortinum usque excedens, per quos ex amne Buttigleria per limpidos Sortini fontes aqua Syracusis influit, cujus tubæ diu obstructæ, impeditæque aquarum ubertatem Syracusis ademerant, donec Petrus Cajetanus Sortini Dynastes, præclaro in illam urbem amore, ære suo LV. millium Philippicorum eas purgarit, pristinoque nitori restituerit; unde Illustriss. Sortini Marchionibus annui reditus MMD. Philippicorum cessere.* Hæc ille. Petri verò hujus Sortini Dynastæ uxor fuit Joanna, Cæsaris Paternionis Principis filia, atque ex Cæsareo Bavariæ Ducum Stemmate Moncatorum, seu Montecatinorum progenita, Heroina religiosissima. Vivit jam num feliciter Aloysius ipsius pronepos, Paternionis in Sicilia Princeps, Montis alti in Calabria Dux, atque Alcalæ in Hispania etiam Dux Regni Siciliæ Præsidens, D. N. Philippo IV. Regi Catholico gratissimus. Don Ignatius Moncata Princeps, jam dicti D. Aloysii germanus frater, & Don Antonii Montis alti Ducis filius: & is uxorem Don Annam Cajetanam, filiam D. Petri Marchionis Sortini, qui à Siculis ob excellentes virtutes, moresque suavissimos, Delitiæ Generis Humani jugiter in dies vocitatur.

Alter est D. Cæsar II. D. Petri I. & D. Johannæ modò dictorum filius, Patruelis meus collendissimus, Sortini Marchio & Cassari Princeps. Hic enim sicut à Rege Catholico Philippo III. Illustrissimum Marchionatus titulum, ita à Philippo IV. Serenissimo illius filio Excellentissimum Principatus titulum, ad majorem domus Cajetanæ claritudinem, gratiosissimè obtinuit. Quamobrem (prætermissa nunc Regia Marchionatus concessione) nonnulla tantùm ex Principatus privilegio, dato Madriti die 8. mensis Martii, anno Domini 1631. Regnorum ejusdem Regis II. recensenda decrevi: Sic enim habet: *Nos Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Aragoniæ &c. Inter cætera Regiæ amplitudinis ornamenta nullum reperitur aut æquè gloriosum, aut quod summos Orbis terrarum Moderatores magìs deceat, quàm liberalitatem & munificentiam nullis finibus habere circumscriptam, erga eos præcipuè, quos egregia virtus, ac probata in rebus gerendis prudentia, avitæque fortitudinis splendor de Republica benemeritos reddit. Etsi enim ipsa per se satìs enitet virtus, neque alieno splendore indiget; attamen si maximorum Regum judicio comprobetur, illustrior & clarior fit, aliosque quasi exemplar ad gloriæ studia incendit. Quo fit, ut inter arduas negotiorum nostrorum curas, nequaquam prætereamus universos eximia fide, avita & propria nobilitate insignes, speciosis honorum titulis condecorare. Quam ob rem cum Tu, Illustris Consanguinee noster, Fidelis, Dilecte, Don Cæsar Cajetane, Marchio de Sortino, præter dotes & ornamenta, quibus naturâ tuâ es instructus, ea sis Familia prognatus, quæ Illustrium virorum ferax, præclaros edidit omnium Ordinum viros: Attendentes, quæ m[illegible] diuturna & memorata digna obsequia à M[illegible]ibus tuis omni tempestate egregiè præstita S[illegible]nissimis retro Regibus Prædecessoribus nost[illegible] felicis recordationis, variis in rebus, ubi necessitas expoposcit, fideli animo, promptaque voluntate, teque Progenitorum decora excepisse, & cumulatiori acervo merita meritis exaggerantem, nostri obsequii perquam studiosum, observantemque esse intellexerimus, & plurimos annos non in uno munere nostris utilitatibus inservisse; & quidem bonis omnibus probantibus, quater functum fuisse Officio Prætoris nostræ felicis urbis Panormi. His igitur è causis moti dumtaxat in benevolentiæ signum, & amoris argumentum, ut omnia supradicta exposcunt, erga te munificos & gratos exhibere voluimus, atque à re nostra non alienum esse duximus, si terram de Cassaro nuncupatam, quam sub titulo Baroniæ justis & legitimis titulis in feudum à nobis, & à nostra Regia Curia præfati nostri ulterioris Siciliæ Regni, juxta formam tuorum privilegiorum, tenere & possidere asseris, ad culmen & fastigium Principatus erigi, illustrari, & insigniri juberemus. Tenore igitur præsentium cunctis deinceps temporibus valiturarum, ex certa scientia, Regiaque auctoritate nostra, deliberatè & consultò, ac ex gratia speciali, maturaque sacri nostri supremi Consilii deliberatione præhabita, te præfatum Don Cæsarem Cajetanum, Marchionem de Sortino, tuosve hæredes & successores, Ordine Primogenituræ servato Principes dictæ Terræ de Cassaro, quam (ut præfertur) justis & legitimis titulis à nobis, & à nostra Regia Curia cum ejus Castris, terris, & vassallis, vassallorumque redditibus, juribus, actionibus, jurisdictione, & integro statu, juxta formam tuorum privilegiorum, tenes & possides, facimus, constituimus, atque in perpetuum reputamus: terramque ipsam de Cassaro, ac illius membra, & districtum, Principatus titulo & bonore, insignimus, afficimus, & decoramus.* Et cætera, quæ ibi sequuntur, sed hîc modò hactenus.

Quòd si forsan in iis recensendis longiores fuerimus, quàm loco par esset, id jure factum à nobis: ut videlicet gloriosa Maximi Pontificis nostri Gelasii Progenitorum facinora appare-

Hic à Sanctæ (5) recordationis Domno Oderisio Abbate Cassinensi petitus ad serviendum inibi, tamquam in Monasteriorum omnium capite, ac principio, & assignatus devotè, & devotius est à jam dicto Patre susceptus, ac cum non paucis aliis regulariter est conversatus, ubi viris ad omnia peritissimis, (6) quorum in Monasterio non parva copia inerat, ad liberales addiscendas artes adjunctus, & ipsas præ omnibus ferè aliis diversarum regionum præclaræ indolis pueris, artes in brevi, & monasticum ordinem plenè nimis addidicit: & per aliquantum temporis in Monasterio Patris Benedicti Sanctissimi irreprehensibiliter conservare curavit.

Hoc tempore Romana mater Ecclesia non modicum consuetis tergiversationibus fatigata, fluctu plurimo laborabat; siquidem Gibertus (7) olim Ravennensis Archiepiscopus, homo literatus, & nobilis, & qui Deo forsitan placuisset, nisi hoc periculum fieret ab Imperatore Theuthonico, Henrico majore, contra Papam Gregorium, in ipsam Petri cathedram, & violenta est intrusione locatus, & non parvis temporibus tyrannicè incubavit, qui præter innumera prava, quæ gessit, quandam suæ fecis plantam adeò temerariam, & sub vulpe quodammodo latentem reliquit, ut totus Mundus hodie ejus poma pestifera mandere cogatur. Destruat ergo illam Omnipotens, de quo invasore (8) in gestis Papæ Paschalis est aliquantulum prelibatum.

In diebus igitur illis, (9) non, sicut credo, absque Spiritus consolatoris oraculo, frater Johannes Gajetanus, jam adolescens, Monachus Cassinensis ab omni simul catholica Romana Ecclesia, & Urbano Papa, qui præerat, in tantarum perturbationum auxilium, ac consilium, partemque est sollicitudinis evocatus, ut sic tandem aliquando in summæ plenitudinem potestatis, Divina suffragante clementia, prout manifestabunt sequentia, levaretur; gratia sit Petro Apostolo Jesu Christi, qui tam probum Juvenem, in primis quidem filium, sibique dignum postea Vicarium adoptavit.

Ecce

---

parerent etiam in ejusdem posteris efflorescere: atque in Cajetana nostra Familia optimè responderent ultima primis. Sed ad Pandulphum Pisanum de eodem Gelasio loquentem redeamus.

(5) Ita M. SS. Vaticani Codices, quemadmodum etiam alius Bibliothecæ Eminentissimi Cardinalis Barberini. Verùm enimverò, cùm Gelasius adhuc puer oblatus à Parentibus fuerit Monasterio Casinensi id quod & Pandulphus ipse hoc loco, & Petrus Diaconus Casinensis apertè testantur, errorem in M. SS. irrepsisse, ut loco Desiderii Oderisius substitueretur, certissimè constat. Nam Oderisius Abbatiæ Casinati primùm præfuit anno Domini 1087., quo tempore Gelasius revera non puer erat, sed vel Cardinalis Diaconus, vel saltem Subdiaconus; & tunc religione & literis valde perspicuus. Errorem verò hunc non modò ex temporis ratione, sed ex ejusdem Gelasii testificatione corrigimus. Scribens namque ipse adhuc Subdiaconus, ad Avunculum suum Joannem Cajetanum, inter cætera sic ajebat: *Paternitatis vestræ imperiis, nedum precibus quidquam denegare, summi apud me videtur esse delicti: quippe cui post Deum, & Sanctissimum, ac Reverentissimum Abbatem nostrum Desiderium soli debeam, quicquid liberalibus sum studiis consecutus*. Hæc ille. Hoc ipsum testatur & Petrus Diaconus Casinensis, libro de Viris Illustribus Archisterii Casinensis cap. 45.

(6) De Scholis puerorum in Monasterio Casinensi antiquitus habitis, S. Petrus Damiani (ep. 17. lib. 2. in fin.) ad Desiderium ejusdem Monasterii Abbatem ita scribit: *Inter cæteros autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor, hoc mihi non mediocriter placuit, quòd ibi Scholas puerorum, qui sæpe rigorem Sanctitatis enervant, non inveni; sed omnes aut senes, cum quibus utique nobilis vir sedebit in portis Ecclesiæ, aut juvenili vivendi decore lætantes. Qui nimirum ut filii Prophetarum, idonei sunt ad Eliam per deserta quærendum: aut certè adolescentiæ adhuc flore vernantes, qui juxta Apostolum Joannem, vicere malignum*. Hæc in laudem puerorum Casini literis incumbentium Sanctissimus Doctor noster Cardinalis. Quæ omnia etiam in laudem Joannis nostri Cajetani, qui tunc temporis ibidem religioni & sacris studiis intendens commorabatur, cedere certum est. Sicut & certum est, in omnibus ferè Benedictinorum Monasteriis (in quibus ut plurimum & Regum ac Principum filii, ut religiosè dominarentur, religiosè nutriebantur) puerorum ac juniorum Scholas à Monachis excultas fuisse: Quinimmo (ut invictè probat Joannes Trithemius in suis historiarum libris) Monasteria omnia erant gymnasia, & omnia gymnasia erant Monasteria, ex quibus Maximi Pontifices Romanæ Ecclesiæ Magistros acceperunt: quemadmodum Imperatores ac Principes suarum Academiarum Fundatores, & Doctores. Verùm his plura dabimus in Commentariis nostris de Præstantia Religionis Benedictinæ.

Veruntamen (ut ad nostrum Joannem Cajetanum redeamus) is in tantæ eruditionis & sanctitatis virum, excellenti quidem opera formatus fuit. Eruditionis enim, & tum Divinæ, tum humanæ scientiæ magistros habuit Desiderium Abbatem Casinensem, qui postea Victor III. Papa: Joannem Cajetanum Avunculum suum: Albericum Diaconum S R. E. Cardinalem: Constantinum Africanum, aliosque Doctores Casinensis Cœnobii Monachos, ejus temporis viros doctissimos, & singulari doctrina ac sanctitate claros, qui & ipsum sanctissimè excoluerunt, & ab ipsa infantia timere Deum docuerunt, & abstinere ab omni peccato.

(7) Clemens III. Parmensis, Girbertus de Corrigia antea vocatus, olim Henrici IV. Imp. Cancellarius, & eo auctore in Schismate Romanus Antipapa creatus Brixini in Noricis à triginta Episcopis Schismaticis, contra Gregorium VII., Victorem III., Urbanum II., & Paschalem II. vixit, eo Imperatore annos 21. menses & dies aliquot; obiit Romæ in arce S. Angeli, anno 1101 & sepultus Ravennæ in Cathedrali Ecclesia: Sed non longè post, corpus ejus exhumatum, jussu Paschalis II. combustum est. Plura his de eo Card. Baronius tom. 11. & 12. Annalium.

(8) Hisce verbis Pandulphus affirmat, scripsisse se Paschalis II. Vitæ historiam: quam nos & legimus & exscripsimus ex Codicibus paulo supracitatis: id quod Card. Baronius in principio Tomi 12. Annal. in quo ab eodem Pascali præclarè & persanctè gesta describit, minimè negat; sed tamen ejus Vitæ scriptorem, quem debuisset nominare Pandulphum, Anonymum Vaticanum appellat.

(9) Urbanus II. Papa primo sui Pontificatus anno, & Christi D. 1088. in prima Cardinalium creatione à mense Aprili ad Septembrem facta (dies enim certus non habetur) inter alios, quos creavit, unus fuit Domnus Joannes Cajetanus, Crescentio Fundorum Duce patre, Crescentio itidem Fundorum etiam Duce atque Urbis Præfecto avo, Marino Cajetæ, ac Fundorum Duce abavo, Italus, Campanus natione in civitate Cajeta natus, matre ex eorumdem Ducum Cajetanorum stemmate exorta, Domni Joannis Cajetani, Monachi Casinensis sanctitate ac doctrina insignis sorore, ex Monacho etiam Casinensi (in quo Monasterio parvulus S. P. Benedicto, & Desiderio Abbati, qui & B. Victor III. fuerat oblatus) ac S. R. E. Subdiacono & Cancellario ab eodem Victore anno 1087. ordina-

Digitized by Google

ordinato, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, ac Præsignator (Cancellarium dixeris) ejusdem Urbani: mox à Paschali II. Urbani successore anno Domini 1099. S. R. E. Archidiaconus, & Cancellarius, ac Bibliothecarius factus: tandemque Pontificiæ majestatis acerrimus ipse ac fortissimus propugnator, Paschali persanctè demortuo, absens quidem, atque invitus omnium Cardinalium consensione electus, sed statim ad Urbem accersitus, è Monasterio Casinensi, ad quod paulò ante migraverat præsens ac tristis in Monasterio SS. Sebastiani & Zotici, cognomento Palladio, loco tutissimo, propter Henricianorum turbas, quæ tunc in Urbe grassabantur, à quinquaginta & uno S. R. E. Cardinalibus, Episcopis nempe quinque, Presbyteris viginti & octo, Diaconis decem & octo, tertio vacantis Sedis die, nullâ interpositâ morâ 8. Kal. Februarii, anno Christi 1118. in Apostolica Petri Sede locatus, Gelasii II. nomen suscepit.

Verùm enimverò (ut ea, quæ modò diximus tum ratione, tum veterum testificationibus comprobemus) cùm ex Scriptoribus nemo adhuc animadverterit, quo certo anno, & die, Joannes hic noster Cajetanus creatus fuerit S. R. E. Cardinalis, ea de causa id investigare necessarium duximus. Et quidem Petrus Diaconus Casinensis (Chron. Cassin. lib. IV. Cap. VII.) ita scribit: *Sequenti tempore supradictus Papa Urbanus iterum ad has partes deveniens, Johannem Cajetanum loci hujus à pueritia Monachum, Diaconum in Lateranensi Patriarchio ordinavit*. Ita Petrus Diaconus. Cæterùm Urbanus II. Tarracinæ electus 3. Id. Mart. anno Christi 1088. post dies duodecim Casinum adiit: Secundò autem, quo certo tempore, ad idem Monasterium, vel ad ejus Monasterii partes accesserit, incompertum.

Sed hoc loco idem Petrus Diaconus memoriâ dignum Romanæ Ecclesiæ morem cùm recenseat, nos videamus. Diaconi namque S. R. E. Cardinales (quorum munus præcipuum tunc erat, Pontificum Maximorum sacris perpetuò assistere) Ordinarii dicebantur in Patriarchio, seu Basilica Lateranensi. Sic in eamdem sententiam Leo Cardinalis Episcopus Ostiensis. (Chron. Cassin. lib. 3. cap. 15.) *Sequenti tempore supradictus Pontifex* (Nicolaus II.) *iterum ad has partes deveniens Domnum Oderisium Oderisii Marsorum Comitis filium, & loci hujus à puero Monachum, Diaconum in Lateranensi Ecclesia, apud Acerras positus, ordinavit*. Hæc Leo Ostiensis.

Præterea, quemadmodum Diaconi Cardinales ab Ecclesia, seu Patriarchio Lateranensi cognominabantur: ita & S. R. E. Subdiaconi ab ipsis Romanis Pontificibus ordinati (ut eorumdem Notarii sive Scriptores, & à Secretis, vel Capellani essent) non ab Ecclesia, sed ab Apostolico ipsorum Pontificum Palatio Subdiaconi S. R. E. Apostolici Palatii dicebantur: qui & eorundem Pontificum Romanorum electionibus & Comitiis intererant, unàque cum Cardinalibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus vota sua emittebant. Hac de re certiores nos reddunt Anastasius Bibliothecarius, Guillelmus, & Pandulfus S. R. E. Cardinales, aliique vetustiores, qui Vitas Romanorum Pontificum conscripserunt.

Sed illud etiam de iisdem Subdiaconis pulcherrimum operæpretium duximus hoc loco recensendum, quando & ipsi, ut plurimum, à pueritia, vel à Magistris S. R. E. in Scholis Cantorum Lateranensi, & Vaticana, vel in Monasteriis à Benedictinis Doctoribus erudiebantur, & cum literis etiam Sanctimoniam hauriebant. Primis enim tribus Religionis Benedictinæ sæculis sola eorum Monasteria erant Scholæ, atque Scholæ ut plurimum Monasteria, usque dum Carolus Magnus, aliique sequentes Imperatores, iisdem ipsis Benedictinis Doctoribus, extra Monasteria etiam Academias erigerent. Quinimmo iisdem quoque antiquis temporibus, Summorum Pontificum, & præsertim Magni Gregorii cautum erat: Ut propter sacrilegas hæresum, & schismatum atque Ethnicismi impietates, quæ latè per orbem debaccabantur, nullibi atque à nemine, nisi in solis Benedictinorum Monasteriis, atque à solis eorundem Monachis Doctoribus fideles sacras docerentur literas. Quare ob bene conservatum à Benedictinis præceptoribus sacræ fidei depositum, atque ob bene communicatas ab iisdem scientiæ ac sapientiæ divitias, beneficentissimus Deus fidelissimè eorundem Religioni concessit: ut à ducentis ferè supra mille annis, quibus ipsa in Ecclesia palmites suos extendit, ubique floruit, ac fructus protulit, nullum produxerit Hæresiarcham, hæreticis bellum indixerit. Veruntamen de magna hac, æquè & illibata erga Romanam Ecclesiam, ejusque Sedem Apostolicam fide, pluriora, Deo duce, pertractavimus in opere nostro de Præstantia Religionis Benedictinæ.

Nunc ad nostra propiùs accedamus. Itaque ex eo, quòd Rogerius de Hoveden ejus temporis Scriptor testatum reliquit, Joannem hunc nostrum Cardinalem Cajetanum fuisse quoque Cancellarium Victoris Papæ III. facilè possumus agnoscere, eundem non nisi ab eomet Maximo Pontifice itidem ordinatum S. R. E. Cardinalem Subdiaconum, non modò Cancellarium; cùm nequaquam contigisse potuerit: ut quis Cancellarius esset Summi Pontificis, quin etiam fuerit Cardinalis, vel Subdiaconus, aut Diaconus, vel Presbyter, aut Episcopus ab eodem creatus. Rogerii testimonium (Annal. p. pr. pag. 474.) est de eodem Cardinali Cajetano: *Hic in Monasterio Montis Casini ab infantia Monachus est nutritus: & adultus in ministerio Venerabilium Apostolorum Desiderii, Urbani, & Paschalis assiduus fuerat Cancellarii officio functus*. Hæc Rogerius: cujus testimonio idem ipse Joannes Cardinalis Cajetanus suffragari videtur, dum ad Joannem Cajetanum Avunculum suum scribens, non modò Subdiaconum se, verùm etiam soli eidem Desiderio post Deum debitorem fatetur. Annus autem, quo ab ipso Desiderio, seu Victore III. Papa idem Joannes ordinatus fuit S. R. E. Subdiaconus & Cancellarius, non nisi octogesimus septimus supra millesimum extitisse comprobatur, quando Beatissimus ipse Desiderius Pontificatum iniit eodem anno, & post menses aliquot persanctè mortuus inter Cœlites connumeratus est.

Jam nunc verò Joannem Cardinalem Cajetanum cum Urbano Pontifice agentem iterum invisamus. Urbanus siquidem Casini degens, inter eos omnes illos Monachos, unicum eligendum censuit eundem Joannem Cajetanum S. R. E tunc Cardinalem Subdiaconum, virum utique nobilitate, sapientia ac sanctitate insignem, eodem, quo ipse creatus fuerat Romanus Pontifex, anno scilicet 1088. quem & ordinavit S. R. E. Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, necnon Apostolicarum Literarum Præsignatorem constituit, vel mense Junio, vel Septembri, dum sacra quatuor anni Tempora celebrarentur. Id quod nos ex Apostolicis ejusdem Urbani rescriptis demonstrare facilè possumus. Extat in Tomo Conciliorum Hispaniæ, diligentiâ Garsiæ Loaïsæ contexto, ipsiusmet Urbani Diploma, quo Primatum Ecclesiæ Toletanæ concedit Bernardo Archiepiscopo, ejusque successoribus, in cujus fine: *Datum Amgina* (*fortè* Anagniæ) *per manus Johannis Diaconi S.R.E. & Præsignatoris Domni Urbani II. Papæ Id. Octobris, anno Dominicæ Incarnationis* 1088. *Indictione II. anno Pontificatus Domni Urbani primo*. Extat etiam apud nos aliud, quo idem Urbanus Hugoni Abbati Cluniacensi, ejusque successoribus confirmat omnia ejus Monasterii bona, in cujus fine: *Datum Romæ per manus Johannis Diaconi S. R. E. Præsignatoris Domni Urbani II. Papæ Calend. Novemb. Indictione II. anno Domin. Incarnationis* 1088. *Pontificatus verò ejusdem Domni Urbani primo*.

Cæterùm hoc loco animadvertendum venit antiquis illis Ecclesiæ Romanæ temporibus, & ante millesimum ferè Christi annum Presbyterorum ac Diaconorum Cardinalium creationes mense Decembri in Temporibus ante Nativitatem Domini, Romanos Pontifices observare

Digitized by Google

Ecce Dominus Urbanus (10) primùm Oſtienſis Epiſcopus poſtea Papa Romanus. qui, veluti jam dictum eſt, Johannem Gajetanum accivit (11) imminente perſecutione Alemannica, in tantum miſeriarum per Gibertum aſtrictus, quòd, prætermiſſis aliis, à quodam famoſiſſimo viro, atque illuſtri Petro Leonis Romæ in inſula Lycaonia, intra duos egregii Tiberis pontes, vix ab

ſervare conſueviſſe: poſt millesimum verò annum voluiſſe eoſdem Pontifices, eas Cardinalium creationes in uno ex quatuor anni Temporibus, ut plurimum facere, manifeſtum eſt. Sed quod rationabili voluntate aliquando fiebat, mox propter turbas, à ſchiſmaticis Imperatoribus, adversùs Romanam Eccleſiam motas cùm commodè obſervari non poſſet, factum eſt, ut ea temporis ratio à ſolo Pontificum eorundem arbitrio penderet, quemadmodum in hodiernum uſque diem fieri mos eſt. Ex quibus jure optimo affirmare poſſumus, Joannem noſtrum Cajetanum, vel creatum fuiſſe Cardinalem eo anno Chriſti 1088. menſe Junio, vel menſe Septembri in quatuor Temporibus, quæ in ipſos incidunt menſes: vel à menſe Aprili ad Septembrem, cùm primis Octobris menſis diebus jam Cardinalem & Præſignatorem factum, ex ſubſignato Urbani II. Diplomate paulò ſupra agnoverimus.

Quòd verò Præſignator (ut dicebatur Joannes Cardinalis Cajetanus) hoc ipſum eſſet munus, ac ſi Cancellarius diceretur, Pandulphus Piſanus teſtatus eſt ſub illis verbis: *Tunc Papa Urbanus II. literatiſſimus & facundus fratrem Johannem, virum utique ſapientem ac providum ſentiens, ordinavit, admovit, ſuumque Cancellarium ex intima deliberatione conſtituit*. Hæc Pandulphus. Et Rogerius de Hoveden (Annal. p. 1. pag. 474.) de eodem: *Adultus in miniſterio Venerabilium Apoſtolicorum Deſiderii, Urbani, & Paſchalis, aſſiduus fuerat Cancellarii officio functus*. Ita Hoveden.

His etiam accedit & illud aliud animadverſione dignum, quòd Joannes Cardinalis Cajetanus neque Abbas fuerit, neque antea Pontificatum Epiſcopus. Id quod Cardinalis Baronius (vir alioqui literis præclariſſimus, deque me ſuis in Annalibus optimè meritus) neſcio quo amanuenſium errore, aſſertum voluit. Etenim in Actis Concilii Lateranenſis anno Chriſti 1112. à Paſchali II. Papa celebrati (ut eſt apud Nicolaum Card. Aragonium) inter eos, qui eidem Concilio interfuerunt, unus fuit Joannes hic noſter Cajetanus, Diaconus Cardinalis; Verba ejus Regiſtri ſunt: *Diaconi verò Cardinales, Abbas Sublacenſis, Johannes Gajetanus Abbas S. Andreæ, Leo, Gregorius, Aldo, Theobaldus, & Roſimannus: qui in damnationem Privilegii pro inveſtituris ab Henrico IV. Imperatore violenter extorto conſenſerunt, unà cum duodecim Archiepiſcopis, centum quatuordecim Epiſcopis, quindecim Presbyteris Cardinalibus, & octo Diaconis Cardinalibus, & quamplurimis Abbatibus & Clericis diverſi Ordinis innumerabilibus*. Nihilominus cùm eadem Concilii Acta ex eodem Nicolao Aragonio referat Cardinalis Baronius (Annal. t. 12. ad ann. 1112. pag. 94. & à dicto ann. 1116. pag. 111. edit. Rom.), legit tamen: Joaannes Abbas Cajetanus; cùm iſte numquam Abbas, ſicut nec Epiſcopus, quem etiam, neſcio quo pacto Epiſcopum itidem vocaverit idem Baronius.

Denique quàm præclarè purpuram ſuam exornaverit, æquè & invictè ſe geſſerit pro Sede Apoſtolica, ejuſque Maximis Pontificibus, Urbano præſertim, & Paſchali, Joannes idem Cardinalis Cajetanus, duo præ reliquis egregia ipſius facinora facilè demonſtrabunt: Alterum pro Urbano II. alterum pro Paſchali II. exantlatum. Etenim ille non primùm Cardinalis Diaconus ab eodem Urbano creatus eſt, quàm probata ejus fides proſpecta fuit, atque eo tempore, quo idem Pontifex à Teutonicis, & Girberti Antipapæ factionem ſequentibus, in Inſula Lycaonia Romæ inter duos pontes, & in propria ac Progenitorum ſuorum Cajetæ Ducum domo obſeſſus eſt. Solus enim Joannes unà cum Petro Leone, viro illuſtri, ac religioſo, Pontificem Sanctiſſimum nunquam deſeruit. Quamobrem tam ab eodem Urbano & à Cardinalibus & Clero, quàm à viris principibus, & populo ſemper in pretio eſt habitus. Quod ad Paſchalem ſpectat, unum etiam illud ſufficiat, quòd, ut Pandulphus teſtatur, ejus ſenectutis baculus in omnibus, & per omnia fortiſſimus perduraverit idem Joannes Cardinalis Cajetanus. Hinc igitur apparet quantus noſter hic Cardinalis extitit, qui majori ornamento Purpuræ ſuæ, quàm ea illi ſplendori fuit. Nam tanquam verus Sol in firmamento Eccleſiæ doctrina & libertate ſua velut lumine & calore claruit, fovitque Chriſtianum populum: tantùmque conſiliis valuit, ut verè eſſet ſpeculator Romanæ Sedis, verum fulcrum Pontificis & plebis Catholicæ aſylum. Ea morum & gravitate & ſanctitate, ut nihil eo ſanctius, nihil innocentius videri poſſet. Qua de re non mirum ſi tantis ipſe adornatus virtutibus, Cardinalium omnium conſenſione invitus ac renitens, Romanam Petri Sedem conſcenderit: unde & Gelaſius II. Papa dictus eſt. Hæc quidem nos de Cardinalitia Joannis dignitate, ejuſque animi virtutibus tractare voluimus, nunc verò ad Pandulphum denuo revertamur, atque ejus verba more noſtro illuſtremus.

(10) Ut vitæ Sanctitate inſignem, ita miraculorum gloriâ clarum fuiſſe Urbanum II. quòd ſolus unus ejuſdem Pontificis coætaneus, Guibertus videlicet Abbas Monaſterii S. Mariæ Novigenti in Galiis, in hiſtoria ſua (lib 2. cap. 1.) geſtorum Dei per Francos, mentionem faciat, hoc loco nos præterire noluimus. Ita enim ille de eodem Urbano. *Atteſtatur ſtatui mentis, finis ejus ſplendens miraculis. Defuncto etenim ac ſepulto eo, ſicut ſuccedens ei Oſtienſis (Otho Gallus) ſcripſit Epiſcopus, cùm plurima ſigna jam fierent, adſtitit quidam ſepulchro ejus juvenis, & membrorum damnum ſibi imprecatus eſt, ſi per Urbani merita, qui Odo diceretur ſignum unquam factum fuerit, aut fieret. Necdum pedem à loco extulerat, cùm officio ſermonis amiſſo, & altero laterum paralyſi intercurrente, correpto, poſtridie Urbani virtutum teſtimonia, mortuus ipſe, perbibuit*. Hæc ex auctore antiquiſſimo, atque eorum temporum æquali, nefas duximus ſilere: tum ne tanti Pontificis geſta & ſanctitas lateret: tum in gratiam Clementiſſimi Domini mei Urbani VIII. qui ut illius nomen, & magnanimitatem; egregiumque diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtaurandæ, ac defendendæ majeſtatis Pontificiæ ſtudium ad vivum refert: tum demum, nec Benedictini Ordinis Pontificem, qui Benedictini nominis vindex ſum & ſtudioſiſſimus, præteriiſſe, viderer. Ejuſdem etiam Urbani ſanctitatis locuples teſtimonium accedit ex monumento, quod hodierno die integrum videre eſt in Capella Pontificia Patriarchii olim Lateranenſis, ubi qui adventantium Confeſſiones excipiunt Franciſcani, Hoſtia ſalutari & tremenda faciunt. Inibi enim & prope ſacrum altare, inter alios Sanctitate claros Pontifices Urbanus II. depictus viſitur cum corona gloriæ, ſeu diademate, ut vocant Sanctorum inſigni, juſſu Calliſti II. Papæ, qui vigeſimò poſt Urbani ipſius obitum anno, in Romanum Pontificem evectus eſt, & illius perſpectas, notiſſimaſque habere potuit virtutes, & ſanctitatem miraculis atteſtatam.

(11) Cajetæ Duces, Romana donatos Urbe, ejuſque Principibus fuiſſe adnumeratos, priuſquam potirentur Cajeta, vel inde conjectare libet, quòd ii, eorumque poſteri, præcipua in Romana Republica munia, dignitateſque frequentes geſſerint, domus habuerint, Eccleſias proprii juris poſſederint, in publicis à ſe confectis inſtrumentis ſe vivere Lege Romana profeſſi fuerint. Unde anno Chriſti 884. inter tres alios Clariſſimos Urbis Conſules, & Duces,

ab inimicorum insidiis, sustentatus matronarum Romanarum, & aliquando mulierculareum pauperum eleemosynis sustentabatur.

Tunc Papa literatissimus, & facundus fratrem Johannem virum utique sapientem, ac providum sentiens ordinavit, admovit, suumque Cancellarium ex intima deliberatione constituit, ut per eloquentiam sibi à Domino traditam antiqui lepôris, & elegantiæ stylum in Sede Apostolica jam pene omnem deperditum, Sancto dictante Spiritu, Johannes Dei gratiâ reformaret, & Leoninum cursum (12) lucida velocitate reduceret.

Decedente itaque Papa de vita hac, successit illi Paschalis, cui Cancellarius ipse individua semper in infinitis adversitatibus charitate cohæsit, ejusque senectutis baculus (13) in omnibus, ac per omnia perduravit.

---

ces, connumeratur Marinus Cajetæ Consul & Dux; & ab anno 750. ad 1120. plures ex eorundem Ducum germine Præfecti Urbis fuere; quorum nomina ex perantiquis originalibus Chartis, quæ apud nos asservantur, hæc tantùm hîc adnotanda in mentem venere: Joannes Prefecturius, Docibilis Præfecturius, & Leo Præfecturius (ita dictos voluere eos, vel qui Augustissimam Præfecturam gessissent, vel qui sæpius eo dignitatis munere perfuncti essent.) His accedunt, Pamphilus, Stephanus, Leo, Constantinus, Campulus, Leo etiam, Crescentius Gelasii II. avus, ac Crescentius ejusdem Gelasii nepos, omnes Urbis Præfecti. Denique Joannem Cajetanum Gelasii II. pronepotem in primariorum Romanæ Urbis Principum albo adnumeratum, Radevicus ejus temporis Scriptor docet. (hist. lib. 2. append. ad Otton. Frising.) Egregiæ quidem omnes virtutis, & nobilissima germina Anatolii Sedis Apostolicæ strenuissimi Militiæ Tribuni sub Gregorio II. Gregorio III. & Zacharia, qui Anatolium eumdem Comitatu Cajetæ, unà cum contiguis sibi civitatibus & oppidis, quin & Pontia & Palmaria Insulis, in feudum perpetuum donarunt. Præterquamquod magni illi Vicani in Italia Principes, qui & Vici Elvii in Etruria Domini, Comitum Signiæ ac Ceccani, necnon Cajetæ Ducum, & Campaniæ Comitum Gentiles, trecentis continuis annis (ab Innocentio II. videlicet ad Eugenium IV.) ejusdem Augustissimę Urbis Præfecturæ clavum tenuere. Et hi quidem ex Juliis Cæsaribus genus suum traxisse, sat clarè testatum reliquere Leonardus Aretinus Hist. Aquil. Vol. lib. 4. c. 22. & lib. 5. c. 3. Joannes Petrus Notarius Capitolinus in Chronico, Lelius Petronius Romanus in Diario, Canis, sive Camillus Castellus in Chronico de Urb. Præfect. c. 42. Carolus Stengelius in Præfat. ad Monasteriologia Germaniæ: & vetustissima passim monumenta, quorum multa sunt apud nos.

Meminimus etiam alibi à nobis dictum, eosdem Cajetanos Heroes, suas habuisse in Insula Lycaonia domus intra duos pontes; ubi & constat Gelasium II. ejus germen stemmatis (ut Flavius Blondus Rom. instaur. lib. II. testatur) S. Bartholomæi reparasse Ecclesiam, quam Jurispatronatus Cajetanorum fuisse, Cencius Cardinalis Camerarius in suo Regesto Cameræ Apostolicæ docebat. Dum itaque Urbanus II. Pontifex Maximus (ut ait Pandulphus) accito Joanne Cardinali Cajetano ad evitandam persecutionem Alemannicam, Domi se contineret, in Insula Lycaonia, inter duos pontes sitæ, non erit hæc Domus Petri Leonis, viri clarissimi; quæ posita in vicinia ejusdem pontis, jam nunc est Excellentissimæ Sabellorum Familiæ, ad quam ex materno Petri Leonum stemmate Domus illa pervenit. Ea de re testem habeo Franciscum Joannetum, qui ex veteribus Germaniæ Scriptoribus Summorum Pontificum Vitas describens, de eodem Urbano sic ait: *Postremò Vir Sanctus multos labores patienter perpessus, & plurimis persecutionibus devoratis, duodecimo ejus regiminis anno, mense 4. die 29. in Domo Petri Leonis apud S. Nicolaum Carceris Tulliani, quievit in Domino*, hæc ille. Quamobrem (nisi malè conjector) ipsorummet Domus Cajetanorum erat, in ipsomet eodem loco sita, quo Excellentissimi Cajetani Romani, Sermonetæ Duces, hodie ædes quasdam sui juris possident. Nec ita videtur conjectura aberrare. Nam Ricardus de Aquila Northmannus cùm vi expulisset Cajetâ Cajetanos Duces, factus mox ipse Cajetæ Dux, & Fundorum, omnem ipsorum statum & Principatum occupans, ex illis ipsis possessionibus, quas habebant Romæ, nonnullas etiam sibi usurpasse videtur. Cùm autem una tantùm ex ea Aquilæ Familiæ tunc Comitum Fundorum hæres superstes esset, Joanna, nupsit ea Loffredo Bonifacii VIII. magnarum virtutum Maximi Pontificis pronepoti, totumque Comitatum Fundorum, & plura alia bona allodialia, ac quicquid possessionis etiam habebat Romæ, dotem adduxit secum, & Familiæ eidem Cajetanæ intulit. Inter ea autem potuerunt illæ ædes fuisse, quas insinuavimus in Insula Lycaonia collocatas, & quas Urbanus II. comitante Joanne nostro Cajetano Card. Cancellario, inhabitasse scribitur, sub dura illa persecutione Alemannorum. Quin & ipse Bonifacius VIII. sive amore, memoriaque Urbani & Gelasii, seu quòd nepotis sui Palatium illud esset (ut continuata per successorum manus traditione affirmatur) nonnunquam inhabitavit; quod præterea pervetusta ejusdem familiæ insignia (Undarum & Aquilarum) quæ sæpius inspexi, intra ejusdem Domus habitationes sculpta, ostendunt.

(12) Non magnis componere parva solemus. Quantus igitur Gelasius fuit, quem cum Magno Leone, eruditissimo Pontifice, contulit Pandulphus: cum Leone, inquam, quem Episcopi Græci in quinta Synodo Constantinopolitana appellant, Illuminatorem & Columnam Ecclesiæ: in cujus libris majestas sedet; qui ubique triumphos spirat. Et sanè eloquentissimum eum oportet fuisse, qui barbarum Attilam, ferocientemque tyrannum sua dicendi majestate, ac virtute compressit. Unde, & ab insigni sanctitate, & à Divina prope doctrina, atque eloquentia, Magnus est dictus: Quantus igitur Gelasius, cui id onus demandatum, ut ad Leoninum stylum, Urbem & Orbem corrigeret. De eo Petrus Diaconus Casinensis: (Lib. de Vir. Illustr. Monast. Cassin. cap. 46.) *Gelasius*, inquit, *Sedis Apostolicæ Pontifex parvulus in Casino sub Desiderio Abbate, B. Benedicto oblatus, & ab Alberico Philosopho edoctus, scripsit in eodem Cœnobio positus, passionem S. Erasmi, Sanctæque Anatoliæ: passionem quoque S. Cæsaris versibus adornavit: factusque dehinc S. R. E. Cancellarius, rescripsit Registrum Paschalis Papæ II.* Et Ordericus Vitalis (Eccles. hist. lib. 2. in principio.) *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini MCXIIX. Indictione XI. defuncto Paschali Papa, Johannes Cajetanus, Romanorum Pontificum antiquus Cancellarius & Magister, in Gelasium Papam electus est*. Pauloque post: *Gelasius Papa eruditione literarum apprime instructus fuit, & longa exercitatione, utpote qui Præsulum Apocrisarius ferè quadraginta annis extiterat, calluit*. Hæc Ordericus Vitalis eidem Gelasio coætaneus.

(13) Joannes Cajetanus scilicet, qui ab Urbano II. Romam accitus, ac S. R. E. Cardinalis creatus, ut eum gravissimo schismate sublevaret; quo credemus adjumento Paschali fuisse, postquam tanto ingenii acumini, & rerum agendarum dexteritati, tot annorum experientia, in præcipua experientiæ Schola, Romana Curia, accessisset? Hinc Abbas Vespergiensis: *Joannes*, ait, *Cajetanus, vir prudens & venerandus, in Romana semper Ecclesia irreprehensibiliter eidem Apostolico collaborans*. Quod quàm verum sit, quod tradit idem Urspergensis, (Chron. ad ann. 1118.) unum illud inter alia, quod in Concilio Romano contigit,

satis

Digitized by Google

A quo ſanè Pontifice (14), inter alia ſancta, quæ fecit, Gregorium de Ciccano, Aldo num de Ferentino, Petrum Piſanum, Griſogonem, & Hugonem Piſanos, Hugonem de Alatro, Creſcentium, atque Domnum Saxonem de Anagnia, Gregorium Gajetanum, ſcriptores ſuos omnes, ac Capellanos, Presbyteros, ac Diaconos Cardinales, cum non paucis aliis in iis & ordinibus minimis, fecit certis temporibus promoveri; Romanos omnes Clericos majores, Abbates, & Abbatiſſas, Sanctimoniales, & Monachos, omneſque infimul pauperes, & dulcibus confovebat ſermonibus, & neceſſaria corporis ipſis, ac multis aliis de his quæ honeſtè acquirere poterat, miniſtrare ſtudebat.

Quanta verò ab impio compatre ſuo in captivitate ab Henrico Theuthonico tyranno pertulerit, qualiter idem pater viduarum, & orphanorum nervo pede conſtrictus in faciem ipſam reſtiterit, ex benefactis aliis quilibet ſtudioſus advertat, eumque Petrum alterum contra novum Simonem nominet.

Diaconiam Romæ (15), quam Sanctam Mariam in Coſmedin vulgariter nuncupant, ſibi Cardinali Diacono à Domno Papa Paſchali commiſſam, in auro, vel argento, in libris, ſeu paramentis, in domibus innumeris, in fundis, atque caſalibus, in religione præcipuò, in quantum Roma patitur, ſuper omnes alias inaltaverit requirenti ſagaciter luce clariùs eluceſcet.

Caſſi-

ſatis invictè probat. Cùm enim Bruno Signinus, jurium Eccleſiæ zelantiſſimus, Paſchalem quaſi reum hæreſis ſugillaſſet, *commotus ad hæc Johannes Gajetanus* (verba ſunt ejuſdem Urſpergenſis ann. 1116.) *reſpondit: Tu nos hic, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum: Scriptum, quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit. Et alter quidem adjecit: Immo nec malum dici debet; quia ſi liberare populum Dei bonum eſt, auctoritate Evangelii, quâ præcipimur, animas quoque pro fratribus ponere. Ad hæc patientia Domini Papæ horrendo hæreſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu ſilentium indicens, diſſidentium clamores, & murmura tali ratione compeſcuit: Fratres & Domini mei audite: Eccleſia iſta nunquam habuit hæreſim, immo hic omnes hæreſes conquaſſatæ ſunt. Hic Ariana hæreſis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata eſt. Ab hac Sede hæreſis Eutichiana, & Sabelliana contrita: Photinus, cæterique Hæretici deſtructi ſunt. Pro hac Eccleſia Filius Dei in Paſſione ſua oravit, cùm dixit: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Quinta feria, Papa in Concilio conſedit, multis & maximis negotiis Regis, per Dominum Cluniacenſem, Joannem Cajetanum & Petrum Leonis Urbis Præfectum, cæteroſque illius partis fautores, impeditus. Sexta feria Apoſtolicus in generalem omnium Eccleſiarum cauſam, animum advertit: & Joanne Cajetano cum Petro Leone, cæteriſque Regis fidelibus in faciem reſiſtentibus.* Atque & alia, quæ in eo Concilio Joannes Cajetanus tum Cardinalis Diaconus (non Epiſcopus ex Urſpergenſe contra ipſum Uſpergenſem: nec Abbas, ex Nicolao Aragonio contra ipſum Aragonium: quemadmodum non ita rectè Cardinalis Baronius (Annal. t. 12. ad ann. 1112. & 1116.) (vir alioqui eruditiſſimus) dicere videtur. Ut videas Joannem ipſum Cardinalem Cajetanum ubique propugnantem partes, cauſamque Paſchalis Romani Pontificis, & veritatis: & propterea dignum exiſtimatum, qui ab eodem Paſchali in partem ſollicitudinis vocatus, ſenectutis illius Baculus diceretur.

(14) Tradunt qui de rebus Pontificiis ſcripſere Hiſtorias, ab uno Joanne Cajetano Cardinali Cancellario maximis Pontificibus, Urbani II. & Paſchali II. (triginta nempe annorum ſpatio, quo ipſi Petri rexere Naviculam) univerſa ferè Sedis Apoſtolicæ, & Curiæ Romanæ propendiſſe negotia, ob ſingularem ejuſdem Viri in rebus agendis, tractantiſque dexteritatem, prudentiam, ac ſanctitatem. Jure igitur Pandulphus hoc loco ſcriptum reliquit, tam Cardinales à ſe relatos, quàm non paucos alios, quorum numerus, ut Scriptores affirmant, centenario major extitit, à Paſchali Papa creatos, non modò per Orbem in Epiſcopos, cæteroſque minoris ordinis Præſules, unius Joannis Cajetani conſilio, atque arbitrio. Qua de re Ptolomæus Lucenſis de eo ſic: *Hic (ut Hiſtoriæ referunt) fuit Cardinalis, & Paſchalis Papæ Cancellarius, vocatuſque eſt Joannes; in cujus officio dependebat ſtatus Curiæ: & inde fidelitatem ſervando ipſum oportuit ſe opponere pertinaciæ Henrici contra Eccleſiam, propter quam cauſam iſtius Imperatoris incurrit offenſam.* Hæc Ptolomæus Lucenſis, (lib. 18. cap. 30. hiſt. apud nos MS.)

(15) Reſtauravit, inquam, Joannes Cardinalis Cajetanus, jam ruinæ proximam, & egregiis divitiis, ut ſupra viſum eſt, locupletavit: quod & prius fecerat in Inſula Lycaonia, Eccleſia S. Bartholomæi (quæ juris Patronatus fuerat Progenitorum ſuorum) ædificata. Unde in Summum Pontificem aſſumptus, eidem curæ incubuit, ut ea, cui olim Sponſæ conjunctus erat, tanquam Viro ſuo parata inveniretur. At ex Urbe fugatus, morteque præventus exequi non potuit quod in animo habebat. Hinc Succeſſor illius Calliſtus II. in religioſam illius mentem, & intentionem ſucceſſit: qui Reliquias à Gelaſio collectas, & Eccleſiæ huic deſtinatas incluſit in Altari, quod & conſeeravit: & hoc Gelaſii deceſſoris ſui Monumentum reliquit.

Infra Scriptorum pia ſacra Patrociniorum
Gelaſius Juſtus dedit hic Papa Secundus.

✠ *In nomine Domini. Anno V. Pontificatus Domini Calliſti II. Papæ, menſe Majo, die VI. dedicatum eſt hoc Altare per manus ipſius, ubi reconditæ ſunt hæ Reliquiæ: de Sepulcro Domini: de Veſte, & Sepulcro S. Mariæ: de Lapidibus S. Stephani: de Craticula, & ſanguine S. Laurentii: de Reliquiis S. Sebaſtiani: Unum de Capitibus SS. Quatuor Coronatorum: Brachium S. Hyppoliti Martyris: Brachium S. Bonifacii IV. PP. Cornelii PP. Calliſti PP. Felicis PP. Agapiti Martyris, Felicis & Adaucti, Proceſſi & Martiniani, Coſmæ & Damiani, Marci & Marcelliani, Cæſaris & Juliani, Marcellini & Petri, Abbaciri & Joannis, Abundi & Irenæi, Chriſanti & Dariæ, Marii & Marthæ, SS. Septem Fratrum, Quadraginta Martyrum, Cyriaci & Sociorum ejus, Agnetis Virg. Cæciliæ Virg. Seraphiæ Virg. Arthemiæ Virg. Priſcæ Mart. Sabinæ Mart. Marmeniæ Mart. S. Sunemæ, de Reliquiis Cœmiterii S. Mariæ ad Martyres, & Reliquiæ de Veteri Altari, & aliorum plurimorum Sanctorum, quorum nomina Deus ſcit. Anno MCXXIII. Indict. I.*

Altare autem ab eodem Calliſto fuiſſe conſecratum, memoria in eodem inſcripta id perſuadet: *Anno MCXXIII. Indict. I. dedicatum eſt hoc Altare per manus Domini Calliſti PP. II. quinto ſuo Pontificatus anno, menſe Majo, die VI. Alfano Camerario ejus dona plurima largiente.* Decipiuntur autem nonnulli, qui Ciborium ſuper illud Altare non contemnendi artificis opus, aſſerunt Gelaſii juſſu factum fuiſſe. Nam Inſcriptio, quæ in eodem Ciborio legitur: *Deodatus me fecit*: non Gelaſii II. ſed Bonifacii VIII. tempore Ciborium illud factum docet: ſub hujus enim, non illius Pontificatu, Deodatus vixit; ut non ſolùm ex aliis ejuſdem operibus, ſedente Bonifacio, in Urbe factis apparet, ſed ex patre illius Coſmatio, qui Nicolai III. Pontificatu floruit. Ita enim legitur in Oratorio Lateranenſi,

Cassinense Cœnobium (16) (tum ob Beati Benedicti Ecclesiam, & meritam reverentiam, tum quia in ipso Monasticæ religionis habitum sumpserat) religionis suæ primordia, & conversionis reducens ad animum, sanctamque vitam Patrum inibi Domino pariter servientium sedula mentis cogitatione pertractans, non tantum in his, quæ ad Dominum sunt irremissius gubernare, verum etiam extra contra tumultuantes insidias malignantium turrem inexpugnabilem semet ipsum exponere, omni conamine, & omni nixu curabat. Interim autem Paschali Papa defuncto (17), venerabilis Pater Domnus Petrus Portuensis Episcopus, qui primatum post Papam per longa jam diutius tempora detinuerat, cumque eo omnes Presbyteri, ac Diaconi Cardinales de eligendo Pontifice, & in commune communiter, & singulariter singuli pertractare cœperunt, cum Domno Cancellario in Monasterio Cassinensi commanenti de his sic gestis modis omnibus inscio. Nuncius (C. de repente) comparuit, qui Cancellarium ipsum, juxta quod acceperat in mandatis, ad Cardinales Romam cum omni faceret celeritate redire: quid moror? tristis frater Johannes, mortemque tanti Patris voce porrectiori rememorans, prout erat obedientiæ filius, paruit, mulam ascendit, maturatoque itinere, Urbem intravit, fratres, & filios commonuit, adunavit. In crastinum verò secundùm quod condixerant venerabilis Pater

---

nensi, quod dicitur Sancta Sanctorum, quodque Cosmatus à fundamentis extruxit: *Magister Cosmatus fecit hoc Opus*. Filium verò Cosmati fuisse Deodatum, antiqua Inscriptio in Ecclesia S. Jacobi, juxta portum vulgò Septimianam, in hæc verba docet: *Deodatus filius Cosmati, & Jacobus fecerunt hoc Opus*. Hinc igitur Ciborium illud alicujus Bonifacii mandato confectum, Francisci scilicet Cajetani nepotis illius, ut undæ cæruleæ in Umbone aureo, quæ ibidem visuntur, ostendunt; jam tum enim Bonifacii Majorum, & Familiæ insignia erant. Hinc etiam pro argumento est, ex eadem gente Bonifacium, æquè ac Gelasium fuisse, quòd etiamsi complures essent, & ditiores, & nobiliores in Urbe Tituli, eam tamen Scholæ Græcæ, & S. Mariæ in Cosmedin Diaconiam Francisco Cajetano, nepoti suo contulerit, in Gelasii memoriam, qui eam olim habuisset etiam ille Cardinalis Diaconus. Usus enim antiquus habebat, qui & usque modò frequens est, ut in Majorum suorum Titulos Cardinales sæpe sæpius succedant.

(16) Hoc loco Pandulphus ostendit ardentem Gelasii erga Monachos suos Casinates benevolentiam, & singularem dilectionem. Id quod etiam Gelasius ipse suo illo Diplomate eisdem concesso apertè satis declarat. Ait enim: *Gelasius Episcopus servus servorum Dei, &c. Cùm injunctum nobis Apostolicæ Sedis Officium, universis per Orbem Ecclesiis nos efficiat debitores, Casinensi tamen Cœnobio quàm maximè obnoxios faciunt, Beatissimi Patris nostri Benedicti Legislatoris præsentia corporalis, & in Monachis per Dei gratiam indefessè perdurans ejus observantia mandatorum. Unde & Sanctissimi Patres nostri Romani Pontifices, qui nos in Sede Apostolica præcesserunt, omnium idipsum Monasteriorum Caput non immeritò statuerunt. Nam ex eo Monastici Ordinis norma, quasi de vivo Paradisi fonte manavit. Quod patet ex dictis Angeli ad Sanctissimum Benedictum:* (*Greg. 2. dial. 20 & Leo Ostien. Chron. Cassin. lib. 1. cap. 1.*) *Noli probatissime, ac electissime Benedicte pro his, quæ huic ventura didicisti loco, mœstum gerere animum; quoniam quod semel à Deo præfixum est, immutabile, ac irrevocabile est, solis tibi tuo merito concessis cunctorum habitantium in loco animabus; sed aderit omnipotentis Dei consolatio, quæ locum istum in ampliorem, & multò meliorem, quàm nunc est, restituet gradum: & hujus Ordinis doctrina per totum Orbem iterum radiabit loco*. Hactenus Gelasius Pontifex Sanctissimus.

(17) Sic igitur Petrus Portuensis Cardinalis Episcopus, communisque omnium S. R. E. Cardinalium vox, absentem Joannem Cajetanum Cardinalem, in Pontificem Romanum deposcebat. Tanta Viri Sanctitas erat, tanta eruditio, quin & sæcularis Parentum potentia, & divitiæ tantæ. Postremum enim hoc in Pontifice per ea tempora quærebatur; ut insignis auctoritas Cardinalis Episcopi Prænestini (apud Falconem Beneventanum ejusdem temporis scriptorem) manifestum reddit. Nam cùm gravi infirmitate decumbens Gelasius, responsum mortis in se haberet; ne post decessum tam periculosa tempestate, Petri Navis diutius gubernatore maneret destituta; ut Petrus olim de Clemente, ita ille de Prenestino, Ecclesiæ providere voluit. Falconis sunt verba: (Cron. Neap. edit. 1626. pag. 204.) *Antequam terminus statutus Synodum celebrandi advenisset, apud Monasterium S. Petri, quod vocatur Clunia, ubi diligenter morabatur, ægritudinis mole detentus est. Confestim se infirmitatis validæ dissolutione teneri persentiens, Palestrinum acciri jussit Episcopum, & imponere illi tanti honoris culmen Romanæ Sedis satagebat: prævidebat enim se, ut fragilitatis est, corpore dissolvi. Audiens itaque Episcopus ipse hujusmodi verba Pontificem proferentem: Absit, inquit, omnino absit, ut tanti honoris, ponderisque cacumen indignus ego & infelix suscipiam, præcipuè cùm auxilio Dei, & sæcularium virtute divitiarum, Romana Sedes temporibus nostris, sub persecutionis flagello dedita, defendi oporteat, & muniri: Si verò meis acquiescere velitis Consiliis, Viennensem Archiepiscopum, virum utique religiosum, prudentisque animi, & sæcularibus ornatum virtutibus, ad tale, tantumque patrocinium eligamus. Dei namque consilio, & B. Petri meritis, & viri hujus solatio, Romanam Sedem sub tantæ persecutionis periculo diutissimè oppressam, credimus ad serenitatem triumphumque sublevari. Quid multa? Et Gelasio Pontifici infirmanti, & cæteris Cardinalibus, aliisque omnibus Episcopi sermo complacuit. Nec mora, Archiepiscopum illum accersiri jubent, ut dicta factis compleant, & perseverent. Quia verò vocatus, viribus totis renuit, se seque tanti Officii culmine indignum clamitabat; tamen cælesti clementia ordinante, ad Pontificalem Infulam, Gelasio ægrotante & volente, promovetur*. Hæc Falco Beneventanus, ejus ætatis scriptor, in suo Chronico; quod unà cum tribus aliis antiquis historicis imprimendum curavit religiosus, & doctissimus vir D. Antonius Caracciolus ex Ordine Clericorum Regularium Teatinorum Theologus, meus amicissimus. Itaque quid clarius Lector habere possis? *Auxilio, inquit, Dei, & sæcularium virtute divitiarum, Romana Sedes temporibus nostris, sub persecutionis flagello dedita, defendi oportet, & muniri*. Scilicet sæculares Principes tam graviter Ecclesiæ Romanæ imminebant, & ea idem tyrannide vexabant Antipapæ, ut oportuerit tantam auctoritatem, & Deo proximam Majestatem, sæculari potentia & divitiis defendi. Quod (si malus conjectator non sum) apertè innuit, eorum temporum consuetudinem fuisse, Viros etiam sæculari dignitate spectabiles, ad Pontificatum postulare, & consequenter Gelasium summa virum nobilitate, & antiquis stemmatibus (ut etiam ultro fatetur Pandulphus) clarum fuisse; qui tam sævis temporibus in Romanum Pontificem, etiam absens, omnium Cardinalium consensione, designatus & electus fuit. Id quod apertè confirmatur ex proximis sibi Pontificibus. Decessor etenim Paschalis, & successor Callistus, ambo & summæ nobilitatis, & summæ potentiæ erant.

Digitized by Google

Pater prænunciatus Domnus Petrus Portuenſis, Cencius Sabinenſis, Vitalis Albanenſis, Lambertus Oſtienſis Epiſcopi : Domnizo S. Martini, Boniſacius Sancti Marci, Deſiderius Sanctæ Praxedis, Petrus Piſanus Sanctæ Suſannæ, Johannes de Crema Sancti Griſogoni, Saxo de Anagnia Sancti Stephani in Cœliomonte, Amicus Sanctæ Crucis, Sigero (C. Sigizo) Sancti Sixti, Amicus Sanctorum Nerei, & Achillei, L. Sanctæ Cæciliæ, Deusdedit Sancti Laurentii in Damaſo, Anaſtaſius Sancti Clementis, Rainerius Sanctorum Marcellini & Petri, Benedictus Sancti Petri ad vincula, Chonradus Sanctæ Pudentianæ, N. Sanctorum Joannis & Pauli, Tebaldus Sanctæ Anaſtaſiæ, Gerardus Sanctæ Priſcæ, Guido Sanctæ Balbinæ, Gregorius Sancti Laurentii in Lucina, & ſex (*Cajetano VII.*) alii Presbyteri Cardinales Nam Hugo de Alatro Presbyter Cardinalis, qui XXVIII. (*fortè* diebus) arcem Circæam per Papam Paſchalem tenuerat, paulò poſt rediit. Item Gregorius Sancti Euſtachii, qui & Abbas Sancti Andreæ, Oderiſius Sangretanus Sanctæ Agathæ, qui poſtea Abbas Caſſinenſis effectus eſt, Roſcemanus Sancti Georgii, Henricus Sancti Theodori, qui & Mazarienſis Decanus, Aldo Sanctorum Sergii & Bacchi, Petrus Leonis Sanctorum Coſmæ & Damiani, Comes Sanctæ Mariæ in Aquiro. Chriſogonus Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Stephanus Sanctæ Luciæ in ſilice, Gregorius Sancti Angeli, & octo alii Diaconi Cardinales, Nicolaus Primicerius cum ſcola cantorum, ſubdiacones Palatii, Omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi quamplures, (18) ſed & alii minoris ordinis, Clerici; multi Romani, de Senatoribus, ac Conſulibus aliqui, præter familiam noſtram.

Hi omnes vitantes ſcandalum, quod in hujuſmodi

(18) Omnes hi, ut inquit Pandulphus, jus habebant eligendi Romanum Pontificem. Quo loco non abs re fore judicaverim, ut quæ eſſet horum temporum Romanæ Eccleſiæ forma, ex ſcripto perantiquo Sacrorum Rituum Codice Vaticano deſcriberemus; Sic enim ſe habet: *Sunt in Eccleſia Romana (Romæ ſcilicet) quinque Eccleſiæ Patriarchales : Prima eſt Eccleſia Lateranenſis, quæ & Conſtantiniana, & Baſilica Salvatoris diverſo nomine nuncupatur. Hæc habet Septem Cardinales Epiſcopos, hòſque dictos Epiſcopos Collaterales, itemque & hebdomadarios; eò quòd ſingulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis. Epiſcopi Cardinales erant hi : Epiſcopus Oſtienſis, Epiſcopus Portuenſis, Epiſcopus S. Ruffinæ ſive Sylvæ candidæ, Epiſcopus Albanenſis, Epiſcopus Sabinenſis, Epiſcopus Tuſculanus, Epiſcopus Præneſtinus. Alia Patriarchalis eſt S. Maria Major, dictaque habebat ſeptem Cardinales Presbyteros, ſcilicet Cardinalem SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, S Cyriaci in Thermis, S. Euſebii, S. Pudentianæ, S. Vitalis, SS. Petri & Marcellini, & S. Clementis. Alia Patriarchalis Eccleſia S. Petri: in qua item ſeptem ſunt Presbyteri Cardinales, ſcilicet S. Mariæ trans Tyberim, S. Chryſogoni, S. Cæciliæ, S. Anaſtaſiæ, S. Laurentii in Damaſo, S. Marci, SS. Martini & Silveſtri. Alia Eccleſia Patriarchalis eſt Baſilica S. Pauli: in qua ſunt hi Cardinales, S. Sabinæ, S. Priſcæ, S. Balbinæ, SS. Nerei & Achillei, S. Sixti, S. Marcelli, S. Suſannæ. Quinta Patriarchalis eſt S. Laurentii extra muros : in qua ſunt hi Cardinales, S. Praxedis, S. Petri ad Vincula, S. Laurentii in Lucina, SS. Joannis & Pauli, SS. Quatuor Coronatorum, S. Stephani in monte Cœlio, S. Quirini.*

His autem Patriarchalibus Eccleſiis præfecti ſunt hi : Lateranenſi primus Epiſcopus Collateralis, S. Mariæ Majoris Archipresbyter Cardinalis, Eccleſiæ S. Pauli Abbas Cardinalis, Eccleſiæ S. Laurentii Abbas Cardinalis.

Sunt præter Titulos Diaconiæ, iiſque præfecti Diaconi Cardinales, dicti Regionarii, iidem numero XII. Diaconiis Regionariis, præfecti item Diaconi Palatini ſex; hi præſunt Diaconiis, quæ ſunt, S. Maria in Dominica, cui præeſt Archidiaconus; S. Lucia ad Septem Solia, S. Maria nova, SS. Coſma & Damianus, S. Adrianus, SS. Sergius & Bacchus, S Theodorus, S. Gregorius, S. Maria in Schola Græca, S. Maria in Porticu, S. Nicolaus in Carcere, S. Angelus in Foro Piſcario, S. Euſtachius, S. Maria in Aquiro, S. Maria in Via lata, S. Agatha in Equo marmoreo, S. Lucia in capite Suburræ, S. Vitus in Macello. Eſt munus Diaconorum Regionariorum, cantare Evangelium in Stationibus : Palatini cantant Evangelium in Eccleſia Lateranenſi : Subdiaconi ſunt omnes numero viginti & unus : Septem Regionarii, qui Epiſtolas, & Lectiones cantant in Stationibus : Septem Palatini, qui idem munus præſtant in Eccleſia Lateranenſi : Septem alii, qui dicuntur Schola Cantorum, qui cantant tantummodo, quando Summus Pontifex celebrare conſuevit. Hucuſque Ritualis illius antiqui ſunt verba.

Ex aliis etiam hæc nos collegiſſe meminimus. Præterea Cardinales Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi, ut plurimum ex Cardinalibus Subdiaconis aſſumebantur : Ad Subdiaconos etiam S. R. E. pertinebat deferre Crucem ante Pontifices, Bullis quoque Apoſtolicis poſt Diaconos Cardinales etiam ipſi ſubſcribebant.

Rem hanc uno, vel altero exemplo illuſtremus. Extat apud nos Diploma quoddam Honorii Papæ II. datum anno 1126. quo idem Pontifex Rogerio Archiepiſcopo Piſanæ Eccleſiæ bona confirmat : cuique poſt Cardinales Diaconos ſubſcribuntur : *Hermannus Sacræ Baſilicæ Subdiaconus : Nicolaus Sacræ Baſilicæ Subdiaconus : Sylvius Prior Subdiaconorum de Cruce, Johannes Subdiaconus de Cruce, Petrus Subdiaconus, Calef Subdiaconus, Matthæus S. Baſilicæ Subdiaconus, Johannes qualiſcunque Subdiaconus, Bobus Subdiaconus Sacri Palatii; Giraldus Subdiaconus, Stephanus Sacri Palatii Subdiaconus, Boniſacius Clericus.* Extat etiam aliud Diploma Innocentii II. datum anno 1138. Balduino Piſano Archiepiſcopo, cui etiam ſubſcripſerunt : *Jacintus Prior Subdiaconorum S. Palatii, Gerardus S. Palatii Cardinalis Subdiaconus, Johannes S. Palatii Subdiaconus, Baro S. Palatii Subdiaconus & Prior Scholæ Crucis, Rainerius S. Palatii Subdiaconus, Presbyter S. Palatii Cardinalis Subdiaconus, Galganus S. Palatii Subdiaconus, Reniarcus S. Palatii Subdiaconus, Baldrivio S. Palatii Subdiaconus, Vulgaris S. Palatii Subdiaconus.*

Summis etiam Pontificibus Subdiaconi erant à Secretis & Notarii. Extat Bulla Lucii II. Petro Abbati Cluniacenſi ſcripta per manum Baronis S. R. E. Subdiaconi, 2. Kal. Junii, anno 1146. Extat etiam Alexandri III. Diploma Villano Archiepiſcopo Piſano directum, datum Januæ per manum Hermanni S. R. E. Subdiaconi, & Notarii 7. Kalend. Febr. anno 1161. Extat & aliud ejuſdem Pontificis, eidem Archiepiſcopo amandatum, datum verò Anagniæ per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi, & Notarii 3. Id. Apr. anno 1176.

Ad hæc quemadmodum Cardinalium Presbyterorum, ac Diaconorum Collegium Apoſtolicum, quoddam erat Seminarium Summorum Pontificum, Epiſcoporum per Orbem Chriſtianum, Miſſorum Evangelicorum ad ſubjugandas Chriſto Gentes & Idololatras, Caduceatorum Deo paciſcentium Reges & Principes, ac ipſum mundum : ita & iidem Cardinales Subdiaconi, ac S. R. E. Clerici Seminarium erant eorundem Eminentiſſimorum Orbis Univerſi Cardinum, à pueritia nobiliter

modi solet electionibus pro peccatis nostris accidere, sed si secus, sicut postea rei probavit eventus, ac sicut omnes rati provenerit, credentes locum tutissimum, veluti qui Curiæ cedit, in Monasterio quodam, quod (*Cajetano* quod Palladium dicitur,) (19) intra domos Leonis,

---

ter quidem, persanctèque nutriti à Benedictinis Doctoribus in Romanis Monasteriis, in Romanis Basilicis, atque in Romanis Cantorum Scholis, Lateranensi & Vaticana. Id quod nos alibi fusè pertractavimus ex Aurelio Cassiodoro, Venerabili Beda, Anastasio Card. Bibliothecario; atque ex aureo illo Volumine nondum satis laudato, à Benedictinis S. R. E. Magistris scripto, atque inscripto: *Ordo Romanus*.

Verùm enimverò de Romanis Cantorum Scholis, à nemine, quod sciam, satis elucidatis, aliquid hîc edicere operæ pretium duximus. Et quidem in primis Benedictinæ Religionis sæculis, omnia ferè Cœnobia fuisse Gymnasia, & omnia Gymnasia Cœnobia, qui Monasticas veterum Historias evolverit, certò sciet. Ex his autem Cœnobiis aggregatis doctissimi prodiere Magistri, atque Doctores, qui Præsulum, & Principum ope, atque opera, omnes ferè in Orbe Latino fundavere Scholas, atque Academias. Et quidem (nunc omissis aliis) quod ad Scholas Cantorum Romanas pertinet, non fuere illæ ex his officinis, vel domibus, in quibus nostra hac ætate per clamores & strepitus pueri docentur Musicam. Nihil revera minutum, nihil humile, sed altissimum quiddam hîc cogitandum est: arcanum ingens sub rudibus, veteribusque verbis illis latet. Videamus, an rem obscuram, aliis hucusque imperviam, possimus acu tangere.

Quanta sit Ecclesiæ Catholicæ Romanæ in Divinis Officiis celebrandi majestas, ipsis oculis intuemur quotidie, atque admiramur. Nec est cur ego illam modò coner describere, solùm interrogo: quis tantam in Ecclesias induxit Divinorum Officiorum, & Sacrorum Rituum dignitatem? Aperiam. Pontifices Romani, qui S. P. N. Benedicti Sæculum præcesserunt, vel continuis exagitati persecutionibus tyrannorum, in antris & montibus latitarunt, si de remotioribus loquamur: vel si de vicinoribus à Sylvestro in Hormisdam, quanquam in pace, tamen propter Ethnicorum & Barbarorum Regum multitudinem, sævitiam & persecutionem, contra Circenses, Lupercales, Theatrales, aliosque profanos ritus, contra immanem Principum tyrannidem dimicandum fuit Pontificibus Romanis; ut magnum fuerit, & difficilis aleæ Ecclesiæ rectam fidem tueri; non autem vacaverit majestatem illius in Divinis Officiis ampliari, vel sacris studiis ordinatè erudiri. Et planè non eousque Ecclesia produxerat Pomeria sua, non eatenus Paganismum devicerat, ut in ipsa Urbe, Religionis Arce, non gemuerit multos Gentilium erroribus detentos fuisse. Clarissimum hoc est ex historiis Ecclesiasticis, & nos de his plura in Commentariis de Præstantia Religionis Benedictinæ.

Divinas igitur laudes & literarum studia, hi Sanctissimi Pontifices, injuriis temporum coacti, non ea, qua par esset majestate & splendore, publicè & ordinate in Templis decantabant, vel in Academiis sistebant; donec Omnipotentis Dei fulmen & tonitru Benedictus Hormisdæ Pontifici Maximo inclamavit, ut intrepidè ministros in Ecclesia collocaret, sacris præditos literis, qui diu noctuque aptè, dignèque ad Altaria Hymnos, Psalmos & Cantica Conditori ac Redemptori nostro, invitis quibuscunque terrenis, aut infernis potestatibus personarent: se, suosque illico huic muneri obtulit devotus. Consilio & voto Magni Patriarchæ Benedicti annuit Hormisda, statim Monachis in Basilicas Romanas introductis (Anastasio in primis S. R. E. Cardinali Bibliothecario teste) *Clerum composuit, & Psalmis erudivit*. Et ut deinceps erudiretur Scholas Cantorum, alteram propè Lateranum, prope Vaticanum alteram erexit. Scholas, inquam, ubi à sapientissimis Monachis Clerici Basilicarii, itidem Monachi, modum componendi, & enunciandi Divinas laudes, temporibus, officiis, atque festivitatibus Christi, Sanctorumque per annum recurrentibus aptas, concinnatasque docerentur, instituit. Unde vir ille eruditissimus, Jovianus Pontanus de S. Benedicto, in ejus Hymno:

Primus & hic Italæ posuit Sacraria Genti:
Et clausit sacros mœnia in una Choros.

In eisdem præterea Cantorum Scholis non profanas, sed sacras literas Monachi Sanctissimi & doctissimi profitebantur. In eis non Poëtica figmenta, sed Christiana mysteria: non artificia Oratorum, sed munia Prædicatorum: non Philosophica commenta, sed Theologica arcana declarabantur. Quamobrem easdem ipsas fuisse fœcundissimum quoddam Apostolicorum Virorum Seminarium, ex Cassiodoro, Beda, Anastasio Bibliothecario, aliisque Scriptoribus, nos alibi fusissimè probamus. Harum igitur Scholarum Primicerius, vel Subdiaconi, ac Doctores, qui & Romanæ Ecclesiæ Magistri, jus eligendi Romanum Pontificem etiam habebant.

Demum quod ad Archiepiscopos illos, vel Episcopos pertinet, qui ut Pandulphus asserebat, unà simul cum Cardinalibus Episcopis, Præsbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, Romanorum Pontificum electionis auctores præcipui erant, Pandulphus explicare non videtur, qui essent. At si rectè auguror, cùm dicat Cardinales & Subdiaconos omnes, Archiepiscopos tamen, vel Episcopos non omnes, sed quam plures: ii erunt Episcopi illi, qui antea ex eorundem Cardinalium Collegio ad Episcopatus dignitatem acciti fuerant: aliàs, Pandulphus sibi ipsi contradiceret, cùm Paulò post asserat de ea Gelasii jam facta electione: *Nec mora, raptus ab omnibus, laudatur ab omnibus, approbatur ab omnibus, nec non etiam ab Episcopis, quorum nulla prorsus est alia in electione Præsulis Romani potestas, nisi approbandi, vel contra; & ad communem omnium Cardinalium primùm, & aliorum petionem, Electo manus solummodò imponendi*. Hæc ille. Sed & iidem illi Episcopi, quos è Cardinalibus desumptos diximus, non modò Pontificum electioni subscribebant, sed etiam, dum apud eosdem Pontifices commorarentur, Bullis ab iisdem concessis loco suo (ut si ex Presbyteris Cardinalibus inter Presbyteros: si ex Diaconibus, inter Diaconos) manus apponebant: Quin etiam & omnia S. R. E. Cardinalium munia exercuisse, ex antiquis Romanæ Ecclesiæ monumentis compertum est. Aliquando etiam iidem ipsi Episcopi non inter Cardinales Presbyteros, vel Diaconos, sed inter septem Episcopos Cardinales connumerabantur; ut sub Leone IX. & Paschali II. Episcopus Cardinalis Valiternus: sub Urbano II. Episcopus Card. Nepesinus & Labicanus: sub Paschali II. Parmensis: sub Innocentio II Archiepiscopus Pisanus: Episcopi, Papiensis, Mutinensis, Ortanus & Tiburtinus; aliique Episcopi sub aliis ejus temporis Pontificibus. Quibus adderem Episcopos illos Provinciæ Romanæ, qui soli Romano Pontifici immediatè subjecti, Papæ Urbis Romæ dicebantur suffraganei. Et hæc quidem nostra sententia, juxta tamen veterum Scriptorum (recentiores enim nihil horum meminere) assertionem, maximè congruit rei veritati, atque etiam Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium dignitati, majestatique.

(19) Abbatia olim erat sub disciplina Regulæ S. Benedicti, concessa primitus à Leone IX. exinde ab Alexandro II. Abbatibus Casinensibus in hospitium, ut scilicet venientes ad Urbem propter Sedis Apostolicæ servitium, commodè haberent, quod diverterent. Pontificii Diplomatis verba sunt: (Extat ap. nos M.S. ex Arch. Casin.) *Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Desiderio Religiosissimo Abbati Cœnobii S. Benedicti, nec non & Reve-*

ren-

Digitized by Google

nis, & Cintii Frajapane (20) situm est, pariter convenerunt, ut juxta scita Canonum de electione tractarent, in quo loco, videlicet post disceptationem diutinam, ac voluntates diversas, nunc hæc, nunc illa petentes, tandem aliquando convocato Concilio, illo etiam mediante,

---

rentissimo S. Sergii Cardinali, suisque successoribus, videlicet Abbatibus, in perpetuum. Apostolicæ Sedis Specula, &c. Quapropter Charissime Frater & Consacerdos, quia prudentiam tuam maximè lateri nostro optamus adhærere, sereno vultu tam tibi, quàm tuis successoribus Casini Montis Abbatibus, recepta Investitura Sanctæ Hierusalem Cœnobii, quam felicis memoriæ Leo (IX.) hospitandi gratiâ Richerio antecessori tuo contulit, tradimus, & concedimus Abbatiam SS. Martyrum Sebastiani, & Zosimi (al. *Zotici*), *quam vulgares usitato nomine Pallariam solent nuncupare; quatenus ex hac nostra promissione liceat tibi tuisque successoribus, juxta S. Benedicti regularem institutionem, præfatam Abbatiam regere, atque in omnibus perfectè disponere, hospitiumque illic habere.* Meminit etiam hujus Privilegii Leo Ostiensis Chron. Casin. lib. 3. c. 36. Ad hæc & Gregorius VII. Alexandri successor, ad eundem Desiderium scribens, lib. 9. epist. 11. *Rogamus*, ait, *& monemus, ut, quemadmodum te decet, ita nobis adhæreas; quatenus Sanctæ Matris tuæ Romanæ Ecclesiæ honor, quæ de te multum confidit, nunc, & semper robur obtineat.*

Hanc verò Ecclesiam Sacram S. Sebastiano qui toties pestem suis meritis averruncavit, proximè elapso anno, videlicet 1630. quando tota ferè Italia peste miserè flagellabatur, Sanctissimus Dominus noster Urbanus VIII., ut insigni diligentiæ, quam ad Urbem tutandam adhibet, Sanctorum etiam patrocinia, & cælestem opem adjungat, à fundamentis nobiliorem, amplioremque exædificandam curavit, atque eandem S. Sebastiano sacrare denuo jussit. Hæc eadem porrò Ecclesia erat etiam Sacra S. Zotico Martyri; (non Zosimo, ut malè rescripsit ammanuensis in eo Alexandri Papæ Diplomate) nam in antiquis ejusdem Ecclesiæ parietibus, more Majorum, nos vidisse meminimus, illius Martyrii agones picturis expressos. Aderat quoque confessio, ubi aliquando Sancti Martyris Corpus asservatum fuisse conjici potest. Ejus, ac Sociorum Martyrum Acta, sub Adriano Imperatore, habemus MSS.

Quod etiam spectat ad supradictum Benedictinorum Monasterium inter Triumphales Titi & Costantini Impp. arcus erectum fuisse illud cum Ecclesia multò ante annum Christi millesimum ædificatum, nullus aliquando dubitavit: (Card. Baron. Annal. tom. 2. ad A. C. 286.) atque eo in loco, in quo Martyr ille Invictictissimus Sebastianus primùm sagittis confossus, deinde fustibus cœsus, purissimum Deo reddidit spiritum. Ita enim habent Ecclesiæ Romanæ tabulæ de gloriosissimo eodem Martyre: (Martyrolog. Rom. ad 13. Kalend. Febr.) *Qui Diocletiano Imp. cùm haberet Principatum primæ cohortis; sub titulo Christianitatis jussus est ligari in medio campo & sagittari à Militibus, atque ad ultimum fustibus cædi, donec deficeret.* Et quidem non frustra assumptum voluit Deus Johannem Cardinalem Cajetanum in Papam Gelasium, atque eo in loco, ubi Sebastianus ineffabilis Divinitatis assertor, jussu Diocletiani positus in medio ejusdem loci campo hinc inde jaculis adeò repletus est, ut instar Hericii ex sagittarum densitate hirsutus videretur. Et nihilominus à Domino sanitati pristinæ restitutus paulò post ibidem tamdiu fustibus cœsus est, donec spiritum exhalaret. Ut proculdubio innueretur, ejusdem Gelasii Pontificatum (Henrici Imp. ejusque sequacium schismaticorum agente tyrannide) persecutionibus nimiis, atque afflictationibus dirè fore vexandum. Unde verè Pandulphus de eodem Gelasio tunc electo: *Cencius Fragebane more draconis immanissimi sibilans, & ab imis pectoribus trahens suspiria longa, accinctus retro gladio sinè mora cucurrit, valvas ac fores confregit, Ecclesiam furibundus introiit, inde custode remoto, Papam per gulam accepit, distraxit, pugnis, calcibus percussit, & tamquam brutum animal intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentavit; & latro tantum Dominum per capillos, & brachia (Jesu bono interim dormiente) detraxit, ad domum usque deduxit, inibi catenavit, & clausit.* Et non longè post: *O quantus luctus omnium! quanta præcipuè lamenta matronarum! quæ Papam solùm tamquam scurram per campos, sacris pro parte vestibus revestitum, quantùm equus poterat fugientem videbant.* Hæc, & plura alia afflictationum genera à schismaticis adversùs Gelasium exercita idem Pandulphus enarrat: Ut verè cum Eminentissimo Cardinale Baronio (Annal. tom. 12. ad A. C. 1119.) dicere possimus: *Quo quidem Gelasio post Martyres, qui fuso sanguine Martyrium consummarunt, haud facilè inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora sit passus: ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus.*

(20) M. S. Vaticanus, Frajapanis. Card. Baronius, vulgari usitato, Frangepanis. Cæterùm hanc Gelasii Vitæ historiam nos ex manu exarato Vaticano Codice exscribendam primùm curavimus; sed cùm mox viderimus amanuensis incuriâ nonnullos in ea errores irrepsisse, ex illo optimæ notæ Codice Eminentiss. D. Cardinalis Barberini, correximus aliquot etiam in eadem sententias, non modò verba. Quo loco illud duximus animadvertendum: in Annalibus Eminentissimi Card. Baronii, viri cum primis de Historia Ecclesiastica optimè meriti, antiquorum verba sæpissime mutari, sive incuriâ amanuensium illud acciderit, sive eorum nonnullus, ut mihi certò constat, majorem quæsierit elegantiam, quàm antiqua illa exhibent monumenta Hinc ea antiquorum verba sæpe sæpius immutavit, suaque inseruit, ut ego sæpius observavi, & alii (collatis manu exaratis originalibus cum editis Baronii Annalibus) nullo negotio videre, & experiri possunt. Observavit quoque hoc ipsum præ aliis etiam, vir ille eruditissimus Vincentius Riccardius, mihi amicissimus, in animadversionibus ad S. Proculum Patriarcham Constantinopolitanum, magni illius Chrysostomi discipulum pag. 568. Non hæc dicimus, ut aliquid immortalis viri gloriæ detractum eamus, quam nullius invidia obscurare potest; Sed propter Sedis Apostolicæ beneficium, & monumentorum antiquorum fidem: non id culpæ dantes Baronio, sed illius amanuensibus, quorum operâ (cùm unus omnia non possit, in perlegendis, & citandis Auctoribus) debebat uti.

Sed ad Gelasium nostrum redeamus. Post turbas namque excitatas à Frangepanibus Imperatoris schismatici partes propugnantibus adversùs eundem Gelasium in Romanum Pontificem jam electum, Romani nobiles Catholici ab illorum manibus avulsum (magna Cleri, & Populi exultante caterva) comitantibus etiam S. R. E. Cardinalibus, Lateranum deductum, in eadem Basilica Pontificio regno donaverunt. Coronationis, inquam, insignia in Laterano suscepit Gelasius, antequam Româ discedens, Cajetam in Presbyterum, atque Episcopum (erat enim Diaconus) consecrandus se reciperet. Ita Pandulphus Pisanus, qui præsens aderat scriptum reliquit in ejus vita; quidquid & falsò dicant recentiores. Pandulphi verba sunt: *Tunc Sanctus Papa levatur, niveum ascendit caballum, coronatur, & tota civitas cum eo coronatur. Per viam sacram gradiens, Lateranum ascendit, Bannis, & insignibus aliis cum præcedentibus pariter, atque (juxta Romanum ritum moremque) sequentibus.* Itaque Gelasius electus fuit in Palladio Benedictinorum Monasterio,

diante, qui fecit utraque unum, pari voto, ac desiderio, in hoc uno unanimiter concordatur, ut Domnum Johannem Cancellarium in Papam eligerent, & haberent. Nec mora: captus ab omnibus laudatur, approbatur ab omnibus, nec non etiam ab ipsis (*Cajetano pro* ipsis, Episcopis) quorum nulla prorsus est alia in electione Præsulis Romani electi potestas, nisi approbandi, vel contra, & ad communem omnium Cardinalium primum, & aliorum petitionem electo manus solummodo imponendi, sicque invitus, ac renitens Domnus Johannes Gajetanus hodie est in Papam Gelasium, Sancti Spiritus gratia mediante, electus, & ab omnibus concorditer (C. communiter) in summa Sede locatus, cunctis Dei magnalia collaudantibus.

A Hoc audiens inimicus pacis, atque turbator jam fatus Centius Frajapane more draconis immanissimi sibilans, & ab imis pectoribus trahens longa suspiria, accinctus tetro gladio, sine mora cucurrit, valvas, ac fores confregit, Ecclesiam furibundus introiit, inde, custode remoto, Papam per gulam accepit, distraxit, pugnis, calcibusque percussit, & tanquam brutum animal intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentavit, & latro tantum Dominum per capillos, & brachia, Jesu bono interim dormiente, detraxit, ad domum usque deduxit, inibi catenavit, & inclusit. Tunc præfati Episcopi, Cardinales omnes & clerici, & multi de populo, qui convenerant ab apparitoribus Cencii modo simili vinciuntur, de caballis, ac mulis capite verso præcipitantur, expoliantur, & inauditis undique miseri miseriis affliguntur: donec aliqui semivivi ad domum tandem propriam remearunt; malo suo venit, qui fugere citò non potuit.

Facta autem hac voce, convenit multitudo Romanorum, Petrus Præfectus Urbis, Petrus Leonis cum suis, Stephanus Normannus cum suis, Stephanus de Tebaldo cum suis, Stephanus de Berizone cum suis, Stephanus Quatrale cum suis, Buccapecorini cum suis, Bonisti (C. Bovisti) cum suis, Berizansi (C. Berisazi) cum suis, Regiones duodecim Romanæ civitatis, Transtyberini, & Insulani arma arripiunt, cum ingenti strepitu Capitolium scandunt, nuncios ad Frajapanis (C. Frajapanes *semper*) iteratò remandant, Papam captum repetunt, & exoptant. Nil moræ; territi Frajapanes, præsertim Dominus Leo, impietate subdola pius, Papam illico reddidit, pedes ejus amplexans clamat irremisiùs: Domine miserere, & sic peccatis nimiis exigentibus, ut iterum Ecclesiam elatis cornibus ventilaret, evasit. Tunc Sanctus Papa levatur, niveum ascendit caballum, coronatur, & tota civitas coronatur cum eo, per viam sacram gradiens, Lateranum ascendit, bannis, & insignibus aliis eum præcedentibus pariter, atque juxta Romanum ritum, moremque frequentibus (C. sequentibus). Sedit itaque Papa sicut videbatur in pace; frequentabant eum Comites, & Barones, & qui pro responsis aliquibus veniebant, & recipiebantur benignè, & donec functo negotio, pro quo cuncti convenerant, accepta benedictione redirent, tamquam à patre filii benignius per omnia tractabantur; ita quòd Curia tota in pace habebat omnia, quæ per Dei gratiam possidebat. Redire omnes illinc atque isthinc extra Urbem morantes. Rediit inter alios Hugo magnus, ac nimium honorabilis Apostolorum Presbyter Cardinalis à Circæa arce, quam ei ob rabiem Theuthonicorum iterum præcavendam vir ad omnia providus quondam Paschalis Papa homini nobili & illustri noviter commendaverat, quam Papa novus, qui utinam non fecisset; nam paululum post ultra modum pœnituit; reddi Terramnensibus (C Terracinensibus) per Nuncios, apicesque mandavit. Omnibus igitur congregatis undique, conferebatur ab illis, quando certis temporibus Papa & promoveri pariter, & consecrari deberet, equidem Diaconus, non Presbyter erat.

Sed antiquus hostis, secundùm fecerat olim in Cœlo, tantam pacem in longum nulla durare penitus ratione permisit. Nam, dum hæc agerentur, quidam intempestæ noctis silentio ad jam fatum egregium domnum Hugonem Cardinalem directus est, ab uno videlicet, cui exinde non parva copia inerat amicorum, qui Henricum dictum Imperatorem Romanum armatum contra Papam in Sancti Petri porticum diceret adventasse. Quid morer? nec opus est. Papa per Cardinalem præscivit, & sicut jam pæne senio, & infirmitate confectus fugere tam repente non poterat, manibus adducitur famulorum, & sic caballo subvectus ad domum Vulgarium (*Cajetano* Bulgamini) in nocte ipsa confugiens latuit, fugimus & omnes cum eo. Mane autem facto turbati omnes ac stupefacti, quia neque tutè remanere in Urbe, neque per terram, viâ undique spinis septâ, fugere poteramus; fuit nempe consilium ut fugam caperemus per mare, quod & factum est; siquidem flumen

---

sterio, non longè à Capitolio 25. mensis Januarii, die Conversionis S. Pauli Apostoli: in Laterano coronatus (quantùm conjecturâ assequi possum) 2. Februarii die Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ: Denique consecratus Cajetæ die primo Martii.

Electus ergo in Maximum Pontificem Gelasius, schismaticorum odio, atque insidiis vix per mensem quietus Romæ degere permissus est. Extant in Tabulario Lucensis Monasterii Canonicorum Regularium S. Frigdiani ejusdem Gelasii literæ ad eosdem Canonicos scriptæ in Laterano die 21. Februarii sub proprio Joannis ante Pontificatum nomine in hæc verba:

R. * *I. Ecclesiæ Romanæ Diaconus, nunc disponente Domino in Pontificem electus, Karissimis in Christo filiis A. Priori Ecclesiæ S. Frigdiani, & ejus Fratribus salutem, & Apostolicam Benedictionem.*
* *fortè* Reverentissimus.

„ Sicut ipsi nostis, Priorem vestrum Dominus „ noster Papa ad hoc in Lateranensem duxit „ Ecclesiam, ut unà cum ea, in uno semper charitatis vinculo permaneret. Diversas enim animas, prout Scripturæ Sacræ series manifestat, „ una in Christo charitas unas facit. Ea propter „ venientem ad vos filium nostrum V. Lateranensis Ecclesiæ Priorem, dilectioni vestræ præsentibus literis commendamus; ut in his, „ quæ necessaria sunt, & in Clericis maximè, „ vestrum ei auxilium conferatis; quatenus domus vestra cum Lateranensi, cooperante Deo, „ in dilectionis & charitatis semper unitate permaneat. Quidquid enim ei impenditis, nobis „ impensum adscribimus. Exiguitatem nostram, „ & labores nostros, ac totius Ecclesiæ vestræ „ orationibus commendamus. Datum Laterani „ VIIII. Kal. Mart.

Harum verò literarum exemplar ad me misit Franciscus Maria de Florentinis Lucensis Medicâ scientiâ, & re antiquaria valde peritus. Iisdem præterea, deperdito plumbo Pontificio inest adhuc cordula sericeis filis rubro, & viridi coloribus contexta. Quid? quòd Cajetanos Principes Gelasii progenitores sigillo proprio cordulæ sericeæ ac sanguineæ appensæ in publicis monumentis usos fuisse ex perantiquis eorumdem chartis Cajetæ in Cathedrali asservatis, nos observasse meminimus.

Digitized by Google

flumen Tyberim maturatò intravimus, & per galeas duas ad portum usque descendimus, ibique cœlum, & terra, mare, & penè omnia, quæ in eis sunt, adversùs nos pariter conjurarunt, nam cœlum gravem pluviam, grandines, & tonitrua, coruscationes, & fulgura frequentabat; mare simul, & Tyberis jam duris tempestatibus Vicario rebellabant, ut vix in portu vivi remanere possemus, nedum mare intrare, sæva insuper jam per ripam Alemanorum barbaries tela contra nos mixta tossico jaciebat; minitabantur etiam nos intra aquas natantes privatim (*Cajetano pro* privatim Mumaci) igne cremare, nisi Papam, & nos in eorum manibus redderemus, & credo capti essemus, nisi nox, & ira fluminis illos non impedisset. Quid ad hæc miserrimi facerent? cœperunt, immo cœpit Domnus Hugo Cardinalis & Presbyter Papam nostrum in collo, & ad castrum Sancti Pauli Ardeam sic de nocte portavit. Die verò altero in aurora rediere Theuthonici prædam de nobis facere gestientes, juratum est tandem eis quòd Papa fugisset, &, Deo gratias, recesserunt à nobis; interim retemptavimus, si mare adhuc valeremus intrare, Papam nocte reduximus: tum non sinè periculo marinos fluctus attigimus, & die tertio ripæ Terracinensi vivi vix applicuimus, & in quarto portum Gajetanum intravimus, (21) ubi ab illis hominibus nimis honorificè suscepti fuimus, & benignè tractati.

Di-

(21) Gelasius postquam Romanum primæ Sedis Pontificatum adeptus esset, nil antiquiùs habuit, quàm ut Cajetam patriam reviseret, suâ præsentiâ solaretur, honoribus prosequeretur, redderet clariorem. Optimè quidem sciebat Vir Sapientissimus, quod Cicero ad Quirites (post redit. & in 4. Catilin.) ajebat: *Omnia, quæ à nobis geruntur; non ad nostram utilitatem & commodum, sed ad patriæ salutem conferre debemus. Patriâ enim* (ut idem Cicero affirmat) *nihil dulcius, nihil charius in vita esse debet. Nullus locus est domestica Sede jucundior. Chari sunt liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates patria una complexa est.* Ita Cicero.

Illustrarunt etiam præsentiâ suâ eandem Cajetanam Urbem (præter Imperatores, Reges, Principes, aliosque plures Heroës clarissimos, sanctissimosque) multi quoque alii Pontifices Maximi: quorum unus ab Anastasio S. R. E. Cardinali Bibliothecario recensetur Constantinus; dum Anno Christi 712. comitantibus S. R. E. Cardinalibus, Clero, ac Viris Urbis nobilibus, Constantinopoli & Nicomedia Romam rediret, Cajetam perveniens, civitatem illam Apostolicis benedictionibus auctam, reddidit clariorem. Constantino accedit Gregorius II. dum Anatolio ex Romanis Tusculanis Comitibus oriundo, nec non Romanæ Militiæ Tribuno, ob debellatos Romanæ Ecclesiæ hostes, honorario munere, Cajeta videlicet civitate, ejusque ditione donavit (Regest. apud Cencium Card. Camerar.) Hinc felix Cajetanorum Principum, Cajetanique Stemmatis origo. Sed non minori claritudine Cajetanam eandem civitatem illustravit Gregorius IV. Nam cùm Sarraceni Barii commorantes, inde egressi, non solùm omnem Apuliam, & Calabriam, quæ Græco Imperatori, sed etiam Campaniam, quæ Principi Capuano, ac Comiti Cajetano parebat, infestam habuerunt, ac multa eorum sibi Oppida subjecerunt, atque ex his aliqua ferro, & flammis penitus absumpserunt. Accidit hoc anno Christi 841. Quo ab iisdem Sarracenis deletis Formiis, idem Gregorius Episcopatum Formianum unà cum Sanctorum Reliquiis, & nobilioribus Ecclesiæ, ac civitatis ornamentis (expolcentibus Cajetanis Comitibus) Cajetam transtulit. Hinc per ducentos continuos annos Cajetæ ipsius urbis, ac Fundorum Episcopi ex Cajetano earundem civitatum Principum Sanguine (quos alibi nos enumerabimus) desumpti fuere. Lotharius quoque Imperator, cognitâ Joannis II. Cajetæ Comitis, rei militaris adversùs Sarracenos peritiâ clarissimi, illum, ejusque posteros civitatis ejusdem Cajetæ Duces creavit. Quemadmodum Michaël III. ejus nominis Græcus Imperator, eidem Joanni, sicut & Docibili ipsius filio, Augustissimam Imperialis Patriciatus contulit dignitatem. Sequentes insuper Græci Imperatores, ex eorundem Ducum filiis, ac nepotibus Joannem III. etiam Imperialem creavere Patricium, tresque alios ejusdem Imperii Constantinopolitani Protospatarios.

Cajetam præterea, etsi ante Formiarum eversionem Episcopatus dignitatem non obtinuisse sciamus, nihilominus inter Principes inferioris Italiæ urbes adnumeratam fuisse, testis est locupletissimus, Constantinus Porphyrogenitus Imperator: Is enim in libro de administrando Imperio ad Romanum Porphyrogenitum filium ita inquit: *Prima verò urbs antiqua & magna erat Capua, secunda Neapolis, tertia Beneventum, quarta Cajeta, quinta Amalphe.* Hæc Constantinus Porphyrogenitus Imperator lib. de administrat. Imperii cap. 22.

Quinto & sexto loco, semel atque iterum, magnâ S.R.E. Cardinalium, & Episcoporum, ac Nobilium comitantium frequentiâ, Cajetam adventasse legimus Joannem VIII. Pont. Max. Nam cùm Sarraceni septuaginta annorum spatio, Italiam ferro, & flamma devastassent, ut summæ huic ruinæ occurreret Pastor ipse piissimus ejus rei gratia, primùm literis (Epist. 36. 38. 227., & 270.) & legationibus, sua mox præsentia Campaniæ Principes rogatos voluit, ut adversùs eosdem Sarracenos unà simul viriliter decertarent. In primis itaque conveniendos censuit Cajetanos Hypatos & Duces, Docibilem, ejusque filium Joannem, quibuscum antea egerat non solùm Epistolis, verùm etiam nobilissima duorum S. R. E. Cardinalium Episcoporum (VValberti Portuensis & Eugenii Ostiensis) è Latere Legatione. Docibilis itaque & Joannes Cajetani Principes, unà cum aliis Campaniæ Principibus, ad votum atque imperium tanti Pontificis, armis & Sanguine, felicissimis auspiciis, Sarracenos omnes vel occiderunt, vel Italiæ finibus expulerunt. Extat ejusdem Joannis VIII. Epistola 38. ad eosdem Cajetanos Hypatos & Duces, quorum fidem ac religionem in illa Apostolicis hisce verbis commendat: *Johannes Episcopus Docibili & Johanni Hypatis Cajetæ. Devotioni tuæ pro labore fidei Christianæ, quam excolis, gratiarum actionibus persolutis, iterum, & iterum exhortamur, ut magis & magis satagere & decertare & cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures: ut Christiani nominis Viri Paganorum fœdera fugiant, & solùm in Deum, qui eos creavit, & non in diaboli membra, quæ sunt filii fornicationis & vasa iræ, spem suam ponere discant. Quod cùm egeris salvabis animam tuam, & operies multitudinem peccatorum. Dicit enim B. Jacobus: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Data v. Idus Aprilis, Indictione x.* Hæc Octavus Joannes Pontifex: qui cùm in titulo Epistolæ ad duos scripsisse videatur, in ejusdem tamen Epistolæ verborum contextu, cur cum singulari persona loquatur; nullam aliam ejus rei rationem adducere possumus, quàm quia patris & filii, in rebus præsertim religiosè peragendis, una debeat esse voluntas, unusque animus.

Cæterùm ex superiori Octavi Joannis epistola (quod etiam animadvertit Cardinalis Baronius Tom. 10. ad ann. 875. pag. 523.) dignum etiam illud consideratione conspicitur, suasione videlicet prædictorum Cajetæ Ducum, Docibilis, & Joannis, Græcorum Imperatorum in Italia Ministrorum, seu potiùs vices gerentium (unde etiam Græci Siciliæ Patricii Cajetæ residebant) ut Sarraceni ab universa expellerentur Italia. Multiplex fuit ab eodem Pontifice ad Campaniæ præsertim Prin-

Digitized by Google

cipes, non modò Reges & Imperatorem ipsum missa legatio, ut adeò ipsius Papæ literæ, quæ etiam num extant, anno Domini 875. datæ significant.

Sed præclara Gelasii nostri progenitorum Cajetæ Ducum facinora, & singularem erga Romanam Ecclesiam devotionem, altero Joannis II. etiam Cajetæ Ducis, prædictorum Ducum, Docibilis I. nempe patris, & Joannis III. avi, exemplo adhuc demonstremus. Cùm enim Leo IV. Maximus Pontifex Sanctissimusque, anno Domini quadragesimonono supra octingesimum, intellexisset, Sarracenos ex Africa, ingenti comparata classe in Italiam ad Urbis Romæ excidium properare, in magna constitutus angustia quæcumque posset tum Divina tum humana præsidia capessere ad defensionem ejusdem Urbis contulit. Interim, Deo juvante, Joannes II. idem Cajetæ Dux atque Imperialis Patricius, Sergius Magister militum & Dux Neapolitanus, nec non Pulcharius Amalphitanorum Dux, inito inter eos consilio, de eodem adjuvando Pontifice, ejusque Urbe deliberaverunt. Milite igitur instructam navium classem, cui & Cæsarium jam dicti Sergii filium communi voto præfecerunt, adversùm Sarracenos dimicaturi, Romam direxerunt. Sed Anastasium Cardinalem Bibliothecarium ea de re loquentem audiamus; ait enim: *Denique post nefandam, lugubrem, omnique plenam miseria Sarracenorum deprædationem, quam in primo Ecclesiarum omnium capite, Sancta scilicet Romana Ecclesia, hortatu diabolico peregerunt, voluerunt iterum ipsi satanæ filii similia in Romanos fines, & Ecclesiam Beatiss. Apost. Petri, ut olim damna inferre, & deinde victores ad loca, quibus egressi fuerant, destinare. Sed cura ac studio Summi præfulgente atque vigilante Pastoris, hæc minimè perficere potuerant. Tamen ut fideles in Domino, ampliùs fideliores jure existant, & illius signa ac veneranda miracula ex veteribus noviter emanasse non dubitent: à principio retinendum est quid de eis Divina eodem tempore misericordia mirabiliter egit, quantisque miseriis atque calamitatibus gens illa pestifero merito protrita dilapsa est. Quam ob rem pristinum reminiscentes lucrum vel prædam, quam fecerant, multiplicata iterum perversorum hominum manu, multisque cum navibus ad Urbem expugnandam Romanam (duodecima Indictione vigente) venire crudeliter decreverunt. Multisque etiam diebus in loco, qui Tozarum dicitur juxta Insulam Sardiniæ demorati sunt. A qua digressi Romanum Portum, Deo illos non adjuvante, inire conati sunt. Quorum iniquus ac nefandus adventus Romanos non mediocriter terruit; sed quia Ecclesiam suam Deus Omnipotens semper inviolatam custodivit, & deinceps custodire non desinit, excitavit tunc inter cæteros omnium Neapolitanorum, Cajetanorum, Amalphitanorumque corda, ut unà cum Romanis contra eos insurgere ac dimicare fortiter debuissent. Mox etenim à locis propriis egressi ante Sarracenos inutiles, ipsi cum suis navibus conjunxerunt, suumque repentinum adventum Beatissimo Leoni Quarto Pontifici notum fecerunt; & quòd se ob nullam rem venisse aliam sunt professi, nisi ut de Paganis, Domino auxiliante, victores existerent. Tunc demum Venerabilis Papa aliquantos ex eis prius ad se Romam venire præcepit, volens specialiter scire ab eis, si eorum pacificus esset adventus, vel non, sicuti & factum est. Inter quos tunc filius Sergii Magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, nomine Cæsarius, advénit. Quos benignè in Palatio Lateranense suscipiens, causam, pro qua venerunt, inquisivit. Illi autem ob aliud non venisse testati sunt, nisi ob hoc, quod superiùs legitur exaratum. Quorum pius Apostolicus credulus verbis cum magno armorum procinctu, mox ad civitatem Ostiam properavit, omnesque Neapolitanos, Cajetanos, & Amalphitanos grandi atque eximia devotione suscepit. Qui ut Summum Præsulem conspexerunt, pedes ejus humo prostrati venerabiles sunt osculati; gratias Omnipotenti Altithrono retulerunt, qui ad se confortandos talem dirigere decrevit Antistitem. Qui, ut meliores de Belial filiis victores existerent, summopere deprecati sunt, ut de suis sacris manibus Corpus Dominicum percipere meruissent. Quibus ore suo Missam in Ecclesia B. Aureæ decantavit, atque universi ex illius, ut dictum est, manibus, Communionem sumpserunt. Et antequam hæc fierent, usque ad præfatam Ecclesiam cum hymnis, ac lætaniis, canticisque præcipuis simul cum ipsis Neapolitanis, Cajetanis, & Amalphitanis, Christo auxiliante, profectus est. In qua etiam flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus suis ipse Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur. Super quos etiam multis cum lacrymis hanc orationem obtulit, dicens: Deus, cujus dextera B. Petrum Apostolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; & Coapostolum ejus Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis horum fidelium vestrorum brachia contra inimicos Sanctæ Ecclesiæ tuæ dimicantia, Omnipotenti dextera tua corroborentur & convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dom. &c. Die verò altera, postquam à jam dicta civitate venerabilis reversus est Præsul, ipsi sceleratorum socii sive participes juxta litus maris Ostiensis multis cum navibus apparuerunt. Contra quos Neapolitani cum sociis impetum facientes, dimicare fortiter voluerunt, etiam aliquantos vulneraverunt ex illis, & deinde triumphum accepissent, si unum citius impedimentum non accessisset. Nam dum ad invicem atentiùs dimicarent, subitò tam validus ac supereminens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat, qui utrasque naves confestim divisit. Tum Sarracenorum naves primò veniebant usque ad oram maris, deinde vento flante, marique elevato procellis, dispergebantur, & iterum post aliquantulum confractis viribus revertebantur. Deus enim Omnipotens, pro certo credimus, hunc ex thesauro suo produxerat ventum, qui eos ad nocendum forìs minimè permisit exire. Super his novis, mysticisque miraculis, quæ nostris licèt non meritis, Divina ostendere, ac demonstrare nostris dignata est temporibus semper glorificanda, ac conlaudanda veri Dei nostri clementia, qui eos ad locum, quem desiderabant, permisit aspicere, & tamen ne capere potuissent, virtutis suæ potentiâ longiùs expulit, multosque postea non tantùm per intercessiones & merita Beatissimorum Petri ac Pauli Principum, maris profunditas, verùm etiam fames & gladius indesinenter extinxit. Ex quibus per quasdam insulas nostras famis laborantes penuriâ, plurimi à nostris hominibus interfecti sunt. Cæteros autem causâ veritatis ac testimonii vivos comprehendentes Romam duxerunt, quorum Romani proceres, ne multiplicatus numerus videretur, multos prope Portum nostrum Romanum in ligno suspendi jusserunt. Aliquantos etiam nos ferro constrictos vivere jussimus per hanc solummodo causam, ut & spem nostram, quam in Deum habemus, & illius ineffabilem pietatem, necnon & propriam tyrannidem luce clariùs scire valuissent. Et post hæc ne otiosè, aut sinè angustia apud nos viverent, aliquando ad murum, quem circa Ecclesiam Beatissimi Apostoli Petri habebamus incœptum, aliquando per diversa Artificum opera, quicquid necessarium videbatur, per eos omnia jubebamus deferri.* Hucusque Anastasius de miraculosa Sarracenorum dispersione, deque Neapolitanorum, Cajetanorum, atque Amalphitanorum classe Romanam Ecclesiam propugnante divinitus servata.

Verùm enim verò quemadmodum Gelasii nostri magnum patruum, Joannem II. videlicet Cajetæ Ducem, atque Imperialem Patricium, erga Sanctum Leonem Pontificem Max. ejusque Sedem Apostolicam piè, fideliterque pugnantem, vidimus, ita nunc videre operæ pretium erit Johannem V. Cajetæ etiam Ducem ejusdem Gelasii Crescentii Fundorum Du-

cis

Digitized by Google

cis avi, fratrem, erga S. Nilum Abbatem, ejusque Monachos piè religioseque se gerentem. Etenim cùm ille Dei vir anno Christi 988. relicta Vallis lucis prope Sacrum Montem Casinum habitatione, cum Monachis suis ad Cajetanum maris litus loco Serperis, & Serpere vulgò dicto (in quo antiquitus Cajetana gentilitas Serapi idolo falso Ægyptiorum Deo, Templum ædificaverat) Monasterium construere vellet, Cajetanus idem Princeps cum Æmilia Ducissa & Romana Senatrice conjuge sua magnum ipsum Dei servum Nilum ope, & opera promptissimè juvit: atque in eodem mox Monasterio (antequam ad Cryptam Ferratam in agro Tusculano Tusculanique Comitis Gregorii Æmiliæ jam dictæ germani fratris auxilio, Monasterium aliud exædificasset) decem annorum spatio commoratus est, in eoque Ottonem III. Imperatorem anno Domini 999. ad se venientem excepit. Verumtamen Bartholomæum ejusdem S. Nili discipulum, his de rebus verba facientem, audiamus; ita enim ille: *At Beatus Pater cum fratribus, quos habuerat comites, & cum celeberrimo Stephano, in Cajetæ finibus cùm parvulum reperisset locum, immo (ut verè dicam) desertum siccitate secessum, placente angustia, & ariditate ejus, illum incoluit. Initio quidem in magna victus inopia, sed non multo post fratribus, cunctis sanè Dei amantibus, haud paucis convenientibus subsecuta est rerum omnium affluentia*, & paulo post: *Itaque Cajetæ quoque Principem rogavit Uxor, ut irent salutatum Dei servum. Ille verò, significemus, inquit, hoc illi primùm, ne fortè grave videatur, & affectus molestiâ fugiat è regione nostra, & servi Dei jacturam faciamus. Significarunt igitur de hoc multis precibus agentes. Sciebant enim illum vehementer adversari colloquia fœminarum, & mulieribus non patere aditum in ejus Monasterium. At contra vir Sanctus hæc ad illam perferri jussit. Ignosce mihi propter Dominum, nam quando vivebam in sæculo, dæmone exagitabar; ideoque ex quo sum factus Monachus, curatus sum: nunc verò si fœminam videro, statim dæmon revertitur, & cruciat me. Hæc ubi audivit, & intellexit mulier, majori exarsit desiderio videndi ipsum, & tamdiu colluctata est, donec venit, & ejus salutatione dignata est. Præceperat tamen, ne ulla Oppidana mulier sequeretur, sed omnes eam sequerentur viri. Ergo Beatus Vir postquam paucis illam docuisset de pudicitia, de eleemosyna, deque timore Dei, domum remisit gaudentem.*

Hisce quoque subjungit idem Bartholomæus feliciſſimum ex hac vita transitum Servi Dei Stephani, etiam discipuli ejusdem S. Nili: additque præterea Ottonem III. Imperatorem ad Monasterium illud Cajetanum, æquè & ad virum Dei visendum accessisse, verbis istis: *Imperator autem pœnitentiæ causâ susceptum indicans laborem, ab Urbe ad Garganum pedibus iter fecit veneraturus Michaelem Arcangelum. In reditu B. Viri hospitium invisit. Cùm igitur ex editiori loco Monasterium conspexisset, & fratrum tuguria circa Oratorium fixa: Ecce, inquit, tabernacula Israel in deserto; ecce Regni Cælorum cives, hi non ut habitatores, sed ut viatores hic manent. At Sanctus Vir jussit thuris suffitum præparari, quo obviam illi profectus est cum universis fratribus: Quem etiam summa cum humilitate, & reverentia venerabundus salutavit. Et Imperator supposita manu, qua subniteretur senex, unà cum illo Oratorium ingressus est, & peracta oratione, Imperator à viro Sancto orationem, & benedictionem exposcens, salutem impertitus, discessit.* Hæc Bartholomæus de Imperatoris Ottonis III. peregrinatione.

Sed nos iterum cum illo ad rem nostram propiùs revertamur: Inquit enim de B. Stephano: *Postquam verò beatam, æternamque nactus est requiem, præcepit Pater duplex præparari sepulcrum, ut & ipse cursu consummato, unà sepeliretur. Id cùm Cajetæ Princeps, vir admodum Religiosus, magnamque de sanctitate Patris opinionem haberet, rogasset, & sepulturæ causam rescivisset, ad præsentes dixit: Ergo si Pater decesserit, hic ego illum relinquam, & non transferam in meam urbem, ut illi sit instar turris inconcussæ. Quod postea quam perlatum est ad Beatum senem, vehementer tristatus est, & de mutando domicilio cogitavit, ut eò secederet, ubi nulli cognitus esset. Malebat enim miserè mori, quàm apud quemquam hominum esse in opinione sanctitatis. Cùm ergo statuisset bonorum contemptor Pater noster Nilus deserere Monasterium, quod Serpens vocatur, in quo ad annos decem Monasticam duxerat vitam, vix præ senio potuit equum conscendere, ut Romam veniret. Itaque Deo duce illum dirigente ad locum sepulturæ suæ destinatum, eum in modum, quem, Deo revelante, cognoverat, pervénit in quoddam Oppidum, cui nomen Tusculum, duodecim millia passuum ab Urbe distans. Prope illud situm erat Monasterium paucorum fratrum nationis nostræ Græcorum, nomine S. Agathæ, in quod Sanctus senex divertit: Hæc, inquiens, requies mea in sæculum sæculi. Porrò autem illius Oppidi Dominus Gregorius nomine, tyrannide quidem, & nequitia insignis, sed sagacitate ornatus & prudentia, descendit, & prostratus ad Sancti viri pedes ita dicebat: Ego quidem, serve Dei Altissimi, ob multa peccata mea dignus non sum, ut intres sub tectum meum: Et unde mihi hoc, ut Sanctus Domini mei veniat ad me. Sed quando Magistri & Domini tui exemplo me peccatorem justis pratulisti, ecce domus mea, totumque cum suo agro Oppidum ante te est, quidquid de iis libuerit, jubeto. Respondit Beatus Pater: Benedicat Dominus & tibi, & tuis, & domui tuæ, & Oppido tuo, particulam in ditione tua nobis concede, ut quietem in ea nacti, Deum pro peccatis nostris propitium reddamus, & pro salute tua preces fundamus. Gregorius autem magna alacritate implebat quod jussum erat.* Hactenus Bartholomæus de magna Cajetanorum Principum, Comitisque Tusculani, Secundi Gelasii consanguineorum erga S. Nilum, ejusque Cœnobitas pietate.

Hæc autem S. Nili Acta literis tradidisse Bartholomæum ejusdem Viri Dei discipulum doctrina, & sanctitate (ut ejus vitæ acta produnt) etiam conspicuum, ex manu exarato Codice Guilelmi Cardinalis Sirleti viri doctissimi, quem nunc in Archivo Vaticano asservatum nos vidimus, ritè constat. Id, quod latuit viros aliàs eruditissimos, Cardinalem Baronium nempe suis in Annalibus, & Joannem Matthæum Caresophilum Archiepiscopum Iconiensem in sua ejusdem S. Nili vitæ è Græco in Latinum translatione, Romæ typis edita: Qui ea Auctori Anonymo tribuunt.

Notulam hanc ad Gelasii nostri Vitæ historiam concludamus altera erga Cajetanam ipsius patriam beneficentia. Etenim is dum adhuc esset S. R. E. Diaconus Cardinalis Cancellarius, & Bibliothecarius, precibus ita egit cum Paschali II. Papa, cujus erat ab Epistolis, & Consiliis intimis, ut Cajetanam Cathedralem Ecclesiam Apostolica benedictione muniret, ac sacra deliniret unctione. Annuit Summus Pontifex, atque unà cum illo atque aliis S. R. E. Cardinalibus, atque Episcopis multis, & Urbis præsertim Viris Nobilibus, Cajetam deveniens, S Probo Cajetano Episcopo, eandem Cathedralem Ecclesiam (quam Cajetani Principes, Gelasii Progenitores, in solo proprio ædificare curaverant, propriisque reditibus dotaverant) sollemniter consecravit: dicavitque Deo Ter Opt. Max. in honorem Dei Parentis Virginis Mariæ, ac S. Erasmi Episcopi & Martyris, ejusdem urbis Patroni. Extat in antiquis quibusdam schedulis illustris viri Domini Joannis Baptistæ Spinæ Cajetani S. Petri Prioris, ejus consecrationis memoria: in qua ejusdem annum & diem legimus adnotatos in hæc verba: *Paschalis II. Etruscus, sedit anno 1099. & occasione eundi Florentiam, & in Galliam, transivit Cajetâ: & consecravit Ecclesiam Cathedralem die 22. Januarii anno 1099.* Hæc ibi.

Cæte-

Cæterum Cajetanam hanc Ecclesiam adnumeratam legimus (quod in majorem Cajetanæ ejusdem nostræ antiquæ originis Patriæ commendationem cedit) inter illas Sedes, quæ sub nullo Metropolitano positæ, immediatè subjectæ sunt Romano Pontifici: quarum Episcopi, suffraganei dicebantur Papæ Urbis Romæ. Hæc ex libro censuum, qui asservatur in Vaticana Bibliotheca, ait Cardinalis Baronius in not. Martyr. Rom. ad 2. diem Jun.

Porrò ex iisdem fontibus, quibus elicitur exemptio & dignitas Ecclesiæ Cajetanæ, elicitur & Fundanæ. Nam Fundana quoque Ecclesia inter illas etiam sedes connumeratur, quæ nulli Metropolitano, sed immediatè subjectæ sunt Romano Pontifici, quemadmodum nos ex multis ejusdem Romanæ Ecclesiæ rituum Codicibus, qui manu exarati in Bibliotheca Vaticana asservantur, animadvertimus. Testatur itidem hoc ipsum Card. Baronius tomo XI. Annalium, Anno C. 1057. Maximè insuper commendatur Fundana eadem civitas, non solum quòd à nascente Christiana religione fidem amplexa fuerit, verùm etiam, quòd eodem tempore & sedem obtinuerit Episcopalem: unde viros tum dignitate, tum sanctitate clarissimos Cœlo pepererit. Non est hic locus eos enumerandi, unus præ omnibus aliis sufficiat Soter, qui in eadem ortus civitate, ob insignes ipsius virtutes à S. Pio Papa I. circa salutis annum 160. Romanæ Ecclesiæ Presbyter ordinatus, vertente postmodum anno 175. ab Apostolorum Principe Petro tertiusdecimus Papa numeratus, inter ejusdem successores recensitus est 3. Non. Maji, in cujus Cathedra Pontificia sedit annos VII. menses XI. dies XVII. Qui nomine & re salutaris extitit Ecclesiæ; nam præter pietatem singularem, omnibus etiam Christiano Episcopo dignis laudibus enituit. Quamobrem eadem Christi Ecclesia ipsum sui natalis diem vigesimum secundum Aprilis solemnem quotannis celebrat.

Antiquitatem præterea Episcopatus Fundani inter alios ostendit Auctor vitæ & passionis S. Mauri Martyris Africani, qui Martyrii palmam promeruit Romæ Numeriano Imp salutis anno 283. cujusque sacrum Corpus, cùm Româ navi commissum ad litus Fundanum, Deo duce, pervenisset, Marianus ipsius civitatis Episcopus sanctitate insignis, Angelo revelante, suam in Ecclesiam, in qua nunc etiam colitur, honorificè transtulit. Sed Fundanam eandem Ecclesiam nobiliorem reddidit S. Paulinus, qui postea fuit Nolanus Episcopus, ipse etenim agro Fundano dives, parvam illic positam Ecclesiolam, & jam collabentem in augustiorem formam erexit, picturis ornavit, muneribus auxit, & sacris Reliquiis positis dedicandam curavit, ut idem ipse scribit Paulinus in epist. 12. ad Severum. Quod quidem egregium sanctissimi viri monumentum tempore Longobardorum prorsus dirutum fuit, adeòque ea est Ecclesia desolata, ut opus fuerit Agnellum ejus civitatis Episcopum, jubente Magno Gregorio Rom. Pontifice, Tarracinam migrare, ut constat ex illius Registro lib. 2. Epist. 13. Et quidem hæc, antequam Cajetani Duces Campaniæ Principatum acquisivissent, evenere, sed post adeptum ab iisdem dominium, non defuere ex illis viri omni virtutum genere præstantes, qui Christianum nomen & armis tutarentur, & virtutibus propagarent. Atque ex iis inter alios unum hoc loco proferam Fundorum Episcopum. Is est Joannes Constantini urbis Cajetæ Comitis IV. & Hypati filius, qui sicut genere, ita sapientia & religione conspicuus à Nicolao I. Pontif. Max. cum Rhodoaldo S. R. E. Cardinale Episcopo Portuensi, efflagitante Lothario Rege, Caroli Regis fratre, & Ludovici Imperatoris nepote, pro gravissimis negotiis, salutis anno 862. Legatus directus est in Metensem civitatem, in qua generale omnium Galliæ Episcoporum Concilium celebrari debebat. Verùm Joannis hujus Fundorum Episcopi personam Summi ejusdem Pontificis ore commendemus. Ait enim ille: (Epist. 17. Tom. 3. Epist. Rom. Pontificum.) *Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, Lothario Regi. Regalis excellentia vestra nuper Apostolatui nostro direxit, ut pro perficienda Synodo Missos è latere nostro dirigere dignaremur. Quod nos & ante literarum vestrarum preces, & postmodum facere desiderio ardenti cogitavimus. Sed quia multis Sanctarum Ecclesiarum Dei utilitatibus hactenus fuimus occupati, tam celeriter, ut volebamus, eos destinare nequivimus. Nunc autem, (Domino Nostro Jesu Christo favente) Legatos sanctæ nostræ, cui, Deo auctore, deservimus, Ecclesiæ duos Reverentissimos & Sanctissimos Episcopos, Rhodoaldum Sanctæ Portuensis Ecclesiæ, & Joannem Sanctæ Fundensis Ecclesiæ delitiosos nostros, quorum adventu, atque præsentia, Dei Sacerdotum Synodus congregetur, transmittimus, sicut nostris vobis jam pridem direximus literis.* Atque iterum idem Pontifex Nicolaus: (in Card. Baron. Annal. Tom. 10 ad ann. 862.) *Reverentissimis & Sanctissimis Rhodoaldo & Joanni Episcopis. Quemadmodum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideles estis, & Apostolicæ Sedis columnæ existitis, ita custodientes omnia secundùm priorem præceptionem nostram peragere festinate; & Metis Apostolica Auctoritate Synodo evocata, nostra jussa perficite, &c.*

Quod etiam spectat ad Fundani hujus Episcopatus Ecclesiam Cathedralem, hanc post septingentos annos à S. Paulino exædificatam, temporum calamitatibus ruinæ proximam Leo Cajetanus, Gelasii pronepos, Urbis Senator, & Dux Fundorum, quem ejusdem Fundanæ Ecclesiæ monumenta vocant Comitem, à fundamentis instaurandam, vel potiùs exædificandam, mox verò consecrandam, mira illa sua devotione curavit. Præest hodie eidem Fundorum Ecclesiæ Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Mauritius Roganus, Cajetæ nobili genere natus, zelo animarum, & charitate erga Deum, & homines fervidus.

Veruntamen ad Cajetanum Episcopatum etiam accedamus. Quandoquidem habuit quoque Cajeta urbs ex suorum Ducum sanguine & Gelasii Papæ progenitoribus sapientia & religione vigilantes animarum Pastores. Atque inter primos re & nomine Bonum, qui Sancti Erasmi Episcopi & Martyris Corpus Cajetanam suam in Ecclesiam è dirutis à Sarracenis Formiis, reverenter transtulit, & honorificè venerandum reposuit. Huic accedit Campulus, cujus laudabiliter meminit Adrianus I. Rom. Pont. epist. 86. & 90. ad Carolum Regem Francorum, Deusdedit, Leone & Alexandro Græcis Imperatoribus: Leo, Constantino Porphyrogineto Imp. Petrus, eodem Constantino Imperatore: Raynulphus, tempore Joannis magni Cajetæ Ducis & Patricii Imperialis: Marinus, ex Abbate Monasterii S. Erasmi in civitate olim Formiana: Leo II. ex Abbate SS. Theodori & Martini, Monasterii tunc prope Cajetanam Portam novam, hodie præcipua & munitissima regni totius arx Cajetana: Stephanus ex ejusdem Monasterii Abbate: Bernardus tempore Ottonis Magni Imperatoris: Docibilis, sanctitate Illustris, ex Abbate Monasterii S. Erasmi in civitate olim Formiana, cujus præclarum sanctitatis nomen invocatum legi in Litaniis, quæ extant in manu exarato perantiquo Longobardicis characteribus Missali, Neapoli apud Moniales SS. Marcellini, & Petri: id quod etiam animadvertit eruditus vir Antonius Caracciolus Clericus Regularis Teatinus Superioribus Episcopis Probum adscribunt alii ex Cajetanis Principibus etiam exortum, cujus sanctitatis Lauream Cajetana eadem recenset Ecclesia ad diem 6. Octobris. Horum verò Episcoporum memoriam ex vetustissimis Chartis Archivi Cajetanæ ejusdem Cathedralis Ecclesiæ cùm nos ibidem essemus, collegimus. Hos autem Præsules Cajetanos gloriosa Cajetanorum Ducum & Campaniæ Comitum germina repræsentat ad vivum hodie M. F. Hieronymus Domin, Aragonensis Hispanus, ac Religiosum Carmelitici Ordinis ornamentum, & ipse Cajetanus Episcopus Illustrissimus & Reverendissimus.

Cæterùm superiora hæc de civitatibus Cajetana, & Fundana, earumque Ecclesiis nos perorasse vo-

Digitized by Google

Discurrit fama per terram, & per vicinias illas. Convenerunt Archiepiscopi, Senes (*Cajetano* Sennes) Campanus, (C. Capuanus) Landulphus Beneventanus, Alfanus Salernitanus, Marinus Neapolitanus, Riso Barisanus, Hubaldus Ravennensis, (*Cajetano* Tranensis) I........ Sipontinus, Bajalardus Brundusinus, I........ Sanctæ Severinæ, & quamplures alii de Apulia, & Calabria cum Guilelmo Trajano, & diversarum Regionum Episcopis, Guiraldus (*Cajetano* Gerardus) Abbas Cassinensis, & Sygenulfus de Caveis cum Abbatibus aliis; in præsentia quorum idem Domnus Papa per manus Lamberti Ostiensis, Petri Portuensis, Vitalis Albanensis Episcoporum, cooperantibus Archiepiscopis (C. & Episcopis) multis, assistentibus aliis viris religiosis, & cum eis Guillelmo (22) Duce Apuliæ, Roberto Principe Capuano, Richardo de Aquila, aliisque Baronibus plurimis, qui tunc ei omnes fidelitatem fecerunt, existente Clero, ac populo infinito, Sancto dictante Spiritu & effectus est Presbyter, & in Papam Gelasium infra Kal. Martii consecratus. Ubi Petrum Rufum Diaconem Cardinalem, Baronem Subdiaconum, & me Pandulphum Hostiarium, qui hæc scripsi, in lectorem, & exorcistam promovit, & plures alios in minoribus gradibus ordinavit. Lætum nomine Verulanum Episcopum, à Domno Paschale Papa factum atque depositum, suæ dignitati ac loco restituit, Chrisogonum Diaconum Cancellarium fecit, ibique (23) per totam quadragesimam demorantes, festi-

voluimus in gratiam etiam Beatissimi Pontificis nostri Gelasii, cujus progenitores fuere utriusque civitatis Duces & Campaniæ Comites. Quorum dominium stetit, usquedum Northmanni feliciffimam quoque hanc Italiæ partem Campaniam jure belli occupantes, Cajetanos eosdem Principes Ducatu Cajetano, & Fundano, aliisque suis Oppidis, Castris, & Locis spoliavere, prope annum Christi Millesimum septuagesimum; cùm aliàs Cajetani Principes isti & pace, & bello universo ferè orbi spectabiles, spatio trecentorum quinquaginta annorum regnassent. Et quidem Joannes hujus nominis septimus Urbis Cajetæ tunc erat Dux, & Campaniæ Comes, Fundorum verò Dux erat Marinus Gelasii Germanus frater.

Præterea civitates hæ Cajeta & Fundi suis cum Oppidis, & Locis tunc primùm in manus devenere Riccardi de Aquila Northmanni militis nobilissimi: sed non multò post Rogerius Rex Rogerii Comitis Siciliæ filius, Regiam suam dignitatem tutiorem, amplioremque reddere volens, Ducatum Cajetanum sibi ipsi adscripsit: Fundanam nihilominus civitatem solo Comitatus titulo donatam cum aliis Oppidis & Locis eidem Riccardo ejusque successoribus reliquit. Quamobrem titulus Cajetani Ducatus, quo Cajetani Principes usi fuerant, uti Regibus magis consono deinceps non nisi Reges sunt usi. Unde idem Rogerius in suis scriptorum monumentis inscribebatur: Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, Princeps Capuæ, & Dux Cajetæ. Cajetæ, inquam, etiam nunc degunt inter nobiles cives Primarios, nobiles & ipsi Cajetanorum Principum eorumque virtutum hæredes Viri Perillustres, Vincentius Cajetanus, ejusque filius Carolus. Quibus etiam nec defuere progenitores, qui nomen Cajetanum non reddiderint æquè gloriosum. Ex eisdem namque non minus religiosè, quàm sapienter prodierunt, Petrus Cajetanus anno Domini 1188. & Riccardus Cajetanus anno Domini 1238. uterque Cajetanæ Patriæ Episcopus. Sed anno 1496. humanam vitam agebat Petrus Cajetanus Fundorum Episcopus: & anno 1210. Dodo Cajetanus, vir sanè prudentiâ & consilio singularis, qui pro Cajetana patria, ejusque bono, ad diversos Principes Orator directus est. Verumtamen cætera nunc reticebo, & cum Pandulpho de Gelasio verba faciente progrediar.

(22) Romoaldus Archiepiscopus Salernitanus Formulam recitat, (Chron. MS, in Biblioth. Vatic. & Rom S. Petri.) qua Gelasius Papa investivit de Apuliæ, & Calabriæ Ducatu VVilhelmum Ducem, quæ sic se habet: *Quemadmodum Gregorius Papa tradidit illam Roberto Guiscardo avo tuo: & sicut Urbanus Papa eam Rogerio patri tuo tradidit: & sicut Paschalis Papa eidem Rogerio patri tuo prius, & postea tibi tradidit: sic & Ego trado tibi eandem Terram cum honore Ducatus, per illud idem donum, atque consensum*. Hæc ibi.

(23) Gelasius itaque Cajetæ magna stipatus caterva Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque Archiepiscoporum, ac præsertim Richardi ex Monacho Monte Casinensi Episcopi Cajetani, Abbatum insuper & Principum, ac Virorum nobilium, & populi multitudine, Kalendis Martii, primò Presbyter, (erat enim Diaconus,) mox Episcopus consecratus, suæ Coronationis Insignia suscepit per manus Gregorii Diaconi Cardinalis S. Angeli, S. R. E. Archidiaconi, qui postea fuit Innocentius Papa II. Quo die coronationis idem Pontifex primam Cardinalium Ordinationem fecit, qua unum tantùm creavit: is fuit, Petrus Ruffus, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, quam Diaconiam idem Pontifex antea obtinuerat. Chrisogonus autem ex nobili Familia Malcondina Pisanus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, factus est in ejus locum S. R. E. Cancellarius, & Bibliothecarius.

Interea Imperator Henricus, fugâ lapso Gelasio Pontifice, mox intrudit in Apostolicam Petri Sedem Mauritium Burdinum. Quod cùm Gelasius accepisset, has Literas in Gallias dedit: (Extant ap. VVilhel. Malmesb. Rer. Anglic. lib. 5. hist.) *Gelasius Episcopus servus servorum Dei, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Clericis, Principibus, & cæteris per Galliam fidelibus salutem. Quia vos Romanæ Ecclesiæ membra estis, quæ in ea nuper acta sunt dilectioni vestræ significare curamus. Siquidem post electionem nostram, Dominus Imperator furtivè, & inopinata velocitate Romam veniens nos egredi compulit. Pacem postea & minis & terroribus postulavit, dicens quæ posset se facturum, nisi nos ei juramento pacis certitudinem faceremus. Ad quæ nos ista respondimus. De controversia, quæ inter Ecclesiam, & Regnum est, vel conventioni, vel justitiæ libenter acquiescimus loco & tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremonæ, in proxima B. Lucæ festivitate, Fratrum Nostrorum Judicio, qui à Deo sunt Judices constituti in Ecclesia, & sine quibus hæc causa tractari non potest. Et quoniam Dom. Imperator à nobis securitatem quærit, nos verbo & scripto eam promittimus, nisi ipse eam interim impediat; aliàs enim securitatem facere, nec honestas Ecclesiæ, nec consuetudo est. Ille statim die post electionem nostram quadragesimo quarto Mauritium Bracharensem Episcopum anno præterito à Domno Prædecessore nostro Paschali Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in Matris Ecclesiæ gremium ingessit. Qui etiam cùm per nostras olim manus Pallium accepisset, eidem Domno nostro, & Catholicis Successoribus (quorum primus ego sum) fidelitatem juravit. In hoc autem tanto facinore, nullum de Romanis Dom. Imperator (Deo gratias) socium habuit, sed Guibertini soli: Romanus de Sancto Marcello: Cencius qui dicebatur Sancto Chrisogono: Teuto, qui multo per Daciam* (f. Latium) *debacchatus est tempore, tam infamem gloriam celebrarunt. Vestra igitur experientia, literarum præsentium præceptione mandamus, ut super his, per Dei gratiam, communi deliberatione tractantes, ad Matris Ecclesiæ ultionem communibus (præstante Deo) auxiliis, sicut oportere cognoscitis, accingamini. Datum Gajetæ XVII. Kal. Februarii* (Aprilis). Hactenus Gelasii ad Gallos data Epistola circularis, de qua

Digitized by Google

festivitatem Paschalem (24) Capuæ solemniter celebravimus.

Nobis verò sic jam quomodolibet respirantibus supervenere qui dicerent quod Gajetæ etiam

---

qua illud animadvertendum, dum ait: *Nullos sensisse de Romanis adversarios, sed tantùm Guibertinos se passum esse persecutores*; per Romanos, Chatolicos intelligere: sicut per Guibertinos significare Schismaticos videtur. Error præterea irrepsit in Codice apud Malmesburiensem, ut loco 17. Kal. Aprilis, scriberetur 17. Kal. Februarii; cùm Gelasius 17. Kal. Februarii, nondum esset renunciatus Pontifex, nec Cajetam pervenisset, nisi (ut ait Pandulphus) infra octavas Martii.

Extant etiam Cajetæ scriptæ aliæ Gelasii Literæ ad Bernardum Toletanum Archiepiscopum, aliosque Hispaniarum Episcopos: quibus Burdini nomen diris à Paschali Pontifice devotum fuisse declarat, mandatque, ut in ejus locum, Bracharensis Ecclesiæ Præsulem alium substinuendum curarent; ita enim habent: (Ap. Roderic. Toletan. rer. Hispan. lib. 6. cap. 28.) *Gelasius Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Bernardo Toletano Primati, & cæteris Hispaniarum Episcopis. Non latére credimus Fraternitatem vestram, qualiter frater noster Mauritius Bracharensis Episcopus se jam diu habuerit, & quomodo Ecclesiam suam dimiserit, & quomodo Regi excommunicato adhæserit. Illud etiam, ut opinamur nostis, quòd à Prædecessore nostro Sanctæ memoriæ Paschali Papa in Concilio excommunicatus sit; & quòd Bracharensi Ecclesiæ sit mandatum, ut Pastorem sibi alium provideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem, post longum electionis meæ spatium in cubile Sanctæ Matris Ecclesiæ se ingessit. Ideoque Fraternitati vestræ mandamus, ut ad electionem in Bracharensi Ecclesia faciendam, sollicitudine charitatis debitæ operam præbeatis. Ipsum verò Mauritium excommunicatum, perjurum, & Matris Ecclesiæ constupratorem, cæteris Ecclesiæ filiis publicetis. Datis Cajetæ VIII. Kal. April.* Hæc Gelasius nuncianda misit Hispanis.

Scripsit & ad Romanos etiam de his Epistolam, qua & commendat eorundem constantiam adversùs intrusum Pseudopontificem, quæ sic se habet: *Gelasius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiis, Clero & Populo Romano, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilectionis vestræ Domino gratias agimus, quòd unanimiter persistentes, communicare tenebrarum operibus noluistis. Audivimus etiam quondam (fortè* quomodo*) ille amicus noster, Dominus Imperator familiarem nostrum Mauritium Bracharensem Archiepiscopum, antea sibi super tractanda pace Legatum in nostram Ecclesiam ingesserit. De quo sciatis, quod dicitur, olim secundùm consuetudinem, confirmatione, consecratione Pallium accepisse à nobis, & nos ab ipso, secundùm statuta, Canonicum juramentum fidelitatis, & obedientiæ recepimus, &c. Rogamus ergo dilectionem vestram, atque præcipiendo mandamus, ut ab eo tanquam ab excommunicato, perjuro, invasore, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Fidei Catholicæ constupratore abstineatis, &c. Datum Cajetæ, &c.* Hæc Gelasius ad Romanos.

(24) Capuæ namque Gelasius officiosissimè exceptus fuit à Roberto ejus civitatis Principe, viro in primis erga Romanos Pontifices devotissimo. Qua de causa Honorius II. ut eidem gratias referret, Capuam se contulit anno 1127. & die 3. Kal. Januarii, convocatis Episcopis, & Abbatibus circumpositis, sacro illum oleo perunxit. Itaque Gelasius Capuam veniens unà cum Episcopis, & Cardinalibus, in Capuano Archiepiscopi Palatio, ornatis plateis, & arcubus, Romano more, erectis (ut Petrus Casinensis Diaconus tradit Chron. lib. 4. c. 64.) honorificè hospitatus est: atque in proxima Paschali festivitate, magna cum laude, & gloria Sacrosanctum Missæ Sacrificium solemniter celebravit in Ecclesia Sancti Patris sui Benedicti. Hanc porrò S. Benedicti Ecclesiam unà cum Monasterio, circa Annum Domini 920. extruxit dotavitque S. Johannes ex Archidiacono Capuano Monachus, & Abbas Casinensis.

Cæterùm Gelasius Capuæ adhuc degens, excomunicavit Henricum Imper. unà cum Burdino Romanæ Ecclesiæ invasore, eorumque complicibus. Iisdemque diebus Capuâ etiam ad Pontium Abbatem Cluniacensem dedit sequentes literas, quibus ejus Monasterii bona confirmat: (Hab. in Biblioth. Cluniac. pag. 572.) & ne tanti Pontificis apex vel unus pereat, eas hîc describendas curavimus: *Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, Charissimo Fratri Pontio Cluniacensi Abbati, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cluniacensis Monasterii prudens religio, & religiosa prudentia, & ante nostra, & nostris temporibus Romanam Ecclesiam maximè sibi fecit obnoxiam. Sed præter illud commune dilectionis debitum, persona tuæ sinceritas mihi semper amabilis, semper optabilis, charitatis nostræ viscera plenis, ut nosti, finibus ampliavit. Idcirco petitionibus tuis, illis præcipuè, quæ ad Monasterii vestri quietem, & salutem spectant, nequaquam duximus obviandum. Per præsentis igitur Decreti paginam, secundùm postulationem Fraternitatis tuæ, præcipimus, atque statuimus, ut quicquid possessionis ad Cluniacense Monasterium pertinentis, Reverendissimæ memoriæ prædecessor tuus Hugo in die mortis suæ, per authenticam Romanorum Pontificum concessionem, quietè ac sine calumnia possidebat, tu quoque, tuique successores, quietè ac sine calumnia possideatis. Ea etiam, quæ post te provectione Cluniacensi Monasterio, vel per tuam, vel per fratrum tuorum industriam legitimè acquisita sunt, firma, quieta & integra conservanda censemus. Volumus enim Cluniacense Monasterium, auctore Deo, in quiete perpetua, & tranquillitate persistere, ut à sæcularibus tumultibus liberi Omnipotentis Dei servitiis vacare quietiùs valeatis.*

Ego Gelasius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Signum manus meæ: Dominus in Loco Sancto suo.

Datum Capuæ II. Id. April. per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, Anno Dominicæ Incarnationis MCXVIII. Indictione XI. Pontificatus autem Domni Gelasii II. Papæ Anno I.

Præterea, ut scire possimus, quòd Capuæ idem Gelasius, unà cum aliquot Cardinalibus, per plures dies permanserit, en alias ab eodem ibidem datas literas ad Bernardum Abbatem Beneventani Monasterii Sanctæ Sophiæ (ap. nos M. S.) *Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio Bernardo Abbati Monasterii S. Sophiæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Religiosa loca temporibus nostris propter peccata communia, multis videmus angustiis, & tribulationibus angustari. Ea propter opportunum duximus eorundem locorum necessitatibus, secundùm datam Divinitus facultatem, Apostolicæ Sedis gratiâ, benigniùs subvenire. Tuis ergo, dilecte in Christo fili, Abbas Bernarde, petitionibus annuentes, concedimus ut deinceps tibi, tuisque successoribus, liceat de fluvio Caloris aquam, per ceptum beneficium vestrum accipere, & pro duobus molendinis, vel aliis Monasterii utilitatibus per terram vestram usque in eundem fluvium Caloris deducere. Si autem oportuerit, licentiam habeatis accipiendi eandem aquam supra, vel infra prædis tum ædificium, quantum videlicet terra vestra, & aqua est. Quòd si necessitate urgente, prò eodem aquæductu de terra viæ inferioris, quæ juxta est, acceperitis, tantundem de terra, ex parte altera restauretis. Sanè concambium, quod in loco ipso de interiacenti terra fecistis, ratum habemus.*

Ego Gelasius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus subscripsi.

Si-

Digitized by Google

etiam per susurrum primitus senseramus; Henricum illum barbarum quemdam Mauritium nomine (25) Bracharensem Episcopum, quasi novum simulacrum in loco Papæ struxisse, & illum sic intrusum Papam suum Gregorium nominasse. Ecce de recidivo vulnere recidimus in typum antiquum; addidit inde nuncius quòd Castrum Papæ Curriculam (Turriculam *Cajetanæ*) à fratribus Abbatiæ Sancti Andreæ detentum idem barbarus obsideret.

Resumpsit Papa vires, Duci Guillelmo, ac Principi Capuano, Roberto, aliisque Baronibus dedit firmiter in mandatis, ut omnes contra barbarum arma citò pararent: dixit, & factum est. Paratur Papa ad reditum, redeunt Barones cum eo, inde ad Sanctum Germanum, (26) videlicet Cassinense Cœnobium devenimus, ubi Guillelmum Ducem per dies aliquot expe-

---

Signum manus meæ: Deus in Loco Sancto suo.
Ego Petrus Portuensis Episcopus consensi, & subscripsi.
Ego Ugo Card. Presbyter Tituli Apostolorum consensi, & subscripsi.
Ego Petrus Card. Presbyter Tituli S. Susannæ subscripsi.
Datum Capuæ per manus Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, XIV. Kal. Maji Indictione XI. Anno Dominicæ Incarnationis MCXVIII. Pontificatus autem Domni Gelasii II. Papæ Anno I.

(25) Imperatoris Henrici anathematis ignominia notandi, ea etiam causa fuit: quòd Gelasio Pontifice Româ ob metum elapso, in ejus locum Bracharensem Episcopum Burdinum Romanum Pontificem, quod nefas erat, creandum curavit, Gregorii VIII. nomine indito. Erat Burdinus (Roderico Toletano teste rer. Hisp. lib. 6. c. 28.) Lemovicis natus, qui Bernardum Gallum, ex Benedictino Abbate SS. Facundi & Primitivi in Hispania, Toletanum Præsulem, in eandem Hispaniam secutus, mox non solùm ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus creatus, verùm etiam per omnes Sacerdotii gradus, illius operâ ad Conimbricensis Ecclesiæ Episcopatum fuit evectus. Quo tempore ipse Burdini nomen Mauritii appellatione mutavit, morum pravitatem non deposuit: Conimbrica Bracharam ad ejus Ecclesiæ Pontificatum migravit, agente eodem Bernardo. Pro quibus meritis haud parem gratiam rependit. Nam corasis undique pecuniis, in quibus majorem spem habebat, quam in causa, Romam profectus, corruptisque Aulicis, Bernardi senectutem rebus gerendis inutilem causatus, in ejus locum Paschalis II. veniâ se substitui postulabat. Parum spei erat ab æquissimo Pontifice iniquissima postulata extorquendi. Ergo, ut erat ingenio callido, ex dissidio inter Imperatorem, & Pontificem crescendi occasiones captans, ad artes conversus, Imperatorem adiens, ejus voluntatem devinxisse visus est; prorsus ut ejus operâ Romanam Ecclesiam invaserit Pseudo-Pontifex factus. Tandem Burdinus Callisti diligentiâ Sutrii captus, tertio anno circumacto, ex quo Ecclesiæ pacem turbare cœpit, homo impudens & ambitiosus, flagitioque nobilis, per Romanas plateas triumphi Specie Camelo traductus est: atque in extremam Italiam ablegatus, in Monasterio Sanctissimæ Trinitatis Benedictinorum Cavensi, non longè à Neapoli civitate, in quo custodiæ mancipatus est, obiit.

(26) Hæc Pandulphus post Gelasianam Capuæ stationem, ejusdem ipse Gelasii peregrinationis comes individuus. Porrò hunc Gelasii adventum ad Casinense Cœnobium, Petrus Casinensis Diaconus (Chron. Casin. lib. 4. c. 64.) his etiam verbis recenset: *Post hæc idem Pontifex ad hoc Monasterium veniens, cum immenso honore ac gaudio ab universa Congregatione susceptus est: atque per plurimos dies in hac Terra moratus est*. Ita ille.

Sed hoc loco prætereundum non est, quod rarum & singulare inter loca Sacra censeri debet. Consuevere namque Maximi quique Pontifices, post adeptam Romæ Pontificiam dignitatem, Casinum contendere: atque ob honorem magni Monachorum Patriarchæ Benedicti, in ejus Ecclesia easdem ferè Electionis & Coronationis Pontificiæ cœrimonias, quas Romæ peregerant, quoquomodo iterare. Id præter perpetuam Cœnobitarum illorum per manus ductam traditionem, stercoraria, quam vocant, Sedes Porphyretica, super quam sedentes Romani ipsi Pontifices, Petrique claves suscipientes, Petri successores acclamabantur, quæ in Ecclesia Casinensi etiamnum servatur: quæque ejusdem prorsus est formæ, ut illæ duæ Lateranenses, ostendit. Immo etiam ostendit hoc ipsum argentea fistula, ut dicunt, qua Summi iidem Pontifices Sacrosanctum Jesu Christi Sanguinem haurire solent: quæque in Sacrario Casinensi etiamnum custoditur, ejusdem prorsus formæ cum illa, qua Romæ iidem utuntur Pontifices.

Sed, quæso, audiamus inter Romanos Pontifices alios Urbanum II. morem hunc visitandi sacra Casinensis Ecclesiæ limina, à se, suisque Prædecessoribus consuetum recensentem: Ait enim in suo Diplomate apud nos M. S. per manus Joannis Diaconi Card. nostri Cajetani Capuæ dato die Kal. Apr.l. Indict. 14. anno Dominicæ Incarnationis 1092. Pontificatus ejus 4. *Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis Redemptoris nostri Sanguine pretiosè redemptis, salutem & Apostolicam benedictionem. Scriptum est: sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei. Illud verò donum, quod Omnipotens Deus Beatissimo Patri N. Benedicto, & per eum suo Casinensi concessit Cœnobio, nulla potest ratione convelli, nulla violentia permutari, quin ipse omnium Monachorum Pater, & ejus jam dictum Casinense Monasterium Caput omnium Monasteriorum perpetuò habeatur. Et meritò: Nam ex eodem loco de Benedicti pectore Monastici Ordinis Veneranda Religio quasi de Paradisi fonte manavit: quem etiam idem Venerabilis Pater virtutibus, & sua corporali requie memorabilem toto Orbi effecit. Cujus dum sacratissima Limina, more Prædecessorum nostrorum, ipso die Vigiliarum ejusdem Patris visitassemus, &c.* Ex hoc Secundi Urbani Diplomate hanc Romanorum Pontificum consuetudinem, Casinensem videlicet Ecclesiam visitandi, probatam non modò tenemus: verùm etiam rationes duas, quare morem ipsum observassent, & propter ipsum videlicet magnum Patriarcham Benedictum, & propter inclytum illius Casinense Monasterium.

Quin instat tertia major ratio, quia nempe Petrus Apostolorum Princeps, qui Romanam ipsam fundavit Ecclesiam, eundem convenire Benedictum, idem invisere Cœnobium sua præsentia miraculosè consueverat. Testem habeo Leonem Cardinalem Ostiensem Episcopum, (Chron. Casin. lib. 3. c. 67.) eadem re ita loquentem: *Dum quidam Peregrini, orationis gratia ad B. Benedictum venirent, obvius illis quidam vir Canonicus factus est: quem quis esset, interrogantes, Beatus Petrus, Apostolum se esse, respondit. Et illi: Quo tendis? Et Sanctus Apostolus: Vado ad fratrem Benedictum, ut cum illo passionis meæ diem celebrem: Nam Romæ consistere non valeo: Variis enim procellis Ecclesia mea deprimitur.* Hæc Leo Card. noster Episcopus Ostiensis. Ex cujus testimonio aliud quoque colligitur maxima certè dignum consideratione. Quandoquidem ante hæc tempora multò frequentiùs consuetum fuit peregrinari Casinum voti, orationisque gratia ad S. Patriarcham Benedictum. Id quod etiam grave alterum Sanctissimi illius Cardinalis etiam Episcopi Ostiensis, Petri Damiani testimonium (lib. 1. epist. 14.) confirmat hisce verbis: *Veruntamen nunc seriò loquar, si per tam longinqui itineris ductum B. Benedicti Patris nostri limen attingere licuisset, ego non*

Digitized by Google

non parvæ mercedis cumulum deputarem, & certum teneo, quia si in illius peregrinationis itinere me obire contingeret, non tam proprii reatus me gravaret exitium, quàm illius attolleret dignitas meritorum. Hæc Sanctissimus Doctor noster Cardinalis de celeberrima, ac salutifera ad S. Benedictum peregrinatione Monte Casinensi.

Cæterùm peregrinationis hujus ad Casinensem S. Benedicti domum frequentia, Nazarena adveniente Lauretum Magnæ Dei Matris domo (in qua Dei Verbum ex eadem Virgine carnem assumpserat) cessavit. Nam quemadmodum Verbo Dei Hierosolymis apparente, Præcursor Baptista, qui illius erat vox, & Benedicti figura, prædicare cessavit: ita Benedictus in Italia, quem Deus ipse prævenerat in benedictionibus, ad adventum ejusdem, cujus erat domus, reverenter occurrens, declinare voluit. Sed ad rem nostram progrediamur.

Quarta dignior his accedit ratio: Quia scilicet magnus Benedictus post primos, & Beatos Apostolos principem Sanctitatis locum obtinere promeruit. Id affirmasse cognoscimus S. Faustum ejusdem S. Patris discipulum in vita S. Mauri Abbatis à Bonifacio Papa III. approbata, (apud Surium tom. I.) de eodem S. Benedicto loquentem verbis illis: *Tantam à Domino promeruit gratiam: ut nemini post Beatos & primos Apostolos unquam fuerit secundus: sed potiùs, Deo se juvante, tot Sanctorum extiterit Fundator Cœnobiorum, tantaque Domino acquisierit millia perfectorum Monachorum*. Hucusque S. Faustus.

Quinta præterea ratio, quia (ut valde asseveranter affirmat Magnus Gregorius Papa Dial. 9.) Sanctus Benedictus justorum omnium spiritu plenus fuit. Plenus, inquam, non superfusus, aut quid simile dixit. Sunt ejus verba sub persona Petri Diaconi sui: *Mira sunt & multùm stupenda quæ dicis. Nam in aqua extra petram producta, Moysen; in ferro verò quod ex profundo aquæ rediit, Elisæum; in aquæ itinere, Petrum; in corvi obedientia, Eliam; in luctum autem mortis inimici, David video, & perpendo: Quia vir iste spiritu justorum omnium plenus fuit*. Quibus statim subjungit Gregorius: *Vir Dei Benedictus, Petre, unius Dei spiritum habuit, qui per concessæ redemptionis gratiam Electorum corda omnium implevit*. Hactenus Magnus noster Gregorius.

Sextam adjicimus rationem: quia scilicet magno Patriarchæ Benedicto neminem conferendum esse Sanctorum est qui scribit; Aimoinus nempe Gallus, (hist. de Gest. Francor. lib. 2. c. 22.) ante septingentos annos Scriptor pius: cujus verba sunt: *Gloriosus etenim Deus in Sanctis suis, assiduè sibi placidos mirificans famulos, huic egregio Patri Benedicto excellentius cæteris jure præbuit iter ad se perveniendi. Qui in convalle positus lacrymarum, ascensiones virtutum suo in corde disposuerat Scalam Jacob: per quam ascendentes Angeli monstrati sunt, suis proponens sectandam sequacibus. In cujus autem (pace omnium loquar Sanctorum) non dicam Martyris, verum & Apostoli transitu, tam innumeris Divini fulgoris splendens apparuit via luminaribus, vestibusque ornata nuptialibus? Neque enim in eo calle textile credendum est apparuisse pallium, quo æternæ incorruptionis migrabatur ad Regnum. Nihil porrò mirandum, hunc Divinæ latorem Legis, hanc in assumptione Spiritus promeruisse gloriam: qui corruptibili adbuc circumamictus tegmine carnis, tantis effulsit miraculorum signis: ut, nisi Vir toto venerabilis Orbe, Papa videlicet Gregorius, ejus esset Vitæ relator, simulque assertor eximius, profectò ab infidelibus tam admirandis derogaretur actibus. Verùm, ut prætercam, quòd puerulus adbuc Eremum petiit intrepidus, quòd (ut propter Ipsum quidam ait Sapiens) nec Martinus toto nominatus in Orbe fecisse dignoscitur. Illud certè non omittendum, quod post multiplicia Charismatum dona ab Omnipotente sibi concessa, tribus admirandis, nec sæculo antea cognitis resplenduit miraculis; in eo namque quòd solo intuitu ligati solvit vincula Rustici; quòdque sub momento quasi sub Solis radio universus ante conspectum ejus, collectus est mundus: sive quòd strata palis & innumeris corusca lampadibus via; ad polorum subvectus est alta, neminem Illi puto conferendum Sanctorum*. Hucusque noster Aimoinus Gallus.

Septima non sanè inferior supradictis ratio est: quia magnum Benedictum benignissimus Deus, inter summos, & electos Ecclesiæ Patres, atque inter Fidei Fundatores adnumeratum voluit, ut testatum reliquit Oddo Abbas ille Cluniacensis sapientissimus, ac sanctissimus, de eodem S. Benedicto loquens hisce verbis: (in Biblioth. Cluniac. edit. Paris.) *Constat enim, quòd unumquemque Sanctorum Christiana pietas tantò venerabiliùs colit, quantò celsiùs hunc à Deo decoratum cognoverit. Unde & istum Patrem divino quodam instinctu specialiùs amat, ejusque memoriam dulciùs recenset: Nimirum non nescio, quòd Illum Omnipotens Deus inter Summos & Electos Ecclesiæ Patres mirum in modum provexit: & inter Sanctæ Fidei Fundatores, ac Cœlestis Disciplinæ Censores insigniter sublimavit. Quippe quem Sancti Spiritus Charisma tum Miraculorum signis, tum Virtutum exercitu adornavit: ut dignus in mundo appareret, per quem excelsioris Ordinis multitudinem informaret*. Hactenus S. Oddo noster.

Octavam denique & ultimam rationem, brevitati consulentes, concludamus sacrâ illâ S. Stephani Papæ III. Oratione, (apud nos MS.) quam in Ecclesia Casinensi habuit, astantibus Regibus, Carolomanno, & Pipino, hujusque filiis Carolo, & Carolomanno, ac S. R. E. Cardinalibus, Romanisque Patriciis, atque aliis permultis: ajebat enim Maximus ipse Pontifex de eodem S. P. Benedicto: *Ave Christi Discipule: Ave veri Sponsi Amice: Ave Prædicator Veritatis, & Doctor Gentium: Ave Legislator universalis: Ave Abba Abbatum: Ave Archimandrita Oecumenice: Ave Columna Orthodoxiæ: Tuus Ego, & hi septem Episcopi: Tuus Clerus: Tuus Populus Romanæ Urbis: Tui et hi Patricii: Tua Lateranensis Ecclesia, in qua alitus & nutritus es: Tuum Casinense Cœnobium, in quo corpore, & spiritu habitas. Non patiaris nos ab Ovibus tuis excludi: Sedem Apostolicam protege: Romanum Imperium, & hos gloriosos Patricios corpore tibi, & mente prostratos ab hostibus visibilibus, & invisibilibus defende: & Christo pro omnibus Orgias funde quatenus hîc, & in æternum omnes tuo munere lætemur*. Hæc Beatissimus Pontifex.

Cujus Orationis verba, arcanis certè mysteriis plena de magno Patriarcha Benedicto prolata, non est cur nos hoc loco non suo examinemus; solùm tamen hìc placeat illa duo Pontificis verba ponderare: *Tua Lateranensis Ecclesia, in qua alitus, & nutritus es*. Quinimmo eundem magnum Benedictum sub anno Christi undecimo supra quingentesimum, Vaticano præfuisse etiam Monasterio Basilicæ S. Petri, atque ad sacrum ipsius Apostoli corpus plurima patrasse signa virtutum, testatum reliquit Venantius Fortunatus, ejusdem sæculi Scriptor eruditus: (Vit. S. Remig. Tom. 5. Sanct. ap. Sur.) de qua re nos in Opere de Præstantia Religionis Benedictinæ pluribus egimus.

Et quidem Benedictus adhuc junior, sed Spiritus Sancti gratia plenus, è sacro egressus Specu, postquam sub montibus Simbruinis, & prope Sublacensem ditionem Monachos congregasset, & sub Abbatum imperio subdidisset, eisdemque Monasteria duodecim (juxta Regulam suam à Gelasio I. Pont. Max. approbatam) ædificasset, invitante Symmacho Gelasii ejusdem Successore, Lateranum se recepit, ibique primus Monasterium construxit: à quo tanquam è fonte reliquas Urbis Basilicas, atque Ecclesias uti alter Apostolus zelo suo illo cœlesti invisit, Chorum instituit, Cultumque Divinum, & Sacras Cæremonias, ac Ritus adauxit; atque ad Regulæ suæ præscriptum positis ibidem Monachis Canonicis & Clericis, facilè illi, suisque fuit (propagato interim per universum Mona-

chismo)

expectavimus. Interim Lando Dominus de Turricula, Odoctus, ac Gisolfus fratres ejus cum eo, acriter pugnabant cum Rege, faciunt contra machinas, vineas, balistas, & arcus, inde

chismo) radicitus extirpare ab Urbe, & Orbe, præsertim occidente, Idololatriam, omnem, omnes etiam hæreses & schismata. O felicissima, æquè & Apostolica magni Benedicti nutritio hæc Lateranensis! Ejus quippe rei gratiâ à quingentesimo Christi Domini anno ad centesimum supra millesimum, magnus idem Patriarcha per se ipsum, & per Discipulos, atque Alumnos suos, in Romanis Ecclesiis, & Monasteriis enutritos (ut præter Scriptores alios antiquos, ab Anastasio Bibliothecario in Vitis Romanorum Pontificum haberi potest) Principem Urbis, & Orbis Ecclesiam, Sedemque Apostolicam persanctè gubernaverit. Hinc centum triginta tres Petri Successores ex Claustris ejusdem magni Abbatis Benedicti prodiere, ac quidem omnes singulari doctrina, & sanctitate clarissimi. Hinc itidem omnes, qui per sexcentos illos annos vixere S. R. E. Cardinales: quemadmodum Archiepiscopos, atque Episcopos, præsertim in Occidente, ex iisdem Benedictinis Claustris assumptos fuisse, facilè credet, qui perpenderit eo sexcentorum annorum spatio, Romanæ Ecclesiæ Chorum ex Monachis constitisse Canonicis, & Clericis Benedictinis, vel in Lateranensi Sanctissimi Salvatoris, vel in Vaticana S. Petri Academiis (quæ Scholæ Cantorum nomine insigniebantur) à magno Benedicto fundatis, atque ab ejus Alumnis Romanæ Ecclesiæ Magistris virtutibus literisque instructis. Non est hic locus, Lector benignissime, enarrandi, quot decora Sedes hæc Apostolica, quot Sydera Cælum hoc Romanum ex una Magni Patriarchæ nostri Benedicti nutritione in immensum Orbis universi protulerit beneficium, salutares fructus, mirificam utilitatem. Quamobrem verissimè quidem affirmabat Gerardus ille Belga libro de à se dictis, factis, & scriptis, de eodem magno Benedicto p. 214. *Et meritò*, inquiens, *Patrem admirabilem dici, qui tot millium Cælitum, & filiorum Monachorum Pater esset, mirisque adeò illustris, ut è Cælitibus parem habuisse neminem videretur; sed & in filiis suis admirandus tot sæculis fuisset, ut pleraque per Ecclesiam Sancta instituta uni illi adscribenda sint, & in acceptis referenda*. Hæc ille. Cæterùm hæc, quæ modò asseruimus, atque his multò plura, tum solidissimis argumentis tum antiquissimis Auctorum testificationibus firmata, jam pertractavimus in libris nostris de Præstantia Religionis Benedictinæ.

Jure igitur optimo S. Benedicti nomen in Sacris Dypticis, Litaniis, & Liturgiis in Principe Ecclesia Romana, ac proinde in Ecclesiis aliis per universum præcipuè occidentem Orbem diffusis, à primo Religionis Benedictinæ Sæculo ad felicis recordationis Clementem Papam VIII. continuò acclamatum est, ac præpositum ordine, & tempore Confessoribus omnibus: ut Antonio, Paulo, Onuphrio, Machario, cæterisque. Unde in Litaniis, quæ habentur in Ordine Romano, primis illis Sæculis à Benedictinis Romanæ Ecclesiæ Magistris conscripto, atque à Romanis Pontificibus confirmato, post Sanctos Germanum, & Remigium Episcopos, immediatè invocatur Sanctus Benedictus. Quinimmo idem Patriarcha iisdem Episcopis Prælatus nonnunquam invocabatur. Id quod clarissimè in primis apparet ex Litaniis in Cærimoniali Romano contextis, quæ decantari consueverunt ab antiquissimis temporibus illis ad eumdem Clementem VIII. in Coronatione Summorum Pontificum à S. R. E. Cardinalibus, in quibus S. Benedictus Prælatus legitur S. Basilio Episcopo. Quamobrem (relatis aliis, ut mos est in Litaniis) ita ibidem habetur: *S. Gregori, Tu illum adjuva: S. Benedicte, Tu illum adjuva: S. Basili, Tu illum adjuva*. Quod etiam in Litaniis, quæ in Coronatione Imperatoris decantabantur, eodem hoc modo se habet: *S. Gregori, Tu illum adjuva: S. Benedicte, Tu illum adjuva: S. Basili, Tu illum adjuva*. Quamobrem (ut hic obiter innuamus) nescio, quid possit prætendere Abbas Generalis Congregationis S. Basilii per Siciliam, & Calabriam Monachorum centum fermè ac viginti existentis, atque à paucissimis annis in unum excitatæ: cujus Monasteria omnia, ac major reddituum summa, sub jure sunt Abbatum Commendatariorum, contra Abbates Benedictinos, etiam Casinensem, S. Pauli Romanum Patriarchalem, Cluniacensem Gallicanum, cæterosque (ipse novissimus trecentorum annuatim scutorum redituum Abbas) de loci dignioris primatu contendens; cùm Sanctissimus Patriarcha Benedictus Summorum Pontificum sanctionibus, & per longissima temporum spatia, in Ecclesia Romana, atque aliis per Orbem occidentem Ecclesiis, ut vidimus, S. Basilium licèt Episcopum, Monachorum eorundem Basilianorum Institutorem, præcesserit.

Quid? (Cærimoniale Romanum antiquum, & ex eo Hon. Panvin. lib. de 7. Urbis Eccl. p. 542.) quòd post S.R.E. Card., Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, ac supra Archiepiscopos omnes, & Episcopos, non modò aliorum Ord. Religiosorum Abbates, & Generales; Maximo assistebant Pontifici viginti numerò Abbates in Urbe Benedictini. Et brevitatis causa, quamplures eas dignitates, ac præeminentias, quas reliquo in Orbe iidem tenuere Abbates, vel possident. Sunt enim etiam num apud Imperatorem Imperii Principes, apud Reges Regnorum Barones, apud magnos Dynastas Provinciarum Præsides.

Ad hæc Monachi iidem Basiliani (ut novitati novitatem adjungant) eorum Abbas Generalis, ut venustior inter homines appareat, Pontificalem Abbatum Benedictinorum habitum, quem *Muzzettam* vulgò appellant, sibi usurpavit: atque unà cum suis Monachis (spreto proprio, & Monachorum S. Basilii habitu, ac tonsura) Benedictinorum Cucullam, Caputium, Scapulare, Tunicam, ac capillarem capitis Coronam parvullam sibi usurparunt: etiamsi Clemens Papa VIII. in Bulla (sub dat. Romæ, ann. 1592. 4. Kal. Novembr. Pontificatus I.) Confirmationis ejusdem Congregationis Monachorum S. Basilii, omnino mandaverit: *Ut eundem habitum deferant, quem ex antiquo ejusdem Ordinis Instituto, Prisci, Priores, & Monachi gestare solebant* Hæc Romanus Pontifex. Qui his non contentus, in alio etiam suo Diplomate (habetur in Bullario.) Monachis eisdem Basilianis expressè prohibet: Uti ne audeant Benedictinorum Cuculla, cæterisque vestibus, vel eorum materia, quam vulgò appellant, *Saja Scotto*. Postquam enim Maximus Pontifex Monasticas Basilianorum vestes, à Benedictinis omnino diversas descripsisset, ita decernendum censuit: *Materia autem totius supradicti exterioris vestitus sit vilis, crassa, & omnium infima, ut jubet Divus Basilius. Declaramus tamen laneam esse debere, qualis in Hispania reperitur, quæ ibidem vocatur*, Sajal, *ex quo necessariò confici jubemus. Cùm verò idem S. Pater, vestitum alium ad forensem ostentationem, alium ad domesticum usum pactum, idemque ad diurnum alium, alium ad nocturnum tempus distributum, Monachos habere expressè prohibeat, nos juxta ipsius mentem, omne à supra expresso diversum exterioris vestimenti genus, quale est illud; quod apud Benedictinos Cuculla, & Hispanice* Cogulla *vocari solet, quæ Regulæ S. Basilii manifestè contrariantur, seu ad aliam quamvis formam, vel materiam, omnino prohibemus*. Ita Pontifex prudentissimus. Quamobrem ad Basilianos istos Monachos considerare nunc pertinet: *An ipsi mandatis Romani Pontificis obediant, an ea potius contemnant*. Veruntamen ad alia ex Pandulpho nostro eruditionum genera gradum faciamus.

Digitized by Google

inde primum rete contra petrarias ad turres operiendas ab astuto illo tyranno in damnum plurimorum, & proficuum multis ingenium exquisitum, inventum est. Ibi, mirabile dictu! Canis fidele animal à Runci quodam ipsorum dominorum castellulo Brevibus suspensis à collo, modò Turriculam intrans, modò de eadem ad Runcum festinatò regrediens, alternatim dominis illis extrema multociens quæcumque sibi dictaverant, utens quodammodo ratione, fideliter quotidie reportabat.

Venit Dux ad Papam interea, tunc cœperunt reditum insimul maturare, quod Henricus præsentiens, infecto negotio à castello remotus est, & viâ ipsâ, qua venerat, irato sibi Domino, Alemanniam rediit, Idolo, quod plasmaverat, in Urbe relicto. Tunc Papa vellet multùm, quam reddi nimis inconsultè præceperat, Circeam arcem habere. Igitur Dux, & Princeps cum Baronibus rediere, Papa in propria sede in Campaniam veniente, sui eum non sinè pretio receperunt, & ita pedetentim magis ut peregrini (27) quàm domini Romam, sicut Deus novit, intravimus. Latuit Domnus Papa

---

(27) Qui dirigit justum per vias rectas Omnipotens Deus, Gelasium Pontificem, ut patientiâ suâ Schismaticorum frangeret pervicaciam, deducebat. Porrò, contigit hoc tempore, ut Romam ad Sanctissimum Pontificem adventaret Ollegarius Hispanus, vir quidem doctrina, & sanctitate clarissimus; qua de re illum Pontifex, sanctarum ejus virtutum præscius, Archiepiscopum Tarraconensem consecravit. Sed ab ejusdem S. Ollegarii Actis rem gestam accipe: *Cùm autem audiret Papa Gelasius tam Cœlestis viri tam Cœlestem facundiam, B. Ollegarium in Tarraconensem sublimavit Archiepiscopatum, & eum in Archiepiscopali decoravit Pallio. Dedit etiam Literas Dominus Papa, in quibus erat præceptum, & injunctum per obedientiam: Ut omnes Episcopi Tarraconensis Metropolis Sancto obtemperarent Ollegario, & ei debitam subjectionem exhiberent, & obedientiam. Adjunxit quoque Papa Gelasius, ut tamdiu teneret Barchinonensem Episcopatum, donec Tarraconensem cum suis expensis sufficienter adbibitis, haberet Clerum, & civilis habitationis, & defensionis militiæ, & populi munimentum*. Hæc ibi. Corpus Sancti Ollegarii quiescit in Cathedrali Barchinonensi; ejus verò vitæ historia asservatur in Archivo ejusdem Ecclesiæ, ex quo nos editum exemplar habuimus: cujus festum in Barchinonensi Ecclesia celebratur sexto mensis Martii die, quo ille spiritum Deo reddidit anno 1136.

Præter hæc, duo illi magni Equitum Militarium Ordines Probatorem habuerunt Sanctissimum Papam Gelasium nostrum. Nam quod attinet ad Ordinem Equitum Hospitalariorum S. Joannis Hierosolymitani, qui post Rhodii, nunc Melitenses dicuntur, Franciscus Mennenius id testatur hisce verbis: *Horum Equitum ab initio Sedes primaria fuit Hospitale S. Joannis in Hierusalem (quod Militibus Hospitalariorum nomen dedit) à Girardo quodam Loca Christi pedibus calcata, & Sanguine respersa visente, novo fervoris genere exædificatum, atractisque in consilii societatem Nobilibus aliquot, Instituti sui probatorem habuit Gelasium Papam II. & vivendi rationem*. Mennemio suffragatur Frater Hieronymus Marullus Eques ejusdem Militaris Ordinis, dum in Vita Fr. Raimundi de Podio, primi Magni Hospitalariorum Magistri, ex suæ Religionis monumentis, satis asseveranter scribit: eundem Gelasium PP. II. eodem Fr. Raymundo (qui tunc primùm ab eodem Pontifice Magnus Ordinis Magister creatus est) efflagitante, Militarem hunc Ordinem approbasse anno Christi 1118. suique Pontificatus primo. Atque (ut veritatem hanc certiorem redderet) subjungit: Magnum ipsum Magistrum obiisse anno Domini 1160. cùm Religionem suam rexisset annis duobus, & quadraginta.

Tum quoque primùm idem Gelasius Equitibus eisdem Hierosolymitanis concessit: Ut supra Benedictinam nigri coloris Cucullam, sive Floccum, id est, Cucullam sinè manicis, candida Crux octangularis, cùm antea planam detulissent, sibi Posterisque Equitibus usui esset. Veruntamen in Vexillis domi, forisque deferendis, Cruce eadem candida, rubro panno, tela, vel serico uterentur.

Sed eorundem Equitum originem à Benedictinis emanasse, ex iis, quæ fusiùs in Commentariis nostris de præstantia Religionis Benedictinæ tractavimus, hìc breviùs prælibemus. Ordo igitur iste Equitum rerum gestarum magnitudine præ cæteris inclytum ab Hierosolymitano Benedictinorum Hospitio nomen, atque Institutum assumpsit. Nam cùm Hospitalitatis officium Apostolicum esse concedant omnes, quibus innotuerunt duo illa Apostoli Pauli verba maximum hoc mandatum concludentia: *Hospitalitatem sectantes*. Et hoc quidem præceptum Apostolicum, æquè ac Monasticum esse, docet præ aliis egregius Ecclesiæ Doctor Hieronymus contra Ruffinum. V. hæres. c. 4. in Apolog. dum ait: *In Monasterio Hospitalitas cordi est: Et omnes ad nos venientes præter solos hæreticos, læta humanitatis fronte suscipimus*. Antiquioribus Monachis concinuit magnus Abbas Benedictus, qui propterea in sua Regula c. 53. Formulam suscipiendi Hospites, integro capite Monachis suis tradidit: *Hospites*, inquiens, *tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè domesticis fidei, & peregrinis. Ut ergo nunciatus fuerit Hospes, occurratur ei à Priore*. Et cætera, quæ ibi sequuntur plura de Hospitio, & Hospitibus pulchriora. Ex quo præcepto laudabilis illa consuetudo manavit: ut à Patribus nostris nunquam Monasterium sinè suo Hospitio erigeretur: Innumera sanctæ istius consuetudinis exempla extant in Occidente, sed nolo ab Oriente, & Palestina ipsa discedere. Etenim in hanc usque Provinciam egregius ille Benedictinæ Religionis amplificator, Gregorius Magnus Monachos Benedictinos sic ab Urbe transmisit, ut Monasteria, simul & Hospitia inibi fundarent. Unde Joannes Diaconus ait: Vita S. Gregor. lib. 2. c. 52. *Probum Religiosum Abbatem cum multis pecuniis Hierosolymam destinavit, cujus instantiâ venerabile Xenodochium constituit: & tam ibi, quàm in monte Syna penes Arabiam Dei famulis sub regimine Paladii constitutis, quotidiani victus, & vestimenti copiam, quandiu vivere potuit, annualiter mittere procuravit*. Hæc Joannes Diaconus. Nunc rem ipsam probandam aggrediamur.

Regno Hierosolymorum cum universa Syria, & Ægypto, atque adjacentibus Provinciis, nostris exigentibus peccatis in manus Sarracenorum devolutis, non defuerunt de nostri hujus Occidentis partibus multi, qui Loca Sancta aut devotionis, aut commercii gratiâ visitarent. Inter eos autem, qui Loca illa frequentaverunt (Præter Pisanos, Venetos, & Genuenses) viri fuerunt ex Regno Neapolitano Amalphitani, qui diversi generis merces, & peregrinas, & quas Oriens prius non noverat, lucri gratiâ illuc asportantes, facilè illis fuit, ut Calyphæ Regis Ægypti, qui tunc Regionibus illis dominabatur, reliquorumque Præsidum animos magnopere sibi conciliarent. Unde illarum partium loca universa quasi negociatores confidenter poterant circumire. Hinc factum est, ut fidei Christianæ, ac paternarum traditionum non immemores, Loca Sancta, quoties opportunitas dabatur, visitabant. Non habentes autem Hierosolymis familiare domicilium, in quo possent habitare, Calypham Ægyptium adeuntes, data in scriptis facultate, gratiosè illud obti-

obtinuerunt. Hierosolymis ergo designatur eis, qui sufficiens videbatur ad construenda necessaria locus, ante januam Ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis, quantùm vix lapidis jactus est, Monasterium erigunt in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ de latina, à Natione dictum, simul cum iis officinis, quæ ad usus Monachorum, ac suæ gentis Hospitum susceptionem, poterant aliquam præstare commoditatem.

Aliud quoque ædificarunt Monasterium cum suo Hospitio in honorem S. Mariæ Magdalenæ, pro mulieribus etiam peregrinis. Quo facto de partibus suis tum Monachos, tum Abbatem, tum sorores mulieres religiosas, tum Abbatissam, sub Regula S. P. Benedicti militantes, transferentes, locum regulariter instituunt. Confluebant etiam per illa periculosa tempora nonnulli ex aliis partibus tum nobilibus, tum etiam privatæ sortis hominibus: quibus (quoniam ad Sanctam Civitatem non nisi per terras hostium erat accessus) inopes, & nudi ad ejusdem Civitatis portam perveniebant: quousque dato numismate, Urbem intrare liceret. Ingressis autem, & Locis Sanctis peragratis, non erat eis refectionis spes ulla, nisi quantum de prædicto Monasterio à Benedictinis Monachis fraternè ministrabatur. Nam omnes alii Civitatis habitatores Sarraceni erant, & infideles, excepto Venerabili Patriarcha, & Clero, ac Populo misero Surianorum, qui singulis diebus angariis & perangariis vexabantur. Christianis itaque illis sic egentibus, & afflictis, cùm non esset qui tectum præberet, à prædicti Monasterii Abbate, & Monachis (quos Beatissimos Viros appellat Tyrius) Apostolica charitate fervescentibus, misericorditer victui, ac tegumento detrahentes proprio, ad opus illorum, intra ambitum sibi designatum, Xenodochium exædificarunt: in quo & sanos, & ægrotantes collegerunt, ne de nocte per viam reperti jugularentur: atque in eodem Hospitali congregatis, de reliquiis fragmentorum utriusque Monasterii, ad quotidianam qualemcum que sustentationem ministrarunt. Erexerunt etiam in eodem Hospitali Altare in honorem S. Joannis Eleemosynarii.

Ita ergo per multorum annorum curricula (quousque placuit Altissimo Loca illa Sancta spurcitiis Sarracenorum purgare) sub iis conditionibus mansit locus ille. Adveniente mox Christiano populo, & Principibus à Deo protectis, quibus Regnum illud Omnipotens Deus tradere voluit, in Hospitali repertus est Gerardus, Vir quidem sanctæ, ac probatæ conversationis: qui pauperibus in eodem Hospitali, de mandato Abbatis, & Monachorum, multo tempore servierat: quique adjunctis sibi quibusdam honestis, & religiosis Viris, Regularem habitum ab Abbate susceperat: atque in vestibus suis nigris albam Crucem exteriùs in pectore affigens, salutari Regulæ S. Benedicti, & honestis Constitutionibus (facta sollemniter professione) seipsum, suosque obligaverat. Agnes quoque Romana, carne nobilis, spiritu nobilior, quæ in Monasterio mulierum Abbatissam egerat, in ministerio pauperum adjuncta, Benedictinam eandem Regulam, & humilitatis habitum votivè susceperat.

Præterea eidem Abbati S. Mariæ de Latina, qui tum prædicti Hospitalis, tum Fratrum Hospitalariorum principium, & Institutor extiterat: & tam Fratres ipsos, quàm peregrinos de propria mensa diu sustentaverat, obedientiam, & reverentiam, quamdiu Sanctus vir Frater Gerardus vixit, ejusque fratres pauperes fuerunt, non negarunt. Sed Dei servo, qui post Abbatem suum, primus Religiosorum dicti Hospitalis fratrum Rector fuerat, è mortalibus sublato, Frater Raimundus de Podio successit ab eodem Abbate Hospitalariis iisdem viris religiosis substitutus Rector. Hic etiamsi Religiosus alumnus ad ejusdem Abbatis mandatum pauperibus in eodem Hospitali aliquandiu ministrasset, nihilominus cùm fidelium & Principum eleemosyniis videret se, suosque religiosos fratres divites factos, armorumque itidem tractandorum gratiâ (unde Milites, & Equites dicti) necessitate compulsi, de Summi Pontificis Gelasii II. facultate, à Jurisdictione tum Abbatis, tum Patriarchæ Hierosolymitani se subtraxerunt, Fratre Raimundo de Podio jamdicto, secundo Hospitalis Rectore, tunc primùm Magno Ordinis Magistro creato ab eodem Gelasio, ut paulò supra etiam afferebamus. Quamobrem loco Regulæ S. Benedicti, quam professi fuerant, Constitutiones quasdam Christianæ Militiæ magis congruas sibi efformaverunt: quas deinde Romani Pontifices, & præsertim Lucius, Clemens, & Innocentius, ejus nominis Tertii confirmaverunt.

Veruntamen maximè animadvertendum venit illud, quod modò dicti Pontifices de eorundem Hospitalariorum Regula sermonem habentes, inter alia in suis Diplomatibus sic affirmarunt: *Fiduciam quidem habemus per Christum ad Deum: ut quemadmodum Canonicis Regularibus S. Augustini Regula concessa est ad salutem, ita vestram custodientes Regulam, ad æternæ beatitudinis bravium pertingatis.* Hæc illi: Quorum nihilominus sententia, qua ratione Augustiniani Regulæ suæ subjiciant Equites Hierosolymitanos, prudentum Lectorum esto judicium. Sed in hanc eandem rem plura his vide apud Jacobum Bosium in Historia Religionis eorumdem Equitum Hierosolymitanorum, p. 1. Rom. edit. 1621. Hæc quidem nos de origine Equitum Hierosolymitanorum ex fide dignis illorum temporum Scriptoribus, Gulielmo Tyri Archiepiscopo in Historia belli sacri lib. 18. cap. 4. 5. & 6. ac Jacobo S. R. E. Cardinali Episcopo Acconensi, in Historia Hierosolymitana, c. 64. Nam recentiores de rebus antiquioribus, differentes, tanquam opinatores, & novatores, in Libris nostris negligimus, respuimus, damnamus.

Alter Militaris Ordo, qui nostri Gelasii Pontificatum illustriorem reddidit, Militiæ extitit Templariorum, de quibus ista VVilhelmus Tyrius: (bell. sacr. lib. 12. c. 7.) *Eodem anno (1118.) quidam nobiles Viri de Equestri Ordine, Deo devoti, religiosi, & timentes Deum, in manu Domini Patriarchæ, Christi servitio se mancipantes, more Canonicorum Regularium, in castitate, & obedientia, & sine proprio velle perpetuò vivere professi sunt. Inter quos & præcipui fuerunt Viri venerabiles, Hugo de Paganis, & Gaufredus de Sancto Aldemaro. Quibus, quoniam neque Ecclesia erat, neque certum habebant domicilium, Rex in Palatio, quod secus Templum Domini ad Australem habet partem, eis ad tempus concessit habitaculum. Canonici verò Templi Domini, plateam, quam circa prædictum habebant Palatium, ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus concesserunt. Dominus autem Rex cum suis Proceribus, Dominus quoque Patriarcha cum Prælatis Ecclesiarum, de propriis Dominicalibus certa eis pro victu & amictu beneficia quædam ad tempus, quædam in perpetuum contulerunt. Prima autem eorum professio, quodque eis à Domino Patriarcha, & reliquis Episcopis, in remissionem peccatorum injunctum est, erat: Ut vias, & itinera, maximè ad salutem peregrinorum, contra latronum, & incursantium insidias, pro viribus observarent.* Hæc Tyrius.

A qua prima Sede juxta Templum Domini, Fratres postea Militiæ Templi nuncupati sunt. Sed novem annis, ipsi etiam numero novem (eodem Tyrio teste) post suam institutionem in habitu sæculari absque Regula manserunt. Fuit nihilominus ab eodem Gelasio Magnus illis deputatus Magister, Fr. Hugo de Paganis Italus, ex Nocerensi civitate propè Salernum. Cùm tandem anno Christi 1128. Concilio in Galliis apud Trecas habito, cujus Præses, vice Honorii II. Papæ, fuit Matthæus Episcopus Cardinalis Albanensis Monachus Cluniacensis, sanctitate clarissimus, cuique inter alios multos Episcopos, & Abbates interfuit S. Bernardus ille Claravallensis, Ecclesiæ Doctor Mellifluus: instituta est eis Regula, & habitus Cistercienfis Benedictinus albus assignatus, Cucullâ scilicet, vel Floccus: & paulò post Euge-

Digitized by Google

Eugenii III. auctoritate, Cruce rubra desuper insigniti.

Eorum autem Militum professio talis est: (Ap. Bernard. Brit. Chron. Cister. p. 1. lib. 5. cap. 11.) *Ego N. Miles de Ordine Templi, promitto Domino meo Jesu Christo, & Vicario ejus Romano Pontifici N. & ejus successoribus legitimè intrantibus, perpetuam obedientiam, & fidem servandam in perpetuum, Juroque me verbis, armis, viribus & vita defensurum Mysteria fidei, Sacramenta septem, 14. fidei Articulos, Symbolum fidei tam Apostolorum, quàm S. Athanasii, libros tam veteris, quàm novi Testamenti, cum expositionibus SS. Patrum ab Ecclesia receptis, unitatem Deitatis, ac pluralitatem Personarum in individua Trinitate; perpetuam Virginitatem ante partum, in partu, & post partum Virginis Mariæ Filiæ Joachim, & Annæ ex tribu Juda, ex stirpe David Regis: deinde promitto submissionem Generali Magistro Ordinis, & obedientiam secundùm statuta S. P. N. Bernardi. Ad bella marina proficiscar, quoties opus fuerit; contra Reges, & Principes infideles præstabo omne subsidium; absque armis, & equo nunquam ero, à tribus inimicorum (si insideles fuerint) licèt solus sim, non fugiam: Bona Ordinis non vendam, nec alienabo, nec consentiam alienari, nec vendi ab aliquo: Castitatem perpetuam servabo: civitates, & munitiones Ordinis non tradam suis inimicis. Religiosis personis, verbis, armis, & bonis operibus auxilium non denegabo, præcipuè Monachis Cisterciensibus, & eorum Abbatibus, tanquam fratribus, & sociis nostris. In cujus testimonium, sponte mea juro me ista omnia servaturum, Sic me Deus adjuvet, & ista Sancta Evangelia.* Hæc ibi.

Hoc ipsum etiam testatus est Vincentius Justinianus (hab. M. S. ap. F. M. Turrigium) Ord. Prædicatorum in Vita ejusdem Gelasii ita scribens: *Ordo Templariorum, & Ordo Militum S. Joannis hoc anno 1118. incœpit.* Ita ille.

Sub eodem insuper Gelasio Corpus S. Simpronii Martyris, Viâ Latinâ, repertum, ad ædem S. Laurentii in Lucina translatum fuit: cujus rei testem marmoream Inscriptionem inibi adhuc existentem affero. ✠ *Tempore Gelasii II. Papæ inventum est Corpus S. Simpronii Martyris in Via Latina, & translatum est in hanc Ecclesiam per manus Benedicti Presbyteri, & sub majori Altari est reconditum.* Ita ibi.

Denique eodem Gelasio Romæ Petri Cathedram gubernante, (ut Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII. testatur in fine.) Divinum admirabile illud etiam accidit, quòd: *Presbyter quidam incæstuosus, cùm Missæ Sacrificium celebraturus Gregorii ejusdem Papæ Casulam induere præsumpsisset, illico scabiosus effectus, vix per dignos pœnitentiæ fructus evasit.*

Sed Gelasium Pontificem Romæ commorantem iterum invisamus. Extant enim ab eodem datæ ibidem hæ Literæ apud Eminentiss. Card. Cajetanum. *J.* (Joannes.) *Gajetanus Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Abbati, & Monachis Terræ Majoris, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm super controversia, quæ olim inter vos, & Venerabilem Fratrem nostrum Civitatensem Episcopum diutiùs fuerat agitata, de utriusque partis assensu amicabilis compositio auctoritate felicis recordationis Lucii* (Urbani II. vel Paschalis II. omnino legend. non Lucii, qui sedit anno Domini 253.) *Papæ Prædecessoris nostri, sicut recolimus, intercesserit, ea, sicut prædicto Episcopo significante comperimus, negligitis observare, & illi, contra ipsius compositionis tenorem, suam justitiam subtrahere minimè formidatis. Quia igitur pati nolumus, nec debemus, ut quæ favore Apostolico, vel judicio sunt sopita, cujusquam malitiâ recidiva incurrant, vel quidquam in eorum præjudicium attentetur, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eandem compositionem omni contradictione, & appellatione cessante, inviolabiliter observetis, nec contra eam venirè de cætero præsumatis. Et si qua contra ejusdem compositionis tenorem prædicto Episcopo subtraxistis, ipsi Episcopo sinè dilatione qualibet, contradictione, & appellatione cessante, reddere minimè postponatis: aut super ipsis satisfactionem congruam exhibere, & ab administratione Pontificalis officii in S. Severo, juxta dictam compositionem curetis cautiùs abstinere, vel in festo S. Lucæ proximo venturo super his dicto Episcopo plenariè responsuri, nostro vos conspectui præsentis. Nullis literis veritati, & justitiæ præjudicium facientibus, si quæ comparuerint à Sede Apostolica impetratæ. Datum Romæ apud S. Petrum X. Kalend. August. Pontificatus nostri anno I.*

Porrò ex superioribus Gelasii Literis, illud animadvertendum venit; quòd sicut hodie Summi quique Pontifices propria nomina, quibus ante Pontificatum vocabantur, in gratiarum supplicationibus supponunt: ita olim iidem ipsi Pontifices eadem sua nomina Apostolicis suis Literis aliquando præponebant. In hunc modum Gregorii VII. has legimus Literas: (ex Roger. de Hoveden p. 1. pag. 457.) *Gregorius Papa, qui & Hildebrandus, servorum Dei servus, per totum Italicum Regnum, & Teutonicum debitam S. Petro obedientiam exhibentibus, Apostolicam Benedictionem.* In eundem modum etiam Gelasii istæ aliæ habentur Literæ: (ex Archivo Lucens. S. Fridiani.) *Reverentissimus F. Ecclesiæ Romanæ Diaconus, nunc disponente Domino, in Pontificem electus, carissimis in Christo filiis, A. Priori Ecclesiæ S. Fridiani, & ejus fratribus salutem & Apostolicam Benedictionem:* Ita ibi.

Gelasio insuper licèt Henricus Rex Burdinum Pseudopontificem objecisset, tamen Ravennates, eorumque Archiepiscopus Gualterius præ reliquis omnibus, ejusdem Gelasii partes perpetuò secuti sunt: idque tanto studio, ut Pontifex eodem hoc anno reversus Romam, qua cesserat, venientis Henrici primos vitaturus impetus, & Ravennatum voluntatem prolixè laudaverit, & restituerit Archiepiscopo eos Episcopatus, quos Paschalis ejus Prædecessor Ravennati Ecclesiæ in Synodo ad Guardastallum habito ademerat: idque fuerit hoc Diplomate amplissimè testatus: Hab. ap. Hieron. Rub. histor. Raven. lib. 5. *Gelasius Episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo fratri Gualterio Ravennati Archiepiscopo, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Unitati Divinæ Trinitatis gratiæ agendæ sunt, qui per suæ charitatis spiritum divisa conjungit, & multa jam se animas, unam facit. Ecclesia siquidem Ravennatium, per multa jam tempora, ab Apostolicæ Sedis unitate discissa, multas eidem Sedi Apostolicæ persecutiones intulit, & Ecclesiis multis perversi schismatis fomitem ministravit. Quapropter ad ejus nequitiam deprimendam, subjectarum ei Ecclesiarum quasdam sibi Apostolica Sedes assumpsit, ut vel sic eam ad humilitatis, & unitatis tramitem revocaret. Sed cùm tandem Divinæ Majestati beneplacitum fuit, eandem Ravennatium Ecclesiam misericordiæ suæ gratiâ ad unitatem, & obedientiam Matris suæ Romanæ Ecclesiæ revocavit. Iniquitatem namque suam illius filii recognoscentes, delicta patrum corrigere probaverunt: ut qui præteritis temporibus per tyrannidem Regiam, Præsules Regibus placentes accipiebant, nunc demum secundùm Canonicas sanctiones Episcopum Deo placentem eligerent: & schismate abdicato, in Catholicæ Congregationis gremium repedarent. Te siquidem Reverendissime Frater Gualteri, à disciplina Fratrum Regularium violenter assumptum, pro religionis, ac sapientiæ prærogativa, in B. Apollinaris Cathedram communi voto, ac desiderio posuerunt, & in Apostolicæ Sedis obedientiam unanimiter redegerunt. Unde nos Divinæ Trinitatis unitati gratias, personam tuam pro jure nostræ Ecclesiæ ad Episcopale ministerium, cooperante Domino, consecrantes, tibi, & per te Ravennatium Ecclesiæ dignitatem omnem, quam*

ante

Papa meliùs quàm hospitatus sit in Ecclesia, (C. Ecclesiola) quæ Sanctæ Mariæ in secundo Cereo dicitur, intra domos Illustrium Virorum Stephani Normanni, & Pandulphi fratris ejus, & Petri Latronis consortum, (*Cajetano* Corsorum) ibique de imminentibus periculis, præsertim de intrusione Burdini, cum tota simul Ecclesia diligentiùs conferebat; Cùm quidam de Cardinalibus Desiderius S. Praxedis (prope etenim erat festivitas, quod non utinam cogitasset) ad cantandum in ipsamet Ecclesia Missam simpliciter eum quodam vespere invitavit; sed nimiùm simpliciùs est à Papa concessum. Die autem crastina, & si displicuerit plurimis, quia Ecclesia esset in fortiis Frajapanum, freti tamen Stephani Normanni, (28) & Crescentii Gajetani ejusdem Papæ Nepotis antiquis stemmatibus itum est, & cantatum.

Necdum adhuc celebratis officiis, ecce cum non parva manu militum, ac peditum, & aliorum procacium, impii Frajapanes apparent, irruunt, lapides, & spicula mittunt, nostros affligunt, multi pauculos atterunt; resistit miles Normannus, & Crescentius gloriosus cum eo: resistunt undique nostri, jacula mandata remandant, ensis atteritur ense, lancea retusa retundit;

ante illius divisionis tempora, per Romanam Ecclesiam possederat, restituimus. Per præsentis enim Privilegii paginam, salvo in omnibus jure, atque auctoritate Sedis Apostolicæ, concedimus tibi, tuisque successoribus in ejusdem Sedis Apostolicæ subjectione, atque obedientia permanentibus, Episcopatus Hemiliæ Provinciæ, idest, Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Hadriæ, Comacli, Imolæ, Faventiæ, Forlivii, Foripompilii, Bobii, Cæsenæ, Ficochii. Confirmamus etiam vobis Ducatum Ravennæ, & Monasteria S. Adalberti, & S. Hilari in Galiata, & cætera Monasteria, seu possessiones ad vestram Ecclesiam pertinentes, per authentica Privilegia ab Antecessoribus nostris, & à Catholicis Regibus tradita. Pomposiani quoque Monasterii curam religioni tuæ, salvo Ecclesiæ nostræ jure, committimus, ut præstante Deo, Regula disciplinæ per tuam industriam reformetur. Præterea Fraternitati tuæ Pallium, Pontificalis videlicet officii plenitudinem, ex Apostolicæ Sedis liberalitate concedimus: quo Fraternitas tua secundùm Ecclesiæ tuæ morem, ex Apostolicæ Sedis concessione permissum, se noverit induendum: cujus nimirum Pallii volumus per omnia genium vendicare. Hujus siquidem indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente Fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicam bonis, perversis contrariam: nullius unquam faciem contra veritatem suscipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens: misericordiæ operibus, juxta virtutem substantiæ insistens, & tamen insistere etiam super virtutem cupiens: infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans: in corrigendis vitiis piè sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens: in ira judicium sinè ira teneas; in tranquillitate autem Sanctitatis justæ censuram non deserens. Hæc est, Frater charissime, Pallii accepti dignitas, quam si sollicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Ego Gelasius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus subscripsi.

✠ *Signum manus meæ Gelasii: Deus in loco sancto suo.*

Datum Romæ, per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Card. VII. Id. Aug. Indictione XI. anno Dominicæ Incarnat. MCXIX. Pontificatus Autem Domini Gelasii II. Papæ, Anno I. In hunc modum descripsit ex Archivo Ecclesiæ Ravennatis Hieronymus Rubeus, vir doctissimus, & amicus quondam meus. Cardinalis verò Baronius (Annal. to. 12. in Appendice) hoc idem Diploma ex altero MS. exemplari, datum fuisse affirmat pridie antequam Urbe recederet Gelasius, ipsis nempe Kalendis Septembris, & Indictione 12. Nam Indictio una cum mense Septembris duodecima inchoatur; sicut & annus Redemptoris ab Incarnatione post millesimum nonus decimus jam incœpit.

(28) Ita MS. Eminentiss. D. Card. Barberini codex: Cardinalis verò Baronius: antiquis strenuitatibus, itum est ad cantandum. Porrò Stephanum Northmannum Pandulphi germanum fratrem, Militem etiam nobilissimum, si non fratrem ut opinor, saltem sanguine Innocentium II. Papam contigisse putandum est: qui etiam è Familia Northmanna, non Guidonea, quæ mox de Papa & Paparesca vocitata est, originem traxit; ut Onuphrius Panvinius, & Alphonsus Ciaconius in Innocentio II. & gratis quidem asseruere. Annales etenim Pisani scripti ab ejus temporis Auctore, quique apud nos extant manu exarati apertissimè id profitentur: *Innocentius*, inquiunt, *natus Joanne Northmanno Romano Transtiberino, qui priùs cum populoso exercitu Romam missus fuerat Sedis Apostolicæ Legatus contra Rogerium Regem Romanorum (ita enim ipse voluit appellari) qui modò possidet Regnum.* Sed de his aliàs.

Quod verò ad Crescentium Cajetanum Gelasii Papæ nepotem spectat, nec impari ille nobilitate fuit: uterque enim antiquis Stemmatibus, alto scilicet sanguine & vetusta nobilitate ortus asseritur à Pandulpho ejusdem temporis Scriptore. Extat in Archivo Ecclesiæ Cathedralis Cajetæ Instrumentum, quod Crescentii hujus, ejusque patris Marini meminit hisce verbis. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, ab Incarnatione ejusdem Domini nostri anno 1121. quam & primo anno Ducatus, atque Consulatus Domni Riccardi, Divina auxiliante misericordia gloriosi Consulis, & Ducis, mense Decembris, Indictione 15. Gajetæ. Certum est me Crescentius, Domini gratia, Miles & filius Domni Marini Consulis b. m. à præsenti namque die, & in omne futurum tempus vendidissem, & vendidi, tradidissem atque tradidi, vobis videlicet Joanni Mancanelle, & Mira bonf. jugalibus habitatoribus suprascriptæ civitatis, tota, & inclyta ipsa petia de terra nostra, quæ est posita in Agro Gajetano, in Territorio Planciano, &c.* Hæc de Crescentio filio, & Marino patre. De avo autem, & abavo ejusdem Crescentii aliisque illius majoribus Cajetæ, ac Fundorum Ducibus, aliud inde desumptum monumentum, quod in Candidatorum Antiquitatis gratiam exhibeo, hæc habet: *In nomine Domini Dei Salvatoris Jesu Christi. Tricesimo anno Ducatus Domni Bernardi filii Domni Leonis, simulque & Domni Crescentii filii q. Domni Crescentii Præfecturii, & sextodecimo anno Ducatus Domni Johannis filii Domni Marini, excellentissimis Ducibus, mense Febr. Indict. 10. Fundi. Memoratorium factum à me Bernardo Consule de civitate Fundana, filio q. Domni Leonis, &c.* Summam Instrumenti, brevitatis causâ, solùm referre hoc loco voluimus: Domnus Bernardus, inquam, Dux modò jam dictus convênit cum D. Landone Comite Suessæ filio b. m. Domni Landolfi (quorum fidei jussor est Domnus Crescentius Consul, & Dux Fundanus, & filius b. m. Domni Crescentii Præfecturii) ut in uxorem ducat Domnam Offam filiam ejusdem Domni Landonis Comitis Suessæ: quam & illi tradidit per Spatam, & arram pro ea, secundùm legem, annullum dedit: ac inter eos constitutum est, ut Dominicâ venturâ proximâ nuptiæ perficiantur. Dos uxoris erat integra quarta pars ipsius Landonis civitatum, & castorum, ac servorum, & ancillarum, atque rerum omnium sive mobilium, sive stabilium.

Digitized by Google

dit; hinc pedites, illinc milites cadunt: undique strati, undique pugna gravis; Papam cupit iste tenêre, iste tuetur eum, miles utrinque cadit, turbæ ruunt, pedites saliunt muros, capiuntur ex nostris aliqui, non tamen eximii. O quantus luctus omnium! quanta præcipuè lamenta Matronarum, quæ Papam solùm tanquam scurram per campos, Sacris pro parte vestibus revestitum, quantum equus poterat, fugientem videbant. Hunc crucifer sequitur, cecidit muliercula, quem tunc invênit, abscondit, sonipemque trucemque recondit, & in fero reduxit.

Jam quarta parte diei acriter est ab utrisque pugnatum: Cùm Stephanus Normannus credens Papam jam in tuta fugisse, taliter Frajapanes alloquitur: Quid, inquiens, facitis? quò ruitis? Papa, quem quæritis, recessit, jam jam fugâ elapsus est, numquid & nos perdere cupitis, & quidem Romani sumus similes vobis: &, si dici liceat, consanguinei vestri; Recedite ergo, recedite, ut & nos fessi recedamus. Ad hanc itaque vocem Leo nepos ejus Frajapane gemebundus Papam audiens liberatum cum insano fratre Centio, aliisque recessit, redierunt & nostri, non omnes. Interim Papa utrobique petitus demum intra campos Sancti Pauli Ecclesiæ adjacentes, fessus, tristis, & ejulans inventus est, & deductus. Die illo prandium cum cœna fit unum inter spem, & metum, animi cunctorum nutabant dolentes, & quantum ad diem, & per longa tempora memorabilem attinuit consiliatum est; Nox consilium diremit.

Sanè die altero, quicumque secundùm libitum, hæc & illa tradentes, Papa post omnium sententias dixit: Viri, fratres, & filii sicut nec longè malum est, ita nec longo opus est, nec novo sermone; sequamur patres nostros, quoniam valde bonum est antiquos sequi parentes; sequamur nihilominus Evangelium; quandoquidem vivere in Civitate ista non possumus, fugiamus in aliam, fugiamus Sodomam, fugiamus Ægyptum, fugiamus novam, juxta Propheticum verbum, Babiloniam: civitatem sanguinum fugiamus; veniet, credite mihi, veniet aliquando tempus, cùm, vel omnes, vel quos Deus permiserit flante austro redibimus, & tempora meliora redibunt. Ego coram Deo, & Ecclesia dico: Si umquam possibile esset, mallem unum Imperatorem, quàm tot: Verùm unus saltem nequam perderet nequiores; donec de illo quoque evidentem justitiam Imperatorum faceret omnium Imperator. Ad hoc omnes pariter una voce clamaverunt: fiat, sic fiat, jungentes tertiò fiat. Amen.

Singula itaque singulis juxta modum omnium, ac mensuram, omni tarditate seposita, Ecclesiæ ministeria personis assignata sunt, vel concessa. Venerabilis Pater Domnus Petrus Episcopus Portuensis loco Papæ Vicarius constitutus; Cardinales aliqui ei sunt in auxilium sociati; (29) Viro Reverendissimo, & sagaci Domino, & avunculo meo Hugoni Cardinali Apostolorum Beneventanæ urbis custodia (prout postea vidimus) non sinè Sancti Spiritus est oraculo commendata; nam paulò post deficiente Papa nisi ipse resisteret, & mille modis illis obviasset, Normanni illam hodie, & non Papa teneret. Nicolao Seni cantorum schola conceditur. Petro dicto Præfecto, per quem Domino nostro sanctæ memoriæ Papa Paschali mala plurima provenerunt, occasione ista (etenim aliter vix fuisset) Præfectura Urbis nequam, & indignissimo homini stabilitur. Princeps & clypeus omnium pariter curialium Stephanus Normannus, collaudantibus omnibus, protector ac vexillifer in Dei Patris nomine nimis efficaciter ordinatur, & ad Urbis custodiam cum jam dictis aptatur.

Navibus interea plurimis, & aliis optimè pro tempore præparatis, quia per terram non poterant, nobis Beneventum jungentibus, Papa mare intravit, atque post dies aliquot Pisas prosperè applicuit. Exierunt cum eo Domnus Johannes Cremensis, Guido Sanctæ Balbinæ, & de Diaconis Cardinalibus Domnus Petrus Leonis, Gregorius Sancti Angeli, Roscemanus, atque Chrisogonus; sed & de Romanis nobilibus Petrus Latro, & Johannes [illegible] fratres Petri Præfecti, & quidam minores alii Clerici, sive Laici præter ipsorum domesticos, & custodes. Hi omnes cum Papa simul honorificè satis atque solemniter ab innumera Cleri, & populi multitudine Pisis recepti sunt, & tractati, (30) ubi idem Papa inter alia multa super verbo Psalmistæ: *Dixi, pronunciabo adversùs me justitias meas Domino, & tu remisisti iniquitatem cordis mei*, sermonem talem habuit, qua-

(29) Gelasius Pontifex Româ Pisas & in Galliam abiturus, cuncta in primis Romanæ Ecclesiæ, & Urbis officia, ac ministeria prudentissimè disposuit. Extat apud nos ex Registro Monasterii Beneventani S. Sophiæ Rescriptum quoddam Bernardo ejus Monasterii Abbati directum ab illis Cardinalibus, qui (ut Pandulphus affirmat) absente Gelasio, & Ecclesiam, & Urbem, & Statum Ecclesiasticum regebant, quod sic se habet *Nos Dei gratiâ Episcopi, & Cardinales, Centius Sabinensis, Petrus Portuensis, Vitalis Albanensis, Johannes Cardinalis Tit. S. Cæciliæ, Rainerius Tit. SS. Marcellini & Petri, Desiderius Tit. S. Praxedis, Dilecto Fratri Bernardo Venerabili Abbati Monasterii S. Sophiæ, ac ejus venerandæ Congregationi Salutem. Audivimus, quòd Anso quærat vendere molendina duo ex illis quatuor, quæ Dominus noster Beatæ memoriæ Paschalis Papa sibi reddidit, suisque hæredibus: & ad semper habendum Apostolico Privilegio confirmavit: vel ad faciendum exinde quicquid sibi placuisset. Innotuit etiam nobis, te ea velle emere, pro eo maximè, quia contigua sunt, & congrua molendinis Monasterii tui. In qua causa postulasti licentiam præberi tibi à Romana Curia. Sed quia Dominus Papa absens est, communicato omnium nostrum consilio præsentibus Literis, in vice Domini Papæ, damus, & concedimus tibi auctoritatem illa emendi, & perpetualiter habendi, & omnia inde agendi ad utilitatem Monasterii tui, quæ volueris sine aliqua inquietudine. Et, ut hæc nostra concessio robur perpetuum habeat, Sigillo Domni Petri Portuensis Episcopi, qui vice Domni Papæ Gelasii fungitur, eam signari fecimus.*
Ego Hugo Cardinalis Tit. Apostolorum Provisor Beneventanæ Curiæ consensi, & subscripsi.
Ego Stephanus Diaconus Beneventanus Rector, assensum præbui, & subscripsi.
Superiores autem Literæ, licet certâ diei, & anni notâ careant; nihilominus cùm scriptæ dicantur, absente Gelasio Papa, haud dubium, quin à mense Octobris ad Decembrem anni 1118. quibus Româ idem Pontifex absens fuit, datæ fuisse noscantur.

(30) Pisis, inquam, & ab ea Republica tunc potentissima honorificè susceptus. Humanissimi namque, & Hospitales in Romanos Pontifices fuere semper Pisani. Siquidem unicum illud, certumque refugium in Italia fuit eisdem persecutione vexatis, à quibus dignè consuevissent suscipi, & mirum in modum adjuvari; atque à Schismaticis, & infidelibus conatu, & sanguine defendi. Sed præstat hoc loco

Digitized by Google

loco idipſum de Piſanis comprobare Urbani II. Maximi, Sanctiſſimique Pontificis auctoritate. Sub Datum enim Anagniæ II. Kal. Maji, anno Dominicæ Incarnationis 1092. Pontificatus quinto, ad Daibertum ab eodem creatum tunc primùm Archiepiſcopum Piſanum, ita ſcribit: *Cùm univerſis Sanctæ Eccleſiæ filiis ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate, ac benevolentia debitores exiſtamus; illis tamen Locis, atque perſonis, quæ ſpecialiùs ac familiariùs Romanæ adhærent Eccleſiæ, quæque ampliorem ejus gratiam obedientia gratiori, officiis frequentioribus, & auxiliis amplioribus merentur, propenſiori nos convenit charitatis ſtudio imminere. Ipſe enim per Prophetam Dominus ait: Honorificantem me honorificabo. Diſcipulis ſuis quoque anguſtiarum, quas pro eo pertulerant, retributiones promittens, dixit: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis; & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, Regnum. Quia igitur in tanta, tamque diuturna Schiſmaticorum tempeſtate, Piſanorum glorioſa civitas, multis jam dudum laboribus, & obſequiis Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam ſibi fecit obnoxiam: tua quoque Fraternitas Divinæ charitatis ardore ſuccenſa, ob ejuſdem S. R. E. libertatem, non ſolùm impendit, ſed & ipſa ſuperimpendi parata eſt, & noſtris laboribus cooperata, multiſque modis tribulationum particeps effecta. Nos, præſtante Domino, beneficiorum tantorum meritis reſpondere curamus, ut ſicut nos præteritorum memores ſumus; ita & ipſi tantæ gratiæ favore donati, futuris temporibus S. R. E. fideliores, ac devotiores exiſtant, & benigniori Matri gratiores filii ſemper amando, adjuvando, obſequendo reſpondeant. Divinæ ſiquidem Majeſtatis diſpoſitio Piſanæ Urbis gloriam noſtris temporibus & Sarracenorum triumphis illuſtrare, & plurimis ſæcularium rerum provectibus promovere, & præ Comprovincialibus exaltare dignata eſt.* Hæc Secundus Urbanus.

Sed quibus, & quantis, putas Lector, pecuniarum expenſis, laboribus, ſudoribus, algoribuſque, atque mortibus pro Romanis Pontificibus, ejuſque Eccleſia exantlatis, acquiſivere, ac promeruere potius Piſani invicti Chriſti milites hæc laudum præconia, hos victoriæ titulos, has coronas ab ipſis Chriſti Vicariis Sapientiſſimis Pontificibus affigi in Eccleſia, æquè & in Sede Apoſtolica, non æneis, & marmoreis, verùm æternis Apoſtolicarum teſtificationum monumentis? Quamobrem Joannes Carolus Florentinus in Vita Simonis Saltarelli Archiepiſcopi Piſani; unà cum aliis hab. M. S. in Bibliothec. Dominican. Florentiæ, ex eorundem Pontificum Privilegiis jure optimo affirmabat: *Hinc ergo potuit provenire, ut dignior cæteris omnibus Italiæ hæc ipſa Piſanorum Metropolis eſſe meruerit. Nam qui ejus civitatis Antiſtes declaratus ſit, ut primum Metropolis Solium attigerit, Lateris Legatione dignatur. Deinde, noſtro ut more loquamur, & Palatinus Comes, & Corſicæ, ac Sardiniæ vocitatur Primas. Age verò, quòd nonnullis anni diebus, uti Pontifex Maximus Pallio utitur; ſtuppaque Templum ingredienti accenditur: cæteriſque aliis Pontificiis Inſignibus honeſtatur, ut Summus Pontifex, præter capitis ornamentum, in cæteris judicetur. Eos quoque quos Canonicos, ſeu Capellanos dicimus, eiſdem ferè diebus, primos quidem Cardinalium amictu ornatos, alios verò Præſulum veſtimento decoros cum ſumma ſpectantium voluptate quiſque intueri, ac magnoperè venerari poteſt.* Hæc ille.

Metropoliticæ autem Romanorum Pontificum Regiæ huic Piſanæ Eccleſiæ poſt benemerentis memoriæ Julianum Medices, Dominum meum, atque amicum opt. præſidet jamnum Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Scipio ex Comitibus Elcenſibus, antiqua Senenſium nobilitate clarus, immo clarior doctrina & zelo Religionis Eccleſiaſticæ.

Sed glorioſa Piſanorum facinora etiam à Romanis Pontificibus ſummè commendata, ex antiquis Scriptoribus, atque ejus Reipublicæ monumentis, nonnulla hìc alia breviſſimè recenſere opportunum duximus: atque ex eo præcipuè quòd Hiſtorici (jure, an injuria ipſi viderint) ea ſilentio contexerunt.

Itaque Joanne XVIII. Pont. ſedente, Piſani Sarracenos adorti ſunt: qui Romana litora depopulati, ipſamque Urbium Reginam Romam ingreſſi fuerant, eoſque ingenti cæciderant ſtrage, obvectam recuperarunt prædam, reduxerunt Nobiles Romanos, eoſque Pontifici donaverunt.

Præterea ad Benedicti VIII. Imperium, eoſdem Sarracenos occupantes Sardiniam, Italiamque bello, & ſanguine miſcentes, ea primùm ſtraverunt cæde, ut Vexillo ſanguineo inpoſterum geſtando donarentur: deinde penitus exterminarunt, ut ne unus pæne ſupereſſet tantæ ruinæ.

Nota quoque Joanni XX. Victorique III. Piſanorum virtus fuit: iis enim mandantibus Africam ingrediuntur, expugnant Carthaginem, captivumque abducunt Sarracenorum Regem, tranſmittúntque felici eventu Joanni Papæ imbuendum Chriſtiana fide. Ad Victoris etiam nutum, multis Africæ deprædatis Oppidis, Sarraceniſque interfectis, coëgerunt paganum Regem tributarium fieri Romano Pontifici, & Coronam Regiam eidem quot annis tranſmittere.

Ad hæc, Piſani videntes Panormitanos Sarracenos temerè infeſtantes Etruriæ litora, immo totius Italiæ (adhortante etiam Maximo Pontifice Alexandro II.) adversùs illos claſſem inſtruxerunt, atque ad eos debellandos Panormum uſque perrexerunt. Rem totam à Thoma Fazello deſcriptam accipe, lib. 7. Poſter. Decad. C. I. Hiſtor. Sicil. ſic enim ille: *Poſt hæc Piſani, (quorum nomen cum omni Italiæ, tum Genuenſibus præſertim, multiſque quàm remotiſſimis regionibus jam tum terrori fuerat: quippe qui ampliſſimum in Etruria Principatum tenentes, poſt Sardiniam, Corſicamque ſubactam, Suldano Ægypti bellum intulerunt, & quod gloriâ digniſſimum eſt, Hieruſalem quoque ipſam urbem Sanctam, magnamque Paleſtinæ, ac Siriæ partem, pulſis Sarracenis, armis prædomuerant) à Sarracenis Panormitanis in Etruriæ litoribus infeſtati, ſeptem triremes militibus inſtructas ad Rogerium, dum Troynæ ageret, mittunt, eum ad Panormum regiam Sarracenorum expugnandam non quidem prædæ, ſed injuriarum vindicandarum ſtudio, invitant. Rogerius, quia graviora ſibi bella imminebant, veritus ne dum Panormum oppugnaret, quæ in Sicilia adeptus fuerat oppida, ammitteret, in tempus commodius rem differendam, reſpondit. Piſani hoc reſponſo non contenti, ex Mylis, ubi tum reliquam claſſem in ſtationibus habebant, recto curſu Panormum applicant; urbemque aggreſſi, ferream catenam, qua portus fauces claudebantur, vi tormentorum perfringunt, portum ingrediuntur, ſtationemque irrumpentes, quinque naves mercibus onuſtas, quæ in anchoris ibi ſtabant, capiunt, atque ſecum Piſas aſportant, ex cujus prædæ pretio maximum Piſarum Templum erexerunt, ut ipſorum, & Siculorum annales referunt. Erat tum annus ſalutis fermè 1063.* Huc uſque Fazellus.

Sed ſtrenuus hic Piſanorum auſus eò glorioſior æſtimari debet, quò faciliorem poſtea viam ſtruxerit, ut Robertus Dux, ejuſque germanus frater Rogerius Comes, cæterique Chriſtiani milites non ſolùm ea Sarracenorum Regia urbe, verùm etiam tota Sicilia potirentur. Nam eoſdem Piſanos in acquirenda deinceps Sicilia ab eorumdem Sarracenorum manibus eiſdem Nortmannis Principibus auxilio fuiſſe, ex modò citatis à Fazello annalibus certò conſtat. Jure igitur merito (quòd Piſani non in poſtremis fuerint, ut Chriſtianum nomen tum Panormo, tum reliquis Siciliæ civitatibus & locis reſtitueretur) factum eſt, ut nobiles eorumdem poſteri ſequentibus annis non ſolùm ab eadem urbe feliciſſima decreti cives peramanter exciperentur, & eximiis honoribus & claris titulis donarentur, verùm etiam ab aliis per idem Regnum civitatibus & locis.

At

At horum omnium gloriosissimum fuit quod, Urbani II. auspiciis, in Terra Sancta gesserunt. Suis quidem armis expugnarunt Ptolemaïdam, quam & Accon dicunt; & Joppen; ac reliqua etiam multa Palæstinorum marina Oppida, maxima Christianis militibus obstacula, ipsasque Hierosolymas ea obsederunt parte, qua durior pugna videbatur esse, plurimumque auxilii ad eas capiendas contulerunt: ædificaruntque munitissimam Arcem in monte Syon, quæ Castrum Pisanum etiamnum hodie appellatur. Harum verò Victoriarum caput, & causa Pisanus Populus fuit, quem solum antea iis in partibus adversùs Sarracenos pugnasse compertum est.

Verum enim verò inter alias causas, propter quas Pisani contra Sarracenos Sepulchrum Domini & Terram Sanctam tyrannicè occupantes, ac deturpantes præ cæteris arma sumpserunt, ea una præsertim fuit, quòd Silvester II. Romanus Pontifex anno sui Pontificatus primo, & Christi Domini 999. captivum ejusdem Domini Sepulchrum eamque sacram Regionem, quam divinis ipse pedibus calcaverat, barbaricè devastatam, religiosa illa sua pietate motus considerans, ut Populum Christianum tantæ ignominiæ vindicandæ occursurum hortaretur, singulare illud eximiæ charitatis monumentum edidit: nimirum Hierosolymitanæ Ecclesiæ nomine, ad universalem Catholici Orbis Ecclesiam Romanam, ad ferendum aliquod subsidium exhortationem per brevem Epistolam, sed sententiis gravem, quæ sic se habet hoc premisso titulo (Epist. 38. Edit. Paris.)

Ex Persona Hierusalem devastatæ universali Ecclesiæ. Ea quæ est Hierosolymis, universali Ecclesiæ Sceptris Regnorum Imperanti. Cùm bene vigilas, Immaculata Sponsa Domini, cujus membrum esse me fateor, spes mihi maxima datur per te caput attollendi jam penè attritum. An quidquam diffiderem de te rerum Domina, si me recognoscis tuam? Quisquam ne tuorum famosam cladem illatam mihi putare debebit ad se minimè pertinere utque rerum infima abhorrere? Et quamvis nunc dejecta, tamen habuit me Orbis terrarum optimam sui partem. Penes me Prophetarum Oracula, Patriarcharum insignia. Hinc clara lumina Mundi prodierunt Apostoli: hinc Christi fidem reperit Orbis terrarum: apud me Redemptorem suum invénit. Etenim quamvis ubique sit Divinitate, tamen hic humanitate natus, passus, sepultus, hinc ad cœlos elatus. Sed cùm Propheta dixerit: (Isaja 2.) Erit sepulcrum ejus gloriosum; Paganis loca sancta subvenientibus, tentat diabolus reddere inglorium. Enitere ergo miles Christi esto signifer & compugnator: & quod armis nequis, consilii, & opum auxilio subveni. Quid est quod das, aut cui das? nempe ex multo modicum: & ei, qui omne quod habes, gratis dedit, nec tam ingratis recepit, & hic eum multiplicat, & in futuro remunerat. Per me benedicit tibi ut largiendo crescat, & peccata relaxet, ut secum regnando vivas.

Hucusque Silvester Benedictini Ordinis, æquè ac Romanæ Ecclesiæ decus præclarissimum: ut planè primus inveniatur (inquit Cardinalis Baronius tom. II. ad A. C. 1003.) qui sanctæ Militiæ Classicum occinuerit, quemadmodum & Pisani inventi sunt primi, qui Pontificio sanctæ Militiæ Classico obediverint. Utinam Deus qui solus scrutator est cordium, corda Principum Christianorum Divini sui Spiritus illustratione penetraret, ut tandem ipsi Mahometicam ignominiam, & Magno Jesu Christo D. N. irrogatam injuriam vindicarent: utque ejus sepulcrum salutis nostræ Triumphus, via tutior fieret ad superna Cœlorum gaudia progredientibus. Quod faxit ipse Deus, qui & benignus, & misericors est: ut demum digni efficiamur Divinis ejusdem promissionibus.

At quoniam isthæc de Bello Sacro Pisanorum gesta gloriosiora sunt, quàm sibi quisquam persuadere possit, eorundem Annales de iisdem loquentes, quæso, audiamus: Illorum verba sunt: *Anno Domini 1099. Populus Pisanus jussu Domini Urbani Papæ II. cum Navibus centum viginti ad liberandam Hierusalem de manibus Paganorum profecti sunt: quorum Rector, & Ductor Adimbertus Pisanus Venerabilis Archiepiscopus extitit (qui primus Hierosolymis factus Patriarcha cum auctoritate Legati à Latere per Orientem, remansit) & cœpit Lucatam, & Cefaloniam, & Maidam, & Laodiciam cum Boamundo, Gibellum cum Raymundo Comite Sancti Ægidii. Inde igitur digressi, venerunt Hierusalem, & cœperunt eam anno millesimo centesimo.* Addunt quoque iidem Annales: *Anno Domini 1110. Pisani fuerant ad capiendam Hierusalem Civitatem, & Cæsaream, & destruxerunt Civitatem Caipha: & postea fuerunt ad capiendam Civitatem Suri: & in reversione Stoli cœperunt Lucatam, & alias multas Civitates Græciæ. Unde Imperator Calojani dedit eis suam benedictionem: & donationem in unoquoque anno S. Mariæ Pisanæ facere promisit, atque firmavit.* Hæc ibi.

Cæterùm Sacro huic Bello ex Pisana Cajetana Domo (Navibus aliquot propriis ejusdem impensis, munitis) tres magni nominis inter alios, interfuisse viros, Gelasii II. Gentiles, Joannem videlicet, Hugonem, & Gerardum, ex perantiquis ipsis Pisanorum Annalibus tradunt Josephus Castalionius, Fabricius Matthejus, Scriptores utique eruditissimi. Et quidem Castalionius inter cætera laudum præconia, de eadem Cajetana Domo hæc adjecit:

Hinc elata opibus magnis, acerrima bello,
Regna Sacerdotum tutata est fortibus armis,
Romanæ Ecclesiæ, & Solio fidissima Petri.
Vos ego præteream æterna notissima fama
Nomina, Joannes, Hugo, Gerarde? Syrorum
Imbelles turmæ vestris cecidere sub armis
Cùm sacrum asseruit pietas armata Sepulchrum,
Sanctaque Idumæas retulit Victoria palmas.

Hæc ille.

His accedit Jacobus Cajetanus, qui anno Domini decimo supra millesimum centesimum (ut etiam Annales Pisani sub. an. 1110. testantur) hortante Paschali ejus nominis Secundo, Pisanam classem duxit adversùs Sarracenos, Italiam, ejusque Insulas deprædantes, ac devastantes: quorum etiam ut Barbaricam reprimeret audaciam, Tripolim Syriæ felicibus auspiciis cœpit subegitque: atque eosdem Sarracenos in Africa aggressus, capta Bona ipsorum Civitate, & per multis tum Castris, tum Oppidis solo æquatis, singulare in Sedem Apostolicam religiosissimus ipse Dux officium, ingentem in Rempublicam Pisanam triumphum, ac mirificum in Cajetanam Familiam splendorem importavit.

Ad hæc Paschalis idem Papa II. qui Urbano II. successit, cùm videret Sarracenos ex Hispania, atque Insulis Balearibus in dies prodeuntes, universamque Italiam, & Romam ipsam deprædantes, ad Pisanam etiam Rempublicam singulare Sedis Apostolicæ, æquè ac nominis Christiani refugium, & solatium confugit. Sed quid ad piissimi Pontificis hortamenta, atque instantissimam Principum Hispanorum efflagitationem, pii & ipsi Pisani præstiterint, iidem eorundem Annales sic adnotatum reliquerunt: *Anno Domini 1114. Pisanus populus jussu Domni Papæ Paschalis II. perrexit Majoricam cum trecentis diversorum nominum Navibus, & in die S. Sixti exivit fauces Arni, cum immenso ploratu senum, parvulorum, & mulierum: & devenientes prius ad Insulam Evisam, Civitatem ibi fortissimam sitam, dictam similiter Evisam, per mensem obsiderunt: & pluribus, & damnosis hinc inde præmissis præliis, eam cœperunt: & mirabili Sarracenorum multitudine detruncata, scilicet die S. Laurentii: & postea die S. Bartholomæi ad Insulam Majoricæ applicuerunt, & eam per sex menses obsiderunt: & tandem usque per totum mensem Aprilis eam devicerunt, & ultra quinquaginta Sarracenorum millia occiderunt, & Christianos ibi captos per diversa tempora ipso die de carceribus liberaverunt: qui numero inventi sunt triginta millia. Ante tamen quàm Pisani ad Evisam devenirent, quando eam cœperunt, in litore Barcinonæ passi sunt Navium multarum*

Digitized by Google

rum naufragium . Sed quis enumerare posset dispendia, pericula, & mortes, quæ Pisani passi sunt ibi? In ipso quippe itinere per viginti sex menses steterunt : & tantam exaltationem victoriæ reduxerunt, quòd oblita est totaliter omnium copia penè dolorum. Hæc ibi. Sed plura his habet qui fuit à Sacris Archiepiscopi Pisani Legati Pontificis & Pisanæ classis Ductoris, in Libro Majolichismo apud nos MS.

A

Cæterùm qui in hoc Balearico bello ex primis unus in ea expeditione Dux constitutus est Gerardus Cajetanus extitit, Gelasii II. Gentilis, Eques bellicosissimus : à quo Maurorum illorum Regem Rachium invicto animo occisum, testatur qui eo tempore vivebat Archiepiscopi Pisani Pontificii Legati & Ductoris universæ classis à Sacris ejusdem belli Scriptor, dum primariæ Majoricensium Urbis expugnationem aggreditur, inquiens : (Liber Majolichismus MS. apud nos.)

B

Gerardus Gaitanus adest, qui cuspidis ictu
Cerbereas Rachium transfixum misit ad oras.

Itaque ob tam insigne facinus, uti de Christiana Republica optimè meritus, non solùm amicitiis Principum, & præcipuè Sedis Apostolicæ, utque Hispanorum floruit, verùm etiam splendorem ampliorem, & dignitatum titulos tam Pisis, quàm in urbe Toletana suis posteris, ac gentilibus est adeptus. Ejus enim gratiâ ab eodem Paschali II. Gregorius illius filius creatus est S. R. E. Presbyter Cardinalis Basilicæ duodecim Apostolorum : Fuit etiam à Raimundo Berengario IX. Barcinonæ Comite, magnarum virtutum Principe (ut perpetuum extaret apud omnes tantæ virtutis, ac gloriæ monumentum) Serenissimæ ejus Domus Insigniis, Baculis nempe, sive Palis duobus sanguineis in aureo scuto : quibus unà cum priscis Familiæ suæ stemmatibus uteretur, cohonestatus : *Pisanos ad securitatem* (Lucii Marinæi de eodem Raimundo Berengario loquentis verba sunt de rebus Hispan. lib. 9. in fin.) *certo fœdere, & jurejurando sibi socios adjunxit : & Armorum suorum parte decoravit : ut scilicet Sancti Georgii Signis, & Armis, quæ Barcinonensis Comitatus erant, uterentur*.

C

Partem, inquam, Insignium, hoc est baculos illos rubros duos in aureo scuto, (quibus Barcinonensis civitas, ejusque Comitatus utebantur, atque etiam nunc utuntur) Gerardo Cajetano Pisanæ Reip. classis Progenerali, immo armorum Generali, suisque posteris Cajetanis concessit. Nam Comites ipsi Barcinonenses, sicut postea Matrimonii gratiâ, Reges Aragonenses non partem Insignium, sed integra deferunt, hoc est Palos, sive Baculos quatuor sanguineos in eodem aureo umbone. Quo magno demonstrationis argumento Raimundus ipse Berengarius Princeps Gerardi ipsius in eo Majoricensium bello præ aliis tum dignitatem, tum strenuitatem satis superque declaravit, Regalia verò Insignia hæc Barcinonensia, atque Aragonensia tanti mox fecit Cajetana domus Pisana, ut Rainerius Gerardi modò dicti fratris germani, Cajetani filius, Reipub. Pisanæ Consul, dum anno Christi 1163. ab eadem ad Fridericum I. Imperatorem Orator destinaretur, non solùm obtinuerit Imperialem eorumdem Insignium confirmationem, quin etiam, ut nobilis eorumdem Insignium cassis Aquila ornaretur Imperiali. Notissima hæc sunt etiam ex perantiquis Cajetanæ nostræ familiæ monumentis (extat MS. apud Hæredes Philippi Cajetani Patritii Florent.) Petrus quoque, qui Pisis in Siciliam veniens, Cajetanum nomen ibidem propagavit, hæc eadem Insignia detulit : ejus etiam posteri, Syracusis præsertim degentes ad hunc usque diem iisdem ipsis utuntur. Quibus ego seniorum Gentilium meorum etiam voto, in minori sanguineo scuto argenteum leonem ad dextram insilientem, ac divisum rubro, & argento in partes quatuor scutulum, sive panem unguibus tenentem (quæ Insignia Romani Cajetanæ familiæ Principes auctores deferebant) super adjeci.

D

E

Veruntamen, ut omnes omnium nationum homines multo majori experimento cognoscant, quàm dives, quàm potens, æquè & invicta fuerit Pisana Respublica, ex pluribus, quæ utique in medium producere possem, singulare illud referam, quatuor tantùm videlicet ex eadem Republica nobiles familias, Gerardescam, Cajetanam, Sigismundam, & Sardam, unà cum Malespina, Auria Genuensi, & Hispano Modicæ Comite (Musetto Africæ Rege, qui rei bellicæ præerat, Pisas in triumphum ducto) universam Sardiniæ Insulam è Sarracenorum manibus abstulisse, atque ejusdem Insulæ civitates, & loca inter se divisisse; Laurentium Bonincontrum Miniatensem Tuscum, qui ante ducentos, & ampliùs annos Annales suos scripsit, ea de re testem habeo, (quem nos in seqq. Tom. primum in lucem emittemus) sub anno millesimo quinquagesimo primo, quo demum eam Sardiniæ Insulam supradictorum Nobilium ope, & opera, in Pisanorum potestatem devenisse, eorumque juri adjudicatam, confirmatamque fuisse, dato Diplomate à Leone IX. Rom. Pontifice certum est. Verba Bonincontri sunt: habetur MS. in Biblioth. Vaticana. *Musettus Africæ Rex jam ætate confectus, ingenti Navium apparatu ex Hispania movens, Sardiniam Pisanis ademit, occiditque omnes Pisanos, quos per diversa loca invenerat. Hac clade suscepta, Pisani tot prœliis fatigati, juventute etiam imminuta, animo conciderant. Nobiles autem non ferendam tantam injuriam rati, propriis sumptibus classem instruunt; societateque cum Genuensibus inita, & cum Bernardo Centilio Comite Modicæ Hispani generis, in Insulam trajecerunt : & prope Calarim castrametati (quod Oppidum tantummodò ex omni Insula in fide Pisanorum perseveraverat) hostes id Oppidum obsidentes aggrediuntur. Commissâ pugnâ, Sardi vim Pisanorum non tolerantes, pedem referre cœperunt; Barbari acriùs instare, tamen cùm iniquum certamen juxta mare cum Pisanis haberent, & Oppidani suis laborantibus essent subsidio, Musettus ipse cùm jam duobus confossus vulneribus, & diei æstu, & senio confectus, pugnantes hortaretur, equo decidit, captusque est : cæteri omnes aut capti, aut cæsi sunt. His peractis, non multo labore Pisani tota Insula potiti sunt. Deinde Pisani Nobiles cum Genuensibus, & Hispano, Insulam partiuntur. Præerat classi Pisanæ Gualduccius, vir plebejus, sed scientiâ rei militaris, & maritimæ peritissimus: quem Nobiles Pisani ob invidiam vitandam classi præfecerant Pisanæ, & Genuensium. Is Insulæ civitates, & agros ita partitur: ut Calaris, uti in fide perstiterat Pisanorum, ita restaret: Comitibus verò Gerardescæ* (Comites Gerardescæ ex Forojulii Ducibus Longobard. eorumque Regibus descendisse, Hugo Comes Gerardescæ singulari libro demonstrat) *civibus Pisanis, agrum Calari adjacentem, & quædam ignobilia oppida illi agro finitima: Cajetanis Orisetum: Arborea Regio Sardorum Familiæ nobili : erant hi cives Pisani longo ante tempore, natione Sardi, qui Pisas commigraverant : Petro Auriæ Genuensi Algaria civitas : Malespinis aliquot in montanis oppida, quam partem Insulæ Sardi Barbariam vocant : Sigismundis nobilibus Pisanis Oleastrum : Comiti verò Modicæ eam Insulæ partem, quæ juxta Saxerim est. Reliqua verò loca populo Pisano cesserunt. Prædam verò omnem tripartitò divisit secundùm Navium numerum, ut quisque portionem suam reciperet. His peractis cum ipso Musetto Rege Pisas rediere. Nec multò post Musettus jam nonagenarius squallore carceris Pisis mortuus est, cùm redimi se à suis non pateretur.* Hactenus Bonincontri Annales.

Fortes creantur fortibus (ait Horatius) *& Nobilis Filius ad Paternas virtutes adspirat.* Quid mirum igitur si tanta adhæserint devotione Sedi Apostolicæ, eamque etiam Rempublicam Christianam, præsertim contra Sarracenos tanto studio defenderint Cajetani Pisani Heroës, cùm illum in Romanos Pontifices animum amantissimum, & in Sarracenos odium quasi hæreditario jure accepissent. Nam Cajetæ Duces, Campaniæ Principes, à qui-

Digitized by Google

bus tanquam generosi surculi prodierant, nullam frequentiùs laudem, nullam palmam ardentiùs concupierant, quàm propter defensos Apostolicæ Sedis Pontifices, & rem Christianam, & Sarracenos devictos. Tot scilicet, ac tanta magnalia sunt, quæ ad sacram Romanæ Sedis buccinam pro ea, & universa Republica Christiana adversùs Sarracenos gesserunt: ut jure dixeris: Cajetanam gentem natam ad Sarracenorum cladem, obsequium verò Pontificum, Christianorumque salutem.

Quid mirum igitur, si singularem hanc erga Romanos Pontifices devotionem, singulares honores, & dignitates secuti fuerint, tam Cajetanis nostris, quàm Pisanis omnibus? Non enim ferre potuerunt tot Summi Pontifices, qui summum Pisanæ Reipublicæ studium in defendenda Apostolica Petri Sede, supremis laudibus extulerunt; cùm illi Partium Pontificiarium studiosi essent, ab anno scilicet, quo illius Civitatis, & Regionis populi ejusdem Principis Apostolorum prædicatione ad Christi Fidem conversi, atque ipsius opera, & manu, Sacro Baptismate renati: Jesumque Dei filium confessi, ad quadragesimum supra millesimum ducentesimum, quo Pisis primùm diabolicæ illæ Gibelli, & Guelfi Sectæ initium habuere. Nec ab eo tempore Cajetanæ Gentis, quæ semper in potioribus Romanæ Sedis cultoribus erat, ut eorum merita præclara nullis honoribus, nullo præmio indonata essent. Nam post eundem annum, dum partes Pontificias strenuissimè tutantur à Friderici Imperatoris Schismatici fautoribus exulare jussi (ut Pisanorum Annales testatum reliquere) à Patriæ finibus expelluntur, bonis eorum rapinis expositis, Palatiisque, ac Turribus majori parte destructis. At Pisana Respublica, quam ingens illorum desiderium cœpit, non tulit tam nobili membro (utque erat Familia Cajetana) privari, ultro accersivit eam, & ingenti gloria, & gaudio reduxit; Romanis Pontificibus illam & honoribus, & gratiis prosequentibus.

At parva hæc fuissent, nisi à nascente illorum Republica Pisani se Lege astrinxissent, ad inferendum Paganis bellum, & Jesu Christi exaltandam Fidem: voluissentque omni præcepto Domini Papæ, quod justum esset, & utile in rem Christianam, & honorificum Reipublicæ Pisanæ, obedire, ad armandum, & exercitum legendum, secundùm debitam nutui Domni Papæ obedientiam; ut mandatis suis ejusque Nuncii pro virili satisfactum iretur. Quin immo & sui sanguinis periculo Senatus Pisanus, nautas, & peregrinos voluit immunes reddi ab eorum omnium incursu, qui veram Christi Fidem non observabant. Et hi labores (quod jure, ac meritò repetendum censeo) hæc vulnera, hæ mortes, fuere causa, cur Pisani Christianæ Fidei, & Romani Pontificis invicti milites, tot laudes, tot præconia, tot coronas ab ipsis Romanis Pontificibus promeruere non marmoreis, aut æneis, sed æternis Apostolicarum Literarum Monumentis insculpta. Quin immo & Divino insuper beneficio factum est: Ut Respublica Pisana divitiis immensis, & rerum gestarum gloria, & Imperii magnitudine, per quadringentos & amplius annos floruerit; cùm Imperii sui fines eousque protenderit, quò, post Romanum Imperium, nemo pervenerit.

Veruntamen qui Pisanam Rempublicam, Cajetanæ nostræ Familiæ, post Romam, & Cajetam, Sedem etiam præclarissimam, laudibus celebrandam suscepimus, ea, quæ modò asseruimus, antiquo Joannis Caroli Florentini testimonio confirmemus: Ait enim. *Pisanam rem, multis ante nostram ætatem divitiis, & rerum gestarum gloria, & Imperii magnitudine floruisse, apertissimum: fines verò Imperii eò usque protendit, quò post Romanum Imperium nemo pervénit. Corsicæ quidem, atque Sardiniæ tempore multò imperitarunt, atque ad Baleares Insulas prætergressi, illis ingenti virtute perdomitis, ad Africæ penetravere sinus. Ad extremum, Terram, quam Sanctam dicimus, adeuntes, Ptolomaidam, quam & Accon dicunt: & Joppen, ac reliqua Palæstinorum marina Oppida occupantes, Hierosolymam, ac Sanctum nostri Salvatoris Sepulchrum cum adjacente Provincia suo Imperio subdiderunt. Eorum quoque præstantis gloriæ magnitudinis, quæ Imperii maximo possunt documento esse, & Prophetæ David Regale Simulacrum, quod supra Templi majoris portam cernitur medium, ac nonnullæ ejus Templi columnæ: nec non & æreæ postes ex Hierosolymis, ut ferunt, delatæ: corporaque nonnulla Sanctorum: ac tandem opus illud, quod Campum Sanctum appellant, quòd Terram Sanctam eò devexerint: & plurimæ marmoreæ tabulæ ob rerum gestarum sempiternam memoriam muris affixæ: ac pleraque alia Pisanæ Civitatis gloriam testificari videntur.* Pauloque post: *Pisanorum præterea clarissimam famam fecere bella cum maximis populis, Summisque Principibus, terra marique gesta: quæ tantis eos laudibus celebravere, ut Privilegio quodam* Maris Domini *vocarentur. Ferunt quoque ejus populi dominatum, quo Hierosolymitanæ præfuerunt urbi, id incommodi Christicolis abstulisse: ut quibus impunè, ac sine mulcta ea licebat Loca adire, nunc qui in illis Regionibus dominantur, Christianis eò se conferre volentibus, mulctam extorqueant.* Hactenus ille.

Et jure quidem merito Pisani, & Imperatorum Privilegiis, & Populorum acclamationibus Maris Domini dicti sunt: tum quia ante sacrum illud Maximi Pontificis Urbani II. Classicum (quo Terra Sancta vestigiis Domini nostri pressa nomini Christiano fuit restituta) Pisani Sarracenos Regiones illas occupantes, iteratis Classibus, ac validissimis armis centum ferè per annos, soli jam exagitaverant, eorumque vires attriverant. Tum quia tam in Occidente, quàm in Oriente, quamplures & maritimas Civitates, & Oppida, ac Loca, atque Insulas possiderent. Tum etiam quia soli Pisani promotores extiterunt: ut Mare, quod antea nullis legibus navigabatur, certis in posterum ejus navigatio coërceretur. Id quod etiam optimè animadvertit suis ad me datis Literis, vir sanè eruditissimus, clarissimusque Claudius Nicolaus Fabricius Peyrescius Gallus, de Literis deque Literatis benè merentissimus. Et quando sine Apostolica Petri facultate nihil unqam boni fieri potest, Pisani (potentissimæ etiamsi eorum Reipublicæ voluntas adesset) nihilominus, ut religiosi summum Reipublicæ Christianæ Antistitem, ea de re in primis consulendum decrevere. Adeunt itaque Romam, Gregorium VII. Papam conveniunt, aguntque cum illo: ut à Sanctitate sua vim reciperent eæ Maris Leges, Ordinationesque. Annuit Sanctiss. Pontifex, easdemque confirmavit in Basilica S. Joannis Lateranensis Cal. Mart. Anno Christi 1075. confirmatasque mox Romani juramento observare perpetuò se obstrinxerunt. Quibus deinde iidem accesserunt Pisani Majoricæ primùm Anno 1115. Deinde Pisis 1118. Eas ipsas etiam Maris leges juramento corroborantes. Mox secuti Reges, & Principes alii, Respublicæ insuper, & populi tum Occidentales, tum Orientales idipsum præstiterunt. Extant ipsæ maris Ordinationes linguâ Latinâ, Italicâ Provenzali, sive Gallica Narbonensi, & Catalana, tum manu exaratis, tum impressis Codicibus evulgatæ: Quibus multo fusiùs ostenditur quod nos brevius asseruimus. Hinc factum est, ut egregia hac Pisanorum opera, Christiani Principes, eorumque militares exercitus (Pisanis iisdem terra, marique etiam comitantibus) faciliorem invenirent viam, qua illas postea Orientis partes ferro, & igne devastatas debellarint.

Præterea, anno Christi millesimo centesimo supra trigesimum nonum, efflagitante Maximo Pontifice Innocentio II. (quo etiam non minor Domus Cajetanæ virtus enituit) Pisanorum Respublica (quòd Rogerius Siciliæ Rex Anacleti II. Pseudopontificis partibus adhærens, verum Pontificem eundem Innocentium, ejusque Romanam Ecclesiam persequi non vereretur) adversùs eundem Regem extorrem factum priorum cœtu, ac Regno privatum, sumpsit arma: &, ut more suo, pro Romano Pontifice, dimicaret, navigia, & triremes instruxit armamentis. (Annal. Pisan. &

Digitized by Google

& Litter. Consul. hab. MSS. ap. nos.) Igitur munitissimæ à se adornatæ classi præficit duos è Cajetana Familia Consules, militari peritia claros, Gerardum, & Gajetanum, qui adjunctis Henrico, & Rodulpho etiam Consulibus (ut ex ipsius Reipublicæ Annalibus, & eorundem Consulum Literis certum redditur) Reipublicæ ejusdem Pisanæ nomine, & auspiciis, Rogerii superbiam contunderent.

Educunt, pugnant, atque eventus justitiæ causæ, Ducumque virtuti respondit. Fortiter enim fregerunt Rogerii vires, quadraginta duabus Triremibus potiti, cœperunt etiam Neapolim (quam Urbem potentissimam nec Goti antea, nec Longobardi occupare potuerant) Regium quoque Amalphim cum suo Principatu, aliasque ejus Regni Civitates, & Oppida: quæ omnia pari fortitudinis laude tenuerunt nomine Reipublicæ Pisanæ septem annorum spatio, Neapoli præsidentes custodientesque à Regis Rogerii insidiis. Miserunt autem (inquit Cardinalis Baronius Annal. tom. 12. ad ann. 1134. pag. 233.) Pisani in auxilium mille milites, qui recepti Neapoli, tutati sunt Civitatem. Porrò ista omnia pluribus narrat Auctor Chronicorum Beneventanorum illius temporis scriptor, Falco nomine. Paulò post verò cùm resipiscens Rogerius, se submisisset Romanæ Ecclesiæ, ejusque vero Pontifici Eugenio III. (obierat autem Innocentius prædecessor) tum enim Pisana Respublica pari humilitatis, ut antea fortitudinis laude, eodem persuadente Eugenio, capta omnia eidem Regi magnanimiter restituit.

Sed præstat (ut ad majorem Pisanorum gloriam, ac Cajetanæ Domus honorem) tam ipsa Annalium verba, quàm Consulum Literas ad Consules, & Populum Cajetæ civitatis scriptas, hoc loco referamus: Sic enim habent: *Anno Domini 1134. incæpta est lis à Pisanis contra Regem Siciliæ, nomine Rogerium, inimicum Ecclesiæ Romanæ*. Paulòque post: *Anno Domini 1136. de mandato Summi Pontificis* (Innocentii II.) *Pisani quadraginta sex Galeas armaverunt, & in Siciliam transfretarunt. Et pugnando, & prœliando audacter civitates Amalfi, Trani, Ravelli, Scalæ, & Scalellæ majorem, & minorem cœperunt. Sed cùm tertia die post prædictam victoriam Pisanorum pars obsideret fractos Castri Ravelli cum ædificii & Gattis, Rogerius supradictus, qui apud Salernum tunc cum septem millibus militum, ex sexaginta Galeis, & multo alio populo, Pisanos obsidentes prædictum castrum devicit, & fugavit usque ad mare: Et ex eis dies* (*locus corruptus*) *nonaginta sex cœpit: post dies autem viginti tres, devastata Ischia majori, Pisas Pisani Sexto Id. Septembr. reversi sunt*. Statimque iidem subjungunt Annales.

Anno Domini 1188. Pisani iterum fecerunt stolum contra supradictum Rogerium, & devicerunt: sibique tributarias fecerunt civitates, Neapolim, Amalfi, Trani, Scalæ, Scalellæ, & fracta Boccæ, & Pagerale, & totum Amalfitanum Ducatum ipsosque jurare fecerunt ex tunc Domino Papæ Innocentio, & Imperatori Lothario obedire ut Dominis contra prędictum Rogerium. Postmodum Pisani Nono Kal. Augusti Salernum iverunt ipsumque per quindecim dies obsessum habuerunt. Et sic post hęc Rogerius prędictus cum Pisanis Pacem fecit. Et reversus Pisanorum felix stolus 13. Kal. Octobris. Hucusque Pisani Annales. Consulum verò Literæ quarum originale apud nos extat, hæ sunt.

Gerardus, Gaitanus, Henricus, & Rodolfus Consules Pisanorum qui apud Neapolim sunt, carissimis, & amantissimis Consulibus, & universo populo Gaitano salutem, & dilectionem. Consuetudinem Patrum nostrorum retinemus, qui diligentes se dilexerunt: & odientes se odio habuerunt. Nos quidem diligimus, & honoramus vos, utpote fratres, & amicos nostros. Quidam tamen vestrûm adversùm nos indecenter, & ut minimè expedit, agunt. Dubium non ut vobis, quod Populus Pisanus, & Neapolitanus unus est: & qui eum offendit, ad interiora nostra manus mittit. Eapropter antiquam vobis amicitiam observare cupientes, charitatem vestram exoramus: ut corripiatis inquietos, & non sinatis eos frumento nostro zizaniam superseminare. Pręter multa quidem alia de quibus conqueri possumus, nunc noviter auribus nostris intolerabilis injuria illata est. Neapolitanos enim fratres, & socios nostros, quos in Galea pro servitio nostro mandavimus, apud vos invitos retineri accepimus. Rogamus itaque ut eos liberos abire sinatis: & omnia quę illis ablata sunt restitui faciatis. Quod si non feceritis de amicis inimicos vos nobis constituetis. Et pro certo sciatis quia numquam tale tempus habuimus benefacere merentibus, & retribuere malum malè facientibus. Hucusque Consulum Pisanorum literæ Neapoli præsidentium. Quamobrem magnus ille Bernardus Abbas Claraevallensis verissimè inquiebat: *Assumitur Pisa tum locum Romę*. Non modò quia Romanorum Pontificum ac S. R. E. Cardinalium jugiter in dies fruebatur præsentia: verùm etiam quia post Romanam illam potentissimam ac splendidissimam toto Orbe Rempublicam Pisana Respublica cæteris tum potentior ac splendidior videretur, & esset. Jure igitur Maris Dominos dictos fuisse Pisanos non solùm hæc supradicta, sed illud quoque aliud demonstrat: Quòd apud eorumdem Rempublicam honoris causâ non modò mercaturę externorum Principum, præsertim Orientalium, Oratores & Populi etiam Barbari residerent. Hoc non tantùm ejusdem Reipublicæ Annales vetustissimi, verùm etiam Domnizo Presbyter, qui eodem tempore vixit, testatum reliquere. Ait enim Domnizo.

Qui pergit Pisas videt illic monstra marina:
Hæc Urbs Paganis, Turcbis, Libicis, quoque Partbis.
Sordida Cbaldæi sua lustrant littora tetri.

Ita Domnizo lib. I. Vitæ Mathildis. Nec solùm potentissima Pisanorum Respublica præclaris Institutionibus coërcuit Mare, verùm etiam (ut salutiferis legibus aliis Orbis universus magis magisque erudiretur) sapientissimè providit. Nam cùm didicisset illam optimam majoremque Juris Civilis partem ex nobilissimis illis libris haberi posse, qui Pandectæ cognominabantur (legum enim Pandectæ Jus omne complectuntur) præ cæteris omnibus divitiis cariores illas acquirendas decrevit. Unde cùm Amalphi prius hoc ipsum Pandectarum servaretur volumen, inde acceptum Pisani (quod Innocentium II. Pont. Max. & Lotarium Imp. item II. classe adversus Northmannum Rogerium juvissent) egregiæ navatæ operæ monumentum præ bonis aliis omnibus tamquam immensum thesaurum ab ipso Imperatore dono acceperunt; facto prius ab eodem (utpote magni momenti) in scriptis documento Gerardo, Gajetano, Henrico, ac Rodulpho, Pisanis Consulibus, Pisanæ classis Præfectis, Pisanæ eorumdem Reipublicæ nomine anno Christi 1137. volumen itaque illud nobilissimum ac venerandum, sicut magna solicitudine habitum, ita maxima cum cura ac religione tamquam è Cœlo lapsum ab eadem Pisana Republica meritò est custoditum; quo autem honore, quave (ut ita loquar) veneratione ejusmodi Pandectæ Pisis postmodum habitæ sint arbitror ignorare neminem. Id tamen jure factum esse ex eo præsertim patere potest quòd (ut testis est eruditissimus Angelus Politianus in epist. Miscellaneis) cùm eos libros ab ipso Justiniano, aut à Tritoniano potius conscriptos existiment, dum de alicujus loci scriptura dubitaretur, haberent homines quò venirent: Minui Cæsarum Majestatem existimant, si non omni honoris genere cumulentur.

Et quidem illud aliud quod ante omnia permagnum existimari debet prætereundum non est: Omnium Juris Civilis studiosum hominum eam esse à majoribus acceptam opinionem, & à veteribus præceptoribus per manus ad nos traditam sententiam, illos libros integritatem scripturæ semper servasse, ut Bartholomæus Salicetus lib. 1. de reb. cred. observavit: totosque Pisis fuisse (ut Bartholus Rub. sol. matrim. docuit) quamvis cæteri mendosi, mancique circumferrentur. Itaque ipsum Bartholum traditur, cùm esset ei cum Perusino Baldo

do magna de re contentio, & de cujusdam capitis scriptura dubitaretur, Pisas ad hosce libros misisse, ut tradit Albericus post Accursium, L. quærebatur, §. tres partes, ff. ad L. Falcid. Veruntamen non modò Bartholus cui legum periti omnes post Justinianum maximè debent, à Pisanis hisce Pandectis multùm se profecisse confessus est: verùm etiam idipsum contestati sunt omnes alii Legum Doctores, tum antiquiores, tum recentiores. Magno autem hoc Pisanarum Pandectarum ornamento, Magnus nunc fruitur Hetruriæ Dux Serenissimus, Ferdinandus hujus nominis II Princeps revera piissimus. Hæc nos ex Annalibus Pisanis, atque Antonii Augustini Juris consulti peritissimi emendationum & opinionum libris, hoc loco etiam in gratiam & honorem Pisanæ nostræ originis Patriæ insinuare voluimus. Sed ad Secundum Gelasium Pisis commorantem, nostra se convertat oratio. Qua de re Petrus Diaconus etiam affirmabat: Chron. Casin. lib. 4. C. 64. *Imperator interea Romam rediit, ibique diebus Pentecostes ab eodem Hæresiarcha coronatus Liguriam rediit. Hoc ubi Pontifex supradictus cognovit, Romam reversus est, indeque egressus, civitatem Pisanam adiit, Ecclesiamque inibi Sanctæ Mariæ, quæ ad Domum nuncupatur dedicans, primus in eadem urbe A. Episcopatum instituit*. Immo potius confirmatum asseruit, cùm Urbanus II. Gelasii ipsius Prædecessor (ut suo Diplomate constat) primus instituisse cognoscatur. Optimè Falco Beneventanus: Chron. sub anno 1118. *Hoc anno prædictus Papa Gelasius Gallias ivit, secundo die mensis Septembris intrante, & Pisas applicuit: Cùmque, sicut relatum est, Pontifex Gelasius apud civitatem Pisanam ivisset, & Archiepiscopum civitatis consecrasset, inito Consilio Pisanorum navem ingressus est: deinde Divina gubernante clementia, ventis secundis, ultramontanas partes transfretavit*. Hæc ille.

Quod verò ad Cathedralem Pisanam spectat Ecclesiam animadvertendum venit. Cùm Populus Pisanus & Rempublicam & Civitatem Beatissimæ Virginis Deiparentis Assumptioni sacram voluisset, ex eo factum ut quia ipsa in honorem S. Reparatæ extructa & parva & ruinæ proxima videretur, maiorem augustioremque curarunt. Itaque eandem ab anno Christi millesimo centesimo ad decimum centesimum supra millesimum ex Sarracenorum præsertim manubiis, magnificè terminarunt atque in honorem Virginis Matris à secundo Gelasio Papa consecrandam efflagitarunt. Hujus autem Dedicationis historia quam ex perantiquo MS. ejusdem Cathedralis Ecclesiæ codice, per lectiones distinctam nos exscripsimus Pisis degentes sic se habet: *Anno ab Incarn. Dom. nostri Jesu Christi MCXIX. (more Pisano) indictione XII. VI. Kal Octob. Gelasius II. Almæ Urbis Romæ & universalis Ecclesiæ Summus Pontifex novam Pisanorum Ecclesiam in honorem Gloriosissimæ semperque Triumphatricis Virginis Mariæ consecravit: cui consecrationi adjutores & consecratores interfuerunt quamplurimi tam Romanæ urbis quam Tusciæ, nec non & Sardiniæ Episcopi: Sacerdotum & Diaconorum Romanæ Ecclesiæ Cardinalium multitudo plurima adfuit: Lucana autem Ecclesia cum suis loco positis aliisque Canonicis: sed & cum Abbatibus & Prioribus & reliquiarum vigiliis & reliquis dedicationis officiis tamquam ipsa Pisana Ecclesia adstitit. Romanus igitur Pontifex inter Missarum Sollemnia ipsius dedicationis die, ipsam Sanctam Pisanam Ecclesiam tam Privilegio, quàm ore proprio coram innumerabilibus turbis Tusciæ in Metropolitanam confirmavit sublimitatem. Tanta siquidem Clericorum, Laicorum, nec non & mulierum multitudo die illa convénit, quantam nullius nostræ ætatis una die in unum convenisse meminerit: sed & per octo subsequentes dies urbibus, oppidis villisque concurrere non cessavit. De Criminibus igitur idem Gelasius Papa concessit tali die omnibus verè pœnitentibus & confessis, infra octo dies de Indulgentia quatuordecim mille annos, & ab Assumptione Gloriosæ Virginis Mariæ usque ad Nativitatem Domini nostri Jesu Christi concessit vigintiquatuor millia annos Indulgentiæ, & tertiam partem remissionis peccatorum. Item singulo die totius anni concessit quadraginta octo annos Indulgentiæ & centum quarantenas. Item in omnibus festivitatibus S. Mariæ Virginis mille annos. Treguas quoque per octo dies ante & per octo postea sub anathematis rigore constituit: sanè in ipso Sacro Sancto Altari Reliquias, quas in priori antiquæ Ecclesiæ reperit, condidit*. Hæc ibi. Sed ejus consecrationis etiam meminit Petrus Diaconus Casinensis Chron. lib. 4. c. 64.

Elargitus est insuper Gelasius Archiepiscopo & Senatui Populoque Pisano quamplures easque insignis momenti reliquias in eorundem Ecclesia reponendas, quarum nomina ex eadem consecrationis Historia hìc recensere longum esset. *Ad reverentiam præterea tantæ consecrationis* (ut in eadem Historia refertur) *ipso dedicationis anniversario, & in secunda feria in Albis, & in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis. Equum cum Mappacandida ad processionem Pisano concessit Archiepiscopo: quas processiones procedunt bini & bini; sex Clerici Pluvialibus induti cum sex vexillis; quibus sex nuncii civitatis equos comodant coacti per Potestatem. Et sic totus Clerus paratus equos sequitur ordinatè. Ipso quoque die Pallio uti quod est celsitudo Pontificalis officii cum sex aliis festivitatibus anni sicut in ipsius privilegio continetur præter solitum morem indulsit. Crucem quoque ante se deferri ob insignem Metropolitanæ Legationis honorem tam per Diœcesim Pisanam, quàm per Corsicanam Insulam Privilegio stabilivit*. Hæc ibi.

Præterea ut testatum reliquit Laurentius Bonincontrus (Historia MS. in Biblioth. Vatic.) *Cùm sciret Pisanos pro adeptione Majoricæ multa expendisse, auxisseque Fidem Christianam, in tantæ rei præmium Baleares eas Insulas in feudum eisdem Pisanis concessit: donatque eos vexillo Rubeo (confirmat, inquam, cùm antea Benedictus VIII. anno 1012. sanguineum idem Vexillum concesserit) cum cruce argentea obtusis capitibus*. Ita Bonincontrus.

Concessit denique eisdem Pisanis ipse Gelasius seu potius confirmavit (cùm ejus Antecessores Romani Pontifices cognoscantur eam donasse) Insulam Sardiniæ, quam iidem Pisani laboribus multis nimiisque expensis, ac proprio civium suorum sanguine è Sarracenorum manibus avulsam acquisivere, quamque non longè post Calistus Papa II. eisdem iterum confirmavit.

Ad hæc, in gratiam ejusdem Maximi Pontificis Gelasii, Petrus Archiepiscopus Pisanus cum suis Canonicis obtulit Monasterio Casinensi (ipsius utpote Gelasii Monasticæ proffessionis Domui) Ecclesiam S. Silvestri in Soaritia cum pertinentiis suis, prope civitatem Pisanorum, præsentibus & collaudantibus ejusdem Ecclesiæ Fundatoribus Odimundo, ejusque filiis. Huic concessioni præsentes fuerunt idem Gelasius Papa, Lambertus Ostiensis Episcopus, Guido Presbyter Cardinalis S. Balbinæ, Chrisogonus Diac. Card. S. Nicolai in Carcere, Petrus Leonis Diaconus Card. SS. Cosmæ & Damiani, Ildebrandus Judex Sacri Palatii Lateranensis, nunc Pisanæ civitatis Consul, Gerardus Consul Pisanæ civitatis, Henricus Consul Pisanæ civitatis, Lambertus Consul Pisanæ civitatis. Actum Pisis jussione PP. Gelasii II. & concessione Petri Archiepiscopi, in Palatio Archiepiscopali Kal. Oct. Indictione 12. Anno Domini 1119. (more tamen Pisano) ejusdem Gelasii Pontificatus. Hoc verò Instrumentum integrum legimus in Registro Petri Diaconi, in Archivo Casinensi asservato, ejusque meminit idem Petrus lib. 4. Chron. Cassin. cap. 64.

Cæterùm fuerat Petrus hic (ut Pisanæ Ecclesiæ vetera produnt monumenta) secundus ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus, è claustris Benedictinorum assumptus vir sanè virtutum splendoribus conspicuus, & qui Paschalis PP. II. in Bello Balearico Legatus strenuissimè gessit;

Digitized by Google

gessit: quique (eodem Gelasio Pisis adhuc commorante) cùm obiisset, Pontifex ipse Successorem eidem dedit Actium Ecclesiæ Placentiæ Archidiaconum: quem idem Gelasius etiam Archiepiscopum consecravit, antequam Pisis in Galliam properaret.

Ne quid verò prætercam Gelasii ipsius Pontificis rerum tunc Pisis gestarum, quæ sibi fidem vendicent, en tibi, Lector, ex publicis monumentis Cathedralis Ecclesiæ Lucensis authenticas ejusdem Bullas, quibus Venerabiles ipsius Ecclesiæ Canonicos, & Clericos Apostolicis pluribus gratiis donat: ut in eisdem videre poteris, quarum tenor hic est.

Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Benedicto Archidiacono, Uberto Archipresbytero, Rainerio Primicerio, Mauro Cantori Lucanæ Ecclesiæ, eorumque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, in perpetuum.

„ CHaritatis bonum est proprium, aliena damna, propria deputare, & alienis tanquam propriis gaudere profectibus. Ea propter petitiones vestras clementer admittimus, & vobis antiquas Ecclesiæ Matricis consuetudines confirmamus. Ut videlicet unctiones infirmorum, & sepulturæ civitatis propriæ ad Matricem Ecclesiam pertinentes, & officium, & participatio beneficii funerum ad alias Ecclesias pertinentium vobis nulla Clericorum calliditate, aut Laicorum quorumlibet, subtrahantur. Electiones Priorum, & collocationes Clericorum in aliena Ecclesia infra Urbem, vel extra in Suburbiis sinè consensu Episcopi, & Priorum, qui Loco positi nominantur, Matricis Ecclesiæ non fiant. Nec Laicorum violentia in aliqua Ecclesiarum ulla Priorum, aut Clericorum fiat electio. Et nulla Ecclesiarum Episcopatus vestri præter eorum consensum alicui subjiciatur Ecclesiæ. Neque publica & majora negotia aliqua sibi Ecclesiarum ipsis invitis arripiat, aut publicas pœnitentias tribuat. Nec sententias, & interdictum Matricis Ecclesiæ temptet infringere. Nulla etiam vestri Episcopatus persona sine consensu Episcopi, vel Priorum qui Loco positi nominantur, Matricis Ecclesiæ excommunicetur; Et quod ab Episcopo ligatum fuerit, à nemine irritum duci temptetur. Sanè civitatis vestræ Clerici, & qui in Suburbiis sunt, solitas obedientias, videlicet in Letaniis, in Processionibus communibus, in Festivitatibus & Stationibus majoris Ecclesiæ eidem impendant Ecclesiæ, ut vobiscum adsint. Porrò in quintæ Feriæ nocte ante Pascha, nulla Ecclesia secundùm morem vestræ Ecclesiæ, campanas sonet: neque in Sabbato Sancto Cereum benedicat; sed ad Baptismum prædicti Clerici, prout consuetum est, veniant. Nulla præterea Ecclesiarum Missas solemnes celebret in Festivitate B. Martini, & S. Reguli, & in secunda Feria Paschæ, & in Processionibus Quadragesimæ, donec Stationis solvantur conventus. Nullus etiam Clericorum Officium vivorum, aut mortuorum ad Matricem Ecclesiam pertinens facere, vel celebrare præsumat. Ad hæc adjicientes statuimus: Ut decimæ Matricis Ecclesiæ ab his, qui tribuunt, non fraudentur. Et ulla eas clericalis persona surripiat, aut diminuat. Nulli etiam Episcopo liceat aliquem Matricis Ecclesiæ Canonicum Officio, seu Beneficio, sine Canonico privare judicio. Sanè charitativa illa ciborum beneficia, quæ ab Episcopis vestris (sive præsentes, sive absentes fuerint) in solemnioribus Festis consuevistis accipere, vobis, vestrisque posteris rata præcipimus, & illibata servari. In his omnibus Prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Paschalis Papæ Privilegium confirmamus, & stabilitate perpetua corroboramus. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, Potestatis, honorisve sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei, & Domini Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: Cunctis autem justa Conventui ista servantibus, sit pax Domini Nostri Jesu Christi; Quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ *Ego Gelasius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.*

Signum manus meæ: Deus in Loco Sancto suo.

✠ *Ego Deusdedit Card. Presbyter Tit. S. Laurentii in Damaso subscripsi.*

✠ *Ego Petrus Card. Tit. S. Susannæ subscripsi.*

✠ *Ego Guido Card. Presbyter Tit. S. Balbinæ subscripsi.*

✠ *Ego Petrus Diaconus Card. SS. Cosmæ, & Damiani subscripsi.*

✠ *Ego Petrus Diaconus Card. S. Adriani subscripsi.*

Datum Pisis per manum Grisogoni S. R. E. Diaconi Card. Idibus Septembris, Indict. XII. anno Dominicæ Incarnationis MCXVIII. Pontificatus autem Domni Gelasii II. PP. anno I.

Hucusque Apostolicæ Gelasii Bullæ Lucanis Canonicis concessæ.

Ejusdem quoque Gelasii Pisis adhuc commorantis aliud extat Diploma ibidem datum eodem die, quo ipse Pisanam consecravit Ecclesiam, die videlicet 26. Septembr. habetur ex Archivo S. Frigdiani cum aliis privileg. Canon. Regul. Edit. Mediolan. ann. 1606. Quo jura Canonicorum Regularium Lucensis Ecclesiæ S. Frigdiani confirmavit, cujus verba sunt.

Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis in Christo filiis, Attoni Præposito, & ejus fratribus, in B. Frigdiani Ecclesia regularem vitam professis, ejusque successoribus in eadem Religione permansuris, in perpetuum.

„ DOcente nos Apostolo Paulo cognoscimus, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Quia igitur Domini Spiritum in vobis habitare credimus, & ex ipsorum operum exhibitione confidimus. Libertatem vobis, quæ à prædecessore nostro sanctæ memoriæ Paschali Papa collata est, nos auxiliante Domino confirmamus. Et quæ ab eo vobis per Privilegii paginam concessa sunt, nos quoque præsentis Decreti auctoritate concedimus, & rata, atque stabilia permanere censemus: Salvâ, sicut ab eo constitutum est, Lucani Episcopi reverentiâ. Præterea Canonicas consuetudines observandi, vobis auctoritatem tribuimus, ad susceptæ Religionis augmentum. Neque ullum gravamen vobis inferri permittimus ex Privilegio, quod à nobis Beati Martini Canonici pro antiquis Ecclesiæ suæ consuetudinibus acceperunt. Regularibus enim Congregationibus nihil illa præjudicant. Nulla quietem vestram Processionum, aut Litaniarum perturbet indictio. Nisi quæ ante Ascensionem Domini, totius concursu civitatis publicè fiunt. Parochianos vestros, nisi fortè publico crimine teneantur, nullus invitis vobis excommunicare, aut ad pœnitentiam præsumat admittere. Sicut in suprafati Prædecessoris nostri Epistola continetur. Neque ulli Capellanorum liceat sine consensu vestro, mortuos vestræ Parochiæ sepelire. Sed vos eos infirmos sicut consuevistis, ungatis, & mortuos præter alicujus infestationem sepeliatis. Chrisma, oleum infirmorum, quæ vestra ex antiqua consuetudine suscipit Ecclesia, Majoris Ecclesiæ Clerici, hac urbis occasione non auferant. Neque Clericos vestros ordinari prohibeant, ut per Dei gratiam quietè & pacificè conversantes, professionis vestræ propositum pleniùs observare positis. Si qua sanè Ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit. Secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque, in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini Nostri

„ Jesu Christi. Quatenus & hic fructum bonæ „ rationis percipiant, & apud districtum Judicem „ proemia æternæ pacis inveniant. Amen.

✠ *Ego Gelasius, Ecclesiæ Catholicæ Episcopus.*

Signum manus meæ: Deus in Loco Sancto suo.

✠ *Ego Lambertus, Ostiensis Episcopus.*

✠ *Ego Deusdedit, Presbyter Card. S. Laurentii in Damaso.*

✠ *Ego Guido, Presbyter Card. Tit. S. Balbinæ.*

✠ *Ego Petrus, Diac. Card. SS. Cosmæ, & Damiani.*

✠ *Ego Petrus, Diac. Card. S. Adriani.*

✠ *Ego Amicus, Subdiac. Card. & Abbas S. Laurentii foris muros.*

Datum Pisis per manus Chrysogoni S. R. E. Diac. Card. VI. Kal. Octobr. Indictione XII. anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. Pontificatus autem Domini Gelasii II. Papæ anno I. Hactenus Gelasii Bullæ in favorem Canonicorum Regularium Lucensium S. Frigidiani.

His autem, qui jam dictis Bullis subscripti videntur Cardinales, apponendos censerem alios, qui tunc Pisis etiam erant cum eodem Gelasio, recensiti quidem ab Orderico Vitali, hujus temporis accurato Scriptore: Historiæ Eccles. Lib. 12. Quos diversæ occasiones fecerant absentes. Sunt autem hi: Cono Episcopus Prænestinus: Joannes Cremensis Presbyter Cardinalis Tit. S. Chrisogoni: Boso Presbyter Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum: quem falsò nominat Episcopum Portuensem idem Ordericus, cùm Petrus Episcopus Portuensis à Gelasio Urbis Vicarius paulò ante fuerit designatus; nisi forsitan etiam ipse eundem Gelasium Pisas contendentem, obsequii gratiâ fuerit sociatus.

Ad hæc, cùm Canonici Lucensis Ecclesiæ Pisis Gelasium convenientes, conquererentur, ipsum Canonicos Regulares S. Frigidiani ab eorum Jurisdictione exemisse, idem Summus Pontifex benignissimis hisce Literis ita respondit: *Gelasius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis, B. Archidiacono, V. Archipresbytero R. Primicerio, & P. Cantori, & cæteris Lucanæ Ecclesiæ Canonicis salutem & Apostolicam Benedictionem. Fraternitatem vestram vehementius conturbatam audivimus, quasi nos aliquid adversùm vos turbatione dignum fecerimus. Nosse autem omninò vos volumus, quia sicut fratres nostros in Christi vos charitate diligimus. Etsi enim B. Frigdiani Ecclesiam quietam esse velimus, non tamen quid vobis fecimus, aut subtraximus, aut infirmavimus. Datum Pisis VI. Non. Octob.* Et hæc dicta voluit Gelasius Lucensibus Canonicis. Apostolicas verò has Literas, quemadmodum & superiores ejusdem Gelasii Bullas, iisdem Canonicis elargitas, eximia ipsorum Canonicorum humanitate habuimus. Extant enim illæ cum aliis venerandæ antiquitatis Privilegiis, ac varii generis monumentis in illorum Ecclesiæ Cathedralis Archivo.

Ex quibus, atque ex aliis à nobis supra allatis Gelasii Rescriptis, duo inter cætera animadvertenda duximus. Primum, quòd antiquissimis etiam temporibus, Romanis ipsis Pontificibus minimè insuetum esset funiculis uti sericeis, in Literis suis plumbo consignatis. Etenim ex iisdem nos observasse meminimus, eundem in primis Gelasium eodem funiculo usum esse serico, rubro, & viridi coloribus contexto. Veruntamen Paschalis II. serico funiculo tantùm rubro usum fuisse, constat ex illius Bullis, atque ex iis præsertim, quas concessit Abbati & Monachis S. Vincenti de Vulturno, non longè distantis ab Urbe Capua. Sed Zachariam (non enim est hic locus cæterorum Pontificum ejusmodi more recensere) funiculo usum fuisse canabaceo, docent ipsius Bullæ tum Romæ in Archivo castri Sancti Angeli: tum Casini in ejus Monasterii Archivo asservatæ. Quibus etiam observare est, non constantem fuisse Romanis illis Pontificibus consuetudinem in ejusmodi funiculorum usu: Quemadmodum postea ab Innocentio III. ad hæc usque tempora decretum est: ut croceo, & rubro funiculo Bullæ gratiosæ, ut plurimum, plumbo Pontificio connectantur: Onerariæ autem canabaceo.

Ex his, quæ modò diximus, atque aliis, quæ adducere utique possemus de origine Pontificiorum Diplomatum à Romana ferè nascente Ecclesia, plumbo cum funiculo consignatorum, hoc loco sanè non suo, satis fuit innuisse. Sed quid de Brevibus illis etiam Pontificiis, in quorum calce signum imprimitur Annuli Piscatoris. Angelus Massarellus Septempedanus, vir quidem eruditus à Secretis Patrum Sacri Concilii Tridentini penes se Breve quid simile asservatum habebat, à Summo Pontifice circa annum Domini septingentesimum Regi cuidam directum, signatumque Annulo Piscatoris in arcula argentea, in quo post illa verba: *Salutem & Apostolicam Benedictionem*; Pontifex ipse statim subjungit: *Tibi scribimus sub Annulo Piscatoris, quo utuntur Romani Pontifices in rebus seriis*; & cætera, quæ ibi sequebatur. Hæc mihi communicavit Joannes Savonerius Laodicensis, Sanctiss. D. N. Urbano VIII. eorundem Brevium conscriptor, sanè pius, ac de Sacra Congregatione fidei propagandæ bene merentissimus.

Secundum animadversione dignum duco: Gelasium nostrum Pisis commoratum fuisse mensibus Septembri, & Octobri per dies aliquot. Falco siquidem Beneventanus (quem paulò supra testem citavimus) Gelasium Pisanis Triremibus Româ Pisas applicuisse die secundo Septembris testabatur: Pisis verò discedens idem Gelasius profecturus in Gallias, primis ejusdem mensis diebus Januam Principem Liguriæ Urbem accessit: at ubi in ea Cathedralem illius consecravit Ecclesiam, ut pluribus inferiùs agemus, ad S. Ægidii portum pervênit. Id quod nos docent ejusdem Pontificis Literæ (quas inferiùs referemus) Bernardo Toletano Primati scriptæ in eodem S. Ægidii loco, die 7. mensis ejusdem Novembris. Sed reliqua erga Romanam Ecclesiam reverentissima Pisanorum officia prosequamur.

Itaque Gelasio Secundus Innocentius post annos undecim in Pontificatu successit, qui & Pisanorum fidem, & devotionem erga Sedem Apostolicam, multis argumentis assertum, expertus est. Ille namque, ac Cardinales ejus partes sequentes, cùm non solùm probris, & convitiis, sed etiam manu, telisque ab Anacleti Pseudo-Pontificis parte impeterentur; neque malis hisce resistere se posse Innocentius, cerneret, sibi Urbe excedendum ratus est: quamobrem duabus Pisanorum Triremibus *Pisas Portum Romanæ Ecclesiæ fluctuantis tutissimum* accessit. Acceptus est à Pisanis tantis studiis, quantis verum Pontificem excipi decuit. Ibi proximorum Episcoporum Conventu habito, Anacletum, partemque ejus Sacrorum cœtu interdixit, primo ejus Pontificatus anno, qui fuit 1130. Rebus interim, Pisanorum ope & opera, satis in Etruria constitutis, gratiis eisdem Pisanis habitis, Franciam versùs discessit. Franciâ Pisas iterum rediit, substititque ibidem usque in annum Domini 1133. & sui Pontificatus quartum. Etenim is etsi Romæ manendi consilium iniisset in sua Apostolica Sede, more prædecessorum suorum; tamen cùm sibi non Divinis rebus vacandi facultas daretur, sed armis jugiter insistere necessitas imperaret. *Salubre illud consilium iniit, ab Urbe recedendi, Pisasque petendi* (verba sunt Eminentissimi Cardinalis Baronii Annal. tom. 12. ann. 1133.) *Potentissimam tunc civitatem Maritimis in primis viribus, à Principibus quibuscumque timendam, erga Sedem Apostolicam addictissimam*. Venit ergo Pisas Innocentius, ubi magnis est exceptus honoribus, Pisanis ipsum Christum in Petro, & Petrum in Innocentio venerantibus. Porrò Rogerius Siciliæ Rex, ut audivit Pisanos, agente Innocentio Papa, favere Roberto Principi Capuano, Legatos ad eosdem misit, per quos multa est eis pollicitus, ut ipsos ab Innocentio distraheret, atque secum uniret: sed respuerunt illi ejus promissa, & patrocinium Innocentii, & ipsi faventium firmiùs statuerunt. Ista autem cùm

Digitized by Google

eùm S. Bernardus Abbas, ejusdem Innocentii studiosissimus audivisset, ad eosdem Pisanos has Literas dedit perpetuâ memoriâ dignas.

Pisanis nostris, Consulibus cum Consiliariis, & civibus universis, Bernardus Abbas dictus de Claravalle, pacem, & Salutem, & vitam æternam. Benefaciat vobis Deus, & meminerit fidelis servitii, piæ compassionis & consolationis & honoris, quæ Sponsæ Filii ejus in tempore malo & in diebus afflictionis suæ exhibuistis, & exhibetis. Et quidem hoc jam impletur ex parte, & operationis hujus nonnullus capitur fructus; digna planè retributio celeri jam compensatur effectu. Jam pro meritis tecum actitat Deus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi, omnino populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Assumitur Pisa in Locum Romæ, & de cunctis Urbibus terræ ad Apostolicæ Sedis culmen eligitur. Nec fortuito, sive humano contigit istud consilio, sed cœlesti providentia, & Dei benigno favore fit, qui diligentes se diligit; qui dixit Christo suo Innocentio: Pisam inhabita, & ego benedicens benedicam ei: hîc habitabo, quoniam elegi eam. Me auctore, Tyranni Siculi malitia, Pisana constantia non cedit: nec circumvenitur dolis. O Pisani, Pisani: Magnificavit Dominus facere Vobiscum: facti sumus lætantes. Quæ civitas non invidet? Serva depositum Urbis fidelis, agnosce gratiam, stude prærogativæ non inveniri ingrata. Honora tuum & Universitatis Patrem: honora mundi Principes, qui in te sunt: & Judices terræ, quorum te præsentia reddit illustrem, gloriosam, famosam. Alioquin, si ignoras te, ô pulchra inter civitates, egredieris post greges sodalium tuorum; pasce hædos tuos, Sapientibus sat dictum est. Commendo vobis Marchionem Engelbertum, qui Domino Papæ & amicis ejus, missus est in adjutorium: juvenis fortis, & strenuus, &, si non fallor, fidelis: habetote eum vestris precibus magis commendatum, quia & ego ei vos ampliùs commendare curavi, monuique, ut vestris potissimùm consiliis innitatur. Huc usque S. Bernardi ad Pisanos egregium summæ gloriæ ac nobile Monimentum.

Ad finem anni hujus 1133. item Pisis datum habetur 12. Kal. Jan. Indic. 12. Incarnationis Dominicæ anno 1133. ab Innocentio Papa Diploma de Ecclesiæ Pistoriensis immunitate, ejus Episcopo Attoni, qui egregia claruit sanctitate, nuperque successit Hildebrando ab eodem S. Bernardo etiam commendato. In fine autem hanc habet subscriptionem S. R. E. Cardinalium, qui tunc Pisis reperti sunt inhærere Innocentio Pontifici, videlicet; *VVilhelmus Prænestinus Episcopus, Matthæus Albanensis Episcopus, Joannes Tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Gottifredus Card. Presbyter Tit. S. Justinæ, Lucas Presbyter Card. Tit. SS. Petri & Pauli, Martinus Presbyter Tit. S. Stephani in Cœlio monte, Gregorius Diacon. Card. SS. Sergii & Bacchi, Guido Diac. Card. S. Mariæ in via lata, Odo Diac. Card. S. Georgii, Joannes Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.*

Sequenti anno 1134. ab Innocentio Papa celebratur Pisis Concilium Generale ex Episcopis Italiæ & Transalpinis, immo (ut ait Bernardus Abbas Bonævallis) totius Occidentis, aliisque religiosis viris: affuit etiam per omnia & consiliis & judiciis & definitionibus omnibus S. Bernardus Abbas idem Claręvallensis. Post celebratum Pisis Concilium, antequam dimitterentur, qui congregati illic Concilii causa, Cardinales & Episcopi fuerant, eorum consilio adhibito, Innocentius Papa retulit inter Sanctos Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, quem anno superiori ex hac vita migrasse constat. Extant de cujus Canonizatione ejusdem Innocentii Literæ, datæ Pisis, X. Kal. Maji. Pisis etiam, Henricum Patriarcham Gradensem designatum, consecravit, pallioque insignivit.

Sed quod magni etiam est momenti, anno sequenti 1135. idem S. Bernardus reconciliavit & Pisanos Lothario Imperatori, penes quem calumniis detractorum malè audire cœpissent. Qua de causa idem S. Bernardus, has ad eundem Imperatorem per Pisanos Literas dedit, recitandas à nobis, eo quòd contineant, quæ, quantave hoc anno egerint Pisani classe adversùs Rogerium Siculum, jussione ipsius Innocentii; quæ sic se habent: *Miror cujus instinctu, vel consilio Vigilantiæ vestræ surripi potuerit, ut homines digni certè duplici honore & gratia, contraria à vobis audirent: Pisanos dico, qui primi & soli interim adhuc evexere vexillum adversùs invasores Imperii. Quàm justiùs in eos Regia incanduisset indignatio, qui populum strenuum, & devotum quacunque occasione offendere ausi sunt; eo præcipuè tempore, quo accincti in multis millibus sui exierant oppugnare Tyrannum* (Rogerium intelligit) *ulcisci injuriam Domini sui, & Imperialem defensare coronam. Ut enim congruentissimè assignem huic Genti, quod olim de S. David dicebatur: Quænam, quæso, in omnibus civitatibus sicut Pisa, fidelis, egrediens, & regrediens, & pergens ad Imperium Regis? Nonne hi sunt, qui nuper Regni illum unicum, & potentissimum hostem ab obsidione Neapolis fugaverunt? Nonne hi sunt, qui etiam* (quod penè incredibile dictu est) *uno impetu suo expugnaverunt, Amalfiam & Rebellum, & Scbalam, atque Atturinam, civitates utique opulentissimas & munitissimas, omnibusque, qui antehac tentaverunt usque ad hoc tempus, ut ajunt, inexpugnabiles? Quàm dignum, quàm æquum, quàm plenum ratione & justitia fuerat, ut fidelium terræ, interim, saltem cùm hæc actitarent, ab omni hoste secura consisteret, tum pro præsentia Summi Pontificis, quem jam dudum exulem Pisani apud se cum summo honore servabant & servant: tum pro servitio Imperatoris, pro quo & ipsi tunc temporis exulabant? Factum est autem per contrarium, ut gratiam qui offenderunt; & qui servierunt iram mererentur. Sed vos fortassis adhuc ista nesciebatis, oportet ergo nunc, quando res est nota vobis, immo & decet & expedit mutare vos, & verbum & animum, ut Viri, Regiis magis favoribus, & muneribus honorandi, à vestra parte de cætero audiant, & recipiant, prout meriti sunt. O quantum meruere Pisani! quantum adhuc mereri possunt! Sat est dictum Sapienti.* Huc usque S. Bernardus pro Pisanis ad Lotharium Imperatorem. Sed reminisci etiam debemus ejus quod paulò supra optimè idem S. Bernardus ajebat: *Assumitur Pisa in locum Romæ, & de cunctis urbibus terræ ad Apostolicæ Sedis culmen eligitur.* Nam præterquamquod Innocentius Pontifex tam Majestate illa sua Apostolica, quàm & omni officiorum genere Pisas illustraverit, nihilominus, sicut primam Cardinalium creationem in Galliis apud Claromontem Alverniæ, ita Pisis secundam, anno Domini 1134. Pontificatus V. mense Decembri, creationem Cardinalium præstare voluit.

Verùm Apostolico ejusdem Innocentii ore, Pisanorum fidem, ac pietatem erga Petri Sedem contestam quæso audiamus. Etenim ille in suo Diplomate, Laterani dato 10. Kal. Maji Incarnationis Dominicæ anno 1138. Pontificatus nono, quo Balduino Archiepiscopo, ejusque Ecclesiæ jura confirmat, & concedit, in hunc modum ajebat. *Tunc Apostolicæ Sedi, & Romanis Pontificibus honor integer conservatur, si unicuique Ecclesię dignitas custoditur. Romanæ siquidem Ecclesiæ consueta benignitas, & discreta humilitas, quos devotos & mansuetos filios reperit, alios dignitatibus & honoribus sibi Apostolicis facit obnoxios, alios familiaritatis & dilectionis prærogativâ sublimat. Æquum etenim & rationabile est, ut quorum beneficia & obsequia nos suscipere colimus, eorum devotioni non mensura pari, nec quantitate æquali, sed ex abundantis gratiæ benevolentia, libenti animo respondere curemus.* Paulòque inferiùs. *Ut Pisana civitas, quæ favore Cœlestis Numinis, de inimicis Christiani nominis, victoriam frequenter obtinuit, & eorum Urbes plurimas subjugavit, ampliùs honoretur, equo albo cum Nacco albo in Processionibus utendi; &*

Digitized by Google

& cætera, quemadmodum alii Romani Pontifices ejus prædecessores, indulsisse noscuntur.

Itaque Eugenius statim ac in Romanum Pontificem assumptus est, à Romanis Arnaldistis, Romanæ Ecclesiæ perduelibus exagitari cœpit: Quamobrem Româ Viterbium adiit. Dum hæc agerentur, tristis nuncius ex Oriente allatus curas Pontificis, & Cardinalium omnium oneravit, atque animos omnium, à minore molestia, ad summum timorem traduxit: Edessa urbs in Mesopotamia trans Euphratem à Sarracenis capta est, & direpta cum maxima Christianorum strage. Duobus hisce malis accurrere dum vellet Eugenius, in primis pacatâ Româ, Arnaldum Germanum, turbatorem, & concitatorem, ex eadem Urbe ejiciendum curavit: mox Romam rediens, & faustis acclamationibus à Clero, Populoque receptus, ad Ludovicum Francorum Regem Literas dedit de sacra expeditione: quam & S. Bernardus Abbas flagranti animi studio, & summa orationis gravitate prædicare instituit. Post hæc Eugenius, ut Christi bellatores excitaret Pisanos viros, Pisas contendit, à quibus omnibus ingenti honore exceptus, paulò post in Franciam progressus, à Ludovico Rege, & à Gallis omnibus eximiè cultus, Conventum celeberrimum Carnuti habuit anno Domini 1146. quò convenere ex Gallis Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates: adstitit & Rex cum Principibus Regni: indicitur expeditio Syriaca adversùs Sarracenos: eligitur Bernardus magnus Abbas in Ducem, & totius militiæ Principem. Præstò est & Conradus Rex Romanorum, qui cum Episcopis Germaniæ multis, & Principibus ac Populis Crucem accepit. Pisani, ac Januenses, aliique ex Italiæ Primòribus quamplures instructa classe adfuere; ut terra, marique Christianorum Cruce signatorum exercitus viseretur innumerabilis, & formidabilis. Occulto tamen Dei judicio, in illis Orientalium partibus, totus ferè pessundatus est, & contritus; Græcorum in primis dolo & arte Pelasga. Id quod Nicetas & ipse Græcus ita testatur. *Breviter ut dicam, nullum mali genus fuit, quod Imperator Manuel, non vel ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor esset: nempe vel calcem farinæ Græci miscerent; ut scilicet eorum posteris perpetuis monumentis ab adjuvandis Romanis deterrerentur. Idem & Turcæ imitati sunt, Manuelis literis ad bellum Alemannis faciendum concitati: in quorum manus proditione ductorum nescientes trucidandi sunt traditi. Huic ingenti malo & aliud nostri addidere. Nam orta contentione inter Principes, unius anni trivere tempus, & nihil penitus dignum memoria peregerunt. Cùmque proximè accepturi essent Damascum in deditionem, inconsultè nimis circumventi proditionibus, solvere coacti sunt obsidionem.* Plura, si desideras, tu pete à Tyrio.

Denique Eugenius Pontifex etiam Maximus, Pisanæ gloriæ, æquè ac Romanæ Ecclesiæ lumen mirificum; cujus gratiâ à nobis superiora sunt dicta, anno 1153. 8. Id. Jul. diem obiit Tibure, in Basilicam S. Petri Romam inde translatus: quem plurimis illustratum miraculis testatur Goffridus, Vita S. Bernardi lib. 5. cap. 2. hujus temporis Scriptor. Verùm ex plurimis illis miraculis ad Sanctissimi Papæ sepulchrum, Romæ in Basilica Sancti Petri ejus intercessione patratis, nonnulla refert Chrysostomus Manriquez in suo Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis, ab illius temporis Scriptore, qui ea se vidisse, & probasse testatur.

Sed (quod majoris momenti æstimare debemus) Otto Frisingensis Episcopus, (Hist. lib. 7. cap. 33.) ejus etiam temporis Scriptor, initia Pontificatus ejusdem Beatissimi Pontificis Eugenii recensens, affirmat: *Dum Legati Armeniæ Episcoporum, eorumque Metropolitani, eundem Pontificem Viterbii adirent, ac obedientiam spponderent, in aliquibus tamen, quo ad Missæ Sacrificium, à Romana Ecclesia discrepare se ultro manifestarent; Pontifex doctrina verbis primùm, mox miraculo per eum Dominus de erroribus admonitos esse voluit. Siquidem in B. Martini octava, quando Dedicatio Ecclesiæ B. Petri celebrari consueverat, Summo Pontifice Divina Mysteria agente, splendido fulgore radium Solis super caput ejus coruscare, & in ipso duas Columbas ascendentes, & descendentes vidit ex iis Legatus unus: cùm diligentissimè hac, illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, Deificum hoc esse cognoscens, ad obedientiam Romanæ Sedis cum Legatis Sociis ampliùs accensus, cunctis quæ viderat, aperuit.* Hactenus Otto Episcopus de insigni sanctitate Eugenii Pont. Max. III.

Denique (ut Christianorum omnium, non modò Pisanorum de partis in Terra Sancta victoriis, ac triumphis, felicitati & gloriæ, etsi tristem coronidem imponam) anno Domini octogesimo septimo supra millesimum centesimum, Gregorius Papa VIII. cùm audisset, captum esse Regem Hierosolymitanum, & Crucem Dominicam, & civitatem Sanctam Hierusalem, tristi nuncio perculsus ingemuit, & vi doloris anxius, tam enormem Christiani nominis jacturam inconsolabiliter deploravit: qui duobus ferè mensibus, quibus sedit, suæ pietatis digna monumenta reliquit; cùm in primis pro subsidio Terræ Sanctæ, ab universis Christi fidelibus, quibus & Literas dedit, quæ adhuc extant, (apud Roger. Hoved. in Annal. & Neubric. lib. 3. cap. 20.) Plenariam Indulgentiam largitus, auxilium vehementer efflagitat. Quamobrem Ferraria, ubi in demortui Urbani III. locum ipse suffectus fuerat, XIII. Kal. Novembr. statim Pisas contendit; ibique pacis (primùm Pisanis cum Genuensibus) tanquam Sapientissimus Architectus, consilio in primis & Viribus Pisanorum magnæ molis construendæ jecerat fundamentum, quod mors improba intercepit ad XVII. Kal. Januarii. Morbo namque repentino oppressus, & clarissima lux orbis extincta est, & Sanctissimi Pontificis vota, & pii conatus defecere. Corpus in Cathedrali Pisana honorificè sepultum. Senatus, Populusque Pisanus Pontifici de Christianorum Republica benemerentissimo religiosè parentavit.

Plura adhuc numero & dignitate, & magnitudine gloriosa Pisanorum facinora pro Sede præsertim Apostolica, atque Romana Ecclesia adducenda restant, tam ex ipsorum Pisanorum, & Romanorum, quàm aliarum majorum Gentium historiis. Sed brevitati consulentes, pluribus omissis, unum illud, quod alii injusto præteriere silentio, nequaquam nos prætereundum censuimus. Scribunt enim nonnulli, solos Gallos Venetis tantùm junctos, expulso Græcorum Imperatore, Urbem cœpisse Constantinopolitanam, cùm revera Pisanos etiam (triremium ac navium classe armato milite instructa) interfuisse: atque ex eo certamine victoriam ipsos quoque reportasse, certò certiùs constat ex bonorum Dominio, quod in parte illis cessit tam in eadem Urbe, quàm in ejus Urbis Imperio, cùm Galli obtinuissent Imperatorem, Balduinum scilicet Flandriæ Comitem; Veneti verò Patriarcham, Thomam Maurocenum: quos (præeunte auctoritate Maximi Pont. Innocentii III.) ad septimum Kal. Maji, die S. Marci, anno Domini 1204. elegerunt Sedis Apostolicæ Legati, ex Gallia Episcopi duo, Nivelo Suessionensis, & Garnerius Trecensis: ex Syria Episcopi etiam duo, P. Bethlemita, & Ptolemaïta.

Sed quod ad Pisanos spectat, extant Literæ eorundem Legatorum, in Archiv. Eccl. Pisanæ, quæ veritatem omnem confirmant hisce verbis: *Nivelo Dei gratia Suessionibus, G. Trecensis, P. Bethlemitanus, Episcopi, omnibus, ad quos præsentes Literæ pervenerint, in Domino salutem. Noverint universi, quòd cùm urbs Constantinopolitana capta Dei virtute, à Francis fuisset, Pisani, qui captioni Urbis interfuerant, propter incendium, Ecclesiis, & Ecclesiasticis indigentes Sacramentis, Ecclesiam S. Salvatoris Apologotheto sitam, prope Campum eorum, cum omnibus pertinentiis ejus circa se positis, humiliter postularunt, in qua eis competenter Divina possent officia* mini-

Digitized by Google

ministrari. Quorum petitionibus, intuitus probitatis eorum, & devotionis, quam erga Sacrosanctam Romanam Ecclesiam habere noscuntur benignius annuentes dictam Ecclesiam cum omnibus ejus pertinentiis, juxta ipsam positis, pro jam dictis Pisanis, Priori eorum, Sacerdoti scilicet Benenato, & Clero, qui Romano Pontifici in dicta Urbe tunc temporis erat obediens, concessimus: Ita quòd ipsi, & eisdem in præfata Ecclesia substituendi, dictis Pisanis, & eorum successoribus Sacramenta debeant Ecclesiastica ministrare: salva in omnibus Summi Pontificis, & omni auctoritate majori. Quod ut notum omnibus habeatur, & ratum, præsentem paginam nostrorum Sigillorum testimonio communivimus Dominicæ Incarn. anno 1205. Ind. 8. Mense Septembri. Captioni ergo Cap. Urbis Pisani utique interfuerunt.

A

Hoc ipsum quoque confirmarunt patentibus suis Literis Constantinopoli datis, Apostolicæ Sedis à Latere Legati in Imperio Romaniæ, Petrus Tit. S. Marcelli Presbyter Card. Benedictus Tit. S. Susannæ Presbyter Card. Joannes Tit. S. Praxedis Presbyter Card. Tandemque Honorius PP. III. sub datum Signiæ, Idib. Julii, Anno Pontificatus ejus septimo: is est, Christi Domini 1223. Quorum verò Diplomatum seriem (ne sim longior) hîc omittendam duxi: illorum tamen summa est: Confirmarunt Cardinales jam dicti Apostolicæ Sedis Legati, Pisanæ Reipublicæ, ejusque nomine, Priori Ecclesiæ S. Salvatoris, prope Domus, & Campum eorundem Pisanorum: nec non alteri eorundem Pisanorum nomine, Priori Ecclesiæ Sancti Petri, utraque Constantinopoli sita, cum eisdem Ecclesiis, ac Monasteriis, atque omnes eorundem terras, vineas, possessiones, Proastia, reditus, beneficia, atque universa illorum bona tam Constantinopoli, quàm Chalcedone, & in earum Diœcesibus existentia: quæ habere debent Pisani ex initæ pacis forma cum Gallis, & Venetis facta: quæque iidem Cardinales Legati sub sola Domini Papæ protectione firma esse decreverunt. Quemadmodum Tertius Honorius sub B. Petri, atque Apostolica protectione suscepit. Hoc autem, quia *Considerantes devotionem (inquit Maximus idem Pontifex cum iisdem Sedis Apostolicæ Legatis) quam ad Romanam Ecclesiam Pisanos fideliter habere cognoscimus: attendentes quoque obedientiam, & fidem, quam iidem, qui inter spinas Græcorum positi, eidem Romanæ Ecclesiæ omni tempore observarunt.* Pisanorumque Annales, quorum testimonium ideo postponendum esse voluimus, ne de facilitate argueremur, superioris facti historiam brevissimis hisce verbis meminere: *Anno Domini 1204. Constantinopolis à Pisanis, & Venetis capitur: postea verò anno 1262. à Paleologo Imp. Græcorum recuperata est.*

B

C

D

Cæterùm & si præclara fuerunt Pisanorum gesta pro Christiana Republica corporalibus armis comparata, multò præclariora fuerunt spiritualia eorundem arma, quibus Dei gratiam, Deique gloriam comparare studuerunt. Hujus autem rei argumento sint innumeræ Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, aliaque Deo sacra loca, non solùm Pisis, & in Comitatu Pisano, verum etiam in aliis per Occidentem, & Orientem regionibus ab eisdem fundata, extructa, ac dotata.

Quid de Religiosis illorum dicam ad loca sacra peregrinationibus? quàm Deo gratæ & acceptæ extitere, accipe ex multis unum à fidelissimo Scriptore Paulo Bernridensi relatum. Is enim, dum Gregorii VII. Pontificatus exordia describit, ita inquit: *Per idem tempus quidam Pisani pernoctabant in Basilica B. Petri, gratiâ orandi, cùm ecce vident ipsum Principem Apostolorum in eadem Domo sua, cum hoc prædestinato hærede suo deambulantem, eique præcipientem: Ut stercora diversorum jumentorum, quæ sparsim inibi jacere videbantur, in saccum, qui cominus haberi cernebatur, congereret, & dorso imposito egereret. Et quidem per hæc stercora luxurias & spurcitias diversorum hominum, maximè autem Nicolaitarum, & Quarti Henrici patroni eorum significari, in promptu est, &c.* Ita Bernriedensis.

E

Nec revera mirum, si Pisani à nascente Christiana Religione erga S. Petrum Apostolorum Principem, peregrinationibus, vigiliis, atque orationibus frequentes, ac ferventes essent, quando ille Româ à Claudio Imp. expulso, anno Christi quinquagesimo primo rectà Pisas contendens, illius populum Evangelii prædicatione ad Christum convertit, virum dedit inter Pisanos fide, ac moribus conspicuum, à se Petrum in Baptismate vocatum, qui tamen Perinus ipse humilitatis gratiâ dici voluit, ejusdem civitatis Episcopum ordinavit. Extat prope eandem Urbem ad gradus maris locus, in quo idem Apostolus primum (post Syracusas, Neapoli, & Romam) Altare marmoreum in Italia erexit, ubi Immaculatas Deo obtulit Ostias: Cujus rei gratiâ Pisani ibidem exædificarunt Ecclesiam, quam postea dum S. Clemens Papa in honorem Beatissimi Magistri consecraret, atque Altare illud marmoreum chrismate illiniret, de ipsius naribus aliquot sanguinis guttulæ distillaverunt: quæ adhuc hodie recentes apparent, magnaque in veneratione habentur: atque ea Ecclesia S. Petri ad Gradus vocitata est: quamque ante paucos annos ruinæ ferè proximam (eadem erga eundem magnum Dei Apostolum devotione motus) Perillustris Dominus Franciscus Cajetanus, religiosus utique Pisanus Patritius, Gentilis meus, non modicis, propriisque impensis nobiliter instaurandam, picturisque elegantibus exornandam curavit.

Porrò quemadmodum, Petrus, dum in humanis ageret, Pisanos adeò amasse cognoscitur, ita in cœlis degens, quatuor suis Successoribus Romanis Pontificibus (præter innumeros Sacros Heroës alios) Dei intercessor eosdem condecoravit. Metropoliticæ verò Tusciæ Pisanæ hujus Ecclesiæ Archipræsules recensuit Ferdinandus Ughellus Abbas Benedictinus Cisterciensis, in sua *Italia Sacra*: in qua totius Italiæ Ecclesiarum Archiepiscopos, atque Episcopos, eorumque res gestas summo labore descripsit.

Eugenius fuit primus ejus nominis Papa III. Petrus Bernardus Paganellus antea vocatus, Joanne Patre ex Dominis Montis magni, Pisis ad V. m. p. distantis oppidi (ut nos ex Reipublicæ Pisanæ, atque Ecclesiæ illius Annalibus, aliisque ejus temporis monumentis observavimus) non obscuris (ut perperam recentiores affirmant) natalibus, sed ex primaria ejusdem Reipublicæ nobilitate: immo non solùm Patre, verùm etiam Maria Cajetana matre exortus: qui ex Archipresbytero, vel juxta alios, Vice-Domino Ecclesiæ Pisanæ, Benedictinus Monachus Cœnobii Claravallensis in Francia, sub disciplina S. Bernardi Abbatis effectus, cùm prius diceretur Petrus, in monachatu etiam Bernardus à magni Magistri nomine dictus, ac non longè post ab eodem Bernardo Pisano Monasterio Sancti Zenonis, indeque ab Innocentio PP. II. Monasterio Trium Fontium prope Romam præfectus, eidem in Pontificatu successit anno Christi 1145. Vitæ sanctitate, ac miraculis clarus. Progenitorum, ejusque Insignia fuere Griphus sanguineus in scuto argenteo, cujus rostrum ad partem prospicit dextram.

Alter fuit Alexander III. Papa, Rolandus Bandinellus antea dictus, Rainucio nobili viro Senensi patre, Bandinello avo, Tedda matre, ex primaria Vice-Comitum nobilitate Pisana Pisis natus (ut nos ex supracitatis Pisanis monumentis hausimus) à pueritia Clericus sæcularis in Ecclesia Pisana, quæ nunquam fuit Regularis S. Augustini (ut non minus erroneè, quàm audacter asseritur ab Augustinianis Canonicis) religiosè nutritus: moxque ejusdem Ecclesiæ Canonicus factus, famâ Sanctitatis magni Abbatis Bernardi motus (ut ex ejusdem ætatis, aliisque optimæ notæ Scriptoribus colligitur) cum supradicto Petro Paganello, in eodem Gallicano Claravallensi Monasterio Monachum induit: atque ex Monacho S. R. E. Cardinalis ab eodem Tertio Eugenio suo condiscipulo factus, tandemque Pontifex Maximus Alexander III. creatus est, anno Christi 1159. Progenitorum, ejusque Insignia, extitere scutum aureum, magnæ nobili-

Digitized by Google

bilitatis argumentum. Quo Pontifice Maximo, & Pisanæ Reipublicæ erga Sedem Apostolicam, ejusque Romanos Pontifices devotio, & Cajetanæ Familiæ dignitas etiam enituit. Nam cùm anno Domini 1177. ingens illud spectaculum, quo Fridericus I. Imp. abjurato Schismate, eundem Alexandrum III. Verum Christi Vicarium, Pastoremque, & Patrem suum confessus esset, atque universum ferè Christianum Orbem Venetias advocasset, adfuit Andreas Cajetanus Eques, ac Consul cum aliis Reipublicæ Pisanæ sociis Consulibus, ac triginta septem ex primaria nobilitate Equitibus: qui & Pisanæ suæ Reipublicæ, & suo nomine, Alexandrum Pont. Max. (seque, suaque offerens omnia) reveritus, ac veneratus est. Fortunatus Ulmus Congregationis Casinensis Abbas eruditissimus, in Historia de Adventu Venetias Alexandri III. ex Chronico Veneto dum numerat eos Principes, Præsules, ac Nobiles, qui ibidem ea de causa advenere, numerat etiam Pisanos Consules cum nobilibus 37. ibidem interfuisse. Verùm eo anno 1177. inter alios Consules præsidisse etiam Andream Cajetanum Equitem, ex ejusdem Reipublicæ monumentis nos animadvertimus.

Tertius præterea Romanus Pont. prodiit anno Christi 1379. ex Pisana etiam nobilitate, Urbanus VI. Bartholomæus Perignanus antea vocatus, Neapoli natus (& ut produnt ejusdem civitatis Scriptores) apud plateam Nidi in Vico nobilium de Offeriis (unde Onuphrius Panvinius falsò dixit: In platea Vindi, & Vico Inferni) Nicolao Patritio Pisano patre, Margarita Brancatia nobili Neapolitana matre, Avo autem Bartholomæo Scaccerio ex nobilibus de Libra facta, seu Ripa fracta: quorum Familia inter septem Principes in Pisana Republica connumerabatur, atque ex Dominis castri Perignani in agro Pisano siti. Quæ præclara Familia jure gloriatur inter alios Illustres Viros, cœlo peperisse magnum illum Ecclesiæ Confessorem Rainerium: Qui inter Sanctos recensetur in Martyrologio Romano ad XV. Kalend. Junii: obiitque anno Christi 1161. Hæc nos ex Annalibus & Historiis Pisanis, quorum plerique Scriptores, & præsertim Rainerius Sardus, eundem cognovere Urbanum Pontificem. Quare non immeritò reprehendendi veniunt Auctores quidam recentiores, qui confundere ausi sunt Neapolitanam, sive Pisanam Familiam hanc Perignanam, quam falsò Prignanam vocarunt, Pisis ex Scacceria non totis trecentis annis oriundam, cum Familia Prignana nobili Salernitana, quæ ante quadringentos, & ampliùs annos Domina castri Prignani, non longè ab eadem civitate Salernitana distantis, claruit. Cæterùm Scacceriæ Pisanæ Familiæ Insignia, tres enses sunt argentei à dextris ad sinistram deorsum ducti, quorum capuli aurei sunt in area sanguinea. Nicolaus Urbani VI. pater Pisis Neapolim veniens, avitis hisce Majorum suorum Insigniis prætermissis, Aquilam cœruleam in aurea parma sibi, suisque posteris deferendam voluit. Cùm Salernitana Prignanorum Familia non Aquilam, neque enses tres deferat, sed argenteum canem ad dexteram scuti rubri ascendentem, & ab inferiori parte ejusdem scuti, ad superiorem sinistræ cœruleum sceptrum ducit, in cujus cuspide aureum extat lilium.

Quartus denique numero Romanus Pontifex, etiamsi natione Neapolitanus fuerit, origine tamen Pisanus extitit, Paulus IV. creatus anno Christi 1555. Joannes Petrus Caraffa antea vocatus, Joanne Antonio, inter Neapolitanos Proceres spectatæ virtutis viro, patre; Diomede Matalunæ Comite Avo, progenitus. Et quidem Carafforum Familiam ex Sigismundorum domo, quæ inter nobiles, & primarias in Pisana Republica connumerabatur, prodjisse, cum recentioribus antiqui etiam Scriptores, quos alibi citasse meminimus, affirmant. Ad hæc illud aliud accedit argumentum non sanè negligendum, utriusque nempe Familiæ, tum Sigismundæ Pisanæ, tum Caraffæ Neapolitanæ Insignia Gentilitia simillima omnino esse. Nam Sigismunda, quemadmodum & Caraffa, fasciis tribus argenteis, sive aureis utitur pro Insigniis in umbone rubro ad fasciarum mensuram partito.

Cæterùm, ut scripto quodam perantiquo monumento à claræ memoriæ Camillo Gualando Episcopo Cæsenatensi nobis ostenso, Florentiæ anno Christi 1596. certè constat: Sigismundum, Gualandum, & Lanfrancum, fratres tres nobilissimi cujusdam Coloniensis Viri filios, cum Ottone II. Imp. circa annum Domini 980. Pisas contendisse, totidemque Familias ibidem propagasse. Quid? quòd Pontifex ipse, eò quòd Pisanum origine se esse cognosceret, Pisano audito nomine, animo exultabat: quinimmo & Pisanos amasse, & Pisanos honoribus cumulasse, ex Pontificiis præcipuè ipsius Rescriptis certè constat. *Hic est ille Maximus Pontifex, qui dum esset Archiepiscopus Teatinus, cum B. Cajetano Tianao, Inclytum Ordinem Clericorum Regularium Teatinorum instituit; qui cum votis aliis Religiosis votum paupertatis etiam in communi strictè observant. Veruntamen antequam idem Caraffa Archiepiscopales capesseret Infulas, sub S. Benedicti Regula Vitam Monasticam egisse Neapoli in Monasterio S. Severini, tradit Consalvus Illescas, Scriptor eidem Caraffæ coætaneus, atque etiam ex testimonio Joannis Baptistæ Folengii Monachi Casinensis Monasterii S. Benedicti non longè ab urbe Mantua, & Abbatis S. Mariæ de Pira, ipsiusmet jam Pontificis Maximi familiaris, ac pro informatione Monachorum Benedictinorum ad Hispanias ab eodem Legati. Extat apud me ipsius Pauli IV. Breve, datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 8. Novemb. anno 1555. Pontificatus ejus primo, pro hac ipsa Legatione, in hunc modum: Dilectis filiis, Joanni Baptistæ Folengio Abbati Monasterii S. Mariæ de Pira, & Euticio de Sancto-Angelo, Monachis Ord. S. Benedicti Casinensis, aliàs S. Justinæ Congregationis, Paulus Papa IV. Dilecti filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Gregis Dominici curam gerentes universalem, &c. Consalvi verò Illescas testimonium Hispanicè descriptum, hoc est: y Algunos dizen, que fue Monge de San Benito; afirman que tomò el habito de aquella Santa Religion en el Monasterio de San Severino de Napoles y si es ansi, como lo oy a personas de mucha authoridad, que afirmavan y ver lo oydo a Folengio Monge Casinense, al quale embiò el mismo Paulo Quarto a visitar a España los Monasterios della.* Gratis igitur contrarium asseruisse cognoscuntur Arnoldus VVionus, & Antonius Caracciolus, viri alioqui eruditissimi, atque amicitiæ nexu nobis juncti, Scriptores tamen recentissimi, utpote centum & ampliùs annis ab ætate ejusdem Caraffæ distantes. Verùm hæc præsenti argumento sufficiant: Reliqua enim alibi opportuniùs prosequemur.

Cæterùm, cùm soli Pisani ante gloriosum illud Urbani II. classicum pro recuperatione Terræ Sanctæ, centum & ampliùs annorum spatio (ut Summi quique Pontifices Apostolicis suis Literarum testificationibus certissimum reddidere) contra Sarracenos validissimè decertarent, & plurimas de inimicis fidei victorias consequerentur, mirum in modum & divitiis, & rerum gestarum gloria, & Imperii magnitudine floruerunt. Quamobrem & clarissimam Pisanorum famam fecere etiam bella cum maximis Principibus terra, marique gesta, quæ tantis eos laudibus cumulavere, ut MARIS DOMINI (quod superiùs pluribus asserebam) vocarentur. Postquam verò, peccatis exigentibus, eorum vires, & à Christianis attritæ exaruerunt, una etiam vox ab Oriente audita est, lamentantium, ac lugentium interfectos populi Dei, & civitatem Sanctam Hierusalem hostili pervasione vastatam. Sed ad Pandulphum de Gelasio nostro scribentem denuo revertamur.

Digitized by Google

qualem certè vix faceret Origenes in carne. Ibidem igitur aliquandiu commorans, quæque sui officii libertate plenaria tractans, mare iterum introivit, & sic ducente Domino portum Villæ Sancti Ægidii sanus cum suis omnibus & incolumis attigit; (31) ubi Venerabili Abbate Hugone, ac ejusdem Monasterii fratribus undecumque confluentibus, cum maxima laude est,

(31) Ibi cùm esset apud S. Ægidium idem Gelasius Papa, Privilegium dedit Ecclesiæ Toletanæ, de quo ista tantùm mutilata, sed ex Registro accepta Gelasii, his verbis: *Gelasius Episcopus, Servus Servorum Dei. Reverendissimo Fratri Bernardo Toletano Primati, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Charitatis est bonum proprium congaudere profectibus aliorum, &c. Idcirco Prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ Urbani II. item Paschalis II. vestigiis inhærentes, tam tibi, quàm tuis successoribus Toletanæ Ecclesiæ Cathedram illustrantibus, totius Hispaniæ Primatum, largiente Domino, confirmamus, salva tamen Romanæ Ecclesiæ auctoritate, & Metropolitanorum Privilegiis singulorum, &c.* Post hæc subscriptio, & tempus datæ his verbis: *Ego Gelasius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscribo ✠ Signum manus meæ, Deus in Loco Sancto suo. Datum apud S. Ægidium, per manus Chrysogoni S. R. E. Diaconi Card. VII. Id. Novembr. Indictione XII. Anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. Pontificatus autem Gelasii II. Papæ anno I.* Huc usque in codice.

Inter alios, qui ad S. Ægidium occurrerunt Gelasio Pontifici, fuit Northbertus auctor Ordinis Præmonstratensis; qui ab eodem Pontifice munus prædicandi Evangelium impetravit: cùmque Gelasius voluisset eum apud se retinere, non acquievit. Rem gestam accipe ab Hugone Abbate ejus temporis Scriptore fidelissimo; ait enim: *Pede igitur nudo, tunicâ laneâ, & pallio sibi sufficiente, sine tecto, sine certo domicilio, virtute animi horrendas hyemes, & asperam glaciem superans, solo Christo duce, cum duobus singularis propositi comitibus, proficiscitur versùs S. Ægidium. Quò cùm pervenisset, ibique gratiâ Dei ordinante, quï sperantes in se non relinquit, Gelasium Papam, qui successit Paschali, invenisset, confessus est ei voluntatem propositum animi sui, veniamque de hoc specialiter, quòd duos simul Supremos Ordines contra Canonum Instituta susceperat, & à præfato Pontifice postulans, impetravit. Papa verò videns prudentiam ejus, & Spiritum Dei habitantem in eo, voluit eum secum retinere: at ille rogans & obsecrans, ne hac, ipsum obedientia cogeret, exponebat, qualiter se ipsum totum in aulis Regum, ac pompis Pontificum lasciviendo dissipasset; & quòd id quò invitaret eum, juventuti suæ, vel assumptæ pænitentiæ minimè congrueret. Quòd si Canonicum, vel Monachum, aut Eremitam, seù etiam peregrinum ipsum esse præciperet, libenter, ac per omnia se obtemperaturum ajebat. Videns igitur Pontifex constantiam hominis, & devotionem animi bonam, necnon & persecutionem, quam pro verbo veritatis pertulerat, dedit ei licentiam, & liberam facultatem prædicandi verbum Dei; non solum ubi priùs prædicaverat, verùm etiam ubicumque terrarum vellet, & posset; id ipsum ex persona sua monendo & præcipiendo injungens. Præterea eis, qui priùs ex invidentia ei restiterant, inhibuit, ne saltem simplices prohiberent, si ipsi conciones ejus supervacaneas, seu minimè sibi utiles judicarent. Et hoc ipsum, ut ratum esset, & stabile, auctoritatis suæ literis, ac sigillorum firmavit.* Hactenus Hugo Abbas de his, quæ inter Gelasium Papam, & Northbertum Archiepiscopum Magdeburgensem Ordinis Præmonstratensis institutorem transacta sunt. Hic est ille Northbertus, qui vitæ religiosæ spiritum & normam hausit à Conone Abbate ejusque Monachis Benedictinis Monasterii Sigebergensis: atque ideò in perpetuam ejus rei memoriam, tum ipse Sanctus Northbertus, tùm ejus Alumni præmonstratenses Canonici, Scapulare Benedictinum Canonicis aliàs infuetum suprà Canonicam tunicam deferre statuerunt.

Interea præfatus Papa Gelasius (verba sunt Rogerii de Hoveden) per mare Burgundiam venit; & adventus ejus mox Galliæ innotuit; qui 17. Kal. Februarii, missâ per Gallias epistolâ Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Clericis, & Principibus, conquestus est, se ab Imperatore de Roma violenter expulsum esse, & Bracharensem Episcopum excommunicatum in Apostolicam Sedem intrusum; simul exhortans, ut ad Matris Ecclesiæ ultionem communibus auxiliis se se præpararent. His discurrentibus per provincias literis excitati potentes quique cum mediocribus, occurrere Apostolico, & certatim parabant interesse Concilio, quod ipse disposuit se mediâ Quadragesimâ Remis celebraturum.

Porrò Sugerius Abbas S. Dionysii, qui unus fuit ex iis, quos Ludovicus Francorum Rex misit in occursum ejusdem Gelasii Pontificis, in vita ejusdem Regis, quam scripsit, tradit, obtulisse eidem Pontifici extremâ inopiâ laboranti primitias Regni; ab eo autem Apostolica benedictione donatus fuisse: paratum verò Ludovicum ipsum adire Cluniacum, si ejus vita superstite licuisset. Auctor quoque hujus temporis Falco in Chronico Beneventano testatur, ingenti studio Francos ad exulem Pontificem confluxisse, eorumque munificentiâ ingentem vim argenti & auri fuisse collectam, ex spontaneis fidelium suas domos evacuantium oblationibus, ut exuli Pontifici subvenirent.

Eodem tempore ab eodem Gelasio Papa consecratur Petrus Episcopus Cæsaraugustanus, primus post recuperatam eam civitatem per Ildefonsum Regem anno 1115. ut ejusdem Regis diplomate reddidit exploratum Hieronymus Blanca historicus accuratissimus. Bello siquidem devictis Sarracenis, ipsaque nobilissima civitate ac perillustri antiquis Sanctorum Martyrum memoriis à Sarracenorum manibus vindicata, idem Rex maximè pius, valde sollicitus, ut Christianæ Religionis cultus diu exul cum honore postliminio redderetur, ad Romanum Pontificem Gelasium mittit consecrandum electum Petrum: quem suscipiens benigno promptoque animo idem Pontifex Episcopum consecravit, eundemque ad suam remittens Ecclesiam, has illi literas dedit.

Gelasius Episcopus Servus Servorum Dei, Exercitui Christianorum Civitatem Cæsaraugustanam obsidenti, & omnibus Catholicæ fidei cultoribus salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ Literas devotionis vestræ inspeximus, & petitioni, quam pro Cæsaraugustano Electo ad Sedem Apostolicam direxistis, favorem libenter accomodavimus. Eundem ergo Electum nostris, tamquam Beati Petri manibus, largiente Domino, consecratum, remittentes ad vos, benedictionem vobis Apostolicæ visitationis impendimus, Omnipotentis Dei æquam misericordiam implorantes: ut per Sanctorum preces & merita opus suum ad honorem suum, & Ecclesiæ suæ dilatationem vos faciat operari. Et quoniam & vos ipsos, & vestra extremis objicere periculis decrevistis, si quis vestrûm, acceptâ de peccatis suis pœnitentiâ, in expeditione hac mortuus fuerit, nos eum, sanctorum meritis, & totius Ecclesiæ Catholicæ precibus, à suis vinculis peccatorum absolvimus. Cæterùm qui pro eodem Domini servitio vel laborant, vel laboraverint; & qui præfatæ urbis Ecclesiæ à Sarracenis, & Moabitis dirutæ, unde reficiatur, & Clericis ibi Deo famulantibus, unde pascantur, aliquid donant, vel donaverint, secundùm laborum suorum, & beneficiorum suorum Ecclesiæ impensorum quantitatem, & Episcoporum arbitrium, in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum suarum remissionem, & indulgentiam consequantur. Datæ Alesti IV. Id. Decembr.

His

Digitized by Google

His acceptis, idem Petrus ordinatur Episcopus Cæsaraugustanus, suis additis literis (quas etiam refert idem Hieronymus Blanca) ejusmodi indulgentiarum diploma per universum Christianum Orbem promulgandum studuit.

Cùm autem pervenisset, ut dicebam, in Gallias Gelasius Papa, ad continendos Catholicos Germanos in fide Apostolicæ Sedis, legat ad eos Cunonem Card. Episcopum Prænestinum bene notum (ut qui antea sub Paschali prædecessore ea summa cum dignitate fuerat legatione perfunctus) qui instar fulguris coruscantis abiens, & rediens excommunicationis fulmen in Imperatorem, in duobus, quæ congregavit, Conciliis, magnâ animi constantiâ explosit intrepidus. De his enim Uspergensis Abbas in primis hæc habet: *His temporibus Cono Prænestinus Episcopus Cardinalis, adhuc legatione Gelasii functus, Synodum Coloniæ cum Teutbonicis habuit: ubi Imperatoris omnimodis excommunicationem propalavit. Huic Concilio interfuit Nortbbertus, postea Præmonstratensis Ordinis Institutor, tunc autem noster conversus in peregrino habitu: ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat; unde & scriptum legitur de eo quod de Ismael: quia manus borum omnium contra eum, & ipse contra bos omnes. At de causa Nortbberti in vita ipsius Hugo Abbas pluribus agit.* Pergit Auctor: *Alteram quoque Synodum in Frizlar idem Cono Prænestinus eadem pro causa indixit, qua & babita, eandem quam priùs excommunicationem confirmavit (adversùs Imperatorem scilicet) Imperator bis auditis, insuper etiam quod Principum consensus generale, vel curiale colloquium, non multò post apud VVirceburg instituere proposuisset; ubi ipse aut præsens ad audientiam exbiberi, aut absens Regno deponi debuerit: efferatus animo, Italiæ suis copiis cum Regina relictis, Germanicis se regionibus nimis insperatus exbibuit.* Hæc Uspergensis de Conciliis Germaniæ auctoritate Gelasii Papæ celebratis.

In Galliis autem (ut Falco Beneventanus ait) Apostolicus ipse stabilivit, ut in sequenti mense Martio, Synodum cum Patribus Franciæ, Teutonicisque celebraret, ibique de Sacerdotii & Regni dissidio longè latèque habito, Spiritu Sancto mediante, loquerentur. Verùm Gelasius morte præventus à se indictum generale Concilium celebrare nequivit. Synodum nihilominus Viennæ habuit, de qua Uspergensis Abbas: *Hinc per Campaniam cum suis ab Burgundiam transmigravit, ac Viennæ Synodum congregari constituit. Anno Dominicæ Incarnationis* 1119. *Dominus Apostolicus Gelasius II. apud Viennam Synodum congregavit, eâque transactâ, post paucos dies in Monasterio Cluniacensi vitam præsentem in Domino finivit.* Ita Uspergensis Abbas Gelasii Pontificis vestigia sequens per Galliam peregrinantis.

Sed præstat etiam audire Hugonem Monachum Cluniacensem, qui scribens ad Pontium Cœnobii Cluniacensis Abbatem Gelasii Pontificis in Gallicana profectione comitem: *Assumptus est*, ait, *electione Catbolica, & consecratus est Gelasius Papa, vir apprimè eruditus, eleemosynis largus, consilio providus. Hic Henrico IV. Romanorum Imperatore contra Ecclesiam sæviente, declinans, ad mare descendit, navigio Gallias expetivit: tibique primùm cursore à Pisis emisso, suum prænunciari fecit adventum: te enim, Cluniaci scilicet Abbatem, in partibus Galliarum, babet Pontifex Romanus proprium & specialem filium: buic apud Sanctum Ægidium occuristi, buic & multo comitatui suo equitaturas, & alia quammaxima elegantissimè ministrasti; bunc pro maris molestia infirmatum in tuæ solo nativitatis, quod pater tuus Petrus potens & nobilis Comes Merguliensis, juri Apostolorum Petri, & Pauli contradidit, & inde accepit; tu Papam officiosissimè confovisti: qui denuo convalescens, & Cluniacum suam pervenire desiderans, Lugdunum Galliæ pertransit, Matisconam descendit, ubi gravissima ægritudine confectus se Cluniacum perferri instantissimè præcepit. Quò deportatus, summâque reverentiâ susceptus, completo Episcopatus sui anno uno, & diebus quatuor, in medio fratrum, circumstantibus Episcopis, & Cardinalibus, in propria domo, proprius Pastor in pace Cluniaci quievit.* Hactenus Hugo Monachus Cluniacensis.

At verò ante obitum cùm se lethali morbo affectum convalescere penitùs desperaret, Sanctissimus Pontifex Gelasius consulere Ecclesiæ periclitanti minimè prætermisit; cupiens sibi succedere qui in tanto ventorum conflictu naviculam fluctuantem regere posset: ad hoc virum alium præter Cunonem Prænestinum Episcopum, cùm neminem sciret esse magis idoneum cum his, qui aderant, Cardinalibus, ut ipse eligeretur, cœpit exhortationibus agere. Sed quomodo idem vir insignis Prænestinus Episcopus his se liberarit, ex Falcone Beneventano, qui tunc hæc scribebat, sic accipe: *Gelasius Pontifex confestim se infimitatis validæ disolutione teneri persentiens, Prænestinum accersiri jussit Episcopum, & imponere illi tanti bonoris culmen Romanæ Sedis satagebat. Prævidebat enim se, ut fragilitatis est, corpore dissolvi. Audiens itaque Episcopus ipse bujusmodi verba Pontificem proferentem: Absit, inquit, omnino absit, ut tanti bonoris, ponderisque cacumen, indignus ego & infelix sustipiam, præcipuè, cùm auxilio Dei, & sæcularium virtute divitiarum, Romana Sedes temporibus nostris sub persecutionis flagello dedita defendi oporteat, & muniri: si verò meis acquiescere velitis consiliis, Viennensem Archiepiscopum, virum utique religiosum, prudentisque animi, & sæcularibus ornatum virtutibus ad tale, tantumque patrocinium eligamus. Dei namque consilio, & Beati Petri meritis, & viri bujus solatio Romanam Sedem sub tantæ persecutionis periculo diutissimè oppressam, credimus ad serenitatem triumpbumque sublevari. Quid multa? & Gelasio Pontifici infirmanti, & cæteris Cardinalibus, aliisque omnibus Episcopi sermo complacuit: nec mora; Archiepiscopum illum accersiri jubent, ut dicta factis compleant, & perseverent. Quia verò vocatus viribus totis renuit, seseque tanti officii culmine indignum clamitabat; tamen cælesti clementia ordinante ad Pontificalem Infulam, Gelasio ægrotante & volente, promovetur. Die verò altera adveniante, Gelasius Pontifex, IV. videlicet Kal. Februarii apud prædictum Monasterium feliciter ex bujus mundi ergastulo migravit ad Dominum.* Hucusque Falco Beneventanus.

Sed Pandulphus Pisanus non tantùm Gelasiani temporis Scriptor ut Falco Beneventanus, verùm etiam eidem Gelasio familiaris, qui præsens adfuit morienti, ipsius ad Cœlos transitum hisce verbis descripsit: *Cùm jam quasi ad portum fore se deductum congaudens, solita passione correptus, quam à costa Græci pleuritim appellari jusserunt, suis & multis fratribus undique convocatis, facta confessione, ac Corpore cum Sanguine Redemptoris acceptis, & juxta normam Monasticam, strato terræ corpusculo, sancta illa anima carne soluta est: binc ad Cælum Petro duce conscendens, corpus bonorabiliter intra limen Cluniacensis Cœnobii requiescit in pace. Amen. Quem Romani, qui aderant, & qui Romæ remanserant, Clerus omnis & populus defleverunt, & quasi Patrem justitiæ, nolentes consolari, deflebant.* Hæc Pandulphus.

Verumtamen quæ Falco Beneventanus paulò supra affirmabat de Callisto, tunc vivente Pontifice Gelasio, non electo, sed tamen consensu omnium designato, affirmantur, præter consuetudinem, quòd sic videbatur ejus temporis necessitas postulare, peractum esse dicendum est, cùm tamen ea omnia ipsi incognita penitùs.

Porrò Cardinales, qui Cluniaci, mortuo Gelasio, creationi Papæ Callisti interfuerunt, cùm nullus hucusque recenseat, nos ex ejus temporis Scriptoribus, ac monumentis manu exaratis hoc loco annotare voluimus. Sunt autem hi: *Lambertus Episcopus Ostiensis, Cuno Episcopus Prænestinus, Deusdedit Presbyter Cardinalis Tit. Sancti Laurentii in Damaso, Jo-*

bannes

hannes Cremensis Presbyter Cardinalis Tit. Sancti Chrysogoni , Guido Gallus Presbyter Cardinalis Tit. Sanctæ Balbinæ ; Gregorius Northmannus Romanus Diaconus Cardinalis S. Angeli ; Petrus Petri Leonis Illust. Senatoris Roman. filius , & Monachus Cluniacensis Diaconus Card. SS. Cosmæ & Damiani , qui & auctor præcipuus creationis ejusdem Callisti Papæ ; Petrus Diaconus Card. S. Adriani ; Chrysogonus Pisanus Diaconus Card. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano S. R. E. Bibliothecarius , & Cancellarius , Roscemannus Campanus Monachus Casinensis Diaconus Card. S. Gregorii in Velabro ; Amicus Subdiaconus Card. & Abbas S. Laurentii Romæ , foris muros. His , aliisque pluribus de Romano Senatu Clericis , qui Cluniaci adsuere (Orderico Vitali ejus temporis Scriptore etiam attestante) *specialis prærogativa concessa est , Papam eligere , & consecrare . Intronizatus est itaque Guido Viennensis Archiepiscopus , Regali stemmate exortus , ab adolescentia castus , religiosus , largus , in opere Dei fervidus , & multis pollens virtutibus* . Hæc ille.

Verùm hoc loco Lectores nobiscum , quæso , paulisper sistite . Gelasius namque post Pisanam discessionem , non rectà quidem Galliarum fines attigit , sed Januam urbem etiam in Italia Principem devênit : in eaque à Clero & populo , atque in primis à Serenissima ipsius Republica honorificè satis exceptus , atque eorumdem precibus motus (ut Paulus Interianus etiam testatur) Cathedralem S. Laurentii , & Syri Ecclesiam paulò ante amplè exædificatam , solemni pompa , rituque solemni consecravit dicavitque Altissimo Deo , in honorem eorumdem Sanctorum Laurentii , & Syri Januensis Episcopi .

Extat ibidem in ejusdem Cathedralis Sacrario perantiqua Tabula quædam , in qua de ejusdem Ecclesiæ consecratione , ac dedicatione ab eodem Sanctissimo Pontifice facta , scripta hæc memoria legitur : *Sexto Idus Octobris , Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo octavo decimo , Inditione duodecima , Dedicatio Ecclesiæ Beatiss. Laurentii , atque Sanctiss. Syri Januensis Episcopi . Quæ consecrata fuit à Domino Gelasio Papa , primo Anno Episcopatus sui cum pluribus Episcopis , cum Ottone videlicet Januensi , & cum Placentino Aldone , atque Landulpho Astensi , & cum Azone Aquensi , multisque Abbatibus , plurimisque aliis Religiosis , Sacerdotibus , Diaconibus , atque Clericis . In qua consecratione , laude omnium virorum religiosorum , fecit remissionem cunctorum peccatorum ex parte Dei Omnipotentis , Beatæque Dei Genitricis Mariæ , & Omnium Sanctorum , & suam , in quantum potuit , omnibus defunctis masculis , & fœminis , qui mortui sunt in vera confessione , & sunt sepulti in Cimiterio ejusdem Ecclesiæ , & sepelientur usque in finem hujus sæculi : omnibusque illis , qui venerint ad celebrandum hujus Dedicationis diem , condonavit annum unum , & quadraginta dies , in quibus jejunare debent pro pœnitentia injuncta eis* . Hæc ibi .

Sacram verò hanc Dedicationis cæremoniam Gelasius ipse Pontifex Apostolico Auctoritatis suæ monumento, signoque Pontificii sui plumbi serico funiculo , croceoque eidem chartæ conjuncti , constabilito , ad perpetuam ejus rei memoriam reddidit immortalitati . Cujus scripti verba sunt : *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo decimonono , Indictione XII. Sexto Idus Octobris , Dominus Gelasius Papa II. Altare hoc , & Oratorium consecravit , Pontificatus sui Anno primo* . Hæc ibi .

Pontificium verò plumbum sacris illis Apostolicis verbis funiculo serico croceo appensum , & quo Sanctissimus Dominus Noster Gelasius Papa II. suis in Literis omnibus uti consuevit , nullibi inventum , etiamsi à me diligentissimè perquisitum , quàm Januæ in Cathedralis Ecclesiæ Sacrario , hoc est ; *quod nos commodiori loco , scilicet Tab. II. Fig. II. imponemus* .

Porrò Metropoliticæ huic Januensi Ligurum Ecclesiæ præsidet hodie Dominus meus , Archiepiscopus , S. R. E. Cardinalis Eminentissimus D. Stephanus Duratius , Viri Illustrissimi D. Petri Serenissimæ Januensis Reipublicæ Ducis filius , Præsul sanè zelo Religionis Ecclesiasticæ non minùs , quàm erga Deum & Patriam charitate fervidus , atque utrique gratissimus . Quod insuper ad Serenissimam hanc Januensem Ligurum Rempublicam spectat , ex ea quidem prodiere viri omni virtutum genere refertissimi : in pace quidem , prudentia , doctrina , & sanctitate celebres : in bello autem , fortitudine , consilio , & victoriis illustres . Porrò ex ungue disce Leonem , ex una namque civitate Janua , atque è solo ipsius dominio non homo mortalis , sed Divinus ille Spiritus Paracletus , octo numero Romanos Maximosque Pontifices , qui Urbem & Orbem regerent assumptos voluit . Et quidem Januenses quatuor extitere Sinibaldus Fliscus ex Lavaniæ Comitibus Monachus Sancti Benigni Fructuariæ (ut testis est Philibertus Pingonius) in agro Taurinensi , Ord. S. P. N. Benedicti , ac Sacræ Theologiæ , & Sanctorum Canonum Doctor mirificus , anno Christi 1243. Innocentius IV. Hunc Conradi Cajetani Equitis Pisani Imperatoris Friderici II. generis , ac Siciliæ ejusdem loco Proregis consanguineum fuisse , testatur Joannes Spatafora Imperatoris ipsius à Secretis . Othobonus itidem Fliscus ex Theodosio fratre ejusdem Innocentii IV. nepos ex iisdem Lavaniæ Comitibus , A. C. 1276. Adrianus V. Joannes Baptista Cibo , A. C. 1486. Innocentius IIX. & Joannes Baptista Castaneus A. C. 1590. Urbanus VII. Ex Januensium autem dominio etiam quatuor extitere . Et quidem in Etruria S. Eutychianus Lunensis , A. C. 285. Et Thomas Parantucellus Lunens. Sarzanensis A. C. 1447. Nicolaus V. In Liguria autem M. Fr. Franciscus de Ruvere de Albizzola Diœcesis Savonensis Ord. S. Francisci A. C. 1471. Sixtus IV. & Julianus de Ruvere , illius ex fratre nepos , etiam de Albizzola ejusdem Diœcesis Savonensis A. C. 1503. Julius II. Verùm hæc de Januensibus laudum præconia non mea modò sunt , immo etiam Melliflui illius Doctoris Benedictini (Scriptores cæteros nunc prætereo) magni Bernardi , inquam , Abbatis Sanctissimi , spectatissimæ ipsorum urbis Patroni , cujus aurea sunt verba : (S. Bernardus epist. 129.)

Januensibus suis , Consulibus cum Consiliariis , & Civibus universis , Bernardus Abbas , dictus de Claravalle , pacem & salutem & vitam æternam .

„ QUòd adventus noster ad vos anno præterito „ non fuerit otiosus, Ecclesia paulò post in „ sua necessitate probavit , à qua & missi „ fueramus . Honorificè nos & suscepistis , & te„ nuistis exiguum , quod apud vos fuimus . Et „ quidem dignè vobis , sed supra nostræ humili„ tatis modum . Profectò ut non immemores , sic „ non ingrati sumus . Vicem rependat qui potest, „ & qui in causa fuit Deus . Nos enim unde il„ lum recompensemus venerationis cultum , sed „ obsequium , sed affectum plenum amoris & gra„ tiæ ? non quo nostro delectemur favore , sed „ vestræ devotioni collætamur . O mihi dies illos „ festivos , sed paucos , in æternum non obliviscar „ tui Plebs devota Honorabilis Gens , Civitas Il„ lustris . Vespere , & manè , & meridie (more „ utique Prophetæ *Psal.* 54.) narrabam & an„ nunciabam , & erat tanta audiendi aviditas , „ quanta & audientium charitas . Portabamus „ verbum pacis , cùmque invenissemus filios pa„ cis , requievit super eos pax nostra . Exieram „ planè seminare semen , non meum , sed Dei : „ & cadens in terram bonam semen bonum , fru„ ctum fecit centuplum & tempestivum . Mira „ celeritas , quia magna necessitas . Nec tardi„ tatem passus sum , nec difficultatem . Una pæne „ die & serens , & metens , & reportans cum „ exultatione manipulos pacis . Hæc quippe mes„ sis , quam messui . Exulibus , captivis , compe„ ditis , & incarceratis evadendi , atque repatrian„ di lætam reportavimus spem , metum hostibus ,

eſt, & honore ſuſceptus. Qualiter quoque inibi quàm bene, quàm largiſſimè ab eis fuerit diutiùs pertractatus ſatis manifeſtum eſt; illic omnes Epiſcopi, Abbates, atque Monachi, nobiles, & ignobiles, cujuſcumque ordinis, pari modo conveniunt, quique pro ſuo modulo deſervire parati. Abbas Cluniacenſis Dominus Pontius adveniens cum munuſculis aliis triginta ei equitaturas præparavit, decem verò Abbas Sancti Ægidii cum donariis aliis; cum quibus, & cum aliis equitavit Domnus Papa per terram illam, in viciniis quoque illis, cooperantibus plurimis urbium vicinarum Epiſcopis, Eccleſiam Sanctæ Cœciliæ de Stagello, Eccleſiam Sancti Sylveſtri de Libano, (C. de Tillano) Eccleſiam Sancti Stephani de Tornacho dedicavit, & terminos lapideos propterea infixit, quos abſque maledictione perpetua nulli umquam ad damnum, vel loci, vel alicujus rei tranſgredi, quandoque licebit. Inde Papa regrediens abſque mora per Podium in Franciam properavit, & inter villas alias ubi fuit vice Beati Petri receptus, Cluniacenſe adiit Monaſterium, in quo juxta tanti loci potentiam, & ſicut Apoſtolicum Virum condecuit, & receptus eſt, pariter & benignè tractatus, omneſque bene & optimè, qui intraverunt cum eo Archiepiſcopi, & Epiſcopi terræ, ſed & Reges, & Principes tamquam ſi Petrum vidiſſent tamper ſe, quàm per nuncios cum non parvis muneribus ſedulè frequentabant. Qui omnes unanimitèr à tanto patre, ac domino plenioribus brachiis caritatis amplexi de lætis, qui veniebant lætiores effecti, domum cœleſtibus ferculis medullitus epulati redibant. Tractabat Vir Sanctiſſimus qualiter & his, quos ſecum duxerat, & quos in Urbe reliquerat in omnibus, & per omnia provideret, & quidem multa jam ad libitum, Domino juvante, peregerat, cùm jam quaſi in portum fore ſe deductum congaudens, ſubita correptus paſſione, quam à coſta Græci pleureſyn appellari juſſerunt, ſuis ac multis fratribus undique convocatis, facta confeſſione, ac Corpore, cum Sanguine Redemptoris acceptis, & juxta normam Monaſticam ſtrato terræ cor-

---

„ confuſionem Schiſmaticis, gloriam Eccleſiæ, „ Orbi lætitiam. Hucuſque Mellifluus Bernardus ad ſuos Januenſes.

Quamobrem jure meritiſſimo Sereniſſima Reſpublica hæc Januenſis ſicut in terris viventem, Patrem & amicum optimum ſibi adſcivit eumdem Bernardum, ita in Cœlis gaudentem, Patronum perpetuum. Idque ſolemniter firmato decreto, die Dominico, 27. Aprilis an. Chriſti 1625. Atque ideo (ut jugis tanti Patroni memoria continuò ante omnium oculos haberetur) Senatus Januenſis conſultò etiam decrevit, ut inſigni alicujus momenti munere Sacer hic donaretur Patronus. Quamobrem ad Claravallenſe in Galliis Monaſterium, in cujus Eccleſia venerabile ipſius Sancti Corpus colitur, ejuſdem Reipub. nomine miſſo Oratore Auguſtino Centurione Senatus Ill. tamquam ad viventem Bernardum ſalutandum, reverendumque deliberavit. Nobilis Orator dimiſſus eſt, ad Claravallenſe Monaſterium pervênit, atque ejus loci Abbati, Reverendiſſimo, inquam, in Chriſto P. D. Claudio Argenterco Sacræ Theologiæ Doctori Sorbonenſi ſpectatæ religionis viro, legationis ſuæ cauſam nullam aliam eſſe dixit, quàm voluntaria & pia Reipublicæ Januenſis vota S. Bernardo deſtinata, cui devotionis gratiâ inter alia ſui benevolentis animi ſigna argenteam dono offerebat (millium quatuor aureorum æſtimatione) lampadem, perpetuo à Sereniſſima Regii etiam animi Republica pro lampadis ipſius lumine, facto annui cenſus legato. Intrant itaque Eccleſiam, ac Reipublicæ nomine reverentiſſimè venerantur Bernardum. Hoc peracto, Abbas tantam Regiæ Reipublicæ devotionem erga Mellifluum Dei Confeſſorem conſiderans (quod antea negatum aliis fuerat) ſinè mora Sancti viri ſepulchrum aperit, atque è ſacro illius Corpore Coſtulam, vel aliam quamlibet particulam auferens, ejuſdem Reipublicæ Legato libentiſſimè tradidit. Bernardi, inquam, Coſtulâ cordis repagulo, donatur Reſpublica Januenſis, ut qui in terris agens idem Bernardus ex corde Januenſes amore proſequeretur, in Cœlis exultans, ſuo cordis repagulo eoſdem amare etiam demonſtraret. Januam itaque redeunte Reipublicæ Oratore, lætitia indicibili ab univerſis Sacra excipitur Reliquia, & magnâ pompâ veneratur hoc anno 1638.

Obtentam utique thecâ argenteâ affabrè perornatam (ut univerſi tum cives, tum peregrini peroportunè poſſent eam venerari) ritu ſolemni aſſervandam decrevit in Sacrario Cathedralis Eccleſiæ. Erat antea Januæ in noſtro Caſinenſi S. Catharinæ Monaſterio inſignis quædam Brachii ejuſdem S. Bernardi Reliquia ex Cervarienſi S. Hieronymi ejuſdem Caſinenſis noſtræ Congregationis Monaſterio, non longè ab eadem urbe diſtante illuc translata. Sed prudentiſſimus ejus Reipublicæ Senatus ſola hac non contentus; huic S. Bernardi Brachio voluit adjungere etiam Coſtulam, ut ſacro utriuſque præſidio munita ea pia Reſpublica, magni ipſius Patroni ad Deum interceſſionibus validiùs cuſtodiretur. Atque (ut tacitæ nonnullorum objectioni reſpondeam) obſervavi non ſemel ego inſignis unius tantùm Sancti (ut Joannis Baptiſtæ, Gregorii, Sebaſtiani, & ſimilium) non unum (ut par eſſe deberet) ſed duo & tria capita, quemadmodum multa plura brachia, aliaque corporis membra omnino eadem in diverſis per orbem Chriſtianum Eccleſiis digna veneratione circumferri; & nihilominus adhuc non eſt inventa poteſtas, quæ illorum venerationem exturbare tentaverit; cùm iſta definire non hominum ſit, ſed Dei potiùs judicio committenda. Quamobrem ſacra ea S. Bernardi Abbatis Reliquia, quæ apud Patres Caſinenſes Januæ aſſervatur, ſicut elapſis præteritis temporibus, ita etiam ſequentibus cultu Divino Dei Sanctis tribui conſueto, nullo modo privari debet.

Hæ raptim ego (ut etiam ex S. Bernardo) quæ pluribus & commentario potiùs explicandæ forent encomiorum corollæ de Sereniſſima hac Januenſi Republica, Apoſtolicæ utique Sedi, ejuſque Romanis Pontificibus addictiſſima, & obſequentiſſima, ac præſertim à me peroratæ ſunt etiam in gratiam Sanctiſſimi & Maximi Pontificis Secundi Gelaſii, qui præſentia & majeſtate ſua eandem Rempublicam reddidit illuſtriorem.

Tandem hinc in Galliam profecturus, Clero & populo benedicens, Salutem Apoſtolicam impertitus eſt. At verò gratiarum Pontificiarum grata nimis eadem Reſpublica, de Summi ejuſdem Pontificis profectione honorifica cogitans (ut monumentis ejuſdem Reipublicæ edocemur) decem numero triremes viris nobilibus, ac milite inſtructas ipſi conceſſit. Januâ Pontifex diſcedens (ut cum Pandulpho Cardinali Piſano loquar) Portum villæ S. Ægidii cum ſuis attigit. Portus verò hic villæ S. Ægidii ad fauces fluminis Rhodani ſitus eſt: quem prope Benedictinorum extabat inſigne S. Ægidii Abbatis, cujus juris eadem eſt S. Ægidii villa, juxta Foſſas Marianas (ubi etiam oppidum eſt Ptolomæo) & Camariam inſulam à C. Mario, qui eas in partes Rhodanum fluvium diviſit (ut meminit Plutarchus) cognominatas. Et hæc quidem Diœceſis eſt Nemauſenſis in provincia Oxitaniæ in Gallia Narbonenſi, & quæ non longè diſtat ab Arelate, Avenione, & Maſſilia Civitatibus.

Digitized by Google

corpuſculo ſancta illa anima carne ſoluta eſt ; (32) hinc ad Cœlum, Petro duce, conſcendens, (33) corpus honorabiliter intra limen Cluniacenſis Cœnobii requieſcit in pace; Amen. Quem Romani qui aderant, & qui Romæ remanſerant, Clerus omnis, ac populus, & defleverunt tunc, & quaſi patrem juſtitiæ nolentes conſolari deflebant. Sedit autem anno uno, & ceſſavit Epiſcopatus diebus XV.

---

(32) Quanta cordis contritione, quanta animi demiſſione obitum ſuum munierit Sanctiſſimus Pontifex Gelaſius, paucis hiſce verbis Pandulphus, qui præſens obſervaverat, aperuit. Nam (juxta normam Monaſticam ſtrato terræ corpuſculo) Gelaſium animam Creatori reddidiſſe, proculdubio nil aliud eſt, quàm in cilicio, & cinere fuiſſe mortuum. Optimè quidem ſciebat ſapientiſſimus etiam ipſe Pontifex, contritos corde, atque humiliatos Deum minimè deſpecturum. Sed uno vel altero exemplo rem illuſtremus.

Itaque S. Fauſtus de S. Mauro Abbate S. P. N. Benedicti diſcipulo : *dolor*, inquit, *lateris graviter invaſit Beatum Maurum : qui languore ingraveſcente, ante Altare B. Martini ſuper cilicium ſtratus ſui decubans, cùm exitum ſuum vivificorum muniſſet perceptione Sacramentorum, aſtantibus, qui relicti fuerant, diſcipulis, migravit feliciter ad Dominum*. Redemptus Monachus de S. Iſidoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo, & Benedictino Doctore : *Dum in prædicti Martyris* (Vincentii) *Baſilica juxta Altaris Cancellum in medio poneretur choro, mulierum turbas longiùs ſtare præcepit, ut in accipiendo ipſe pœnitentiam, virorum tantùm, non illarum, circa eum cerneretur præſentia : & , dum à prædictis Sacerdotibus (Joanne, & Aparcio Epiſcopis) ab uno cilicium, ab altero ſuper ſe mitti expoſceret cinerem, expandens manum ad Cœlum, ita exorſus eſt dicens : Tu Deus, qui noſti corda hominum, & publicano longè poſito, dum pectus percutteret ſuum, dimitti peccata dignatus es, qui Lazarum dormientem* : Et poſt cætera ejus generis multa tum orationis ad Deum verba, tum exhortationis ad Clerum, & populum, ſubdit idem Redemptus : *completis his omnibus ad cellulam reductus, & poſt diem confeſſionis, vel pœnitentiæ quartum, paſtoralem jugiter curam, & finem ſuum conſumavit in pace*

Sed ſacrum hunc moriendi ritum, in cinere videlicet, ac cilicio Benedictinis Monachis antiquiorem fuiſſe tradit S. Severus Sulpitius, dum S. Martini Monachi & Epiſcopi Turonenſis ad Cœlos tranſitum deſcribens ait : *Recurrit ad nota præſidia, cilicio obvolvitur, cinere conſpergitur, cibo potuque abſtinet, orationem noctibus diebuſque perpetuat*. Et iterum : *Foribus obſeratis, in medio Eccleſiæ cilicio circumtectus, cinere reſperſus, ſolo ſtratus orabat* : Ejus verò obitum commemorans : *Itaque cùm per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere ceſſabat ; pernox in orationibus, & vigiliis fatiſcentes artus ſpiritui ſervire cogebat, nobili illo ſtratu ſuo in cinere, & cilicio recubans. Et cùm à diſcipulis rogaretur, ut ſaltem vilia ſibi ſineret ſtramenta ſupponi : Non decet, inquit, filii, Chriſtianum niſi in cinere mori*.

Martinum virum Apoſtolicum, immo Apoſtolis parem, religioſi quique homines ſunt imitati. Unde Scriptor Vitæ S. VVilielmi Abbatis Monaſterii Roſchildenſis in Dania de eodem Abbate : *Peracta inde Sancta unctione depoſitus eſt ſuper cinerem & cilicium. Sic enim decere mori Chriſtianum jam olim dixerat Beatiſſimus Martinus Turonenſis Epiſcopus*. Ita ille. Atque, (ut plures alios religioſos Dei ſervos, qui ſacrum hunc moriendi morem obſervavere, prætercam.) Bernardus Juſtinianus Patritius Venetus de B. Laurentio Venetiarum Patriarcha, ejus patruo jam jam morituro, ſic affirmabat : *Non in plumma Dominus meus, ſed in duriſſimo ligno cubitavit. An non meminiſtis quid B. Martinus in re ſimili reſponderit : Non decere Chriſtianum hominem mori niſi in cinere, & cilicio*.

Sed perantiquis omiſſis, de Carolo Borromæo Card. Archiepiſcopo temporis noſtri ſanctitatis jubare ſplendidiſſimo, accipe, quid Carolus à Baſilica Petri ſcribat, nam poſtquam viventem illum cilicio uti ſolere teſtatus eſſet, adjecit quoque : *Sanctiſſimâ igitur Hoſtiâ celebriter allatâ, capite, brachiis, toto denique corpore Carolus nitebatur, ut aſſurgeret : Sed nobis adjuvantibus, ſe ſe ita ſaltem extulit, ut linea veſte, ac ſtolâ collo inductâ, religioſè Sacroſanctum Viaticum acciperet, quod Extrema Unctio rite adbibita ſtatim ſecuta eſt*. Et poſt nonnulla : *Cilicium illi cum Sacro Cinere, impoſuimus ex inſtituto veteri, quod ille in Libro Rituum Eccleſiæ ſuæ renovari juſſerat, ac meritò quidem vel ad ejus aſperitatem vitæ ſignificandam id erat adhibendum*.

Quonam autem modo ſacer hic piorum fidelium mos à Benedictinis Patribus peragi conſueverit, en ex MS. veteri Beneventani Monaſterii S. Sophiæ Breviario, & Rituali, quod ſignatum num. 4918. Vaticana ſervat Bibliotheca promiſſum præſto.

Monachi graviſſima, & mortali infirmitate detenti, poſtquam ſacra Pœnitentiæ, ac extremæ Unctionis Sacramentis muniti fuerint ; cùm viſum fuerit ad exitum propinquare, cilicium benedicatur ita : Piiſſime, atque miſericordioſiſſime Deus, apud quem nec poſt contemptum culpæ reatus, præjudicat, nec juſtificatio longitudine temporis, ſed puritate cordis acquiritur. Quique Ninivitis ob perfidiæ ſuæ meritum pavenda ſubverſione mulctandis ad Jonæ Prophetæ tui prædicationem, Regi eorum ut ſaccum indueret, ſeque cinere aſpergeret ad pœnitentiam, ac humilitatis indicium inſpiraſti ; reſpice propitius ad devotionem noſtram, ciliciumque iſtud cœleſti benedictione perfunde, quatenus hic famulus tuus (Ill.) qui ob exitus ſui munimen in ſignum pœnitentiæ ac humilitatis induendus eſt, nullam malignorum ſpirituum incurſibus ſuſtineat læſionem ; ſed pietate tua Angelis Sanctis ſuffragantibus, ultrices gehennæ pœnas mereatur evadere, atque Cæleſtis Regni gloriam obtinere. Per Dom.

Item cineris benedictio.

OMnipotens Æterne Deus, qui omnibus, quos ſalvare decernis, cor pœnitens tribuis, & pœnitentibus veniam largiris, exaudi nos propitius & præſta, ut ſicut David Regis afflictionem, depoſito diademate, pœnitentis, ac peccatum ſuum cineris aſperſione damnantis, per Nathan Prophetam tuum remiſſionem ſceleris approbare dignatus es, dicens : Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum : ita & hujus famuli tui contritionem aſpicias, quatenus noſtræ ſemper conditionis reminiſcens, quam primi hominis memoriæ imprimere dignatus es his verbis : Terra es, inquiens, & in terram ibis ; cæleſtia jugiter obtutu perſpiciat ; & quæ te largiente perſpexit, omnium Sanctorum tuorum precibus comprehendat. Per Dom.

Deinde expandatur cilicium in terra, & ſuper eum cinis, & aqua ſanctificata aſpergantur, & ſic deſuper corpus ponatur. Tunc Sacerdos faciat Crucem de ipſo cinere ſuper pectus ejus, ſuper quam aqua ſanctificata aſpergatur. Ab inde tacto ſigno à Priore, conveniant omnes, & incipiant canere Pſalmos ſpeciales : ſequantur Litaniæ, &c. Sed iterum ad Pandulphum de Gelaſio loquentem revertamur.

(33) Auctor Chronici Cluniacenſis ejus Monaſterii Abbatum juſſione conſcripti, de Gelaſii II. obitu ſanctiſſimo : *Anno Dominicæ Nativitatis 1119. Pontificatus ſui anno primo & die quinto, cùm apud Matiſconem proximâ Quadrageſimâ Concilium Remis celebrandum adorparet, ibidem correptus gravi morbo decubuit,*

Digitized by Google

buit, se Cluniacum lecticâ citiùs perferri jussit, accitis ad se Cardinalibus, Orationem habuit, & omnibus Ecclesiæ Sacramentis susceptis, juxta normam Monasticam, strato terræ corpore, IV. Kalend. Febr. sanctissimè quievit, rebus iis, quarum causâ venerat, planè infectis. Visitur monumentum ejus inter Crucem, & Altare, quod est post Chorum magnæ Basilicæ Cluni, marmoreum quidem illud, sed ex lapide opere tusco constructum. Vacavit tum Sedes biduò. Vir omni laude dignus si vita sanctissima, si mores integri, si denique sacra doctrina spectetur. Petrus Pictaviensis Monachus item Cluniacensis, cui Gelasii res notæ erant, Epitaphium illi postea scripsit, vitam ejus continens, quod in ejusdem Pontificis sepulchro inscriptum ita se habet.

D. O. M.

GElasius II. Pontifex Maximus Henrici IV. Rom. Imp. clades plurimas Italiæ inferentis, & Mauritium Bracharensem Pontificem esse contendentis, furorem timens, in Galliam cum meliori S. R. E. Cardinalium parte, ad Ludovicum VI. fugiens, cùm Plagalonam appullisset, valetudinarius ex pleurisi factus, properante illi obviam Ludovico, Cluniaci moritur, & ibidem, hoc in loco sepelitur, circa annum Christi MCXIX. Pontificatus sui primo: Cui mox Guido Viennensis Antistes Burgundiorum Ducis filius in Pontificem Romanum sub Callisti II. nomine à sacro Cardinalium cœtu in Cluniaco suffectus est.

Epitaphium Gelasii PP. II. à Domno Petro Pictaviensi, S. Petri Mauritii cognomento, Venerabilis Abbatis Cluniacensis, coætaneo, conscriptum.

VIr gravis, & sapiens actu, verboque Joannes,
Cùm priùs ex Monacho, pro multa strenuitate,
Archilevita foret, & Cancellarius Urbis,
Præsule Paschali meritis ad sydera rapto.
Promeruit tandem Sacram conscendere Sedem,
Dignus post primum Gelasius esse Secundus.
Sed, quia Rege fuit non præcipiente levatus,
Horrendum fremuit Princeps: & filia dulcis,
More suo, profugum suscepit Gallia Patrem.
Si licuisset ei (pro certo crede) sub ipso
Virtus, & pietas, & honestas cresceret omnis,
Et pax Ecclesiæ toto floreret in Orbe.
Nam rapuit mors atra viam, cùm Pontificatus
Vix ageret primum Pastor venerabilis annum,
Bina dies jam restabat, cùm Cluniacensi
Dormiit in proprio Romani juris asylo.
Hîc igitur positus dilectos inter alumnos,
Cum Patribus Sanctis requiescit, & optat ut orbis
Conditor, & Judex veniat quandoque potenter,
Et cineres lapsos in pristina membra reformet.
Felix inde nimis semper Cluniace manebis,
Quòd Pater Orbis Apostolicus, Summusque Sacerdos
Ecclesiæ, matrisque tuæ specialis apud te
Transiit ad Superos, in te requiescit humatus.
Nec minus hîc etiam felicem credimus illum,
Cui dedit ipse pius magno pro munere Christus,
Ut Monachi Monachum, Patrem quoque pignora chara
Jugiter aspicerent, lacrymisque rigando sepulchrum,
Sacris in precibus specialem semper haberent.

Hucusque Epitaphium, quod invenitur etiam ante libros Epistolarum S. Petri Abbatis Cluniacensis; & in Bibliotheca Cluniacensi Parisiis edita: quodque referunt tum Baronius, tum Ciacconius in eodem Gelasio. Cæterùm non ista tantùm versibus Petrus Pictaviensis tunc in laudem ejusdem Gelasii scripsit, sed funebrem quoque Orationem dixit, quam adhuc extare, qui viderunt eam, affirmant. Erat ipse Petrus tunc ejusdem Cluniacensis Monasterii Monachus. Præterea nec annum integrum absolvisse Gelasium in Pontificatu, sed duobus minùs diebus sua periodo revolutum, in hoc ipso Epitaphio affirmat idem Petrus Pictaviensis; sed lapsus memoriâ, cùm id scriberet, omnino videtur. Nam cùm diem ejus transitus contigisse quarto Kal. Februarii diem verò Creationis octavo Kal. ejusdem mensis ejus temporis Scriptores tradant, dicendum est post annum vixisse dies quatuor à tempore creationis suæ. Joannes itaque Cardinalis Cajetanus, assumptus est in Gelasium Pontificem die XXV. Januarii anni MCXVIII. ac mortalitatem exuit die XXIX. ejusdem mensis Januarii anni DCXIX. Itaque Gelasius Pont. Max. vitæ suæ periodum sanctissimè clausit; quia totius vitæ cursum sanctissimè duxerat. Neque enim (ut testatur S. Augustinus) poterat malè mori, qui bene vixerat. *Quo quidem* (ut etiam animadvertit Eminentissimus Card. Baronius) *post Martyres, qui fuso sanguine Martyrium consummaverunt, haud facilè inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora sit passus: ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus.* Hæc, verissimè quidem, Baronius. Nam, ut omittam ea, quæ (ut Pandulphus ait in ejus vita) cum Urbano II. cujus socius persecutionis undecim annos fuit, & fecit, & perpessus est: quæ etiam sub Paschali II. novendecim annos sustulit; cujus cùm baculus senectutis & diceretur, & esset, & individuus in infinitis adversitatibus (ut Pandulphus etiam testatur) comes, eam persecutionis rabiem, quæ in Paschalem quoque desæviit, sensisse dicendus est. Ejus igitur dolores, algores, famem, & per mille pæne dixerim mortes transactam vitam, ut sileam, quid non in ipso Pontificatu indignè tulit. Quàm indignum, ne dicam horrendum, illud per gulam ipsum ab impio homine acceptum, distractum, pugnis, calcibusque percussum, & tamquam brutum animal intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentatum, per capillos, & brachia protractum ad domum Cencii Frangepanis, inibique catenatum, & clausum? Jam Româ aufugerat, & non mitiora fata in ipso mari, quàm in Urbe perfert Sanctissimus Pontifex. Pluvia, grando, tonitrua, coruscationes, fulgura exercebant eum: intumuerat mare, omnemque ei præripuerat fugam: Alemanni obsidebant oram fluminis, & mixta veneno jacula projiciebant, ut nec ipso in portu daretur vivere posse, nec terram auderet attingere. Et profectò periisset ibi Gelasius à furore, & inania Germanorum, si qui affligit penuriâ, manna non dedisset; si Deus turbinem, & tempestatem illam, quæ patientissimum Pontificem mirabiliter afflixit, mirabiliùs contra Alemannos non objecisset. Eò tamen miseriæ pervenerat, ut eum Hugo Vicecomes Pisanus Cardinalis collo sublatum Ardeam portaverit. Interim contra eum Antipapa designatur, & denuo Romam regreditur: at non ut Urbis, & Orbis dominus, sed ut peregrinus. Mox ab eodem Frangepane fugatus, & tamquam scurra per campos sacris vestibus semi indutus, quantum equus poterat, fugere coactus est: & iterum se committere mari, & in Franciam trajicere. Quid Deo solemnius unquam, quàm filium omnem flagellare quem recipit: aut tanquam aurum in fornace probare suos, ut secundùm multitudinem dolorum suorum, consolationes Divinæ eorum animas lætificent: iique ut passionum fuerunt, ita sint & consolationum socii.

Igitur quidni existimemus præclarissimum & Divini amoris in Gelasium & Gelasii Sanctitatis indicium, tantis eum adversitatibus conflictatum, has patientiâ admirandâ tulisse? Nec leve etiam indicium Sanctitatis fuit, Romanum Pontificem, Christi vicesgerentem, pænè confecto senio, post terræ & maris pericula, post tam immensas persecutionum procellas, in tam violento morbo exiisse strato, & in terra, & cinere decubuisse: ut scilicet illud mortificationis studium, quod ab infantia Casini Monachus didicerat, in ipsa morte non præteriret: & summo amoris Divini inditio cilicium indueret, qui immortalem gloriam mox induendus erat. Et hoc optimè intellexerunt illi, qui Gelasium cœlestibus Spiritibus adscriptum agnovere. Nam Benedictus Bobiensis: *S. Gelasius*, inquit, *Papa II. priùs Monachus Casinensis.* Bartholomæus Platina de eodem: *Vir Sanctissimus, atque omni laude dignus si vitam continentissimam, si mores, si doctrinam inspicis: quibus ex rebus fit ut facillimè credatur, eum, qui ita constanter &*

Digitized by Google

Digitized by Google


ABsis Oratorij S. Nicolai In Vrbe ab Anastasio Papa IV. exorna
Tom III pag 417
SCS SILVESTER
SCS ANASTASI
ALLISTVS PP. II
ANASTASIVS PP IIII
PRESIDET ETHEREIS PIA VIRGO MARIA CHOREIS
SVSTVLIT HOC PRIMO TEMPLV CALLIXTVS AB
IMO VIR CLARVS LATE GALLORVM NOBILITATE
VERVM ANASTASIVS PAPATVS CVLMINE IV
HOC OPVS ORNAVIT VARIISQ MODIS DECORAVIT
SCS GELASIVS PP II
SCS PASCALIS PP II
SCS VRBANVS PP II
SCS LEO PP
SCS NICOLAVS EPS
SCS GREGORIVS PP
SCS ALEXANDER PP II
SCS GREGORIVS PP VII
SCS VICTOR PP III
Apostolicum Venerandæ Memoriæ Monumentum, quod etiamnum extat in Abside Oratorij S. Nicolai Pi. quinq. ab hinc Seculis á B. Callisto PP. II a fundamentis extructi intra Lateranse Patriarchium, nunc solo æquatum; has
ut uides, Sanctorum Summorumq. Pontificum Imagines representãs. Idque nunc tandem á R.mo P. D. Constantino Abbate Caietano ad Maiorem Romæ Sedis Apostolicæ Gloriã, é tenebris erutum, ac commentarijs illustratum. 1638.

& Sanctè in tantis procellis humanarum perturbationum vixerit, nunc beatam & sempiternam vitam in cœlo ducere. Joannes Trithemius: *Gelasius II. pleurisi correptus, non sine opinione Sanctitatis expiravit* Franciscus Joannettus: *Ob Henrici illius insidias aufugerit S. Gelasius in Gallias*. Bonifacius Symoneta: *Incommodis* (ait de Gelasio) *attritus vir Sanctissimus expiravit*. Consalvus Illescas: *Inter multos alios Sanctos Monachos, qui eo tempore doctrina & Sanctitate floruerunt, unus fuit & quidem satis insignis in Ordine S. Benedicti Joannes Monachus Montis Casini, qui & Gelasius*. Pauloque post: *Obiit Sanctissimè sicut vixerat, ac in primis maximâ patientiâ præditus*. Vincentius Justinianus ex ordine Prædicatorum in vitis Romanorum Pontificum, de eodem Pontifice. *Gelasius II. Cajetanus Monachus S. Benedicti multas ab adversariis passus est tribulationes, & anno primo sui Pontificatus, inter Monachos Sanctissimè obiit*. Arnoldus VVion in suo martyrologio monastico. *Quarto Kal. Februar. Cluniacensi Monasterio, Depositio S. Gelasii Papæ hujus nominis Secundi, qui cùm ex Monacho Sacri Monasterii Casinensis, ad Pontificii Summi culmen provectus esset, pro Ecclesiæ libertate tuenda, impiorum hominum factionibus, & maximè Henrici V. Imperatoris agitatus, & ab ejus asseclis etiam verberibus indignissimè acceptus, tum in ea injuria, ut Christi Vicarium decebat, Christi mansuetudinem præ se tulit: tum etiam Jonæ exemplo ad sedandam tempestatem propter se ortam abiit in Galliam, ubi in Monasterio pleurisi correptus Vir Sanctissimus diem clausit extremum*. Eadem ferè ad verbum de Gelasii ipsius Sanctitate Philippus Ferrarius habet in suo Martyrologio.

Coronidis demum loco hisce testibus pro Sanctitate Max. Pontificis Gelasii asserenda accedit etiam pius ille atque eruditissimus vir Andreas Saussajus S. R. E. Protonotarius ac Regis Christianissimi à Sacris Concionibus, cujus testimonium ex veteribus Galliarum præcipuè Scriptoribus hoc est: *Transiit ad Dominum Beatæ memoriæ Gelasius Papa nomine Secundus, qui cùm ex Monacho Casinensi ad Summi Pontificatus fastigium provectus fuisset, pro Ecclesiæ libertate tuenda, se armis Justitiæ & pietatis accingens, zelo Apostolico plenus; cùm strenuum Christi ovilis custodem ageret, impiè à factiosis schismaticis raptus, catenisque constrictus vix aliquando à Catholicis liberatus est: sed iterum adveniente Henrico Schismatico Imperatore, dirè exagitatus, atque etiam verberibus indignissimè acceptus, tum in ea injuria, ut Christi Vicarium decebat, Christi mansuetudinem præ se tulit: tum etiam Jonæ exemplo, quamquam reatus expers ad sedandam tempestatem se se in fluctus conjiciens, summa difficultate in Galliam, tutum Petri successorum asylum pervenit: ubi primùm Synodo collecta, cujus præsidio Ecclesiæ periculis prospexit, postea Cluniacum profectus ob egregium, quod illic vigebat Religionis studium; aliquamdiu in hac virtutum palestra se se cum Dei famulis exercuit, donec pleuresi correptus vir dignitate & merito maximus, Sanctissimè diem clausit extremum, atque eo, quo congruebat, honore funeratus, intra Crucem & Altare sepultus est ipso sui Pontificatus anno primo*. Hucusque Andreas Saussajus.

Verùm enim verò Gelasii Sanctitas (ut ex iis, quæ nos in superioribus de eodem asseruimus latè patet) non solum aliorum testimoniis commendatur, immo etiam suæ ipsius vitæ proprio. Etenim ille viros vitæ innocentiâ præclaros semper habuit in mente, in oculis, in manibus, non ut æmularetur, sed ut imitaretur, & sequeretur. Et quidem domi, & in patria Cajeta, adhuc puerulus Sanctum Docibilem Cajetanum Episcopum patruum, & S. Joannem Cajetanum avunculum Casinensem Cœnobitam. Casini postea, in quo à pueritia nutritus est, quales quantasque virtutes, ac verè religiosas acquisivisse dicendus est, cùm in eo Monasterio viri omni sanctarum virtutum genere clari non defuerint? Romæ quoque Cardinalem creatum ad summum perfectionis culmen pervenisse doceat laudabilis sanctitatis perfectio, duorum videlicet Pontificum Maximorum, Urbani II. & Paschalis II. quorum ille intimus, & à consiliis assiduus fuit. Petri Sedem postremùm adeptus, *post Martyres*, (verba sunt Sapientissimi Cardinalis Baronii, & quidem digna, quæ in tanti Pontificis nostri laudem millies iteremus) *qui fuso sanguine Martyrium consummarunt, haud facilè inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora sit passus: ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus*. Ita Cardinalis Baronius. Annal. Tom. 12. ad A. C. 1119.

Denique hanc ipsam Gelasii ejusdem Sanctitatem etiam post mortem celebrem fuisse, gravissimum illud ostendit monumentum, quod in Oratorio S. Nicolai Episcopi (in quo Lateranenses nunc celebrant Pœnitentiarii) intra septa quondam, nunc diruti, Apostolici Patriarchii, etiamnum visitur. Ibi enim ad Altare inter alios Pontifices sanctitate claros, & sanctitatis laureola in capite redimitos, Gelasius idem ponitur, & Sanctus nuncupatur. A dextris enim illius Altaris, quod in Oratorio unicum est, conspiciuntur: *S. Gregorius, S. Alexander II, S. Gregorius VII., S. Victor III.*, à sinistris verò: *S. Leo, S. Urbanus II., S. Paschalis II., S. Gelasius II.* Quod quidem monumentum arte pictoris expressum, ut summæ antiquitatis, ita pariter constantissimæ fidei esse, facilè concedet, qui auctorem illius cognoverit Romanum Pontificem extitisse Callistum II ejusdem Gelasii successorem immediatum; qui optimè quidem scire poterat cujus sanctitatis extitisset ipse Gelasius. Unde in apside illius Oratorii extat effigies ejusdem Callisti procumbentis ad pedes Deiparæ Virginis cum quadrata retro caput tabellula certissimo viventis signo, quod extruentis, atque adornantis indicium est. Quamvis ipsum etiam Callistum (quod magna dignum est consideratione) adhuc in terris degentem vitæ sanctitate, ac miraculis claruisse testatur B. Egino Abbas SS. Udalrici, & Afræ, Augustanus in Suevia illius familiaris in sua quadam epistola apud Udalscalcum ejusdem Monasterii Cœnobitam, cujus verba sunt de eodem Callisto: *Ab hinc usque in Kal. Julii præsentiâ jugiter tantæ Sanctitatis perfruebar viri, hac instantia nesciente fastidium, quia semper in majus accendebatur desiderium. Siquidem hilaris vultus sub morum gravitate; dulcedo affabilitatis sub verborum pondere; jejuniorum, seu vigiliarum discretio (absque eo, quod intrinsecus latet) cunctis intuentibus in eodem Patre, uno atque eodem spiritu operante, mirabili effectu patet. Laus omnis inferior, dum vir iste revera Apostolicus, virtutibus, & miraculorum signis comprobetur sublimior. Quæ quia tota Francia, Longobardia, Tuscia, atque Apulia prædicat, hujus angustia chartulæ supersedeat*. Hæc B. Egino

Audisti, Lector, sanctam Callisti PP II. vitam miraculis adeò illustratam? Quamobrem qui vitæ sanctitate clarescerer, & quid esset sanctitas optimè sciret, non temerè credendus est, Gelasium nostrum, aliosque suos Prædecessores Pontifices quinque supra enumeratos Sanctitatis infulis, & titulis, atque in loco sacro jussione sua picturis ornatos collocavisse, nisi priùs de sanctæ eorumdem vitæ meritis, re maturiùs examinata, eos ipsos demum Catalogo Sanctorum adscribendos decrevisset

Præterquamquod Anastasius IV. qui trigesimo post eundem Callistum anno in eadem Petri Cathedra sedit, atque eas ipsas ab eodem formatas Sanctorum Pontificum effigies instauravit, recensuitque, ratas, atque assertas voluit. Unde in eadem illius Oratorii absíde, sicut Callisti procumbentis ad dextram apparet effigies, ita etiam pari modo ejusdem Anastasii procumbentis ad sinistram cum eadem quadrata retro caput tabellula. Quod ipsum quoque probatur non tantum ex Pandulpho ejus ætatis scriptore, verùm etiam ex versibus illis in eadem jam dicti Oratorii absíde inscriptis, qui sic habent:

Digitized by Google

VITA EJUSDEM GELASII PAPÆ II.

EX CARDINALI ARAGONIO.

De Gelasio Papa II. qui cœpit Anno Domini MCXIX.

GElasius II., natione Campanus, patriâ Cajetanus, ex patre Crescentio, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Cancellarius erat, sedit anno I., diebus V. Hic anno Incarnationis Dominicæ MCXIX. concorditer electus est, & in Sede Apostolica positus. Post octo autem dies propter festinum ad Urbem, & metuendum Henrici Imperatoris adventum, (1) vix potuit cum paucis fratribus suis utcumque Româ exire, & ad Civitatem Cajetam per mare confugium facere, ubi tam à Clero, & Populo ipsius loci, quàm à circumpositis Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis digno cum honore susceptus, atque debita veneratione auctore Domino tractatus est. Deliberat itaque cum ipsis Episcopis, & Baronum illarum partium consilio apud Ecclesiam Capuanam sacramentum consecrationis, præeunte Sancti Spiritus gratia, & Regnum Papale secundùm Ecclesiæ morem cum gloria induit. Tunc autem idem Imperator levavit Mauritium Bracarensem Archiepiscopum, & adjunctis sibi paucis Sancti Petri schismaticis Clericis in Sede Apostolica eum violenter intrusit, qui à Romano Populo Burdinus est appellatus. Domnus autem Gelasius Papa transactis paucis diebus profecturus ad partes Galliarum, navibus præparatis, cum Fratribus suis Episcopis, & Cardinalibus, mare intravit, & per Pisas, & Januam transitum faciens ad Sanctum Ægidium applicavit. Ibique ad ejus præsentiam concurrente Archiepiscoporum, Episcoporum, Magnatum, & aliorum tam Clericorum, quàm Laicorum maxima multitudine, de statu Ecclesiæ, & aliis, quæ ad communem omnium salutem videbantur expedire, colloquium habuit. Postmodum verò per montem Pessulanum Tholosam, & partes Alverniæ transiens Cluniacum pervênit, ubi aliquandiu corporis infirmitate detentus IV. Calendas Februarii migravit ad Dominum, & in ipso Monasterio est honorificè tumulatus.

VITA CALISTI PAPÆ II.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

CAlistus, (1) qui & Guido natione Francus consanguinitatis lineam à Regibus Alamanniæ, Franciæ, atque Angliæ ducens præfuit Romanæ Ecclesiæ annis V. mensibus .... Hic à Cardinalibus, qui cum Papa Gelasio jam Cluniaco sepulto ab Urbe in Franciam venerant, dum esset Archiepiscopus Viennensis in Papam Calistum electus est, qui se indignum iteratò reclamans, idcirco modis omnibus resistebat, quia incertum habebatur à multis, utrum Romæ ratum factum hujuscemodi teneretur, propter quod vix cappâ rubeâ amiciri sustinuit, donec Nuncii redeuntes à Roma per Domnum Petrum tunc Episcopum Vicarium, per Cardinales omnes, & per Domnum Petrum Leonis, nam iste nimiùm laboravit in verbo, propter Diaconum filium suum Petrum Petri Leonis, qui potissimùm Franciæ peregerat causam per Præfectum & Consules, per Clerum atque populum viva voce, ac literis electionem ipsam canonicè jureque confirmarent. Facto igitur hoc omnium subscriptionibus optimè roborato, tunc Papa solemniter à Lamberto Ostiensi Episcopo, & aliis quampluribus in Dei nomine consecratus, simul cum suis omnibus Romam iter incœpit. Ventum est ad Provinciam, in qua Sancti Juliani Ecclesiam cellam psalmodiensis Cœnobii idem Papa nimiùm celebriter dedicavit. Inde per Sanctum Ægidium Romam non multò post sanus, & incolumis rediit, ubi à jam dicto Petro Portuensi Vicario, Cardinalibus, Clero toto, ac populo tantâ gloriâ est ac honore susceptus, quantâ diebus nostris nullus unquam fuerit Præsul de Roma tractatus. Ibi aliquandiu commorans Hugonem Cardinalem à Benevento vocavit: Idem enim Dominus Hugo Beneventum tenebat, cum quo simul & aliis pariter per Campaniam, & Cassinense Cœnobium ipsum adiit Beneventum, ubi ferè, ac si Romæ fuit, gloriosè receptus. Venerunt ad eum illico Guillelmus Apuliæ Dux Princeps Capuanæ urbis, Jordanus Comes, Radulfus de Airola, (2) Jordanus Comes de Ariano, Robertus Comes de Locotello, & innumeri alii, qui eidem ibi hominium fidelitatemque fecerunt. His itaque dispositis paulò post Romam per maritimam rediit.

Sustulit hic primò Templum Calistus ab imo,
Vir clarus latè Gallorum nobilitate.
Verùm Anastasius Papatus culmine quartus
Hoc opus ornavit, variisque modis decoravit.

Quin etiam confirmantibus Romanis Pontificibus aliis, eorumdem Callisti, & Anastasii successoribus, iis præsertim, qui per ducentos continuos annos in eo Oratorio, atque Altari sacras celebravere Missas. Quid? quòd dum illorum nullus repugnaverit, jure optimo approbasse omnes dicuntur. Atque eo maximè, quòd post Romanos hosce Pontifices, non defuere Sacerdotes alii, qui perpetuò, atque ad hanc usque diem in eodem Oratorio Divina Officia, atque incruenta Missarum Sacrificia super Altare metipsum non peragerent.

Porrò meminit sacræ hujus picturæ, atque eo magis distinctè Onuphrius Panvinius in Chronico Lateranensi, & libro de septem præcipuis Urbis Ecclesiis: nec non Joannes Severanus libro de iisdem septem Urbis Ecclesiis (ut nos paulò inferiùs in Appendice ad Gelasiana isthæc Commentaria, sive altero Commentariorum libro de reliquorum quinque Pontificum Sanctitate fusiùs explicabimus) etiamsi temeraria pictoris ignorantis manu, quòd Sanctitatis tituli duorum, vel trium eorundem Pontificum ob antiquitatem agnosci nequirent, immutati nunc videantur. Quos tamen nos (ut ex lamina ærea, quam seorsim incidendam curavimus, apparet) ejusdem Panvinii testimonio, pristinæ restituimus integritati.

Ut concludamus igitur, si tantis fides est adhibenda Pontificibus (quanti fuere Callistus II. & Anastasius IV.) ac præmemoratis fide dignissimis Scriptoribus, aliisque à nobis supra relatis de ejusdem Gelasii (cæteros quinque Sanctos illius Antecessores Pontifices nunc prætereo) virtutibus eximiis, firmiter statuendum erit: *Gelasium ipsum Secundum Romanum Pontificem, viventem, & mortuum, justum, & justitiæ Patrem acclamatum, meritis inclytum, ac Sanctitate insignem fuisse: & pro Sancto, (apud antiquos præsertim Maximos Pontifices) habitum, & religiosè cultum.*

GELASIUS

(1) M. *post* adventum, *sequitur* Cajetam per mare &c. *reliqua interposita omittens.*

CALISTUS.

(1) C. Kalistus.

(2) *Papebroc.* Arcola.

Digitized by Google

diit. Tunc à Spiritu Sancto commonitus Lambertum Ostiensem Episcopum Domnum Saxonem Cardinalem Presbyterum Sancti Stephani in Cœlio Monte, & Gregorium Diaconum S. Angeli ut pacem pacis filiis in regno, & Ecclesia reformaret, ad Henricum Imperatorem in Alamanniam delegavit. Sed quid plus? immo totum volo dicere verbo, Legati missi inscriptis pacem offerunt, & quemadmodum in Lateranensi palatio (3) privilegio repræsentat, pax ad velle Papæ ab Imperatore simul & recepta est, & perpetuò, annuente Domino, stabilita. Inde in Apuliam, Legatis jam ad Urbem reversis iteratò descendit, nam Comes Rogerius de Sicilia tunc, nunc autem Italiæ Rex (4) Calabriam, & Apuliam ideo licenter intraverat; quoniam Guillelmus Apuliæ Dux ut acciperet Alexii quondam Imperatoris Constantinopolitani filiam, quæ verò postea ei data est in uxorem, Bizantium inerat, & terram quæ ei competit Domino Papæ in eundo commiserat. Cùmque jam dictus Comes arcem de Calabria, quæ Miteforis (5) dicitur, obsideret, Domnus Papa ad eum ut ab obsidione cessaret Domnum Hugonem Cardinalem direxit. Ivit Cardinalis, & infecto negotio rediit: Papa autem in Comitem tali omine surgit; quali & parentes (6) post eum, sicut ipsi vidimus, insurrecturi erant; Nam ferè omnes Cardinales meliores quos habuit in temporibus illis, sed & magnum Hugonem Cardinalem nobilem, & industrium mortuos cum non paucis ex domesticis perdidit, & demum quicquid voluit ipse Comes Rogerius cum Papa semivivo peregit. Rediit ad Urbem in lecto, evasit, & illo anno nongentorum nonagintaseptem Episcoporum, sive Abbatum numero Laterani Concilium celebravit, in quo vir regali stirpe progenitus ferè jam deperditam mundo pacem restituit. Fecit Ordinationes in Urbe Cardinal., & Episcoporum quamplures, primò Domnum Cardinalem Petrum Leonis Sanctæ Mariæ in Trans-Tyberim, ubi oleum fluxit, Domnum Crescentium Sanctorum Petri & Marcellini, M. (7) Amicum Sanctæ Crucis, Guidonem Sanctæ Balbinæ, Theobaldum Sanctæ Anastasiæ, Robertum Sancti Clementis, cum aliis Presbyteris Cardinalibus (8) Jonatham Sanctorum Cosmæ & Damiani, Matheum Sancti Adriani, Americum Sanctæ Mariæ novæ, Angelum Sanctæ Mariæ in Dominica, Gregorium, (9) qui & Tarquinius Sancti Sergii, Johannem Danferii virum nobilem de Salerno Sancti Nicolai de carcere Tulliano; Subdiaconos aliquot, meque Pandulfum usque ad Subdiaconum ipse promovit; innumeros minoris officii Clericos ordinavit. Nemo hunc unquam vidit Beati Petri Basilicam sinè donis intrare, nec Missam inibi nisi priùs assignato dono cantare. Hic pro pace servanda Turres Centii Dominę bonæ (10) & iniquitatis dirui, & reparari non ibidem præcepit, saxa optimæ fortitiæ supra Romam à Mortaldo Comite emit, & honori S. Petri adjunxit. Cortinas multas & pallia, candelabra de argento, campanas, & pavimenta, fundos, atque casalia Beato Petro donavit, & multa per Ecclesias alias beneficia contulit. Aquam ad Urbem reduxit, molendina cum vineis juxta lacum aptavit, Ecclesiam Sancti Nicolai in palatio fecit, Cameram ampliavit, & pingi, sicut apparet hodie, miro modo præcepit. Interea Burdinus in Sutrio prope Romam Ecclesiam persequi, peregrinos prædari, in Papam, & alios maledicta congerere, quæque alia hujusmodi poterat tam per se, quàm per alios facere non cessabat. Tunc Papa fretus abundè jamque ab omni parte Domino volente securus parat magnum exercitum Johannem Cremensem Cardinalem Sancti Grisogoni Sutrium contra Burdinum præmisit, ipse eum è vestigio sequitur, demum Sutrii convenerunt, pugnatur attentiùs, vincitur, capitur Burdinus, adducitur, sic tamen camelo subvectus ivit cum victoria, Papa contra Godefridum Laudensem, (11) & Rainaldum Comites de Ceccano rebelles, & nisi Ranulfi Comitis de Airola intercessisset, proditio fecisset inde Papa qualem justitiam debuisset, non tamen sinè pace custos pacis abscessit, Burdinum in Cavensi Cœnobio trudi præcepit, Romam rediit, & in alta pace resedit, pauperes profundè procurans. Gaudebat mundus fieret dum Papa secundus, sed nulla potentia longa, nam ferè jam antiqui Octaviani tempora redundabant, jam Christus continuè in mentibus fideliũ nascebatur, (12) dum febris inopina proveniens Papam repentè consumit, & caput nobis omnibus in solo Papa cecidit, nec mora confessus, & ordinatus omnibus ululantibus obdormivit in Domino, & sic pacis pater cum ipsa pace recedit. Sepultus est Laterani juxta Domnum Papam Paschalem in festivitate Sanctæ Luciæ Virginis.

VITA EJUSDEM
CALISTI PAPÆ II.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Calisto Papa II. qui cœpit Anno Domini MCXX.

CAlixtus II., natione Burgundio, ex Patre Guilhelmo Burgundiæ Comite, qui & Guido Viennensis Archiepiscopus, sedit annis V., mensibus X., diebus XIII. Hic post obitum Papæ Gelasii à Cardinalibus, qui cum eo venerant, consentientibus quoque cæteris Episcopis, & Cardinalibus, qui Romæ remanserant, anno Dominicæ Incarnationis MCXX. apud Cluniacum electus est, & in Romanum Pontificem secundùm morem Ecclesiæ sublimatus. Hic de magno sanguine Regum, ac Principum est ortus, & inter seculares clarus, & inter Ecclesiasticos extitit maximus. Habito itaque consilio communi cum Ecclesia Gallicana, ut ad urbem Romam, & ad Sedem Apostolicam festinare deberet, dispositisque aliis, quæ ad Ecclesiæ statum videbantur spectare, iter suum versùs Italiam Domino auctore direxit. Et veniens ad Montem Pessulanum processit ad Sanctum Ægidium. Peragratis itaque Provinciæ partibus, & Alpium difficultate transcensa, ad Sanctum Ambrosium cum jucunditate pervênit. Undique igitur ad eumdem Pontificem confluente innumera multitudine Populorum eum tamquam Christi Vicarium omnes nimio venerabantur affectu, & ad ejus vestigia certatim se devotissimè prosternebant. Descendens autem ad populosas Lombardiæ Civitates, in quibus non minori honorificentia recipiebatur, quàm devotissima devotione tractabatur, per Montem Bardonis transivit

(3) C. palatio Tabula privilegio &c.
(4) *Papebroc.* (ab anno scilicet 1130., quo titulum hunc ei Anacletus Antipapa concessit.)
(5) *Papebroc. fortè* Nicefori.
(6) *Papebroc.* Barenses.
(7) C. *literam* M. *non habet*.
(8) C. *sequitur sic* sed & Diac. Card. Jonatham &c.
(9) *Papebroc.* Georgium.
(10) *Papebroc.* (Domus tyrannidis) &c.
(11) *Papebroc.* Gofredum, Landum, & Rainaldum Comites &c.
(12) *Papebroc. Idest* adventus erat inchoatus.

Digitized by Google

ivit in Tuſciam: Appropinquante igitur ipſo Pontifice ad Civitatem Lucanam, occurrit ei à longè decora ipſius Civitatis militia, & deductus eſt à cuncto Clero, & Populo in gaudio, & exultatione ad majorem Eccleſiam, & Epiſcopale Palatium. Poſt triduum verò à Piſanis cum jucunda, & glorioſa proceſſione nihilominus eſt receptus, atque tractatus. Rogatus autem ab ipſis Piſanis, & cum magna inſtantia poſtulatus, majorem Eccleſiam in honorem Beatæ Mariæ, tota ibidem Tuſcia concurrente, dedicavit ſolemniter. Interea de jucundo, & nimiùm deſiderato ipſius Papæ adventu communis fama, & frequens rumor aures Romanorum pulſavit; & cùm ad ejus receptionem tota Civitas anhelaret, & vehementi deſiderio ferveret, Schiſmatici, qui tunc eidem Urbi per Imperatoris violentiam incubabant, valdè ſunt territi, & in ſe ipſis omnino confuſi. Quocirca languidum eorum caput, Burdinus Hæreſiarcha in deſperationis lubrico poſitus, ſperans ab ipſo Imperatore tueri, apud Sutrium confugium fecit. Quo audito, Domnus Papa Calixtus versùs Urbem iter feſtinanter arripuit, & veniens uſque Sutrium, convocatis ad ſe Romanis, & aliis Nobilibus circumpoſitis, tamdiu civitatem ipſam diſtrictè obſedit, donec ipſi Sutrini eumdem Burdinum in manibus ejus dederunt. Unde factum eſt, ut omnis multitudo, quæ ibi convenerat, ad prædictum Hæreticum, ſicut ad inſolitum ſpectaculum, & quaſi ad monſtrum cornutum concurreret. Movebantur omnes ad riſum, agitantes caput, & altis vocibus intonantes: maledicte, maledicte, per Te tam grande ſcandalum venit. Alii autem dicebant: vah, qui tunicam Chriſti attemptaſti dividere, & dilaniare unitatem Catholicæ Fidei nihilominus præſumpſiſti. Tunc præparato ſibi camelo pro albo caballo, & piloſa pelle vervecum pro chlamyde rubea, poſitus eſt in transverſo ſuper ipſum camelum, & in manibus ejus pro freno poſita eſt cauda ipſius cameli. Talibus ergo indumentis ornatus in comitatu Pontificis præcedebat, revertens ad Urbem cum tanto dedecore, quatenus & ipſe in ſua confunderetur erubeſcentia, & aliis exemplum præberet, ne ſimilia ulteriùs attemptare præſumant. Gaudente itaque in Domino, & exultante univerſo Populo Romano, idem Beatiſſimus Papa ſecundùm antiquam Sanctorum Pontificum Romanorum conſuetudinem celebriter eſt receptus, & in Beati Petri Cathedra ſolemniter poſitus, atque ad Lateranenſe Palatium per mediam Civitatem, præparatis arcubus de more in ipſa via, (1) cum gaudio magno deductus. Poſtmodum verò Burdinum fecit in arce Fumonis retrudi, & inde ad Monaſterium Cavenſe transferri, ubi perſeverans in ſua rebellione vitam finivit. Videns igitur Imperator Henricus ſe ipſum ſpe vana fruſtratum, quoniam non eſt conſilium, non eſt ſcientia, non eſt potentia contra Dominum, attendens maximè verbum illud, quod ab ipſo Domino dictum eſt Beato Petro: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, ſaniori uſus eſt conſilio, & ad pacem Eccleſiæ, Domino ſuggerente, animum inclinavit. Super hoc itaque laboratum eſt à Catholicis Principibus, & per Dei gratiam pax Eccleſiæ eſt ita reformata, ſicut inferiùs ſcriptum eſt.

Litera pacis, quam miſit Imperator Henricus Domno Calixto Papæ.

„ In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis: „ Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & Sanctæ „ Romanæ Eccleſiæ, & Domni Papæ Calixti, „ & pro remedio animæ meæ dimitto Deo, & „ Sanctis Dei Petro, & Paulo Apoſtolis, San„ ctæque Catholicæ Eccleſiæ, omnem Inveſti„ turam per anulum, & baculum, & concedo „ in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno, vel Im„ perio meo ſunt, Canonicam fieri electionem, „ & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones, & „ Regalia Beati Petri, quæ à principio hujus „ diſcordiæ uſque in hodiernum diem, ſive tem„ pore patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, „ quæ habeo, eidem Eccleſiæ Romanæ reſtituo, „ quæ autem non habeo, ut reſtituantur, fide„ liter juvabo. Poſſeſſiones etiam aliarum om„ nium Eccleſiarum, & Principum, & aliorum „ tam Clericorum, quàm Laicorum, quæ in „ guerra iſta amiſsæ ſunt, conſilio Principum, „ vel juſtitia, quæ habeo, reddam, quæ non „ habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et „ do veram pacem Domno Papæ Calixto, San„ ctæque Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui „ in parte illius ſunt, vel fuerunt; & in qui„ bus Sancta Romana Eccleſia auxilium poſtu„ laverit, fideliter juvabo: & in quibus mihi „ querimoniam fecerit, debitam ſibi juſtitiam „ faciam. Hæc omnia acta ſunt conſenſu, & „ conſilio Principum, quorum nomina ſubſcri„ pta ſunt. Adelbertus (2) Maguntinus Archie„ piſcopus. F. Colonienſis Archiepiſcopus. A. „ Ratiſponenſis Epiſcopus. O. Bavenbergenſis. „ (3) B. Spirenſis. A. Auguſtenſis. G. Traje„ ctenſis. V. Conſtantienſis. G. Vuldenſis. Hen„ ricus Dux. Fredericus Dux. S. Dux. P. Dux. „ Teboldus Marchio. Engelbertus Marchio. „ (4) Gotifridus Palatinus. Otto Palatinus Co„ mes. Ego F. Colonienſis Archiepiſcopus, & „ Archicancellarius recognovi.

Hoc autem Privilegium aureo ſigillo ipſius Imperatoris munitum in Archivis Romanæ Eccleſiæ tenetur reconditum. De cætero autem hic Beatus Pontifex Compoſtellanum Epiſcopum pro reverentia corporis Beati Jacobi Apoſtoli, quod ibidem reconditum eſſe dignoſcitur, de novo Metropolitanum conſtituit, ſubjiciens ei totam Emeritanam Provinciam, tunc à Saracenorum hoſtilitate penitùs deſolatam. Lucanum quoque Epiſcopum, quoniam ipſa Eccleſia Sedis Apoſtolicæ gratiam promeruerat ampliorem, dignitate Pallii decoravit. Hic à fundamento conſtruxit in Palatio Lateranenſi Capellam Sancti Nicolai ad aſſiduum Romanorum Pontificum uſum juxta quam ædificavit duas cameras contiguas, cum tuto veſcario, (5) quod ſub eis fieri fecerat, unam videlicet cubicularem, & pro ſecretis conſiliis alteram. Hic etiam derivavit aquam de antiquis Formis, & ad Portam Lateranenſem conduxit, ibique lacum pro adaquandis equis fieri fecit. Plurima quoque molendina in eadem aqua conſtruxit, & multas vineas cum fructiferis arboribus ſecus ipſum lacum plantari ſtudioſiſſimè fecit. Hic fecit Ordinationes per menſem Decembrem, Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos plurimos per diverſa loca. Defunctus eſt autem in eadem pace Eccleſiæ, quam ipſemet Domino auxiliante fecerat,

XIV.

(1) M. *&* via *non leg.*
(2) M. Albertus.
(3) M. Bambergenſis.
(4) *In* M. Engelbertus Marchio *non legitur*.
(5) A. & M. cuto veſcano.

Digitized by Google

XIV. Kalendas Januarii; & in Lateranensi Ecclesia honorificè tumulatus.

VITA EJUSDEM
CALIXTI PAPÆ II.
Ex MS. Bernardi Guidonis.

CAlixtus II. natione Burgundus. Cœpit anno Domini MCXX. Sedit annis V. mensibus X. vacavit Sedes dies V. Hic priùs vocatus est Guido filius Comitis, ac Germanus frater Stephani Comitis Burgundiæ Archiepiscopus Viennensis post mortem Gelasii Papæ à Cardinalibus in Cluniaco concorditer est electus anno Domini MCXXVIII. Idus Junii. Calixtus Papa II. Pontificatus sui anno primo celebravit Concilium Tholosæ unà cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus Provinciæ, Gotiæ, Gasconiæ, Hispaniæ, & citerioris Britanniæ. In quo Concilio, inter cætera quæ gesta sunt in eodem, fuere dampnati hæretici, & depulsi ab Ecclesia omnes qui religionis speciem simulantes Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramentum, Baptisma parvulorum, Sacerdotium, & omnes Ecclesiasticos Ordines, & legitimarum dampnabant fœdera numptiarum.

Primitiæ quoque & decimæ, & oblationes, & cimiteria, domus etiam & bona cætera deficientis Episcopi, & Clericorum fuerunt Principibus, & quibuscumque laicis sub pœna sacrilegii interdicta. Hic Calixtus Papa cùm per Provinciam, Lombardiam, & Tusciam Romam rediret ubique solemniter, & cum gaudio est receptus, Burdinus verò, qui per Henricum Imperatorem Papa fuerat factus, audito adventu Papæ in Sutrio se recepit. Quem obsessum Papa cum Romanis cùm habuisset positum in Camelo versa facie ad tergum habens caudam Cameli pro freno Papam ad Urbem præcedebat, & post in arce Fumonis est retrusus.

Anno Domini MCXX. Calixto Præsulante, & Ludovico in Francia Regnante cœpit ordo Præmonstracensis in Diœcesi Laudunensi provinciæ Remensis sub patre Roberto, qui fuit Coloniensis florere, & tanquam vinea fructifera suos circumquaque palmites propagare.

De isto Roberto scribitur in Chronica Vincentii, quod ipse genere, divitiis, & facundia clarus, postposita seculari pompa mendicam districtionem arripuit. Et per aliquantulùm temporis spatium nudis pedibus incedens, & brumali rigore Verbum Dei spargens multos ab errore convertit.

Hoc anno in vigilia Beatæ Mariæ Magdalenæ Ecclesia Verzeliacensis in ipso crepusculo noctis, atque diei justo Dei judicio confragante igne innumerabiles promiscui sexus, ætatis, atque ordinis combusti sunt.

Eodem anno Guillelmus Rex Anglorum filius Henrici in mari mersus apud Bares fluvium cum multis periit nobilibus.

Hic Calixtus Papa Compostellanum Episcopum pro reverentia Corporis Beati Jacobi, qui ibi quiescit Archiepiscopum instituit, subjiciens sibi totam Emeritanam provinciam.

Hic etiam Calixtus Papa dedicavit Monasterium Sancti Frontonis Petragoricensis: Circa idem tempus floret Stephanus Presbyter religiosus, qui Monasterium, & Cœnobium Obasine Cisterciensis Ordinis in Lemonicensi Diœcesi fundavit, & miraculis claruit.

Anno Domini MCXXIV. XV. Kalendas Aprilis, Præsidente Calixto Papa, celebrata est magna Synodus Romæ diversarum provinciarum Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum quamplurimorum, in qua Synodo omnes ordinationes, quæ à Burdino hæresiarcha, postquam à Romana Ecclesia est dampnatus, & quæcumque etiam à PseudoEpiscopis per eum postea ordinatis factæ sunt, fuerunt irritæ judicatæ.

Hic Papa Calixtus tandem facta pace cum Henrico Imperat. obiit anno Domini MCXXV. & in Lateranense Ecclesia tumulatur.

VITA HONORII PAPÆ II.
Ex MS. Pandulphi Pisani.

HOnorius, qui & Lambertus Ostiensis Episcopus sedit annis V. Hic de mediocri plebe Comitatus Bononiensium genitus, bene tamen literatus à Domino Papa Paschale receptus est, & in Episcopum Bellitrensem (1) promotus. Religiosæ autem memoriæ Calisto Papa defuncto, omnes Patres de curia, Cardinales, & alii, præsertim Petrus Leonis, & Leo Frajapane pariter condixerunt, ut usque ad diem tertium cùm simul (2) exinde secundùm scita Canonum pertractarent, interim nulla de electione mentio haberetur; hoc idcirco potissimum Leo Frajapane constituerat, ut infra datum spatium, quod de Lamberto diutiùs cogitaverat, aliquando quietus persiniret, nam totus ab hoc populus Saxonem (3) Sancti Stephani Cardinalem futurum Papam petebant. Quos ut deciperet aptiùs Leo Frajapane itidem simulabat, in sero autem præsenti idem Leo per nuncios unumquemque seorsum de Capellanis Cardinalium præmonet, ut manè summo diluculo cum pluviali rubeo sub cappa nigra retento, (4) ignorante Domino, eumdem suum Dominum induerent; istud verò propter hoc ingenium adinvenerat, quatenus singulos pro accipiendo de manibus ejus Papatu attentiores redderet, & sic saltem absque timore venirent, & quidam factum Papæ Gelasii recolentes, convenire timebant, tamen in crastinum illecti fatuique conveniunt (5) ad B. Johannis Basilicam in Ecclesia, quæ Sancti Pancratii dicitur, Episcopi & Cardinales intrarunt, ibique post verba quælibet Jonatas Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis collaudantibus omnibus, ipso etiam Domino Lamberto Episcopo Theobaldum Cardinalem Presbyterum Sanctæ Anastasiæ in Papam Cœlestinum cappâ rubeâ cœlitus induit; sed patitur Cœlestinus, ego nescio tunc aliquando quæ nollet. Inceptum est: *Te Deum laudamus* gaudendo, non tamen dimidiato adhuc Lamberto pariter nobis cum alta voce cantante in Ecclesia; Robertus ipsius Frajapane verti fecit in luctum cytharam, etenim ipse cum quibusdam consentaneis suis, & aliquibus de curia Lambertum Ostiensem Episcopum Papam acclamaverunt, deinde in simiis, quæ ante Ecclesiam Sancti Silvestri sitæ sunt, sine mora eum composuerunt: unde licèt magna discordia, & tumultus emerserit, tamen postea pacificatis omnibus, & ad concordiam redactis Papam Honorium sublimant. (6) Hic fecit ordinationes in Urbe quamplures Presbyterorum, Diaconorum, &

(1) *Papebroc.* Episcopium Velletrensem.
(2) *Papebroc.* unà simul &c.
(3) *Papebroc.* Saxonem Anagninum.
(4) *Papebroc. adjungit* venirent, & ita non ignorante &c.
(5) *Papebroc.* Papam facturi.
(6) [*Cœlestino* (*ut alibi habetur*) *eodem, quo electus est die, se abdicante*] *Papebroc.*

& minorum ordinum, Petrum Sanctæ Anastasiæ, Comitem Sanctæ Sabinæ, Gregorium Sanctæ Balbinæ, Mathæum Sancti Adriani, Hugonem Sancti Theodori, Guidonem Sanctæ Mariæ in Via lata, & Episcopos aliquot extra vel infra Urbem. Hujus temporibus Pontius quidam Cluniacensis Abbas ab eo Romam retentus ibi defunctus est, & in Monasterio Sancti Andreæ sepultus, non post multum temporis idem Papa Laterani infirmatus ad mortem quorundam Patrum......... Monasterium Sancti Andreæ, quod ad......... vocatur, se deferri jussit, ibique in pace defunctus est.

VITA EJUSDEM
HONORII PAPÆ II.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Honorio Papa II. qui cœpit Anno Domini MCXXV.

Honorius II. Æmiliensis natione, (1) patriâ Bononiensis, qui & Lambertus Episcopus Ostiensis, sedit annis V. mensibus II. diebus III. Hic electus est sub contentione cum Tebaldo Buccapecu Presbytero Cardinali tituli Sanctæ Anastasiæ, Anno Incarnationis Dominicæ MCXXV. Sed quia electio ipsius Honorii minus canonicè processerat, post septem dies in conspectu Fratrum sponte Mitram, & Mantum refutavit, atque deposuit. Fratres verò tam Episcopi, quàm Presbyteri, & Diaconi Cardinales, videntes ipsius humilitatem, & prospicientes in posterum, ne in Romanam Ecclesiam aliquam inducerent novitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, & eumdem Honorium denuo advocantes, ad ejus vestigia prociderunt, & tamquam Pastori suo, & universali Papæ consuetam sibi obedientiam exhibuere. Hic Beatus Pontifex Civitatem Signiam cum pertinentiis suis in dominio, & proprietate Beati Petri restituit. Hic descendit in Apuliam vocatus à Baronibus illius terræ, quæ de jure Beati Petri est, ut eam tueretur, & defenderet à Rogerio Comite Siculo, qui eam invaserat. Sed cùm Barones ipsi cœperunt fraudulenter agere cum ipso Papa, & in adversam partem divertere, Pontifex videns eorum infidelitatem, sanius consilium habuit, & cum prædicto Comite, salvo Ecclesiæ jure, concordavit. Accessit ergo dictus Comes ad præsentiam ipsius Pontificis ad Ponticellum juxta Beneventum, & homagium, & fidelitatem humiliter sibi fecit. Tunc Pontifex ipsum Rogerium de Ducatu Apuliæ investivit. Hic delegavit Petrum Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Anastasiæ ad partes Ravennæ, qui deposuit Aquilejensem, & Venetum Patriarchas. Hic fecit ordinationem per mensem Decembrem, Diaconos undecim, Presbyteros sexdecim, & Episcopos triginta & unum per diversa loca. Defunctus est Romæ in Ecclesia Sancti Salvatoris, digno cum honore sepultus XVI. Kalendas Martii.

VITA EJUSDEM
HONORII PAPÆ II.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Honorius II. patriâ Bononiensis natus. Cœpit anno Domini MCXXV. sedit annis V. mensibus II. diebus III. Anno sequenti Henricus Imperator Matildam filiam Henrici Regis Anglorum accepit uxorem, quam tamen postea dimisit: ipse verò, ut dicitur, nunquam comparuit; ipsa autem Matildis postea Gaufrido Comiti Andegavensi nupsit, ex qua Henricum, prius Normanniæ Ducem, postmodum etiam Regem Angliæ procreavit.

Henrico Imperatore mortuo quibusdam Principibus maximè de Suevia, & Alamannia nepotem ejus Domadum in Regnum sublimare volentibus alii Lotharium Saxoniæ Ducem virum consilii, & bellicosum in Regem provehunt, imperavit annis XI.

Hic Honorius Papa descendit in Apuliam à Baronibus vocatus ut eam quæ juris Beati Petri est tueretur à Comite Rogerio Siculo. Sed cùm Papa vidisset infidelitatem Baronum saniori consilio Rotgerium recepit in gratiam, & homagio facto, & fidelitate firmata ipsum de Ducatu Apuliæ investivit.

Hic quoque Papa per Legatum Cardinalem duos Patriarchas, scilicet Aquilejensem, & Venetum, qui & Gradensis nuncupatur, deposuit, quia invenit eos schismaticis favorabiles extitisse.

Anno Domini MCXXVIII. tempore Honorii Papæ, & Stephani Patriarchæ Jerosolimitani ordo militiæ templi incœpit in Jerusalem, & dicti sunt milites templi, quia in porticu templi sedem sui Ordinis statuerunt. Incœptus verò est ordo iste à principio sub anno Domini MCXXII. per Hugonem de paganis, & Gaufridum de Sancto Ademario viros venerabiles, & quosdam alios usque ad IX. qui fuerunt primi institutores, qui se postmodum astrixerunt voto solempni, ac professione in manu Patriarchæ prædicti, ut peregrinos Christianos ad Sepulchrum Domini venientes defenderent à latronibus, & stratas publicas custodirent, more Canonicorum Regularium in obedientia, & castitate, & sinè proprio militantes æterno, ac summo Regi Domino Jesu Christo. Datus est eis primò albus habitus sinè cruce, & data fuit regula, quam Sanctus Bernardus conscripsit rogatu illorum militum, qui primitivi fuerunt, & Ludovici Regis Franciæ, ac Principum, & Baronum de Regno Franciæ, factumque est in Concilio generali apud Thetras. (2) Post hoc verò tempore Eugenii Papæ cruces rubeas vestimentis exteriùs affixerunt, & vexillis Bausanum assumpserunt. Vestes quidem albas in signum militiæ deferentes, per cruces autem ministerium designantes, eo quòd sanguinem proprium secundùm instituta regulæ pro defensione Terræ Sanctæ effundere sunt professi. Et inimicos crucis Christi viriliter expugnare, & ad mandatum ejus, qui Prior est non impetuosè, neque inordinatè, sed prudenter ad bella procedere in progrediendo primi, in regrediendo postremi, nec eis licitum est terga fugiendo dare, vel sinè mandato reverti.

Anno Domini MCXXX. Philippus puer filius Ludovici Regis Franciæ XVIII. Kalendas Maji in die Paschæ in Regem inungitur Remis. Qui cùm duobus integrè annis non regnasset, dum Parisiis equo veheret, porcus equi pedibus fortuitu submittens equum super ipsum præcipitem dedit, & de ejus subita, & misera morte Francis luctum induxit III. Idus Octobris. Hic Honorius Papa Romæ moritur, & in Lateranense Ecclesia sepelitur. Anno Domini MCXXX. In quadam verò Chronica invenitur MCXXXI.

ARNUL-

(1) *Alia antiqua manu additur in M.* De Oppido Flagnano agri Imolensis.

(2) *Leg.* Trechas.

Digitized by Google

ARNULPHI SAGIENSIS
ARCHIDIACONI,
POST
EPISCOPI SEXOVIENSIS.
TRACTATUS
DE SCHISMATE ORTO
POST
HONORII II. PAPÆ
DECESSUM.

PRÆFATIO.

VEnerabili Dei gratiâ Carnotensi Episcopo Gaufrido Romanæ Ecclesiæ Legato Arnulphus Archidiaconus Sagiensis Clericus ejus humilis & devotus salutem. *Ad expedienda legationis vestræ negotia non negarem fidele ministerium, si adessem, pro viribus exhibere. Invitaret enim me cum laborantis Ecclesiæ causa communis tum beneficiis vestris obstricta devotio, tum Romani Pontificis* (Innocentii II.) *gratia, qua me fateor artiùs obligatum. Sed quia me in Italiam desiderata diu Romanarum legum studia deduxerunt loci quidem distantia corporale subduxit obsequium, sed spiritualem non suppressit affectum. Novit enim intimus secretæ conscientiæ testis, quàm fidelis Ecclesiæ patienti compatiar, quàm affectuosè in adversis Præsuli Romano condoleam, quàmque obnoxiè vestrum me tota mente judico debitorem. Unde nimirum sublata impendendi corporaliter officii facultate stilum saltem continere non potui, sed in Girardum Engolismensem, quod solùm impendere poterat affectus absentis invectus, originem nativitatis ejus, conversationis qualitatem, prælationis causam, quid agat vel egerit ab initio tempestatis hujus, servata quantùm potui brevitate, perstrinxi. Ad confutationem quoque ejus, stilo circa Petrum Leonis liberiùs evagato, subjunxi de persona Domini Papæ, de ordine electionis ejus, de favore Principum, de populorum consensu, quidve super hoc irrefragabilis omnium Religiosorum probat auctoritas. Opus autem ipsum præsumo Majestati Vestræ fortassis impudenter offerri, cùm nullatenus orationis jejunæ macies mereatur in sapientiæ vestræ venire conspectum. Scio tamen quia sæpius apud vos benignitas indulgentiam parit, quàm severitas exactissima pœnam. Qui enim leviori culpæ veniam negat; causam quandoque gravioris importat. Si quid tamen in judicium libeat devocare, non de qualitate operis, sed de opificii cognoscatis affectu. Hujus examinationis periculo me securus expono, nec cognitionem formidans, nec latam ex cognitione sententiam. Quia licèt rethoricum colorem formet scientia non affectus si non hanc peritiæ laudem, saltem bonæ voluntatis gratiam consequentur. Sed & hoc ad vos potissimum destinari ratio postulabat, cùm in eam causam cuncta specialium allegentur, quæ vobis agenda commissa est; quippe cùm ad resistendum Petro Leonis in Italia Præsul Romanus indefessus adsistat, ad resistendum Girardo vos reliquit in Gallia, ut sit capiti caput oppositum, & dextera dexteræ conferatur. Sicut enim Petrus Schismatis hujus princeps, & auctor est, sic Girardus ejus inter omnia principalius est instrumentum, in quo quid de fide & prudentia vestra sentiendum sit, manifestè probatum est, cùm nullum vobis prætuleritis, qui nec probare ignotum, neque notum supra merita propriæ virtutis efferret. Arbitratus est virum quem charitas animaret, quem suscitaret obedientia, quem scientia regeret, cui pararet fortitudo victoriam. Probavit in vobis in fide constantiam, humilitatem in obsequendo, in exequendo prudentiam, in difficultate perseverantiam. Quis vos hoc ejus existimatione neget esse felicem? Quis beatum tanta ejus dignatione non dicat? Sed profectò dignos mittente nuntios, dignum suscipiente mandatum spes utriusque pulcherrima, quæ tam celebrem victoriam, certo spectat eventu. Vincet enim in vobis ipse, sed & vos vincetis in ipso; dum ipse vobis auctoritatem, vos auctoritati præstatis obsequium. Vincetis, inquam, & captivatum hostem sedatâ Aquitaniâ reducetis, ut per vos ei, qui vos misit oblatus ob novum crimen novo pœnæ genere puniatur: Indurati enim cordis impœnitentia, veniam non meretur; hoc autem præmium à vobis bonæ saltem voluntatis exposco, ut mihi nunc inter eos, qui modò quasi sub ducatu vestro militant, sequi currum liceat triumphantis, & laudes vestras, immo vincentis in vobis Ecclesiæ, præconia decantare. Valete.*

CAPUT PRIMUM.

ANxiè te jamdudum Girarde sustinui dum ad nos quotidie flagitiorum tuorum fœtor adscendit, & aures nostras gravior sonus nequitiæ sævientis exasperat. Silui tamen hactenus, dum pœnitentiam tuam credulus expectator adtendo, aut Divinæ manus non credo differendam diutius ultionem. Sed nobis circa te divinæ longanimitatis, & patientiæ proponenda exempla, tuque semper eò vehementior in Ecclesia Dei singulis diebus indefessus persecutor insurgis. Quousque igitur abutare patientiâ Dei? Quousque mentem tuam inæstimabilis ista certabit ambitio, & à veritate pecuniæ sitis hæc inextincta prævertet? Numquid miseram sene-

Digitized by Google

ætutem tuam, & instantem decrepiti corporis naturali necessitate deffectum, & hiantis Sepulchri claustra non vides? Non sentis superexcrescens circa se divinæ longanimitatis augmentum æternæ tibi damnationis supplicia cumulare, ut nulla jam excusatio divinam minuere valeat ultionem? Totus execrandi corporis tui labor & otium, tota reprobatæ mentis astutia, totum in hoc detestabilis vitæ tempus impensum est; ut militare pro Ecclesia videreris, & contra Ecclesiam dimicares. Nunc autem manifestavit Deus consilia cordis tui tenebrarum tuarum absċondita revelavit; ne dubia existimatione de te diutius hominum judicia fallerentur. Patet te proditorem Ecclesiæ fuisse, cujus te simulaveras esse patronum. Patet te venatorem tantum fuisse pecuniæ, qui venator constitutus fueras animarum. Sed quoniam animalis es homo carnosus, proinde & carnalis, quæ Dei erant percipere non potuisti, & invisibilia ipsius conspicere contemsisti. Ne verò adversùm te hunc animi temeritate potiùs, quàm ratione videar suscepisse sermonem, placet operum tuorum mihi seriem explicare, quibus possis hominibus contemtibilis, Angelis execrabilis, Deo condemnabilis inveniri.

Qualis igitur à primo Pontificatus tui tempore, fueris quid in principio Orientis in Ecclesia tempestatis egeris, quibus eam postea operibus infestare non cessas, ordine transigetur. Prætereundus est igitur ortus degener, paternæque domus familiaris inopia, quæ te totius natalis Normaniæ finibus abegerunt, ut ad ignotæ gentis limina peregrinus, & mendicus adstares. Taceo ignobiles pueritiæ questus, ignominiosam adolescentiæ famam, juventutis avara commercia, ne aures eorum, ad quos hæc scripta ventura sunt, tuæ sordibus incontinentiæ, simul & avaritiæ polluantur. Venio ad virilis ætatis tempora, sub quibus te in Episcopum non vita probabilis, non præcedens deliberatio, sed casus adduxit, & cœcarum ex præcedente discordia mentium, motus impellens. Dum enim adversùm se eligentium multitudo divisa consurgeret, diversasque personas alternus postularet assensus in te voces omnium fortuna convertit; non quia in te satis commodè provisum Ecclesiæ crederetur, sed ut exitum qualemcumque tumultus offenderet. Maluit te scienter indignum pars utraque excipere, quàm prævaluisse pars altera videri. Redit in mentem mihi miserabile illud nefandissimumque spectaculum, dum te præcurrentem multitudo reliqua sequeretur; & tu Clerum quadam celeritate præires ad cathedram, ne revocata ratione stolida mutaretur impulsio, cùm alii quidem trahi soleant, & plerumque compellantur inviti. Ea die de Engolismensi Ecclesia veritas, & misericordia recessit, dolus impietasque successit, rerum status in deteriora mutatus est, nitorem suum singula perdiderunt. Imminutus est enim decor, & cultus Ecclesiæ, periit Ecclesiastici ordinis venerabilis illa religio, Principum reverenda severitas populique laudabilis honestas interiit. Ecclesiam quidem Episcopalem de mortuis ædificasti lapidibus, non ut domum Domini decorares, sed ut inde conquirendi pecuniam duceretur occasio, & adversùs malè suspicantem populum mendax excusatio non deesset dum quæsita reconditur: dicebatur ad opus Ecclesiæ postulari quidquid ad tuam cupiens avaritiam exigebas, & dum unum de pluribus, de maximis minimum impendisses, volebas ut erogasse pariter omnia crederetis.

Ubi igitur tali in Episcopatum forte provectus es, insolentiâ, quam ante paupertas represserat, efferri cœpisti, petulantiâ, quam privatus exercere non poteras, bonos, quos licuit insectari, rapinis & exactionibus exinanire provinciam: judicia sola munerum comparatione formare, commutare rerum omnium status, nobilium labefactare fortunas, nepotibus tuis, quos natalis soli finibus eadem, quæ te causa depulerat, rerum tradere summam, & dignitatibus Ecclesiæ sublimare, quasi Platonem Scientiâ, Catonem moribus, Scipionem genere superarent. Quos illiteratos quidem & ad res illicitas impudentiùs effluentes obscuro loco natura produxit. De quibus, ne nova extra ordinem sumatur oratio, dixisse sufficiat, avunculo dignos esse nepotes, quos tibi cum natura consanguinitatis, tum educatio, tum quod à te sumebatur exemplum vitæ similitudine conformavit ut à natura principium, ab educatione promotio, ab exemplo ambitionis avaritiæ libidinisque duceretur auctoritas. Reliquis autem Ecclesiæ dignitatibus, & beneficiis, quæ in unum coacervare non poteras, eisdemque conferre, qui pecuniosior, is dignior habebatur; non adtendebatur honestas, sed manus onustas potiùs expectabas. Basilicarum dedicationes, benedictiones altarium, Sacerdotum constitutiones eodem, quo cætera, more tractasti, ut planè nihil faciendum putares, quod non alicujus emolumenti auspicatio præveniret. Nullam virtutibus gratiam rependisti, nullum quoque supplicium vitiis irrogasti, neminem ad vitæ innocentiam informasti.

Si quis de incœstu quolibet sonus emersit, siquis adversùs immunditiam exarsit castitatis amor in silentium, te cohibente, redactus est. Engolismensem Abbatissam quidam tuus Archidiaconus gravidam pravo fecit accessu. Porrò facinus ingravescentis uteri, tumor excedens & naturalis effectus apparuit. Quod dum propter insolentiam criminis divinitatisque contemtum civibus incredibile videtur, parturientis Abbatissæ gemitus & novi partus crepundia fidem fecerunt. Universa igitur civitas admiratione perculsa est: qua cogitatum impatientia, qua temeritate conceptum, qua denique impudentia posset esse completum quòd homo animarum custos, Episcopalis oculus, Ecclesiæ columna, Sponsa Domini, Virginum ejus matrem atque custodem non compellasset verbo tantum sed opere polluisset, & cubile patris animo fornicantis intrasset, eamque Deo, quæ homini quoque tam contumeliosa, quàm opprobriosa est, irrogasset injuriam. Suscitat ad vindictam Comes, cui eandem germanus sanguis conjunxerat Abbatissam, & cùm in caput adulteri ferro prius animadvertere decrevisset, ad te, ut canonicè dictaretur sententia, accessit. Rem igitur patefacturus ter vocem in media narratione continuit vir illustris, qui mentem suam contemplatione sceleris, linguam relatione fieri sordidam indicabat. Explicuit tandem remota quadam circumlocutione quod cœperat, ut qui serpentem prunasque reconditas diutiùs latêre non sustinet, manu tamen nuda recusat utrumque contingere, ne vel uratur altero, vel altero polluatur. Quis digna satis laude efferre valeat quanta principis fuerit in prima sceleris animadversione severitas; quanta in ultionis executione discretio; qualis in referendo modestia successit? Quis igitur hoc saltem exemplo magnum in Præsule rigorem justitiæ non expectet? Stat in memoria Pontificis digna relatione responsio.

Digitized by Google

ponsio. Replicabat Comes rem non absque divino contemtu naturæ contrariam sęculòque mirabilem contigisse, quam divinæ etiam religionis ignara gentilitas supremo puniendam supplicio decrevisset. Tu verò præter ætatis tuæ debitum, præter ordinis & Episcopalis officii dignitatem, singula verba lasciviore prosequente cachinno, te sanè simplicitatem principis non satis admirari posse dixisti, quòd naturæ contrarium diceret, sæculoque mirabile quòd de viro fœmina concepisset; sed in opposito stare miraculum si de fœmina virum contingeret impraegnari. O stupenda mentis obstinatio! ô detestabilis impudentia linguæ! ô digna depositione responsio! Expectabatur ut adversùm facinus exardesceret Episcopalis indignatio, sed ei quasi gratulanter lascivia senilis arrisit, & quod gravitate censoria punire sententia debuisset, nova Proteus auctoritate firmavit. Non potes excusare quin populo dederis certam similia faciendi licentiam, cùm singulis ex ore tuo pendentibus, novum facinus & ignotum, nec verbo, nec opere condemnasti, sed quasi licitum arridenti facie præsignasti.

Quis igitur animi compos ex hoc reliquas tuæ mentis & vitæ partes manifestò non teneat? Numquid enim si quis in majoribus intemperans & petulantissimus invenitur à minori crimine temperabit? Quid ita? Quoniam qui ab incestu, sacrilegioque non abstinet, is ubi luxuriæ flamma, vel avaritiæ sitis, incensa est, fornicatione simplici, vel rapina nec corpus inquinare, nec manus implere cunctatur. Quid ad hoc? Quia qui alieni criminis non offenditur spurcitiâ sed exultat, id in propria voluntate non damnabit expertus. Quid igitur? Numquid si in Sponsam Domini zelare, si ipsius divinitatis injuriam vindicare sprevisti, circa tuendas hominum nuptias negligenter egisse convinceris & ipsorum injurias non currasse? Extat ipsius testimonium veritatis in simili. Non differetur quin fiat in arido, quod in ligno viridi fieri festinatur.

CAPUT II.

Ad hæc autem, ut his etiam operibus exercendis diffusa materies, libera facultas, inconcussa fiducia non deesset, quæsita, & impetrata est Ecclesiæ Romanæ legatio. Angebat te hinc læsæ conscientiæ reatus exuberans, hinc Comprovincialium Episcoporum nota severitas, hinc Burdegalensis Archiepiscopi suspecta prælatio, quem loco confinem tua non semper opera se fefellissent. Ambitio quoque tua quasi quibusdam sibi coarctata videbatur angustiis, dum fauces tuas unius Episcopatus spolia non implerent. Ac si ergo omnia in Episcopatu tuo compositio plena firmasset, nihilque novi operis casus afferret, effecisti, ut quinque Archiepiscopatibus singulari potestate præesses, & in ipsis vices Romani Pontificis exerceres. In quo, quod Romanæ Ecclesiæ surreptum, & non credo mirabile si in tanta negotiorum multitudine, in tanto pondere rerum animus humanus aliquando fatiscat, cùm non sit spirituum semper certa discretio, per quam fallacium votorum compellatur indignitas, & rectis debitus comodetur assensus. Nec inconsideratè tamen quantum humana potuit ratione perpendi commissa tibi est quæsita legatio. Æstimabatur quippe, quòd in Episcopum non fortis eventu, sed ratione promotus fuisses. Nec verisimile videbatur, quòd in electione tua Clerum, Principem, populum, in examinatione tua Coëpiscopos, Archiepiscopum ejusdem cæcitas implicuisset erroris. De operibus quoque tuis nihil adhuc quisquam Romanus audierat: quæ finitimis, & remotis his quidem astuta dissimulatio, illis verò locorum distantia nullatenus esse nota sinebat. Ad summam ne veritati derogetur in aliquo, inerat tibi circa gerendas res nota discretio, quam plurima sanè literarum scientia confirmaret, & utriusque facundia sermonis ornaret, quæ quidem quotiens si non zelo charitatis Divina gratia largitur ingrato, in testimonium justæ damnationis adjuncta creduntur. Dum igitur Romanus Pontifex solicitudinis suæ pondus adtenderet, te in oneris sui participationem gratulanter excœpit, quem ministrum fidelem fore credidit, & prudentem.

Ab inde igitur inconcussæ prærogativâ potestatis armatus, libera in Ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depopulando quidem, vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando, ut planè quasi fortunarum auctor existeres, quem de status sui qualitate, vel laudare possent omnia, vel causari. Abinde tua diffusioribus spatiis effusa cupiditas copiosam rapacitati suæ materiam non defuisse gavisa est: Quid ergo manifestas exactiones? Quid familiaria ob periculum justitiæ suscepta dispendia dicam? Quid Generales Synodos? Quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut Concilio præsidens generali amplitudinem suæ potestatis gloriabondus inspiceres, & ambitioni satisfaceret contemplatio subiectorum? In quo opere, quàm perversa fuerint omnia promtum est intueri. Ad hoc enim Concilia celebrari Sanctorum Patrum sanxit auctoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio proveniret, & velut exercitus sui facultate conspecta, ipsam se pleniùs Ecclesia mater cognosceret, ut adversùm vitia severiùs insurgendo instantium bellorum triumphos posset confidentiùs auspicari. Te verò ad hoc ea convocasse quis dubitat, ut cupido animo tuo, & libidini dominandi morem gereres, & cùm satietatem discretè singularum causarum lucra non præstant, ipsam plurium multitudo congregata conflaret? Proh dolor, & miserabile cadentis Ecclesiæ detrimentum! Videri mihi videor te quasi taurum pinguem in sublimi Synodalem Cathedram insedisse, dispositosque inferiùs catholicos ex ordine Patres, quidquid in causis conscia veritatis prætendat oratio pari desperatione languentes sub incerto ruentis sententiæ fluctuare. Malos verò quantò impudentiùs, quidem tantò animosiùs insistentes efferri, quos polliciti, vel colati muneris confidentia suscitat, & inducit. Quod non sine quodam indignationis motu mihi mente reformo, dum intemperantiæ tuæ recordor impensum, quod ad decorem Ecclesiæ noscitur institutum. Pervulgatus est conciliorum honos, & dignitas abrogata, quibus te præsedisse constat, & nova gentibus Romano more decreta formasse. Super quo graviter indignatus festivè simul, & honestè senex Venetensis illusit. Is cùm ad quoddam Concilium tuum inter Coëpiscopos vocatus adesset, pastoralem virgam rudem, & incompositam prætulit, indumento veteri, quod multa jam scissura rupisset, amictus. Interrogatur igitur, cur in tam vili, & irrisorio habitu processisset, libertate conscientiæ munitus, tale, inquit, consilium talis decet ornatus.

Qualis ab initio Pontificatus tui exstiteris minus pleno, sed veraci sermone digestum est: nunc

Digitized by Google

nunc verò quid egeris dum adversùs Ecclesiam procella tempestatis insurgeret, consequenter adnectendum est.

CAPUT III.

CUm sublatus è medio bonæ memoriæ Papa Honorius terræ corpus, cœlo spiritum sua singulis debita resignasset, eique successione dignum canonica subrogasset electio, Ecclesiam Dei Petrus ille Petri Leonis invasit. Placet hoc loco mihi utriusque personæ describere qualitatem, ut de duobus similem similis elegisse proberis, & cupidum cupidus adorasse. Parcendum tamen est obscœnitati verborum dum Petri vita narratur, & rerum veritas sermonum palliandâ decore ut honos habitus honestati legentium videatur. Libet igitur prætérire antiquam nativitatis originem, & ignobilem similem prosapiam, nec judaicum nomen arbitror opponendum, de quibus ipse non solùm materiam carnis, sed etiam quasdam primitias ingeniti contraxit erroris. Ipse enim sufficiens est, & copiosa materia, neque quidquam domui ejus ipso turpiùs vel esse, vel fuisse conjecto. Cujus avus cùm inestimabilem pecuniam multiplici corrogasset usura susceptam circumcisionem baptismatis undâ damnavit. Pudebat eum impotentiæ suæ potiùs, quàm erroris, ne genus ejus infidelitatis opprobrio confusum perpetua damnaret obscuritas: susceptis itaque fidei Sacramentis, ubi novus civis institus est factus dignitate Romanus. Cùmque ipsi numerosam progeniem series successionis afferret, dum genus & formam regina pecunia donat, alternis matrimoniis omnes sibi nobiles civitatis adscivit, machinante jam humani generis hoste; ut quasi quodam veteri fermento tota Romanæ sinceritatis conspersio corrumperetur. Ex hac itaque diversorum generum mixtura, Girarde, Petrus iste tuus exortus est, qui & judaicam facie repræsentet imaginem & perfidiam voto referat & affectu.

Porrò ipsum à cunabulis, ab ipsius nutricis uberibus Apostolatui præsaga parentum destinavit ambitio; atque post prima literarum rudimenta docendum delegavit in Galliam, ut illius Regni benevolentiam ipsi morum linguæque conformatio vendicaret. Totis igitur annis pueritiæ suæ (ut honestiùs inhonesta dicantur) ad omne se quod alteri collibuisset exposuit, metuque Romani nominis importunus exactor alienis adolescere non refûgit expensis. Et tamen hæc aliquantulum modestiùs exacta sunt, dum ipsum disciplina scholaris inhibet, & quotidianæ præpedit instantia lectionis, & quædam crimina naturalis impotentia removet ab ætate. At verò postquam adolescentia & peccandi facultatem, & licentiam fecit liberiùs evagandi, si qua superbia, si qua petulantia est tum verè ipse superbus & petulans omni intemperantiæ sese satis impudenter addixit. Profectò cùm in his operibus nec Deum dignatur revereri, nec hominem, tantam sibi suscitavit infamiam, ut ejus ortu ambitione vitaque præcognitis ipsum esse Anti-Christum universitas gentium passim crederet, & publicè testaretur. Augebat fidem, quòd ex Judæis ortus; quòd totius Mundi dominium Romanæ Sedis auspicabatur obtentu; quòd vitiis deditus infamiam nulla virtute redimeret, & quòd infinitam patris & avi pecuniam deinceps possessurus esset. Ipse autem adeò hujus nominis gloriabatur opprobrio, ut etiam ruina Orbis non erubesceret appellari. Testis est Vizeliacensis Ecclesia, apud quam dum veteres ad innovandum ipso audiente diruerent officinas, ad contemplandas parietum ruinas sese duci propensiùs exigebat. Percunctatusque, cur id videre tam sedulus exoraret, quoniam magnarum me, inquit, rerum ruina delectat, eo quòd Orbis ruina futurus esse prædicor. Post hæc habitum quoque monachatus excæpit ut vitia mentis ovino velaret amictu, opprobria vitæ præteritæ Cluniacense nomen obnuberet, & virtutis existimationem bonorum societas quæsita referret. In quo etiam ad hæc, quæ in futuro sibi mens præsaga spondebat, Cluniacensis Ecclesiæ venabatur auxilium, eo quòd inter Ecclesias Gallicanas nulla sit nomine religionis illustrior, nulla consilii discretione prudentior, nulla promptior ad obsequia charitatis, nullius ingerendis rebus auxilium vel promtiùs, vel efficaciùs esse potest. Reversus denique Romam illi venerabilium seniorum sacrosancto Conventui, annitente patre, fratribusque conjunctus est; & Cardinalis factus honoratus nomine tituloque ditatus est. Nullus quippe fortassis ad aures Summi Pontificis infamiæ Petri fumus adscenderat, eòque tanti viri sublimitatem singuli reverentes sanctis auribus perturbare turpia reformidavit. Sub hac igitur ignorantia dum in ipso monachalis habitus, dum Sacerdotii Sacramentum, dum parentum vis adtenditur, exceptus est sub Patrum silentio, non assensu. Quibusdam patriæ potestatis timore, vel amore silentibus; quibusdam verò sperantibus meliora de reliquo. Quoniam habita inter bonos conversatio quosdam quidem corrigit & emendat, alii pœnam ex transgressione timentes, necessitatis abstinentiam convertunt in sincerum voluntatis affectum.

Deinde ad diversas partes functus Legationis officio, cupiditati suæ potiùs quàm justitiæ satisfacere studuit, adeò ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur, quæ merces adjecta, & marsupii plenitudo subsecuta probaret. Ubi ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapinæ præstabatur occasio, tunc exactis blanditiis, vel comminatione plena non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivia parabantur, tantusque ciborum luxus, & superfluitas erat, ut ad exquisitas ferculorum varietates sollicitari plerumque figulos oporteret, & ignotæ compositionis nova vasa formare. Docebatur etenim figulus amphoras figmento plasmare mirabili, quibus ad similitudinem folii per transversum medium discrimen inesset, statusque superior repositis escis, fumum per modici oris respiraret angustias, inferior verò pars cancellatis arcubus undique perforata prunas clauderet; quibus thuris copiam tamdiu sollicitus minister infunderet, donec coctis cibis odorem ipsum transferret cocus artifex in saporem. Quæ profectò gulositas naturam prorsus humanitatis excessit. Humanorum quippe sensuum perceptiones naturalis ratio certa lege discrevit, singulis singulas rerum qualitates assignans, nihilque confusè alicui commune cum aliis dereliquit. Hîc verò dum thuris odor transfertur in epulas, quod odoratus est gustus vindicatur, fitque in rerum qualitatibus ignora confusio, & in sensuum perceptionibus communicatio non naturæ. Quod divino etiam non potuit carere contemptu, dum in hoc ardenti gulæ peregrinus sapor exquiritur, quod sacris adoletur altaribus, quod ad signum deitatis in Christo præsaga trium Magorum devotio præsentavit, quod solùm utrius legis tempore de ter-

terrenis rebus gratum Deo esse, & fuisse creditur holocaustum. Taceo quòd hæc effusio non apud inopes fiebat Ecclesias, quibus postea id luere multis jejuniis, & algoribus oporteret. Cùmque pauperes Episcopos, vel Abbates profusioribus, quàm domi didicerat, vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut planè sponsam Domini spoliare, suisque privare monilibus ausu temerario videretur.

Profusa verò convivia tanta libidinum spurcitia sequebatur, ut ab ipso passim quidquid occurreret, adiretur. Sororem Tropeam (sed nec dici fas est) bestiali polluisse narratur incœstu & ex ea abominabili prodigio eosdem sustulisse filios, quos nepotes, nepotum pater, filiorum factus avunculus, sic naturæ jura confudit, ut eosdem sibi invicem fratres faceret & cognatos. Jam nec Judæus quidem, sed Judæo etiam deterior. Nulla sexuum, nulla loci vel temporis, nulla professionum; Sed hæc silere decentiùs, ne si hæc ipsum indifferentur excœpisse protulero, honestiùs potuisset silentio præteriri. Sic actum: domi nec ab eis legationum tempore temperatum. Ut enim turpiora prætereàm circumducebatur puella, cui infraudem videntium adolescentis speciem vestis & tonsura conferret, quæ singulos æstus toleraret, singulos solaretur affectus. Eo gratior, & quasi quodam novitatis affectata miraculo, quòd dum virum facie, reliquis mulierem partibus exhibet, uterque sexus ipsi in eodem corpore videbatur exponi. Testis est Montis Pessulani populus & circumjecta provincia se vidisse. At ne satietatem præstaret identitas, quærebantur & aliæ, quarum ipse nocturnis fungeretur amplexibus, quibus ipse se Papam futurum in ipsa turpi commixtione jactaret. Mutræ in Galliis sunt & Aquitania Civitates, quæ id apud se dictum certa fide testantur. Gratulare, inquit, in tanti te viri devenisse complexus, quem Papam futurum totus orbis expectat. Numquid Apostolatus gradum, Petre, tibi talis conversatio promittebat? Numquid dispensatores domus suæ Christus Ecclesiæ Sponsus & defensor hoc verbo docuit vel monstravit exemplo? *Estote*, inquit, *sancti quoniam ego sanctus sum*. (1) Qui igitur successurus est Christo oportet eum, sicut ille ambulavit, & ipsum ambulare. Si quis autem post ipsum iturus est, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur ipsum (2). Crucem verò non tollit nisi qui castigans corpus suum & in servitutem redigens in comessationibus & ebrietatibus in cubilibus & impudicitiis, legem Dei nequaquam dissolutus excedit. Ipsum non sequitur nisi qui divinis intentus operibus adscensiones in corde suo disponit, donec de virtute in virtutem videatur. Deus, tu verò, Petre, cum de vitiis casu continuo devolvaris in vitia, & signatum super te lumen divini cultus obtenebres, deformata jam Divinitatis imagine, & ipsius similitudine flagitiis obfuscata, qua temeritate Christi successor esse præsumis, cujus priùs similitudinem non assumis? Nulla enim conventio Christi ad Belial, nulla lucis ad tenebras communicatio.

CAPUT IV.

HIc est ille, Girarde, hic est ille tuus Papa, quem recipis, quem universitati fidelium solum decens Caput assignas, qui sponsus Ecclesiæ, qui Christi Vicarius, qui Petri successor, vitæ forma fidelibus gregem verbo prædicationis instruat, & istius scilicet operationis exemplo. At verò quis sit iste, quem reprobas, consequenter adtende. Si genus ejus recensita nativitate disquiritur fidelis natus ex fidelibus advertetur. Si parentum in ipsius educatione vel doctrina consilium, ut habitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, & videret voluntatem Domini. Si personæ qualitas: ut prius habitudo corporea describatur, vir staturæ mediocris, quæ nec abjectum brevitas, nec immanem reddat immensæ quantitatis excessus. Apparet in oculis ejus & vultu robusta simplicitas, & quæ castitatem animi probet verecundia faciei. Quæ profectò facies tanta dignitate resplendet, ut & ipsi quamdam reverentiam ingerat intuenti. Ei quoque hanc inter cætera munificentiæ suæ dona specialem gratiam vis divina largita est, ut omnes se videntes mansueta sibi benignitate conciliet, & dilectionem solo nanciscatur adspectu. Ipsius etenim oculis divinum quiddam superna bonitas inspiravit, quod plenum gratiâ, quod reverentiâ dignum, quod honori congruum generaliter arbitretur. Vox blanda sed non in nimiam tamen resoluta molitiem, ut & suavitatis favor, & magnitudinis non desit auctoritas. Continua vultus alacritas, risus in sermonis excursu sæpissimus, tanta tamen habitus honestate, ut verborum vultusque possit augere non minuere dignitatem. Quod quidem eò magis allicit intuentes, quoniam id in ipso quoddam illius æternæ jucunditatis videtur initium, cujus cum ipso corpore quasdam existimo primitias accepisse.

At si vitæ consideretur integritas, & à primis annis sub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamiâ condemnatum. In eo enim nihil illiberale pueritia, nil adolescentia fluxum, nil juventus infame, nil virilis ætas edidit indecorum. Inconcussa fides operationi bonæ fundamenta præstruxit. Consilio providus, benignus alloquio, facundiâ celebris, quam nec verborum fastus elatam, nec multitudo faciat effluentem. Tantumque apud omnes bonæ existimationis servabatur, & gratiæ, ut quod aliàs perrarum est, esset ei ante electionis ejus tempora nullus hostis. Cibi, potusque tanta sobrietas, ut illis non fastidium, sed abstinentiæ modus terminator adsistat. Vestitus autem Apostolatus tempori sanè conveniens; quem nec professio clericalis excluderet, Cardinalatus dignitas non horreret. Quibus enim impræsentiarum vestibus induatur, jam non ex ipsius pendet arbitrio, sed Sanctorum Patrum antiqua constitutione decretum est. Prædicta verò Cardinalatus dignitas, ab ipso non impetrata quidem, sed ob vitæ mundioris, & scientiæ plenioris meritum, ultrò data. Cujus muneris sic gessit officia, ut suis ipsum laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis sui possessoris illustrior, nec tantùm propriâ, quantùm administrationis sui gloriâ præfulgebat. Adeoque cæteros egregiæ prærogativa bonitatis excesserat, ut nec restare locus invidiæ videretur, eoque planè quisque suos ad æqualitatem ipsius adspirare non posse conatus adverteret: neque quidquam cujuslibet laudibus ipsius prælatio derogaret.

Postremò si non ille humani generis perfidus adversator in Petro Leonis Ecclesiæ Dei præstru-

(1) 1. Petr. 1. 16.

(2) Math. 16. 24.

ftruxiffet infidias, nulla jam poft Papam Honorium de fucceffione quæftio fupereffet cùm vir unicus unicæ dignitati Divinâ jam videretur providentiâ præformatus. Ipfum enim hoc Divinitatis confilio talem conftat effe plafmatum, ut dum adversùs Ecclefiam vis hujus perfecutionis infurgeret, effet qui fe tempeftati fui fecurus opponeret, & inter fluctus periclitanti naviculæ fubveniret. Cùmque ipfum ad hoc onus omnium pænè confcientia deftinaret, ipfe fibi jam adeptæ dignitatis locum nequaquam videbatur explere. De fe enim citra fuam credere facultatem judicium fapientis effe. Quod ipfe de fe fatis evidenter edocuit, dum ipfum eligentium corona clauderet, & ad Apoftolatus faftigia vocaretur; inftabant precibus, & reclamantem lacrymis obfecrantes, injecto pluviali renitentem manibus etiam comprimebant. Cùmque ipfe injectam fibi veftem fecundò (ut ajunt) totis viribus obfiftendo rupiffet, illique nihilominus inftandum crederent, fi quid fanctis electionibus creditur, timuerunt, ne inter manus eorum tanta reluctatione, & compreffione fatigatus obiret, & fuffocatam fingultibus animam protinus expiraret. Manibus igitur, donec modicum refpiraret, inhibitis, dum tertium ex longinquo pluviale requiritur inter rorantes adhuc lacrymas, & erumpentes ufquequaque fingultus fic affatur adftantes: Expediret inftans negotium, exclufa animorum affectione, tractari, nec charitatem zelus alteruter impediret, & generale commodum odio familiari, vel gratia in oppofitum verteretur. Sæpius enim præoccupatas mentes fallit affectio, ut & dignos odia reprobent, & indigni, fugerente gratia, præferantur. Quam quidem gratiam in hoc vires fibi video vendicaffe præcipuas, ubi fola obtinere debuerat expenfa pari lance ratio meritorum. Nam ubi me pari voto contenditis tantæ præficere dignitati, profectò non obtinet examinatio meritorum palàmque prævalet indulgentior gratia, quæ me vobis nunc, & hactenus in imperfectis operibus acceptabilem præftat. Per quam etiam olim huic fancto me voluiftis ineffe confortio, quem dejectum inferiùs longè morum qualitas amoviffet. Quem tamen locum etfi vir nullius virtutis tenuifque fcientiæ impleret, veftra infirmitatem meam fapientia fupportabat, quos ejufdem follicitudinis idem Dominus in eadem paritate fecit efse miniftros. Verùm oportet nunc ex meritis non ex gratia judicare, nec gratiofum tantùm, fed & dignum conftituere Sacerdotem. Hìc enim nullum capietur ex paritate folatium, ubi conforrem muneris prærogativa fingularis excludit. Excludatur ergo benevolentia, & perfona comparetur officio ad quod vocatur: vitâ probabilem, fcientiâ præditum, celebratum famâ tantus honor expofcit; ubi ipfi divinum favorem, probabilis vita concilier: gerendorum facultatem fcientia conferat, & nominis celebritate clara comparetur auctoritas. Quales ex hoc ipfo numero promtum eft inveniri. Quis ego fum, fub cujus arbitrio rerum fumma verfetur? Quis, inquam, ego fum, quem Papam Roma falutet, qui non inter primos dumtaxat, fed etiam primorum primus affigner? Indignum qui præficit afficit injuriâ dignitatem.

Talia dicentem, & adhuc dicturum plurima, fi liceret, hoc fermone cœtus adfiftentium defperatus excœpit. Excufationum difpendia, periculum imminens, & articulus neceffitatis excludit. Stat enim in infidiis leo paratus ad prædam occafionem, ficut & ipfe nofti, præftolans à puero, cujus fi non præveniatur affultus, fi non impetus obtundatur; nulla jam libertatis fpes, nulla prorfus honeftatis difciplina relinquitur. Antiqua Ecclefiæ Romanæ dignitas occidit, ipfius gloria commutatur opprobrio, & formidata extremis hominum poteftas vertitur in contemtum. Si enim eft ille, ficut equidem eft, vitâ contemtibilis, & pollutus infamiâ, reftat & comtemtum poteftas ipfa contrahat ex perfona. Quis enim bonus fubeffe non recufet infami? Quis ad honeftatem coartari inhoneftioris arbitrio non refutet? Si autem honor ifte ritè deferendus eft digniori, profectò apud omnes infinitorum criminum Petri prælatio nos condemnat. Arguemur nimirum de nobis turpiora confeffi, quàm de ipfo fama vulgaverit, fi vobis ipfe quafi dignior antefertur. Æftimabitur etiam non difplicere nobis, quod nec in altero non damnamus, fed & fuftinentes crimen confenfus incurrere, & rei veritate & exiftimatione publica convincemur. Fuit, fuit hactenus hæc Romana Ecclefia caput Orbis, pænes quam conftantiffima fides, fuprema poteftas, honeftas incomparabilis, inconcuffa feveritas, gerendorum fumma difcretio, & nota toti Mundo pietas viguiffet, fuit, inquam, fuit hæc olim terror improbis, bonis in tranquillitate præfidium, in neceffitate refugium fingulare, à cujus integritate minores Ecclefiæ vires fumerent, & velut ab illæfo capite membra faucia fuæ fortirentur initia fanitatis. Nunc autem inftat, & à fide difcefsio ut antiquæ defolatio poteftatis, & omnium bonorum ejus cafus manifeftus apparet, dum homo peccati, perditionis filius revelatur, ut adverfetur, & extollat fe fupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ut in templo Dei fedeat oftendens fe quafi ipfe fit Deus. Apoftolo itaque manifeftè dicente cognofcimus, quoniam vel ipfe Anti-Chriftus eft, vel in ipfo nobis Anti-Chrifti tempora præparantur, cujus idem præambulus & minifter emergit. Ecce enim jamjam intrufionis fuæ comparat adjutores, & confpirata in Ecclefia Dei factio convocatur, quam illi genus, potentia, largitio, promiffiones, & fcelerata dudum conjuratio fœderavit. Deftitutas Paftore lupus oves aggreditur, & vacuam Sedem primus properat ufurpare, quod fubrogato Paftore præfumere forfitan non auderet. Non enim nifi cùm abeft Moyfes vitulus conflatur à populo. Ad quod tamen fi ipfum poftea temeritas ambitiofa compelleret, faltem quem fequeretur fidelis populus inveniret. Super quo fupremum fibi in te conftituit Ecclefia Sancta confilium, ut tuâ regatur providentiâ, tuo adnitente ftudio liberetur. Aluit hæc te, & cùm in aliquo tui non egeret, excœpit, ut in fumma tranquillitate fuis educaret uberibus, & proprio foveret amplexu. Nunc multum poftulat, & fuorum repetit præmia meritorum, ut fcilicet in neceffitate fubvenias, & oppreffæ præftare fubfidia non recufes. Numquid matrem clamantem non audies? Numquid non folaberis defolatam? Numquid non exaudies exorantem? Numquid poftulatam manum labenti coram te non porrigens fubftinebis?

At verò prætendis ex indignitate tua fubterfugii caufam, quafi nos prudentiam tuam, & fingularum partium vitæ tuæ merita nefciremus. Profectò fi te dignum crederes, hac ipfa æftimatione videreris indignus. Dicis quoque nullum fperari hîc ex paritate folatium, quafi ab inferioribus confilia, & obfequentibus auxilia nequeant exhiberi. Numquid illud præcipuè

pæ nobis onus incumbit, cùm velut in humano corpore, is, qui præsidet, capitis formam, membrorum reliqui similitudinem gerant: ut qui præest nutum adhibeat, difficultates expediat obsequentium labor? Revereris etiam pudore laudabili subire tantæ fastigia dignitatis, in quam suprema Regni & Sacerdotii prærogativa mirabili fœdere copulata conveniunt. At nos non ad honorem te, sed ad periculum potiùs invitamus. Nec enim sumus ignari quid adversùm nos ille adversarius machinetur. Jam stringit gladios, jam sagittas acuit; nec viam sibi ad Apostolatum patere, nisi nostri sanguinis effusione confidit. Quantumcumque tamen discrimen nobis mortis immineat, maluimus sanguinis nostri mercedem de manu Divina requirere, quàm de manu nostra sanguis Ecclesiæ requiratur? Quamvis te mortis socium quærimus, immo volumus etiam præcursorem. Exponatur jugulus tuus sicut noster ad victimam, neque enim fas est, ei, qui dedit negare spiritum, cùm reposcit. Si quid igitur te matris desolatæ calamitas; si quid inundans adsistentium fletus, si quis ullus honestatis amor, si quid virtus obedientiæ movet, adquiesce. Si adquiescis, exhibemus obsequia: si recusas, exigimus de inobedientia pœnam. Eadem enim quæ Papæ superstitis est, ipso decedente, penes nos præcipiendi & ulciscendi quoque consistit auctoritas, donec alius inducatur.

His dictis parabant excommunicationis promulgare sententiam. Allatum interim ex longinquo pluviale præ manibus offerentes. Quid faceret? Tentaret ex fuga subsidium? At illud continua seniorum corona claudebat. Postularet inducias? Sed quominus impetrarentur, dilationem rei instantia Petri machinamenta negabant. Negaret semper? At illi gladio spiritus imminebant anathematis pœnam protinus intentantes. Dum ergo sibi videtur inter geminæ mortis conclusus angustias, alterique eorum lege necessitatis obnoxius discrimen periculi corporalis excœpit: quia dum respuit anathematis experiri sententiam, insidiis, immò potentiæ sese Petri Leonis objecit. In eo autem, quo ordine sequenti die Petri processisset intrusio, non diutiùs immorabor, quàm ut dixerim virum turpem fœdatum infamiâ, publica existimatione damnatum posterius a...... : & parentibus esse promotum. Ad te potissimum Girarde revertar, ut quid egeris orta tempestate cognoscas, & aures tuæ eorum, quæ malè gessisti, contundantur auditu.

CAPUT V.

Nunciato in Galliis schismate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fidelisque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum Catholicus Princeps Rex Francorum Ludovicus occurrit. Is vocatis Episcopis, & omnibus, qui probatæ religionis in Galliis habebantur, convocato etiam Clero, Regnique Majoribus Concilium statuit generale, cùmque se Petro Leonis ob sua & patri obsequia fateretur obnoxium, nihil tamen super hoc celsitudini Regiæ voluit arrogare Episcopis, & Patribus, qui ex monastica religione convenerant, omni tradita potestate, ut eis & in eos omnis diffinitio conferretur, eo quòd penes Sanctos Episcopos Ecclesiæ dispensatio tota consistit, & Abbates, quos divinitatis contemplatio recreat, divina latêre consilia non creditur. Cui Concilio quoniam interesse

Girarde non poteras cum literis tuæ deformitatis imagine consignatis nuncium destinasti. Utramque te novisse personam, & electionis ordinem pleniùs exquisisse, proculdubio cum Innocentio Papa stare justitiam, eo quòd planè vir esset honestatis egregiæ; & ipsius electio prima tempore, & à præcipuis Romanæ Ecclesiæ fuerat celebrata personis. Porrò Petrum per opulentam manum Cathedram posteriùs usurpasse, virum adeò vitâ reprobatum & nomine, ut si ipsum etiam quælibet electionis forma defenderet, promoveri tamen vitæ qualitas, & infamia minimè sustineret. Id tibi & tuæ largitioni subjectis ratum fore; idque cum Lugdunensem, tum Viennensem Ecclesiam, tum totam ferè Italiam ab ipsius urbis mœnibus excepisse. Aderant autem ibidem venerabiles, quæ Romæ fuerant sub eadem tempestate personæ, quæ rerum seriem planè cognoverant, præsertim quæ oculata fide singula percepissent. Habebantur quoque super hoc ipso & aliarum, quæ non aderant, ultrò delegata testimonia, simul & persuasiones personarum, quas spiritum Dei habere certa fides esset, cùm tot hominum sensus in eamdem fortè confluerent voluntatem. Sicut enim una bonorum fides est, sic & spiritus unus: malorum verò spiritus multiplex, & voluntas ambigua.

Tandem ergo favore divinitatis multis lacrymis implorato, dum utriusque personæ merita & prosequentia partes studia conferuntur, inventus est Petrus indignior, adeò ut ex ipsius comparatione alteri personæ irrogari gravis injuria videretur. Studia verò partium tanta dividebat imparitas, ut Petro nondum extra urbis mœnia quisquam favor, alterum infra urbem quidem pars potior elegisset, & extra urbem usque ad fines terræ tota jam ferè Patrem confiteretur Ecclesia. Sumtâ igitur ex magni Leonis Papæ decreto sententiâ ubi se partium vota diviserant, visus est illis jure canonico præferendus is, qui majoribus studiis juvabatur & meritis. Qua nimirum ratione cùm in Papam Innocentium inspirante Domino, convenissent, ipsi statim de obedientia tua & debita subjectione scripsisti: postulasti tamen ipsius honorari rescripto & munus legationis habitæ confirmari. Visum est simoniacum favorem tuum redimere Legationis officio, & cùm ipse partes illas visitare sub eodem tempore decrevisset, nullus locus poterat sub ipsius præsentia restare Legato. Neque enim Legatus præsentis personæ sed absentis explet obsequium, jamque tantus ad Romanas aures malæ administrationis tuæ clamor adscenderat, ut esset de eo quod olim imperaveras pœnitentia major, quàm ut modò restituereris affectus. Tulisti repulsam graviter, & mutilata potentiæ tuæ cornua doluisti. Atque inferioribus antea modò factus inferior, & velut in senectute reputatus inutilis, consueti beneficii finem rapinæ ratus injuriam, temerariæ succensus es ultionis affectu. Quoniam dum repulsa ministrat iracundiæ causas & innata dedignationem parit elatio; addidit ambitio cœcitatem, quæ quidem res cùm otia nesciant, & à suis effectibus vacare non possint, contemtum jam susceptæ partis dedignatio fecit, indiscretionem cœcitas operata est, temerarios ausus iracundia præformavit. Spreto igitur eo quod rectè susceperas & indiscretè conversus ad aliud, temerariè prioribus contraria concepisti; factumque est quod in rebus sæpe contingit humanis, ut circa rem propensiùs affectatam spem præcipitem desideria concepta firmarent.

Digitized by Google

rent. Misisti Legatum Romam, qui eidem quem jam devoveras, Petro favorem tuum venalem pro munere legationis offerret, & similem sibi ministrum Domino fœderaret. Expletum est sine dificultate commercium, & dum te cœcitas indiscreta conducit, ministrum te schismatis addixisti, ut inutili privilegio donareris. Formata est tibi sed inanis nova legatio & quidquid ab Alpibus usque ad fines Occidentis interjacet, tuæ ditioni sed inefficaci donatione subjectum est. Et ne excedenti ambitioni tuæ fortassis angustior prædictorum finium præscriptio videretur, adjectum est, ut ubicumque calcaret pes tuus, ibi esset legatio tua. Invenisti, Girarde, hominem de alieno munificum, sed si rei fructum diligenter adtendas, dum tibi rescribuntur maxima, minima recepisti. Nihil enim tibi Petrus impendit, nisi quod nec ab ipso, nec ipsius potest nomine possideri. Implevit tamen aures tuas spaciositas circumscripta terrarum, & cupiditatem tuam rei qualitas æstimata solo statim gaudio satiavit. Sed ambitionem tuam dignissimus excepit eventus, dum munus inutile primâ statim rerum experientiâ deprehendisti. Emissis igitur ex omni parte cursoribus cœpisti Principes sollicitare finitimos, eos scilicet, qui rei nondum cognita veritate neutrius adhuc partis nomine nitebantur.

CAPUT VI.

De circumveniendo autem Rege Anglorum Henrico præcipuè laborabas; & quia cauteriatam conscientiam habens, Principi Catholico, & sapienti de suscipiendo Petro Leonis manifestè suggerere non audebas, ut neutrum susciperet mirabili solertia suggerebas (ita tamen ut in Petrum tua aliquanta proclivior oratio videretur) rem stare sub dubio, multos utriusque partis esse fautores, festinasse quosdam, qui jam multâ pœnitentiâ ducerentur: Petri Leonis in Civitate inexpugnabilem esse potentiam, præsertim qui munitionibus maximis, qui pecuniâ plurimâ, qui denique parentum multitudine maxima fulciretur. Asseverare multos ipsum non justitiâ, sed potiùs invidiâ reprobatum (1); emo quòd perspicax ejus ingenium, & amplitudinem animi, & irrefragabilem potentiam reliqui vererentur: neminem tamen esse, qui posset eum urbis privare dominio, penes quam caput Ecclesiæ semper fuisse, sed & denique reversurum fore nullus ambigeret. Ipsum, & eos, qui cum ipso erant, sufficientes ex proprio, & omnes ad Apostolatum pertinentes civiles redditus obtinere: non oportere ipsum ad alienas inspicere facultates, nec ad invertendum quidlibet rei familiaris inopiâ compellendum. Si susciperet alterum onerosum sibi & suo regno fore, & quod Regi est etiam damno deterius, dedecus adfuturum, si pars altera prævaleret. Nihil esse importabilius indigente Romano, sub cujus sis arbitrio constitutus. Dissimularet igitur, & rerum exitus potiùs expectaret, quàm sera præcipitem sententiam pœnitentia subsequatur. Utiliùs enim esse sinè dispendio declinare pericula, quàm cum gravi dispendio ipsis ultro periculis obviare.

Agnovit Rex sapiens latentem in sermone serpentis astutiam, & venenum sub melle reconditum, quia scilicet ista non bona fide consulentis animo mandaveras, sed fallentis, ut Domino Papa priùs qualibet arte fraudulenter exclusо ad loquendum pro Petro tibi commodior aditus appareret. Faciliùs enim ab favendum parti nostræ vacuos vendicamus affectus, quàm favore jam partis alterius occupatos. Ille verò non dissimulandum, sed laborantis Ecclesiæ necessitatibus adjutor ultroneus credidit occurrendum, ne persuasione tua probaretur acephalus; & ab uberibus matris suæ fieret alienus. Rex maximus, cujus ad justitiam omnes ferè Principes invitantur exemplo, cujus in pauperes munificentiam, liberalitatem in omnes, cuncti Reges mirari possunt potiùs, quàm velint aut valeant imitari. Cujus sapientiam Regnum ipsius, & Ducatus etsi latè spatiosa non continent, sed ad circumjectas refunditur undique potestates.

Cùm autem, Girarde, Regibus Hispanorum Britannorumque Principibus eadem suggerendo mandasses, & speratos fructus concinnata tibi mendacia non referrent, cœpisti dementiore vesania infra domesticos parietes debacchari. Pictaviensem Comitem nanctus erroris socium, & schismatis adjutorem, quem etiam Pictaviensis Catholici senis negata depositio, & contra Sacratissimos Canones non exaudita petitio, indignatum pariter à Catholica repulit unitate.

Hæc sunt, Girarde, quæ pro Ecclesia, & adversùs Ecclesiam sub initio tempestatis egisti, quæ, licèt rudi forsitan & inculto sermone narraverim, solam saltem sequi potui veritatem. Nihil enim scripsi, quod non vel ipse cognoverim, vel auctore probabili non haberem, vel quod saltem fama publica non affirmet, ut proinde non minus aliis probabile videatur, cùm ipsi tot testimonia suffragentur ad fidem. Jam verò si rectè propositæ partitionis membra recolligo, sola mihi propositi mei superest pars extrema, in qua quibus Ecclesiam Dei molestiis vexare quidem, & persequi non desistis, ex parte dicendum est. Si quis enim vellet cuncta narrare, nec ad dicendum lingua sufficeret, nec calamus ad scribendum.

CAPUT VII.

Susceptâ igitur Petri Leonis Epistolâ cœpisti per fines Aquitaniæ discurrendo pristinæ prædicationi tuæ prædicare contraria, Petrum scilicet Leonis Anacleti nomine, sed veriùs Anti-Christi, Papam esse; cujus quidem Apostolatum Sedes principalis exciperet, & totius Civitatis obedientia confirmaret. Alterum civitate pulsum cum paucis fautoribus sine certa sede vagantem, avertentem populos, & ab Ecclesia separantem; quem nec Cathedra Lateranensis agnosceret, nec ei obsequium Romana Civitas exhiberet. Quem Papam credere similis amentia videbatur, ut si quis carentem Regno Regem dicere, destitutum Principatu Principem appellare voluerit. Quasi modo, Girarde, justitiæ loca præjudicent, & jus dignitatis perimat illius civitatis egressus, & velut solius populi Romani favor omnibus ferè populis debeat anteferri. Numquid enim ipse Laterani residens, in illa B. Johannis Ecclesia principali Christianissimum Principem Lotharium consecravit in Regem? Numquid ipsum & Imperii nomine, & Imperiali diademate renitentem solemnitate debita decoravit? Numquid ipsum pars magna nobilium, & totius populi conscientia comitatur? Numquid eidem urbis habitatio & ingressus pro arbitrio patens

(1) *Hic deest aliquod verbum*, puta habere.

Digitized by Google

Patens est & egressus? Quibus profectò si careret omnino, nullo tamen eorum posset justitiæ derogari; sed dum te latens odium stimulat ad vindictam, linguam mendacio non negabas, ut verba veneno mendacii toxicata, infidelitatis vulnere simplicium pectora sauciarent. Circa quod dum unicum tibi propositum unicus urguendi (1) labor; unica laboris perseverantia constat, torrentes impetus tuos prævertit modicum vis divina; primumque de inefficacia spectatæ potestatis argumentum accessit in ligationem versa legatio. Captus es, & mensibus aliquot reclusus in carcere, donec quos gratia prædestinaverat, plena veritatis agnitio confirmasset, & qui prius de rescripta tibi legatione speraverant, de ligatione postea desperarent. Reserato autem carcere processisti quasi pardus è cavea, cujus rabie carcere diutius & catenis inhibitâ, si fortè liber evaserit, insurgit audacior, nec eum ulla potest sanguinis effusio satiare. Æstimabas adhuc auctoritate tua totum posse præverti, quod Ecclesia Sancta dictaverat, & penes te rerum pondera & momenta constare. In quo nescio tuamne magis cœcitatem, vel arrogantiam mirer. Quia quæ arrogantia major, quàm hominem pænè solum adversùs illud insurgere, quod Divina Providentia confirmavit, quod omnis Religio confirmavit, quod omnium Regnorum favor confirmavit, quod & ipse quantum sua interest confirmavit? Quæ major cœcitas, quàm ubi nullum Dei præcedit, exile hominis succedit auxilium contra universitatem sperare victoriam? Non potes negare, quin falsi crimen & inconstantiæ simul incurreris levissime transfuga modò harum, modò illarum partium malefidus adsertor, cujus in singulis operibus duplices vias duplex signat intuitus, & affectus mentis ancipites ambiguus manifestat adspectus. Sicut enim corporales oculos tuos innaturalis quædam distorsit enormitas, ut ad idem contuendum mirabili nequeant discordia convenire, sic & mentis oculi diffident, ratio scilicet & affectus.

Pictaviensis ac Lemovicensis Ecclesiæ Comitis viribus abutendo, Catholicos ejecisti Pontifices, alios extraordinariè superponens; Quorum alterum minùs vitâ probabilem, & nullarum hominem literarum, & in vulgari etiam sermone ferè prorsus elinguem, Romana Ecclesia ab ejusdem Pictaviensis Ecclesiæ regimine reprobatum, olim canonica decisione removerat. Ille tamen nunc auctoritate sua jura patris superstitis usurpare non renuit, quamvis ipsi obligatus filialis obedientiæ vinculo teneretur, & licèt sese totum manibus ejus fide etiam corporaliter præstita dedicasset. Alter verò nec sæculari præditus, nec scientiâ literarum famosus apud omnes adulter, singulis ferè noctibus à dæmonio rapitur, primumque de strato provolutus in terram, horrendum clamans per totam diem, domum dormiens etiam dicitur evagari: neve sit circa eorum qualitatem diutiùs immorandum, primis Ordinibus, nedum Sacerdotio, nedum etiam Episcopali officio convincuntur indigni. Sed neque tu, nisi tibi consimiles, poteras æstimare condignos, nec dissimilia tibi capitique tuo Petro membra formare. Semper enim proprium quælibet opera confitentur artificem, & in eis voluntatis eorum vel scientiæ, velut imago quædam reperitur expressa. Quid autem celeberrima Monasteria, Sanctis Abbatibus expulsis, desolata, commemorem, & subrogatos ad ejusdem sollicitudinis onera precio, vel gratia juniores? Quibus administrantibus tanto jam cœpere Monasteria laborare defectu, ut in iis quæ singulari nuper religione pollebant, nulla jam ferè virtutis, aut regulæ vestigia restent. Illis enim quorum eatenus ardentes Monasticus Ordo frænabat affectus, traditæ dispensationis occasio licentiam comparat effluendi. Nihilque ad periculum religionis efficacius est, quàm irreligiosum sustinere Pastorem.

Hîc autem te Girarde convenio, & veteri de Apostolatu paulisper seposita quæstione, quasi tibi Petri munere jus legationis accedere potuisset in his operibus ordinem requiro canonicum. Spoliatos rebus, sedibus suis violenter expulsos, inconventos, incommonitos, absentes quoque, nullo tecum Episcopo residente damnasti. Sed ut hæc etiam ponamus ordine processisse canonico, in aliorum superpositionibus regularem disciplinam, formamque rationis exposco. In illorum enim qualibuscumque promotionibus nec justitiam, nec umbram justitiæ dinosceris adtendisse.

Blanditur elatis auribus tuis fortasse tantæ rememoratio potestatis, quia hæc pro tua potuisti prævertere voluntate. In quo ne nimiam capias voluptatem, quantum tibi partique tuæ profueris consequenter adtende. Tertia pars Pictaviensis Episcopatus, quem posuisti, non agnoscit Episcopum, eique totus ferè nobilium numerus respuit obedire. Adeoque omni conscientia reprobatus abjicitur, ut & frater ejus naturalis excommunicatum ex hoc ipso judicet, nec ulla ei communione jungatur: Catholicus verò usque ad portas civitatis plena potestate dominatur Episcopus, & eum majores personæ Pontificalis Ecclesiæ commitantur ad formam Beati Petri, relictis omnibus, exulem prosecuti. Alii fornices civitatis inhabitant, qui super ollas carnium recumbentes, gratis & loci potiùs, quàm animæ perditione terrentur. At Lemovicensis ab urbe sua stadio uno vis interjacente remotus, castrum Sancti Martialis pro foribus urbis inhabitat; unde is, qui sedem sibi cathedræ Pontificalis usurpat, singulis diebus audire possit campanas in sua excommunicatione sonantes. Te quoque Pastorem suum Engolismensis patria minimè profitetur ubique, sed & ibi multi catholicæ partis nomine gloriantur.

Distuli circa extremitates orationis hujus de usurpatione Burdegalensis Archiepiscopatus apponere, ut ex hoc illa effrænis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engolismensi Ecclesiæ copulatus spirituali connubio tenebaris, impudens tamen dominandi libido contemplatione prænominatæ dignitatis incanduit: & dum descendentium jam rerum tuarum detrimenta non sustines, ad compensationem frustratæ legationis in amplexum quasi ditioris adulteræ prorupisti? Filiæ sponsus incœstu matrem nefario polluere non adhorres, & monstrum biceps, infaustum sæculo prodigium non renuis apparere. Non expetitio populi, non Cleri præcessit electio: sed etiam nunc excommunicatum reputans, universitas tibi, vel pars saltem maxima, refragatur, in partem catholicam multo desiderio suspirantes.

CA-

(1) *Ita Tertul. pro* urgendi.

Digitized by Google

CAPUT VII.

AGe ergo, ut quasi ab initio summa omnium brevi complexione claudatur, quia ab eo, quod exceperas, recessisti, temeritatis vel inconstantiæ te condemnat. Aut enim huic parti temerarius consensus adjunctus est, aut certè nimis inconstanter ademtus. Quòd autem favorem tuum ab hac parte prima tulit negatio, nullum cœcæ ambitionis est firmius argumentum. At verò idipsum palliari fortassis aliquo conquisitæ falsitatis velamine potuisset, sed facta in alteram partem non nisi eadem legatione, impetrata favoris translatio omnem tibi copiam defensionis ademit. Ad summam, jam te non illicitè solum, sed & impudenter operari convincit, Archiepiscopi & Episcopi in eamdem personam facta confusio.

Hîc itaque de te toti mundo patentibus, qua saltem imagine justitiæ tibi nomen usurpas, dum publicè suadere putas, te, & si non ex scientia, zelo tamen taliter operari? Numquid hæc opera, te non imprudenter ex simplicitate delinquere: sed impudenter ex arrogantia contemnere manifestant? *Impius* enim *cùm venerit in profundum contemnit*. (1) Saltem deficientia, naturæ lege membra considera, quia tempus est finem dare nequitiæ, & inutiles mundo reliquias expectanti Deo gratum munus offerre. Declines ad infima, vultus adtolle, & enormes oculi tui ad partem dirigantur oppositam, ut videatur quàm bonum, & jocundum est in unum habitare. Sed quoniam nocturnus bubo lucem diurnam non sustines intueri, cœcus aures arrige, nisi & easdem insurdaverit obstinatio cordis. Audi ergo cum quibus habites, & quorum consortia respuas; Infidelis, universitas illa, quam sequeris, familia Petri Leonis est, nondum fermento judaïcæ corruptionis penitùs expiata. Et Tyrannus ille, quem altrix tyrannorum Sicilia sustinet, Dionysii successor: Aulæ ipsius hæres, & ominis, emtus inani Regis nomine; Dux quidem antea, nunc verò nec Dux ipse, nec aliud, quia nomen alienum, quod contra justitiam tyrannus usurpat, in ipso nullatenus obtinere certo jure firmatur; huic numero solus Pictaviensis Comes adjicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana spiritualium non adtingens, ob repulsam petitionis illicitæ mancipatus errori. Sub qua paucitate si quis Sanctam dixerit Ecclesiam contineri, certè non derogata solum Christi videtur hæreditas, sed penitùs abrogata. Ubi ergo David sanctè, ubi tua vetus illa promissio? Ubi Pauli? Ubi Sanctarum testimonia Scripturarum? Ille enim Rex Sanctus ex persona Patris ad Filium. *Postula*, inquit, *à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. (2) Et alibi: *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*. (3) Et Paulus: *Deus*, inquit, *exaltavit eum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genuflectatur*. Dices fortassis jam impleta quæ dicunt, nec obstare hæc quo minus potestatis hujus immineat defectus. Sed Regni ejus non erit finis: Regit enim in virga ferrea. Partem verò nostram, si tamen hæc tantilla cogat exceptio, ut nomine partis universitas ferè tota vocetur omnis Imperator, omnis Rex, omnis Princeps, omnis homo denique profitetur, quicunque Christiani nominis insignitur honore. Sed ego, si qua fides est, favorem Principum, populique, quos adhuc sæcularis tenet affectio compeditos in tam divino negotio negligenter adtendo. Horum in hoc mihi consensus præcipuus est; horum me movet, motum trahit, tractum tenet auctoritas, quibus datum est nosse mysterium Regni Dei, quorum in cœlis esse jam ex parte conversatio perhibetur. Quales revera sunt qui Carthusiæ perpetuas nives inhabitant, & qui à Cisterciensi, vel Cluniacensi Monasterio profluentes lucis suæ radios undique diffuderunt. Hi enim à manibus suis & animo, saniore consilio terrea removentes, aspera veste, cibo cum raro, tum arido, vigiliis, multisque laboribus corpus macerant, ad eam tantam retributionem totis animi viribus anhelantes, quam diligentibus se gratiam repromisit. Horum sancta conversatio, sermo sapiens, in divinis discretio perspicax, quam denique nulla nubes terrenæ densitatis obfuscat. Patitur quidem eos Deus molestiis affici, ut tamquam aurum in fornace probentur, sed ultra eorum non excrescit tentatio facultatem. Licèt igitur eos adhuc ex parte remoretur in terris, ut promissas augeant desideria protracta coronas, à divinis tamen consiliis non creduntur exclusi: *Angeli* enim *eorum semper vident faciem Patris*: & eos familiari Sancti Spiritus visitatione faciunt illustrari. Neque enim etiam in præsenti sua deserit retributio sustinentes: juxta illud: *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Vado* enim inquit, *& venio ad vos, & gaudebit cor vestrum*. (4) Quid igitur? Fraudabitur operis sui fructu pars electa, quam dico, & promissionem suam divinitus immutabit? Absit. *Juravit* enim *Dominus, & non pœnitebit eum*. (5) Horum ergo mentes promissus Spiritus Sanctus inhabitat, quas congrua sibi templa paravit, & eas necessariò plena cognitione veritatis illustrat. Quoniam si Spiritus Deus est: Deus autem veritas, profectò sub præsentia Spiritus non restat ignorantia veritatis. Quid plura? Jam ne sermo noster metas debitæ brevitatis excedat, pauca de pluribus, minora de maximis dixisse sufficiat.

(1) Proverb. 18. 3.
(2) Psal. 2. 8.
(3) Ibid. 72. 8.
(4) Matth. 18. 10.
(5) Psal. 93. 19.

VITA

VITA
INNOCENTII PAPÆ II.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

INnocentius II. (1) natione Romanus ex Patre Joanne de regione Transtiberina. Cœpit anno Domini MCXXX. quamvis in quadam Chronica inveniatur MCXXXII. Sedit annis XIII. mens. VII. diebus VIII., vacavit Episcopatus diebus II. Hic prius dictus est Gregorius, fuitque Diaconus Cardinalis S. Vincentii, qui à majori parte Cardinalium, & Petrus Leonis à minori ad Papatum dispariter eliguntur; Gregoriusque Innocentii, Petrus Leonis Anacleti nomine alterantur. Sed Petro Leonis apud S. Petrum, ob parentelæ suæ fortitudinem, commorante, ipsam Ecclesiam cum manu armata, & per violentiam habuit, & aureum Crucifixum, & pendentes coronas cum toto thesauro auri & argenti, & lapidibus preciosis tollens, expoliavit. Hoc idem ad Sanctam Mariam Majorem magno thesauro ditatam, & aliis Urbis Ecclesiis fecit; cum quo thesauro omnes pænè Romanos corrumpit. Innocentius verò nullum in Urbem habens subsidium, cum Cardinalibus Urbem egreditur, & in duabus galeis in Gallias proficiscitur, & à Regæ Franciæ honorificè est receptus, & Gallicana sibi adhærente Ecclesia, primò Rhemis, secundò Pisis Conciliis celebratis in Papatu confirmatur, & Petrus Leonis ab omnibus Episcopis Galliæ, & Germaniæ anathematizatur: In Chronica verò Martini, & in quadam alia scribitur quòd primò in Claromonte, secundò verò Rhemis Concilia celebravit.

Ab eodem quoque Innocentio Papa Rhemis Concilio habito, & præsente Rege Francorum VIII. Kal. Novembris, Ludovicus filius Ludovici, fraterque Philippi primogeniti inopinata, sicut præmissum est, morte subtracti, consecratur in Regem circa annum Domini MCXXXVII. regnavitque annis XLIII.

Sub his temporibus erat pulchra & decora facies Ecclesiæ Sponsæ Christi, dum diversorum ordinum, & professionum varietate circumdata (*esset*): dum hinc Cluniacenses, inde Cistercienses, Cartusienses, Grandimontenses, & Præmonstracenses, inde etiam diversi habitus, atque professionis sanctimoniales, & mulieres deuotæ, & in paupertate, continentia, sub obbedientiæ jugo regulariter viventes, se in religionis fervore invicem provocabant, & nova certatim in diversis locis Monasteria fundabantur. Cartusienses equidem Monachi pululabant paulatim, qui præ cæteris continentes, pesti avaritiæ quamplurimos laborare videntes, terminos posuere: dum certum numerum hominum, animalium, possessionumque, quos eis nullo modo prætergredi liceat, statuunt, & ipsi singuli singulas cellas habentes, perfectiùs mundo mori, & cæteris diligentiùs Deo vivere elegerunt.

Anno Domini MCXXXII. Lotharius II. Imperator expeditiones in Italiam parat, & cum Episcopis, & Archiepiscopis Innocentium Papam Romam deducens contra Petrum Leonis, qui Monasterium S. Petri munierat, in Epompio Lateranensi in Sede Pontificali potenter collocaret: Ipse siquidem Lotharius in Imperatorem ab ipso Innocentio coronatur. In quadam verò nova chronica scribitur ipso modo. Anno domini MCXXXIX. Innocentius hortatu Lotharii de Gallia rediens, venit in Italiam, cui occurrit Lotharius cum exercitu magno, & cum Episcopis ipsum Romam deducit: Petrum verò Leonis expugnans, totamque suam progeniem extirpans, ipsos ab Urbe relegat, & Innocentium etiam propria Sede restituit. Eodemque anno Lotharius in Laterano ab Innocentio coronatur. Hæc ex prædicta Chronica, quæ idem, sub anno tamen alio, narrat esse gestum.

Cùmque præfatus Innocentius Papa Romam rediret, pacificatis Januensibus, & Pisanis, attendens quæ sibi & Ecclesiæ magna fecissent servicia, Januensem Episcopum, qui sub Mediolanensi Archiepiscopo erat, constituit Archiepiscopum; Itemque Pisanum Episcopum erigit in Archiepiscopum Tusciæ, totiusque Sardiniæ in Primatem: Hoc autem in prædicta Chronica nova factum esse describitur sub anno Domini MCXL.

Coronato verò Lothario in Imperatorem, Imperator & Papa ambo simul Apuliam intraverunt contra Rotgerium Comitem, Regemque Siciliæ, qui Innocentio Papæ rebellis, & contrarius erat, & Petro Leonis favebat; ipsumque Rotgerium de Apulia fugaverunt, fugatoque Rotgerio Siculo, Papa Romam, Imperator verò Lotharius in Teutoniam revertuntur.

Anno Domini MCXXXV. Henricus Rex Angliæ obit, cui Stephanus ex sorore nepos in Regnum succedit, sed magna parte mutilatus, non multo post Normaniam totam amittit: Filia ejus Regis Henrici Matildis, quæ, ut præmissum est supra, Gaufrido Comiti Andegavensium nupserat, Ludovici Regis Francorum Normaniæ Ducatum invadit, & in ipsa Anglia magnas ei molestias, & calamitates suscitat, quem etiam

---

Vita ejusdem Innocentii II. ex Pandulpho Pisano, quam, ne quid omisisse notemur, hîc dare congruum ducimus, eundem morem in sequentibus servaturi.

(1) INnocentius natione Romanus ex patre Johanne, de regione Transtyberina. Sedit annis XIII. mensibus VII. diebus VIII. & cessavit Episcopatus dies II. Hic perrexit ad Rogerium Ducem Apuliæ cum exercitu Romanorum; sed cum suis, cum quibus fugam cepit, captus est ab eo. Hic condannavit totam partem Petri Leonis cum ordinatione sua. Iste Petrus Petri Leonis filius à Cardinalibus paucioribus est electus, & Anacletus dictus: hostiliter fecit aggredi Fracapanensium castra, & loca, in quibus se Innocentius cum Cardinalibus receperat. Sed quia sic nihil profecit, cum manu armata Ecclesiam B. Petri Apostoli adiit, & per violentiam habitam aureum crucifixum, pendentesque coronas auri & argenti, ac lapidibus preciosis spoliavit. Cymborium quoque, quod S. Leo Papa construxerat, destruxit. Hoc idem ad S. Mariam Majorem magno thesauro ditatam, & aliis Urbis Ecclesiis fecit, cum quo thesauro postquam pæne omnes Romanos corrupisset, Innocentius Papa nullum subsidium in Urbe habens, cum Cardinalibus in duabus galeis transivit in Franciam, & à Rege Francorum honorificè receptus est. Postquam in Claromonte, & Remis celebrasset Concilia. In reditu pacificatis Januensibus, & Pisanis attendens quæ sibi, & Ecclesiæ fecerant servitia magna; Januensem Episcopum, qui sub Mediolanensi fuerat, fecit Archiepiscopum, & Pisanum Primatem totius Sardiniæ. Hoc coronato Lothario in Imperatorem ambo simul intraverunt Apuliam, & fugato Rogerio Siculo, qui Domno Papæ rebellis erat; Lotharius Christianissimus rediit in Theuthoniam, Papa Romam. Ubi solemni celebrato Concilio sepultus est in Lateran. in Concha porphyrica miro opere sculpta.

etiam bello postmodum cepit: Sed pro Comite Roberto fratre suo à Regno capto eum relaxat. Sequenti anno Domini MCXXXVI. Guillelmus Comes Pictavensis, & Dux Aquitaniæ ad Sanctum Jacobum profectus in Parasceve moritur V. Idus Aprilis, in Ecclesia B. Jacobi, & ante Altare honorificè sepelitur: qui moriturus, Proceres, quos secum habebat, contestatur ut filia sua major Alienordis Ludovico Regi Francorum cum Ducatu Aquitaniæ Uxor tradatur, quam Ludovicus prædictus præsentibus optimatibus Regni sui sibi in conjugium jungit, nuptiis quamsolempnibus celebratis. Cujus Pater Ludovicus Parisiis moritur infra mensem, & in Ecclesia Beati Dionysii ante corpus ipsius Martyris sepelitur Kalendis Augusti anno Regni sui XXVIII. Anno verò Domini MCXXXVII.

Florebat hoc tempore Comes Campaniæ Theobaldus pater orphanorum, dux viduarum, cæcorum oculus, pes claudorum, in sustentandis pauperibus singulariter munificus, in extruendis Monasteriis, & erga Religiosos quosque incomparabilis largitate, quem Dominus magnificavit, & dilatavit in nobilissima prole: Genuit enim Henricum Comitem, Theobaldum Comitem, Stephanum Comitem, Guillelmum Archiepiscopum Remensem, filias etiam plures, quarum ultimam, Adelam nomine, Ludovicus Rex Francorum piissimus postmodum uxorem accepit sicut ex sequentibus apparebit, ex qua genuit Philippum Regni successorem. Florebat & Guillelmus Comes Nivenensis vir justitia, & honestate insignis, cujus postmodum devotio mira emicuit, dum de potente Principe sæculi factus est in Cartusia humilimus pauper Christi.

Per idem tempus Sanctus Malachias Archiepiscopus clarebat in Ibernia virtutis formâ, & totius perfectionis exemplar. Qui inter cætera virtutum suarum insignia mortuum suscitavit, per quem in partibus Iberniæ reintegrata est fides, religio propagata. Clarebat Gibertus Portetanus Pictavorum Episcopus, Doctor & Magister nominatissimus, & scientiâ liberalium artium, & Divinarum Scripturarum exercitatus plurimùm, ac ferè incomparabiliter eruditus. Hic post magnum Ancellinum super Psalterium, & Epistolas Pauli, vitas Sanctorum conpactam sacris deliciis utilem edidit glosaturam. Anno Domini MCXXXVIII. Innocentius Papa II. confirmavit & privilegio communivit Abbatiam Beatæ Mariæ de Ardorello Cisterciensis Ordinis in Diœcesi Albiensi: primo Abbate tunc existente ibidem Fulcone: Pontificatus ipsius Innocentii anno IX. præfatamque confirmationem succedente tempore iteravit, & ampliori gratia communivit Alexander Papa III. anno Domini MCLXV. Pontificatus sui anno VI. In monte Pesulano hujus Monasterii fundatrix fuit devota Cæcilia nobilis Vicecomitissa Bituriensis, quæ ibidem juxta ostili Ecclesiæ condita requiescit. Sequentes versus super lapidem sui tumuli sunt inscripti.

Omnis qui nescit discat quoniam requiescit
Hoc in Sarchophago Cæcilia vera virago
Ista Monasterium fecit reliquisque domorum
Culta vel inculta dans fratribus hæc bona multa.
Ergo præsentes orent, pariterque sequentes
Hic pro defuncta quibus hæc sunt præstita cuncta.

Anno Domini MCXXXIX. Joannes de temporibus obit, qui annis CCCLXI. vixerat à tempore Karoli Magni, cujus armiger fuerat anno Domini MCXL. Hugo Canonicus Sancti Victoris Parisius religione & literarum scientia clarus, & in septem liberalium artium peritia sui temporis nullis secundus obiit. Qui etiam tanta ingenii vivacitate, & spiritus subtilitate emicuit, ut suo tempore vix habuerit parem. Eodem tempore, eodemque Cœnobio Ricardus vir scientia & religione insignis claruit, qui de Trinitate subtilissimè disputavit.

Eodem tempore fit conventus Senonis, præsente Ludovico Episcoporum & Abbatum contra Petrum Abelardum. Qui quadam prophana verborum, vel sensuum novitate Ecclesiam scandalizabat. Qui interpellatus ab eis cùm esset, responsum, de justitia veritus ad audientiam Sedis Apostolicæ appellans evadit. Et non multò post Cabilloni apud Sanctum Marcellum obit.

Hic Innocentius Papa Concilio in Laterano solempniter celebrato infirmatur & moritur, & in Lateranensi Ecclesia in concha porphyretica sepelitur anno Domini MCXLIV. In quadam verò Chronica scribitur MCXLV. sed primum melius est tenendum.

VITA EJUSDEM

INNOCENTII PAPÆ II.

EX CARDINALI ARAGONIO.

De Innocentio Papa II. qui cœpit anno Domini MCXXX.

INnocentius II., natione Romanus, de regione Transtiberina, ex patre Johanne, qui & Gregorius, Diaconus Cardinalis (1) Sancti Angeli, sedit annis XIII. mensibus VII. diebus VIII. Hic eadem die sub contentione electus est cum Petro Petri Leonis Presbytero Cardinali titulo Sancti Callixti, anno MCXXX. XVI. Kalendas Martii, unde magna in Urbe discordia orta, Episcopi, & Cardinales se in partes duas contulerunt. Sed melior (2) & sanior pars eidem Innocentio, qui majoribus studiis & meritis juvabatur, adhæsit. Omnes enim subscripti cum ipso constanter steterunt, Guilielmus Prænestinus, Matthæus Albanensis. Johannes Ostiensis, & Conradus Sabinensis, Episcopi. Petrus quoque Sancti Martini, Johannes Cremensis Sancti Chrysogoni, Hubertus Sancti Clementis, Anselmus Sancti Laurentii in Lucina, Jozelinus Sanctæ Cæciliæ, Gerhardus Sanctæ Crucis, & Petrus Sanctæ Anastasiæ, Presbyteri Cardinales. Romanus Sanctæ Mariæ in Porticu; Gregorius Sanctorum Sergii, & Bacchi; Aimericus Sanctæ Mariæ novæ, Apostolicæ Sedis Cancellarius; Albertus Sancti Theodori; & Guido Sanctæ Mariæ in via lata, Diaconi Cardinales. Tres verò ex illis, qui adversæ parti adhæserant, videlicet Desiderius Sanctæ Praxedis, Liutifredus (3) Sancti Vitalis, & R. Sanctæ Sabinæ, ad Papam Innocentium sunt conversi. Petrus autem Petri Leonis cum sectatoribus suis humilitatem Innocentii parvipendens, non posuit Deum adjutorem sibi, sed sperans in multitudine divitiarum, in potentia parentum, & in fortitudine munitionum, hostiliter fecit aggredi domos Fragepanum, in quibus se Innocentius cum fratribus suis receperat. Sed contra spem sibi accidit; quia & Inno-

(1) A. & M. titulo Sancti Angeli &c.
(2) A. & M. major &c.
(3) M. Luccifredus. A. Luccafredus.

Digitized by Google

Innocentii partem modicum læsit, & ejus satellites non sinè gravi damno sunt ad eum reversi. Unde in indignationem, & iram commotus ad Sanctum Petrum cum multitudine maxima equitavit, & ipsam cepit Ecclesiam per violentiam. Introivit etiam in Sanctuarium, & aureum Crucifixum, pendentesque coronas cum toto thesauro auri & argenti, ac pretiosis lapidibus, seu gemmis, quæ Romani Pontifices, & Orthodoxi Imperatores in Ecclesia ipsa cum omni devotione obtulerant, tamquam sacrilegus prædo diripuit, atque comminuit (4). Ciburium quoque, quod super Altare Beatus Leo Papa construxerat, decrustare præsumpsit. Sublatis autem omnibus ad Patriarchium Beatæ Mariæ (5) accessit, & Ecclesiam ipsam multo majore thesauro ditatam expoliare nihilominus attemptavit. Ad alias præterea Urbis Ecclesias manus extendens, quidquid in eis pretiosum invenit, similiter rapuit, & asportavit. Talibus ergo, ac tantis mercibus undique (6) ditatus, majorem venalis Urbis partem emere studuit, corrumpens majores, & minores opprimens. Vulgus etiam ita sibi adstrinxit, ut præter Frangepanum, & Cursorum munitiones Papa Innocentius nullum in Urbe subsidium haberet. Cùm igitur Pontifex ipse undique ita esset obsessus, ut nemo ad ejus præsentiam sinè periculo vitæ posset accedere, consilium habuit exeundi Urbe, & transeundi ad partes Galliarum. Ascendit ergo in duabus galeis cum omnibus fratribus, qui secum steterant, præter Conradum Sabinensem Episcopum, quem Vicarium in Urbe reliquit; & faucium Tiberis difficultate transcensa ad civitatem Pisanam cum prosperitate Domino auctore pervênit. Ibique aliquamdiu moram faciens, de gravi guerra, quæ inter Pisanos, & Januenses agitabatur, firmam treguam Domino cooperante composuit. Quibus ritè peractis iterum mare intravit, & per Januam transiens, apud Sanctum Ægidium prosperè applicavit. Procedens autem per Vivarium, & Anicium, Alverniæ fines intravit, & apud Claromontem primum Concilium solemniter celebravit; ibique receptis nuntiis Lotharii Theotonici Regis, & dispositis aliis, quæ ad Ecclesiæ statum spectare videbantur, iter suum versùs partes Franciæ direxit. Unde factum est, quòd Ludovicus Rex Francorum apud Aurelianum, & Henricus Rex Anglorum apud Carnotum eumdem Papam Innocentium cum gloria, & honore debito susceperunt. Postmodum verò in Lotharingiam transitum fecit, & ei apud Leodium prædictus Rex Lotharius cum Episcopis, & aliis Regni Theotonici Prælatis occurrit: ibique post jucundam receptionem ipsius Pontificis Rex ipse cum Principibus suis consilio habito expeditionem ad Urbem jurare fecit, & eumdem Pontificem in secundo anno ad Sedem Beati Petri reducere spopondit. Tunc Pontifex ad Regnum Franciæ rediit, & generali Concilio de quinque Regnis convocato Remis, mediante Quadragesima secundam Synodum celebravit. Quibus expletis ad Urbis reditum se accinxit, & transiens per Sanctum Ægidium, & per Montem Januæ, fines Lombardiæ intravit, atque apud Astam solemnitate Resurrectionis Dominicæ celebrata venit Placentiam, ibique congregatis Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, tam de Lombardia, quàm de Ravennatensi Provincia, & inferioris Marchiæ partibus, tertium Concilium celebravit.

Interea Rex Lotharius, sicut promiserat, in Lombardiam cum exercitu venit, & in Roncaliis cum eodem Papa, & Lombardis generale colloquium de statu Ecclesiæ, atque Imperii habuit. Præcessit igitur Regem Pontifex, & per montem Burdonis in Tusciam transiens, reversus est Pisas, ubi convocatis Januensibus, & receptis ab utraque civitate sufficientibus juramentis, quòd de guerra, quæ inter ipsas Civitates excitatur, suo deberent stare sinè contradictione mandato, præcepit utrisque, ut pacem de cætero inter se firmam tenerent, & custodirent. Attendens ergo Beatus Pontifex filialem devotionem, & plurima opportuna obsequia, quæ in multis Ecclesiæ necessitatibus prædictæ Civitates Romanis Pontificibus gratis exhibuerant, & eas honorare dignum duxit, & speciali prærogativa exaltare. De consueta igitur Apostolicæ Sedis liberalitate Primatum Ecclesiæ Pisanæ concessit super Sardiniæ Insulam, subjiciens ei Populoniensem Episcopum, & tres alios Episcopos in Insula Corsicæ, Aleriensem videlicet, Anetensem.......... Januensem verò Episcopum à subjectione Mediolanensis Archiepiscopi emancipavit, & specialem de novo Apostolicæ Sedis Metropolitanum constituit, cui Bobiensem Episcopum, & Pruniacensem Abbatem, quem creavit Episcopum, obedire præcepit. In eadem quoque Insula Corsicæ tres Episcopos nihilominus ei concessit.

Porrò dum hæc agerentur, Rex Lotharius in Tusciam venit, & apud Calcinariam in territorio Pisano cum eodem Papa colloquium iterum habuit. Concordantes igitur, ut ad Urbem festinare deberent, Rex per stratam publicam, & Pontifex per maritimam, usque Viterbium processerunt. Itaque pariter colloquentes processerunt insimul per Ortam, & Sabinense, & Farsense territorium; & appropinquantes Romæ juxta Ecclesiam Sanctæ Agnetis castrametati sunt. Occurrentibus autem eis Theobaldo Urbis Præfecto, ac Petro Latronis, cum aliis nobilibus Romanis, & Transtiberinis, intraverunt Romam Anno Domini MCXXXIV. Et Pontifex quidem in Palatio Lateranensi hospitatur, & Rex Lotharius in Monte Aventino tentoria fixit. Tunc Pisani, & Januenses in auxilium Papæ Innocentii cum navali exercitu Romam venientes, Civitatem veterem, Turrim de Pulverejo, & totam Marmoratam eidem Pontifici subjugarunt. Coronatus est autem idem Rex in Imperatorem Augustum ab eodem Pontifice in Ecclesia Lateranensi II. Nonas Junii; & exinde ad Montem Aventinum utrinque cum gaudio pariter redierunt. Eo autem tempore maxima pars Romanæ Urbis conversa est ad Innocentium Papam, & vires Petri Leonis valde sunt minutæ. Quia verò æstivum chauma tunc imminebat, & Romani aëris intemperiem Theutonici non modicè formidabant, dispositis in Urbe iis, quæ necessaria videbantur fidelibus ejusdem Pontificis, Imperator ad propria rediit, & Pontifex iterum ad Civitatem Pisanam auctore Domino remeavit. Eo autem anno in majori Ecclesia Pisana, convocatis omnibus Ecclesiarum Prælatis de Hispania, Guasconia, Anglia, Francia, Burgundia, Alamannia, Hungaria, Lombardia, & Tuscia, quartum Concilium celebravit. In quo inter cætera isti Episcopi, qui inferiùs adnotantur, fuerunt depositi. Eustachius, Valentinus, Auraficensis, Petrus Terdonensis, Hubertus Lucanus, Bergomensis, & Boianus Aretinus. Et

(4) M. minuit.
(5) M. *legit in margine eodem charactere scriptum* vult dicere Ecclesiam B. M. de Urbe.
(6) A. iniquè.

Digitized by Google

Et quoniam Rogerius Siciliæ Comes contra unitatem Catholicæ Ecclesiæ se erexerat, & Petrum Hæresiarcham in errore suo fovebat, & defensabat, Christianissimus Imperator Lotharius zelo Dei, & Fidei accensus, tamquam Catholicus Ecclesiæ Advocatus vires Imperii denuo excitavit, & ad exheredandum, & de toto Imperio expellendum ipsum Comitem attemptavit. Unde factum est, quòd in quinto anno Pontificatus ipsius Innocentii unà cum ipso Pontifice Aquilæ fines potenter intravit. Pisani quoque ad expulsionem ipsius Comitis vires suas in auxilium ejusdem Pontificis excitarunt, & præparato in galeis, & aliis navibus magno exercitu venerunt usque Salernum, exspoliantes Amalfiam, & Rivellum cum aliis circumpositis munitis castris. Obsesso itaque Barolo, ac devicto, & subjugatis cæteris Apuliæ civitatibus, prædictus Rogerius Comes in Siciliam fecit confugium; & Imperator simul ac Pontifex Comitem Raïnonem constituerunt Ducem Apuliæ. Tanto igitur triumpho, suffragantibus Beati Petri meritis, habito, Imperator ad Alamanniam, & Pontifex ad Urbem cum gloria redierunt. Post paucos autem dies Petrus Hæresiarcha in errore suo defunctus est, & occultè sepultus: cujus sectatores cùm tabescerent, & in se ipsis deficerent, ut honorabiliùs possent cum Innocentio Papa componere, unum ex suis idolis erexerunt, quem Romani Carnecorium (7) derisoriè appellarunt. Evolutis autem paucis diebus pœnitentiâ ducti ad pedes ejusdem Pontificis ipsum idolum adduxerunt, & ab Ecclesia misericorditer sunt recepti. Tunc universa Civitas conversa est ad Innocentium tamquam ad Pastorem, & Episcopum animarum suarum. Audita est vox lætitiæ in toto orbe, quia Deo auctore factum est unum ovile, & unus pastor: unde tanta pax per studium, & potentiam ipsius Papæ in eadem Urbe viguit, quanta non reminiscitur à longè retro temporibus extitisse. Eodem tempore, Anno videlicet Incarnationis MCXXXVIII. Pontificatus verò ipsius Domni Innocentii anno X. convocatis de omnibus partibus mundi Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis grande Concilium celebravit; in quo ultimo die inter cætera sunt hæc Capitula promulgata.

Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathemati subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.

Ad hæc ordinationes factas à Petro Leonis, & aliis Schismaticis, & Hæreticis evacuamus, & irritas esse censemus.

De valida fame, quæ fuit Romæ tempore Innocentii Papæ II.

Hujus verò temporibus in primo anno sui Pontificatus tam valida fames Romæ fuit, quòd frumenti sextarium quinque solidis denariorum Papiensium vendebatur. Hic Beatus Pontifex annuale beneficium centum videlicet librarum Papiensis monetæ Judicibus, & Advocatis Romanæ Urbis de Camera sua constituit, & eos hujusmodi juramentum exhibere ordinavit.

Juramentum, quod præstiterunt Advocati constituti à Papa Innocentio in Roma.

In nomine Domini Amen. Ego N. Advocatus juro, quòd ab hac hora in antea placita, vel negotia Romanorum, in quibus Advocatus ero, vel Patronus Romanorum malitiosè non impugnabo, vel defendam, sed pro scientia mihi à Deo præstita, secundùm constitutiones, ac leges, & bonos mores ea tractabo. Et postquam justitia de eisdem causis à me cognita fuerit, si requisitus fuero, Judicibus patefaciam, & eis in ipso judicio assensum meum adhibebo. Pretium exinde non suscipiam, nec per me, nec per submissam personam, nec suscipi permittam; & si susceptum fuerit, postquam scivero, infra quindecim dies illud reddi faciam. Et patrocinium meum alicui habenti causam, si ab eo rogatus fuero, malo studio non negabo; salvis beneficiis, quæ habemus ab Ecclesiis, vel aliis, & exceptis Enceniis valentibus duodecim denarios, quæ gratis, & sine exactione nobis offeruntur. Hæc omnia observabo bona fide, sinè fraude, & malo ingenio, quamdiu Papa Innocentius, vel successores sui centum libras, vel valens, denariorum Papiensium nobis Advocatis, & Judicibus annis singulis solvent.

Hic Beatus Pontifex Ecclesiam Beatæ Mariæ Dei Genitricis, titulo Callixti, totam innovavit, & construxit. Tectum Lateranensis Ecclesiæ, quod repentè ceciderat, magnis trabibus optimè resarcivit. In Ecclesia quoque Beati Pauli titulum, qui ruinam patiebatur, constructo super columnis marmoreis muro, firmissimè roboravit, & partem tecti ejusdem Ecclesiæ longissimis trabibus resarcivit. Præterea Ecclesiam Sancti Stephani in Cœlio monte præ nimia vetustate quassatam optimè reparavit. In Palatio Lateranensi duas Cameras à fundamento construxit, & totam Longuram finino (8) firmavit, atque alia multa famosa suis temporibus egit. Circa finem verò sui Pontificatus Populus Romanus novitatis amator sub velamento utilitatis Reipublicæ contra ipsius voluntatem in Capitolium Senatum erexit. Hic ordinationes fecit multas per Decembrem, & alios menses, Diaconos decem & octo, Presbyteros viginti, & Episcopos sexaginta duos per diversa loca. Defunctus est Romæ octavo Calendas Octobris, & in Ecclesia Lateranensi honorificè tumulatus in concha porphyretica, miro opere constructa.

VITA
COELESTINI PAPÆ II.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Coelestinus II. (1), natione Tuscus, de Castro Felicitatis. Cœpit Anno Domini MCXLIV. in quadam verò chronica dicitur MCXLIII. Sedit mensibus V. diebus XIII. Hic priùs dictus Guido Castellanus. Sepultus est in Laterano.

(7) A. Carnecornium.
(8) M. summo.
A. simuo.

VITA

COELESTINUS.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

(1) Coelestinus sedit mens. V. dies XIII. Hic natione Tuscus de Castro Felicitatis. Sepultus est in Laterano.

Digitized by Google

VITA EJUSDEM
COELESTINI PAPÆ II.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Cœlestino Papa II. qui cœpit Anno Domini MCXLIII.

COelestinus II., natione Tuſcus, patriâ de Caſtro Felicitatis, qui & Guido Presbyter Cardinalis titulo Sancti Marci, ſedit menſibus V. (1) diebus XIII. Hic fecit ordinationes per Decembrem menſem, Diaconos ſeptem, Presbyteros ſeptem, & Epiſcopos per diverſa loca. Defunctus eſt Romæ apud Palladium, octavo Idus Martii, in Eccleſia Lateranenſi tumulatus.

VITA
LUCII PAPÆ II.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

LUcius II. (1), natione Bononienſis, ex Patre Alberto. Cœpit Anno Domini MCXLIV. vel MCXLV. ſedit menſ. XI. dies IV. hic prius dictus eſt Gerardus, & ex Presbytero Cardinali & Cancellario factus eſt Papa.

Hic autem Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis totam illam Eccleſiam, & Clauſtrum à fundo renovavit. Hic ſepultus eſt in Eccleſia Lateranenſi. Mediante autem Sancto Bernardo ſimultas, quæ inter Regem Franciæ Ludovicum & Comitem Theobaldum incaluerat, ſopitur.

Anno Domini MCXLV. Ediſſa Meſopotamiæ civitas, in qua Corpora Apoſtolorum Thomæ & Thadeæ, quæ idolatriæ ſordibus, ex quo converſa fuit ad Chriſtum, nunquam fuit ſordidata, à Turchis obſeſſa, capitur.

VITA EJUSDEM
LUCII PAPÆ II.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Lucio Papa II. qui cœpit Anno Domini MCXLIV. (2)

LUcius II., natione de Æmilia, Bononienſis, ex patre Urſo, qui & Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Crucis, & Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, ſedit menſibus XI., diebus IV. Hic aſſumptus eſt à Domno Papa Honorio, & in titulum Sanctæ Crucis Cardinalis Presbyter ordinatus, quam nimirum Eccleſiam, ſicut bonus Paſtor, tam in ædificiis, quàm in poſſeſſionibus plurimum augmentavit, & divitem de pauperrima fecit. Fabricâ namque ipſius Eccleſiæ à ſummo uſque deorſum in melius reformatâ, & clauſtro cum omnibus officinis de novo ædificato, Canonicorum Regularium conventum ibidem Deo auctore conſtituit. Hic tamquam vir prudens & fortis, habito cum Eccleſiæ fidelibus conſilio, Senatores, qui contra prohibitionem prædeceſſoris ſui Papæ Innocentii Capitolium conſcendere, & Magiſterium ſibi uſurpare præſumpſerunt, & de Capitolio deſcendere, & Senatum abjurare coëgit. Sed repentina ægritudine occupatus, & nociva Eccleſiæ morte præventus, quoniam Populus Romanus eumdem Magiſtratum habere omnimode videbatur, abjuratio ipſa viribus caruit, & ignis, qui videbatur extinctus, denuo invaluit, (3) & in majores flammas, exigentibus culpis, excrevit. Hunc autem præclarum Virum pro ſcientiæ, ac vitæ ſuæ meritis Papa Innocentius arctiùs ſibi adſtrinxit, & Cancellarium Apoſtolicæ Sedis conſtituit, atque in obitu ſuo tamquam præcipuo, & digniori Eccleſiæ membro ſibi Eccleſiæ bona commiſit. Hic dedit Baſilicæ Sancti Salvatoris Eccleſiam Sancti Johannis ante Portam Latinam, cum omnibus capellis, & tenimentis ſuis. Dedit etiam eidem Eccleſiæ Eccleſiam Sancti Nicolai in hoſpitali cum omnibus tenimentis ſuis. Item textum Evangeliorum ex auro, & argento operosè factum; dedit etiam ampullas ad ſervitium Altaris optimas, & mirabiles. Hic fecit unam ordinationem per menſem Decembrem, Diaconos ...... Presbyteros .... & Epiſcopos per diverſa loca. Defunctus eſt autem apud Eccleſiam Sancti Gregorii in Clivo Scauri V. Kalendas Martii, & in Eccleſia Lateranenſi digno cum honore ſepultus.

VITA
EUGENII PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

EUgenius III. (1), natione Piſanus, à Cardinalibus eligitur ad Papatum apud Eccleſiam Sancti Cæſarii in Urbe Sancti Petri in Cathedra anno Domini MCXLV. ſedit annis VIII. menſibus IV. diebus XX. vacavit Sedes dies II.

Hic prius dictus eſt Bernardus Monachus Claræ vallis Ciſtercienſis Ordinis, Beati Bernardi diſcipulus, ac in ſancta converſatione filius. Hic

---

COELESTINUS.

(1) A. VIII.

LUCIUS.

Ex MS. Pandulphi Piſani.

(1) LUcius Bononienſis ex patre Alberto. Sedit menſibus XI. diebus IV. Sepultus eſt in Lateranenſi Eccleſia. Hic antea Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis totam illam Eccleſiam & clauſtra à fundamento renovavit.

(2) M. & A. MCXLIII.

(3) M. & A. incaluit.

EUGENIUS.

Ex MS. Pandulphi Piſani.

(1) EUgenius natione Piſanus. Sedit annis VIII. menſ. IV. dieb. XX. Hic obiit Tiburæ, & per mediam Urbem ferè cum totius Cleri & populi turba cum maximo luctu ad Eccleſiam Beati Petri deductus, contra Altare ſepultus eſt. Hic quum Abbas S. Anaſtaſii eſſet, ex inſperato apud Eccleſiam S. Cæſarii eſt electus à Cardinalibus, & propter metum Senatorum, qui contra voluntatem Prædeceſſorum fuerant electi à populo, ad Farfenſe Monaſterium ſe tranſtulit: ibique vocatus à Cardinalibus, & Prælatis munus Conſecrationis accepit. Hunc, quum ſimplex fuerit, Deus mirabili gratia perfudit & eloquentia. Huic redeunti ad Urbem Clerus & Populus Romanus cum magna lætitia occurrit, cantans: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hic à Rege Ludovico in Franciam vocatus, quum ipſum tranſmarina Cruce ſignaſſet, & Concilium Remis celebraſſet, rediit ad Urbem, ibique in Baſilica S. Petri juxta majus Altare ſepultus eſt.

Digitized by Google

Hic cùm esset Abbas Sancti Anastasii ex insperato à Cardinalibus eligitur ad Papatum, & propter metum Senatorum, qui contra voluntatem Prædecessoris sui à Populo fuerant electi ad Farfense Monasterium se transtulit, ibique convocatis Cardinalibus, & Prælatis munus consecrationis accepit.

Hunc, cùm ante simplex fuerit, Deus mirabili gratia & eloquentia perfudit. Contra hunc Romani Jordanem Senatorem & Patricium erigentes eum ab Urbe deturbant qui transalpinas venit in Gallias, ubi à Ludovico Rege est vocatus, cùm ipsum transmarina Cruce signasset, & Concilium remis celebrasset, rediit in Urbem. Cui redeunti Clerus & Populus Romanus cum magna lætitia occurrit cantans: *Benedictus qui venit in nomine Domini*.

Anno Domini MCXLVI. Rex Franciæ Ludovicus captæ à Turchis Mesopotamiæ compatiens zelo accensus afixo sibi apud Werzeliacum signo Crucis cum Principibus Regni, & multitudine innumerabili peregrinationem proponit agredi transmarinam.

Ecclesia Tornacensis, quæ per annos circiter DC. à tempore Beati Medardi sub Episcopo Noviomensi fuerat privata proprio Sacerdote. Hoc anno proprium Episcopum cœpit habere, Ancelino Abbate Sancti Vincentii Lugdunensis à Papa Eugenio consecrato, & eidem civitati in Episcopum destinato.

Per idem tempus in Alamaniæ partibus habebatur admirabilis virgo quædam nomine Helisabeth, cui tantam virtus Divina contulerat gratiam, ut cum laïca & illiterata esset, mirabiliter tamen à corpore rapta frequentiùs in somnis disceret, non solùm quod postea vigilans doceret. Sed potiùs, quod satis mirabile est & inauditum, scribendo latinè dictare, & dictando Catholicæ Fidei confiteret.

Anno Domini MCXLVII. Corrado Rege in Purificatione Beatæ Mariæ apud Franquemfort constitutus Sanctus Bernardus tam Regi, quàm cunctis ferè Principibus Crucis signum imponit, & socii peregrinationis super numerum multiplicantur. Navalis exercitus ex Anglia, Flandria, Lothoringiaque collectus, pridie Idus Aprilis de Cremundo portu Angliæ cum ducentis navibus profectus, IV. Kalendas Julii in vigilia Apostolorum, Ulixbonam applicuit, & eam, post IV. mensuum obsidionem per multas cædes & macerationem corporum, Dei virtute capiunt, & cùm de ipsis XIII. millia tantùm essent, hostium verò CC. millia & quingenti, eos superant & devincunt. Ingressique ipsam cum hympnis & canticis spiritualibus Ecclesiam dedicant Episcopum ibi & Clericos ordinantes. Et de occisis tres recuperaverunt usum loquendi. Conradus itaque Rex mense Majo cum innumerabili multitudine peregrinationem agressus, transacto prosperè Bosforo. Dum ad expugnandum Yconium inconsultè divertit, consumptisque terræ germinibus, & deficientibus victualibus cum suis fame afflictis rediit, & prosequentibus eos Turchis multos suorum amittit.

Rex autem Francorum Ludovicus, IV. Kalendas Julii in Penthecoste peregrinationem agressus cum infinitis & expeditis suorum militibus per Ungariam profectus transito Bosforio occursu Corradi Regis excipitur. Qui multis suorum ob inopiam repatriantibus, paucis comitantibus à Francis benignè acceptus cum eis aliquamdiu proficitur, sed ab Imperatore Græcorum à Tyacua evacuatus navibus ejus in Hierosolimas evehitur.

Anno Domini MCXLVIII. Franci per deserta Asiæ dolo, & astutia Græcorum qui calcem farinæ miscuerant, & crebro Turchorum insultu detrimenta maxima patientes fame nimia cruciati, quidam carnibus equorum & asinorum vescuntur. Sicque cum multo labore & dampno, multis fame pereuntibus vix tandem Seleuciam veniunt, & inde Antiochiam & Palestinam navigio petierunt.

Amedeus Comes Marianensis in Cypro Insula obiit. Hildefonsus verò Comes Sancti Ægidii apud Cæsaream Palestinæ, obsessa per triduum Damasco à Francis, Germanis, & Hierosolymitanis, captisque jam antiquioribus muris qui hortos cingebant cùm capienda in brevi civitas putaretur, dolo, ut ajunt, Principum Palestinæ obsidio removetur, factaque discensione Rex Francorum & Imperator interim die condicto ad obsidendum Ascalonem cum suis Joppe conveniunt; sed Sosolimitis juxta condictum minimè concurrentes.

Corradus Rex Constantinopolim navibus evehitur. Ludovicus verò Rex Francorum dum à Palestina navigans in propriam suam vellet redire, Græcorum naves incurrit, captusque ab eis Manueli Græcorum Imperatori Curfolium obsidenti deducitur præsentandus. Rogerius autem Rex Siciliæ exercitum navalem direxerat ad fines Affricæ. captaque insigni civitate quæ dicitur Affrica. Si ulla affax. Clippea, aliisque castris pluribus Archiepiscopum Affricæ, qui sub servitute Romam venerat consecrandus liberum ad sedem suam remittit.

Gregorius ita Dux prædictus navalis exercitus, spoliatis Græcorum Provinciis, ac vastatis usque ad ipsam Regiam urbem Constantinopolim accesserat, sagittasque aureas in palatium Imperatoris jecerat & succensis suburbibus de fructu hortorum Imperatoris tulerat violenter. Dum his viriliter peractis rediret, prædictas naves Græcorum incurrit, captumque Regem Ludovicum liberat, captis quos de Græcis habebat, obtentu capti Regis dimissis. Interim autem Manuel recepto in deditionem Curfolio per suos naves insequitur Siculorum, & captis nonnullis de eis, Rex Francorum fugâ labitur, & à Rege Rotgerio & Papa Eugenio honorificè suscipitur, atque deducitur.

Hoc anno Sanctus Malachias Hiberniarum Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus IIII. Nonas Novembris migravit ad Christum in Claravalle, loco scilicet & tempore & die, quam Propheticè designabat. Eodem tempore Henricus, Ludovici cognomento Grossi Regis Francorum filius, contempto mundi scemate, in Claravalle pro Christo habitu Monachali indutus provehitur ad Episcopatum Belvagicæ civitatis.

Gracianus Monachus Monasterii Sancti Felicis Bononiæ de Clusa civitate Tusciæ natus decretum composuit anno Domini MCL. sed dicit Hugutio. II. q. VI. c. forma.

Anno Domini MCLI. Princeps nobilis & religiosus, pauperumque pater Comes Theobaldus migrat ad Christum. Anno Domini MCLII. Corradus Rex Theutoniæ obiit, qui cum XV. annis regnaverit, benedictionem tamen Imperialem non habuit. Cui Fredericus I. Nepos ejus succedit. Rex Francorum Ludovicus zelotipiæ spiritu inflammatus jurata consanguinitate uxorem suam Helyonoram filiam quondam Guillelmi Comitis Pictaviæ, Ducisque Aquitaniæ repudiat, acceptâ aliâ filiâ Alfonsi Regis Hyspaniæ; tradunt tamen istud fecisse ex certa

Digitized by Google

certa scientia & de consilio & assensu Eugenii Papæ & Beati Bernardi, & Godofredi Lingonensis Episcopi; quam Helyonoram quamvis contra voluntatem Ludovici Regis Henricus Dux Normaniæ, postmodum verò Rex Angliæ duxit uxorem. Inter eos simultas non modica excandescit prætendente Henrico sibi cum uxore debere Aquitaniam, Pictaviam & Sanctoniam & Lemonicium cum Ducatu. Illustris Radulphus Comes Normannorum obiit.

Hic Eugenius Papa ab hac caligine migravit ad lucem Tybur, & inde per mediam Urbem ferè cum totius Cleri & Populi turba cum magno luctu ad Ecclesiam Beati Petri deductus circa Altare sepultus est anno Domini MCLIII. Eodem anno Beatus Bernardus Claravallensis Cœnobii primus Abbas, aliorumque ampliùs, quàm CLX. Monasteriorum prior, consumatis feliciter vitæ suæ diebus & annis circiter LXIII. expletis, XIII. Kalendas Septembris inter filiorum manus obdormivit in Christo, & ex illa sua Claravalle ascendit ad montem claritatis æternæ.

VITA EJUSDEM
EUGENII PAPÆ III.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Eugenio Papa III. qui cœpit anno Domini MCXLV.

EUgenius III., natione Tuscus, patriâ Pisanus, qui primò Bernardus Sancti Anastasii Abbas, sedit annis VIII. mensibus IV. diebus XX., & cessavit Episcopatus ejus diebus III. Hic electus est ab Episcopis, & Cardinalibus ex insperato concorditer apud Monasterium Sancti Cæsarii, ubi omnes fratres propter metum Senatorum, & Populi Romani consurgentis ad arma convenerant in unum. Et deductus ad Lateranum Patriarchium in Apostolica Sede secundùm morem Ecclesiæ positus est. Qui cùm proxima die Dominica consecrationis munus apud Beatum Petrum, sicut consuetudinis ordo poscebat, & dispositum fuerat, deberet suscipere, præcognito Senatorum perverso consilio, quòd ejus electionem violenter retractare disposuerant, nisi eorum voluntatem faceret, & usurpatum Senatum eis auctoritate Apostolica confirmaret, in silentio noctis Urbem cum paucis fratribus exiit, & ad arcem montis Cellii se in tuto recepit. Congregatis verò alia die ibidem cunctis fratribus, qui dispersi fuerant propter metum furentis populi, processit ad Farfense Monasterium cum domestica familia, & consecrationis gratiam in sequenti Dominica, & plenitudinem sui Apostolatus secundùm morem Ecclesiæ Domino auctore suscepit. Exiit ergo rumor iste, sicut vox lætitiæ ad omnes gentes, & de tam sancta promotione universa Ecclesia exultavit, dicens cum Psalmista: *Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*, quoniam ex insperato *exaltavit humilem, & sublimavit cornu Christi sui*. Dubitantibus autem cunctis fratribus suis, quòd ad regendum tantæ sublimitatis officium insufficiens esset, & minus idoneus, tantam ei repentè Dominus gratiam conferre dignatus est in scientia, & sermone, in facundia, & liberalitate, in conservanda cunctis justitia, & in omni morum elegantia, quòd multorum Prædecessorum suorum actus præclaros superaret, & famam. Senatores verò, & Populus Romanus in incœpta malitia, & consueta pravitate contumaciter persistentes eidem Pontifici, postpositâ Dei reverentiâ, in cunctis adversabantur, & fideles Ecclesiæ infra Urbem, & extra, multis ac variis molestiis affligebant; Civitates, & Castra Beati Petri assiduis rapinis, & gravibus guerris persequi non cessabant, abutentes patientia, & mansuetudine pii Patris, & boni eorum Pastoris. Sed quoniam nec blandis verbis, nec paternis exhortationibus, nec asperis minis eumdem Populum revocare à sua pravitate ullatenus potuit, addidit verbera verbis, juxta illud Salomonis dictum: *Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virgâ eum percuties, & animam ejus de inferno liberabis*. Indeque *flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium*. Sed quia plerumque invitis & renitentibus bona præstantur, per fideles intra Urbem, & extra, Populum ipsum adeò districtè coëgit, quòd eum Pastorem proprium, & animarum suarum Episcopum recognosceret, & ad concordiam & pacem ejus cum omni devotione rediret. Factum est igitur Deo auctore gaudium magnum in tota Urbe, & inoptato ingressu ipsius Pontificis occurrit ei maxima & frequens Populi multitudo cum ramis, & ad ejus vestigia continuè corruentes post pedum oscula elevabantur ad oris oscula. Præcedebant Signiferi cum bannis (1), sequebantur Scriniarii, & Judices. Judæi quoque non deerant tantæ lætitiæ, portantes in humeris suis legem Mosaïcam. Universus etiam Romanus Clerus psallebat in unum, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Sic itaque cum magno populorum gaudio & clamore idem Pontifex Lateranense Palatium conscendere meruit. Hic tempore, quo maxima de partibus Occidentis expeditio Hierosolymam petiit, vocatus à Ludovico Rege Francorum, Galliarum partes intravit, & veniens ad Sanctum Dionysium, ubi eum Rex cum Episcopis, & Baronibus suis debita veneratione suscepit, signum Dominicæ Crucis eidem Regi Domino auctore imposuit, ad cujus utique preces ipsum Regnum in manu, & potestate sua recepit. Et postmodum apud Remorum Metropolim generale Concilium mediante Quadragesima celebravit. Quibus ritè peractis ad urbem suam, & commissum sibi Populum ductore Domino incolumis remeavit. Hic fecit unum Palatium apud Sanctum Petrum, & Signiæ alterum, & recuperavit Terracinam, Secium, Normam, & Arcem Fumonis, quæ à dominio Beati Petri jamdiu alienata fuerant. Hic fecit ordinationes per mensem Decembrem, Diaconos decem, Presbyteros undecim, & Episcopos sexagintaunum. Defunctus est apud Tiburtium VIII. Idus Julii; & inde per stratam publicam, & mediam Urbem usque in Viaticum cum totius ferè Cleri, & Populi Romani frequentissima turba, maximo luctu, & communi atque immensa tristitia deportatus est, & in ipsa Beati Petri Ecclesia coram majori Altari tumulatus.

VITA

(1) A. bandis.

VITA
ANASTASII PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

ANastasius IV. (1), natione Romanus, ex patre Benedicto. Cœpit Anno Domini MCLIII. sedit anno uno, mensibus IV. diebus XXIV. vacavit Sedes diebus XX. Hic fecit apud Sanctam Mariam Rotundam novum palacium. Hic dedit Lateranensi Ecclesiæ calicem pulchri operis pensantem XX. marchas.

Interea magistros Franciæ optimatissimi & clari habentur Petrus Lumbardus; Odo Suessionensis, Ivo Carnotensis quondam discipulus Giliberti, quorum Petrus insigne volumem sententiarum edidit veterum doctorum libris diversis distinctum, & auctoribus communitum.

Hic etiam glosaturam super psalterium, & Epistolas Pauli ab Anselmo per glosulas interlineantes, marginalesque distinctam post à Giliberto continuativè productam latiùs apertiùsque explicavit. Rex Francorum Ludovicus cum nimio exercitu fines ingreditur Normanniæ, Castrumque unum in deditionem recipit. Interim Henricus Dux Normanniæ in Angliam contra Regem Stephanum fortiter agens, tandem ibi cum eo pacem faciens tali videlicet pacto, ut vivente Rege post eum in Anglia sit secundus: mortuo verò ei succedat in Regno. Anno Domini MCLIV. Princeps utilis & strenuus, & actibus clarus Rotgerius Rex Siciliæ post insignes de Sarracenis victorias, & terras eorum occupatas, obiit, nec inferiorem se filium Guillelmum Regni victoriarumque successorem reliquit.

Rex Francorum Ludovicus Henricum Ducem Normanniæ ad pacem recipit, qui Henricus infra paucos dies, mortuo Stephano Rege Anglorum sine liberis, Angliam intrat & Regni integritate potiùs pacem antiquam reformat.

Anastasius moritur, & in Ecclesia Lateranensi in tumba porphyretica tumulatur.

VITA EJUSDEM
ANASTASII PAPÆ IV.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Anastasio Papa IV. qui cœpit anno Domini MCLIII.

ANastasius IV., natione Romanus, de regione Subura, ex Patre ...., qui Conradus,

A Sabinensis Episcopus sedit anno I. mensibus V. diebus XXIV. Hic fecit apud Sanctam Mariam Rotundam novum palatium. Hic dedit Ecclesiæ Lateranensi Ecclesiam Sancti Gregorii in Martio, cum palatio, cum omnibus domibus, tam sub palatio, quàm juxta palatium, & cum omnibus tenimentis ejus, & pertinentiis. Dedit eidem Basilicæ calicem argenteum cum patena operosè factum, pensantes marcas quadraginta, thuribulum argenteum pensans marcas septem, candelabra argentea pensantia novem, optimam planetam albam, cum auri frisio mirabili, & pallia diversa, & plurima ad ornatum Altaris, & Ecclesiæ. Obiit Romæ IV. Nonas Decembris. Tumulatus est autem Laterani in ipsa Sancti Salvatoris Ecclesia in B porphyretico pretioso sepulchro.

VITA
ADRIANI PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

ADrianus IV. (1) natione Anglicus. Cœpit anno Domini MCLIV. Sedit annis IV. mensibus IX. diebus XVIII. Vacavit Sedes dies XVIII.

Hic priùs dictus est Nicholaus, fuitque primò ut pauper Clericus, sive Clericus pauperculus C in Ecclesia Beati Jacobi in Melgorio Magolonensis Dyœcesis enutritus; tandem sic frater & post Abbas Sancti Ruffi prope Valentiam. Indeque de Abbate factus est Cardinalis Episcopus Albanensis, & missus Legatus in Norvegiam pro prædicatione verbi Dei gentem barbaram in lege Divina diligenter instruxit. Post reditum verò à Legatione sua, defuncto Anastasio, in Papam est electus.

Hic Guillelmum Regem Siciliæ tanquam rebellem sibi excommunicavit. Qui postmodum absolutus homagium Domno Papæ faciens terram ab ipso Papa suscepit.

Hic primus Papa dicitur fuisse, qui in Urbe veteri cum curia sua moram traxit. Hic castrum, & multas possessiones circa lacum Sanctæ Cristinæ à comitibus comparavit.

D Hic Fredericum primum Romæ in Ecclesia Sancti Petri Imperiali diademate coronavit. Hoc anno Ludovicus Rex Francorum, filiam Imperatoris Hyspaniæ fœminam morum honestate præcipuam accepit in conjugem apud Aurelianis; itaque nuptiis quàm solempniter celebratis ab Hugone Senonense Archiepiscopo inungitur in Reginam.

Helisabeth Sanctimonialis in Cœnobio Conaugiensi Diœcesis Treverensis claret: Huic ostensa est assumptio Sanctæ Mariæ Virginis per hunc modum. Anno

---

ANASTASIUS.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

(1) ANastasius natione Romanus ex patre Benedicto sedit annis I. mensibus IV. diebus XXVIII. & cessavit Episcopatus XX. dies. Fecit apud Sanctam Mariam Rotundam novum palatium. Hic dedit Ecclesiæ Lateranensi calicem pulchri operis ponderantem viginti marchas, & plura alia; & ibidem in tumba porphyretica sepultus est.

ADRIANUS.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

(1) ADrianus natione Anglicus. Sedit annis IV. mens. IX. dieb. XXVIII. & cessavit Epi- E scopatus diebus XX. Sepultus est in Vaticano in Basilica B. Petri juxta sepulchrum Eugenii Papæ. Hic primùm Episcopus Albanensis in Novergiam est missus pro verbi Dei prædicatione; ipse verò gentem illam barbaram in lege Divina diligenter instruxit, post reditum, defuncto Anastasio, est in Papam electus. Hic propter vulnerationem unius Cardinalis totam Urbem, usque ad condignam satisfactionem, posuit sub interdicto. Hic Guillelmum Regem Siciliæ tanquam rebellem excommunicavit, qui post absolutus homagium Domno Papæ faciens, terram ab ipso suscepit. Hic primus dicitur Papa fuisse, qui in Urbe-veteri cum curia sua moram traxit. Hic fecit gyronem (*) in radicophano, & turribus munivit. Hic castrum & multas possessiones circa lacum Sanctæ Cristinæ à Comitibus comparavit.

(*) *Id est* ambitum murorum. *Papebroc.*

Digitized by Google

Anno Domini MCLVII. in die assumptionis ipsius Dominæ vidit in loco valde remoto sepulchrum quoddam multo lumine circumfulsum, & quasi speciem mulieris in eo, quod circumstabat magna multitudo Angelorum, & erecta est mulier de sepulchro, pariter in sublime cum illa multitudine elevata est. Et ecce in occursum ejus de altitudine cœlorum venit vir super omnem æstimationem gloriosus portans in dextra signum crucis, & in signo vexillum, quem intellexit Dominum Salvatorem, & infinita millia Angelorum cum eo, quam alacriter suscipiens cum magno concentu in superna cœlorum evexit, & post modicum progressa est Domina nostra ad ostium luminis, in quo eam ipsam Helysabeth videre consueverat, & stans ostendit ei gloriam suam. Et dixit Angelo qui sibi hoc ostendebat: Domine mi quid sibi vult hæc visio? Et dixit: Ostensum est tibi quomodo Domina nostra tam carne, quàm spiritu sit assumpta. Octava autem die quæsivit ab illo Angelo quoto die à die dormitionis suæ corporalis resurrectio ejus, & dixit: quoniam in eodem die quo nunc celebratur assumptio ejus de hac vita migravit, XL. autem die post, videlicet IX. Kalendas Octobris resurrexit. Post duos autem annos apparuit iterum Beata Virgo Maria ex more, quam inter multa interrogavit dicens: Domina mea quanto tempore post assumptionem Salvatoris vixisti? Et ait: post assumptionem ejus permansi in vita mortali anno integro, & tot diebus quot sunt ab Ascensione ipsius usque ad assumptionem meam. Item quæsivit nunquid affuerunt Apostoli sepulturæ tuæ? Et ait: ita & cum magna veneratione corpus meum terræ commendaverunt. Item cum Festum Annuntiationis eadem Helisabeth celebraret. Ostendit se Beata Virgo Maria. Et quæsivit ab ea cujus ætatis essent, quoniam Verbum Dei in sua virginali aula concepisset: XV., inquit, annos habebam, & insuper tantum temporis, quantum est à nativitate mea usque ad Annunciationem ipsius verbi.

Ista sanctimonialis vidit hæc, & alia multa plura digna relata.

Adrianus Papa obiit pridie Kalendas Septembris, sepultusque est in Vaticano Sancti Petri, juxta sepulchrum Eugenii Papæ Anno Domini MCLIX. Quo mortuo facta est in Ecclesia Romana turbatio magna. Cardinales namque ad invicem divisi duos sibi Pontifices elegerunt Ricardum Cancellarium, qui Papa Alexander dictus est, & Octavianum gravi Schismate Dei Ecclesiam disrumpentes; unde Proceres regionum turbati, quidam uni, quidam alteri adhæserunt. Imperator siquidem Romanorum Fredericus cum Episcopis Octaviano, qui sibi faventibus Papa Victor acclamatus est. Cessit Rex verò Francorum Ludovicus & Rex Angliæ Henricus cum suis Alexandrum in Papam, & in Dominum susceperunt. Fredericus autem primus Imperator XIX. annis in tali Schismate perseveravit.

VITA EJUSDEM
ADRIANI PAPÆ III.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Adriano Papa III. qui cœpit anno Domini MCLIV.

ADrianus III., natione Anglicus, de Castro Sancti Albani, qui Nicolaus Albanensis Episcopus, sedit annis IV., mensibus VIII., diebus VI. Hic namque pubertatis suæ tempore, ut in literarum studiis proficeret, egrediens de terra, & de cognatione sua pervênit Arelatem, ubi dum in scholis vacaret, à Domino factum est, ut ad Ecclesiam Beati Ruffi accederet, & in ea religionis habitum, facta canonica professione, susciperet. Proficiscens ergo Deo auctore de bono semper in melius, Prioratum in ipsa domo priùs obtinuit, & postmodum ad Abbatiæ apicem de communi voluntate fratrum conscendit. Accidit autem, ut pro incumbentibus Ecclesiæ sibi commissæ negotiis ad Apostolicam Sedem veniret, & peractis omnibus causis, pro quibus venerat, cùm redire ad propria vellet, beatæ memoriæ Papa Eugenius eum secum retinuit, & de communi fratrum suorum consilio in Albanensem Episcopum consecravit. Procesśu verò modici temporis cognita ipsius honestate, ac prudentia, de latere suo eum ad partes Norvegiæ Legatum Sedis Apostolicæ destinavit, quatenus verbum vitæ in ipsa Provincia prædicaret, & ad faciendum Omnipotenti Deo animarum lucrum studeret. Ipse verò tamquam minister Christi, & fidelis, ac prudens dispensator mysteriorum Dei, gentem illam barbaram & rudem in lege Christiana diligenter instruxit, & Ecclesiasticis eruditionibus informavit. Divina itaque dispensatione Apostolatus sui diem præveniens, defuncto Papa Eugenio, & Anastasio in loco ejus ordinato, ad Matrem suam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam ductore Domino remeavit, relinquens pacem Regnis, legem barbaris, quietem Monasteriis, Ecclesiis ordinem, Clericis disciplinam, & Deo populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Transeunte autem modico temporis intervallo obiit Anastasius Papa, & in secunda die convenientibus in unum pro eligendo sibi Pastore cunctis Episcopis, & Cardinalibus apud Ecclesiam Beati Petri, non sinè divini dispositione consilii factum est, ut in ejus personam unanimiter concordarent, & Papam Adrianum electum (1) tam Clerici, quàm Laïci pariter conclamantes, eum invitum, & renitentem in Sede Beati Petri inthronizarunt Deo auctore, Dominicæ Incarnationis anno MCLIV. Indictione III. Erat enim vir valde benignus, mitis, & patiens, in Anglica, & Latina Lingua peritus, in sermone facundus, in eloquentia politus, in cantilena præcipuus, & prædicator egregius, ad irascendum tardus, ad ignoscendum velox, hilaris dator, in eleemosynis largus, & in omni morum compositione præclarus.

In diebus illis Arnaldus Brixiensis Hæreticus Urbem intrare præsumpserat, & erroris sui venena disseminans, mentes simplicium à via veritatis subvertere conabatur. Pro cujus expulsione supradicti Eugenius, & Anastasius Romani

(1) M. à Deo electum.

mani Pontifices plurimùm jam laboraverunt, sed favore & potentia quorumdam perversorum Civium, & maximè Senatorum, qui tunc ad regimen Civitatis à Populo fuerant instituti, antedictus Hæreticus munitus & tutus, contra prohibitionem Adriani Papæ in eadem Civitate procaciter morabatur, & sibi, ac fratribus suis insidiari cœperat, & publicè, atque atrociter adversari. Venerabilem namque virum magistrum D.... Presbyterum Cardinalem titulo Sanctæ Potentianæ ad præsentiam ipsius Pontificis euntem quidam ex ipsis Hæreticis ausu nefario in via sacra invadere præsumpserunt, & ad interitum vulneraverunt. Quapropter Pontifex ipse civitatem Romanam interdicto supposuit, & usque ad quartam Feriam majoris hebdomadæ universa Civitas à Divinis cessavit Officiis. Tunc verò prædicti Senatores compulsi à Clero, & Populo Romano, accesserunt ad præsentiam ejusdem Pontificis, & ad ipsius mandatum super Sancta Dei Evangelia juraverunt, quòd sæpe dictum Hæreticum, & reliquos ipsius sectatores de tota urbe Romana, & ejus finibus sinè mora expellerent, nisi ad mandatum & obedientiam ipsius Papæ redirent. Sic itaque ipsis ejectis, & Civitate ab interdicto absoluta, repleti sunt omnes gaudio magno, laudantes pariter, & benedicentes Dominum. In crastinum autem, videlicet die Cœnæ Domini concurrente undique de mora ad annuæ remissionis gratiam, & gloriosam Festivitatem maxima Populorum multitudine, idem benignus Pontifex cum fratribus suis Episcopis, & Cardinalibus, atque immensa Procerum, & Civium turba, de Civitate Leoniana, ubi à tempore ordinationis suæ fuerat commoratus, cum honorificentia magna exivit, & transiens per mediam Urbem, universo sibi Populo congaudente, ad Lateranense Patriarchium cum jucunditate pervenit: ibique die ipso, & sequente sexta Feria, & Sabbato Sancto, Pascha quoque, ac secundâ, tertiâ, & quartâ Feriâ Divina Mysteria solemniter celebravit, atque in Lateranensi Palatio secundùm Ecclesiæ antiquam consuetudinem Pascha cum discipulis suis festivè comêdit. Celebrato itaque cum lætitia Festo, singuli ad propria cum gaudio redierunt.

Eodem tempore Wilhelmus Rex Siciliæ contra Matrem, ac dominam suam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam procaciter cornua erexit, & congregato exercitu terram Beati Petri hostiliter fecit invadi: Beneventanam itaque civitatem aliquamdiu exercitus ejus obsedit, & Burgos ejus incendit. Deinde fines Campaniæ violenter ingrediens villam Ceperam, (2) & Castrum Babucum (3) atque alia immunita loca nihilominus concremavit. Pro iis ergo, & aliis offensis prædictus Adrianus Papa, Petri gladium exerens, (4) ipsum Regem excommunicationis gladio percussit. Interea Fridericus Teutonicorum Rex cum magno exercitu Lombardiam intravit, & civitatem Terdonam diu obsedit, qua devicta, & sibi subacta, celeriter properabat ad Urbem in tanta festinantia, ut meritò credi posset magis hostis accedere, quàm patronus. Hoc igitur cognito, Adrianus Papa, qui eo tempore apud Viterbium residebat, deliberato cum Fratribus suis, & Petro Urbis Præfecto, atque Oddone Frangepane (5) consilio, misit ei obviam Johannem titulo Sanctorum Johannis, & Pauli, & G. titulo Sanctæ Pudentianæ Presbyteros, atque G. Diaconum Sanctæ Mariæ in Porticu, Cardinales, quibus & cætera capitula dedit, ac modum, & formam præfixit, qualiter cum ipso pro Ecclesia deberent componere. Qui accepto mandato cum festinantia proficiscentes eum apud Sanctum Quiricum invenerunt, & accedentes ad ipsum honorificè recepti sunt, & in tentorium deducti. Post salutationem verò literas ei Apostolicas porrexerunt, & Domni Papæ exposuerunt mandatum. In quibus continebatur inter cætera, ut redderet eisdem Cardinalibus Arnaldum (6) Hæreticum, quem Vicecomites de Campania abstulerant Magistro, O. Diacono Sancti Nicolai apud Briculas (7) ubi eum ceperat, quem tamquam Prophetam in terra sua cum honore habebant. Rex verò auditis Domini Papæ mandatis continuò missis apparitoribus cepit unum de Vicecomitibus (8) illis, qui valde perterritus eumdem Hæreticum in manibus Cardinalium statim restituit. Cæterum ante adventum ipsorum Cardinalium idem Rex præmiserat Arnulfum Coloniensem, & Anselmum Ravennatem Archiepiscopos ad præsentiam sæpe dicti Pontificis, ut de ipsius coronatione cum eo tractarent, & de aliis insimul convenirent, ideoque responsum Cardinalibus dare non poterat, nisi priùs Archiepiscopos ipsos reciperet. Pontifex autem, qui propter nimium suspectum Imperatoris adventum ad Urbevetanam civitatem transire, & illuc Imperatorem dispofuerat expectare, pro repentino & inopinato illorum adventu in majorem dubitationem cecidit. Sed cùm ad locum illum tutissimum jam securè non posset transire, ad civitatem Castellanam festinanter ascendit, ubi, si de persona ejus Rex malè cogitasset, iram illius securè declinare, & iniquos cogitatus ipsius facilè posset elidere. Archiepiscopi verò secuti sunt eum, exponentes bonam Regis voluntatem, quam erga eum, & totam Romanam Ecclesiam habebat, & alia, quæ sibi erant imposita nihilominus ostendentes. Quibus Pontifex de consilio Fratrum suorum dixit: Nisi priùs recepero Fratres meos Cardinales, quos ad Regem delegavi, nullum vobis responsum dabo. Cardinales itaque à Rege, & Archiepiscopi à Pontifice infecto negotio redeuntes, obviaverunt sibi, dicentes ad invicem, quòd propter eorum absentiam responsum ab utraque parte dilatum fuerat. Ideoque habito inter se salubriori consilio insimul venerunt ad præsentiam Regis in campo Viterbiensi, ubi castra posuerat. Venerat autem ad eum Octavianus titulo Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, non missus à Pontifice, sed dimissus, jam spirans seditionem ex Schismaticis. Postquam verò prædicti Cardinales intraverunt ad Regem, & haberetur (9) consilium super eorum legatione de satisfaciendo mandato Romani Pontificis, idem Octavianus, quod hauserat, virus evomere cœpit, & pacem turbare; sed in brevi, & ratione valida repressus est à Fratribus suis Cardinalibus, & sicut dignus erat, multa confusione respersus. Tamdem adversario confutato, & salubri consilio comprobato, Rex omnium Procerum, & militum suorum Curiam maximam congregavit, & in præsentia eorumdem Cardinalium allata sunt sacra pignora, Crux, & Euangelia super quæ nobilis qui-

(2) A. & M. Caperam.
(3) A. Babutum.
(4) A. & M. exercens.
(5) A. Fragepane.

(6) A. Arnulphum.
(7) A. Vinculas.
(8) A. Comitibus.
(9) A. habuerunt.

Digitized by Google

quidam Miles de cæteris electus, & conjuratus, atque tertiò jurare jussus, in anima sua, & ejusdem Regis juravit, vitam, & membra non auferre, sed conservare Papæ Adriano, & Cardinalibus ejus, nec malam captionem facere, honorem, & bona sua eis non auferre, nec auferri permittere, sed & si quis auferre vellet, omnimode prohibere, & contradicere. Post illatam verò injuriam pro posse suo & vindicari faceret, & emendari, atque concordiam jampridem per principales (*) personas utriusque Curiæ factam inviolatam de cætero conservare.

Hoc itaque juramento, sicut dictum est, & à Rege præstito, & à Cardinalibus ipsis cum alacritate recepto, continuò acceptâ licentiâ concito gradu Cardinales reversi sunt ad Summum Pontificem, universa, quæ fecerant, sibi, & Fratribus suis cum diligentia referentes. Placuit ergo Pontifici, & ejus collateralibus, quòd talis securitas eis à Rege data, & per consilium Principum suorum firmiter roborata est; ideoque omni mala suspicione sublata de medio Regiæ petitioni de imponenda sibi Corona Imperii benignè annuit, & ut ad invicem se se viderent, locus congruus, & dies certus ab utraque parte statutus est. Processit igitur Rex cum exercitu suo in territorium Sutrinum, & castrametatus est in Campo Grasso. Pontifex autem ad civitatem Nepesinam descendit, & in secunda die, occurrentibus multis Teutonicorum Principibus, cum plurima Clericorum, & Laïcorum multitudine, ad præsentiam sæpedicti Regis, cum Episcopis, & Cardinalibus suis usque ad ipsius tentorium cum jucunditate deductus est. Cùm autem Rex de more officium Stratoris eidem Papæ non exhiberet, Cardinales, qui cum eo venerant, turbati, & valde perterriti abierunt retrorsum, & in prædicta civitate Castellana se receperunt, relicto Pontifice ad tentorium Regis. Quocirca Domnus Papa nimio stupore turbatus, & quid sibi foret agendum incertus, licèt tristis descendit, & in præparato sibi faldistorio sedit. Tunc Rex ad ejus vestigia procidit, & deosculatis pedibus ad pacis osculum accedere voluit. Cui protinus idem Pontifex locutus est in hæc verba: Quandoquidem tu illum mihi consuetum, ac debitum honorem subtraxisti, quem prædecessores tui Orthodoxi Imperatores pro Apostolorum Petri & Pauli reverentia prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus exhibere usque ad hæc tempora consueverunt, donec mihi satisfacias, ego te ad pacis osculum non recipiam. Rex autem respondit, & dixit, se hoc facere non dedere. Ea propter remanente ibidem exercitu, totus sequens dies sub istius rei varia collatione decurrit. Tamdem requisitis antiquioribus Principibus, & illis præcipuè, qui cum Rege Lothario ad Innocentium Papam venerant, & prisca consuetudine diligenter investigata, ex relatione illorum, & veteribus monumentis, judicio Principum decretum est, & communi favore totius Regalis Curiæ roboratum, quòd idem Rex pro Beatorum Apostolorum reverentia prædicto Papæ Adriano exhiberet Stratoris officium, & ejus streugam teneret. Alia itaque die Regis mota sunt castra, & in Territorio Nepesino juxta lacum, qui dicitur Jaula, fuerunt translata. Ibique sicut à Principibus fuerat ordinatum, Rex Fredericus processit aliquantulum, & appropinquante Domni Papæ tentorio per aliam viam transiens descendit de equo, & occurrens ei, quantùm jactus est lapidis, in conspectu exercitus officium Stratoris cum jucunditate implevit, & streugam fortiter tenuit. Tunc verò Pontifex eumdem Regem ad pacis osculum primò recepit; Post hæc autem versùs Urbem insimul procedentes, pro eo quòd ab eis Romanus Populus discordabat, licèt Beati Petri munitionem in potestate sua Pontifex detineret, placuit tamen ut in manu valida civitatem Leonianam Rex introiret.

Positis igitur exteriùs castris, & deliberato festinanter consilio, atque dispositis, quæ ad coronationem spectabant, eadem die ante horam tertiam Rex ad gradus Beati Petri armatorum maxima multitudine stipatus accessit; ibique depositis vestibus, quas gerebat, solemniori se habitu induit, & ad Ecclesiam Beatæ Mariæ in Turri, in qua eum ante Altare Pontifex expectabat, ascendens, genua sua fixit (10) coram eo, & manus suas inter ipsius Pontificis manus imponens, consuetam professionem, & plenariam securitatem, secundùm quod in Ordine continetur, publicè exhibuit sibi. Relicto autem ibidem Rege, Pontifex ad Altare Beati Petri ascendit, cujus vestigia Rex cum processione subsequens, ante Portas argenteas orationem infra Ecclesiam in rota super eumdem Regem alius ex Episcopis nostris dedit. Orationem verò tertiam, & unctionem tertius Episcopus ante Confessionem Beati Petri eidem Regi nihilominus contulit. Missâ itaque incœptâ, & Graduali post Epistolam decantato, Rex ad Pontificem coronandus accessit, & præsentatis Imperialibus signis, gladium, & sceptrum, atque Imperii Coronam de manibus ejusdem Papæ suscepit. Statim tam vehemens, & fortis Teutonicorum vox conclamantium in vocem laudis, & lætitiæ concrepuit, ut horribile tonitruum crederetur de cœlis subitò cecidisse.

His igitur ante horam nonam in pace, & tranquillitate peractis, Populus Romanus, qui clausis portis apud Castrum Crescentii residebat armatus ignorans quæ facta fuerant, sinè consilio, & deliberatione majorum, ad civitatem Leonianam paulatim ascendit, & eorum, qui in Portico remanserant, spoliis violenter direptis, omnes, quos reperit, usque ad Imperatoris Castra persequendo fugavit. Invalescentibus autem clamoribus, & undique resonante inopinatè tumultu, Teutonicorum exercitus ad arma velociter convolavit, strictisque mucronibus ab utraque parte acriter dimicatur. Quid plura? Cæsi sunt multi, & plurimi capti. Tamdem Populus ipse non sinè multo suorum discrimine infra portas ipsius Castri seipsum recepit. Pontifex autem, sicut benignissimus Pastor & pius Pater, super tanto excessu valde turbatus, & effectus tristis, eidem Populo, tamquam suo gregi, debita charitate compassus est. Cujus casum relevare desiderans, pro liberatione suarum ovium apud ejusdem Imperatoris clementiam diutius laboravit, & affectuosas preces instanter fundere non cessavit, donec universos Urbis captivos de manibus Teutonicorum ereptos in potestate Petri Urbis Præfecti restitui fecit. De cætero autem Imperator, simul ac Pontifex exeuntes de finibus Urbis per campestria juxta Tiberim processerunt usque ad vadum de Malliano, ibique fluvium ipsum cum toto exercitu transeuntes, intraverunt Sabinensem Comitatum, & per Farfam, atque Castrum de Poli transitum facientes, in vigilia Beati Petri pervenerunt ad Pontem

(*) A. Principes.

(10) A. & M. flexit.

tem Lucanum; in quo nimirum loco pro tam glorioſæ ſolemnitatis celebritate moram facere decreverunt. Et ut Eccleſia Dei, & Imperium ampliori decore clareſcerent, communi deliberatione ſtatutum fuit, ut ad laudem Dei, & exaltationem Chriſtiani Populi, præfatus Romanus Pontifex, & Auguſtus ad Miſſarum ſolemnia in die illa pariter coronati procederent. Dignum namque ſatis erat, ut illorum duorum Principum Apoſtolorum ſolemnia duo ſummi Urbis Principes in lætitia & magno gaudio celebrarent, qui ſuſcepta poteſtate à Domino ligandi, atque ſolvendi, portas cœli claudunt, & aperiunt quibus volunt. Tunc verò Tiburtini, tamquam perfidi, & contumaces, à dominio, & juriſdictione Beati Petri ſe ſubtrahere cupientes, poſtpoſita fidelitate, quam Domno Papæ Adriano, ejuſque ſucceſſoribus recenter juraverunt, ad præſentiam ipſius Imperatoris accedere præſumpſerunt, & clavibus civitatis ei aſſignatis, ſeipſos cum civitate Tiburtina juri & ejus dominio tradiderunt. Quod factum Pontifex cum tota Romana Eccleſia nimium grave, & omnino intolerabile ferens, ſuper tanta injuria Beato Petro abſque rationabili cauſa illata eidem Imperatori conqueſtus eſt, & ut civitatem ipſam, quæ ab antiquo juris Beati Petri eſſe dignoſcitur, ſibi reſtitueret, ipſum tamquam proprium Romanæ Eccleſiæ Advocatum attentiùs exoravit. Auguſtus igitur habito cum Principibus ſuis conſilio, & cognita veritate, illico civitatem ipſam ei reſtituit, & per literas, quæ inferiùs adnotantur, eiſdem Tiburtinis injunxit, quatenus eidem Papæ, tamquam Domino, & Patri ſuo fideliter obediant, & ſervire omnimode ſtudeant.

Litera, quam miſit Imperator Civibus Tiburtinis, ut obedirent Papæ.

FRedericus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, univerſis Civibus Tiburtinis gratiam ſuam, & bonam voluntatem. Univerſitatem veſtram noſſe volumus, quòd ob reverentiam Beati Petri Principis Apoſtolorum dilectiſſimo, atque in Chriſto Reverendo Patri noſtro Adriano Papæ civitatem dimiſimus Tiburtinam, ſalvo tamen per omnia jure Imperiali. Hujus rei gratiâ omnes & ſingulos Cives Tiburtinos à fidelitate, quam nuper nobis juratis, abſolvimus, attentiùs vobis præcipiendo mandantes, quatenus eidem venerabili Adriano Papæ fideliter aſſiſtatis, devotè ſerviatis, atque, ſicut Domino, devotè obedire ſtudeatis; ſcientes, ſicut jam dictum eſt, à juramento fidelitatis, quod nuper feciſtis, vos abſolutos, ſalvo in omnibus jure Imperiali.

Et quoniam æſtivus calor jam nimis excreverat, & maxima multitudo ipſius exercitus pro intemperie inconſueti aëris vel mortis periculum, vel exitialem infirmitatem incurrerat, communis voluntas, & inſtans petitio Principum fuit, ut Imperator ad propria, (quod & factum eſt) ſinè dilatione rediret. Eodem tempore ſupradictus Rex Siciliæ, poſtquam excommunicationis ſententiâ percuſſus eſt, in contemptu cœpit haberi à ſuis, & cùm ſalubria fidelium ſuorum conſilia de ſatisfactione præſtanda contemneret, in ſua elatione, ac fatuitate ferè ſolus remanſit. Quippe majores ejus Comites, atque Barones, cum majoribus Apuliæ Civitatibus, ubi è tanta eum perverſitate revocare nullatenus potuerunt, eo relicto nuncios ſuos ad Domnum Adrianum Papam tamquam ad principalem Dominum deſtinarunt, rogantes, ut ad partes illas dignaretur accedere, & Terram ipſam, quæ juris Beati Petri eſſe dignoſcitur, ac perſonas, & eorum bona in manu & poteſtate ſua reciperet. Tunc Pontifex ſuper his habito cum Fratribus ſuis conſilio, congregatâ Comitum, & aliorum Nobilium tam de Urbe, quàm de Campania, & aliis circumpoſitis locis decorâ militiâ, circa Feſtum Beati Michaëlis deſcendit ad Sanctum Germanum, ibique recepta fidelitate, & homagio à Roberto Principe Capuano, & Andrea Comite, aliiſque Nobilium (11) illarum partium, præmiſit eos ante faciem ſuam, ut præpararent ei viam, & prava in directa converterent, & aſpera in vias planas. Ipſe verò poſt aliquot dies per Caſtrum Mignavi (12) per Capuanam civitatem tranſitum faciens uſque Beneventum Domino comite proceſſit, & omnes ferè Barones illarum partium, eorumque Terras, & circumpoſitas Civitates ad fidelitatem Beati Petri, & ſuam, tamquam eorum principalis Dominus, in eadem civitate recepit. Præterea Imperator Græcorum maximam de theſauro pecuniam per quemdam Principem ſuum nomine Paliologum miſit Anconam. Scripſit etiam eidem Pontifici, rogans, & petens ab eo, ut de Civitatibus Apuliæ, quæ ſitæ ſunt in maritimis, tres eidem Imperatori eo tenore concederet, ut ipſe ad expugnandum prædictum Regem, & de tota Sicilia expellendum ſufficienter eidem Pontifici vires tam in pecunia, quàm in militibus, & aliis armatorum præſidiis indeficienter conferret. Præterea quinque millia libras auri eidem Papæ, ejuſque Curiæ nihilominus dare promiſit. Pro iis ergo, quæ contra ipſum Regem quotidie tractabantur, valde perterritus eſt, & erroris ſui pœnitentia ductus ad ſinum Matris ſuæ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ad obedientiam Domini & Patris ſui ejuſdem Romani Pontificis redire cum omni humilitate diſpoſuit. Quocirca Electum Cataniensis Eccleſiæ cum quibuſdam de majoribus aulæ ſuæ ad præſentiam ipſius Pontificis acceſſuros uſque Salernum tranſmiſit, quibus plenariam poteſtatem dedit, ut gratiam & pacem Domni Papæ ab eo humiliter quærerent, & ſatisfactionem plenariam, quæ continetur inferiùs, cum firma ſecuritate ſibi præſtarent. In primis petebat abſolvi ſecundùm Eccleſiæ morem; deinde homagium & fidelitatem eidem Pontifici facere promittebat. Omnes quoque Terræ ſuæ Eccleſias cum plenaria libertate reſtituet. Tria Caſtra pro illatis damnis, Padulem videlicet, Montem fuſcum, & Mortonem (13) cum pertinentiis ſuis in propriam hæreditatem Beato Petro, & Eccleſiæ Romanæ nihilominus dabit. Romam præterea, quæ tunc adverſabatur Pontifici, dominio ipſius armis, vel pecunia ſubjugabit. Poſt recuperatam Domni Papæ, & Eccleſiæ gratiam, tantumdem pecuniæ, quantum Græci obtulerant, largietur. Auditis itaque hujuſmodi oblationibus, de communi Fratrum conſilio venerabilem virum Hubaldum tunc Presbyterum Cardinalem titulo Sanctæ Praxedis, nunc Oſtienſem Epiſcopum, Domnus Papa tranſmiſit uſque Salernum, quatenus à prædictis Nuntiis inquireret, ſi ea, quæ fuerant oblata, veritate

(11) A. & M. Nobilibus.
(12) A. & M. Magnani.
(13) A. Morconem.

ritate certa inniterentur, & quod invenirent, sibi referrent. Factum est ita, & redeunte ipso Cardinali omnia, quæ promissa ex parte Regis fuerant, vera inventa sunt, & ad complendum parata. Bonum igitur visum est eidem Pontifici, ut tam inutilis concordia, & cum magno honore Ecclesiæ, compositio deberet admitti. Sed quia major pars Fratrum, alta nimis & omnino incerta sentiens, consentire nullatenus voluit, disturbatum est totum, quod oblatum fuerat, & penitus refutatum. Et quoniam juxta Evangelicum verbum omnis, *qui se exaltat*, *humiliabitur*, *& qui se humiliat*, *exaltabitur*, postquam ipse Rex ita se humiliavit, & ejus satisfactio recepta non fuit, exivit cum exercitu contra Græcos, & Apulos, qui ejus Terram occupaverant, & veniens usque Brundusium, ubi fuerant congregati, pugnavit in campo cum illis; quibus tandem superatis, & potenter devictis, atque fugatis, plenum de ipsis triumphum obtinuit. Unde factum est, quòd totam Apuliam, & ejus fines tantus timor & tremor repentè invasit, ut ei deinceps resistere nullus auderet, sed universi à facie ipsius fugientes, sinè armis, & coactione aliqua civitates, & arces munitissimas illico dominio ejus restituerent. Quamobrem postquam Pontifex deceptum se fore cognovit, & ab omnibus, qui secum firmiter stare juraverant, penitus derelictum, præmisit majorem partem Fratrum suorum in Campaniam, & ipse cum paucis apud Beneventum remansit, expectans ipsius Regis adventum. Evolutis autem paucis diebus Rex ipse à superioribus Apuliæ partibus cum exercitu movit, & Beneventanæ civitati usque ad duo milliaria propinquavit. Tunc sæpedictus Pontifex venerabiles viros prædictum Hubaldum titulo Sanctæ Praxedis, I. (14) titulo Sancti Marcelli, & B. (15) titulo Sancti Marci Sedis Apostolicæ Cancellarium Presbyteros Cardinales, ad eum Regem direxit, quatenus ex parte Beati Petri eum attentiùs commonerent, ut ab offensis ejus omnino cessaret, de illatis damnis satisfaceret, & jura Matris suæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ sibi pacificè conservaret. Quibus benignè susceptis, atque tractatis, post mutuam diversorum altercationem Capitulorum, Rex ipse cum eodem Papa eis mediantibus concordavit, & veniens ad Ecclesiam Sancti Marciani juxta Beneventum positam, ad pedes ipsius Pontificis humiliter se prostravit, & ligium homagium, & fidelitatem coram circumstantium maxima Episcoporum, Cardinalium, Comitum, Baronum, & aliorum multitudine, Odone Frangepane juramentum computante, sibi fecit. Recepto itaque ipso Rege ad pacis osculum, & collatis magnis muneribus in auro, & argento, & fericis pannis eidem Pontifici, ejusque Fratribus, & toti ejus Curiæ, ab invicem læti, & cum gaudio discesserunt. Egrediens autem benignissimus Papa de civitate Beneventana, & de finibus Samnii, versùs urbem Romam iter suum direxit. Transiens verò per Montem Casinum, & per Marsicana Montana venit ad civitatem Narniam. Et quoniam civitatem Urbevetanam, quæ per longissima retro tempora se à jurisdictione Beati Petri subtraxerat, quam cum multo studio, & diligentia nuper acquisierat, & dominio Ecclesiæ Romanæ subjecerat: bonum sibi, & Fratribus suis visum est, ut ad civitatem ipsam accederet, & suâ eam præstantiâ honoraret. Nam usque ad ejus tempora, sicut ab omnibus dicebatur, nullus umquam Romanorum Pontificum eamdem civitatem intraverat, vel aliquam in ea temporalem potestatem habuerat. Eapropter Clerus, & Populus, & Milites illius loci majori desiderio, & ampliori veneratione ipsum Pontificem receperunt, & modis omnibus, quibus poterant, honorarunt. Ipse verò aliquamdiu moram faciens, majores, & minores, tamquam novam Beati Petri familiam affectuosè honorabat, & in eorum congratulabatur aspectibus. Appropinquante igitur hyemis tempore ad amœnum, & populosum Viterbii Castrum descendit, & exinde ad Urbem, & Lateranense Consistorium cum gloria, & honore debito remeavit.

Hic beatus Pontifex in Ecclesia Sancti Petri tectum Sancti Processi, quod dissipatum invênit, optimè resarcivit, & super Oratorium Sancti Johannis in fonte murum à tribus lateribus erigens, navi ejusdem Ecclesiæ coæquavit. In Lateranensi quoque Palatio cisternam valde necessariam, & multùm copiosam studiosè fieri fecit, & alia multa, quæ præ nimia vetustate consumpta fuerant, in eodem Palatio resarcivit. In Ecclesia Sanctorum Cosmæ, & Damiani majus Altare lapide superposito illi lapidi, quem Beatus Papa Gregorius consecraverat propriis manibus, mediante Quadragesima, dedicavit. Hic Beati Petri patrimonium in magnis possessionibus, & ædificiis plurimùm augmentavit. Comparavit enim Castrum Corclani (16) à Buccaleone pro centum quadraginta libris afforciatis (17). Duo quoque optima molendina posita apud Sanctam Christinam ab Ildebrando, & Bernardo filiis Ugolini Comitis de Calmangiare pro centum nonaginta libris ejusdem monetæ nihilominus comparavit. Roccam Sancti Stephani cum medietate Proceni, & Repeseni, ab eisdem Comitibus in pignore pro centum quadraginta octo libris afforciatis, & quinque solidis, eo tenore, quo scriptum est in publico Instrumento, recepit. Totam etiam eorumdem Comitum Terram, sicut continetur in publico eorum Instrumento, quod est in Archivis repositum, in propriam Beati Petri hereditatem, per ipsorum spontaneam donationem, recepit. Eodem quoque modo, & eodem tenore totam Terram Oddonis de Poli in propriam Sancti Petri hereditatem nihilominus acquisivit. Hic fecit gironem in Castro Rodicophini turribus munitum, & alto fossato. Desertum quoque (18) Orthæ Castrum, quod erat spelunca latronum, pro pace, & securitate illius Terræ populavit, & muro, ac turribus non sine multis expensis munivit. In ponte Lucano Capellam fieri fecit, in qua calicem sex unciarum, Campanam, libros, & sacerdotalia indumenta pro Missarum celebratione donavit. Emit etiam juxta ipsum pontem ab uxore Johannis de Benedicto Cive Tiburtino duos modios Terræ pro septem libris afforciatis, & unum à Raynaldo pro vigintiocto solidis afforciatis. A Gregorio quoque, & Milone de Vallemontis unum modium, & dimidium pro viginti quinque solidis Papiensis monetæ. Emit etiam juxta ipsum pontem sex modios Terræ ab Oddone de Insula, & uxore ejus pro vigintiquatuor libris afforciatis. Præ-

(14) M. Jo:
(15) A., *&* M. *pro* B. *legunt* R.
(16) M, & Buccaleone. A. Castrum Cordani & Buccaleone.
(17) A. afforum *semper*.
(18) A., *&* M. Orcle.

Digitized by Google

Præterea medietatem quatuor Castrorum, Castilionis videlicet, Cinciniani, Canapini, & Bulsignani emit à filiabus Raynaldi de Guardeja (19) pro........ libris afforciatis. Exinde publicum Instrumentum recepit, & corporalem investituram per Antimum (20) Marescallum suum à Vitale supradictarum mulierum curatore, præsentibus Alexio Scriniario pincerna ipsius Papæ, Petro de Arture Milite, Gallesano Malavolte, Johanne Ferri, & aliorum multorum. Hic fecit ordinationes duas per menses Decembris, & Martii, Diaconos septem, Presbyteros quinque, Episcopos per diversa loca numero......... Defunctus est autem apud Anagniam Kal. Septembris, & vectus Romam in Ecclesia Beati Petri juxta corpus Eugenii Papæ honorificè tumulatus est. Actum Bosonis Presbyteri Cardinalis titulo Pastoris, qui ab ipso Pontifice ab exordio sui Apostolatus ejus Camerarius constitutus, & in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus ordinatus, assiduè usque ad ipsius obitum familiariter secum permansit.

VITA ALEXANDRI PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Alexander III. (1) natione Tuscus, Patriâ Senensis ex patre Ranuncio. Cœpit anno Domini MCLVIIII. in quadam verò Chronica scribitur MCLX. sedit annis XXI. mens. XI. dieb. XIX in quadam verò Chronica scribitur sedit annis XXII.

Hic vicit quatuor Schismaticos Octavianum, Guidonem Cremensem, Joannem Firmensem, & Landonem Antipapas. Primus fecit se vocare Victorem, secundus verò Paschalem, tertius Calixtum, quartus Innocentium, quorum tres fuerunt Presbyteri Cardinales. Hi omnes vicissim Schisma fecerunt, & per Papam excommunicati fuerunt, & omnes vicissim mala morte perierunt. Tempore siquidem hujus Papæ magnum Schisma fuit, & ejectus fuit conventus Sancti Anastasii, & Abbas Pauli eundem locum sibi per Regem Schismaticum dari procuravit; qui locus per eundem Alexandrum Papam fuit postmodum restitutus. Sub ejus temporibus per quindecim annos terræmotus magni fuerunt per loca, ita quòd civitas Anthiochena cum Tripoli cecidit, atque Damascus cum multis civitatibus subversa est. Tunc quoque Cathanensis civitas pœnitus est eversa, & plusquam viginti millia hominum in Siciliâ submersi & mortui sunt.

Anno Domini MCLXI. Alexander Papa, cùm omne Patrimonium Beati Petri, civitatem Beneventanam & Terracinam & Anagniam ab Aqua pendente usque Ceparum, per Imperatorem & Schismaticos occupatum vidisset, transivit in Gallias, & à Regibus Francorum & Angliæ honorificè suscipitur.

Hoc anno Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus ordinatur. Hoc etiam anno Ludovicus Rex Francorum, mortua uxore sua filia Imperatoris Hispaniæ fœminâ vitæ laudabilis, actibus clarâ, & moribus perornatâ, concilio Procerum suorum Adelam filiam bonæ memoriæ Comitis Theobaldi descendentem de genere Karoli duxit uxorem, quam postmodum Hugo Senonensis Archiepiscopus unxit Parisiis in Reginam.

Anno Domini MCLXII. Fredericus Imperator Romanorum destruxit Mediolanum. Per idem tempus Radulphus Coloniensis Archiepiscopus trium Regum, qui Deum adoraverunt, corpora de Perside olim Constantinopolim ab Imperatore translata, & inde à Sancto Eustorgio Mediolanum miraculosè transvecta, à Mediolano ab Imperatore destructâ transfert in Coloniam.

Anno Domini MCLXIII. Alexander Papa in octavis Pentecosten Turonis Concilium celebrat. Ipsoque anno in festo Sancti Sommi cum multa caterva Episcoporum & Cardinalium Senonis venit, ibique per annum & dimidium in sede Archiepiscopali moratur. Anno Domini MCLXIIII. Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus in Francia exulans primò in Cœnobio Pontiniacensi moratur; postea verò Senonis in Cœnobio Sanctæ Columbæ Virginis expensis Regis Franciæ sustentatur. Eodem anno Fredericus Imperator exercitum congregat habens secum duos Reges scilicet Bohœmiæ & Daciæ, veniensque in Burgundiam contra Regem Franciæ conabatur ipsum offendere vel delere, quia Alexandro Papæ favebat; sed non prævaluit, immo confusus recessit.

Anno Domini MCLXV. Alexander Papa in Italiam revertitur, & per mare applicat in Siciliam apud Messanam, ubi eidem occurit Rex Guillelmus, & Regnum ab ipso recognoscit, jura-

(19) A. Guarderia.
(20) A. Antonium.

ALEXANDER.

Ex MS. Pandulphi Pisani.

(1) Alexander, natione Tuscus, ex patre Senensi. Sedit annis XXI. mensibus XI. diebus IX. Hic vicit quatuor Schismaticos, Octavianum, & VVidonem Cremensem, Johannem Strumensem, & Landonem. Primus fecit se vocari Victorem, secundus Paschalem, tertius Calistum, quartus Innocentium, quorum tres Presbyteri Cardinales erant: qui per Papam excommunicati mala morte perierunt. Istius tempore maximum Schisma fuit: & ejectus fuit Conventus S. Anastasii, & Abbas Sancti Pauli: eundem locum sibi (*Papebroc. addit* obtinuit) per Regem Schismaticum: qui locus per eundem Alexandrum est restitutus.

Hic Fredericum Imperatorem, & Emanuel Constantinopolitanum, & Guillelmum Siculum, atque Lombardos ad concordiam revocavit: per quindecim annos sub ejus temporibus terræmotus magni fuerunt per loca, ita quòd civitas Antiochena cum Tusполensi (*Papebroc.* Tripoli) excidit, atque Damascus cum multis aliis civitatibus submersa est. Tunc quoque civitas Chatenensis (*Papebroc.* Cartaginensis) penitus eversa est, & plusquam viginti millia hominum mortui sunt: & mare retrogradatim versum est, & quinque millia hominum in Sicilia submersi fuerunt. Hujus tempore Mediolanum cum Cremona, & Placentia contra Papienses, civitatem unam construxerunt, quam, ut famosior fieret, ab Alexandro Papa Alexandriam vocaverunt. Et post ad petitionem Lombardorum constituit eis Episcopum, Papiensem verò Crucis & pallii dignitate privavit, eo quòd Frederico tunc Imperatori, ab antiquo Regibus persecutoribus Ecclesiæ adhæsisset. Hic, quum Romæ patrimonium Beati Petri præter civitatem Urbevetanam Taracinen. Agnaniam ab Aqua pendente usque Cepanum, per Imperium & Schismaticos occupatum fuisset, in Franciam transivit: ibique celebrato Turoni solenni Concilio per mare ad urbem rediens: cùm Messanæ applicuisset, Rex Guillelmus non solùm quia Papam, sed etiam ipsum Dominum à quo tenebat Regnum recognoscens, cum debito honore prosecutus est.

Digitized by Google

juramento fidelitatis renovato. Deinde Romam veniens cum magna processione suscipitur à Romanis. Eodem anno Ludovico Regi Francorum nascitur filius Philippus nomine.

Anno Domini MCLXVIII. Mediolanenses, Cremonenses, & Placentini, in despectum & odium Frederici Imperatoris, & in favorem Alexandri Papæ, & contra civitatem Papiensem ædificaverunt quandam Coloniam, idest novam colonorum habitationem, quam, ut famosior esset, ab Alexandro Papa Alexandriam vocaverunt, alii verò civitatem novam, Papienses verò paleam usque in hodiernum diem appellant. Alexander verò Papa ad petitionem Lombardorum Episcopum constituit in eâdem, Papiensem verò Episcopum Crucis & pallii dignitate privavit, eo quòd Frederico Imperatori tunc, & ab antiquo Regibus Ecclesiæ persecutoribus adhæsisset.

Anno Domini MCLXIX. florebat Ancellinus Bellucensis Episcopus vir integerrimæ Religionis, vitæque, sapientiæ, ac virtutis: hic quantùm pro Christo crucifixerit carnem suam evidenter patuit, cùm inventum (*est*) corpus ejùs post obitum gracilibus funiculis strictissimè alligatum, ad cujus etiam meriti declarationem quatuor cœci feretro ejus fuerunt appositi, hinc & inde visum cœlitus receperunt.

Anno Domini MCLXXIIII. videlicet IIII. Kalendas Januarii Sanctus Thomas Cantuariensis Archipræsul XXX. die postquam in Angliam est reversus, non longè ab Altare ab impiis ministris Henrici Regis Anglorum in Ecclesia Metropolitana Cantuariensi occiditur, feriâ tertiâ, horâ vespertinâ factus Deo gratissimum sacrificium vespertinum, cujus meritum magnum apud Deum esse tam causa justissima, quæ verè martyrem facit, quàm etiam innumera & inaudita miracula contestantur. Sequenti autem anno à Papa Alexandro in capite jejunii canonizatur.

Florebat eo tempore in Burgundia vir vitæ purissimæ & in sacra religione ferventissimus Petrus Carantiensis Archiepiscopus nonnullis signis & virtutibus clarus.

Petrus Commestor celebris habetur in Francia vir facundissimus, & in Scripturis Divinis excellenter instructus: hic Historias utriusque testamenti uno compingens volumine opus utile & gratum edidit ex diversis historiis compilatum.

Florebat eo tempore Mauricius Episcopus Parisiensis, qui ob industriam ac literaturam de infimo magnæ paupertatis ad Pontificalem demum evectus est apicem dignitatis. Hic, cùm puerulus esset, noluit tali pacto eleemosynam accipere, quòd nunquam Parisiensis Episcopus esset. Hic inter præclara opera sua Ecclesiam Beatæ Mariæ, cui præerat, à fundamentis construxit.

Circa annum Domini MCLXX. incœpit secta & hæresis illorum, qui dicuntur Valdenses seu pauperes de Lugduno, cujus auctor & inventor fuit quidam civis Lugdunensis nomine Valdensis, à quo sectatores ejus fuerunt taliter nominati, qui dives rebus extitit, & relictis omnibus, proposuit servare paupertatem & perfectionem Evangelicam sicut Apostoli servaverunt. Et cùm fecisset sibi conscribi Evangelia, & aliquos libros Bibliæ in vulgari & nonnullas auctoritates Sanctorum, quas Summas appellavit, ea sæpius secum legens, & minus sanè intelligens, sensu suo inflatus, cùm esset modicùm literatus, Apostolorum sibi officium usurpavit, atque præsumpsit, per vicos & plateas Evangelia prædicando, multosque homines & mulieres ad similem præsumptionem complices sibi fecit, quos ad prædicandum tanquam discipulos emittebat; qui cùm essent idiotæ & illiterati per villas discurrentes, & domos penetrantes, multos errores circumquaque diffuderunt, & vocati ab Archiepiscopo Lugdunensi Domno Johanne Beles-Mayus prohibiti sunt ab eodem, sed obedire minimè voluerunt, velamen suæ vesaniæ prætendentes, & dicentes, quòd oporteret magis Deo, quàm hominibus obedire, quæ præcepit Apostolis: omni creaturæ Evangelium prædicare, arrogantes sibi quod Apostolis erat dictum, quorum imitatores & successores falsa paupertatis professione, & fictæ Sanctitatis imagine se esse profitebantur aspernantes Clericos & Presbyteros. Sic itaque ex præsumptuosa usurpatione officii prædicandi inobedientes, deinde contumaces, & exinde excommunicati ab illa patria sunt expulsi. Demum verò convocati ad concilium, quod fuit Romæ ante Lateranense celebratum, fuerunt pertinaces & Schismatici judicati. Sicque dispersi per provincias, & in confinibus Lombardiæ cum aliis hæreticis se miscentes, & eorum errores bibentes & sectantes, fuerunt hæretici judicati, quorum errores & hæreses alibi sunt vocati.

Anno Domini MCLXXVII. Geraldus Lemonicensis Diœcesis Episcopus cum militia & populo terræ duo millia Scotatellorum & eo ampliùs, quorum Dux erat Guillelmus Clericus, qui obtentu Henrici Regis Anglorum contra Regem Franciæ Aquitaniam devastabant, domino auxiliante, peremit in castro Mala-morte; unde & ipsum castrum de Mala-morte nomen accepit, quod Bellum-forte antea dicebatur.

Anno Domini MCLXXVII. IX. Kalendas Septembris Fredericus Imperator cum Alexandro vicem componit, abjurat Schisma, publicè satisfacit; sicque tandem, depulso Schismate, unitas Ecclesiæ reformatur, & quæ per tot annos ob suorum discissionem membrorum gravissimè desolabatur, ob eorum integrationem in Domino consolatur.

Siquidem cùm Romana Ecclesia multis legatur Schismatibus fuisse discissa, nulli tamen in isto vehementiùs incanduit, aut diutiùs perduravit.

Anno Domini MCLXXVIII. III. Nonas Augusti Fredericus primus Imperator fuit coronatus apud Arelatem. Anno eodem MCLXXVIII. Idibus Septembris feriâ IIII. horâ sextâ epactâ XI. Lunâ XXVIII. Sol passus est eclypsim ferè per mediam horam. Anno Domini MCLXXIX. Alexander Papa post medium quadragesimæ Romæ Concilium celebrat, ubi ex diversis terrarum partibus factus est innumerabilis tam Episcoporum, quàm Abbatum conventus, Imperator Fredericus cum omni gente sua, Schismatico concilio derelicto, ad unitatem Romanæ Ecclesiæ rediit, Papæque Alexandro debitam reverentiam & subjectionem adhibuit.

Hoc eodem anno in solempnitate omnium Sanctorum Philippus puer Ludovici Regis Francorum Remis à Guillelmo ejus Urbis Archiepiscopo in Regem ungitur, & Regio diademate insignitur. Sequenti verò anno Helysabeth filiam Baldoini Comitis Aynocensis Comitissam Flandriæ Philippi neptem in uxorem accepit, quam Guido Senonensis Archiepiscopus unxit apud Sanctum Dionysium in Reginam. Ludovicus Rex Francorum, Philippo suo jam in regno provecto, anno regni sui XLIII. migravit ad Christum III. Kalendas Octobris,

Anno Domini MCLXXXV. Porrò vir iste multa fuit honestate laudabilis, erga religiosos quoque supplex, ac benignus erga subditos unica moderatione usus.

Johannes Carnotensis Episcopus tam sapientia quàm animi strenuitate famosus ab hac vita recedit. Hic fuit socius Sancti Thomæ Cantuariensis cujus vitam & passionem descripsit. Scripsit etiam librum, quem intitulavit de curialibus nugis, in quo de divinis ethnicisque Scripturis affatim testimonia congerens, satis innotuit quàm fuerit ipse sapientiâ affluens, quàm venustus eloquio, quàmque præclarus doctrinâ.

Fuit eo in Senonensi territorio villa Chudo puella quædam celebri opinione vulgata cui collatum est divinitus degere in corpore & corporalis cibi subsidio non egere.

Hæc quidem generatione infima, officioque bubulca, licèt in corpore esset marcida & exilia intestinis prælongâ introrsus inediâ vacuatis, ita tamen venusta & corpulenta in vultu cernitur, ac si deliciarum copiis perfruatur; frequenter autem rapitur in excelsis, & Angelo duce freta, nunc pœnarum precurrit loca; nunc verò gaudia Beatorum; ad se rediens quid & cui proferat cautè librat, magistrante nimirum interiùs spiritu & docente quid silere debeat, quid proferre. Tanta denique inerat illi puellæ sapientia, in consiliis circunspectio, in verbis tamque prudenter eloquitur, tam discretè consulit, tam salubriter adoratur, ut luce clarius innotescat, ipsum, qui docet hominem scientiam in ea elegisse sedem & mansionem fecisse.

Hic Alexander Papa vir discretus multaque literatura præditus obiit anno Domini MCLXXXI. vel MCLXXXII.

VITA EJUSDEM
ALEXANDRI PAPÆ III.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Alexandro Papa III. qui cœpit anno Domini MCLVIII.

ALexander III., natione Tuscus, patriâ Senensis, ex patre Raynutio, qui Rolandus, Presbyter Cardinalis titulo S. Marci, & Apostolicæ Sedis Cancellarius, sedit annis XVIII. Qui cùm esset in Ecclesia Pisana Clericus magni nominis, & carus haberetur ab omnibus, atque receptus, ad hanc Romanam Ecclesiam vocatus est à Beato Eugenio, quem ubi Deo auctore cognòvit idoneum, primò in Diaconum Sanctorum Cosmæ. & Damiani, deinde in titulo Sancti Marci Presbyterum ordinavit; & tamdem quia semper de bono crescebat in melius, Cancellarium Apostolicæ Sedis constituit. Erat enim vir eloquentissimus, in divinis, atque humanis scripturis sufficienter instructus, & in eorum sensibus subtilissima exercitatione probatus. Vir quoque Scholasticus, & eloquentiâ politâ facundus. Vir siquidem prudens, benignus, patiens, misericors, mitis, sobrius, castus, & in eleemosynarum largitione assiduus, atque aliis operibus Deo placitis semper intentus: ideoque *fecit eum Dominus crescere in plebem suam, & dedit ei Sacerdotium magnum*. Igitur, sepulto Adriano Papa, Episcopi, & Cardinales tractaturi de substituendo sibi Pastore, II Nonas septembris in Beati Petri Ecclesia pariter convenerunt, & per trium dierum spatium ad invicem de ipsa electione, sicut moris est, pertractantes, tamdem omnes, quotquot fuerunt, præter Octavianum titulo Sanctæ Cæciliæ, Johannem titulo Sancti Martini, & Guidonem titulo Sancti Callixti, Presbyteros Cardinales, in personam jam dicti Rolandi Cancellarii auctore Domino unanimiter concordarunt, & invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, in eum, assentiente Clero, & Populo, in Romanum Pontificem Alexandrum Papam III. nominarunt, & elegerunt. Duo autem, quos prænominavimus, Johannes, & Guido, intendentes ad Octaviani electionem, secundariò eum procaciter nominarunt. Tunc Episcopus Ostiensis, unà cum Albanensi, Portuensi, & Sabinensi Episcopis, cæterisque Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, per manus Prioris Diaconorum, juxta priscum Ecclesiæ ritum, electum suum fugientem, excusantem, invitum, & omnimode reluctantem, Papali manto favente Domino induerunt. Unde Octavianus, qui ad Apostolicam jamdiu Cathedram aspiraverat, post ubi se ipsum vidit spe concepta sic defraudari, in tantam vesaniam, audaciamque prorupit, quòd mantum ipsum, tamquam arreptitius, à collo ejus, propriis manibus violenter abstulerit, & secum inter tumultuosos fremitus asportare tentaverit. Porrò unus ex Senatoribus, qui aderant, cùm tantum facinus inspexisset, contremuerunt renes ejus, & audacter in sævientem insiliens, mantum ipsum de manibus ejus eripuit. Ipse verò tactus dolore cordis intrinsecus, illico ad Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat, & paratus, intorsit oculos, clamans sicut phreneticus, & innuens, ut mantum, quem secum portaverat, celeriter sibi afferret. Quo sine mora delato, quia tunc secum Ad. Card. aderat, pileum sibi abstraxit, caput inclinavit, & per manum ejusdem Capellani, & alterius Clerici sui (heu proh dolor!) mantum impudenter assumpsit. Sed ex divino judicio contigit, quòd ea pars manti, quæ operire anteriora debuerat, videntibus cunctis, atque ridentibus, posteriora tegebat; & cùm ipsemet hujusmodi ludibrium vellet studiosiùs emendare, quia manti capucium extra se raptus non poterat invenire, inferiores fimbrias collo, sicut potuit, applicavit. In hoc igitur manifestè comparuit, quòd sicut tortæ mentis erat, & intentionis obliquæ, ita mantum ex transuerso, & obliquo in testimonio suæ damnationis accepit. Cœca itaque ipsius ambitione taliter procedente, reserantur portæ ipsius Ecclesiæ, quæ à Senatoribus firmatæ fuerant, & armatorum catervæ, quas pretio conduxerat, illico in auxilium ipsius Schismatici cum magno strepitu evaginatis gladiis cucurrerunt. Et quoniam solatio Episcoporum, & Cardinalium omnino carebat, armatorum turbæ ipsum undique circumdabant. Fratres verò aspicientes tam execrabile facinus, & à sæculis inauditum, timentes etiam, ne ab eisdem conductis armatis erectum adorare idolum cogerentur, in munitionem prædictæ Ecclesiæ cum suo electo se se pariter receperunt; ibique novem diebus, ne ullo modo possent exire, fecit eos quorundam Senatorum consensu, quos pecuniâ oblatâ corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Interea Populo Romano super tantæ immanitatis crimine jugiter acclamante, & in eosdem Senatores vehementer fremente, prædictorum Fratrum conventus cum suo electo de illius munitionis custodia est ereptus, sed in arctiori, & tutiori loco apud Transtiberim per eosdem Senatores, receptâ inde pecuniâ, malitiosè fuit translatus.

Cùm

Digitized by Google

Cùm autem ibi ferè per triduum moram fecissent, super tanta iniquitate, & manifesta proditione, commota est universa Civitas. Clamabant pueri contra ipsum Ecclesiæ invasorem, dicentes: maledicte: fili maledicti, dismanta (1) non eris Papa, non eris Papa. Alexandrum volumus, quem Deus elegit. Mulieres quoque blasphemantes ipsum Hæreticum, & eadem verba ingeminabant, & alia derisoria verba decantabant. Accedens autem ad eum quidam Brito, audacter dixit ei:

Quid facis insane, patriæ mors Octaviane?
Cur præsumpsisti tunicam dividere Christi;
Jamjam pulvis eris, modò vivis, cras morieris.

Erat autem in Clero magna tristitia, in Judicibus dolor, in senibus mœstitia, & in plebe admiratio nimia; unde factum est, quòd Populus Romanus immanitatem tantæ iniquitatis ulteriùs sustinere non valens cum Oddone Frangepane, & aliis Nobilibus Romanis venit ad locum, ubi Fratres tenebantur inclusi, compellens jam dictos Senatores, ut ipsius munitionis portas celeriter aperirent, & eosdem Fratres cum Domno Alexandro absolutos, & liberos abire permitterent. Sic igitur, suffragantibus Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum meritis, à violentia persequentis erepti, & suæ sunt redditi libertati. Transeuntes autem per ipsam Urbem honorificè cum laudibus, campanis etiam ubique pulsantibus in jucundo eorum exercitu, comitantibus etiam eis multis Romanorum militibus, cum frequentia peditum in Vigilia Beati Matthei prosperè Nymphas (2) per Dei gratiam pervenerunt: ibique ipsa die Dominica congregatis in unum cunctis Fratribus, Gregorio videlicet Sabinensi, Hy. Hostiensi, B. Portuensi, G. Albanensi, (3) I. Signiensi, & S. Terracinensi Episcopis, Cardinalibus quoque Presbyteris, ac Diaconibus, simulque Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, & Primicerio cum schola Cantorum, Nobilibus quoque, & plurima parte Populi Romani, Domnus Alexander Papa per manum Ostiensis Episcopi, ad quem solùm consecratio Romani Pontificis pertinet, præeunte Spiritus Sancti gratia, consecratus est in Summum Pontificem, & secundùm Ecclesiæ morem Papali Regno solemniter coronatus.

Porrò jam dictus Octavianus, dum apud Sanctum Petrum fuit, & postquam latenter Leonianam civitatem exivit, multos Episcopos pro confirmanda sua temeraria præsumptione convocavit, quorum quosdam Imperialibus minis, (4) quosdam violentia Laicali, nonnullos verò pecunia, & blanditiis allicere sibi voluit; sed nihil Domino impediente profecit. Memorati verò falsi Fratres (5) I. de Morcone, & G. Cremensis in cœcitatis suæ tenebris obvolvit, quoniam, sicut scriptum est, *peccator, cùm in profundum vitiorum venerit, contemnet*, à damnabili sua præsumptione non rescipiscunt; sed illum eumdem, quem in statuam sibi erexerant, tamquam obstinatâ perfidiâ venerantur, & Ecclesiæ unitate relicta (heu proh dolor!) ad ejus vestigia incurvantur. Ipse verò Antichristi tempora præfigurans usque adeo erectus est super se, ut in templo Dei sederet sicut umbra Papalis, ostendens se, sicut verus sit Papa. Sanè multi abominationem hujusmodi stantem in loco sancto non sine lacrymatione corporeis oculis inspexerunt, tundentes pectora, & dicentes: Completum est modò quod Anastasius Papa ore ad os ironicè huic præambulo Antichristi dixisse narratur: Fili maledicti & excommunicati, numquam habebis istum Papalem mantum, quem tantùm desideras, & impudenter expetis, nisi in tuam confusionem, & ruinam multorum. Cæterùm cùm per spatium quatuor hebdomadarum tam per se, quàm per milites, & consanguineos suos incessanter fatigaretur pro convocandis Episcopis ad se, & omnes ad se accedere abhorrerent, tamdem quidam Melfiensis Episcopus dictus fugitivus, & exul, in finibus Anconæ latitans, cum Episcopo Ferentino, qui Domno Papæ Adriano adversabatur, & Johannes Episcopus Tusculanus, qui priùs consenserat in Alexandrum, & postmodum retrorsum abiit, hi tres jam post secundam, & tertiam commonitionem excommunicati, eumdem Octavianum ausu nefario execrarunt. Hoc autem tam perniciosum Ecclesiæ Dei flagitium ipse Octavianus, sicut postmodum claruit, nullatenus incipere (6) attemptavit, nisi à Frederico Imperatore occupandi, vel arripiendi Papatum favorem, & audaciam habuisset, quippe ut ad Papalem Cathedram, quolibet modo posset ascendere, fidelitatis juramento ei non sine certis indiciis credebatur adstrictus.

Interea Domnus Alexander cum fratribus suis ad Terracinam descenderat, volens cognoscere, quid acturi essent in facto Ecclesiæ, Otto Palatinus, & Guido Blandratensis Comites, quos eo tempore idem Imperator ad Beatæ memoriæ Adrianum Papam transmiserat. Ipsi verò licèt veritatem ipsius facti plenè cognoscerent, & de canonica electione Domini Alexandri nullatenus dubitarent, timentes tamen offendere Dominum suum, quem cognoverant ipsius Octaviani valde amicum, & præsenserant animum ejus commotum adversùm Romanam Ecclesiam, favorem, & vires præstabant Octaviano, & simulatoriè, ac fraudulenter procedebant cum Alexandro. Dum autem hæc agerentur, deliberato cum Fratribus suis consilio Pontifex Nuncios cum Apostolicis literis ad eumdem Imperatorem in partibus Lombardiæ obsidentem Cremam humiliter destinavit, cupiens eum ad amorem Ecclesiæ in omni patientia, & mansuetudine revocare, secundùm Beati Pauli Apostoli dictum: *noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. At ille nimio superbiæ fastu inflatus, non solùm retinere literas sprevit, sed tamquam insanus Nuncios ipsos, nisi Dux Welfo cum Duce Saxoniæ sibi restitisset, nequiter suspendere voluit. Quamvis autem consilio, & suasione Principum suorum Nuncios coram se venire, & literas tandem legi permitteret, nihil tamen Pontifici dignatus est respondere. Cogitans autem libertatis privilegium ab ipso Domino Ecclesiæ concessum posse irritare, & juxta suæ voluntatis arbitrium Papam in sede Apostolica ponere, duos ex fautoribus suis, Verdensem scilicet, & Pragensem Episcopos ad Fratres, qui cum Domno Alexandro venerant, in civitatem Anagniensem destinavit, scribens non sicut Advocatus, & Defensor Ecclesiæ, sed sicut superior Judex, & Dominus, potestatem super eos habens. Venerunt ipsi festinanter in typo superbiæ, & intrantes Palatium, steterunt coram Pontifice, & cunctis Fratribus, aliisque multis tam Clericis, quàm Laicis, sed nullam

(1) A., & M. *adjungunt* conpannum.
(2) A. triumphans.
(3) M. Jo:
(4) A. armis.
(5) M. Jo:
(6) M. attemptavisset.

nullam exhibuerunt eidem Pontifici reverentiam. Recitarunt ea, quæ à Domino suo imposita eis fuerant, & bullatas auro ejus literas reddiderunt; in quibus siquidem hoc inter cætera (7) continebatur expressum, quòd ipse Imperator audita dissensione, quæ in Romana Ecclesia emerserat, personas Ecclesiasticas de quinque Regnis convocaverat; ideoque præcipiebat eis ex parte generalis Ecclesiæ, ut in octava Epiphaniæ apud Papiam convenirent ad ejus præsentiam, audituri, & recepturi, quod in ea Curia dictaretur. His auditis turbati sunt Fratres, & pro exurgentibus undique gravioribus malis timor eos, & nimia solicitudo vehementer afflixit. Hinc namque maximè timebatur imminens persecutio Principis tam potentis, hinc Ecclesiæ libertas infringi videbatur, & penitus destrui (8). Illud præterea Fratrum animos non mediocriter contristabat, quòd idem Imperator Octavianum in suis literis Romanum Pontificem, & Alexandrum Papæ Cancellarium nominabat. Super iis ergo diu à Fratribus tractatum, & longa inter eos disceptatione disputatum. Deliberatum est tamdem, inspirante Domino, à quo bona cuncta procedunt, in Fide Catholicæ unitatis, & obedientia sui Pontificis: ita omnes confirmati, & unanimiter roborati sunt, ut pro manutenenda Ecclesiæ libertate, si necessitas immineret, ultimis se periculis unusquisque sponte offerret. Tunc instantibus pro responso prædictis Episcopis Alexander Papa coram multitudine Clericorum, Populorum, & Laicorum eis in hunc modum scripsit.

Nos recognoscimus Dominum Imperatorem ex collato sibi debito dignitatis Advocatum, ac specialem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Defensorem: unde ipsum, si per eum non steterit, præ cæteris Principibus Orbis intendimus honorare, ac per omnia ei deferre, in quibus Regis Regum honor nullum capiat detrimentum. Ubi verò quidquam occurit, quod absque summi Regis offensa nequeat effectum habere, si honorandus Imperator terræ videtur (9), *ut ille potiùs timeatur, illius potiùs honor conservetur, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, & qui animam, & corpus perdere potest in gehennam. Miramur itaque, quòd sincere illud, sicut convenit, diligentes, sinceræ non sentimus ex eo dilectionis affectum, & excellentiam ejus propensiùs honorare volentes, ab eo nobis, imo Beato Petro, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem debitum conspicimus denegari. In literis enim, quas ex parte ipsius nobis, nostrisque Fratribus detulistis, hoc inter cætera continebatur expressum,* quòd ipse audita dissensione, quæ in Ecclesia Romana emerserat, de quinque Regnis personas Ecclesiasticas convocaverat, *& cætera, ut supra usque* his auditis. *In quo nimium longè à consuetudine prædecessorum suorum recessisse videtur, & dignitatis suæ terminum excessisse, dum sine conscientia Romani Pontificis Concilium convocavit, & nos ad præsentiam suam, sicut homo super nos potestatem habens, præcepit convenire. Sanè Beato Petro, & per eum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus ipse per Deum magister extitit, ac fundator, hoc privilegium legitimè à Domino Jesu Christo, Sanctisque Patribus traditum, & per prospera, & adversa etiam cum effusione sanguinis, cùm oportuit, usque ad hæc tempora conservatum, ut universarum Ecclesiarum causas, cùm res exigeret, ipsius auctoritas discuteret, ac finiret, ipsa verò nullius unquam judicio subjaceret. Unde quia nunc ab eo contra privilegium Ecclesiæ indultum fieri videmus, per quem deberet ab aliorum impugnatione defendi, & quia ita scriptum est Matri, sicut cuilibet subjectæ personæ, hoc absque admiratione nimia ferre non possumus, nec debemus. Ad Curiam verò ejus accedere, vel sententiam Curiæ suæ in hac parte suscipere Canonica traditio, & reverenda Patrum auctoritas non permittit. Unde cùm nec in minoribus Ecclesiis Advocati earum, & Seculares Principes vocationes, disceptationes, ac decisiones hujusmodi causarum sibi, aut Curiis suis usurpent, sed suorum Metropolitanorum, seu Apostolicæ Sedis semper notitiam, ac diffinitionem expectent, divina videtur animadversione dignissimum, & ab omni Ecclesia tanto duriùs arguendum, quanto ampliùs ad universalis Ecclesiæ periculum redundaret, si per ignorantiam nostram, aut pusillanimitatem spiritus à capite (quod avertat Deus,) diebus nostris iste morbus inciperet, & nos Ecclesiam pretioso sanguine Christi redemptam in servitutem redigi sineremus, pro cujus libertate tuenda Patres nostri proprium sanguinem effuderunt, & nos ipsi ad eorum exemplum exigente necessitatis articulo extrema debemus pericula sustinere.*

Dato itaque responso indignati sunt prædicti Episcopi, qui missi fuerant, & contumaciter redeuntes ad Octaviani præsentiam, apud Signiam accesserunt. Præsentatis itaque sibi Imperialibus literis prostraverunt se ad pedes ejus, & adoraverunt eum. Id ipsum quoque fecit Otto Palatinus Comes, quem cum Teutonicis Imperator delegaverat ad partes Urbis. Tunc verò mediocriter elevatum est cor ipsius Hæresiarchæ, vehementer extollens se (10) tamquam insanus, & cœcus, nesciens, quòd secundùm Beati Cypriani Martyris dictum, *Schismatici semper inter initia ferventer incrementa habere non possunt, nec augmentare possunt, quod illicitè cœperint, sed statim cum propria sua æmulatione deficiunt*. De hujusmodi ambitiosis Propheta loquitur, dicens, *Verumtamen propter dolos disposuisti eis mala: projecisti eos, dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolatione, subitò defecerunt, & perierunt propter iniquitates suas, velut somnium exurgentis*. Tales autem Johannes Apostolus execratur, & percutit, dicens: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent nobiscum*. Hinc autem hæreses factæ sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit, & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut dum corda & mentes nostras unitatis discrimine examinat, probatorum fides integra (11) manifesta luce clarescat. Per Apostolum quoque præmonet Spiritus Sanctus, & dicit: *Oportet hæreses esse, & Schismata, ut qui probati sunt, manifesti sint in vobis*. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur. Sed jam redeamus ad rem.

Imperator autem Fredericus conceptam jamdiu malitiam de subjuganda sibi Ecclesia Christi ad effectum posse perducere inaniter sperans, accersito ad se in Lombardiam ipso Hæretico, & congregatis, quos potuit, Episcopis, atque aliis Ecclesiarum Prælatis de terra dominationis suæ, generalem celebraturus Curiam cum eodem Octaviano perrexit Papiam, ibique prophanam intentionem, & detestandum propositum suum callida circumventione detexit,

(7) A. contumeliarum.
(8) A., & M. Exemplum quoque perniciosum ad alias Ecclesias trahi nihilominus verebatur.
(9) *deest verbum fortasse*: fas est, ut.
(10) A., & M. super se.
(11) A., & M. veritatis luce &c.

Digitized by Google

xit, afferens Domnum Alexandrum, ejusque Fratres, & socios inimicos Imperii, ac suos, ac conjurasse cum inimicis, & adversariis suis; Octavianum verò semper sibi, & Imperio fidelem, & omnino devotum fuisse, unde videbatur ei, quòd electio ejus, licèt à paucioribus fuerit facta Catholicis, magis tamen robur, & favorem Imperii obtinere deberet, quàm multorum conjuratorum temerarium factum. Ideoque, ut eos, qui convenerant, ad ipsius Octaviani obedientiam, & subjectionem inducere posset, quosdam blanditiis, & variis promissionibus seduxit, quosdam minis, & terroribus invitos traxit. Sic itaque in perniciem animæ suæ, & in ruinam multorum, tunicam Christi, unitatem videlicet Catholicæ Fidei scindere tentans, ipse priùs incurvavit se ad pedes illius, & alios, quos potuit, ad id ipsum coëgit. Quo facto per totum sibi subjectum Imperium misit edictum, ut Ecclesiarum Prælati ad statuam, quam erexerat, adoraturi accederent; quod quicumque agere nollent, de terra sua non reversuri exirent. Hujus autem verbum durum, & asperum insonuit per totam Italiam. Omnes, qui spiritu fervebant, elegerunt potiùs exilium pati, ac persecutionem pro Deo, & manutenenda Fidei unitate, quàm pacificè adhærere Schismaticis cum honoribus, & abundare divitiis hujus sæculi. Facta est ergo maxima in Ecclesia Dei turbatio, fugientibus Catholicis, & deserentibus Ecclesias, propinquos, & patriam suam, atque in eorum locis violenter intrusis Octaviani complicibus. Cùm autem Beatus Alexander Papa eumdem Imperatorem benignè, ac frequenter commonitum à sua perfidia non posset ullatenus revocare, cum Episcopis, & Cardinalibus, in Cœna Domini apud Anagniam ipsum tamquam principalem Ecclesiæ Dei persecutorem excommunicationis vinculo solemniter innodavit, & omnes, qui ei juramento fidelitatis tenebantur adstricti, secundùm antiquam prædecessorum Patrum consuetudinem, ab ipso juramento absolvit, atque in Octavianum, & ejus complices jamdiu prolatam excommunicationis sententiam innovavit. Et quoniam ipsi Schismatici de justitia, & veritate diffidentes, Prælatos Ecclesiarum, & Principes orbis, exquisitis mendaciorum figmentis, circumvenerant, & in partem sui erroris inducere tentaverant, utile consilium Domno Papæ visum est, ut aliquos de Fratribus suis ad diversas mundi Provincias ex latere suo destinare deberet, per quorum siquidem studium, & laborem super facto electionis Apostolicæ declaratio fieret, & universitas fidelium in fide unitatis Catholicæ, cognita veritate, solidaretur. Missi sunt ergo ad partes Galliarum H. titulo Sancti Nerei, & W. Sancti Petri ad vincula, Presbyteri Card. atque Magister O. Diaconus S. Nicolai in carcere Cardinal. Ad partes autem Orientales I. titulo Sanctorum Johannis, & Pauli. Ad Hungaros verò I. Prænestrinus Episcopus, & P. Sancti Eustachii, Diaconi Cardinales. Ad Imperatorem quoque Constantinopolitanum Episcopus Tiburtinus, cum A. Sancti Theodori Diacono Cardinali. Divulgata itaque veritate jam dictæ electionis, & indubitanter cognita, Ludovicus Christianissimus Rex Francorum, cujus Regnum numquam Schismate polluisse recolitur, unà cum Henrico Anglorum Rege Domnum Alexandrum in Patrem, & animarum suarum Pastorem inspirante Domino receperunt. Reges quoque Hispaniarum, Siciliæ, Hierosolymorum, Hungariæ, atque Græcorum, Imperator cum Patriarchis, Episcopis, Principibus, & universo Clero, & Populo eis subjecto, idipsum eodem modo fecerunt. Recognoscente itaque toto mundo ipsum Pontificem Christi Vicarium, & Beati Petri Catholicum successorem, solus Fredericus Imperator dictus cum suis complicibus in erroris sui pertinacia, & obstinantia remansit, vehementer impugnans, & acriter persequens eumdem Pontificem, & illos Ecclesiarum Prælatos, qui cum eo viriliter stabant.

In secundo anno sui Pontificatus Alexander Papa reversus est ab Urbem Romam, ubi Ecclesiam Sanctæ Mariæ novæ, auctore Domino, solemniter dedicavit. Quia verò diutius ibidem propter (12) magnam Schismaticorum seditionem quietè non potuit remanere, precibus Populi Romani seductus ad partes Campaniæ remeavit. Et quoniam Imperialis persecutio adversùs Ecclesiam circa Urbem in tantum excrevit, quòd omne Patrimonium Beati Petri, præter civitatem Urbeveti, Terracinam, & Anagniam, atque munitionem Castri, ab Aquapendente usque ad (13) Ceparanum per Teutonicos, & Schismaticos violenter occupatum fuerat, & detentum, consilium habuit cum Ecclesiæ fidelibus, ut ad partes Galliarum cum Fratribus suis per mare transitum faceret. Ordinato itaque in Urbe Vicario Domno Julio Prænestrino Episcopo, & dispositis aliis, quæ videbantur Ecclesiæ necessaria, intraturus mare cum Fratribus suis Terracinam perrexit. Ibique invênit quatuor galeas Regis Siciliæ optimè præparatas, quas illuc ad ejus servitium destinaverat, in quibus domestica familia Pontificis, & Fratrum suorum, cum sarcinis necessariis vix intraverat, cùm validus ventus subitò irruit, & mare quietum in validam tempestatem convertit, ipsasque naves inter undarum procellas, & turbines conquassatas ad saxea litoris impulit, ubi absque morte hominum, & aliarum rerum damno dissolutæ sunt, & omnino confractæ. Propterea dispositum iter Pontificis eo tempore sic disturbatum, & impeditum remansit. Sed modico temporis spatio decurrente, reparatis navibus, & præparatis aliis, quæ ad ipsum iter necessaria videbantur, infra Octavas Nativitatis Dominicæ juxta montem Circejum in faucibus Legulæ cum Fratribus suis mare intravit, & in Festo Sanctæ Agnetis apud Januam remigante (14) Domino applicavit, ubi contra prohibitionem Frederici persecutoris Ecclesiæ ab universo Clero, & Populo cum gloria & honore susceptus est, atque tractatus. Exivit ergo à Janua in Dominica de Passione; cum omni jucunditate navigavit, & venit ad Insulam de Liguris in Sabbato Palmarum, ubi præ nimia tempestate maris coactus est Resurrectionem Dominicam celebrare. Sequente verò quarta Feria pervênit ad Ecclesiam Magalonensem, in qua majus Altare auctore Domino solemniter dedicavit. Et quoniam locus ipse pro suscipiendis hospitibus nimium erat arctus, & multitudo maxima Ecclesiasticorum Prælatorum adventum ejusdem Pontificis extra Insulam nimio præstolabatur affectu, ad populosam Montis-Pessulani Villam ascendere dignum duxit. Albo itaque palefredo, & cæteris

(12) M. inter.
(13) M. Cepanum.
(14) A., & M. remigrante.

Digitized by Google

ris Pontificalibus insigniis de more præparatis, Alexander Papa equum præ nimia populorum frequentia vix ascendere potuit, & viam in directum tenere. Tanta enim cunctorum ad ejus vestigia concurrentium improba, & importuna erat impressio, ut beatum se crederet qui vel fimbriam chlamydis ejus non sine multo conamine posset attingere. Occurrente igitur sibi W. Domino ipsius Villæ cum Baronibus, & decora militia, & officium Stratoris per milliarium exhibente, cum processione maxima eamdem Villam intravit, ibique inter cæteros Nobiles, qui accedebant (15) ad ejus vestigia, quidam Saracenorum industrius Princeps cum sociis suis reverenter accessit, & deosculatis pedibus ejus, fixit genua coram eo, & inclinato capite tamquam sanctum, & pium Christianorum Deum ipsum Pontificem adoravit. Locutus autem eidem Pontifici ex parte Domini sui Mathemucorum Regis, qui miserat eum ad partes illas, satis pompaticè in lingua sua barbarica, sed per interpretem cuncta exposuit, quæ dicere voluit. Cui Pontifex benignè, ac diligenter respondit, ipsumque plurimùm honoravit, & circa pedes suos inter alios honoratos consedere fecit honorificè. Videntes autem hæc universi, qui aderant in conspectu ejusdem Pontificis, valde mirabantur, & dicebant ad invicem illud propheticum verbum: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei*. Adveniente autem Dominica die Pontifex ad majorem Ecclesiam Missarum solemnia celebraturus accessit, & undique virorum, ac mulierum immensa confluente multitudine, post sermonem ad Populum, post veridicam electionis suæ narrationem, ac Schismaticorum procacem perfidiam, in personas Octaviani Hæresiarchæ, ac Friderici Imperatoris dicti, eorumque complicum, excommunicationis sententiam solemniter innovavit. Eo tempore in tota Aquitania, & circumpositis locis valida fames in tantum excrevit, ut præ nimia ciborum indigentia infinita hominum multitudo morte inevitabili deperiret: unde universos Gallos vehemens timor invasit, ne ipsorum terras consimilis cruciatus invaderet.

Pontifex autem adventum suum Regi Francorum significare curans, duos ex Fratribus suis, B. videlicet Portuensem Episcopum, & I. Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Cosmedin ad ejus præsentiam delegavit, quatenus voluntate ipsius præcognita certificaretur, ad quas regiones sui Regni de ipsius consilio accederet moraturus. Quos idem Rex pro Beati Petri reverentia reverenter suscepit, honestè tractavit; & habito consilio ad Domnum Alexandrum, quem in Patrem, & Pastorem animæ suæ jam receperat, eos cum læto responso, & multa jucunditate remisit. Eis itaque ad præsentiam Domini sui, & collegium Fratrum suorum redeuntibus, & expositis iis, quæ in responsis ab ipso Rege acceperant, gavisi sunt omnes gaudio magno. Exivit ergo Pontifex à Montepessulano in proximo mense Junii, & per Alestam, atque Miniatum, & Anicium transitum faciens, Alverniæ partes intravit, & in Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ apud Clarummontem cum omni prosperitate Domino ductore pervênit. Interea Fredericus videns totum mundum post Alexandrum currere, Orthodoxos Reges, & Principes orbis ei tamquam Romano Pontifici honorem, & reverentiam exhibere, tabescebat in se ipso, & propria eum accusante conscientia confundebatur, & terrebatur. Verecundabatur autem ab incœpto malo desistere, quia præ cæteris antecessoribus suis fortis, & potentissimus erat, & ferè totam Italiam sibi jam subjugaverat. Ex alia verò parte dubitabat plurimùm, ac timebat de amissione Imperialis Coronæ, si Alexander suis temporibus prævaleret. Positus ergo in tantæ ambiguitatis lubrico apud se cogitavit, sicut homo hujus sæculi prudentissimus, sagax, & callidus, qualiter posset Alexandrum, & idolum suum judicio universalis Ecclesiæ pariter dejicere, atque personam tertiam in Romanum Pontificem ordinare. Et quoniam uniuscujusque proprium esse solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi conjungere velit, adscivit Comitem Henricum Trecensem, de quo maximè confidebat, & revelans ei cogitatus suos, traxit ipsum ad voluntatem suam, & coadjutorem, atque cooperatorem suæ deliberationis fecit. Comes autem taliter ab Imperatore instructus & informatus ad propria rediit; & accedens sicut tentator ad Dominum suum Regem Francorum, virum siquidem pium, & columbinæ simplicitatis, fraudulenter suggessit ei ex parte ipsius Imperatoris bonum simulatum de reformanda pace Romanæ Ecclesiæ in hæc verba: Vult Imperator contemplatione divini amoris hoc bonum opus vobiscum hoc modo agere, ut vos duo majores Principes orbis conveniatis in unum apud Divionem (16) in confinio Regni vestri, & Imperii sui, cum majoribus personis tam Clericis, quàm Laicis Imperii, & Regni vestri, & ipse quidem adducet secum Octavianum cum sequacibus suis, & vos Alexandrum cum suis nihilominus vobiscum habeatis. Postquam verò vos duo cum utraque parte in præsentia tantorum virorum convenieritis, & electio utrorumque diligenter audita, & cognita fuerit, per congregatam illic Ecclesiam Gallicanam, Italicam, & Teutonicam, decernatur de utroque, quod justè videbitur decernendum, & statuatur in Romana Ecclesia quod melius, & utilius videbitur statuendum, & ordinandum. Et quoniam bonus visus est sermo iste de reformanda pace Ecclesiæ prædicto Regi, sicut vero (17) Israëlitæ, in quo dolus non est, quoniam de ipsa discordia mala plurima per omnes Ecclesias pullulabant, in bona simplicitate sua consensit persuasionibus Comitis, promittens ei, ut ex parte sua Imperatori securitatem præstaret super iis, quæ sibi suggesserat. Comes igitur ex impetratis lætatus, illico rediit ad eumdem Imperatorem in Lombardia existentem, & fecit ei juramentum ex parte Domini sui Regis, sicut dictum est superiùs.

Exivit ergo sermo iste malus per universas Italiæ, & Galliarum Provincias, dolentibus Catholicis, & timentibus in facto ipso, nisi Dominus dissipasset consilium istud præmeditatum adversùs antiquam Ecclesiæ libertatem. Appropinquante autem statuta die cum universa multitudine Principum suorum, ac militum armatorum, Fredericus Imperator accessit ad locum, & Octavianus cum schola complicum suorum secutus est eum. Rex quoque Francorum cum Primatibus, & Episcopis, atque Baronibus suis ad eumdem locum nihilominus festinabat, & Alexandrum Pontificem apud Silvanum (18) habuit obvium. In quo loco se se ad invicem hono-

(15) M. antecedebant.
(16) A. divisionem.
(17) M. viro.
(18) A., & M. Sylvianum.

Digitized by Google

honorantes, ut simul ad colloquium ipsum proficiscerentur, per biduum tractaverunt. Sed quoniam omnino videbatur indignum, & Sanctorum Patrum statutis contrarium, ut Summus Pontifex, & prima Sedes aliquod deberet humanum subire judicium, visum est omnibus, ut de melioribus Ecclesiæ Romanæ personis cum eodem Rege mitterentur illuc, eâ tantummodo causâ, ut per eos electio Domni Alexandri canonica monstraretur, & justa, & factum Octaviani posterius, & nullius fuisse momenti nihilominus probaretur. Missi sunt ergo à Pontifice B. Portuensis Episcopus, Hu: (19) titulo Sanctæ Crucis, I. titulo Sanctæ Anastasiæ, Presbyteri, I. Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & A. titulo Sancti Theodori, Diaconi Cardinales, cum eodem Rege ad sæpe dictum locum; & illis abeuntibus Pontifex cum reliquis Fratribus in partibus Aquitaniæ ad Monasterium Dolense divertit. Rex autem comitatus tantis & tam principalibus personis, postquam pervênit apud Divionem, processit usque ad medium pontis Saonis, qui Teutonicos à Francigenis dirimebat, expectans quid sibi de causa Ecclesiæ Imperator vellet proponere. Tunc Hæresiarcha Octavianus videns majores Ecclesiæ Romanæ personas cum Ecclesia Gallicana contra opinionem suam venisse, & adversùs se constantissimè stare, valde perterritus est, & de suo facto cœpit penitùs desperare. Quocirca vertens se ad Imperatorem dixit ei: ille adversarius meus dedignatus est huc venire, & Tu causam meam, quæ in conspectu tuo judicata est, & in Concilio Laudensi approbata, permittis iterum judicari, & retractari? Tunc Imperator attendens vultum ipsius Octaviani valde turbatum, visus est moveri adversùs Regem Francorum, loquens ei per internuntios in hæc verba: Ecce jam videris me decepisse, & contra juramentum conventionis manifestè venisse, cùm illum Papam tuum, sicut promisisti, ad hunc locum non adduxisti. Cui Rex habito consilio in hunc modum respondit: Quamvis absentiam Pontificis justè & rationabiliter valeam excusare, ne tamen honori commissi mihi Regni, & meæ famæ in aliquo derogetur, & ne fallaciæ notam justè, vel injustè possim incurrere, ego absque mora ipsum Pontificem cum Fratribus suis ad hunc locum absque dolo & fraude vocabo, & adesse faciam. Misit itaque Rex citissimè, sicut promiserat, nuntios certos ad Alexandrum, ut cum Fratribus suis ad eum sine mora veniret, nisi vellet eum in captione Imperatoris, pro ut inter eos statutum fuerat, detineri. Quo audito Pontifex, & Fratres ejus, attendentes Regem Francorum dolosis circumventionibus fuisse deceptum, valde in se ipsis turbati sunt, & prospicientes gravissima undique sibi imminere pericula, timore magno timuerunt. Si enim illuc humanum subituri judicium pergerent, Ecclesiæ libertatem per violentiam periclitari cernebant. Quòd si non irent, per detentionem Regis certa pesonarum captivatio eis, & rerum imminere spoliatio videbatur. Sanè maxima ipsius Imperatoris potentia terribilis erat, & nimiùm formidanda. Quippe ad hoc Daniæ, & Bohœmiæ Reges cum Ducibus, & Principibus suis, & cum magna multitudine armatorum militum, sicut credebatur, illuc secum adduxerat, ut de prædicto Pontifice, & de Francorum Rege, quod malè jamdiu excogitaverat, in ipso colloquio posset juxta suum desiderium consumare: Sed pius, ac misericors Dominus, qui non derelinquit sperantes in se, & prava dissipat consilia Principum, non est passus eumdem Pontificem, & pium Regem Francorum in angustia maxima positos tentari supra id, quod possunt, sed ex insperato fecit eis cum tentatione proventum.

Excitavit enim spiritum gloriosi Regis Anglorum, ut auxilium, & subventionem Domini sui Francorum Regis cum maxima multitudine virilium pugnatorum adversùs eumdem Imperatorem animositate nimia festinaret. Immisit etiam tantum famis cruciatum in exercitu illius, ut præ nimia ciborum penuria unus panis modicus ab esurientibus emeretur pretio unius marcæ argenti. Unde, quia ipse Imperator nec moram ibidem facere, nec malum, quod in corde gestabat, poterat exercere, occasionem recedendi de loco ipso honestiorem, quam potuit, celeriter studuit invenire. Igitur per Raynaldum Cancellarium, & alios fautores suos egregio Regi Francorum locutus est in hæc verba: *Mandat vobis Dominus noster Fredericus Imperator Romanorum, & specialis Advocatus Romanæ Ecclesiæ, quòd ad nullos Ecclesiarum Prælatos de causa electionis Romani Pontificis judicium ferre pertinet, nisi ad eos tantùm, qui sub Imperio Romano existunt, ideoque bonum videtur, & justum, ut cum Episcopis, & Clero (20) vestro ad eum tamquam amicum, & socium accedere, & illorum sententiam debeatis audire*. Quibus verbis auditis Rex modicum subridens respondit eis hoc modo: *Miror prudentem virum varia mihi, & fabulosa verba misisse. An ignorat, quod Dominus noster Jesus Christus, cùm esset in terris, Beato Petro, & per eum universis Successoribus ejus oves suas pascendas commiserit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem Filio Dei eidem Principi Apostolorum dictum: Si diligis me Petre, pasce oves meas? Numquid sunt hic Francorum Reges, vel aliqui Prælati Ecclesiarum excepti? An Episcopi Regni mei non sunt de ovibus, quas Filius Dei Beato Petro commisit?* Et iis dictis vertit habenas in eorum contemptu, & statim ad arma cum Baronibus, & reliqua militia consurgens debiliora Regni sui loca munivit, & tamquam vir prudens, & fortis ad sedem suam cum gloria & honore, propitiante Domino, rediit. Fratres verò, qui à Pontifice missi fuerant, ad ipsius præsentiam cum gaudio remeantes, narraverunt omnia, quæ ad honorem Dei, & Ecclesiæ in colloquio ipso per industriam gloriosi & Orthodoxi Regis facta fuerant. Unde & Collegium Fratrum, & cuncti, qui aderant, gaudentes & exultantes, gratias egerunt Domino Jesu Christo, qui cum eis misericordiam fecerat, & eos de manibus tam potentissimi hostis liberare dignatus est. Imperator autem remanens in sua erubescentia confusus, coactus est multâ famis inediâ exercitum remittere ad propria, & ipse ad Regnum Teutonicum non sine tristitia remeavit.

In diebus illis prædictus Rex Anglorum Domnum Alexandrum Papam apud Dolense Monasterium corporali præsentia visitavit, & ad ejus vestigia humiliter procidit. Sed post oscula pedum aureis oblatis muneribus ad oscula ejusdem Pontificis est receptus. Mox in præparato sibi faldistorio sedere declinans, circa Pontificis pedes in terra cum Baronibus suis voluit humiliter consedere. Post triduum verò lætificatus

(19) M. Hug.

(20) M. vestro non legit.

catus plurimùm de jucunda visione ipsius Pontificis, & largitis magnis muneribus sibi, & Fratribus suis, cum lætitia recessit ab eo. Pontifex autem facta dedicatione majoris Altaris prædicti Monasterii, versùs Turonem iter arripuit, & ad ipsam civitatem circa Festum Beati Michaëlis cum omni prosperitate, Domino auxiliante, pervenit; ibique cum Fratribus suis moram diutiùs fecit, & Nativitatem Domini solemniter celebravit. Adveniente autem Septuagesima colloquium habiturus ad Parisiensem civitatem accessit. Sed antequam civitatem ipsam intraret, Rex tamquam pius, & mitis, cum Baronibus, & militibus suis per duas leucas ei occurrit. Quo viso statim descendit, & ad streugam ipsius festinanter concurrens, humiliter deosculatus est pedes ipsius, & statim ad oris oscula cum devotione fuit receptus. Deinde simul alacriter procedentes intraverunt prædictam civitatem, occurrente ipsi Pontifici Clero cum maxima & decora processione, deduxerunt eum in gaudio, & jubilatione ad majorem Ecclesiam. Mansit autem in ipsa civitate per totam Quadragesimam, & Paschale Festum inibi celebravit. Et quoniam tempus Concilium celebrandi imminebat, quod in octavis Pentecostes Turonis convocaverat, exivit de Parisiis, & transiens per Carnotum ad Turonis civitatem celebriter (21) remeavit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCLXIV. Indictione X. anno IV. sui Pontificatus, XIV. Kalendas Junii sæpedictus Alexander Papa in Ecclesia Sancti Mauritii Turonis Concilium celebravit, in quo interfuerunt secum Cardinales numero decem & septem, Episcopi centum viginti quatuor, Abbates quadringenti decem & quatuor, & aliorum tam Clericorum, quàm Laicorum maxima multitudo; in quo nimirum Apostolica constituta roborata sunt, & hæc nova Capitula promulgata.

Capitula promulgata in Concilio Turonensi.

,, Majoribus Ecclesiæ beneficiis in sua inte-
,, gritate manentibus, indecorum nimis vide-
,, tur, ut minores Clericorum præbendæ reci-
,, piant sectiones: idcirco sicut in magnis, ita
,, quoque in minimis membris suis firmam ha-
,, beat Ecclesia unitatem. divisionem præbenda-
,, rum, aut dignitatum permutationem fieri
,, prohibemus. Plures Clericorum, & (quod
,, mœrentes didicimus) eorum quoque, qui
,, præsens sæculum professione (22) vocis &
,, habitu reliquerunt, dum communes usuras,
,, quasi manifestiùs damnatas exhorrent, com-
,, modatâ pecuniâ indigentibus, possessiones eo-
,, rum in pignus accipiunt ultra sortem. Idcir-
,, co generalis Concilii decernit auctoritas, ut
,, nullus amodo constitutus in Clero, vel hoc,
,, vel aliud usuræ genus exercere præsumat. Et
,, si quis hactenus alicujus possessionem datâ
,, pecuniâ sub hac spe in pignus accepit, si
,, sortem suam, deductis expensis, de fructibus
,, jam recepit, absolutè possessionem restituat
,, debitori. Si autem aliquod munus habet, eo
,, recepto, possessio liberè ad Dominum re-
,, vertatur. Quòd si post hujusmodi constituta
,, in Clero quisquam extiterit, qui detestandis
,, usurarum lucris insistat, Ecclesiastici officii
,, periculum patiatur, nisi fortè beneficium
,, Ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei hoc
,, modo de manu Laica videatur. Quamvis
,, grave nimis, & Divini dignum animadversio-
,, ne judicii habeatur quod Laici quidem,
,, quod Sacerdotum est, in Ecclesiasticis rebus
,, usurpant, majorem inde formidinem incutit,
,, ac dolorem, quòd fomitem sui erroris in ip-
,, so Deo dicuntur aliquoties invenire, dum
,, quidam Fratrum, & Coëpiscoporum nostro-
,, rum, aliorumque Prælatorum Ecclesiæ deci-
,, mas eis, & (23) Ecclesiarum dispensationes
,, indulgent, & in devia eos mortis impellunt,
,, qui prædicatione ipsorum ad vitæ viam fue-
,, rant revocandi. De quibus dicit Dominus
,, per Prophetam: Peccata populi mei come-
,, dunt, & ad iniquitates provocant animas eo-
,, rum. Unde statuimus, ut si quis alicui Laico
,, in sæculo remanenti Ecclesiam, decimamve
,, concesserit, à statu suo, tamquam arbor, quæ
,, inutiliter terram occupat, succidatur, & do-
,, nec emendet, ruinæ suæ subjaceat, dolore
,, (24) prostratus.

,, In partibus Tholosæ damnanda hæresis du-
,, dum emersit, quæ more cancri paulatim ad
,, vicina loca diffundens, per Vasconiam, &
,, alias Provincias quamplurimos jam infecit;
,, quæ dum in modum serpentis infra suas re-
,, volutiones absconditur, quanto serpit occul-
,, tiùs, tanto graviùs dominicam in simplicibus
,, demolitur. Unde contra eam Episcopos, &
,, omnes Domini Sacerdotes in illis partibus
,, commorantes vigilare præcipimus, & sub in-
,, terminatione anathematis prohibere (25);
,, ne, ubi cogniti fuerint illius Hæresis sectato-
,, res, receptaculum quisquam eis in terra sua
,, præbere, aut præsidium impertiri præsumat.
,, Sed nec in venditione, aut in emptione ali-
,, qua cum eis communio habeatur, ut solatio
,, saltem humanitatis amisso ab errore viæ suæ
,, resipiscere compellantur. Quisquis autem
,, contra hæc venire tentaverit, tamquam Prin-
,, ceps iniquitatis eorum anathemate feriatur;
,, Illi verò si deprehensi fuerint, per Catholicos
,, Principes custodiæ mancipati omnium bono-
,, rum amissione mulctentur. Et quoniam de
,, diversis partibus in unum latibulum crebrò
,, conveniunt, & præter consensum erroris nul-
,, lam cohabitandi causam habentes, in uno do-
,, micilio commorantur, talia conventicula &
,, investigentur attentiùs, & si inventa fuerint,
,, Canonica severitate vetentur.

,, Quoniam enormis quædam consuetudo in
,, quibusdam locis contra Sanctorum Patrum
,, constitutiones invaluit, ut sub annuo pretio
,, Sacerdotes ad Ecclesiarum regimen statuan-
,, tur: ne id fiat modis omnibus prohibemus;
,, quia dum Sacerdotium sub hujusmodi mer-
,, cede venale disponitur, ad æternæ retributio-
,, nis præmium consideratio non habetur.

,, Non satis utiliter in populo avaritia redar-
,, guitur, si ab iis, qui in Clero constituti vi-
,, dentur, & præcipuè qui contempto sæculo
,, Religiosorum nomen profitentur, & regulam,
,, modis omnibus non cavetur. Prohibemus igi-
,, tur, ne ab iis, qui ad Religionem transire
,, voluerint, aliqua pecunia requiratur, neve
,, Prioratus, aut Capellaniæ quælibet Monacho-
,, rum, aut Clericorum annua distractione ven-
,, dantur, neque ab eo, cui regimen ipsarum
,, committitur, pro earum commissione ullum
,, pretium exigatur. Hoc autem Simoniacum
,, esse Sanctorum Patrum auctoritas manifestè
,, decla-

(21) A. celeriter.
(22) A., & M. secundùm Confessionem vocis, & habitum &c.

(23) A., & M. & ipsarum Ecclesiarum &c.
(24) A., & M. in dolore *non legunt*.
(25) A. prohibemus.

„ declarat; unde quisquis hoc decreto (26) „ præsumpserit attemptare, tam qui dederit, „ quàm qui acceperit, partem se cum Simone „ non dubitet habiturum. Pro sepultura quo- „ que, Chrismatis, & Olei Sacri perceptione, „ nulla cujusdam pretii exactio intercedat, ne- „ que sub obtentu alicujus consuetudinis rea- „ tum suum aliquis tueatur, quia diuturnitas „ non minuit peccatum, sed auget.

„ Quia in quibusdam Episcopatibus Decani „ quidam, vel Archipresbyteri ad agendas vi- „ ces Episcoporum, seu Archidiaconorum, & „ terminandas causas Ecclesiasticas sub annuo „ pretio constituuntur, quod ad Sacerdotum „ gravamen, & subversiones judiciorum non est „ dubium redundare, id ulteriùs fieri districtiùs „ prohibemus. Quòd si fecerit, removeatur à „ Clero. Episcopus quoque, qui hoc in sua „ Diœcesi sustinuerit, & Ecclesiastica judicia „ sua patitur dissimulatione perverti, Canonica „ districtione plectatur.

„ Non magnopere antiqui hostis invidia in- „ firma membra Ecclesiæ præcipitare laborat, „ sed manum mittit ad desiderabilia ejus, & „ electos (27) quoque nititur supplantare, di- „ cente Scriptura: *Esca ejus electa*. Multorum „ siquidem casum operari se reputat, ubi pre- „ tiosius aliquod membrum Ecclesiæ sua fuerit „ calliditate detractum. Inde nimirum est, „ quòd se in Angelum lucis more solito transfi- „ gurans sub obtentu languentium fratrum me- „ dendi corporibus, & Ecclesiastica negotia „ fideliùs pertractandi, Regulares quosdam ad „ legendas Leges, etiam confectiones Physicas „ ponderandas, de claustris suis educit, unde „ ne sub occasione scientię spirituales viri mun- „ danis rursum actionibus involvantur, & in- „ terioribus ex eo ipso deficiant, ex quo se „ aliis putant in exterioribus providere: De „ præsentis assensu statuimus, ut nullus omnino „ post votum Religionis, post factam in aliquo „ Religioso loco professionem, ad Physicam, „ Legesve mundanas legendas permittatur exi- „ re. Si verò exierit, & ad claustrum suum in- „ fra duorum mensium non redierit, sicut ex- „ communicatus ab omnibus evitetur, & in „ nulla causa, si patrocinium præstare tenta- „ verit, audiatur. Reversus autem, in choro, „ capitulo, mensa, & cæteris ultimus fratrum „ semper existat, & nisi ex misericordia forsan „ Apostolicæ Sedis totius spem promotionis „ amittat. Ad hæc ordinationes, factas ab Octa- „ viano, & aliis Schismaticis, & Hæreticis, „ evacuamus, & irritas esse censemus.

Celebrato itaque Concilio Domnus Alexander Papa responsum à prædictis Regibus tale recepit, ut si moram in aliquo loco Regnorum suorum assiduam facere vellet, eligeret Villam, seu civitatem, quæ sibi magis placere deberet. Unde factum est, quòd ad civitatem Senonensem moraturus accessit, quoniam ipsa Metropolis valde famosa erat, ac fertilis, & advenientibus (28) opportuna. In quo loco à Calendis Octobris usque ad Pascha secundi anni moram diutinam faciens, universalis Ecclesiæ negotiis pro sui officii debito curam, & diligentiam jugiter habuit.

Eodem tempore infelicis memoriæ Octavianus Hæresiarcha infirmatus est apud Lucam, ubi circa Festum Paschale impœnitens, & excommunicatus de hoc mundo migravit ad Inferos, licèt à quibusdam dictum fuerit, quòd Sacerdotem Catholicum vocaverit, qui prohibitus à Schismaticis ad eum intrare non potuerit. Cujus detestandum obitum supradictus Imarus (29) Tusculanus, unus ex principalibus (30) consociis ipsius jamdiu prævenerat, & apud Cluniacum pessimam mortem incurrerat. Tunc de quatuor falsis Fratribus, qui ab Ecclesiæ unitate in animarum suarum pernitiem recesserant, non remanserunt, nisi duo tantummodo fumigantia membra, Johannes videlicet de Sancto Martino, & Guido Cremensis, qui se in luctu, & mœrore nimio affligebant. Et quidem non modicum trepidantes ubi non erat timor, dicebant ad invicem: Si elegerimus ad Alexandrum converti, fortè non recipiet nos absque intolerabili obbrobrio, & confusione perpetua. Quòd si reciperet nos, postmodum faceret de nobis illud idem, quod fecit Innocentius Papa de Cardinalibus illis, qui contra eum cum Petro Leonis steterunt. Quocirca desperantes ab Ecclesia recipi, vocaverunt cæteros Schismaticos Clericos, & Laicos, tam de Italia, quàm de Alamannia, qui ad sepeliendum Octavianum ibidem convenerant. Omnes igitur in unum pariter congregati, sicut obstinati, & perfidi, prædictum Guidonem Cremensem super se levaverunt secundum idolum, & ad ejus vestigia se incurvantes, adoraverunt eum. Et statim ad Imperatorem tunc in Alamannia existentem festinanter miserunt, ut abhominandum eorum factum auctoritate Imperiali confirmaret; & ne ab Alexandro confunderentur, auxilii sui potentiâ tam per Imperiales literas, quàm per honoratos nuntios festinanter juvaret. Imperator verò ubi de morte Octaviani certitudinem habuit, non mediocriter mœstus, & tristis effectus est, sed ne in malo proposito suo superari videretur, & vinci, tantæ iniquitati, Dei timore postposito, absque dilatione immediatè consensit, & extinctum schisma, quantum potuit, resuscitare omnimodè studuit. Ad majorem verò suæ damnationis cumulum, ut Catholicos fortiter deterreret, & complices suos in malitia ipsa adderet fortiores, addens peccatum peccato, juravit ore proprio super Sancta Evangelia, quòd prædictum Guidonem ejusque Successores Catholicos, & Alexandrum, atque successores ipsius Schismaticos semper teneret. Id ipsum quoque viros Ecclesiasticos, quoscumque coërcere potuit, nihilominus jurare coëgit. In quo execrabili facto quid aliud conatus est, nisi Ecclesiam Dei dividere? Sicut enim in Symbolo continetur, omnis Catholicus Christianus non in duas, sed in unam Sanctam Apostolicam Ecclesiam credit, & singulis diebus Dominicis decantat, & confitetur: unde alibi scriptum est: *Una est columba mea, perfecta mea, una matris suæ, electa genitricis suæ*. Hanc Ecclesiæ unitatem Beatus Paulus Apostolus docet, & sacramentum unitatis ostendit, dicens: *Unum corpus, & unus spiritus: una spes vocationis nostræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus*.

Hanc igitur Ecclesiæ unitatem non tenens Fredericus Imperator, tenêre se Fidem credit. Qui Cathedram Petri deserit, super qua fundata est Ecclesia, quomodo se in Ecclesia esse con-

(26) A., & M. de cætero.
(27) A. Clericos quosque.
(28) M. adinventionibus.

(29) A., & M. Ignarus.
(30) A., & M. Principibus.

Digitized by Google

confidit? Sicut enim non potuit evadere quisquis extra arcam, in qua Noë fuit, sic & qui ab Ecclesia fuerit foris, evadere nullatenus poterit. Præterea illud ad memoriam duximus revocandum, quòd priusquam ad colloquium Regis Francorum Imperator ipse accederet, post destructionem Terdonæ, & Mediolani, & Cremæ, totam Lombardiam in tantam servitutem redegerat, ut non solùm alia eorum bona violenter auferret, sed etiam, quod inter Paganos absque capitali pœna non præsumitur, ministeriales ipsius, uxores, & filias eorum diriperent, & impunè abuti non formidarent. Pro iis ergo, & aliis importabilibus malis Veneti cum Veronensibus, Paduanis, Vicentinis, & cum tota sibi adjacente Marchia occultè se convenerunt, & super tantis oppressionibus diutiùs conferentes, tamdem pariter juraverunt, quòd salvo Imperii antiquo jure nihil ampliùs de cætero facerent prædicto Imperatori, nisi quod ab antiquis antecessoribus suis ejus decessoribus, Carolo videlicet, atque aliis Orthodoxis Imperatoribus constat exhibitum. Quibus unanimiter associatis, & jurisjurandi religione adstrictis cœperunt loca sua paulatim munire, Theotonicorum insolentias coërcere, & quos inveniebant sibi rebelles audaciùs propulsare. Quod postquam in auribus ejusdem Imperatoris insonuit, in iram nimis exarsit, & statim collecto exercitu, cum Papiensibus, Cremonensibus, cæterisque Lombardis, de quibus videbatur confidere, adversùs eosdem Veronenses pugnaturus processit. Econtra Veronensis Societas cum maxima multitudine armatorum extra civitatem, de sua justitia plenè confidens, intrepida exivit, & tentoria sua non longè à papilionibus adversæ partis audacter collocavit. Cùm autem utrinque ad prœlium committendum parati existerent, Imperator animos Lombardorum, qui secum venerant, propitios adversæ parti præcognoscens, non mediocriter timuit, & non sine verecundia, & multa confusione de campo exivit, nec certamen cum eis inivit, sed terga vertens aufûgit. Ab eo igitur tempore Italiæ civitates omnino suspectas habuit, à quibus potiùs timeri voluit, quàm amari. Unde factum est, quòd de consilio Marchionum, & Comitum, atque Capitaneorum, qui erant civitatibus odiosi, arces inexpugnabiles, & alias munitiones fortissimas in manibus suis recepit, & per Teotonicos fideliores sibi detineri, & diligentiùs custodiri fecit. Constituit etiam Teotonicos Principes, ac dominatores super Lombardos, ac custodes, ut de cætero ejus voluntati resistendi locum habere nullatenus possent. Iis itaque pro sua voluntate dispositis, & ordinatis, ad colloquium Regis Francorum, sicut supra diximus, securè transmisit, & exinde ad partes Alamanniæ remeavit. Rebus itaque hoc modo se habentibus, cùm civitates Lombardiæ, quæ inferiùs adnotantur, intentionem, & propositum ejus Imperatoris contra se omnino amarum, & pessimum certis indiciis cognovissent, nullum aliud evadendi certum consilium invenerunt, nisi ut omnes pro tuenda libertate sua, cum civitate Veronensi contra omnes firmiter starent, & se ipsos alterutrum pariter adjuvantes, necessaria sibi solatia, & auxilia exhiberent. Aggregatæ sunt ergo Veronensi hæ civitates in primis Cremona videlicet, ac Populus Mediolanensis extra mœnia suæ dirutæ civitatis ab ipso Imperatore positus, Placentia quoque, Brixia, & Pergamum. Crevit igitur repentè Societas ipsa in immensum, & facta est firma, & fortis. Aliæ verò civitates Italiæ videntes hæc, lætabantur in cordibus suis, & licèt Imperatori præ nimio timore ad oculum obedirent, corde & animo cum prædictis (31) civitatibus erant.

Dum autem hæc agerentur, defunctus est Romæ Julius Prænestrinus Episcopus, Alexandri Papæ Vicarius, & in loco ejus Jo: Presbyter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli est subrogatus; ad cujus utique commonitionem Populus Romanus ex maxima parte Alexandro Papæ consuetam fidelitatem pecunia non modica mediante juravit, & Senatum juxta voluntatem, & arbitrium ejus innovando constituit. Ecclesiam quoque Beati Petri, & Comitatum Sabinensem, quæ tunc à Schismaticis per violentiam Imperatoris (32) detinebantur occupata, in manibus ejusdem Vicarii nihilominus reddidit. Unde factum est, quòd tota ferè Urbs ad honorem, & servitium Papæ Alexandri pacificè detinebatur ab eodem Vicario. Habito itaque consilio cum Ecclesiæ fidelibus tam Clericis, quàm Laicis, de revocando Pontifice ad Sedem Beati Petri, & Lateranense Palatium, nuntios ad eum, & literas in partibus Galliarum apud Senonas existentem transmisit, orans, & petens ab eo ex parte totius Cleri, & Populi Romani, atque fidelium suorum, quatenus ad primam Sedem suam, & Populum spiritualem (33) sibi commissum, dignaretur reverti. Ecclesię namque principatus, & regimen in ipsa Urbe non ab alio, sed ab ipso Domino, est proculdubio constitutum, ut quæ gentilitatis opere (34) cunctis gloriosior fuerat, eadem quoque divino consilio in Christianæ Fidei revelatione magisterii dignitatem præ omnibus obtineret. Sed multi quidem huic divinæ dispositioni resistere, & adversùs eam conati sunt calcaneum elevare; nullus tamen Domino protegente potuit prævalere. *Unde oportet, Charissime Pater, & Domine, ut in hac parte non tantum nobis, sed omnibus Ecclesiis, & Populis Italiæ salabriter consulatis, qui de reversione vestra in eadem Urbe, & sessione in Beati Petri Cathedra, pacem sibi sperant auctore Domino provenire, & orbi universo tranquillitatem.*

His itaque auditis & intellectis, Pontifex de sua reversione ad Urbem cum Episcopis, & Cardinalibus spatiosè loquens, licèt multa imminere sibi gravia, & difficilia prævideret, post consilium tamen Regis Francorum, & alterius Regis Anglorum, necnon & Episcoporum Galliæ, prædicto Vicario certum de suo reditu dedit responsum; statimque se ad iter ipsum festinanter accinxit. Celebrato itaque Pascha exivit à Senonis, & transiens per Parisius, & Bituricas, & Anicium, post Festum Apostolorum ad Montem Pessulanum incolumis per Dei gratiam remeavit. Paratis ergo navibus, & aliis, quæ ad navigandum necessaria videbantur, infra Octavas Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ cum Fratribus suis mare intravit, & immensam pelagi vastitatem non sine multo discrimine transcendens, ad civitatem Messanam prosperis velis applicuit. Quod postquam in auribus recolendæ memoriæ Guilielmi Christianissimi Regis Siciliæ apud Panormum insonuit, eumdem Pontificem, tamquam Patrem,

(31) A., & M. cæteris.
(32) A. Imperatorum.
(33) A. specialem.
(34) A., & M. tempore.

Digitized by Google

trem, & Dominum suum, à quo patrimonium Siciliæ, & totam aliam terram suam tenêre dinoscitur, digno ipsum cum honore tractari, & magna sibi munera præsentari studuit. Ad vehendam quoque ipsius venerandam personam, galeam unam rubeam, & ad opus Episcoporum, & Cardinalium quatuor jussit studiosissimè præparari. Rheginum quoque Archiepiscopum, & alios Magnates cum ipso Pontifice destinavit, qui eum gloriosè conducerent, splendidè procurarent, & usque ad Urbem Romanam gloriosè deferrent. Movit ergo à Messana Beatus Alexander Papa in mense Novembris, & transiens per Salernum, atque Gajetam, fauces Tiberis in Festo Sanctæ Cœciliæ, suffragantibus Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli meritis, ingressus est, & Ostiam, ubi ea nocte ductore Domino cum Fratribus suis quievit, sanus, & incolumis pervênit. Mane autem facto Senatores cum nobilibus, & magna Cleri, & Populi multitudo, ex Urbe sibi honorificè occurrerunt, exhibentes sibi, tamquam animarum suarum Pastori, obedientiam debitam, & consuetam reverentiam; & exinde cum ramis olivarum usque ad Portam Lateranensem cum omni gaudio, & lætitia conduxerunt. Ibique totus Urbis Clerus de more solemniter indutus, ejusdem Pontificis jamdiu desideratum præstolabatur adventum. Ibi convenerant Judæi ex more legem suam deferentes in brachiis; ibi concurrerant Signiferi cum bandis, Stratores, Scriniarii, Judices cum Advocatis, & non modica ejusdem Populi multitudine. Quid plura? Inchoata processione decora, & concrepantibus undique altisonis vocibus, cum tanta gloria, & exultatione deductus est ad Patriarchium Sancti Salvatoris, & Lateranense Palatium, cum quanta nullus Romanorum Pontificum à longis retro temporibus recolitur fuisse receptus. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXV. Indictione XIII., IX. Kalendas Decembris, Pontificatus verò ipsius Papæ anno VI.

Dum autem in urbe Roma hæc agerentur, & Domnus Alexander Papa in Beati Petri Cathedra, tamquam Christi Vicarius, resideret, Guido Cremensis, & ejus complices valde turbati sunt. atque confusi, quoniam timor & tremor apprehendit eos. Catholici verò, licèt à Frederico Imperatore multas tribulationes toleraverint pro justitia, lætabantur tamen de prosperis Ecclesiæ successibus, & nimia confusione Schismaticorum. Lombardorum quoque Societas contra Ecclesiæ adversarios, & libertatis suæ impugnatores, intrepida persistebat, disponens universa, quæ ad tuitionem sui utiliora esse prospiciebat, & ut Imperatoris calliditates, & machinamenta, quæ in confusionem Lombardorum paraverat, destruere posset, operam, & studium pro viribus impendebat. Unde factum est, quòd Veronenses, & Paduani, tamquam viri bellicosi, & libertatis propriæ amatores, ut Imperatoris adventum per partes suas penitùs disturbarent, & inposterum sibi, & toti patriæ salubriter providerent, munitissimum Castrum Rivuli, & Appendicii (35) arcem in manu forti aggressi sunt, & viriliter expugnantes funditus destruxerunt.

Eodem tempore idem Imperator exercitum congregavit, & tertia vice per Valcamonicam ex insperato Lombardiam ingressus, castrametatus est in territorio Brixiensi. Et licèt Lombardorum civitates valde haberet exosas, & nulla ratione in ipsis confideret, quia tamen contra eum omnes simul convenerant, non erat ei tutum offensionem quamlibet eis, vel molestiam irrogare. Ideóque feritatem, quam gerebat in corde, dissimulans, blandum se omnibus, & hilarem demonstrabat, & ad ejus præsentiam, sicut ad tanti Principis aspectum Nobilium, & Civium turmæ, prout solet fieri, jugiter accedebant, & honorem sibi debitum, & consuetam reverentiam exhibebant. Processit itaque versùs Ferrariam, & cum omni pace venit juxta Bononiam, ubi aliquamdiu pro sui exercitus lassitudine morari disposuit. Interim verò aliquos de Magnatibus suis præmisit in Tusciam, ut auxilium, & vires præstarent Guidoni Cremensi, quem denuo in idolum contra Deum erexerat, & Papæ Alexandro, atque Romanis gravamina, & læsiones, quas possent, inferre studerent. Ipse verò cum exercitu suo ad Anconam descendit. Et quia Imperator Græcorum datâ immensâ pecuniâ Civibus ejusdem loci civitatem ipsam detinebat per violentiam occupatam, ut injuriam sibi, & Imperio suo illatam posset ulcisci, eam obsedit, & expugnare omnimodis nitebatur. Porrò ejusdem Imperatoris barbaries, quam in Tusciam destinaverat, propter dissensiones, & guerras, quæ inter Pisanos, & Lucenses emerserant, ita universos perterruit, & Imperiali dominio subjugavit, quòd in Urbe Romana ferè nullus reperiebatur, qui resistere Imperialibus jussis auderet. Tunc circumpositæ Urbi civitates, & Capitanei à Teotonicis invasæ sunt, & à consueta Beati Petri fidelitate, atque dominio separatæ. Sic itaque totam Terram ipsam multis deprædationibus, & incendiis, atque aliis oppressionibus prædicti nefarii devastarunt. Ipsam quoque Civitatem matrem Romam cùm viribus armorum subjicere Imperatori non possent, pecuniarum largitione, ut adimpleretur antiquorum scriptura, non absque re temptaverunt corrumpere. Et quia Roma, si inveniret emptorem se venalem præberet, non defuerunt multi ex eodem Populo, qui susceptâ pecuniâ Guidoni Hæresiarchæ, & Imperatori contra omnes homines fidelitatem jurare præsumerent. His itaque gravibus malis undique increbrescentibus, benignus Pontifex eumdem Populum affectu paterno frequenter commonuit, ut cum ipso, & Ecclesia unum saperent, & vicinas civitates, atque Capitaneos pacificè revocarent, & sibi adstringerent, atque pro defendenda Ecclesia, & Civitate contra fortissimum adversarium unanimiter starent. Obtulit etiam eidem Populo Ecclesiæ pecuniam expendendam in ipso facto secundùm Ecclesiæ facultatem. Sed peccatis exigentibus nihil cum eo potuit efficere, qui se utrique parti simulabat placere, & cum nulla fideliter ambulabat. Quia ergo neque pastoris vocem intelligere, neque superventuras calamitates voluit præcavere divinam ultionem justè incurrit, cùm personarum simul & rerum proprietatem perdere meruit. In diebus illis, cùm adhuc Fredericus Imperator obsideret Anconam, Societas Lombardorum in libertatis suæ soliditate fortiùs roborata dignum duxit, ut Mediolanenses in civitatem suam Domino auxiliante reduceret, & diruta mœnia, suffragantibus Beati Ambrosii meritis, studiosiùs repararet. Ad majorem quoque suæ operationis stabilitatem Laudam, quam ipse Imperator in oppressionem aliarum civitatum noviter tran-

(35) A. Appendii.

Digitized by Google

transtulerat in loco munitissimo, eisdem Mediolanensibus amicabili fœdere sociavit, & arctioris vinculo amoris adstrinxit. Præterea Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos schismaticis, & intrusis cum obbrobrio expulsis, per omnes civitates, & Episcopatus suos, Domino cooperante, constituit. Unde, licèt Imperator usque ad præcordia tristaretur, potiùs elegit hæc ad tempus dissimulanter tolerare, quàm causam suam vacillantem in præsenti deteriorem facere.

Eodem tempore fidelis, & devotus Ecclesiæ Romanæ filius Guilielmus, illustris, & gloriosus Rex Siciliæ, cujus animam Domino commendamus, apud Panormum in pace defunctus est. Cui itaque sicut in Regno, ita in eadem fidelitate, & devotione Guilielmus major ejus filius Domino Auctore successit. Per idem quoque tempus Emmanuel magnus & excelsus Constantinopolis Imperator, sciens molestias, & gravamina, quæ prædictus Fredericus venerando Papæ Alexandro contra Deum, & omnem justitiam conabatur inferre, misit ad Urbem Romam Jordanum Imperii sui Sebaston, filium Roberti quondam Capuani Principis, ad subventionem, & servitium ejusdem Pontificis. Veniens autem idem Sebaston humiliter se inclinavit eidem Pontifici, & oblatis ad pedes ejus magnis, & pretiosis muneribus, omnia, quæ acceperat in mandatis, diligenter sibi exposuit. Sed inter cætera unum principale continebatur, quod Deo, & hominibus apparebat valde acceptum. Asseruit enim, quòd idem Imperator Ecclesiam suam unire volebat, sicut meliùs antiquitus fuit, cum matre omnium Ecclesiarum sacrosancta Romana Ecclesia, ut sub una divinæ Legis observantia, & uno Ecclesiæ capite uterque Clerus, ac Populus, Latinus videlicet, atque Græcus, perpetua firmitate persisteret. Nihilominus quoque petebat, ut quia occasio justa, & tempus opportunum, atque acceptabile se obtulerat, Romani Corona Imperii à Sede Apostolica sibi redderetur, quoniam non ad Frederici Alamanni, sed ad suum jus asseruit pertinere. Ad quod opus perficiendum tantas auri, argentique opes, & fortium virorum potentiam se largiturum firmiter spondebat, quòd non solùm Romam, sed & totam Italiam ad Ecclesiæ servitium, & restituendam sibi Ecclesiæ Coronam habere absque dubio poterit. Quod verbum licèt nimis difficile videretur, & de multa deliberatione opus haberet, utile tamen visum est, ut Pontifex, habito cum Fratribus suis, ac fidelioribus viris ipsius Urbis consilio, Episcopum Ostiensem, & Cardinalem Sanctorum Johannis, & Pauli pro causa ipsa tractanda de latere suo cum prædicto Sebaston ad ejusdem Imperatoris præsentiam destinaret.

In septimo anno Pontificatus ipsius Populus Romanus inter alios vicinos Albanenses, & Tusculanos habere cœpit exosos, tum quia pro instante malitia temporis Teutonicis adhærebant, tum quia se ab ipsis Romanis juxta exactionis eorum nimietatem non redimebant. Unde cùm inter eos æmulationes augerentur, & crescerent, Populus ipse in mense Majo, cùm messes albescunt, contra prohibitionem sui Pastoris adversùs Raynonem Dominum de Tusculano in omni fortitudine sua exivit communiter armatus. Et procedens in terram ejus, non solùm vineas & segetes cum arboribus hostiliter devastavit, sed etiam muros Tusculanæ civitatis nihilominus destruere laborabat. Sed quoniam idem Rayno tantæ fortitudini per se ipsum resistere non valebat, nec terram suam tueri, necesse habuit, ut ad auxilium Imperatoris confugium faceret. Misit itaque Imperator celeriter ad subventionem, & præsidium ejusdem Raynonis fortium bellatorum immensam multitudinem, ut & Tusculanum Populum defenderet, & Romanorum insolentiam coërceret. Postquam verò illa Teutonicorum sæva barbaries, quæ in armis semper consueverat militare, ad Tusculanum pervênit, videns Populum Romanum esse multum, sed ad bellum perperam ordinatum, animum, & audaciam sumpsit, ut cum eo absque mora in campo haberet conflictum. Appropinquantibus ergo partibus, post horam nonam repentè clamor utrinque vehemens ad sidera tollitur, & strictis mucronibus hostes in hostes nimis atrociter irruunt. Sed in primo congressu Populus Romanus irrecuperabiliter corruit, & per campestria, atque convallium devia ita impiè contritus, atque delapsus est, quòd de tanto agmine tertia pars vix evasit. Ea igitur nocte factus est in tota Urbe subitaneus dolor, & ululatus magnus, inaudita calamitas, insatiabilis luctus, & irreparabilis jactura virorum, & rerum. Quippe ab eo tempore, quo Annibal Romanos apud Cannas devicit, tantam Romanorum stragem nullus recolit extitisse. Sed quamvis in tam gravi mœstitia, & communi dolore Pontifex ipse à fletu, & lacrymis se nullatenus potuerit cohibere, videns tamen Civitatem virorum simul & armorum præsidio desolatam, utilius consilium celeriter habuit, de vigilanti custodia Urbis, & debilium reparatione murorum, atque de auxilio ab intrinsecis conferendo.

Hostes verò pro adepta palma victoriæ nimiùm exultantes, non fuerunt contenti victoriâ ipsâ, sed adjunctis sibi Tiburtinis, Albanensibus, Campaninis, & cæteris circumpositis, illico festinarunt ad Urbem, & destruentes universas munitiones, & omnes segetes usque ad fluvium Tiberis, circumdederunt usque ad Portas eamdem Urbem. Imperator verò, ubi tantam Romanorum occisionem cognovit, reliquit Anconam, & veniens ad exercitum suum non sine magno exercitu castrametatus est in Montemalo, XIV. Kalendas Augusti. Altera autem die videns congregatam sui exercitus innumeratam multitudinem, descendit in fortitudine gravi usque ad portas Castelli Sancti Angeli, ibique atrocissimum dedit assultum, & frequentes impetus. Sed quia Summi Pontificis familia, quæ alio nomine vocatur Masnada, in faciem sibi per orationem Beati Petri fortiter, atque viriliter restitit, nihil ea die, nisi detrimentum suorum, & confusionis ignominiam reportavit. Unde in majori furore commotus Ecclesiam Principis Apostolorum, quæ a fidelibus Ecclesiæ in custodia tenebatur, cum balistis, & sagittariis violenter aggressus est. Sed cùm eam expugnare non posset, postpositâ reverentiâ Dei, & ejusdem Regni Cœlorum Clavigeri, tamquam sacrilegus, & profanus ignem fecit apponi. Custodes verò Ecclesiæ formidantes, ne tota Ecclesiæ fabrica incendio solveretur, post combustam Sanctæ Mariæ in Turri Ecclesiam, cum æneis portis, & vicinis porticalibus, Beati Petri Basilicam in manu, & potestate sævientis Principis tradiderunt. Hæc igitur, & alia imminentia mala cùm Beatus Pontifex consideratione solicita prævideret, post illud excidium Populi, quod exigentibus peccatis acciderat, dimisso Lateranensi Palatio cum Fratribus suis, & eorum familiis ad tutas domos Frangepanum de-

Digitized by Google

descendit, & apud Sanctam Mariam novam, & Cartulariam, atque Colosseum se cum eis intuto recepit. Ibique pro incumbente malitia Imperatoris quotidianus Episcoporum, & Cardinalium fiebat conventus, tractabantur causæ, & responsa dabantur.

In diebus illis prædictus Rex Siciliæ audiens, quomodo sævus ille Ecclesiæ persecutor Romam teneret obsessam, timens ne in persona Domini sui Papæ Alexandri aliquid gravioris periculi posset accidere, misit ad eum duas veloces galeas cum pecunia multa, præcipiens earum Comitibus, ut ad Pontificem niterentur accedere, & assignatâ ei pecuniâ, personam ipsius, ac Fratrum suorum in galeis ipsis reciperent, & de potestate ipsius Frederici, & expectatione (36) omnium Schismaticorum eriperent. Contigit ex insperato, ut galeæ per Tiberis alveum ascenderent, & ad Sancti Pauli Ecclesiam applicarent. Missa itaque insinuatione ad aures Summi Pontificis, ductore viro egregio Odone Frajapane, Comites galearum cum pecunia, quam ferebant, ad vestigia ejusdem Præsulis accesserunt. Tunc Venerabilis Pontifex super iis gratias Omnipotenti Deo referens, & pecuniam ipsam de benignitate suscepit, & nuntios tam devotissimi Principis secum per octo dies affectu paterno detinuit. Habito autem in causa Ecclesiæ, ac Civitatis consilio, galeas ipsas ad eumdem Regem Beati Petri devotissimum, & specialem filium cum gratiarum actione præmisit, præmittens cum eis duos ex Fratribus, M. videlicet Sancti Georgii, & P. Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconibus Cardinalibus ad partes Sancti Germani. Ipse verò de suscepta pecunia partem dedit fidelibus Ecclesiæ Fragepanibus, & filiis Petri Leonis, ut strictiùs obligati ad invicem se se fortiùs adjuvarent, & ad defendendam Civitatem Populum manutenerent, & robustiùs animarent. Pro custodia verò Urbis partem ejusdem pecuniæ ad singulas portas paterna benignitate transmisit. Cùm autem Cives Romani adversùs Fredericum fortiùs solito starent, & ei quotidie graviora dampna ferrent, videns, quòd adversùs eos virtute armorum prævalere non posset, tamquam vulpes callida convertit se ad consueta perspicacioris astutiæ argumenta. Misit itaque ad Episcopos, & Cardinales per Conradum Maguntinum Archiepiscopum, qui ad eum ex permissione Alexandri Papæ iverat, pacis verba in hunc modum: Si vos apud Alexandrum effeceritis, quòd salva ejus omni ordinatione cesset à Papatu, ego cessare faciam Guidonem Cremensem, & tunc insimul conveniant omnes Ecclesiasticæ personæ, & tertiam personam in Summum Pontificem liberè eligant, ego autem reddam Ecclesiæ firmam pacem, & ulteriùs de causa electionis Romani Pontificis nullatenus me intromittam. Populo quoque Romano propter hoc promittebat omnes captivos suos se reddere, & quidquid residui ex eorum spoliis appareret. Quod verbum ita Populo favorabile fuit, ut omnes id faciendum esse unanimiter collaudarent. Dicebant enim, quòd pro redimendis ovibus suis Domnus Papa majora deberet facere, quàm Papatum relinquere. Episcopi verò, & Cardinales deliberato consilio una voce ipsi Frederico firmissimè responderunt, dicentes: Non est nostrum judicare Summum Pontificem, quem suo Deus judicio reservavit, quoniam ut attestatur Scriptura, *non est discipulus super magistrum*. Cùm igitur Populus vehementer instaret Pontifici, ut petitio sua mancipraretur effectui, Pontifex utiliora Ecclesiæ prospiciendo secretum cum paucis Fratribus verbum faciens, ab oculis eorum evanuit. Sed propitiante Domino in tertia die visus est prandere cum sociis ad radicem Montis Cyrchegi ad fontem, qui ex tunc Papalis est appellatus. Procedens ultra fluvium Legulæ, & undique ad eum tam Clericorum, quàm Laicorum frequentia concurrente, per Terracinam, & Gajetam cum gaudio, & lætitia transiens, ad patrimonium tamdem Beneventanum cum Episcoporum multitudine Domino favente pervênit. Fratres verò, qui post eum in Urbe remanserant, secuti sunt ejus vestigia, & suo capiti tamquam membra sui corporis adhæserunt.

Fredericus autem ubi Alexandrum Papam cognovit exiisse Urbe, & ejus insidias evasisse, contristatus est nimis, timens, ne totum Orbem contra se commoveret, & ad ipsius jacturam majores sæculi Principes provocaret. Sed quoniam in cunctis actibus suis Omnipotentis Dei, & Beati Petri mansuetudinem, & patientiam, sicut homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, non cognovit, iratus est ei Dominus cum Beato Petro, cujus Ecclesiam incendere Dei timore postposito non abhorruit. Immisit enim tantam subitaneæ mortis pestilentiam in ejus exercitum, ut infra septem dierum spatium ferè universi majores ipsius Principes, qui secum Ecclesiæ adversabantur, morte subitanea corruerent, & miserabiliter morerentur, de quorum numero paucos famosiores duximus nominandos. Fredericum Bavariæ Ducem; H. (37) Comitem de Nasove. Borchardum Comitem de Alremont, H. (38) Comitem de Lipia, R. Cancellarium, Ecclesiæ Coloniensis intrusum, & L. fratrem ejus Comitem; Episcopum Verdensem pertinacem Schismaticum. Reliqui verò Barones, & Milites, ac cætera pugnatorum maxima multitudo cùm languerent, & nullum sanitatis possent remedium invenire, spiritum miserabiliter exhalabant, quorum cadavera usquequaque inhumata jacebant. Quid plura? tantus subitaneæ mortis timor universos invaserat, ut beatum se crederet, qui quomodocumque castra posset exire, & ad proprium confugium facere. Tunc idem Fredericus divina se manu percussum fore intelligens cum Romanis utcumque composuit, & octavo Idus Augusti non sine manifesta confusione recessit. Mortalitatis tamen pestilentia ipsum nihilominus sequebatur, & cùm in antea procedere conabatur, post se mortuorum stragem cum mœstitia relinquere conabatur. Arma vero, & reliquus Teutonicorum pretiosus apparatus perierat simul cum Dominis, & omnis gloria eorum fuerat ad nihilum ex judicio divino redacta. Dum autem idem Fredericus cum luctu morientium, & infirmorum gemitibus pervenisset Lucam, & vellet per stratam publicam, & Montem Burdonis transire, prohibitus est à Lombardis, ne ipsorum terram ingredi attemptaret. Ideoque à Marchione Malaspina (*) securo impetrato ducatu apud Pontemtremulum divertit à publica strata, & exinde iter suum per convallium concava, & aspera montium dirigens, non sine multa rerum suarum direptione tamquam profugus

(36) A. expugnatione.
(37) M. Henricum.
(38) M. Henricum.
(*) A. suo impetrato ducatu apud Montemtremulum.

fugus transivit juxta Terdonam, & tamdem cum paucis venit Papiam. Sed quod erat valde mirabile in oculis omnium, neque recordatio tantorum malorum, quæ ab infantia sua crudeliter exercuerat, neque recentia flagella sibi à Deo, & Beato Petro illata, duritiem & feritatem cordis illius emollierant, vel ad bonum faciendum converterant. Quippe ipsius natura in malum ab adolescentia sua prona fuit, & semper in idipsum fore proclivior creditur. Unde Civitates Lombardiæ, quæ jamdudum (39) atrocitatem, & sævitiam ipsius expertæ fuerant, videntes propositum, & voluntatem ejus contra se ferventius solito exardescere, communi deliberatione firmarunt, ut de tota eum Lombardia deberent expellere, qui totam Italiam in probrosam servitutem nitebatur reducere. Ideoque congregatâ fortium virorum militiâ eumdem Fredericum de Papia exeuntem aggressi sunt, & tamquam violatorem, & destructorem legum, & constitutionum orthodoxorum Imperatorum, nec non à Romana Ecclesia excommunicatum persequi non destiterunt, donec de cunctis Lombardiæ finibus violenter ejicerent, & transalpinare compellerent.

Liberatâ itaque Lombardiâ per divinum auxilium ab ipsius tyrannide, & suæ antiquæ redditâ libertati, ab omnibus Lombardis, exceptis Papiensibus, & Cumanensibus, salubriter provisum, atque statutum fuit, ut pro futura omnium defensione unam populosam Civitatem inter Papiam, & Astam construerent, quæ Lombardis in futurum secura defensio foret, ac tutum præsidium, Teutonicis verò præberet maximum obstaculum. Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCLXVIII. Kalendis Maji Indictione.... Anno autem Pontificatus Domini Alexandri Papæ nono Cremona cum Mediolanensibus, & Placentinis, in manu valida pariter convenerunt contra rebellionem Papiensium, & Marchionis Montisferrati, ad villam, quæ vocatur Rovoretum, ibique ad honorem Dei, & Beati Petri, & totius Lombardiæ construendæ civitatis ambitum designarunt, & locum ipsum spatioso fossato clauserunt. Convenerunt ergo illic ad habitandum cum familiis, & omnibus bonis suis universi habitatores, qui morabantur in circumpositis villis, videlicet in Marengo, Gamundio foro, Bergulio, Hunilla, & Solestia; & repentè facta est civitas magna & fortis. Ut autem gloriosior ubique haberetur, & famosior, placuit omnibus, ut ipsa civitas pro reverentia Beati Petri, & Papæ Alexandri, in perpetuum nominaretur *Alexandria*. Est autem posita in territorio amœno, & fertilissimo secus Stratam publicam, munita undique tribus fluviis, & abundans bonis plurimis. Et in primo quidem anno habitatores ejus inter milites, & pedites bellicosos usque ad quindecim millia excrevisse asserebantur. In secundo quoque anno ejusdem civitatis Consules ad præsentiam Domini Alexandri Pontificis venerunt Beneventum, offerentes ei, & per eum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ipsam civitatem in jus, & proprietatem, eamque Beato Petro tributariam sponte fecerunt, Insuper sibi, & successoribus suis jurarunt: quòd eam annis singulis Consulatus & Populus Alexandrinus, sicut spoponderunt, proprio innovare (*) deberent. Quibus ritè peractis Consules ipsi cum gratia, & exultatione, ac benedictione ipsius Pontificis ad propria, ductore Domino, redierunt. Eodem tempore idem Pontifex Vescanensem, & Gajacensem Episcopos de Simonia impetitos, atque convictos deposuit Accidit etiam, quòd Johannes Presbyter Cardinalis quondam titulo Sancti Martini, qui à principio hujus Schismatis cum Octaviano, & Guidone Cremensi Ecclesiam non destitit persequi, cùm extra Viterbium equitaret, subitò corruit, & confractis cervicibus impœnitens vitam pessima morte finivit. Ipse quoque Guido Cremensis, qui in Schismate Octaviano successerat, incurabili morte percussus in pede, necesse habuit claudicare, dum vixit. Romani autem cum in Teutonicos illatam sibi atrocem injuriam vindicare non possent, ad Albanenses ea occasione se converterunt, quia cum Imperatore adversùs eos steterant, & offendere præsumpserunt, quos tamdiu hostiliter impugnarunt, donec eorum civitatem funditus destruxerunt. De Tusculanis quoque, & aliis circumpositis fortioribus locis pro consimili causa idem facere nihilominus laborarunt; sed quia eorum injustis conatibus Ecclesia non consensit, licèt inviti, ab hujusmodi proposito destiterunt ad modicum tempus.

Interea Emmanuel magnus Constantinopolitanus Imperator, cùm videret Fredericum dictum Imperatorem Ecclesiam Romanam, & Alexandrum Papam vehementer cum Schismaticis impugnare, ac persequi, misit Beneventum de majoribus Imperii sui Apocrisarium cum immensa multitudine pecuniarum, ad præsentiam ipsius Pontificis loquentem in hæc verba: Dominus Imperator jamdiu desiderio desideravit honorare, & exaltare Ecclesiam Romanam Matrem suam, & personam vestram. Nunc autem cùm videat eumdem Fredericum ejus Advocatum, qui ex officio suo eam deberet ab aliis tueri, atque defendere, factum esse ipsius impugnatorem, ac persecutorem, magis vult ei servire, atque succurrere. Et ut temporibus istis illud Euangelicum adimpleatur verbum: *Ut fiet unum ovile, & unus pastor*, Ecclesiam suam Græcam in eo statu, in quo antiquitus fuisse dignoscitur, eidem Romanæ Ecclesiæ unire desiderat, atque subjicere, dummodo sibi velitis sua restituere jura. Unde rogat, & postulat, quatenus prædictæ Ecclesiæ adversario Imperii Romani Coronâ privato, eam sibi, prout ratio, & justitia exigit, restituatis. Pro cujus rei complemento quidquid videritis necessarium in sufficienti pecuniarum effusione, atque in potentia, & virtute armorum juxta vestrum beneplacitum paratus est elargiri, & solvere absque mora. Quibus auditis, Pontifex cum Episcopis, & Cardinalibus, atque nobilioribus Romanorum, consilio diutius habito, respondit hoc modo prædicto Apocrisario: Nos agimus gratias Domino tuo Imperatori, tamquam Christianissimo Principi, & devotissimo Beati Petri filio, ex devota, & frequenti visitatione sua, & de ostensione bonæ voluntatis, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam gerit. Ea propter & affectuosa ejus verba libenter audimus, & postulationes, in quibus secundùm Deum possumus, paterna benignitate admittere volumus. Ea verò, quæ postulat, nimis alta sunt, & valde perplexa, quibus pro sua difficultate obviantibus Sanctorum Patrum statutis assensum præbere sub hujusmodi conventionibus vel dare non possumus, nec debemus, qui ex officio nobis à Deo commisso pacis auctores nos esse convenit, ac custodes. Sic igitur

(39) A., & M. addunt in se ipsis.

(*) A. invocare.

Digitized by Google

tur excussis ab omni munere ipsius Pontificis manibus, cum tota pecunia, quam detulerat, jam dictus Apocrisarius rediit ad Dominum suum, subsequentibus eum duobus ex Cardinalibus, quos ad eumdem Imperatorem idem Pontifex destinavit.

De pessima morte Guidonis Cremensis, & consimili substitutione Johannis Strumensis. (40)

Eodem tempore Guido Cremensis cùm apud Beati Petri Ecclesiam incubaret, & in incœpto sui erroris pertinaciter moraretur, ab eodem Apostolo cancri immissus morbus in renibus ei apparuit cum pulmonis anhelitu, & tamdiu emisit fœtidam saniem, donec infelicem spiritum impœnitens exhalavit, & pessima morte succubuit. Unde quidam Metrographus metricè cecinit dicens:

Corruit insani Guidonis, & Octaviani
Impia majestas, intempestiva potestas.
Surgit Alexander ratione fide Petrus alter:
Stat nunc in petra, post hæc statuendus in æthra.

Sublatis igitur de medio desolationis suæ duobus capitibus, residua Schismaticorum turba in desperationis barathro constituta, cùm nullus de Ecclesiæ corpore superstes existeret, quem sibi præficere possent, assumpserunt quemdam Johannem, quondam Abbatem Strumensem, (41) virum Apostatam, lubricum, voracem, atque gyrovagum, & non sine risu, & multorum ludibrio in cornutam tertiam bestiam erigentes in cathedra pestilentiæ, tamquam perfidi, & pertinaces, ipsam abominationem adorarunt, & venerari instinctu diabolico præsumpserunt. Hic Apostaticus homo cùm pro suis meritis sperneretur ab omnibus bonis, & oderetur, adhæsit pravis, & sceleratis, quorum præpositus, & princeps diutiùs exstitit. Cujus fautores, & domestici familiares solummodo fuerunt apostatæ, lenones, scurræ, fugitivi ex Monasteriis, & pro suis sceleribus dampnati, fures quoque, & raptores, qui sibi egeno, & pauperi viatorum, & peregrinantium spolia conferebant.

Interea Imperator Fredericus videns duas, quas erexerat, statuas ex divino judicio corruisse, atque tertiam non de corpore Ecclesiæ, sed de complicum suorum collegio fuisse assumptam pariter, & erectam, doluit usque ad præcordia, eo quòd pars ejus ad nihilum devenisset, & Alexandri Papæ causa convalescens in melius semper proficeret. Sed ne in suo malo proposito superari videretur, & omnino confundi, simulavit, sicut homo callidus, & valde astutus, prædictam bestiam venerari, & præcepit fautoribus suis, ut eam manutenerent, & sustentarent. Post aliquantulum verò temporis ad consueta & callida se argumenta convertens, ut omnium favorem posset acquirere, bonam voluntatem, & pium desiderium de reformanda Ecclesiæ, atque Imperii pace habere fraudulenter ostendit. Quippe in tantum se ipsum callidè humiliavit, quòd Episcopum Bambergensem, qui corde Catholicus semper exstiterat, usque Beneventum ad præsentiam Papæ Alexandri transmitteret, cui dederat potestatem, ut cum eo juxta formam capitulorum, quæ sibi commiserat, concordiam, & pacem firmaret. Injunxit etiam sibi, ut hæc omnia eidem Pontifici solummodo revelaret. Quod quidem, sicut postmodum claruit, hac astutia fecisse dignoscitur, ut inter Ecclesiam, & Lombardos scandalum poneret, & eos ab invicem separaret. Pontifex autem, ubi adventum ipsius Episcopi pro certo cognovit, & de Lombardorum causa nihil ei fuisse commissum, non dubitare potuit; sed præsentiens versutias, & artes mittentis, ideo cum Episcopis, & Cardinalibus deliberato consilio, ad Lombardos literas, & nuntios festinanter direxit, & eorum dubia, & nutantia corda firmavit, & ut ex singulis civitatibus unam discretam, & idoneam personam, quæ vicem generalitatis haberet, ad ejus præsentiam destinarent, eis suadendo mandavit, cum quibus verbum pacis, & concordiæ, quod idem Episcopus deferebat, tractare volebat; & quidquid exinde agendum foret cum eis disponere pariter, & ordinare. Unde factum est, quòd quidam fideles, ac sapientes viri à Lombardorum communitate sunt electi, & ad præsentiam ejusdem Pontificis destinati. Accessit autem jam dictus Episcopus ad partes Campaniæ, & eidem Pontifici adventum suum nuntiavit, rogans, & obsecrans, ut quia terram Siciliæ Regis intrare prohibitus fuerat, ad Campanum Beati Petri Patrimonium pro colloquio secum habendo dignaretur reverti. Placuit ergo Pontifici ad preces illius cum Fratribus suis, & Lombardorum Legatis, de Benevento ascendere in Campaniam, & in civitate Verulana sæpedictum Episcopum expectare. Altera autem die cùm Pontifex de more in pleno consistorio resideret, idem Papenbergensis (42) advênit, & ante conspectum Papæ Alexandri reverenter accedens, adoravit eum, & dixit: Dominus meus Imperator Fredericus misit me ad vos, & districtè injunxit mihi, ut vobiscum seorsim loquar, & vobis solùm ea revelem, quæ mihi dicenda commisit. Cui cùm Pontifex sæpe ac sæpiùs diceret: Inutile penitus est, ut mihi soli ea exponas, super quibus absque notitia, & consensu Fratrum meorum, & eorumdem Lombardorum, nullum tibi dabo responsum; vix tamdem ab ipso potuit obtinere, ut ipse priùs solus eum audiret, & postmodum quibus vellet audita communicaret. Audivit itaque diligenter illum seorsum Pontifex, sicut petiit. Episcopus verò post multa & varia, quæ Pontifici revelavit, firmiter asseruit, quòd in personam ejus nihil ulteriùs agere Imperator volebat, sed omnes ipsius ordinationes, quas fecerat, ratas haberet, & ab aliis teneri juberet. De Papatu verò, & obedientia sibi tenenda ita implicitè loquebatur, & velatè, quòd ex verbis ejus catholicum sensum capere minimè potuit. Cùm autem importunè sibi ac vehementer instaret, ut super iis non in parabolis, sed in veritate apertissimè loqueretur, confessus est, quòd districtè prohibitus verba ipsa nec exponere audebat, nec mutare. His igitur auditis cùm nihil amplius ab eo Episcopo elicere posset, ad secretiorem Cameram, ubi Fratres cum Lombardis dimiserat, Pontifex remeavit, & audita eis universaliter retulit, & habita deliberatione aliquali Papa Alexander dicto Episcopo sic respondit: Prudentiam tuam, dilecte in Christo Frater, valde miramur, quòd hujusmodi legationem ad nos, qui calliditates, & astutias mittentis non ignoramus, quasi nescius detulisti. Cùm enim, sicut asseris, idem Imperator factas à nobis ordinationes jam Deo gratias velit

(40) A. Scrivinensis, M. Scriniensis *semper*.
(41) A. Sarmensem.

(42) A., & M. Banbergensis *semper*.

Digitized by Google

velit recipere, atque ab aliis ratas haberi, & in persona nostra non consentiat, qui licèt indigni, Canonicè tamen Beato Petro in Sede Apostolica successimus, quid aliud est agere, nisi Deum venerari, & colere, & ex parte ipsum negare? Causam nostram tota Dei Ecclesia cum aliis Regibus, & Principibus Christianis jam judicavit canonicam, & nobis usquequaque obedit. Si ergo inter oves, quas Deus Beato Petro pascendas commisit, vult numerari, cur ampliùs differt eidem Apostolorum Principi cervicem suam flectere, & Catholicæ se unitati aggregare? Nos verò, si per eum non steterit, parati & prompti sumus præ cæteris mundi Principibus honorare ipsum, ac diligere, & suam sibi justitiam integrè conservare, dummodo matrem suam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ ipsum ad Imperii culmen erexit, filiali devotione diligat, & suam ei libertatem conservet. Post hæc autem ita increpatus, & fraternaliter commonitus idem Papenbergensis à Lombardis conductus ad Fredericum est reversus.

De donatione civitatis Tusculanæ, qualiter Rayno eam tradidit Papæ Alexandro.

DUm autem apud civitatem Verulam Pontifex moraretur, & Romani Tusculanos acriùs solito impugnarent, Rayno eorum dominus nimio terrore perterritus, contra fidelitatem, quam eidem Pontifici fecerat, Johanni maledicto, qui à Frederico Urbis Præfectus factus fuerat, Tusculanam civitatem sicut stultus & insipiens in concambium dedit, & populum Tusculanum à fidelitate, qua ei tenebatur, absolvit. Data itaque ipsa civitate in manu & potestate ipsius Johannis, recepit ab eo Montem Flasconis, & Burgum Sancti Flaviani cum pertinentiis suis, quæ ad proprium jus Beati Petri tantummodo spectare noscuntur. Super his ergo Alexander Papa cùm videret Beati Petri patrimonium ita insolenter distrahi, & donari, adversùs utrumque non indignari, & graviter commoveri non potuit. Quippe medietas Tusculani cum Monte Flasconis, & Burgo Sancti Flaviani jure proprietatis ad solam Romanam Ecclesiam spectant. Ex alia parte Romani utrosque habebant exosos; sed ut possent adipisci dominium, Tusculanam civitatem ipsam continuis assultibus vehementiùs infestabant. Unde Johannes maledictus non mediocriter territus, relicta eadem civitate, aufugit. Nihilominus quoque Rayno se omnino deceptum fore præsentiens, spretus, & pulsus à militibus, & populo Montis Flasconis, terram ipsam reliquit, & nimio rubore confusus ad Tusculanos, quos inconsultè dimiserat, voluit remeare. Sed quia eos à dominio suo, & fidelitate absolverat, & alii domino temerè subjecerat, non solùm recipere ipsum spreverunt, sed etiam de cunctis finibus suis propulsarunt. Cùm igitur omni esset auxilio & consilio destitutus, ad matrem suam Romanam Ecclesiam, quam temerè læserat, convolavit, & tamquam filius prodigus à Domno Alexandro Papa, suisque Fratribus indulgentiam, & misericordiam postulavit, ponens se ipsum, & quidquid juris videbatur habere in civitate Tusculana in eorum beneplacito, & misericordia. Sed populus Tusculanus jam prævenerat ipsum Raynonem, & se, ac civitatem, quantum in eo erat, sub dominio Beati Petri, & potestate ipsius Pontificis sponte tradiderat. Unde factum est, quòd ipse Rayno de ipsa civitate donationem per publicum instrumentum eidem Papæ, & Successoribus suis fecit.

De interfectione Beati Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi.

PEr idem tempus rumor valde tristis de interfectione Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi contra Regem Anglorum ad aures Apostolicæ Sedis pervenit. Crescente autem ipsa infamia, Rex non immerito timuit, ne in personam ejus Ecclesia Romana tantum flagitium graviter vindicaret, si ejus innocentiam manifestiùs non cognosceret. Misit ergo viros Ecclesiasticos ac prudentes ad præsentiam Summi Pontificis, tribuens eis potestatem, ut in animam ejus jurarent, quòd de ipsa interfectione, unde infamatus fuerat, Rex ipse in propria persona juraret ad mandatum ejusdem Pontificis stare. Venientibus autem nuntiis ipsis apud Tusculanum in quinta feria majoris hebdomadæ ante Pascha, cùm Pontifex de consueto more ad Ecclesiam vellet accedere, Apostolico se conspectui præsentarunt, & quod eis ab eodem Rege impositum fuerat exponentes, juramentum, sicut diximus, facere obtulerunt. Tunc Pontifex, habito Fratrum suorum consilio, exivit foràs in Consistorio, & in communi audientia, sicut à Cardinalibus distinctum fuit, & computatum, ab eisdem nuntiis juramentum ipsum recepit, & inducias Regi concessit. Unde factum est, quòd duos ex Fratribus suis, A. titulo Sancti Laurentii in Lucina, & T. titulo Vestinæ Presbyteros Cardinales ad partes Galliæ Pontifex destinavit, quatenus eis præsentibus ibi reatus, seu innocentia Regis claresceret, ubi tam detestabile vitium fuerat perpetratum. Rex verò ubi Legatorum Sedis Apostolicæ præsensit adventum, relictis omnibus imminentibus sibi negotiis, quæ tunc in Hibernia exercebat, festinanter in Normanniam rediit, & apud Chan secundò ad eorum præsentiam cum Episcopis, & Baronibus suis humiliter ac reverenter accessit, paratus eorum stare mandatis, sicut per nuntios suos ante fuerat compromissum. Cùm autem nullus apparebat, qui super imposito sibi crimine ipsum impeteret, Rex coram eisdem Legatis, adstante Episcoporum, ac Baronum, & aliorum tam Clericorum, quàm Laicorum multitudine, se hoc modo purgavit.

Juramentum innocentiæ H. Regis Anglorum de morte Beati Thomæ.

„ EGo H. Rex juro super hæc Sancta Dei „ Evangelia, quòd mortem Sancti Thomæ, „ neque cogitavi, neque scivi, neque fieri præ„ cepi; & quando facinus ipsum perpetratum „ cognovi, tantùm dolui, & tristis effectus sum, „ quantùm si meum proprium filium cognovis„ sem interfectum. Sed in hoc me non valeo „ excusare, quòd occasione commotionis, & „ iracundiæ meæ, quam adversùs eumdem San„ ctum Virum conceperam, interfectus non „ fuerit. Pro quo reatu, quia causam necis ejus „ dedisse videor, ducentos milites sub expensis „ meis ad defensionem Christianitatis absque „ dilatione Hierosolymam destinabo, per an„ num ibidem mansuros, vel tantum eis per„ solvam, unde totidem milites ibidem per an„ num valeant retinere. Signum quoque Do„ minicæ Crucis usque ad triennium accipiam, „ & in propria persona illuc proficiscar, nisi „ remaneam de licentia Romani Pontificis. „ Illi-

Digitized by Google

„ Illicitas etiam consuetudines, quas temporibus „ meis in tota terra mea introduxi, penitus „ casso, & ex hoc nunc observari prohibeo. „ Appellationes verò ad Apostolicam Sedem de „ cætero liberè fieri permittam, & in hoc ne„ minem prohibebo. Præterea ego, & major „ filius meus Rex juramus, quòd à Domno „ Alexandro Papa, & ejus Catholicis Successo„ ribus recipiemus, & tenebimus Regnum An„ gliæ, & nos, & nostri successores in perpe„ tuum non reputabimus nos Angliæ Reges „ veros, donec ipsi nos Catholicos Reges te„ nuerint.

Dum autem hæc in Gallia agerentur, Romani persistentes in insipientia sua, cupientes ad eos reverti Pastorem, & Episcopum animarum suarum, cum Fratribus suis Episcopis, & Cardinalibus, non permiserunt Urbem ingredi, & in Ecclesiis suis debitum exercere officium. Eis ergo verbum Dei spernentibus, quod primum ipsis Evangelizandum fuerat, Pontifex de Tusculano cum Fratribus suis exivit, & ad Beati Petri Campaniæ patrimonium, quousque meliora tempora Ecclesiæ suæ provideat Dominus, moraturus accessit.

De eo, quod canonizavit Alexander Papa Thomam Cantuariensem Archiepiscopum.

INterea cùm illustrator Anglorum Beatissimus Thomas in multa coruscatione miraculorum Dei nutu circumquaque fulgeret, & non solùm amici, sed etiam persecutores veniam postularent peccatorum, & salutis beneficia petituri ad ejus tumbam incessanter accederent: Romanus Pontifex ad instantiam Cleri, & Populi Gallicani eumdem Martyrem canonizavit auctoritate Apostolica, & inter cæteros Sanctos conscribi præcepit. In die namque Purificationis Beatæ Mariæ, convocatis Episcopis, & Abbatibus Campaniæ, apud Signiam in honore ipsius Missarum solemnia specialiter celebravit, & passionis ejusdem IV. Kalendas Januarii memoriam perpetuò agi constituit. Unde Occidentalis Ecclesia exultavit in gaudio magno, & gloriosi Martyris nomen augebatur quotidie in ostensione virtutum, ita ut ab extraneis etiam gentibus de celebri celebrius haberetur. Per ipsius merita Omnipotens Deus evidenter mortuos suscitavit: cœcis quoque visum, surdis auditum, & claudis reddidit gressum, mundavit leprosos, curavit infirmos, dæmoniacos liberavit, & alia multa mirabilia per eum nihilominus voluit mirabiliter operari, ideoque plurimi fidelium in honore ipsius ad laudem, & gloriam Creatoris nostri Ecclesias construxerunt, & bonis, ac possessionibus suis ditarunt.

De guerra inter Regem Anglorum, & ejus filium post mortem Beati Thomæ.

POst mortem verò ejusdem Martyris biennio jam elapso, & tribus mensibus, non absque divinæ ultionis judicio, sicut creditur, accidit, quòd major filius prædicti Regis Anglorum, quem paterno affectu ipse in Regem sublimaverat, contra patrem nequiter insurrexit, & unà cum matre, ac fratribus ipsum expellere de toto Regno temerè tentavit. Unde Regnum ipsum in duas partes divisum est, & Barones Aquitaniæ armati alii cum filio, alii cum patre steterunt. Ad cumulum quoque tam detestandi excidii Rex Francorum juniorem Regem, cui filiam suam dederat in uxorem in sua protectione suscepit, & contra patrem juvare, ac manutenere pro viribus laboravit. Cœperunt itaque perniciosa hinc inde mala succrescere, & filius, peccatis exigentibus, patris quærebat interitum, & pater necem filii sitiebat. Deinde maximi utrinque parati exercitus, & Rex junior unà cum (43) Socero suo Rege Francorum Normanniæ fines adversùs patrem pugnaturus aggreditur. Econtra Rex major Anglorum in manu forti defendere terram suam nihilominus elaborat, & vim vi repellere omnimodis nititur. Nec mora, bellatores undique ad arma prosiliunt, rapinas exercent, villas incendunt, Castra expugnant, invadunt Ecclesias, & alia impietatis opera per totam Aquitaniam crudeliter exercere non cessant. His igitur malis quotidie increbrescentibus, Domnus Alexander Papa vastationibus, & detrimentis utrorumque Regnorum pro sui officii debito cupiens providere, misit ad partes illas è latere suo P. titulo Sancti Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, cui dedit in mandatis, ut adscitis secum Episcopis, & aliis Religiosis utriusque partis, operam & studium diligenter impenderet, qualiter Reges ipsi possent ad pacem, & concordiam unanimiter revocari. Unde factum est, quòd in tempore congruo adveniente ipso Legato, Ecclesiarum Prælati, & alii Religiosi ac prudentes viri cum eodem Legato partes suas ita ferventissimè interposuerunt, quòd utramque partem ad unitatis & pacis bonum, cooperante Domino, revocarunt.

De quinta reversione Frederici Imperatoris in Lombardiam.

EOdem tempore in anno XV. Pontificatus Alexandri Papæ Fredericus Imperator dictus ad suggestionem Papiensium, & Marchionis de Monteferrato quinta vice in Lombardiam hostiliter remeavit. Transivit enim per montem Senonem, & in multitudine gravi descendens ad planitiem tertio Kalendas Octobris castrametatus est juxta Secusiam. Altera autem die conceptum furorem ampliùs occultare non valens, in primordio detestabilium operum suorum civitatem ipsam combussit, & exinde acies suas versùs Astam ad exercenda reliqua mala direxit. Habebat enim circa se multitudinem copiosam barbaricæ gentis, homines assuetos in bellicis actibus (44) viros nequissimos, rapaces, & desperatos, quos de Flandria, & aliis circumpositis locis elegerat; & quia neminem amentem amat nemo, Lombardi in uno spiritu, & una voluntate conjuncti, quoniam ipsius reditum Frederici ex longo præcesserant, civitates suas, & arces bene muniverant; & ad resistendum sibi in faciem, tamquam viri bellicosi & potentes, intrepidi existebant. Miserunt itaque ad subventionem Astensium, qui secum jamdiu confœderati fuerant, viros industrios, in consilio valde providos, & in armis probatos, quatenus eosdem Astenses contra impetum supervenientis hostis animosiores redderent, & cùm res exigeret pro sua libertate manutenenda eorum exhortatione fortiùs dimicarent. Illi verò deteriùs sibi providentes in posterum, imprudenter recesserunt à confœderatione Societatis Lom-

(43) A. cum socio Rege &c.

(44) A. aciebus.

Digitized by Google

Lombardorum, & prostrantes se in conspectu jam dicti Frederici, tradiderunt civitatem in manu & potestate ipsius. Aliâ itaque subjugatâ, idem Fredericus se super se extollens, ad destructionem civitatis Alexandriæ, quam noviter Lombardi construxerant ad honorem Beati Petri, cum Marchione Montisferrati, & Papiensibus conatus est festinare. Sed quia in cunctis actibus suis Deo, & Ecclesiæ adversabatur iniquè, dispositioni ejus omnipotens Deus mirabiliter obstitit, & suum propositum disturbavit. Tantam namque pluviarum inundationem repente de cœlo emisit, ut omnia flumina redundarent, & in paludes cuncta campestria verterentur. Videns autem Alexandriæ Populus de cœlo auxilium sibi conferri, qui jam metu terribilis Principis fugam præparaverat, resumpsit vires & animos, atque ad resistendum injuriosæ (45) adversariorum multitudini de Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum suffragio confidens, postposita trepidatione se viriliter præparavit. Sed quamvis asperitas hyemis, & imminens pluviarum ac nivium difficultas eumdem Fredericum ad Alexandriam dehortarentur accedere, nihilominus tamen in fortitudine sua processit, & castra juxta ipsam civitatem in territorio aquoso utrinque firmavit. Diligenter itaque circumspiciens, quòd eadem Civitas præter fossata, & vicinitatem fluvii Tanneris, nullo murorum, vel turrium gauderet præsidio, despexit eam, sperans in anteo (46) quòd in primo congressu posset ipsam omnino delere. Collectis igitur cunctis viribus sui exercitus in eosdem Alexandrinos gravissimum fecit assultum. Applicuit quoque ad aggeres diversi generis machinas, & diu cum eis atrociter dimicavit. Sed auxiliante Domino prævaluit Alexandrinus Populus, & machinis hostium per violentiam captis, totam illam barbariem non sine occisione usque ad tentoria fugere compulit. Unde quia idem Fredericus visus est superari, in iracundiam majorem exarsit, & ideo contra consilium, & voluntatem Principum suorum in obsidione ipsa, quousque victoriam obtineret, morari disposuit. Sed quoniam hyemis asperitas imminebat, & exercitus omnis patiebatur necessariorum indigentiam, equorum multitudo cœpit omnino deficere, & militum apparatus modico pretio distrahi. Nec tamen pro his, vel aliis difficultatibus ab Alexandrinorum impugnatione iracundia Imperialis cessavit, licèt ab eis semper tristiorem vicem reciperet. Cùm autem neque terroribus, neque blanditiis, neque promissionibus Cives ipsos ad deditionem inclinare nullatenus posset, subterraneos meatus occultè fieri fecit, per quos civitatem ipsam ex improviso intrare speravit atque invadere. Sed resistente Domino inde perniciosam jacturam incurrere meruit, unde in futuro victoriam, & triumphum consequi credidit. Et quoniam eadem civitas jam per quatuor menses districtè obsessa fuerat, & in multis patiebatur indigentiam, Lombardorum vires, & suffragium communiter postulavit.

Quomodo Lombardi Alexandrinis subvenerunt.

Tunc immensa civitatum Lombardiæ Societas citissimè in unum convênit, & de communi omnium voluntate firmiter statuit, ut cum abundantia victualium, & aliis necessariis ad Alexandriam in manu valida sinè mora festinare deberet. Mediante igitur Quadragesima omnes civitates, & nobiles totius Liguriæ, ac Marchiæ, & Æmiliæ apud Placentiam convenerunt, & ritè dispositis atque ordinatis omnibus, quæ ad bellicos usus videbantur spectare, cum navibus, & plaustris victualibus oneratis, & armis, exierunt de ipsa civitate. Processerunt autem in multa fortitudine militum & peditum armatorum, balistarum etiam, & Arcariorum, versùs Alexandriam, & in Dominica de Ramis Palmarum juxta Terdonam castra sua non longiùs à Castris Frederici, quàm per decem milliaria posuerunt. Ubi verò Teutonici cum Lombardis ad alterutrum se conspexerunt, timor, & hebetudo mentis Fredericum invasit, attendens stare contra se armatorum terribilem multitudinem, velut castrorum aciem ordinatam. Et exinde ad consueta calliditatis argumenta se convertens, Alexandrinis in dolo placidè locutus est hæc verba: In crastino sanctus dies Veneris imminet, quem omnis Christianus devotissimè colit, & ideo pro reverentia Crucifixi treugam vobis & securitatem usque ad secundam Feriam ex Imperiali benignitate concedo, & largior. Recepta itaque securitate cùm singuli de populo nihil malè suspicantes dormirent securè in domibus suis, eorum insidiator circa primam vigiliam noctis fortiores viros armatos in civitatem per subterraneos meatus intrare præcepit, & ipse cum toto exercitu ad portas stetit armatus, expectans quousque illi, quos præmiserat, civitatem intrassent, & conclamantium voces audiret, quatenus dum bellum intrinsecus augeretur, ipse de foris per portam violenter irrueret, & civitatem hostiliter occuparet. Sed à Domino factum est, quod mirabile in oculis omnium fuit, quòd eadem civitas à tam perversa proditione in momento liberaretur, & inventa iniquitas in perversorum caput justè retorqueretur. Nihil enim justiùs, quàm necis artifices sua lege perire. Non potest autem mentiri Veritas, quæ sic de reprobis loquitur. *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet*. Et rursus: *Qui proximo suo parat foveam, ipsemet incidit in eam*. Cùm igitur vigilatores, qui custodiebant civitatem, armatorum cuneos civitatem ingressos fuisse viderent, exclamaverunt vocibus magnis, ut Populus citò ad arma consurgeret, & ingressos hostes expelleret. Tunc Cives subitò velociter convolarunt ad arma, & tamquam Leones audacter irruerunt in hostes, quos cum Beato Petro, quem ante se in albo equo, & coruscantibus armis, præire cernebant, prostraverunt in terram, & in gladio compulerunt omnes, qui mortem evaserant, exire super ipsos aggeres, ex quibus præcipitabantur inviti. Omnes præterea, qui de subterraneis meatibus nondum exierant, superiori terra cadente suffocati sunt. Apertis autem portis exivit Populus in fortitudine magna, & exercitum perfidi Frederici usque in diem Sabbati percussit in gladio, ita quòd usque ad ipsius castra mortuorum strages usquequaque jacebant. Insuper ligneum castellum, quod in perniciem civitatis ex fortioribus & electis militibus studiosè armaverat, tamdiu viriliter expugnavit, quousque illud cum ipsis militibus violenter combussit.

Quo-

(45) A. innumerosæ. M. numerosæ.

(46) A., & M. inaniter.

Digitized by Google

Quomodo Fredericus Imperator ab obsidione Alexandriæ confusus recessit.

VIdens igitur Fredericus divinam sibi majestatem in omnibus adversari, timuit ne propter supervenientium Lombardorum exercitum incurreret violentiam, & cum rubore cogeretur ab obsidione discedere. Quocirca in proxima nocte castra fecit comburi, & in Dominicæ Resurrectionis aurora cum omnibus suis versùs Papiam iter suum direxit. Sed quoniam vitare non poterat, quin juxta expeditionem Lombardorum transitum faceret, ea astutia prope Lombardos in Villa, quæ vocatur Guignella (48), voluit castrametari, quia non verebatur ab eis offendi, nisi priùs ab ipso fuissent hostiliter provocati. Lombardi verò nondum cognoverant ea, quæ omnipotens Deus hesterna die cum Alexandrinis mirabiliter fecerat. Sed ubi viderunt Fredericum erectis vexillis contra se venientem, assumpserunt arma, & coram eo parati ad pugnam viriliter steterunt in armis expectantes quid potius faciendum eligeret, an inciperet bellum cum ipsis, quod minimè credebatur, quia valde pauciores, quàm ipsi, viros bellatores habebat, an quietè castrametaretur, & neminem læderet. Ipse verò eadem die, quam fecit Dominus, resedit pacificè in prædicta Villa. Illucente autem secundo die quidam nobilium, qui nulli partium habebantur suspecti, priùs ad Fredericum, & consequenter ad Lombardos accesserunt in hæc verba. Quæ major insania, vel quod excellentius malum excogitari potest, aut operari, quàm ut Dominus servum, sive servi Dominum jure suo privare omnino conentur, & per violentiam possidere? Sic ergo unaquæque pars jure suo contenta, & tam gravibus malis jam cessantibus, pax optata inter vos cooperante Domino reformetur. Tunc Imperator suspirans post multa, quæ hinc inde allegata fuerant, sic respondit: Ego salvo Imperii jure paratus sum super hac controversia stare arbitrio bonorum virorum utriusque partis. Et consequenter Communitas Lombardorum dixit: Salva Ecclesiæ Romanæ, ac nostra libertate, pro qua decertamus, nos id idem facimus. Et statim electi sunt à Frederico Philippus Coloniensis electus, G. de Pozasca Taurinensis Capitaneus, & B. (49) de Sancto Nazario Papiensis. A Lombardis verò G. Pistis de Mediolano, G. de Gambara Brixiensis, & G. de Verona. in quos utraque pars hilariter conpromisit. Post hæc Lombardi ad Fredericum reverenter accesserunt, & honoraverunt eum, à quo ipsi benignè (50) recepti; & honorati sunt. His itaque utrinque ita peractis, Fredericus exercitum abire permisit, & cum uxore, ac filiis, & domestica familia in Civitatem Papiam descendit. Lombardi verò ad propria cum gaudio redeuntes obviaverunt secus Placentiam Cremonenses cum carrucio suo, & expeditione sua. Ipsi enim semper claudicaverunt in facto Communitatis civitatum respectu amicitiæ Papiensium, & ideo studiosè post alios distulerunt exire, ut disturbaretur expeditio Communitatis pro retardatione ipsorum. Cognito igitur, quod sinè ipsis facta erat prædicta concordia, confusi sunt in erubescentia sua. Tunc Populus Cremonensis in Consules suos nimiùm exardescens, civitatis suæ contumeliam graviter vindicavit, funditus diruens Palatia eorum, ac domos, bona omnia diripuit, & alios in loco eorum Consules ipsis depositis subrogavit. Quamvis autem Lombardorum civitates cum eodem Frederico de concordia, & pace tractarent ad invicem, cognoscentes tamen versutias hominis illius, nihilominus ab eo sibi cavebant in posterum. Propterea confœderationis suæ juramenta solicitiùs innovarunt, & in cunctis majorem circumspectionem semper gesserunt.

Quomodo Fredericus Imperator à Romana Ecclesia per se ipsum pacem simulatè quæsivit.

FRedericus verò cùm apud Papiam diutiùs moraretur, & in cunctis actionibus suis eventus semper sinistros haberet, ut Religiosos viros, & Populum suum sibi favorabilem redderet, pacem Romanæ Ecclesiæ, quam præ cæteris rebus affectare se publicè asserebat, per se ipsum requirere studuit. Misit ergo per literas, & familiares suos ad Ostiensem, & Portuensem Episcopos, & Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, ut pro reformanda pace inter Ecclesiam, & Imperium, ad eum securè accederent, quatenus viva voce ad alterutrum opus ipsum tractare, & ad optatum finem cum honore Ecclesiæ possent Domino cooperante perducere. Quod verbum postquam ad aures Apostolicæ Sedis pervenit, non immeritò suspectum omnibus fuit, tum quia præteritorum exhibitio futurorum certitudinem demonstrabat, tum quia idem Fredericus non videbatur ad aliqua bona opera ullo modo inclinari. Verumtamen quia secundùm Beati Augustini dictum *dubia semper in meliorem partem sunt convertenda*, & quia pax non solùm inquirenda, sed prosequenda esse describitur, Domnus Alexander Papa de communi Fratrum suorum consilio prædictas personas plenè instructas ad præsentiam ipsius Principis honorificè destinavit. Eis igitur segregatim per diversas regiones proficiscentibus Plebs universa in jucunda eorum inspectione lætabatur in Domino, & ad consignationem puerorum ipsis copiosam multitudinem infantium præsentabat. Episcopus namque Portuensis, & Cardinalis Sancti Petri ad Vincula per Spoletum, & Imolam, atque Bononiam honorificè transeuntes, usque Placentiam processerunt: ibique adventum Ostiensis Episcopi, qui per Pisanam, & Lucanam civitates cum gloria & honore transivit, per dies aliquot expectarunt. Interim verò ut cùm Rectoribus civitatum Lombardiæ super iis, quæ imposita sibi fuerant, haberent colloquium, perrexerunt Laudam. Completo itaque ipso colloquio audierunt Placentiam Ostiensem Episcopum pervenisse, ad cujus præsentiam celeriter pervenerunt. Ut autem ipsi tres Apostolicæ Sedis Legati fuerunt insimul, nuntiaverunt Frederico adventum suum, petentes ab eo, ut quid eos vellet agere, ipsis continuò significaret. Quibus ille benignè respondens mandavit, ut transito flumine Pado ad eum securè accederent. Tunc Legati de Placentia cum magno Legatorum, & militum comitatu exeuntes, processerunt ad Padi ripam, & in præparatis navibus transeuntes venerunt in civitatem Papiam, in qua honorificè fuerunt recepti, & hospitati. Altera autem die Imperatore cum Prin-

(48) M. Guignella.
(49) A., & M. pro B. legunt R.

(50) A. bene.

Principibus, ac multo Populorum concursu celebri in publico residente, Legati ad ejus præsentiam pariter accesserunt. Cùm igitur ante ipsius conspectum introirent, & prope illum ex opposito in suis faldistoriis consederent, continuò idem Imperator deposito, quem in capite gestabat, pileo, eosdem Legatos, sicut relatio declaravit interpretis, sermone Teutonico salutavit, addens, quòd adventus ipsorum sibi plurimùm complacebat, & eorumdem præsentiam valde habebat acceptam, sed ut considerata, quæ gerebant, proponerent, hilari vultu præmonuit. Tunc Episcopus Ostiensis stetit in medio, & in communi audientia omnium jucunda facie ita respondit: Salutatio tua, Domine Imperator, grata est nobis, & valde accepta, sicut præexcellentissimi Principis, & excellentissimæ potestatis. Sed in hujus salutationis alloquio illud nos vehementer exasperat, quòd ad præsens peccatis exigentibus versa vice, sicut optamus, vos resalutare non possumus. Faciat itaque Omnipotens Deus per ineffabilem bonitatis suæ clementiam cum Sponsa sua Sacrosancta Ecclesia, & Imperio tuo, illam concordiam & unitatis pacem, ut quod modò absque scrupulo conscientiæ non possumus, in proximo affectuosè propitiante Domino valeamus implere. Nos verò propter hoc pium (51) opus, quantum in nobis fuerit, prosequendum, ad vocationem tuam specialiter venimus, non de nobis, vel de nostris meritis præsumentes, sed in illius fiducia hujus operis efficaciam ponimus, qui cùm ad prædicandum mitteret discipulos suos, dixit: *Ego vos elegi, & posui vos, ut fructum afferatis, & fructus vester maneat*; & incipiens ab exordio Schismatis, ita universa Ecclesiæ gravamina, & manifestam Imperii deploravit jacturam ita, quòd de utriusque partis concordia & pace intrepidè peroravit, ut omnes, qui aderant, in verbis suis mirarentur, & gaudentes in cordibus suis ad invicem dicerent: Non enim hic homo loquitur, sed Spiritus Dei Patris, qui habitat in eo. Deinde abbrevians verbum, Imperatoris duritiam in eo maximè increpando redarguit, quòd ubi quatuor illæ personæ, quæ de corpore Ecclesiæ sibi adhæserant, de medio per judicium Dei erant sublatæ, & totus Orbis unum Romanum Pontificem in Patrem, & animarum suarum Pastorem receperat, ipse solus non debebat unitati Catholicæ ampliùs adversari, sed in unam Sanctam Apostolicam Ecclesiam credere, & ei humiliter obedire. Post hæc Episcopus Portuensis, & Cardinalis Sancti Petri ad Vincula circa eamdem materiam compendiosum fecerunt sermonem, & ad pacis bonum Imperatoris animum inclinare nunc blandis, nunc asperis nihilominus studuerunt. Tunc Imperator compunctione plurima placitum dedit responsum, & optatæ paci omnem promisit assensum, aperiens dolorem cordis sui, quo se intrinsecus vehementer uri asseruit pro eo, quòd Ecclesia Dei sub tantæ tribulationis discrimine fluctuabat. Et his dictis omnes ad hospitia pariter redierunt. Sed post modicum spatium Legati ejusdem Frederici Curiam frequentantes, de pacis bono, qualiter inter ipsum, & Romanam Ecclesiam, ejusque adjutores, Lombardos videlicet, Siciliæ Regem, & Imperatorem Constantinopolitanum, reformari posset, modò cum eo solo, modò cum eo, & ejus Consiliariis, per dies plurimos contulerunt. Ut autem super iis tractatibus absque suæ personæ præsentia cum Lombardis facilior opportunitas haberetur, Imperator vices suas C. (52) Cancellario, P. dicto Coloniensi electo, & A. Protonotario suo concessit, quatenus collatione habita de contrarietate capitulorum, quam possent, moderantiam exhiberent, & ad notitiam ipsius cuncta referrent. Ipsi verò cum Legatis, & Lombardorum Rectoribus nunc in suburbiis, nunc in urbibus, pro ut eis competentius videbatur, de pacis reformatione insimul frequentissimè tractaverunt. Sed cùm ea, quæ vicissim petebantur, ad Imperatoris notitiam referrentur, ipse in cunctis modum nimis excedens, & ab Ecclesia in spiritualibus postulavit, quod nulli umquam Laico inveniretur concessum, & à Lombardis ultra quod Carolus, & Ludovicus, atque Otto Imperatores contenti fuerunt, exegit. Cùm igitur à suo proposito pravo Fredericus recedere nullatenus vellet, Legati à Sanctorum Patrum Regulis, & Constitutionibus deviare nolentes, eo in erroris sui perfidia derelicto, ad præsentiam Domni Papæ, ac Fratrum suorum Collegium ductore Domino redierunt. Lombardi verò antiquam suæ libertatis possessionem viriliter defendentes, improbitati ejusdem Frederici fortiùs solito restiterunt, & Papienses cum Marchionibus, & Cumanis, assiduis devastationibus expugnabant.

De constitutione Episcopatus Alexandriæ, & de privatione Crucis, & Pallii Ecclesiæ Papiensis.

Eodem tempore Alexander Papa Ecclesiam Alexandriæ ad postulationem Mediolanensis Archiepiscopi, & Comprovincialium Episcoporum, atque Rectorum civitatum Lombardiæ Episcopatum constituit; in qua fecit in Episcopum eligi Arduinum Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, à Mediolanensi Metropolitano, tamquam suum Suffraganeum consecrandum. Præterea Papiensem Episcopum Crucis, & Pallii dignitate privavit, eò quod civitas ejus Octaviano Hæresiarchæ, ac Frederico Imperatori excommunicatis adhæsit, & post satisfactionem præstitam eumdem Fredericum in gravem Ecclesiæ jacturam, ac Lombardorum præsumpsit in Italiam revocare. Hæc namque civitas, sicut gesta Pontificum Romanorum declarant, ab antiquo receptaculum fuit Regum Romanam Ecclesiam, & Pontifices Romanos persequentium. Aistulphus enim Rex Lombardorum Ravennatem Exarchatum Stephano Papæ II. violenter abstulit, & alia gravia mala Ecclesiæ Romanæ, atque Urbi tamquam vir nequam & pessimus, Dei & Beati Petri timore postposito, intulit. Propter quod recolendæ memoriæ Pipinus Francorum Rex ab eodem Papa rogatus Lombardiam secundò cum exercitu magno intravit, & ipsum Aistulphum in Papia rebellantem tamdiu obsedit, quousque ad mandatum ejus, & voluntatem jam dicti Pontificis satisfecit, & omnia Ecclesiæ ablata restituit. Desiderius quoque Rex, qui eidem Aistulpho in Regno successit, Adrianum Papam I. nihilominus Ecclesiam, & Urbem impiè atque crudeliter est persecutus. Unde Carolus Rex ad preces ipsius Papæ hanc eamdem civitatem, in qua Desiderius ipse fuit receptus, per sex menses ita districtè obsedit, quòd eumdem Regem, & ejus uxorem per violentiam cepit, & captum ad suum Francorum Regnum secum reduxit. Non

(51) A. hoc ipsum opus.

(52) M. Con.

Digitized by Google

Non est ergo mirabile, si modernis temporibus hæc perfida civitas contra Ecclesiæ unitatem schismaticos, & excommunicatos recepit, & manutenere pro viribus elaborat.

De Campali bello inter Fredericum Regem, & Lombardos, & de optata Lombardorum victoria.

ET factum est in Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXV. Pontificatus quoque Alexandri Papæ anno XVII. circa finem mensis Junii, dum Fredericus expectaret in constituto termino exercitum, quem de Alamannia excitaverat, deliberato cum Papiensibus consilio perrexit Cumas occultè cum paucis: ibique recepto exercitu ipso, & aggregatis sibi universis Cumanis, ex improviso Mediolanensium fines invasit, quorum villas, & prædia hostiliter deprædari, & devastare incœpit. Statuerat enim cum ipsis Papiensibus, ut ex quo Mediolanensium terras ingrederetur, dato eis signo, quod inter se nominaverant, civitas ipsa in manu valida succurrere sibi deberet, & resistentes Lombardos à facie sua violenter expellere. Sed quia *fallitur augurio spes bona sæpe suo*, deceptus est in cogitatione sua, quia longè sibi deterius modo acciderit. Lombardorum namque civitates impium ejus propositum, & pravam ejus intentionem contra se jamdiu præsenserant, & ideò præparatæ ad bellum omnes unanimiter sibi occurrere festinabant. Sed Mediolanenses ubi adventum accelerantis adversarii certissimè cognoverunt, non expectaverunt alias civitates, sed cum Placentinis, & Centurionibus electorum militum de Verona, Brixia, Novaria, & Vercellis, exierunt extra Mediolanum in primo Sabbato mensis Junii cum Carrocio suo, & venerunt in magna multitudine ad quemdam congruum sibi locum inter Barranum, & Brixianum horâ quasi tertiâ, quintodecimo milliario ab Urbe. Tunc præmiserunt septingentos milites armatos versùs Cumas, ut scirent, qua parte adveniret potentissimus & fortissimus eorum adversarius. Quibus per tria ferè milliaria proficiscentibus trecenti Alamannorum milites obviaverunt, quorum vestigia Fredericus cum toto exercitu sequebatur, accinctus ad prœlium committendum. Nec mora hostes vehementer in hostes insiliunt, & se se ad invicem strictis mucronibus conterunt. Sed ubi gravior multitudo Principis supervenit Lombardorum milites inviti terga dederunt, & ad Carrocium Mediolanensium facere confugium exoptantes, non potuerunt à facie persequentis ibidem remanere. Tunc electa Mediolanensium bellatorum militia, quæ in posteriori acie tamquam murus impenetrabilis firmiter consistebat, præmissa oratione ad Deum, & ad Apostolum ejus Petrum, atque Beatum Ambrosium, erectis vexillis confidenter obviavit Frederico in virtute magna. Et in primo quidem congressu vexillifer ipsius Frederici transfossus corruit in terra, & sub equorum pedibus trucidatus remansit. Ipse quoque Imperator inter cæteros loricatus, ubi coruscantibus armis propriis insignitus apparuit, ab eisdem Lombardis fortiter percussus de sella cecidit, & ab omnium oculis statim evanuit. Urgentibus ergo ipsis Lombardis tota Teutonicorum expeditio in fugam conversa per octo milliaria fugit in timore mortis, de quorum multitudine paucis evadentibus alii gladio interfecti, alii fuerunt in Ticino submersi, residua turba per diversas civitates in captivitatem fuit divisa. Sed Cumanorum perfidus Populus, qui ab Ecclesiæ unitate, & Lombardorum confœderatione animo irreverenti, & infrunito discesserat, totus ferè prostratus in campo remansit, aut gladio interemptus, aut in captivam captivitatem contumeliosè deductus. Spolia verò universa post optatæ victoriæ famosum triumphum victrix Lombardorum societas libenter collegit, & in pace singuli habuerunt quod fortuna unicuique donavit. In quibus præter armorum, & equorum multitudinem copiosam, inæstimabiles divitiæ, & quæque optima terræ præter spem fuerunt inventa. De Imperatoris verò persona, an evaserit, aut cum cæteris interfectus in campo remanserit, diu apud omnes dubitatio maxima fuit in tantum, quòd ejus uxor in luctu, & mœstitia posita etiam lugubrem vestem induit. Cùm autem super hoc tota Italia plurimum vacillaret, ecce subitò Papiæ apparuit, atque immenso apparatu & strenua militia desolatus. In hoc autem manifestè ostendit Dominus, quod per Isaiam locutus fuerat, dicens: *Oculi sublimis hominis humiliati sunt, & incurvata est altitudo virorum fortium*. Quamvis autem causa ejus ab eo tempore, quo cœpit Dei Ecclesiam persequi, semper ultore Domino in deterius haberetur, & nulla eum adversitas, atque difficultas, laboris à suo incœpto retraheret, modò tamen ita vehementer à superno Judice percussus atque contritus est, quòd ad pacem Ecclesiæ, quam hactenus in duplicitate quæsierat, inclinari humiliter videretur, & eam per majores personas Imperii à Domno Alexandro Papa, & ejus Fratribus suppliciter postularet. Quippe omnes Ecclesiastici, & Seculares Principes Regni, qui prædictum Fredericum in errore suo hucusque secuti fuerant, dixerunt ei, quòd nisi cum Ecclesia pacem faceret, eum ulteriùs non sequerentur, nec sibi auxilium ferrent. Præterea Societatem Lombardorum contra Teutonicos ita Dominus fortem, & audacem reddiderat, ut quoties cum illa barbarie in prœlio decertaret, in primo congressu victrix existeret, & eam ante faciem suam tamquam volatiles paleas dispergeret, atque fugaret.

De secundo pacis tractatu inter Domnum Alexandrum Papam, & Fredericum Imperatorem.

MIsit ergo Imperator Fredericus ad præsentiam Domni Alexandri Papæ W. (53) Maddeburgensem Archiepiscopum, Christianum Maguntinum, & P. (54) Vormatiensem, Electos, atque Ar. Protonotarium Regni, majores Imperii Principes, cum plenaria potestate complendæ pacis inter Ecclesiam, & Imperium. Qui venientes usque Tiburtum nuntiarunt ipsi Pontifici sedenti apud Anagniam sui adventus causam, & impetrato securo ducatu recepti sunt à duobus Cardinalibus, & Capitaneis Campaniæ, atque honorificè deducti in civitatem Anagninam. In crastinum verò cùm Pontifex in Consistorio, adstante Clericorum, & Nobilium multitudine, resideret, accesserunt ad majorem Ecclesiam cum decora societate sua, & exinde intrarunt in conspectu Pontificis. Stantes autem in medio coram ipso, & cum multa reverentia dixerunt, loquentes: Dominus noster Imperator desiderio magno desiderans Romanæ Ecclesiæ, ac

(53) M. VVillelmum.

(54) M. Petrum.

ac vobis pacem veram dare, misit nos cum plenitudine potestatis ad præsentiam vestram, instanter postulans, ut verbum illud concordiæ, ac pacis, quod in præterito anno Fratres vestri secum præsentialiter tractaverunt, & usque modò peccatis exigentibus imperfectum remansit, nunc per nos, & assensum vestrum, quantum in eo fuerit, auctore Domino, compleatur. Notum est enim, & indubitatum, quòd ab initio nascentis Ecclesiæ Omnipotens Deus in orbe duo esse voluit, quibus principaliter mundus hic (55) regeretur: Sacerdotalis dignitas, & Regalis potestas, quæ nisi ad invicem concordia fulcirentur, pax ubique nullatenus servaretur, & mundus controversiis, & bellorum strepitu abundabit. Cesset igitur jam nunc ista odiosa turbatio, & per vos duos Principes orbis pax desiderata Ecclesiis universis, & Populo Christiano reddatur. His igitur publicè allegatis, benignus Pontifex hilari, ac placido vultu respondens ait: De adventu vestro cum jucundis rumoribus valdè gaudemus, & exinde Omnipotenti Deo gratias agimus. Non est in præsenti sæculo res, quæ in auribus nostris ita dulcescat, quàm si Domnus Imperator noster, quem inter alios Principes mundi cognoscimus esse majorem, pacem nobis veram dare, sicut asseritis, velit. Sed si vult integram pacem suam nobis tribuere. & Ecclesiæ Romanæ, oportet, ut eam auxiliatoribus nostris, maximè Regi Siciliæ, ac Lombardis, & Imperatori Constantinopolitano, qui nobis contra eum in necessitatibus Ecclesiæ firmiter adstiterunt, pariter tribuat. Legati verò laudantes, & approbantes verbum Pontificis, dixerunt: In mandatis accepimus à Domno Imperatore, ut secretè vobiscum, & cum Fratribus vestris loquamur, quatenus ea, quæ inter nos, & vos tractanda fuerint, & statuenda, inimicus homo non sentiat, & in secreto serventur, quousque pacis bonum præstantiæ Domino compleatur. Scimus enim, quòd in parte vestra, & nostra nonnulli sunt, qui pacem odiunt, & hanc discordiam libenter fovent. Iis itaque auditis, universus conventus discessit, & Pontifex cum Fratribus suis, & eisdem Legatis, secretarium consilii solus intravit. Cœperunt autem de verbo pacis ad invicem diligenter tractare. Sed quoniam res ardua, & multùm difficilis agebatur, multi enim nobiles, & potentes in schismate graviter lapsi fuerant, & de quibusdam capitulis inter Ecclesiam, & Imperium controversia vertebatur, ultra quindecim dies tractatus ipse duravit. In quo spatio Sanctorum Patrum auctoritates, privilegia Imperatorum, atque antiquæ consuetudines, atque illæ rationes ostensæ sunt, & super eis est diutiùs laboratum, atque subtiliter disputatum. Tandem cooperante Spiritus Sancti gratia ita factum est, quòd de omnibus capitulis inter Ecclesiam, & Imperium cum sæpedictis Legatis Pontifex, & Fratres ejus unanimiter concordarent, remanente causa Lombardorum in eo statu, in quo erat usque ad commune colloquium, quoniam in eorum absentia nec debuit, nec potuit terminari (56). Et quoniam sine Imperatoris, & eorum Lombardorum corporali præsentia pax ipsa, sicut prædictum est, fieri non debebat, constitutum est, ut Pontifex cum Fratribus suis pro tanto desideratæ pacis bono laboraret in proprio corpore, & ad partes Lombardiæ absque longa dilatione festinaret. Interim autem data est firma securitas ex parte Imperatoris omnibus Ecclesiæ Romanæ personis, & rebus eorum, ac Terris Beati Petri, & Siciliæ Regis, cunctisque majoribus usque ad consummationem ipsius pacis. His itaque dispositis, & concorditer ordinatis ad Imperatorem Legati alacres redierunt.

De eo, quòd Alexander Papa in Lombardiam ivit propter pacem Ecclesiæ.

PORrò Alexander Papa, ut indubitanter ad colloquium ipsius Imperatoris posset accedere, ordinato in Urbe Vicario versùs mare Adriaticum iter cum Fratribus suis arripuit, & veniens Beneventum per Trojam, & Sipontum, ac Montem Gargani transivit ad civitatem Vestanam in maris litore sitam. Ibi enim devotus Beati Petri filius Rex Siciliæ ad ejus obsequium præparaverat septem galeas victualibus, & armis, pro ut tempus, & res postulabat, munitas. Duos quoque de magnatibus terræ suæ R. videlicet Salernitanum Archiepiscopum, & R. Andrensem maximum Comitem, ut honorificentiùs cum eis incederet illuc ad ejusdem (57) pacis, & Domini sui præsentiam destinavit. Ut autem Imperatorem, & Lombardos de suo Pontifex adventu redderet certiores, sex de Fratribus suis Cardinalibus à Siponto usque Bononiam cum suis, & aliorum Fratrum equitaturis præmiserat.

De maxima cæde Christianorum à Paganis facta in Oriente.

IN diebus illis Emmanuel Imperator Græcorum volens sibi subjugare Turcorum Regnum, in multitudine gravi terram ipsorum violenter intravit, & destruens civitates, & villas ferè usque ad Cuneum. ubi est sedes Regni, spoliando, & occupando universa, processit. Tunc Soldanus gentis illius potentissimus Rex, adscitis sibi decem millibus Arabibus peritiâ militandi astutioribus præ cæteris gentibus ipsius patriæ, cum ingenti multitudine militum, & sagittariorum suorum, prædicto Imperatori occurrit, orans & petens ab eo, ut terram suam sibi in pace dimitteret, & eam ad suum servitium retineret. Obtulit enim ei magna & pretiosa donaria, ut ejus amorem & gratiam consequi mereretur. Denique fidelitatem, & hominium (58) sibi voluit fideliter exhibere, & ad ejus servitium cum militibus & sagittariis suis. quandocumque ab eo requireret, accedere. Sed Imperator nimiùm de viribus & potentia sua confidens (fortissimum namque secum exercitum, & valde magnum terra, & mari habebat) despexit eum, & dixit: Neque pacem mecum. neque placitum facies, nisi Cuneum in manibus, & potestate mea reddideris. His itaque auditis, Soldanus, tamquam vir sapiens. & astutus, simulatè retrorsum abiit. Et ascendens montana super convallium fauces per quas Imperator ad Cuneum transire disposuerat, insidias ei posuit, ut inopinatè ipsum invaderet, & perniciosè contraheret. Imperator verò credens eumdem Soldanum potiùs ex timore, quàm astutia, & calliditate à facie ejus recessisse, minimè cautè, immo improvidè & temerariè intravit per illos difficiles, & arctos transitus inter duos arduos montes. Et præmittens for-

(55) M. *non legit* hic.
(56) M. determinari.

(57) A. ejusdem Patris, & Domini &c.
(58) A., & M. homagium.

Digitized by Google

fortissimos equitatus suos cum quadrigis, & principibus Principum, subitò inciderunt omnes in insidias hostium. Facto itaque hinc inde immenso clamore, terribilis & exitiabilis initiatur conflictus. Et quia præ nimia locorum angustia pars nostra nec fugere poterat, nec reluctari, pariter comprehensi sunt universi tamquam greges in ovile unum. Quid plura? sævè digladiati sunt à sævitia Turcorum, Arabum, & multis, ac variis divitiis exspoliati, pauci tamen de tanta multitudine in captivitatem ducti. Ipse quoque Imperator in posteriori acie loricatus, & multo milite circumdatus, tamdem repertus est. Cum autem in gladio ab impia multitudine impiè tunderetur, supervênit ipse Soldanus, & eo agnito, cùm posset illatam sibi absque offensione injuriam plenè ulcisci, ex nimia liberalitate, sicut vir in lege sua mansuetus, & timens Creatorem suum, absolvit eum, & liberum abire permisit; cui & coronam, & pretiosissimam Crucem, quæ capta fuerant cum multis, & variis donariis restituere dignum duxit. Ad ultimum verò pacem cum ipso ad tempus composuit, & hoc modo amici ad invicem discesserunt.

Quomodo Antipapa Viterbiensis doluit de pace Ecclesiæ.

INterea Viterbiensis ille ridiculus Antipapa de malo semper in pejus descendens ubi pacem & concordiam inter Alexandrum Papam, & Imperatorem sine se familiariter tractari præsensit, ubi securitatem firmam cunctis viatoribus datam indubitanter cognovit cum participibus suis ita vehementer indoluit, ac si cor ejus per medium crepuisset. Antea verò quàm de Anagnia Pontifex Alexander exiret, H. Ostiensem Episcopum, & R. Diaconum Cardinalem Sancti Georgii ad Imperatoris præsentiam ea occasione præmisit, ut securitatem, quam Magdeburgensis Archiepiscopus cum sociis suis compromiserat, ab eodem Imperatore per exhibitionem juramenti manifestè reciperent. Euntes autem per partes Tusciæ in Lombardiam intrarunt, & circa Mutinam eumdem Imperatorem satis pacificum invenerunt, qui eos hilari vultu, ac reverenter suscepit, & honorificentia plurima honoravit. Præsentibus itaque multis Episcopis, atque Principibus coram ipsis Legatis C. filium Marchionis Montisferrati super sacrosancta Euangelia jurare fecit in anima sua eamdem securitatem, quam prædicti Legati apud Anagniam indubitanter præstiterant. Insuper ad majorem bonæ voluntatis, quam gerebat de pace, ostensionem, omnes Alamannos Principes, qui secum ibi aderant, eamdem securitatem per jusjurandum fecit nihilominus roborare.

In diebus illis Cremona respiciens retro absque gravamine turpiter dejerando à confœderatione aliarum Civitatum impudenter recessit, & ad Imperatorem non sine magna infamia se convertit; unde indignationem Ecclesiæ, & aliorum Lombardorum odium, & inimicitiam justè incurrit. Terdona quoque non post multum temporis id ipsum reprehensibiliter fecit, & eadem infamia contumeliosè se involvit. Audiens autem hæc apud Vestam Summus Pontifex valde miratus est, sed de aliarum Civitatum stabilitate non dubitare potuit. Cæterum cum valida maris tempestas ipsum jam per triginta dies contra propositum suum ibidem detinuisset invitum, ecce subitò Auster diu desideratus advênit, & statim nautæ ad transfretandum eumdem Pontificem alacriter invitarunt. Qui consurgens circa medium noctis instantis Quadragesimæ valde mane post Missam, & receptos cineres, pelagi vastitatem lætus intravit cum undecim galeis, & duabus galeis oneratis victualium copia, & albis caballis. Erat enim delectabile ad videndum ipsum navalem & gloriosum exercitum sulcantem grossum pelagus velis prosperis, & propitio vento. Sed circa meridiem superveniente Borea prorsus extinctus est Auster, & illico facta est in mari turbatio maxima. Timuerunt igitur omnes, Pontifex autem non fuit omnino securus, quia procellarum immensitas non modicum minabatur. Tunc decem galeæ cum ipso Papa, & Fratribus suis versus anteriores Insulas in remigando non segniter laborarunt. Sed tamdem suffragantibus Beatorum Petri, & Pauli meritis, eadem die circa noctem ad Insulam, quæ dicitur Palatiosa (59) prosperè Deo gratias applicuerunt. Sed naves albos equos ferentes cum posteriori galea regressæ sunt ad Portum Vestanum, quia reliquas galeas subsequi contra ventum validum non potuerunt. Pontifex autem fatigatus ex jejunio, & procellosi maris turbatione, in terram libenter descendit, & appositâ mensâ copiosè, hilariterque cœnavit. Post modicum verò spatium, cùm jam quiescerent omnes, ex insperato desiderabilis Auster nautis arrisit, & eos ad iter agendum non mediocriter animavit. Exultantibus igitur cunctis in gaudio magno, universa vela in altum citissimè sunt collata, & unusquisque ad exercendum commissum sibi officium in ipsa noctis obscuritate vigilanter permansit. Præcedente itaque cum magno luminari galea celeriori Summi Pontificis, per totam noctem omnes alacriter navigarunt, & die altera circa meridiem in Insula. quæ vocatur Allexa, post celebratam ibidem Missam cum magno gaudio & lætitia cœnaverunt. Et exinde cæteras Dalmatiæ Insulas transcendentes, in proxima Dominica, priusquam sol illucesceret, ad Civitatem Jaderam, quæ sita est in capite Ungarici Regni, eumdem Pontificem cum Fratribus suis M. videlicet Prænestrino Episcopo, I (60) titulo Sanctæ Anastasiæ, B. titulo Sanctæ Pudentianæ Presbyteris, O. Sancti Adriani, & V. Sancti Eustachii Diaconis Cardinalibus, R. quoque Salernitano Archiepiscopo, & R. illustri Comite, per merita Beati Petri sanum & alacrem portaverunt. Et quoniam nondum quisquam Romanorum Pontificum Civitatem ipsam intraverat, de novo ejusdem Papæ adventu facta est in Clero, & Populo ipsius loci communis lætitia, & ineffabilis exultatio collaudantium, & benedicentium Dominum, qui modernis temporibus per famulum suum Alexandrum, Successorem Beati Petri, Ecclesiam Jadertinam dignatus est visitare. Ideoque præparato sibi de Romano more albo caballo processionaliter deduxerunt eum per mediam Civitatem ad Beatæ Anastasiæ majorem Ecclesiam, in qua ipsa Virgo, & Martyr honorificè tumulata quiescit, cum immensis laudibus & canticis altisonè resonantibus in eorum Sclavica linguâ. Post quartum verò diem exivit Jaderâ, & per Sclavorum Insulas, & maritimas Histriæ modicas Civitates,

(59) M. Palacrosa.

(60) M. Jo.

Digitized by Google

tes, felici cursu transitum faciens, ad Monasterium Sancti Nicolai situm in faucibus Rivi alti cum omni alacritate Domino auxiliante pervênit.

De tempore, quando Alexander Papa Venetias priùs intravit.

ANno igitur sui Pontificatus XVIII. nono Kalendas Aprilis, Indictione X. Beatus Alexander Papa cum ingenti honorificentia Venetias primùm intravit, occurrente sibi Duce cum Patriarcha, & Episcopis, ac Nobilibus, cum Clero in varia navium copiosa multitudine. Eo autem in Palatio Patriarchæ super Rivo alto descendente, prædictus Magdeburgensis Archiepiscopus cum electo Wormatiensi, & Protonotario accesserunt ad eum, dicentes: Dominus noster Imperator cuncta, quæ inter vos, & eum de pace nobis mediantibus tractata sunt, & conscripta, paratus est cum gaudio adimplere. Sed in civitate Bononiensi, quam ejus Principes nimis habent suspectam, vobiscum convenire nullatenus potest: unde clementiam vestram suppliciter exoramus, quatenus alium locum sibi, & vobis congruum, Ravennam videlicet, vel Venetias eligere satagatis. Quibus Pontifex constanter sinè mora respondit: Diu est, quòd mediantibus Fratribus nostris V. Ostiense Episcopo, & R Diacono Cardinalibus cum Lombardis Imperator convênit, ut ipse in Imola, & nos in Bononia debeamus pariter convenire, ideoque nos absque Lombardis, & consilio Fratrum nostrorum, qui circa partes Bononiæ nostrum præstolantur adventum, locum ipsum mutare non possumus, nec debemus. Si ergo nunc ei displicet, quod priùs spontè concessit, sibi debet, non nobis excusatione seposita imputare. Verumtamen, ut inceptum bonum pacis ad desideratam consummationem celeriùs valeat opitulante Domino pervenire, nos usque Ferrariam sinè mora venire studebimus, quatenus ibi cum Fratribus nostris absentibus, & Rectoribus Lombardiæ, deliberare & eligere plenariè possimus, quod pro utraque parte congruentius fuerit faciendum. Quod verbum quia Legatis bene complacuit, per literas Apostolicas universis Episcopis, & Rectoribus civitatum Lombardiæ mandavit, ut in Dominica die Dominicæ Passionis ad ejus præsentiam in civitate ipsa Deo favente conveniant. Interim verò cùm turbæ multæ irruerent ad eum, & de circumpositis civitatibus multitudo Nobilium properaret ad ejus præsentiam, ut viderent illum, & audirent, tamquam Angelum Dei missum, dignum duxit, ut in proxima Dominica, qua cantatur *Lætare Hierusalem*, ad Ecclesiam Beati Marci solemnia Missarum celebraturus accederet. Indutis ergo sacris vestibus, & de consuetudine auream deferens Rosam cum Episcopis, & Cardinalibus ad Altare nimis (61) devotè processit. Post Evangelicam lectionem Populo Dei ex diversis partibus congregato pastoraliter prædicavit, & completis Missarum officiis, Rosam, quam detulerat, Duci Venetico in signum gratiæ Sedis Apostolicæ contulit. In eadem quoque septimana cum glorioso galearum exercitu, quod erat delectabile visu, exivit à Venetia, & per fauces Padi ascendens cum gloria & honore venit in suam civitatem Ferrariam.

De primo colloquio Lombardorum, & Principum apud Ferrariam, præsente Alexandro Papa pro pace Ecclesiæ.

IN sequenti verò die principales personæ, quæ ab utraque parte inferiùs adnotantur, ad ejusdem Pontificis præsentiam convenerunt. Ex parte Lombardorum Aquilejensis Patriarcha, Ravennensis, & Mediolanensis Archiepiscopi, & eorum Comprovinciales Episcopi, Rectores civitatum, cum suis Marchionibus, atque Comitibus, Salernitanus quoque Archiepiscopus cum R. Andrensi Comite. Sed ex parte Imperatoris Maguntinus, Coloniensis, Treverensis, Bisuntinus, Magdeburgensis, & Saltzburgensis Archiepiscopi, cum aliquibus eorum Suffraganeis Episcopis; Electo quoque Wormatiensi, & A (62) Protonotario. Quibus ad invicem congregatis, de loco, ubi Papa securè posset cum Imperatore præsentialiter convenire, non modica inter partes altercatio exstitit, & Lombardis petentibus Bononiam, vel Placentiam, aut Ferrariam, seu Paduam, Imperatoris autem Principibus Papiam, seu Ravennam, aut Venetias eligentibus, Pontifex cum Nuntiis Regis Siciliæ Venetias in hunc modum elegit, ut si Dux cum populo Veneto juramentoriam cautionem præstaret, quod antequam pax confirmata firmiter esset, sinè consensu Papæ (63) Imperatorem Venetias nullatenus intrare permitterent, & venientes illuc, seu redeuntes nullo modo impedirent, tunc pars ipsa utraque ad locum ipsum securè accederet. Quod ad verbum Pontificis factum est. Exivit ergo à Ferraria cum Episcopis & Cardinalibus septimo Idus Maji, & sinè mora Venetias remeavit, cujus vestigia partes utræque celeriter sunt subsequutæ. Constitutis itaque Principibus, ac Lombardis in conspectu Pontificis, de reconciliatione pacis inter eos, & alterutrum tractare cœperunt. Sed quia de Regalibus, ac Feudis maxima inter eos controversia vertebatur, & pax Ecclesiæ absque illorum pace, qui cum Ecclesia contra Imperium firmiter steterant, fieri non debebat, tractatus ipse multis intervenientibus induciis usque ad Apostolorum Petri, & Pauli octavas processit. Ea igitur die pax Ecclesiæ in ea forma, qua de consensu partium ordinata fuerat, & scripto firmata de communi consensu Principum, qui præsentes aderant, Imperatoris assensu roborata est. Pax quoque Siciliæ Regis à proximis Kalendis Augusti usque ad quindecim annos eodem modo approbata est, super quibus cartæ hinc inde concorditer factæ, & à singulis partibus in bona voluntate receptæ sunt. Quibus ita peractis ad instantiam Principum Imperatori licentiam dedit Pontifex veniendi usque Clogiam, quatenus in loco ipso à Pontifice parum distante, constitutis in ejus præsentia Cardinalibus illis, & Principibus, qui verbum pacis, & treugarum ferè jam consummaverant, causa ipsa Imperiali auctoritate auctore Domino plenum sortiretur effectum, & immutabile firmamentum. Venit ergo illuc Imperator, & ad ejus præsentiam Cardinales, & Principes pariter convenerunt, omnia, quæ de ipsius assensu fecerant, sibi concorditer ostendentes. Auditis itaque omnibus, quæ gesta fuerant, & plenariè intellectis, licèt ab iis, qui oderant pacem,

(61) A., & M. *pronimis leg.* majus.
(62) M. An.

(63) A., & M. *si* Papæ *non legitur*.

Digitized by Google

pacem, valde turbatus fuerit, & commotus, quia tamen Principes in faciem sibi viriliter restiterunt, omnia tamdem, sicut in præsentia Pontificis gesta fuerant & conscripta, rata habuit, & confirmari spontè promisit. Unde factum est, quòd in audientia eorumdem Cardinalium, & Principum Dodoni Comiti filio C. Marchionis præcepit, ut in anima sua coram Domno Papa, Nuntiis Regis Siciliæ, ac Lombardis publicè juraret in hunc modum.

Hæc sunt prima juramenta Imperatoris Frederici, quæ in anima sua fieri fecit de pace Ecclesiæ.

„ EGo Comes Dedo juro, quòd Domnus Im„ perator mandavit mihi, ut in anima sua „ jurarem juramentum, quod nunc facturus sum, „ & postquam mandavit, non revocavit man„ datum. Et ego ex mandato Imperatoris juro „ in anima sua, quòd ex quo venerit Venetias, „ omni quæstione, & contradictione semota, „ faciet jurari in anima sua, quòd pacem Ec„ clesiæ, sicut disposita est per mediatores & „ scripta, & pacem Regis Siciliæ usque ad „ quindecim annos, sicut scripta est, & treu„ gam Lombardorum, sicut est per mediato„ res utriusque partis dispositum, & in scri„ pto, quod est apud eosdem mediatores, con„ tinetur, bona fide servabit, & Principes suos „ hoc ipsum jurare faciet. *Simili modo præce„ pit Sigilboth* (64) *Camerario suo in hunc mo„ dum*. Ego Sigilboth juro, quòd ex quo Do„ mnus Imperator venerit Venetias, prædictum „ juramentum pacis Ecclesiæ, & Regis Siciliæ, „ & treugæ Lombardorum faciet præstari in ani„ ma sua, & Principes similiter jurare faciet. His itaque hoc modo completis, Pontifex Ducem, & Populum Venetum à juramento, quo tenebatur, absolvit, & ut Domnum Imperatorem honorificè Venetias ducerent, eis præcepit. Quod Dux desideranter implere festinans, in præparatis sex galeis eumdem Imperatorem usque ad Monasterium Sancti Nicolai, quod est situm in capite Rivi-alti, cum gloria, & honore fecit conduci.

De absolutione Imperatoris Frederici, & de pace facta inter eum, & Domnum Papam Alexandrum.

ALtera itaque die in Vigilia Sancti Jacobi summo mane Pontifex misit ad ejus præsentiam Hi. (65) Ostiensem, E. Portuensem, & M. Prænestrinum Episcopos, I. titulo Sanctæ Anastasiæ, T. titulo Sancti Vitalis, & P. titulo Sanctæ Susannæ, Presbyteros Cardinales, atque I. (66) Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Cosmedin; qui venientes ad eum, postquam renunciavit Schisma Octaviani, Guidonis Cremensis, & Johannis de Struma, post promissam quoque obedientiam venerabili Papæ Alexandro, tamquam Catholicus Princeps, ejusque successoribus canonicè intrantibus, ipsum à sententia excommunicationis pariter absolverunt, & unitati Catholicæ aggregarunt. De majoribus etiam ipsius Principibus juxta priscum Ecclesiæ morem id ipsum fecerunt. Et exinde Imperator tamquam orthodoxus Princeps devotè accessit ad præsentiam ipsius Pontificis, qui ante fores Ecclesiæ S. Marci cum Episcopis & Cardinalibus residebat, & in communi unionem pacis expectantibus deposita clamyde prostravit se in terra, & deosculatis ejus, tamquam Principis Apostolorum, pedibus, veræ pacis osculum sibi devotissimè dedit. Tunc repleti sunt omnes gaudio magno, & præ nimia lætitia vox conclamantium in *Te Deum laudamus* insonuit usque ad sidera. Statimque Augustus, apprehensa Pontificis dextera cum canticis, & laudibus usque ad Chorum Ecclesiæ ipsum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipsius reverenter suscepit. In sequenti vero die, quo celebrabatur Festum S. Jacobi Apostoli, ad eamdem Ecclesiam rediit, & celebraturus Missarum solemnia cum festiva processione Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium, & aliorum Ecclesiæ Ordinum, ad sacrum Altare processit. Imperatore igitur stante in Choro, Clerus Teutonicus Missæ introitum altisonis vocibus psallere cœpit, & totum decantando Officium cum omni jubilatione peregit. Post Evangelium autem, & sermonem factum ad plebem, Imperator denuo ad vestigia ejusdem Pontificis cum Principibus suis devotissimè procidit, & apertis thesauris suis aurum ei post pedum oscula obtulit. Decantatâ itaque Missâ ejus dexteram apprehendit, & extra Ecclesiam usque ad album caballum conduxit ipsum, & streugam sibi fortiter tenuit. Cùm autem frænum acciperet, & Stratoris officium vellet implere, Pontifex quia iter usque ad mare nimis videbatur prolixum, pro facto habuit, quod affectuosè voluit exhibere. In crastino autem circa nonam Imperator cum paucis Pontificem filiali affectu visitavit, & usque ad ejus cameram, ubi cum Episcopis, & Cardinalibus familiariter residebat, alacriter requisivit. Congratulati sunt ergo diu ad invicem, & post affectuosa colloquia, & mixtos seriis temperatos, & sinè detrimento dignitatis jocos, Augustus petitâ & impetratâ licentiâ hilaris ad hospitium remeavit.

De consummatione pacis, & treugæ Lombardorum, & juramentis præstitis.

IN Kalendis verò mensis Augusti, convocatis Regis Siciliæ Nuntiis, & universis Lombardorum Rectoribus, Pontifex, & Imperator consistorium pariter intraverunt. Tunc Imperator coram Pontifice in communi auditorio præcepit Comiti Henrico de Des, quatenus in anima sua juraret, quòd pacem Ecclesiæ, atque Imperii, & pacem Regis Siciliæ usque ad quindecim annos, & treugam Lombardorum proximis Kalendis Augusti usque ad sex annos, sicut per mediatores utriusque partis dispositum, & scriptum est, bona fide servabit. Præsentibus quoque Principibus nihilominus jussit, quòd eamdem pacem, & treugam pariter jurarent, & bona fide servarent. Mox juravit ipse Comes super Sancta Dei Evangelia, sicut Imperator ei præceperat; & conversus ad ipsum „ dixit: Sic te Deus adjuvet, & hæc Sancta „ Evangelia. *Juraverunt sequentes Principes ita.* „ Ego C. (67) Maguntinensis, ego P. Colo„ niensis, ego V. (68) Magdeburgensis, ego „ B. Treverensis, Archiepiscopi, ego D. Pata-

(64) A. Sigilboch. M. Sigilloth.
(65) A. Hy.
(66) M. Jo.

(67) A. O.
(68) A. B. M. verò W.

Digitized by Google

„ tavienſis, ego C. electus Wormatienſis, ego „ Ar. Imperialis aulæ Protonotarius, ego C. „ quondam Mantuanus Epiſcopus, ego G. Can- „ cellarius, & ego C. Comes, juramus in ani- „ mabus noſtris ſuper hæc Sancta Dei Evange- „ lia, quòd pacem Eccleſiæ, atque Imperii, „ & pacem Regis Siciliæ uſque ad quindecim „ annos, & treugam Lombardorum uſque ad „ ſex annos, ſicut ſtatutum & ſcriptum eſt per „ mediatores utriuſque partis, bona fide ſer- „ vabimus, & abſque fraude: ſic nos Deus „ adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ex parte verò Siciliæ Regis eodem modo juravit R. Salernitanus Archiepiſcopus, (69) & R. Andrenſis Comes. Ex parte verò Lombardorum juraverunt, qui præſentes aderant, de Mediolano Gerardus Piſtis, & Rogerius Marcellinus Conſul. De Placentia Guillielmus Leccacorus. (70) De Brixia Albertus de Gambara. De Bergamo Albertus Albertonis. De Verona Cothus (71) Conſul. De Parma Vetulus. De Regio Arcemanus. De Bononia Pinamonte Poteſtas eorum. De Novaria Guillielmus Gibuini. De Alexandria Ubertus de Foro. De Padua Teſſulinus Poteſtas. De Vincentia Ezulinus.

De reverſione Schiſmaticorum ad Eccleſiæ unitatem.

ABſoluto autem Imperatore, ſequaces ejus intruſi & Schiſmatici ad ſinum matris Eccleſiæ cathervatim confluentes, abſolvi humiliter poſtulantes, refutarunt, & anathematizarunt ſuper Sancta Evangelia omnem hæreſim extollentem ſe adversùs Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, & præcipuè Schiſma, & hæreſim Octaviani, & Guidonis Cremenſis, atque Johannis de Struma, eorumque ordinationes irritas eſſe pronunciantes, fidelitatem quoque & obedientiam Domno ſuo Papæ Alexandro, ejuſque ſucceſſoribus Catholicis (72) promittentes, reconciliati ſunt, & unitati Catholicæ aſſignati. De quorum numero famoſiores duximus nominandos, C. Maguntinum, P. Colonienſem, W. Magdeburgenſem, Treverenſem, Patavienſem, Wormatienſem Electum, Auguſtenſem, Baſilienſem, Argentinenſem, Alberſtatenſem, Papienſem, Placentinum, Cremonenſem, Brixienſem, Novarienſem, Aquenſem, C. Mantuanum, Balneoregenſem, Penſaurenſem, Fanenſem, V. à Guidone Cremenſi promotum in Levitam, V. quondam Cluniacenſem Abbatem, & intruſum Sancti Petri in Velo aureo, atque vicinum ejus Sancti Salvatoris intruſum. Aliorum verò Schiſmaticorum reſipiſcentium multitudinem nominare penitus ignoramus.

Quomodo Papa promulgavit excommunicationis ſententiam in violatores pacis.

EOdem tempore XVIII. Kalendas Septembris in Eccleſia Sancti Marci apud Venetias Alexander Papa cum Archiepiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis de Italia, & Alamannia Synodum celebravit, in qua juxta eum ipſe Imperator reſedit (73). Ibi pacem inter Eccleſiam, & Imperium, & pacem Siciliæ Regis, atque treugas Lombardorum, ſicut ſuperiùs eſt ordinatum, communi aſſertione roborata fuit, & firmata. Sed ad majorem ipſius ſoliditatem Pontifex in hunc modum excommunicationis ſententiam promulgavit, ut quicumque pacem ipſam, vel treugas infringeret, niſi requiſitus infra quadraginta dies, & commonitus ſatisfaceret, eamdem ſententiam ſepoſita excuſatione incurreret. In Shiſmaticos verò, qui nondum reſipuerant, quouſque ſatisfacerent, anathematis ſententiam innovavit.

De acquiſitione Caſtri Brectanori.

IN diebus illis C. Comes de Brectanoro abſque liberis apud Venetias defunctus eſt, qui pro remiſſione peccatorum ſuorum, ſuorumque parentum & Caſtrum ipſum Brectanorum, quod alio nomine vocatur Suſubium, & totam terram ſuam, licèt ab antiquo juris Beati Petri fuerit, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ in propriam hereditatem donavit, & ad majorem donationis ipſius firmitatem Domno Alexandro Papæ, ſuiſque Succeſſoribus publicum exinde inſtrumentum fieri fecit. Quamobrem pro recipiendis inveſtituris ipſius Caſtri, quod eſt caput, & ſedes totius Comitatus, Pontifex abſque mora miſit illuc R. Diaconum Cardinalem, R. Subdiaconum, & P. Sarracenum dapiferum ſuum, per quos cum inveſtitura poſſeſſionem illius Comitatus in poteſtatem & dominium Sedis Apoſtolicæ recepit, atque detinuit.

Literæ Principum Imperii de confirmatione, & obſervatione pacis inter Eccleſiam, & Imperium.

„ DOmino ſuo, ac Patri venerando, Ale- „ xandro Dei gratia Sanctæ Romanæ Se- „ dis, & Catholicæ Eccleſiæ Summo Pontifici, „ & univerſali Papæ, Chriſtianus Maguntinus „ Archiepiſcopus, Philippus Colonienſis Ar- „ chiepiſcopus, Wiermannus (74) Magde- „ burgenſis, Arnoldus Treverenſis, Archiepiſ- „ copi. Conradus Wormatienſis Electus, Go- „ defridus Cancellarius, Worumnus Protono- „ tarius, F. (75) Comes Hollandiæ, T. Mar- „ chio de Luzis, & Frater ejus Dedo, H. (76) „ Comes de Dierſa, R. Comes de Durna, „ filialis devotionis obſequium cum debita obe- „ dientia, & ſubjectione. Commoda, quæ ex „ conſummata pace Eccleſiæ, & Imperii, toti „ mundo proveniunt, ipſa innumerata mala, „ quæ inde vitantur, manifeſtè oſtendunt. Sicut „ enim ab utriuſque concordi providentia or- „ bis terrarum ad ſalutem & tranquillitatem „ regitur, ita ſub eorum diviſione à propria „ debiti ſtatus rectitudine diſtrahebatur. Gau- „ deat itaque tellus jam deſiderabilis roris vi- „ ſitatione reſperſa, tam gratioſæ pluviæ in- „ undatione fœcundata, per quam fidelis Po- „ puli arida ſitis depellitur, & omnium jur- „ giorum ſcandala, & ſcandalorum incendia „ ſuffocantur. Nos ergo, Pater Sanctiſſime, de „ tanto concordiæ fructu lætantes, ipſam ſacratiſſimam Eccleſiæ, & Imperii pacem, ſicut „ ab utriuſque partis mediatoribus eſt diſpoſi- „ ta, & in commune ſcriptum redacta, & pa- „ cem illuſtris Regis Siciliæ uſque ad quinde- „ cim annos, & treugam Lombardorum à pro- „ ximis Kalendis Auguſti uſque ad ſex annos, „ ſicut à mediatoribus eſt ordinata, & noſtris „ jura-

(69) A. & M. Epiſcopus.
(70) M. Guilhelmus Lectacormius. A. Lecacorvus.
(71) A. & M. Cochus.
(72) A. & M. Canonicis.
(73) A. prælibatus.
(74) M. Wienandus.
(75) M. Fredericus.
(76) M. Henricus.

Digitized by Google

„ juramentis firmata, & in scriptum communiter redacta, quod scilicet scriptum propriis subscriptionibus ipsorum mediatorum hinc inde confirmatum est, & sigillis ipsorum corroboratum, nostri consensus studio, & vigore confirmamus, & ratam, & inconcussam tenemus, & ut sic observetur, operam dabimus. Et ut hæc nostræ confirmationis pagina subsecutis temporibus firma, & illibata permaneat, eam propriis subscriptionibus communiri, & nostrorum sigillorum appositione (77) fecimus insigniri.

Ego Christianus Maguntinæ Sedis Archiepiscopus subscripsi.

Ego P. Coloniensis Archiepiscopus, & Italiæ Archicancellarius subscripsi.

Ego C. Wormatiensis Electus subscripsi.

Ego G. Imperialis Aulæ Cancellarius subscripsi.

Ego W. Protonotarius subscripsi.

Litera Imperatoris missæ Papæ super pace inter Ecclesiam, & Imperium.

„ REverendo in Christo Patri Domno Papæ Alexandro, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo & universali Pontifici, Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus debitam obedientiam, & filialis devotionis affectum. Cùm Imperatoria majestas à Rege Regum ad hoc in terris ordinata sit, ut per ejus operam totus orbis pacis gaudeat incremento, Nos, quos Deus in solio Romani Imperii constituit, eam diligentiùs amplecti, & ferventiùs conservare debemus, & volumus. Inde est, quòd pacem Ecclesiæ, & Imperii secundùm quod à Principibus nostris, & à Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ disposita est & ordinata, & in scripto Principum nostrorum sigillis eorum signata continetur, sicut per interpositam personam secundùm formam, quæ in scripto continetur, jurari fecimus, sic præsenti scripto nos firmiter observare promittimus, confirmamus, & ratum inposterum permanere volumus, & sic deinceps firmiter observabimus, & faciemus quantum in nobis fuerit Deo propitio observari. Datum apud Venetias in Palatio Ducis XV. Kalendas Octobris, Indictione X.

Hoc tempore in vigilia Sancti Matthæi Apostoli Alexander Papa XVIII. annum sui Pontificatus explevit.

De gestis Alexandri in anno XIX. Pontificatus.

INcipit XIX. annus ejusdem. Pace igitur, sicut dictum est, confirmata, omnes, qui convenerant, læti ad propria redierunt. Paucis tamen transactis diebus exierunt quidam nobiles de civitate Trivisina, de Societate Lombardorum, & ad Imperatoris præsentiam accessere, cum quo, & diutiùs secretè locuti sunt in occulto, & quædam ad alterutrum juramenta fecerunt, unde universis Lombardis odiosi facti sunt, & valde suspecti. Eis itaque redeuntibus ad propria, Populus Trivisinus in ipsos vehementer commotus eos perjuros, detestabiles, & suæ patriæ proditores atque turpissima morte dignos clamore horribili appellavit. Quid plura? Ut periculum mortis evadere possent, illico jurarunt super Sancta Evangelia, quòd quid quid Imperatori secretè dixerant, vel juraverant, totum revelarent Rectoribus Lombardorum, & insuper filios dederunt eis obsides, ac sufficientes fidejussores, quòd super iis eorumdem Rectorum mandatis firmiter starent. Ipsis igitur seorsim ductis quæcumque Imperatori juraverant, vel dixerant in secreto, per chartam publicam Rectoribus Lombardorum revelarent. Comperta itaque manifesta proditione tantæ malitiæ, Lombardorum Societas & prædictos Nobiles acriter pro meritis suis punivit, & ex tunc adversùs callidi hostis insidias sollicitiùs vigilavit, & se fortiùs communivit.

Quomodo Imperator à Papa in osculo pacis recessit.

REbus itaque sic se habentibus, Imperator à Venetiis recessurus, ut à Summo Pontifice licentiam susciperet, accessit ad eum in Palatio Patriarchæ sedentem. Exclusis igitur cæteris, cum solis Episcopis, & Cardinalibus, ac suis Principibus, de iis, quæ ad pacis complementum restabant, cum eodem Papa colloquium habuit. Tunc Pontifex ab Imperatore petiit, ut Regalia Sancti Petri, & possessiones Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut per mediatores Cardinales, & Principes apud Anagniam constitutum fuerat, & firmatum, sibi restitui faceret. Cui respondens Imperator dixit: *Regalia Sancti Petri, & possessiones aliàs Romanæ Ecclesiæ, præter Terram Comitissæ Matildis, & Bretianorum, liberè ad præsens* (78) *restituam. Sed quia ista videntur mihi ad jus Imperii pertinere, vos eligite de Principibus nostris tres, & nos de Cardinalibus totidem eligemus ad ista tractanda, quorum judicio pars utraque irrefragabiliter stare deberet.* Quod licèt Pontifici grave nimis, & durum fuerit, quoniam & in forma pacis de restituenda Terra Comitissæ Matildis expressum fuerat, ac juratum, & tunc ipse Castrum Brectanorum, sicut superiùs est dictum, possidebat, ne tamen occasione ista pax Ecclesiæ turbaretur, voluntati ejus tandem assensum præbuit. Statimque Christianum Maguntinum Archiepiscopum, & C. Wormatiensem Electum, atque A. Protonotarium, qui præsentes aderant, ad id faciendum elegit. Imperator quoque H. Ostiensem, & W. (79) Portuensem Episcopos, & J. (80) Diaconum Cardinalem consequenter elegit. Pro restituendis verò prædictis Regalibus, & cæteris Ecclesiæ possessionibus, illico eundem Maguntinum Pontifici assignavit, præcipiens ei sub obtentu gratiæ suæ, ut restitutionem ipsam infra tres menses cum integritate perficeret. His itaque concorditer ordinatis, atque dispositis Augustus ipse coram ipso Pontifice genua flexit, & deosculatis pedibus ejus, in osculo pacis ab eo, & universis Cardinalibus versùs Ravennam, & Cesennam recessit. Post cujus discessum circa medium mensis Octobris Pontifex quatuor impetratis à Duce Venetiæ galeis, & majore Fratrum suorum parte per Pentapolim secus mare præmissa, denuo pelagi vastitatem Domino auctore intravit, & eadem, qua venerat, viâ regrediens, apud Sipontum quarto Kalendas Novembris, suffragantibus Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli meritis, cum prosperitate pervênit. Deinde per Trojam, & Beneventum, & Sanctum Germanum, cum gloria, & honore transitum faciens, ad civita-

(77) A., & M. appensione.
(78) A., & M. ad præsens *non habent*.
(79) M. V.
(80) M. Jo.

Digitized by Google

vitatem Anagninam sibi multum devotam XIX. Kalendas Januarii sanus Deo gratias, & incolumis remeavit. Facta est itaque de pacifico ipsius, & desiderato regressu tam in Urbe, quàm in toto orbe Romano exultatio maxima, & communis lætitia benedicentium, & collaudantium Dominum, qui per assiduam clavigeri sui Beati Petri precem, & laborem ipsius Pontificis, dignatus est pacem, & concordiam inter Ecclesiam, & Imperium, mirabiliter reformare. Inde utique accidit, quod de magna Schismaticorum turba quidam intrusi ad obedientiam Domni Alexandri Papæ sunt spontè reversi, quidam verò Catholicis Ecclesias relinquentes apud consanguineos confugium cum ignominia, & confusione sua fecerunt. Archisynagogus verò eorum, cognito, quòd Imperator ad pedes Alexandri Papæ osculandos accesserit, conturbata sunt viscera ejus, & pro desolationis suæ confusione tantus eum timor, & tremor invasit, quòd occultè à Viterbio exiens tamquam profugus ad Montem Albanum sub frivola defensione Johannis Domini ipsius Castri confugium inaniter fecit. Audiens hæc Imperator nimium dolere se ostendit, & ad excusationem suam eumdem Hæreticum, & ejus defensores, nisi ad obedientiam Papæ Alexandri festinarent, diffidavit, & Imperiali banno subjecit.

De eo quòd Imperator Fredericus cœpit Brectanorum contra tenorem pacis factæ inter Ecclesiam, & Imperium.

ILlud autem silentio prætereundum non duximus, quòd Imperator ex quo Cesennam pervênit, utens consilio malignantium, accessit juxta Brectanorum, & accersitis ad se prædictis nuntiis, R. videlicet Diacono Sancti Georgii, & R. Subdiacono Apostolicæ Sedis, & P. Dapifero ejusdem Pontificis, instanter postulavit ab eis possessionem illius Castri cùm omnibus pertinentiis suis. Quibus eis benignè respondentibus, & mansuetè, quòd sinè licentia, & mandato Domini sui Romani Pontificis hoc facere non poterant, nèc debebant, confestim eos diffidavit, & exercitu circumquaque collecto (81) ipsos de Castro ejecit, & Castrum inexpugnabile sinè conflictu, & pugna cœpit, & sibi, ac filio suo Regi ab hominibus ipsius loci jurari fecit. Nec mirum cum inter Bulgaros, & Maynardos, qui erant fortiores ipsius loci milites, jam emerserant æmulationes, & altera eorum pars Imperatori favorem præstiterat. Quod factum postquam ad aures ipsius Pontificis pervênit, per majores Ecclesiæ personas eumdem Imperatorem paternè convênit, & ut possessionem ipsius Castri sibi, & matri suæ Romanæ Ecclesiæ in pace restitueret, diligenter, & instantiùs postulabat. Ipse verò in voluntatis suæ duritia perseverans, restitutionem facere pœnitus recusavit. Quæ causa licèt Pontifici, & Ecclesiæ injuriosa, & valdè fuerit gravis, ne tamen occasione hujus injuriæ recens pax, & utilissima Ecclesiæ, atque Imperio, discordiâ solveretur, potiùs hoc ad tempus pati, & dissimulare dignum duxit, quàm contrariis eidem Imperatori contraria respondere, quousque Dominus cor illius molliat, & suæ Ecclesiæ jura spontè restituat.

Rescriptum Privilegii Regis Ungariæ, qui pro reverentia Ecclesiæ Romanæ, & Domni Alexandri Papæ Ecclesiæ Ungariæ libertatem donavit.

„ B. (82) Dei gratia Rex Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque: L. eadem gratia Strigoniensi, C. Colocensi Archiepiscopis, atque omnibus eorum Suffraganeis, Præpositis quoque Regalibus, (83) nec non omnibus universaliter Ecclesiasticis personis in prædictis Archiepiscopatibus constitutis tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Justum, & rationi consentaneum omnimodis esse dignoscitur, ac Sanctarum Scripturarum testimoniis comprobatur, ut qui Regiæ celsitudinis culmen ab æterno Rege merentur accipere, iis, quæ ad Ecclesiæ, & Christianitatis profectum noscuntur in aliquo pertinere, tanto teneantur provida solicitudine & cautela intendere, quanto pro honore à divina sibi dispositione collato debent suo Creatori uberiorem devotionem præ cæteris exhibere. Eapropter propria ratione inducti, & saluberrimis exhortationibus M. venerabilis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, propensiùs attentiùsque commoniti, devotionem quoque venerandæ memoriæ Regis G. Patris nostri, quam circa Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & Sanctissimum Patrem nostrum Domnum Alexandrum Summum Pontificem studuit per omnia exhibere, modis omnibus, quibus possumus, imitari volentes, institutionem super depositione, & transmutatione Episcoporum, quod in se, & in suis posteris Domno Papæ Alexandro, & suis Successoribus noscitur concessisse, videlicet, quòd absque auctoritatis consilio ejus, vel Successorum suorum depositionem, seu translationem Episcoporum non faceret, vel fieri permitteret, confirmamus, & tam in nobis, quàm in posteris nostris perpetuó inviolabiliter duraturam censemus. Præterea Antecessorum nostrorum consuetudinem retro temporibus habitam relinquentes, in nobis, & in nostris posteris immobili firmitate sanximus valituram, quòd decedentibus Episcopis, in rebus Episcopalibus procuratores Laicos de cætero non ponemus, atque poni nullatenus permittemus, sed honestos Clericos, qui non ad voluptatem, sed ad necessitatem victus de ipsarum Ecclesiarum rebus moderatè accipiant, ibidem instituemus, qui reliqua omnia bona fide, & sinè fraude aliquâ, ad reædificationem ipsarum Ecclesiarum & domorum Episcopalium, seu Canonicorum, ad usus quoque pauperum, viduarum, & orphanorum fideliter debeant observare. Nos verò, vel posteri nostri, nihil umquam de eisdem rebus in usus proprios redigemus de cætero, nisi fortè, quod absit, hostes Regni in manu valida fines ipsius Regni intraverint, vel aliqua alia urgentissima necessitas postulaverit, & tunc quoque id sinè Episcoporum consilio non faciemus. Addimus etiam, & robore inconcusso tam in nobis, quàm in posteris nostris perpetuò observandum statuimus, quòd Regales Præpositi, vel Abbates de suis Præposituris, vel Abbatiis, seu dignitatibus non ammodo deponentur, in hac parte „ con-

(81) A. collocato.
(82) M. Bernardus.

(83) M. & A. regularibus.

Digitized by Google

„ consuetudini nostræ antiquæ per nos, & posteros nostros renuntiantes, nisi infausto casu „ contingeret eos super certo crimine canonico ordine convinci, vel crimen suum publicè confiteri. Ad hæc C. Archiepiscopus Colocensis, omnes Episcopi, Electi, Regales „ Præpositi, & Abbates, munificentiam, & libertatem, quam pro reverentia Beati Petri, „ & Sanctissimi Patris nostri Papæ Alexandri, „ nec non & M. venerabilis Diaconi Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati concessimus, attendentes, præviam suam consuetudinem, „ omnibus Canonibus obviantes, quam instruendis, & destruendis Præpositis, aliisque „ dignitatibus, & Ecclesiasticis beneficiis subtrahendis exercebant, in manus prædicti Cardinalis penitus reliquerunt. Unde communi „ consensu, & libera eorum omnium voluntate decernimus, & inviolabiliter præsenti „ Privilegio valituro perpetuò stabilimus, quòd „ nulli Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Præpositorum, Abbatum deinceps „ licentia pateat de Præposituris suos Præpositos removere, vel alias Ecclesiasticas personas suis dignitatibus, aut Ecclesiasticis beneficiis privare, nisi fortè de crimine fuerint „ convicti canonicè, vel confessi. Hæc autem „ omnia de consilio gloriosæ Reginæ matris „ nostræ, & Archiepiscoporum, Episcoporum „ omnium, Electorum, Præpositorum Regalium, atque Abbatum, Comitum omnium, „ Procerum, & aliorum Principum stabilita, „ ac firmiter corroborata noscantur. Actum in „ civitate W. anno MCLXIX.

De tertia reversione Domni Alexandri Papæ ad urbem Romanam.

INterea universus Romanæ urbis Clerus, ac Populus videns Imperatorem Fredericum ad vestigia Papæ Alexandri Domino inspirante prostratum, & Schismatis malum per divinam potentiam omnino extinctum, attendens etiam de absentia ipsius Pontificis tam in spiritualibus, quàm in temporalibus per longa tempora gravissimam incurrisse jacturam, commune consilium de revocando ad Sedem Beati Petri eodem Pontifice salubriter habuit. Miserunt ergo ad eum usque Anagniam de melioribus Romanorum Civium septem viros cum literis Cleri, & Senatus, ac Populi, suppliciter exorantes, quatenus ad Urbem suam propriam, & Populum sibi specialiter commissum jam dignaretur reverti, & curam ejus habere. Pontifex autem, licèt humilis, & devota eorum invitatio sibi, & cunctis Fratribus plurimum complaceret, ad memoriam tamen revocans præteritam ejusdem Cleri, ac Populi de ultramontanis partibus revocationem, qualiter post modicum multas sibi, ac Fratribus suis injurias, atque contumelias intulerunt, non immeritò dubitavit eorum blandis promissionibus credere, & ad civitatem ipsam, quæ multos disturbatores pacis habere dignoscitur, absque certa, & firma securitate redire. Propterea de voluntate utriusque partis H. Episcopus Ostiensis, & I. (84) titulo Sanctorum Johannis, & Pauli Presbyter, atque V. Diaconus Sancti Angeli Cardinalis cum septem bonis hominibus redierunt ad Urbem, dispposituri cum Senatoribus, & Populo formam securitatis, & pacis, quæ Domno Papæ, suisque Fratribus complacere deberet. Unde licèt super hoc diu laboratum fuerit, tamdem suffragantibus Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli meritis, totius Populi Romani consilio & deliberatione statutum est, ut Senatores qui fieri solent, fidelitatem, & hominium Domno Papæ facerent, & Beati Petri Ecclesiam, atque Regalia, quæ ab eis fuerant occupata, liberè in manibus & potestate sua restituerent. Pacem quoque, ac securitatem sibi, & ejus Fratribus, ac rebus eorum, & cunctis ad eum venientibus, & redeuntibus, nihilominus inviolabiliter observarent. Quo facto venerunt Senatores cum eisdem Cardinalibus, & cum aliis bonis hominibus ad præsentiam Summi Pontificis, quibus ad oscula pedum & oris de more benignè susceptis, cuncta, quæ à Populo constituta fuerant, publicè coram ipso Pontifice tactis Sacrosanctis Evangeliis juraverunt. His igitur Domino cooperante ritè peractis gaudio magno gavisi sunt omnes, & extunc Domnus Papa, & Fratres ejus ad reditum Urbis festinanter se accinxerunt. In proximo autem Festo Gregorii Papæ ante Dominicam *lætare Hierusalem*, post Missam exivit de Tusculano, proficiscens ad Urbem non sinè gloria & honore multo. Exierunt enim obviam sibi in longum Clerus Romanus cum Vexillis, & Crucibus, quòd nulli Romanorum Pontificum recolitur factum, Senatores, & Magistratus Populi cum concrepantibus tubis, Nobiles cum militia in apparatu decoro, & pedestris Populositas cum ramis olivarum, laudes Pontifici consuetas vociferans. Tunc videres oculos omnium vultum ejus intuentes, tamquam vultum Jesu Christi, cujus vices in terris gerit. Præ nimia verò multitudine ipsius vestigia deosculantium albus palafredus ambulare vix poterat, & sessoris dextera in dandis benedictionibus nimiùm laborabat. Cum tanta igitur, & tam solemni exultatione Romanus Pontifex paulatim, prout exhibebat necessitas, proficiscens, circa horam nonam ad Portam Lateranensem non mediocriter fatigatus pervênit. Unde ad Patriarchium Lateranensis Ecclesiæ, atque ad sacrum Sancti Salvatoris Altare, tamquam verus, & bonus Pastor, ac Beati Petri Orthodoxus Successor, cum inenarrabili gloria multiplicatis laudibus gloriosè deductus est, atque receptus. Post benedictionem verò ad Populum datam conscendit Palatium, ubi recedentibus ad Ecclesias suas cunctis Cardinalibus in lecto fatigatus ex itinere ante cibum modicum requievit. Altera autem die in Consistorium exiens infinitam Clericorum, & Laicorum multitudinem ad pedes & oscula de more suscepit, & ex tunc ad consuetas stationes Urbis pro sui officii debito in *lætare Hierusalem* ad Sanctam Crucem, & in Passione Domini ad Sanctum Petrum perrexit, atque in Pascha Regnum solemniter induit.

MONITUM LECTORI.

Cardinalis Aragoniæ post Alexandrum III. seriem abrumpit, deque aliis subsequentibus Summis Pontificibus usque ad Gregorium IX. omnino silet; Ejus deinde vitam, quam suo loco dabimus, fusè describens opus suum claudit.

VITA LUCII PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

LUcius III. natione Tuscus. Cœpit anno Domini MCLXXXII. sedit annis IV. men-

(84) M. Jo.

mensibus V. dies XVIII. vacavit Sedes diebus XIII. Hic priori nomine dictus Humbaudus, fuitque Episcopus Ostiensis. Anno Domini MCLXXXII. in die Pascæ mane cùm populus sacrum mysterium percepisset in Dioecesi Lemonicensi, Sebrandus Episcopus Lemonicensis cum Vicecomite Lemonicensi & militia, & populo terræ contra sex millia Barbansonum, qui pro Rege Angliæ Aquitaniam devastabant, freti Dei auxilio pugnant, eosque devincunt, & & perimunt, paucis dumtaxat exceptis, qui fugâ labuntur.

Lucius Papa obiit Veronæ anno Domini MCLXXXVI. in cujus sepulchro tale epitaphium esse fertur.

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.

Deinde ponuntur versus contrariæ sententiæ, quasi quoddam apologeticum.

Immo Verona dedit verumptamen vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

VITA EJUSDEM
LUCII PAPÆ III.

Ex MS. Bibliothecæ Ambrosianæ in cujus margine Martini Poloni nomen diverso tamen, ac recentiori charactere adjectum est.

Lucius natione Tuscus. Sedit annis IV. mensibus II. dies XXVIII. cessavit Episcopatus dieb. XIII. Hujus tempore floruit Petrus Comestor, qui utriusque Testamenti historias utiliter exponendo in unum volumen redegit, qui liber *Historia Scuolastica* nominatur.

VITA URBANI PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Urbanus III. natione Mediolanensis. Cœpit anno Domini MCLXXXVI. Sedit anno uno, mensibus V. diebus XXV. Hic priùs nominatus est Humbertus ex Cardinali in Mediolanensem Præsulem nuper assumptus, in Papam eligitur, & Urbanus vocatur. Per hos dies venit ex Calabriæ partibus ad Urbanum Papam Veronæ morantem quidam Abbas nomine Joachin, de quo dicebant, quia cùm priùs non plurimum didicisset, divinitus acceperat intelligentiæ donum, adeo ut facundè discretèque enodaret difficultates quaslibet scripturarum; hic itaque dicebat quædam apocalypsis mysteria hactenus latuisse, sed nunc clarescere in spiritu prophetiæ, sicut ex ejus opusculo legentibus liquet. Dicit enim quòd sicut scripturæ veteris testamenti quinque ætatum sæculi ab Adam usque ad Christum decursarum historias continent; sic liber apocalypsis ætatis sextæ à Christo inchoante decursum exponit, ipsamque ætatem sextam in sex ætatunculas dispertita, easque singulas singulis hujus libri periodis satis congruè designatas. Dicit quoque hæc revelata fuisse in fine ætatunculæ quintæ, atque in proximo succedere sextam, in qua tribulationes varias multiplicesque pressuras perhibet emersuras, sicut in appensione sigilli sexti & in sexta libri periodo, ubi de ruina Babilonis agitur, ostenditur evidenter. Id verò in libello ejus præ ceteris notabile, ac suspectum habetur, quòd Mundi diffinivit terminum, & infra duas generationes, quæ juxta ipsum faciunt annos LX. arbitratur implendum quidquid de Antichristo legitur eventurum. Dicat autem quisque quæ senserit, nos verò tutum judicamus non discutere quæ arguere nescimus, & rei nobis incertæ præsagium judicio relinquere posterorum; quia teste Veritate non est nostrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

Anno Domini MCLXXXVII. agitur lamentabilis perturbatio in partibus transmarinis: Saladinus enim innumerabili gentium multitudine congregata Galileam ingreditur, Tiberiadem obsidet, obsidionis fama circumvolat; Guido Rex Hierosolymorum, Templarii, Episcopi quoque nonnulli, ac totius Regni proceres, & populus conveniunt in unum, hostibusque occurrunt; hostes obsidionem deserunt, & ad Fones quatuor miliariis circa Tiberiadem castra ponunt. Sexto igitur idus Junii Nostri progrediuntur in bellum, acerrimèque concertant, diuque pugnatur, prœlium mox dirimunt inchoatum. Nostrique gessere fortiùs, nisi quòd aquam præoccupatam ab hostibus perdiderunt, diutino pro inde conflictu æstuque ac siti, eo quòd aquam non haberent, laborant. Manè hostes se præparant, nec dum nostri se armaverant, cùm eos vident irrumpere, & congredi jam paratos. Nostri igitur ad arma concurrunt, Principes & primi exercitus ad Regem convolant, & quid facto opus sit in commune decernunt. Rex autem quemdam de numero Equitum Johannem nomine, qui cum Turcis sæpius militarat, & eorum noverat universa, præcepit accersire, & requirit ab eo quid in istanti negotio sit agendum? Johannes consulit ut in cuneum illum ubi Saladina vexillum altius eminebat totis viribus irrumpatur. Si enim cuneus ille, & certissimus posset devinci; facilè profectò, & cæteros obtinerent. Placet consilium universis; Comes autem Trupolitanus improvisis advênit, hic malitia & verbis potens allegat contraria, & quod Johannes suaserat, dissuadet. Ei non esse credendum qui quantum nostros abjuraverit, & fidelitatem Turchis juraverit, nostrisque, & eis rupit juramentum. Præoccupanda igitur suggerit esse montana ut inde securiùs pugnent, & hostes validiùs impetant. Consilio utile igitur dissipato, adquiescitur proditori. In hostes ergo mox irruunt. Sed proh dolor! tam æstu, quàm splendore solis opposito visum eorum reverberante gravati pilorum hostium imbribus obruuntur. Tripolitanus Comes factionis à se tractatæ signum dat evidens. Nam statim cum suis arma projicit, fugit ex prœlio, & ad castrum, quod dicitur Saphetum secedit, fitque interim nostrorum miserabilis, & mirabilis strages, & usque ad internecionem cæduntur; Athonensis Præsul *diriu* (1) crucem Domini ferret lætaliter vulneratur, tradit eam alteri, & ille Regi; bello autem undique vehementiùs urgente Rex capitur, Crux Domini asportatur. Rarum! Nunquam nostris temporibus nullo in prœlio tantum sanguinis effusum est. Totiusque terræ vires tunc temporis considêre (*) Templarii quippe, & Hospitalarii, proceres, & viri denique fortiores aut trucidati sunt aut retenti. Sic meritis suis exigentibus in manus gentium traditi sunt nostri, & gentibus subjugati. Nimis & Clerus, & populus in varios luxus effluxerat, totaque terra illa flagitiis, & facinoribus sordescebat. Sed & qui religionis habitum prætendebant moderantiæ fines turpiter excesserant regularis. Rarus enim in

(1) *fortè* dum.

(*) *fortè* concidêre.

in Monasterio, cariorque in sæculo, quem non morbus luxuriæ vel avaritiæ infecisset.

Porrò Saladim celebri de nostris optento triumpho ad pontem Tyberiadis redit: Ibique manubias jubet & meliora Damascum defferri. Quotquot autem de Templariis vel Hospitalariis reperti sunt vivi præsentiæ victoris oblati, eo jubente, omnes pariter decollantur. Guido autem Rex in monimentum victoriæ reservatur solo magistro suo ad suam sibi petitionem concesso. Tunc Princeps Raynaldus ante Saladinum adducitur. Erat autem vir consilii, parcimoniæque & honestatis amator. Turchorum impugnator accerrimus & nostrorum fidelissimus propugnator. Florens quidem in sæculo, sed sæculi, suique contemptor. Id tamen in eo à pluribus culpabatur, quòd cùm induciæ statuerentur inter Christianos & Turchos ipse nunquam eas voluit custodire. Proinde hunc præ cæteris oderat Saladinus, à quo nimirum frequentes gravesque acceperat læsiones. Quanta itaque ab eo sustinuisset replicans, aliquantulum cum eo disceptat, deinde cum suo mucrone decollat.

His itaque gestis Achon urbem, quæ & Tholomays dicit adit, & obsidet Saladinus, obsessam post biduum in deditionem recepit. Qua recepta Turchi ad alias urbes & opida capienda contendunt & pauca quidem, immo ferè nulla per vim capiunt, pluraque in deditionem recipiunt. Tota quippe Regio tremebat exterrita, utpote privata fortibus, ac suis tutoribus destituta.. Id sanè liberalitatem Saladini commendat, quòd nullum gravari sustinuit, qui ei se vellet subdere, & sub tributo ejus degere; manere volentibus non fit hostilis oppressio, recedere autem volentibus tuta conductio est concessa. His diebus quadam nocte super Tripolitanum Comitem proditorem extenta est manus Dei, eumque in ultionem percussit; quoniam sui mortuum in suo stratu manè repererunt; res dissimulari non valuit: Corpore defuncti nudato, inspectoque videri potuit, quòd nuper circumcisionis susceperat stigma. Unde palàm factum est, quòd se confederatus Saladino Sectam Sarracenicam susceperat observandam. Siquidem Sarraceni & Turchi ex paterna traditione se regulariter circumcidunt. Josius Tyrensis Archiepiscopus transfretat ut Orientalem cladem defectumque Christianitatis, Principibus & populis nunciet Orientis (2). Interea Hierosolymitæ, & qui de vicinis locis undique hostium metu confluxerant illuc, omni se supplicandi genere affligebant; agebantur ab omnibus celeberrimæ letaniæ, confessiones, jejunia, quodque mirandum est, ipsa quoque parvula ætas iis spiritualibus exercitiis existebat; siquidem in patulo erat vehemens ira Dei in flagellum inundans, cùm sic ostendit Dominus populo suo dura & partem fortis suæ de manu tulit Amoræi rursus traderet Amoræo. Ascalone in deditione recepta atque munita Saladinus Hierusalem properat ut eam obsideat, arbitratus fore cessuros de facili qui videbant & alios jam cessisse, sibique adesse paucissimos qui defenderent, & innumeros qui defendere non valerent.

Venientes itaque Turchi Urbem ex parte Orientali expugnant, novemque diebus continuis acerrimos & continuos dant insultus. Sed civibus multipliciter obsistentibus, cùm non sic proficerentur, ab Aquilonari parte statuunt assalire: illic ergo machinis & tormentis ad saxa jaculanda compositis, instantissimè urgere cœperunt obsessos, & à tormentis lapides indesinenter excutere & concutere muros, adeo ut tribulationem sustinere non possent lapidum excussorum. Consideranter igitur obsessi obsessoribus non posse resisti, quid acturi sint in commune pertractant. Placuit demum ut instanti cederent, seque redderent Saladino. Res ad Saladinum perfertur, placet ei quod petunt, hac tamen conditione prefixa, ut certam redemptionem accipiat de capitibus singulorum; hoc est ab iis, qui decem annos & supra excesserant X. Bisancios. Quinque verò à mulieribus, & ab iis qui infra decennium tenebantur. Secundo igitur die Octobris, qui erat ab obsidione XIIII. ferià sextà dedita Turchis urbs patet, statimque Saladini Imperio Basilicarum Campanæ maleis conteruntur.

In iis verò Basilicis stabulaverunt jumenta in eis sordes quaslibet perpetrantes, cæterùm Ecclesiam Sancti Sepulcri multo auro redimunt Suriani, ne pateat gentibus, ne sordibus subjaceat immundorum.

Templo autem miram Turchi venerationem exhibere curarunt, quod etiam juxta ritus suos consueverunt antiquitus venerari.

Patriarcha Eraclius, Clerusque universus, & de Monasteriis diversorum ordinum professores, turbaque cujuslibet ætatis & sexus innumera de Hierusalem recesserunt.

Iis qui supra muros in cellis reclusi abstinentiæ & orationi vacabant jussum est ut abirent, universis pæne latinis urbem relinquentibus. Suriani & Sectarum homines diversarum, utpote Georgiani, Jacobitæ, Græci, Armeni remanserunt ibidem sub dominio Turchorum constituti.

Audita autem dedicatione (3) præfata multa quoque loca, quæ vix ab homine capi possent, si defensores haberent, in dedicationem recipiuntur.

Capta est autem Hierusalem post annos LXXXVIII. ex quo à Turchis erepta Romanis restituta est.

Urbanus autem Papa cùm flebilem rem audisset nimis indoluit, & ex nimio dolore languescens post modicum tempus obiit anno Domini MCLXXXVII. Sepeliturque in urbe Ferraria, ad quam nuper venerat de Verona.

VITA EJUSDEM
URBANI PAPÆ III.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

URbanus natione Lombardus sedit annis I. mensibus X. diebus XXV. Hujus tempore capta est Jerusalem à Sarracenis, qui cùm de transmarinis partibus tam flebilem rem audivisset præ nimio dolore obiit, sepultus est in Ferraria.

VITA

(2) *melius legendum* Occidentis.

(3) *legendum* deditione.

VITA
GREGORII PAPÆ VIII
Ex MS. Bernardi Guidonis.

GRegorius VIII. natione Beneventanus. Cœpit anno Domini MCLXXXVII. Sedit menf. I. dies XXVII. vacavit Sedes diebus XX. Hic priùs dictus est Albertus Cancellarius vir literarum, facundiâque præclarus; sed & puritate vitæ, animique integritate præclarior; suique vehemens castigator.

In primis igitur ad subventionem Jerusalem totis inhiat animis; ad concitandos Principes, populosque per Occidentis provincias tam literas destinat, quàm Legatos, qui & cladem Orientalem exponant, & pœnitentiarum relaxationem promittant Jerosolymam profecturis. Sed, proh dolor! in suo mox ortu flos decorus exaruit. Post duos siquidem menses cùm Pisas venisset, & inter Pisanos & Januenses feraliter antea dissidentes sopisset discordiam, pacemque firmasset, in instanti nativitate Domini rebus humanis eximitus in eadem urbe honorificè sepelitur anno Domini MCLXXXVIII.

VITA EJUSDEM
GREGORII PAPÆ VIII.
Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

GRegorius natione Beneventanus sedit mensibus I. diebus XXVII. & cessavit Episc. dieb. XX. Hic zelando pro Terra Sancta ad diversas provincias mittit literas, & facta pace inter Januam & Pisas, Pisis mortuus sepelitur.

VITA
CLEMENTIS PAPÆ III.
Ex MS. Bernardi Guidonis.

CLemens III. natione Romanus ex patre Johanne scholari. Cœpit anno Domini MCLXXXVII. secundùm illos, qui annos Dominicæ Incarnationis in annunciatione Domini incipiunt computare, secundùm illos verò, qui in Natali Domini incipiunt computare dicitur anno Domini MCLXXXVIII. Sedit annis III. diebus XVI. Hic priùs dictus est Paulus, fuitque Episcopus Penestrinus. Hic claustrum apud Sanctum Laurentium extra murum ordinavit, & Laterani palatium fecit altius, puteum ante equum æreum fecit fieri. Anno Domini MCLXXXVIII. crescebat ubique lamentabilis rumor de partibus transmarinis & ingemiscebat mundus, plerique de correctione vitæ attentiùs cogitantes signo Crucis assumpto ire Jerosolymam proponebant. Philippus itaque Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum dum pro sedando inter se dissidio ad colloquium veniunt, Cyrensi Archiepiscopo exortante, signo se Crucis insigniverunt animô intendentes ut Christi obprobrium vindicent, gentesque debellent.

Ad exemplum Regum promoti idem faciunt & Barones, adjunguntur que eis multa militum millia, turbaque conditionis cujuslibet infinita.

Fredericus quoque Imperator hujus nominis primus eodem se voto peregrinationis astringit, & per totum Imperium, ac ferè utrumque per Orbem terrarum eadem vota & studia effervescunt. Priùs hæc concilio Regum & procerum agitur ut ad auxiliandum peregrè profecturis bona mobilia hominum ad Ecclesias pertinentium destinentur. Quod quidem in grandem perniciem versum est. Nam plures qui decimationes hujusmodi exigebant, Ecclesias violentiùs pergravabant. Templarii autem, & hospitalarii, virique fortes quamplures cum plurimo apparatu armorum, equorum, ac victualium transfretant, ut statim auxilium dent oppressis.

Guillelmus quoque Rex Siciliæ per Margaritum classis suæ Ducem iter marinum liberum à pyratis & Turchis reddebat, & tam subventionibus navium, quàm quarumlibet rerum copiâ nostris transmare existentibus satis munificè succurrebat.

Anno Domini MCLXXXIX. ingens fit motio & de diversis partibus per mare & per terras partes adeunt trasmarinas. Ravennatensis & Pisanus Archipræsules cum magno de Italia agmine transfretantes appulsi Tyrum fiunt Tyrensibus non modicum adjumentum. Fredericus quoque Imperator cum uno de filiis suis, Duce scilicet Sueviæ in festo Sancti Georgii peregrinationis iter arripiens Imperii sui fines egreditur, comitante se pariter multitudine infinita rerum omnium apparatibus affluenter instructa. De Frisia & Dacia quinquaginta naves pariter fœderatæ eandem peregrinationem arripiunt, de Flandriis quoque XXXVII. partes Rates cum grandi apparatu sunt secutæ. De Francia autem & Campania quamplures viri illustres militiæ titulis gloriosi.

Per hos igitur dies Nostri, qui aggregati fuerant apud Tyrum, Acon urbem petunt & obsident. Et ecce Saladinus cum multis accurrit militibus, ut obsessis succurrat & impetat obsessores. Cùmque nostri hostium assultus assiduos & acerrimos ferre non possent, aggeres & valles in Syro extruunt circa castra: Sicque tutiores effecti pugnam acerrimam cum hostibus construunt, multique nostrorum occumbunt; Multis itaque diebus in hac obsidione morantes multas per incursus hostium, aëris inclementiam, & victualium indigentiam calamitates & miserias patiuntur. Siquidem & à facie, & à tergo hostilis imminebat obsidio. In tanta fuit aëris intemperies, & inundantia pluviarum, ut propter humectationem nimiam corrupta victualia deperirent quòd obirent innumeri morbo dissenteriæ laborantes. Miranda pro inde ac perpetuò memoranda virorum illorum constantia, quæ tot malis obsita non defecit, sed permansit infracta.

Anno Domini MCXC. Philippus Rex Franciæ, Ricardus Rex Angliæ cum infinito agmine & incredibili apparatu; Philippus Comes Flandriæ, Henricus Comes Campaniæ, Theobaldus Blesensis, Stephanus Sacriceris, sed & Archipiscopi quamplures & ferè universi proceres & qui alicujus nominis in militia habebantur, diverso quidem tempore, sed eodem animo peregrinationis hujus iter arripiunt, diversos portus adeunt, navesque conscendunt. Tantam alioquin populorum motionem fuisse ætas nulla meminit, Historia refert.

Philippus & Ricardus Reges apud Messanam vix tandem appulsi ultra progredi non valentes inibi hyemarunt, ad quos Abbas Joachim veniens de Calabria evocatus & de futuris sciscitatus ab eis, respondit: quòd mare quidem trans-

Digitized by Google

transirent, sed parum aut nihil proficerent, nec dumque adesse tempora, quibus foret liberanda Jerusalem & Regio Transmarina. Philippus & Ricardus Reges non tamen similiter, nec eodem tempore mare intrant. Sed Philippus directo itinere Tholomaydam applicat, & cum inestimabili veneratione suscipitur. Ricardus autem cum suis galeis & Ratibus typum (5) venit, inveniensque quemdam pseudo Imperatorem illi Insulæ dominantem, ipsum quidem cœpit, & sibi Cyprum Insulam subjugavit. Eum verò Philippus ad Achon expugnandam expectat, condixerant enim quòd eam non (6) sibi pariter expugnarent. Igitur cùm venisset. Ricardus, primò fossata implere ac coæquare contendunt. Sed cùm à Philippo Ricardus sæpius dissentiret, & in perurgendis insultibus minus fideliter agerent, Philippus tamen vehementiùs insistebat quamplurimas petrarias faciens adhiberi, quibus diebus ac noctibus incessanter jactantibus murorum pars crebris ictibus concussa perfringitur, turris quoque mirabilis firmitatis, fossoribus cuniculos subter agentibus, conquassatur. Hostes autem vehementer arctati cùm nullam viderent adesse potentiam resistendi, Regis colloquium expetunt, urbemque & sua pariter & se tradunt. Achon igitur IIII. Idus Julii à nostris recipitur, post decursum ferè biennium ex quo cœperat obsideri. Porrò Turchi intra urbem reperti, cùm pacta, quæ cum Rege inerant tenêre non possent, alii multo pretio redempti evadunt, alii ad deserviendum compediuntur, quamplurimi autem gladio perimuntur. Audita igitur captione prælata timor & tremor irruit sibi (7) hostes, & alia castella, quæ de manu nostrorum rapuerant diruunt, vacuaque dimittunt.

Philippus Rex Francorum graviter infirmatus apparatu suo Duci Burgundiæ commendato redit à partibus Transmarinis. Nostri autem qui remanserunt in terra parum proficiunt. Sed inter eos, & Saladinum usque in triennium induciæ statuuntur; sic tamen, quòd Ascalonem, quam nostri cum summo labore & expensis construxerant, rursus diruerent; sicque nobilis illa civitas anullatur.

Imperator verò Fredericus ipso anno, quo alii proficiscens cum ..... (8) Imperatore Græcorum pace composita qualicumque, transito Bosforio perambulabat Asiam, ubi suorum multa dampna perpetitur vel per assaltus hostium, vel penuriam victualium. Soldanus enim Iconii eum deceperat fraudolenter, qui forum venalium ei se promiserat præstaturum. Ob hoc autem eundem Soldanum persequens Imperator usque Iconium potenter accessit, circum adjacentia quæque succendens. Dehinc cùm ad quasdam locorum angustias devenisset, reperit Turchorum multitudinem infinitam, cum quibus congrediens viriliter eos debellat: Habitoque de ipsis insigni triumpho, dum quemdam fluvium transit demergitur, & vix extractus paulò post moritur anno Imperii sui XXXVIII. Vir quidem magnanimus, gestisque præclarus, ac fortis rebellium edomator. Qui adeò Imperium dilatavit, ut post Karolum Magnum in gestorum magnificentia vix habuerit sibi parem. Post cujus obitum ejus exercitus Antiochiam venit, ubi dum fessa reficiunt corpora & in epulis se distendunt tot ex eis ægrotant & obeunt, ut de tanto exercitu vix pauca millia remanerent. Obeunt quoque Comes Flandriæ, Theobaldus Blesensis, Stephanus Sacriceris, procerum ac nobilium turba multa illic de diversis mundi partibus congregata. Moriturque Odo Dux Burgundiæ, Henricus Comes Campaniæ, uxore Marchionis accepta, ad principandum eligitur illi terræ. Regina Ungariæ Philippi Regis Franciæ soror, mortuo Rege Ungariæ viro suo, cum multo apparatu partes adiens Transmarinas, Tholomaydam vênit, & paulò post obiit. Henricus quoque nepos ipsius, dum in superiori cœnaculo palatii cuidam fenestræ innitendo se applicuit miserabili præcipitio collisus expiravit. Cujus mater Maria nomine, quæ Comitatum Campaniæ strenuè viriliterque regebat, cùm de morte sororis suæ Reginæ Ungariæ, ac filii sui Nuncium recepisset, nimis dolens post modicum expiravit. Cujus filius egregiæ indolis Theobaldus ei in Comitatu succedit.

Ricardus Rex Angliæ dum per multa naufragia redit, ac per Austriam latenter transire deliberat, à Duce Austriæ capitur, & redditur Imperatori, à quo per annum in custodia detinetur, post quam infinita exactione redemptus redditur Regno suo anno Domini MCXCIV. Anno autem præcedenti obierat Saladinus, qui Regno suo filiis compartito; inter eos, & Saphadonum Saladini fratrem de Regno diutiùs concertatur.

Ut autem feriatim narraremus historiam transmarinam quædam scienter obmisimus, ad quæ necesse habemus redire. Anno siquidem MCLXXXXIX. Henricus Rex Angliæ pater Ricardi moritur nimio dolore absortus, eo quòd videret se à Rege Franciæ sic oppressum, & à Ricardo quoque filio suo, qui ad Regem Franciæ fugerat derelictum, & sepelitur in Cœnobio Virginum in pago Pictavensi, quod dicitur Fons Ebrandi multisà se redditibus, & muneribus ampliatum. Regnavit autem annis XXXVI. vir prudentiæ, gestisque famosus, lætis florens successibus, & qui tyrannos semper oppresserat, foveratque subjectos, perpetuâque memoriâ dignus, nisi Sancto Thomæ adversatus fuisset. In cujus vindictam sanguinis, ut creditur, domestica diu clade non caruit à propriis filiis impetitus. Cui succedens filius Ricardus in Regem Londoniis coronatur.

Anno Domini MCXCI. Clemens Papa moritur.

VITA EJUSDEM
CLEMENTIS PAPÆ III.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

CLemens natione Romanus sedit annis III. diebus XVI Hic ex Patre Johanne Scholari Claustrum apud Sanctum Laurentium extra muros ordinavit, & Laterani palatium fecit altius, & puteum ante æreum equum fecit fieri.

VITA
COELESTINI PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

COelestinus III. natione Romanus ex Patre Petro Bubonis. Cœpit anno Domini MCXCI.

(5) *legit in margine* Cyprum.
(6) *lege* Eamnum.
(7) *legendum* super.
(8) Isaacio Angelo.

Digitized by Google

MCXCI. Sedit annis VI. mensibus VIII. diebus XI. Hic priùs dictus est Hyacinctus Diaconus Cardinalis vir grandævus & gratiosus, ac generosus, qui ipso die Dominicæ Resurrectionis consecratus fuit, & in crastino Henricum Frederici Imperatoris filium Imperiali diademate insignivit. Hic fecit palatium apud Sanctum Petrum.

Anno Domini MCXCIII. Philippus Rex Franciæ Vigeburgensem sororem Regis Danorum ducit in conjugem Ambianis, & à Remensi Archiepiscopo ungitur in Reginam, quam conjugem, miro Dei judicio, ubi eam accepit ita exosam habuit, ut statim de divortio cogitaret. Anno Domini MCXCIV. Tancredus Rex Siciliæ, ejusque filius Rogerius jam in Regem promotus intra paucos dies Regni simul, & vitæ exitum sortiuntur, Imperatorque Henricus, qui ad pervadendum Apuliam, Siciliam sæpius (6) expiraverat, audita morte eorum terrâ marique exercitum dirigens copiosum à Principibus Regni suscipitur, Regnumque totum suæ subjugat dictioni. Carnotum civitas Franciæ subita exustione vastatur, & illa insignis Ecclesia nomine Dei Genitricis ornata cum toto claustro conflagrat, & corruit; reliquiarum & hominum multitudo, necnon & ornamentorum congeries periit copiosa. Anno Domini MCXCVII. Cœlestinus Papa moritur.

VITA EJUSDEM

COELESTINI PAPÆ III.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

COElestinus natione Romanus, ex patre Petro Bubonis consecratus die resurrectionis sedit annis VI. mensibus VIII. diebus XI. Hic secundo die Pontificatus sui coronavit Henricum Imperatorem (1), & fecit palatium apud Sanctum Petrum.

VITA

INNOCENTII PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

INnocentius III. natione Campanus de castro Saumani ex patre Transmundo consecratus in Cathedra Sancti Petri. Cœpit anno Domini MCXCVII. secundùm illos, qui annos Incarnationis Dominicæ incipiunt à festo Annunciationis Domini in Martio computare, secundùm illos verò, qui annos Dominicæ Incarnationis computare incipiunt in Natali scribitur anno Domini MCXCVIII. sedit annis XVIII. mensibus IIII. diebus XXIIII. vacavit Sedes die I.

Hic priùs dictus est Lotharius, fuitque nomine Innocentii alteratus. Hic quantùm fuerit gloriosus opera ejus testimonium perhibent veritati, fecit enim inter cætera hospitale Spiritus Sancti & renovavit Ecclesiam Sancti Sixti. Composuit decretales, sermonesque, & librum de misera conditione generis humani, seu de miseria hominis, & quædam alia gloriosa.

Hic dedit universis Ecclesiis in Roma unam libram argenti pro singulis calicibus earum non habentium calices argenteos, tali pacto, quòd vendere eos non possent.

Hic coronavit Othonem IIII. Ducem Saxoniæ in Imperatorem in Basilica Sancti Petri, quem postea deposuit quòd fidelitatem non servavit. Ipse namque acceptâ coronâ statim pugnam habuit cum Romanis, & contra voluntatem Papæ intravit Regnum Apuliæ auferens illud Frederico Regi Siciliæ, unde Papa excommunicavit eundem Othonem.

Anno Domini MCXCIX. Ricardus Rex Anglorum, dum Caslucium castrum Vicecomitis Lemonicensis distans sex leucis à Lemonitica civitate oppugnat, sagittâ transfigitur, nec longè post ex ipso vulnere moritur, & in Cœnobio Fontis Ebrandi sepelitur. Vir quidem animosus strenuissimusque in armis, & in militari negotio circunspectus, à militibus valde dilectus, immo & à Summo Pontifice cum Clero & populo honoratus. Cujus bella & acta, quæ gessit, in libro dierum Regum Anglorum plenius scripta inveniuntur. Cui Johannes frater ejus successit, juvenis quidem remissior, amansque quietem, ac per hoc cum Rege Franciæ pacem quamtocius studuit reformare.

Hic in MS. A. sequentia verba rubro grandiori charactere notata leguntur.

Huc usque Chronica Ricardi Monachi Cluniacensis protenditur, & terminatur.

Deinde statim sequitur.

Anno Domini MCCII. Johannes Rex Angliæ Arthurum Comitem Britanniæ filium Gaufridi fratris sui majoris hæredem Regni apud Mirabellum Pictaviæ capit, & latenter perimit. Super quo à Baronibus apud Regem Franciæ, cujus vassallus erat, accusatus fuit. Cùmque nollet comparere, post multas citationes per judicium Parium Franciæ exhæredatus est à Ducatu Aquitaniæ & à terra, quam habebat in Regno Franciæ.

Eodem tempore Rex Franciæ Philippus totam Normaniam subjicit post CCCXV. annos ex quo Karolus cognomento Simplex eam Rollonidano cum filia sua dedit ut fieret Christianus. Postea verò ingressus Rex Aquitaniam cepit Pictaviam, & Chinum castrum, ubi Vicecomitem Lemonicensem captum liberat.

Anno Domini MCCIIII. Petrus Rex Aragonum Comes Barchinonæ, & Dominus Montispesulani Regnum suum optulit Innocentio Papæ, illudque sibi & successoribus suis in perpetuum pro remedio animæ suæ ac progenitorum suorum constituit censuale, ut annuatim de camera ipsius Regis. CCL. unciæ...... Apostolicæ Sedi reddantur, & ipse ac successores ejus ejusdem spiritualiter fideles & obnoxii teneantur.

Anno Domini MCCIIII. Johannes Episcopus Lemonicensis cum Baronibus & Prælatis & populo terræ cepit Nobiliatum, & ruptarios ibidem inclusos interfecerunt. Et sic brachium Regis Angliæ in Aquitania confractum est, & ad dominium Regis Franciæ terra reddita est.

Anno Domini MCCIIII. capta est Constantinopolis civitas à Francis & Venetis, & Balduinum Comitem Flandriæ Imperatorem constituunt. Cujus captionem etiam post plures dies plerique civitatis incolæ non credebant tum propter civitatis fortitudinem, tumque propter anti-

(6) *legendum* aspiraverat.

(1) Papebroch. *ejus nominis V. Regem verò German. VI.*

Digitized by Google

antiquam, quam habebant prophetiam prophetatum; siquidem erat quòd deberet capi per Angelum, & ita eam posse capi per hominem non credebant. Sed hostibus per murum ubi Angelus pictus erat civitatem intrantibus se deceptos incolæ per equivocationem Angeli cognoverunt. Temporibus Innocentii hujus Papæ Livonia pro pace conversa est ad fidem. Hic Innocentius Papa libellum Abbatis Joachim, quem contra magistrum Petrum Lombardum composuit, condempnavit, sicut habetur in decretali: *Dampnamus*. Dampnavit etiam Almaricum quemdam Carnotensem cum sua doctrina, sicut habetur in eadem decretali: *Dampnamus*. Qui Almaricus asseruit Ideas, quæ sunt in mente Divina & creare & creari, cùm secundùm Beatum Augustinum nihil nisi æternum atque incommutabile sit in mente Divina. Dixit etiam quòd Deus ideo dicitur finis omnium quia omnia reversa sunt in ipsum ut in Deo immutabiliter quiescant, & unum individuum atque incommutabile in eo permanebunt, & sicut alterius naturæ non est Abraham, alterius Isaac, sed unius atque ejusdem: sic dixit omnia esse unum, & omnia esse Deum. Dixit enim Deum esse essentiam omnium creaturarum, & esse omnium. Item dixit quòd sicut lux non videtur in se, sed in aëre, sic Deus nec ab Angelis, nec ab homine videbitur in se, sed tamen in creaturis. Item asseruit quòd si homo non peccasset in duplicem sexum partitus non fuisset nec generasset, sed eo modo, quo Sancti Angeli multiplicati sunt, multiplicati fuissent & homines, & quòd post resurrectionem uterque sexus adunabitur sicut fuit prius, ut asserit in creatione, & talem dixit Christum fuisse post resurrectionem. Qui omnes errores inveniuntur in libro qui intitulatur *Pision*, qui inter alios ponitur Parisius condempnatos, & dicitur liber Almarici. Dixit etiam quòd in charitate constitutis nullum peccatum imputabatur. Unde sub tali specie pietatis ejus sequaces omnem turpitudinem committebant. Almaricus verò Parisius combustus fuit cum suis sequacibus.

Anno Domini MCCVI. ab Innocentio Papa cum Legato XII. Abbates Cisterciensis ordinis in terram Albigensium, & in Tholosanum, & in Carcassesium ad prædicandum fidem contra hæreticos transmittuntur. Quibus de Hyspania Dydacus Oxoniensis Episcopus rediens tunc de curia inveniens eos in Montepesulano pariter congregatos habens secum in comitatu suo fratrem Dominicum sanctitatis & itineris sui comitem pro hæreticis convertendis adjungitur. Hic est frater Dominicus, qui Fratrum Prædicatorum ordinem inchoavit. Tempore siquidem Innocentii Papæ duo solempnes ordines incœperunt, scilicet ordo Fratrum Prædicatorum, & ordo Fratrum Minorum. Ordinem siquidem Fratrum Prædicatorum incœpit Sanctus Dominicus in partibus Tholosanis, ubi contra hæreticos verbo, exemplo exorsus est quasi biennio antea prædicare sub anno Domini MCCIII. Pontificatûs Domni Innocentii Papæ anno VI. à primo exordio computando quo Sanctus Dominicus Tholosam pervênit cum Domino Dydaco Episcopo oxoniensi in Marchicis, sivè in Daciam proficiscens, & hospitem suum ab hæretica pravitate convertit prima nocte, qua Tholosæ hospitio sunt recepti sub anno Domini prætaxato MCCIII.

Ordinem verò Fratrum Minorum incœpit Sanctus Franciscus, qui ante suam conversionem vocabatur Johannes prope civitatem Assisii apud Sanctam Mariam de Portiuncula anno Domini MCCVII. Pontificatûs Domni Innocentii Papæ anno X. à primo suæ conversionis exordio computando.

Anno Domini MCCVII. obiit Sanctus Guilelmus Byturicensis Archiepiscopus. Anno Domini MCCIX. in festo Beatæ Mariæ Magdalenæ exercitus Cruce-signatorum contra hæreticos Albigenses, & Tholosanos, & Carcassonenses in terris subjectis Comiti Tholosano veniens de partibus Gallicanis primò omnium Biturrim capiunt civitatem, eamque incendio tradunt, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Magdalenæ, ad quam cives, qui priùs restiterant, confugerant, in ipso festo usque ad VII. millia occiduntur. Et quidem satis justè, quia primò requisiti ex parte exercitus per suum Episcopum ad ipsum transmissum, scilicet magistrum Reginaldum de Monte-Pesulano virum ætate, vita, & scientia venerandum quòd hæreticos, qui ibi erant, quos Episcopus ipse, qui eos in scriptis notaverat, nominaret, redderent, aut si istud non valerent, quòd de civitate Catholici exeuntes dimitterent hæreticos, ne perirent pariter cum eisdem. Quod quidem facere noluerunt, sed se adversùs Deum & Ecclesiam erigentes exercitui dicto superbè resistere præsumpserunt. In festo autem Sanctæ Mariæ Magdalenæ ac in ejus Ecclesia Dei judicio capti sunt, & destructi, quia de ipsa Sancta Maria Magdalena contumeliosè hæretici blasphemabant. Itemque in eadem Ecclesia olim retro XLII. annis Biterenses cives Dominum suum Vicecomitem nomine Trengavellum proditionaliter, & crudeliter occiderunt. ac Episcopo civitatis ejusdem, qui dictum Vicecomitem de manibus ipsorum eripere conabatur, dentes ibidem pariter confregerunt, ut qui Ecclesiam ipsam sanguine Domini sui, & Episcopi, ac Pastoris polluerant ibidem in suo sanguine punirentur. Capta itaque ac destructa civitate Bitterense, Bellatores Domini versùs Carcassonam dirigunt signa sua ubi hæretici plures erant, quam potenter obsederunt. Sed Rotgerius, seu Raimundus Rogerii Vicecomes Bitterense, & Carcassone, nepos Comitis Tholosani, qui priùs aufugerat, de Bitterensis timore concussus post multos utrinque conatus pacis conditiones invênit, ut cives Carcassonenses in Canusiis, & exeuntes inde civitatem obsidentibus resignarent, quod etiam factum fuit in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ semper Virginis in Augusto, ipso tamen Comite, donec perficerentur quæ pacta erant, in hostagio, custodia remanente, ubi non post multum dissenteriâ moritur ipso anno.

Habita autem civitate Carcassone fuit inter Prælatos, & Barones tractatus habitus per Legatum Abbatem Cisterciensem, quis proficeretur terræ jam acquisitæ & insisteret acquirendæ; electusque fuit nobilis vir Symon Comes Montis Fortis totius signifer probitatis, suscepitque injunctum sibi per Legatum Sedis Apostolicæ terræ gubernaculum, ac bellum Domini ad Dei honorem & gloriam, & depressionem hæreticæ pravitatis.

Anno Domini MCCX. Castrum Minerbæ fortissimum, quod est in Diœcesi Narbonensi à Comite Symone cùm exercitu dicto in manu valida obsidetur, & post multos insultus, & conatus gravissimos mirabiliter obtinetur. Ubi CXL. & ampliùs perfecti hæretici sunt inventi, qui potiùs elegerunt comburi, quàm ad fidem Catholicam converti. Sub-

Digitized by Google

Subsequenter in eodem anno idem Symon cum exercitu Cruce-signatorum obtinuit Alzonam, Fanum Jovis, Villam Sancti Vincentii de castris in territorio Albiense, Appamias, Castrumque Mirapiscis, & Savardunum, Lomberium, & Albium civitatem, totamque Dioecesim Albiensem, exceptis quibusdam castris, quæ tenebat Comes Tholosanus, Lymosumque, & Preyssanum, & quædam loca alia, & Castella, quorum plura infra breve temporis spatium ab eodem Symone recesserunt, & ad vomitum redierunt. Sed tandem non portaverunt inpunè, & recuperata fuerunt.

Circa verò finem anni prætaxati in XL. Petrus Rotgerii, qui erat Dominus Cabareti, quod est castrum fortissimum in Carcasesio timore ductus composuit cum Comite Symone, castrumque Cabareti sibi reddidit, & Comes dedit ei terram aliam competentem.

Eodem annò Domini MCCX. inventi fuerunt Parisiis XCIV. hæretici, in quibus erant aliqui Sacerdotes, quorum aliqui convincuntur, aliqui comburuntur, aliqui concluduntur.

Eodem autem anno pravi pueri ultra XC. millia sompnis recepti Cruce-signantur & Massiliam, atque Brundusium diversis agminibus venientes inanes redeunt.

Anno Domini MCCXI. circa Pascha Comes Symon Montis-fortis Athleta Christi cum exercitu Cruce-signatorum obsedit castrum Vauri fortissimum, & munitum in Dioecesi Tholosana, in quo plures hæretici habebantur, & post magnos utrinque conatus, & insultus gravissimos captum fuit castrum, & redditum Comitis voluntati. In festo Inventionis Sanctæ Crucis, in quo inventi fuerunt hæretici perfecti circiter CCCC. quos Princeps Catholicus, & Peregrini Cruce-signati, cùm nollent converti ad fidem Catholicam, flammis exustos materialibus igni concremandos perpetuo assignarunt. Aymericum verò Magnatem nobilem Dominum Montis-regalis & Lauriati, qui castrum susceperat defendendum cum quibusdam nobilibus suspendio elevavit, cæterosque generosos plusquam LXXX. gladio consumavit. Geraldam verò Dominam dicti castri, sororemque dicti Aymerici hæreticam projectam in puteum fecit lapidibus cumulari. Vulgus verò sub conditionibus est servatum.

Capto castro Vauri Comes Symon cum exercitu movens castra venit ad castrum, quod dicitur Mons-Jovis ubi à Comite Fuxi, & Rotgerio Bernardi filio ejus Peregrini Cruce-signati paulò ante crudeliter fuerant interempti, qui cum indulgentia peccatorum veniebant in auxilium, & succursum ejusdem Comitis Symonis ad exercitum Domini versùs Vaurum. Dum autem exercitus appropinquaret ad castrum apparuit in loco ubi occisi fuerant Peregrini columpna ignis lucens, & descendens super corpora occisorum, qui jacebant resupini brachiis ad modum crucis extensis. Venerabilis vir Fulco Episcopus Tholosanus præsens fuit & vidit, & testimonium perhibuit veritati.

Ad prædictum igitur castrum perveniens id funditus evertit; inde verò progrediens ad castrum, quod Casser dicitur Dei exercitus properavit. Et expugnato eo atque capto inventi fuerunt ibi hæretici perfecti circiter XL. quos Fulco Episcopus Tholosanus, & alii Episcopi, qui erant in exercitu ad conversionem monuerunt, sed nullo modo voluerunt converti; Ideoque ibidem combusti conversi sunt in infernum. Quibus gestis Fulco Episcopus Tholosanus, qui erat in exercitu prædicto mandavit Præposito Ecclesiæ Cathedralis Sancti Stephani, aliisque Clericis, ut de civitate Tholosana egrederetur, qui jussa complentes nudis pedibus cum Corpore Christi egressi sunt de Tholosa.

Deinde Comes Symon cepit castrum Montis-Ferrandi, & quædam alia loca per circuitum, & castrum novum de Arrio munivit, quod Comes Tholosanus combusserat, & vacuum reliquerat paulò ante.

Deinde Comes Symon pertransiens Tarnum fluvium in Dioecesi Albiensi obtinuit Rapistagnum, Montem-acutum, Galliacum, Causacum, Sanctum Marcellum, Guepiam, & Sanctum Antoninum, quæ loca postmodum rebellarunt, sed non tulerunt inpunè. Eodem annò Domini MCCXI. mense Julii Comes Symon cum exercitu Cruce-signatorum obsedit Tholosam.

Erat autem in exercitu ejus Comes Barrensis & multi nobiles de Alamannia. Intus verò erant Comes Tholosanus, & Convenarum, & Fuxi, & milites multi, fueruntque utrinque insultus, & conatus bellici quamplures. Sed deficientibus victualibus exercitui compulsus est recedere ab obsidione, & progrediens inde Appamias cepit Altam ripam & munivit, & pervênit, & penetrans Castella Comitis Fuxi, plurima devastavit, & Burgum Fuxi totum combussit, deinde rediens, & accedens Caturcum ab Episcopo Caturicensi in Dominum est receptus.

Anno Domini MCCXII. Miramolinus Rex Affricæ bellum grande ediderat Christianis, convenientibusque quinque Regibus nostris in ipsum proelium contra eum, victoriam cum Dei adjutorio habuerunt. In quo proelio sicut publicè ferebatur Sarracenorum circitèr centum millia ceciderunt, obtinueruntque nostri post bellum protinus Calatravam, Rege Sarracenorum turpiter fugiente.

Anno eodem Domini prætaxato MCCXII. Nonis Junii castrum pene Agennensis fortissimum à Comite Symone Montis-fortis cum exercitu Cruce-signatorum in manu valida obsidetur, & post plurimos insultus & conatus bellicos castrum capitur, & obtinetur in festo Sancti Jacobi Apostoli. Eodemque anno in vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ ab eodem Comite Symone cum exercitu Cruce-signatorum obsidetur villa Moysiaci valde fortis, quæ Tholosano Comiti adhærebat & contra Ecclesiam rebellabat, hæreticisque favere videbatur, & in sequenti anno Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis capta fuit; fueruntque ruptarii, qui intus inventi sunt, penitus trucidati. Eodem anno Domini MCCXII. In mense Februarii Ludovicus Primogenitus Regis Franciæ Philippi mitissimus juvenis, & bonæ indolis adolescens signo Crucis se consignavit contra hæreticos credentes & defensores eorum Albigenses, & Tholosanos, & ejus amore ac æmulatione plurimi milites ejusdem Crucis vivificæ signum acceperunt, fuitque motionis dies Cruce-signatorum contra hæreticos præfixus in octabis Paschæ. Sed propter guerras Regis Franciæ iterum suscitatas, opportuit ipsum Ludovicum & Cruce-signatos ab executione ejus propositi trienniò retardari. Anno Domini MCCXIII. in vigilia B. Johannis Baptistæ obiit Sancta Maria de Oëgnies ætatis suæ anno XXXVI. foemina mirabilis in territorio Laudunensi, cujus vitam admirabilem scripsit magister Jacobus de Vitriaco postmodum Cardinalis.

Anno Domini MCCXIII. die Martis post Nati-

Digitized by Google

Nativitatem Beatæ Mariæ scilicet III. Idus Septembris Petrus Rex Aragonum, habens secum magnum exercitum Aragonensium, & Cathalanorum, ac etiam Raymundus Tholosanus, & Fuxi, & Convenarum, civesque cum populo Tholosano cum exercitu copioso usque ad C. millia pugnatorum, exeuntes de Tholosa obsederunt castrum Murelli situm in ripa Garonæ non longè à Tholosa cum magna potentia, & majori superbia contra Deum, & Ecclesiam, & contra Dei athletam Symonem Comitem Montis-fortis, qui causam Dei & fidei pro obedientia Romanæ Ecclesiæ contra hæreticos, & credentes, ac fautores ipsorum assumpserat, & gerebat, & dictum castrum stabiliverat contra fidei inimicos, dimissis ibidem paucis tunc militibus, quos habebat. Cùmque innotuisset Comiti Symoni memorato de Fano-Jovis ubi tunc erat tanquam leo fortissimus, obsessis suis properat in succursum. Et sequenti die Mercurii cum exercitu signatorum Dei, & VII. Episcopis, ac tribus Abbatibus de mandato Legati Sedis Apostolicæ Archiepiscopi Narbonensis ad castrum Murelli perveniens ad suos, videntibus & invitis adversariis, introivit. Præfati autem Episcopi cœperunt missis ad Regem nunciis, quæ pacis erant quærere, & tractare. Qui etiam nudis pedibus decreverant ad eum accedere ut tantam ejus duritiam cordis emollirent, & consulerent ei ac populo pereunti. Cùmque misissent nuncium ad Regem, qui talem Episcoporum nunciaret adventum ecce ex adverso hostes exiliunt, & impugnant. Cùmque præfatus Rex nec monitis, nec inhibitionibus Apostolicis per destinatas literas sibi factis, nec piis precibus, & exhortationibus Prælatorum à malè incœptis vellet desistere, quamvis sibi plenè innotuisset quòd præfati Comites, & omnes fautores, coadjutores, ac defensores eorum erant gravi vinculo anathematis innodati, eo quòd Dei Ecclesiam impugnarent, & hostes fidei manifestiùs defendebant, & sub eorum dominio pullulabant hæreses, & multiplicabantur hæretici contra fidem.

Sequenti die Jovis, scilicet in vigilia Exaltationis Sanctæ Crucis, memoratus Symon vir Catholicus cum exercitu Cruce-signatorum, quem modicum tunc habebat (sed Deo non est difficile pugnare in multitudine vel cum paucis) decrevit exire in campum obviam obsessoribus confidenter in exercitu; siquidem Symonis inter milites, & servientes in equis non erant ampliùs, quàm octoginta, pedites autem pauci ita quod insimul esse poterant quasi mille. In exercitu autem Regis, & Comitum ex adverso esse circiter C. millia credebatur.

Itaque pugiles Christi factis confessionibus peccatorum, & audito ex more Divino Officio, Ciboque salutari Altaris refecti, & prandio sobrio confortati arma sumunt, & ad prælium se accingunt. Benedictione itaque Episcoporum percepta, adoratoque in manu Episcopi Tholosani vivificæ Ligno Crucis, & concessâ eis plenâ indulgentiâ peccatorum, exeunt ex castro.

Ordinatis igitur aciebus ex adverso à Rege cum Comitibus ad campum venerunt, & ad pugnam; Comesque Symon ac sui tribus ordinibus, usu, ut optimè noverant, militari, tanto impetu in hostes irruunt, quòd ipsos in primo congressu à campo ut ventus à facie terræ propulsarunt. Deinde ad Regis aciem ubi vexillum ejus noverant se convertunt, tantâque pressurâ in ipsam irruunt, quòd armorum, & sonitus ictuum per aëra longiùs ferebantur ac si multæ secures nemora detruncarent. Mortuusque est Rex ibidem, & Magnates plures de Aragonia circa ipsum. Virtusque Altissimi per manus servorum suorum hostes suos confregit, & comminuit in momento. Terga enim vertentes in fugam tres Comites, & alii plures facti sunt tanquam pulvis à facie venti, & Angelus Domini persequens eos, erat. Quidam igitur turpiter fugientes turpi fuga mortis periculum evaserunt. Alii veró vitantes gladios, aquæ periculo perierunt. Quamplures verò fuerunt in ore gladii devorati. Ex Tholosanis autem multa millia tam gladio cæsi, quàm in Garone flumine sunt submersi. Erat autem videre quædam humana pietas, & audire lamenta Tholosæ plangentium mortuos suos, quia vix vacabat domus, quæ ad plangendum mortuum non haberet, vel quem credebat in carcere moriturum. Quamvis autem præ multitudine sciri non potuerit certus numerus hostium prostratorum, æstimati tamen fuerunt usque ad XX. millia tam occisorum gladio, quàm in Garone flumine submersorum. De militibus autem Christi solus unus interemptus est in conflictu, & paucissimi servientes. Interim autem dum bellum Domini gerebatur VII. Episcopi, qui convenerant, scilicet Fulco Tholosanus, Guido Carcasonensis, & Sedisius Agathensis, Nemausensis, Utisensis, Lodonensis, & Convenarum, & tres Abbates de Clayrato, De Villa-magna, & Sancti Tyberii cum suis Clericis, & aliquibus Religiosis, inter quos aderat Religiosus Dei amicus Frater Dominicus Canonicus Oxomniensis, postmodum Fratrum Prædicatorum Ordinis Institutor, Ecclesiam intraverunt *more* Moysi in bello Josue, levantes manus in cœlum, deprecantes Dominum pro servis suis, qui se mortis imminentis periculo pro ejus nomine, ac fide exponebant. Orantes verò & clamantes in cœlum tantum mugitum pro imminenti angustia emittebant, quòd ululantes videbantur potiùs quàm orantes.

Post hæc præcepit nobilis Comes Symon quibusdam de suis, ut adducerent eum ad locum ubi Rex Aragonum fuerat interemptus Veniensque ad locum invênit corpus Regis prostratum in medio campi pariter & nudatum. Pedites siquidem ipsum nudaverant armis suis.

Piissimus autem Comes videns Regem jacentem prostratum descendit de equo, alterum David super Saul alterum repræsentans.

Christianissimus autem Comes, habitâ victoriâ gloriosâ, intelligens tantum miraculum Dei virtute non humanis viribus esse factum ab illo loco ubi descendit nudis pedibus ad Ecclesiam perrexit, Omnipotenti Deo pro collata victoria gratias redditurus equum suum, & arma pauperibus in eleemosynam erogavit.

Præmissa verò de pugna & causa ejus, ac victoria subsecuta memorati VII. Episcopi, & Abbates seriosiùs conscripserunt, & sub sigillorum suorum testimonio universis Christi fidelibus transmiserunt.

Anno Domini MCCXIV. Philippus Rex Franciæ vastat Flandriam, & acceptis obsidibus de Caudavo, Ypra, Brugis, Insula, & Duaco in Franciam rediit cum eisdem. Cepitque in bello campestri Comites Flandriæ Ferandum, Boloniæ Reginaldum, & in locis quæ sibi ipsi elegerant, atque diviserant, si fortuna fuisset eis ad votum, custodiendos statuit vinculis mancipatos. Et ipso tempore Ludovicus filius ejus in Aquitaniam currens contra Regem Angliæ Johan-

Digitized by Google

Johannem, ipsum fugientem ab ejus facie effugavit.

Anno verò Domini MCCXIV. Comes Symon Montis-fortis cum exercitu Cruce-signatorum Dei cepit hæc castra quæ sequuntur, in quibus hostes fidei & Ecclesiæ, ac pacis turbatores, & ruptarii habitabant, & refugiebant: Videlicet Mauriliacum castrum, quod est in Diœcesi Ruthensi quod penitus destructum fuit, in quo inventi fuerunt VII. hæretici perfecti de Secta Waldensium, qui ibidem coram Domino Roberto Legato perducti suam perfidiam sunt confessi, à qua nolentes recedere à peregrinis Cruce-signatorum combusti fuerunt ibidem. Item cepit Montem-pisatum in Diœcesi Agenensi, quem hostes audientes adventum exercitus Domini vacuum dimiserunt, castrum Cruce-signati penitus destruxerunt. Item cepit ferro, ac recuperavit Marmandam expulsis inde adversariis, & fugatis, munivitque turrim majorem, cæteras autem turres partem murorum diruit. Deinde Casanolium castrum fortissimum in territorio Agenensi, quod sedes hæreticorum una de principalibus erat in Agenesio, & finierit; ab antiquo homines castri illius pessimi erant, & bis antea residivaverant etiam tunc rebellabant, quando obsedit Comes Symon in fortitudine magna, & post multos labores & insultus mirabiles, ac conatus vir tandem Dei virtute castrum cepit, captum comburi fecit. Plures ex adversariis in ore gladii sunt perempti, cæterique fugerunt, captumque & cassatum est Cassanolium XVII. Kal. Septembris. Inde verò progrediens ad castrum Domæ Petragoricensis Diœcesis ubi habitabant pacis, & fidei inimici. Invenerunt quidem castrum vacuum defensore, qui more perterriti aufugerunt à facie exercitus Domini venientis, ubi turrim fortissimam Comes fecit dirui, & subfodi.

Item castrum Montis-fortis ibi prope Comes fecit dirui, ubi erat Dominus castri Bernardus de Casuaco inhumanus homo, immo potiùs crudelis bestia, habebatque adjutorium simile sibi in malitia uxorem, quæ erat soror Vicecomitis Turrennæ, quæ Jezabel nequitiam superabat. Captumque fuit castrum novum ibidem prope non quidem impar cæteris in malitia, quod non fuit destructum, sed reservatum ut inde per hoc meliùs posset Comes pacis compescere turbatores.

Quartum castrum nomine Bayvacum cepit Comes Symon. Erat autem Dominus castri dicti oppressor Ecclesiarum violentissimus, fueruntque turres, & muri dicti castri humiliati. In prædictis quatuor castris scilicet Domæ, Monte-forti, castro novo, & Bayvaco Petragoricensis Diœcesis à centum annis, & antea sedes fuerat Sathanæ. Ab iis egressa fuerat iniquitas super faciem terræ illius, quibus subjugatis reddita est pax, & tranquillitas non solùm Petragoricensibus, sed & Caturcensibus, & Agennensibus, & Lemonicensibus pro magna parte.

Progressus inde Comes cum suis vênit Figiacum, cepitque castrum, quod dicitur Capdenatum, ubi ab antiquo nidus fuerat, & refugium tyrannorum. Et inde vênit ad Ruthenam civitatem, ubi Comes Ruthensis post aliquantam altercationem de recognoscenda terra, & homagio faciendo, tandem recognovit se terram suam tenêre à Symone Comite Montis-fortis, & homagium ei fecit. Erat autem propè Ruthenam castrum quoddam valde forte, quod dicitur Seveyracum, in quo pacis, & justitiæ turbatores Ruptarii habitabant. Quod cùm Dominus dicti castri nollet reddere Comiti Symoni, fecit ipsum protinus obsidere, captumque fuit castrum in manu valida, & potenti hyeme asperrima non obstante. Tandem Dominus ejusdem castri de Seveyraco fecit homagium Comiti Symoni, & tradidit sibi castrum, & ad familiaritatem, & gratiam Comitis est receptus.

Anno Domini MCCXIV. in . . . . Dominicæ Nativitatis, Magister Petrus de Benevento Apostolicæ Sedis Legatus Diaconus Cardinalis tenuit apud Montem-pesulanum celebre Concilium Prælatorum, in quo fuerunt congregati V. Archiepiscopi, scilicet Narbonensis, Auxitanus, Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis; fuerunt quoque Episcopi XXVIII., & multi Abbates & alii Prælati Ecclesiarum, pluresque de Baronibus convenerunt: Petiitquoque Concilium dictus Legatus ab omnibus Prælatis, cui meliùs, & utiliùs ad honorem Dei, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, & pacem terræ ad expugnandamque spurcitiam labis hæreticæ concedi, & assignari deberet Tholosa, quæ in manu Legati se posuerat, datis obsidibus, necnon & aliæ civitates, & villæ, ac terræ, quas exercitus Crucis-signatorum acquisierat. Omnesque & singuli Prælati, nullo excepto, unanimes uno voto nobilem Christi athletam Symonem Comitem Montis-fortis in totius terræ illius Dominum, & Principem elegerunt, miseruntque inde Legatus, & Prælati cum literis suis ad Innocentium Papam Archiepiscopum Ebredunensem Bernardum nomine supplicantes humiliter, & instanter, ut electum virum Symonem confirmaret, & concederet in terræ illius Dominum & Monarcham, quod & factum fuit.

Anno Domini MCCXV. Ludovicus filius Regis Franciæ Philippi Primogenitus qui triennio jam transacto crucem contra hæreticos Albigenses & Tholosanos assumpserat, sed multis & gravibus guerris fuerat præpeditus, iter arripuit ad partes Albigensium & Tholosanas ut votum suæ peregrinationis expleret. Veneruntque cum ipso multi nobiles & potentes per Lugdunum & Valentiam & Provinciam. Cùmque esset in villa Sancti Ægidii cum nobili Comite Symone Montis-fortis, venerunt Nuncii Domini Innocencii Papæ cum literis Papalibus ad Legatum, & Prælatos, ac Symonem memoratum, in quibus continebatur quòd ipse Papa totam terram, quam Comes tenuerat Tholosanus, terras etiam illas, quas crucesignati adquisierant, & quas Legatus tenebat per obsides & custodes commendabat eidem Comiti Montis-fortis custodiendas donec in Concilio generali, quod in Kalendis Novembris illius ejusdem anni Romæ convocaverat, de terris pleniùs ordinaret.

Forma enim scribendi Papalis literæ ad Comitem quæ in gestis ejusdem Comitis invenitur plurima erat valde. Datum Lateraniense IIII. nonas Aprilis Pontificatus XVIII. Cùmque memoratus Ludovicus cum Legato & Symone Comite & sua nobili comitiva inde pervenisset Biturrim, de voluntate Legati & Concilio Prælatorum ita extitit ordinatum, quòd Ludovicus de voluntate & auctoritate Legati faceret dirui muros Narbonæ & Tholosæ & quorumdam castrorum, eo quòd per munitiones illas Christianitati evenerant multa mala. Mandavitque Ludovicus civibus Narbonensibus, ut ad arbitrium duorum militum, quos ad hoc misit Nar-

Digitized by Google

Narbonam. infra III. septimanas diruerunt muros civitatis, ceperuntque cives Narbonenses diruere muros suos. Comes verò Symon tradità sibi terrâ juxta formam mandati Apostolici à memorato Legato Magistro Petro de Benevento Diacono Cardinali, Legatusque perrererunt ad castrum Appamiarum; venit ad Legatum Comes Fuxi, ibique commendavit & tradidit Legatus Comiti Symoni castrum Fuxi, quod diu tenuerat in manu sua. Comes autem Symon statim misit milites, & castrum Fuxi accepit & munivit. Miserat autem Comes Symon paulò ante Guidonem de Monte-forti germanum suum, & milites cum eo ad recipiendum ex parte sua juramenta fidelitatis à civibus Tholosanis, præceperuntque eis ut muros diruerent civitatis, acquieveruntque cives licèt inviti, nimiùmque dolentes, & cœperunt diruere muros suos; Veneruntque illis diebus tam Ludovicus, quàm Legatus, & Comes Symon Tholosam.

Indeque Ludovicus & sui peracto peregrinationis suæ termino XL. dierum in Franciam redierunt. Legatus verò ad curiam rediit ad Concilium generale. Comes verò Symon terram tenuit magnam valde.

Anno Domini MCCXV. in Kalendis Novembris Innocentius Papa III. Pontificatus sui anno XVIII. convocatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis Romæ in Ecclesia Lateranense celebravit Concilium generale, in quo fuerunt Episcopi CCCCXII. inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchæ duo, videlicet, Constantinopolitanus. & Hierosolymitanus; Anthiochenus autem gravi languore detentus venire non potuit. Sed misit pro se Vicarium Auterandum Episcopum, Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, misitque pro se Diaconum germanum suum. Primates autem & Metropolitani fuerunt LXXI. Cæterùm Abbates, & Priores sunt ultra octingenti; Unde cum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis fuit numerus Prælatorum MCCXV.

Legatorum verò Regis Siciliæ, Frederici Secundi in Imperatorem Romanorum tunc electi, Imperatorisque Constantinopolitani, Regis Franciæ Philippi, Regis Angliæ Johannis, Regis Ungariæ, Regis Hierosolymitani, Regis Cypri, Regis Aragonum, necnon & aliorum Principum, & Magnatum civitatum, aliorumque locorum ingens affuit multitudo. Interfuitque Concilio Sancto Beatus Dominicus tunc Canonicus Oxomensis natione Hispanus cum Venerabili Fulcone Episcopo Tholosano profectus ordinis Fratrum Prædicatorum, cujus institutor & primus pater extitit, institutionem & confirmationem petens sedulè, & procurans, quæ tunc sibi ab eodem Innocentio Papa ostensa sibi primitus cœlesti visione de ruina Lateranensis Ecclesiæ. cui idem Dominicus humeros supponens eam sustentare videbatur, concessa extitit & promissa, & anno sequenti fuit à successore suo Honorio Papa III. confirmata.

In præfato Consilio multa fuerunt pro recuperatione Terræ Sanctæ ac pro reformatione status Ecclesiæ salubriter instituta, interfueruntque prædicto Concilio Raimundus quondam Comes Tholosanus, & Raimundus filius ejus, ac Comes Fuxi pro recuperatione terræ suæ, quam perdiderant, supplicantes. Comes verò Symon illuc misit pro se ipso Guidonem de Monte forti germanum suum, fuitque in ipso Concilio per Innocentium Papam Comitatus Tholosanus adjudicatus & datus Symoni Montis fortis, & hæredibus suis cum tota terra, quam acquisierat cum exercitu Crucesignatorum; privato inde per sententiam Comite Tholosano, fuitque eidem Symoni Comiti traditum ad libitum castrum, quod Tholosæ dicitur Narbonense. Sic enim castrum Tholosani Comitis appellatur usque ad hodiernum diem, fuitque juratum eidem dominium à civibus atque burgensibus Tholosanis, & ipse habitus & nominatus pro Comite Tholosano, & à notariis scribebatur Comes in publicis instrumentis, fecitque dirui muros civitatis, & parietes Burgi, & æquari fossata & turres domorum fortium destrui infra villam, ut ultra non adicerent insurgere contra ipsum, & catenas fecit ex compitis removeri. Post reditum verò Nunciorum suorum à Concilio, Comes Symon perrexit in Franciam ad Regem Franciæ Philippum, ut ab eodem terram reciperet, quæ de Feudo Regis erat, fuitque receptus à Rege honorificè ac benignè, investivitque Rex eundem Symonem pro se & hæredibus suis de Tholosa, ac de tota terra. quam in feudo suo acquisierant Crucesignati contra hæreticos & eorum defensores. Confirmavit etiam Rex eidem Comiti Symoni Ducatum Narbonensem.

Cùmque Comes Symon nondum rediisset de Francia, interim Raimundus Junior filius Raimundi Senioris quondam Comitis Tholosani facta conjuratione cum Avinionensibus, & Tarasconensibus, & Massiliensibus terram occupat ultra Rodanum, necnon Bellicadrum castrum, quod est citra in ripa Rodani in Regno Franciæ, quod fuerat Comitis Tholosani, contra quem Guido de Monte-forti germanus Comitis Symonis, & Almaricus Primogenitus ejusdem Symonis, collecto exercitu, mox occurrunt. Tandem idemque Symon postmodum accurrens advênit, & obsedit exercitus obsidentes, sed cùm nihil proficeret, ab obsidione recessit. Propter quod multi qui latebant cornua contra Symonem extulerunt, & plurima opida & villæ hosti ejus breviter adhæserunt.

Anno Domini MCCXVI. Cives Tholosani subesse Comiti Symoni detrectantes quadam se inobedientia subtrahebant, & molestè ferebant jugum in præjudicium pristinæ libertatis, propter quod Comes Symon timens ne nisi eos perimeret in tumorem se erigerent altiorem, consilium habuit ut eos armis invaderet, & rigore superbiam castigaret. Veniens itaque in manu valida, & armata civitatem invasit in locis pluribus igne immisso, ut duplici gladii, & flammæ turbine terrerentur, & facilius turbarentur. Qui è contrario vires viribus opponentes, Comitis & suorum impetum repulerunt. Sed mox Fulco Episcopus Tholosanus ut periculis occurreretur imminentibus de pace tractavit, & concordiâ inter partes, & Tholosani aciem ferri argento retundere probaverunt. Erat enim Comes attenuatus propter sumptus, quos fecerat apud Bellicadium, & pecuniis indigebat, quod præsumentes aliqui Comites sub boni spem persuaserunt ut pro emenda reciperet à civitate, & à burgo XXX. millia Marcharum argenti, quæ benè solvi poterant ut ejus gratiam obtinerent; qui Concilio Achitofel acquievit, & periculum non prævidit: Sciebant enim illi, qui sic talia suadebant, quòd in illa pecunia colligenda multa in confessionem universorum, & singulorum comitterentur, quibus cogerentur affectare pristinam libertatem, & ad se antiquum Dominum revocare.

Digitized by Google

care. Facta namque tallia, quod debebatur cum dura, & grave instantia petebatur, & præter pignorum extorsionem domorum ostia claudebantur, sub qua gemebat populus servitute. Interim tractabatur cum Comite veteri in Hispania pervaganti qualiter Tholosam rediret, & fieret quod optabat, sed factum extitit inter annum.

. Demum Innocentius Papa III. cùm propter subventionem Terræ Sanctæ inter Pisanos, Januenses, & Lombardos pacem facere tenderet in itinere ad hoc institutus apud Perusium, est defunctus, ibique in Ecclesia Sancti Laurentii tumulatus mense Julii anno Domini MCCXVI. Pontificatus sui anno XIX. Vacavitque Sedes per unam tantummodo diem, Perusius causâ electionis strictissimæ artantibus Cardinalibus. (*)

VITA EJUSDEM

INNOCENTII PAPÆ III.

EX STEPHANO BALUZIO.

In Præfatione ejusdem ad Libros Epistolarum Innocentii III. hæc leguntur.

NE quid verò, quantum ad meam curam attinet, huic editioni deesset, addidi gesta Innocentii III. scripta ab auctore illorum temporum, eadem sanè quæ Illustrissimus Episcopus Monspeliensis olim ediderat ex codice MS. Collegii Fuxensis, sed multò meliora. Ad ea autem emendanda usus sum duobus antiquis exemplaribus; quorum unum extat in Bibliotheca Regia, aliud nobis exhibuit humanitas Illustrissimi viri Caroli Mauritii Tellierii Archiepiscopi Remensis. Usus præterea sum exemplo quod vir celeberrimus, & alter historiæ nostræ parens Andreas Duchesnius manu sua descripserat ex veteri codice MS. Ecclesiæ Podiensis, qui multis in locis præstat reliquis duobus.

I. INnocentius Tertius Papa, ex patre Transmundo de Comitibus Signiæ, matre verò Claricia de nobilibus Urbis, fuit vir perspicacis ingenii & tenacis memoriæ, in divinis & humanis literis eruditus, sermone tam vulgari, quàm literali disertus, exercitatus in cantilena & psalmodia, staturâ mediocris, & decorus aspectu, medius inter prodigalitatem & avaritiam, sed in eleemosynis & victualibus magis largus, & in aliis magis parcus, nisi cùm necessitatis articulus exigebat; severus contra rebelles & contumaces, sed benignus erga humiles & devotos; fortis & stabilis, magnanimus & astutus; fidei defensor, & hæresis expugnator; in justitia rigidus, sed in misericordia pius; humilis in prosperis, & patiens in adversis; naturæ tamen aliquantulum indignantis, sed facilè ignoscentis.

II. Hic primùm in Urbe, deinde Parisius, tandem Bononiæ scholasticis studiis insudavit, & super coætanos suos tam in philosophica, quàm theologica disciplina profecit; sicut ejus opuscula manifestant, quæ diversis temporibus edidit & dictavit. Fecit enim ante Pontificatum libros de miseria conditionis humanæ, & de Missarum mysteriis, & de quadripartita specie nuptiarum. Post Pontificatum autem, libros Sermonum, Epistolarum, Regestorum, & Decretalium, quæ manifestè declarant quantùm fuerit tam in humano, quàm in divino jure peritus.

III. Hunc sanctæ memoriæ Gregorius Octavus Papa in Subdiaconum ordinavit; & Clemens III. Papa promovit in Diaconum Cardinalem, vigesimum nonum ætatis annum agentem, assignans ei Ecclesiam Sanctorum Sergii & Bacchi, cujus ipse fuerat Diaconus Cardinalis. Proficiebat autem, sicut ætate, sic etiam probitate coram Deo & omni populo, ita ut omnes de ipsius sublimatione præsumerent, & sperarent.

IV. Infra biennium postquàm promotus fuit in Cardinalem, præfatam Sanctorum Sergii & Bacchi Ecclesiam, quæ nimis erat deformis, & ruinosa, ut magis crypta quàm Basilica videretur, suis sumptibus restauravit, parietes erigens, & renovans tectum, super novos gradus construens novum altare, novaque pectoralia faciens ante chorum. Statim autem postquam fuit ad apostolatus apicem assumptus, jussit fieri ante ipsam Ecclesiam porticum columnatam; de bonis quæ in Cardinalatu contulerat sibi Deus; multis mirantibus unde in novitate sua tantas invenisset expensas, cùm manus suas ab omni turpi munere excussisset, nullam à quoquam donationem vel promissionem accipiens antè quàm ejus esset negotium terminatum, nihil exigens à quoquam, via regia semper incedens, non declinans ad dexteram vel sinistram, inter fratres sine querela conversans, non dividens se in partem.

V. Defuncto igitur Cœlestino, cùm quidam Cardinalium se contulissent ad Septa Solis Monasterii Clivisauri, ut liberiùs & securiùs ibi possent de successoris electione tractare, ipse cum quibusdam aliis apud Basilicam Constantinianam voluit decessoris exequiis interesse. Quibus honorificè celebratis, ipse cum illis ad præfatum locum accessit. Missarum solemniis in honore Sancti Spiritus à solis ibidem Cardinalibus celebratis, cùm ad tractandum de substitutione Pontificis consedissent, placuit omnibus in communi ut ad terram humiliter inclinati, singuli pacis osculum sibi darent. Et exhortatione præmissa, examinatores fuerunt secundùm morem electi, qui sigillatim votis omnium perscrutatis, & in scriptis redactis, examinationem factam retulerunt ad fratres. Et quoniam in eum plurimi convenerunt, licèt tres alii fuissent ab aliquibus nominati, post disputationem super ætate habitam inter eos, quia tunc erat annorum triginta septem, omnes tandem consenserunt in ipsum, propter honestatem morum & scientiam literarum, eum in Summum Pontificem eligentes, flentem, ejulantem, & renitentem, vocantes ipsum Innocentium, cùm prius Lotharius vocaretur. Et publicata electione, cum laudibus ductus est à multitudine cleri ac populi, qui inferiùs expectabat, ad Constantinianam Basilicam, & inde ad Patriarchium Lateranense perductus, peractis omnibus secundùm morem solitum & antiquum.

VI. Cùm autem celebraretur electio, hujuscemodi signum apparuit; quòd videlicet tres columbæ frequentabant volatus in locum in quo Cardinales sedebant congregati, & cùm ipse post

(*) Alteram Innocentii III. vitam, quæ apud Papebrochium, & in duobus nostris MSS. legitur consultò omisimus, tum ne oneraremus Lectorem, tum quia conferentibus nobis innotuit eam esse compendium ejusdem vitæ à Bernardo Guidone conscriptæ, atque hic proximè jam datæ.

Digitized by Google

Post nominationem fuisset à cæteris segregatus, una illarum, quæ candidissima erat, ad eum volitans, juxta dexteram insidebat. In visione quoque nonnunquam ostensum est quòd ipse matrem suam duceret in uxorem. Et aliæ multæ revelationes factæ sunt viris religiosis de ipso, quas scribere prætermittimus, quoniam & ipse nolebat hujusmodi præsagia indicari.

VII. Celebrata est ejus electio sexto Idus Januarii anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo nonagesimo septimo. Et quia tunc Diaconus erat, dilata est ejus ordinatio in Presbyterum usque ad Sabbathum quatuor Temporum, nono Kalendas Martii; & sequenti Dominica, in qua tunc occurrit Festum Cathedræ Sancti Petri, fuit apud Sanctum Petrum in Episcopum consecratus, & in ejusdem Apostoli Cathedra constitutus, non sine manifesto signo, & omnibus admirando. Intersuerunt autem consecrationi ejus, quam ipse cum multa cordis compunctione, & lacrymarum effusione recepit, quatuor Archiepiscopi, & viginti octo Episcopi, sex Presbyteri, & novem Diaconi Cardinales, & decem Abbates; cum quibus omnibus, & tam Priore cum Subdiaconis, quàm Primicerio cum Cantoribus, necnon Judicibus, Advocatis, & Scriniariis, & cæteris Scholasticis processit solemniter coronatus per Urbem à Basilica Sancti Petri, usque ad Lateranense palatium, comitantibus Præfecto & Senatore cum magnatibus & nobilibus Urbis, multisque Capitaneis, & Consulibus, ac Rectoribus civitatum. Coronata est tota civitas & clerus cum thuribulis & incenso. Populus autem, cum psalmis & floribus, utrique cum hymnis & canticis, sparsis de more missilibus obviam illi catervatim venerunt; factaque laude tam infra Ecclesiam Sancti Petri, quàm ante Lateranense palatium, postquam ascendit in domum majorem, quæ Leoniana vocatur, Presbyterio per ordinem distributo, solemne convivium celebravit.

VIII. Statim post electionem ipsius, Romanus populus cœpit apud eum vehementer instare, supplicans & deposcens ut eos ad fidelitatem reciperet, & consueta sibi dona conferret. Ipse verò induci non potuit ut ante consecrationem super hoc eis vellet præbere consensum. Sed post consecrationem, cùm turbulentiùs conclamarent, deliberavit super hac petitione populi diligenter. Et quoniam status Romanæ Ecclesiæ pessimus erat, pro eo quòd à tempore Benedicti Cariscum Senatum Urbis perdiderat, & idem Benedictus seipsum faciens Senatorem, subtraxerat illi Maritimam & Sabiniam, suos Justiciarios in illis constituens, Henricus autem Imperator occupaverat totum Regnum Siciliæ, totumque patrimonium Ecclesiæ usque ad portas Urbis, præter solam Campaniam, in qua tamen plus timebatur ipse quàm Papa, in hoc devênit consilium ut petitionem populi exaudiret; quatenus & tempus redimeret malum, & patrimonium recuperaret amissum. Verùm antè quàm Populo responderet, volens scire utrum thesaurus Ecclesiæ sufficeret ad hoc opus, usus est hac cautela, quòd per singulas Parochiales Ecclesias fecit singulos Parochianos occultè describi, ut sciret & numerum & qualitatem ipsorum; & ita veritate comperta, jussit illos recipi per singulas regiones. Sed nunquam tantam potuit adhibere cautelam quin fraus committeretur in multis. Forma verò juramenti quod præstitit populus, talis fuit. *Ego &c.* Sequenti die post consecrationem suam Petrum Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, & per mantum, quod illi donavit, de præfectura eum publicè investivit, qui usque ad id tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo præfecturæ tenebat honorem. Sed & ab aliis Baronibus circumquaque juramentum fidelitatis recepit; missisque nuntiis per totum Ecclesiæ patrimonium, fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi. Et exclusis Justiciariis Senatoris, qui ei fidelitatem juraverat, suos Justiciarios ordinavit; electoque per medianum suum alio Senatore tam infra Urbem, quàm extra patrimonium recuperavit nuper amissum.

IX. Porrò non suffecit hoc sibi; sed statim post suam electionem destinavit duos Presbyteros Cardinales, Cinchium Tituli Sancti Laurentii in Lucina, & Johannem Tituli Sanctæ Priscæ, contra Marcualdum in Marchiam, ut eum ad dominium Ecclesiæ revocarent. Ipse autem Marcualdus misit nuntios suos, videlicet Camerinensem, & Venafranum Episcopos, & nobilem virum Rambertum Monaldi, ad Dominum Innocentium, petens per illos ut faceret ipsum ad præsentiam suam securè conduci, quia & de persona & de pecunia, & de terra volebat esse ad mandatum ipsius. Et sic in animam ejus juravit nobilis antedictus. Erat enim idem Marcualdus Senescalcus Imperii, Dux Ravennæ & Romaniolæ, Marchio Anconæ & Molisii, vir ingeniosus & subdolus, multam habens pecuniam sub Henrico Imperatore in Regno Siciliæ acquisitam, quem inter omnes familiares suos ipse Imperator habuerat prædilectum, & eum executorem sui fecerat testamenti. Unde promittebat eidem Domino Papæ quòd si eum in gratiam suam admittere dignaretur, ipse Romanam Ecclesiam ampliùs exaltaret, quàm exaltata fuerat à tempore Constantini, cùm testamentum illud ad ingentem redundaret Ecclesiæ Romanæ gloriam & honorem. Petebat tamen ut donec ad præsentiam ejus accederet, & reverteretur in Marchiam, Cardinales non reciperent ad fidelitatem Ecclesiæ Marchianos. Ipse verò concessit ut interim invitos non cogerent, sed reciperent voluntarios; mittens ad ipsum Guidonem Tituli Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim Presbyterum Cardinalem, qui eum ad præsentiam suam securè conduceret, si vellet præmissa complere. Sed noluit, quia Dominus Papa præsenserat, & vitaverat ejus fraudem, negans se Ramberto Monaldi mandasse ut in animam ejus præscripto modo juraret. Qui cùm scriptum proferret, quod illi tribuerat, secundùm quod ipse juravit, respondit se non didicisse scripturam, ideòque quid Notarius ejus scripserit ignorare. Cardinales autem excommunicaverunt eum propter scelera quæ patrabat; & recipientes ad fidelitatem Ecclesiæ Marchianos, receperunt terram ad dominium Ecclesiæ revertentem. Qui cùm multam pecuniam expendisset, & cognosceret quòd non posset Marchiam retinere, obtulit Domino Papæ pecuniam copiosam, annuum censum promittens, si recepta fidelitate concederet ei terram. Quod cùm Dominus Papa facere nollet, quia suspectam habebat fraudem ipsius, reliquit Marchiam, & Regnum intravit. Reducta est igitur tota Marchia, præter Asculum, ad dominium, & fidelitatem Ecclesiæ, videlicet Ancona, Firmum, Auximum, Camerinum, Fanum Esim, Senegalia & Pensaunium, cum omnibus Diœcesibus suis.

Digitized by Google

X. Conradus ergo natione Suevus, Dux Spoleti, & Comes Asisii, videns terram suam pari modo ad dominium Ecclesiæ Romanæ redire, multis modis tentavit si posset apud Dominum Papam gratiam invenire, offerens ei decem millia librarum incontinenti, & annuum censum centum librarum argenti, & obsequium duocentorum militum per patrimonium Ecclesiæ à Radicofano usque Ceperanum. Pro securitate verò, præter hominium & fidelitatem suam, & juramenta suorum, promittebat tradere filios suos obsides, & omnes munitiones tribuere suis custodiendas expensis. Licèt autem Dominus Papa conditionem istam utilem reputaret; quia tamen multi scandalizabuntur ex ea, tanquam vellet Theotonicos in Italia confovere, qui crudeli tyrannide redegerant eos in gravissimam servitutem, in favorem libertatis declinans, non acceptavit oblata. Dictus ergo Conradus cùm taliter non proficeret, reddidit se ad mandatum ipsius sine pacto quolibet & tenore: qui misit Narniam Octavianum Ostiensem Episcopum & Gerardum Sancti Adriani Diaconum Cardinalem: in quorum præsentia, coram Episcopis, Baronibus, & multitudine copiosa juravit super Evangelium, Reliquias, & Crucem stare universis mandatis Domini Papæ, & absolvens incontinenti omnes vassallos à sua fidelitate, mandansque omnibus ut ad dominium Ecclesiæ Romanæ redirent, statim etiam reddidit duas munitiones quas ipse tenebat, videlicet Roccam de Waldo, & Roccam de Cese. Roccam autem Asisii reddi mandavit. Sed Asisinates, qui eam tenebant obsessam, non permiserunt illam reddi Domino Papæ, quin captam penitùs destruxerunt. Recuperavit ergo Romana Ecclesia Ducatum Spoleti, & Comitatum Asisii, videlicet Reatem, Spoletum, Asisium, Fulgineum, & Nuceram, cum omnibus Diœcesibus suis. Quia verò mora prædicti Conradi erat valde suspecta, de mandato Domini Papæ rediit in Theotoniam. Recuperavit etiam Perusium, Eugubium, Tudertum, & civitatem Castelli, cum Comitatibus suis, recepto juramento fidelitatis à civibus, Baronibus, & Catanis. Fecit autem destrui castrum Montis Sanctæ Mariæ, in quo tempore prædecessoris sui Conradus, qui Musca in cerebro dicebatur, captum detinuit præfatum Octavianum Episcopum Ostiensem de Francia redeuntem, ut esset demolitio hæc in titulum memoriæ sempiternæ.

XI. Celebrato ergo Apostolorum festo, Dominus Papa Urbem exivit, & in Ducatum Spoletanum accessit, quem ad fidelitatem Ecclesiæ nuperrimè revocaverat, ut illum personaliter visitaret, venitque Reate; ubi receptus cum ingenti gaudio & honore, consecravit Ecclesiam Sancti Eleutherii Martyris, & Ecclesiam Sancti Johannis Evangelistæ. Inde profectus Spoletum, dedicavit Ecclesiam Cathedralem; ibique quiddam miraculosum evênit, quòd cùm cives anxiarentur super aquarum penuria, cœperunt circa civitatem studiosè perquirere ubi fodiendo possent aquarum copiam invenire, quæ sufficeret equorum multitudini adaquandæ. Ac subitò sub muro civitatis viderunt aquam scaturire de rupe, quæ fossas ibi factas replevit, ita exiens abundanter quòd omnibus equis sufficiebat ad potum; vocatusque est fons Papalis. Processit inde Perusium, ubi majoris Ecclesiæ consecravit Altare; veniensque Tudertum, Altare Sancti Fortunati solemniter consecravit, & ad ornatum omnium Altarium quæ propriis manibus consecravit, obtulit serica pallia pretiosa & pallas subtiliter operatas. Statuensque Rectorem in Ducatu Spoleti & Comitatu Asisii terrisque vicinis, videlicet Gregorium Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, per Ameliam, Ortam, & civitatem Castellanam, circa Festum Omnium Sanctorum remeavit ad Urbem.

XII. Civitates autem Tusciæ, quæ propter importabilem Alemannorum tyrannidem quasi gravem incurrerant servitutem, societatem hanc adinvicem inierunt, præter civitatem Pisanam, quæ nunquam potuit ad hanc societatem induci, & obtinuerunt à Summo Pontifice ut & civitates Ecclesiæ quæ sunt in Tuscia & Ducatu Spoleti se illis in hac societate conjungerent, salvo semper in omnibus Apostolicæ Sedis dominio & mandato. Constituerunt ergo singulos Rectores de singulis civitatibus, & unum Priorem, cui tempore sui Prioratus omnes intenderent ad societatis negotia peragenda; omnesque, tam Rectores, quàm alii, juraverunt quòd societatem servarent ad honorem & exaltationem Apostolicæ Sedis, & quòd possessiones & jura Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ bona fide defenderent, & quòd nullum in Regem vel Imperatorem reciperent nisi quem Romanus Pontifex approbaret. Ab eo autem non potuerunt aliud nisi hujusmodi literas obtinere.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori & Rectoribus Tusciæ & Ducatus salutem &c. Sicut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento cœli constituit, luminare majus, ut præesset diei, luminare minus, ut nocti præesset, sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cœli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates, majorem, quæ quasi diebus, animabus præesset, & minorem, quæ quasi noctibus, præesset corporibus, quæ sunt Pontificalis auctoritas & regalis potestas. Porrò sicut Luna lumen suum à Sole sortitur, quæ revera minor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu, sic regalis potestas ab auctoritate Pontificali suæ sortitur dignitatis splendorem; cujus conspectui quanto magis inhæret, tanto minori lumine decoratur, & quò plus ab ejus elongatur aspectu, eò plus proficit in splendore. Utraque verò potestas seu primatus sedem in Italia meruit obtinere, quæ dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum. Et ideo licèt ad universas provincias nostræ provisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiæ paterna nos convenit solicitudine providere, in qua Christianæ religionis fundamentum existit, & per Apostolicæ Sedis primatum sacerdotii simul & regni præminet principatus. Hujus autem provisionis officium laudabiliter exercemus, si per nostræ solicitudinis studium procuramus ne filii fiant servi, neque minores à majoribus opprimantur; ut servata moderaminis æquitate, sic isti serviant quòd illi non sæviant, ut nec isti subesse contemnant, nec illi contendant præesse. Volentes ergo vos, tanquam speciales filios, Apostolicæ protectionis brachiis amplexari firmum gerimus in deliberatione nostra propositum ad divini nominis gloriam & Apostolicæ Sedis honorem, quantùm cum nostra possumus honestate, vobis adversùs oppressionis incursum & gravaminis insolentiam nostrum patrocinium exhibere; quatenus per Apostolicæ protectionis auxilium in debito statu perseverare possitis,

Digitized by Google

tis, & inita jam concordia semper inter vos de bono in melius perseveret; sperantes & pro certo tenentes quòd vos nobis & Ecclesiæ Romanæ gratum semper devotionis & fidei debeatis obsequium impertiri; ut dum vos à nobis protectionis patrocinium susceperitis, & nos à vobis devotionis obsequium receperimus, utrinque grata debeat utilitas procurari. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus certam & firmam de nobis fiduciam obtinentes, qui, sicut Apostolicæ convenit gravitati, plus facere quàm promittere vobis intendimus, ea semper agere studeatis quæ ad honorem & profectum Ecclesiæ Romanæ proveniant, ut meritò debeatis ipsius favoris dextera communiri.

XIII. Post hæc dedit operam ad recuperandum Radicofanum, Aquampendentem, Montem Flasconem, atque Tuscanum; quæ tandem recuperavit non sine laboribus & expensis, liberans Aquampendentem ab Urbevetanis, qui eam acriter impugnabant. Misit præterea Nuntios & Legatos ad recuperandum Exarchatum Ravennæ, Brictonorium, & Terram Calvacae Comitis. Sed Archiepiscopus Ravennas asserebat Exarchatum antiquitus fuisse concessum à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Ravennati, & privilegia ostendebat. Brictonorium quoque concessum fuisse de novo ab Alexandro Papa, dum Venetiis moraretur. Supersedit ergo Dominus Innocentius prudenter ad tempus magis quàm super hoc vellet aliquid experiri. Permisit tamen ut Archiepiscopus Ravennas, salvo jure Apostolicæ Sedis, recuperaret Brictonorium & teneret.

XIV. Cùm autem per Legatos suos ad hoc specialiter destinatos requireret terram Comitissæ Mathildis à civitatibus detinentibus eam, licèt ipsæ civitates vellent eandem per Romanam Ecclesiam sub certis pactionibus recognoscere ac tenere, quia tamen pactiones illæ convenientes non erant, noluit ex ipsa terra quicquam concedere, præter id quod concessit Episcopo Mantuano, differens in aliud tempus idoneum, quia tunc ei solicitudo gravior supervenit ex divisione Imperii & turbatione regni Siciliæ, quibus eum intendere principaliter oportebat.

XV. Has autem munitiones ad manus suas Dominus Innocentius detinebat & custodiri faciebat per proprios Castellanos; in Tuscia, Radicofanum, Montem Flasconem, & Orclam; in Ducatu Spoletano, Gualdum, & Cese; in Sabinia, Rocam Anticuli; in Campania, Sariagum, & Castrum; in maritima, Roccam Cicergii. Apud Palatium Montis Flasconis fecit fieri Capellam, & removeri domos post palatium usque ad muros castri, construens hinc inde parietes à palatio usque ad muros illos, & in muro faciens largam portam, ut haberet ipsa munitio ingressum, non solùm communem per castrum, sed etiam proprium & specialem per illum locum. In Rocca de Radicofano fecit exaltari veteres muros, & novos construi, cavari fossatum, & locum bene muniri. Roccam verò Cicergii redemit à Rolando Guidonis de Leculo, cui Oddo & Robertus Frajapanis in feudum concesserant; quamvis eam ab Ecclesia Romana tenerent solius custodiæ ratione. Patrimonium autem Apostolicæ sedis in Tuscia diversis temporibus commisit regendum diversis personis, à quibus faciebat annuatim colligi fodrum per civitates & castra. In aliis autem regionibus proprium accipiebat (1) affictum.

XVI. Duo verò nobiles Guido & Nicolaus temporibus suis & prædecessorum suorum graviter Romanam Ecclesiam offenderunt, vulnerando, capiendo, & spoliando venientes ad eam, & redeuntes ab ipsa. Unde cùm Dominus Papa non posset id ulteriùs sustinere, mandavit Rectoribus patrimonii Beati Petri ut procedentes in Tusciam, eos, si moniti sponte contemnerent ad mandatum ejus redire, coërcerent invitos. Qui eos contemptores pariter & rebelles intra castrum Rispanpini obsederunt, vastantes segetes, & arbores incidentes, abducentes greges ipsorum, damnumque ipsis trium milium librarum & ampliùs inferentes. Cùmque pararent ligna, lapides, & cæmentum, ut ante præfatum castrum Rispanpini ad capiendum ipsum turrim ædificarent excelsam, prædicti nobiles protinus desperantes, ad mandatum ejus humiliter redierunt, sine aliqua conditione jurantes stare mandatis Domini Papæ super facto Vetrallæ, Petrognani, stratæ securitate, mattollectis, & Ecclesiarum indemnitate, ac insuper pacem ei, universis fidelibus suis peregrinis, & omnibus viatoribus fideliter observare, insuper bene munitum restituere castrum Marthæ, dantes fidejussoriam cautionem mille librarum Senensium super omnibus supradictis. Insuper Domino Papæ fidelitatem secundùm morem & consuetudinem aliorum fidelium juraverunt.

XVII. Circa verò suæ promotionis primordium Narnienses Nutriculum graviter molestabant. Quod licèt eis sub interminatione interdicti & banno mille librarum firmiter vetuisset, ipsi tamen inhibitione contempta castrum illud ceperunt & destruxerunt. Idem verò Pontifex justus & fortis fecit exercitum contra illos tam de Romanis quàm de forinsecis congregari, per quem graviora sunt quàm intulerunt damna perpessi; & tandem reædificato castro, bannum mille librarum ab illis accepit, jurantibus ejus stare mandatis, faciens ducentas libras præstari pro restauratione murorum.

XVIII. Quia verò longum esset explicare per singula quàm diligens & studiosus extiterit circa patrimonium Ecclesiæ reformandum, sufficiat dixisse pauca de multis, quia multa possunt excogitari de paucis; quamvis hanc solicitudinem quodammodo haberet exosam. (Unde sæpe dicebat: *Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea*) maximè quia labor erat magnus, & fructus parvus, & propter excrescentem malitiam homines non poterant facilè coërceri.

XIX. Cæterùm quò ampliùs cupiebat à secularibus negotiis expediri, eò magis est mundanis curis implexus. Defuncto namque Rogerio filio Tancredi Regis Siciliæ, quem pater in vita sua Regem constituens fecerat coronari, eique filiam Isacii Constantinopolitani Imperatoris duxerat in uxorem, consequenter etiam pater ejus præ nimio, sicut dicebatur, dolore defunctus est, relinquens tres filias & unicum filium parvulum nomine Guillelmum, quem mater ejus Sibilia coronari fecit in Regem. Regno igitur taliter destituto, Henricus Imperator adspirans ad illud occasione Constantiæ conjugis suæ filiæ quondam Rogerii primi Regis Siciliæ avi prædicti Tancredi, congregavit exercitum maximum de pecunia quam extorsit pro redemptione Richardi Regis Anglorum ne-

(1) *Cod. reg.* officium.

Digitized by Google

nequiter capti dum rediret de terra promissionis ab obsequio Crucifixi. Hic ergo regnum ingressus, sine pugna illud obtinuit, nemine resistente. Præfata verò Sibilia cum filio suo & filiabus, Salernitano quoque Archiepiscopo & fratribus ejus, recepit se in quodam castello Siciliæ; cum qua Imperator fecit de pace tractari; & concordaverunt pariter in hunc modum: Quòd Imperator interposito juramento concessit Guillelmo filio ejus & hæredibus suis Comitatum Licii, quem pater ejus Tancredus habuerat ante regnum, & addidit ei Principatum Tarenti, promittens salvare personas & res. Mox autem postquam eos in sua potestate habuit, occasione captata cepit illos & quosdam alios nobiles regni, eosque captivos in Theutoniam destinavit, faciens fratres præfati Archiepiscopi aliosque nonnullos privari luminibus oculorum, Archiepiscopum verò, Reginam, & filium ac filias, in arcta custodia detineri. Frater autem Imperatoris Philippus relictam præfati Rogerii filiam Imperatoris Constantinopolitani duxit uxorem; quam frater ejus Alexius luminibus orbans, Constantinopolitanum Imperium usurpavit.

XX. Henricus igitur Imperator, ex quo Regnum Siciliæ totum obtinuit, spolians illud auro & argento, & lapidibus pretiosis, rediit in Theutoniam cum ingenti triumpho, efficiens apud Principes ut filium suum Federicum infantem nondum duorum annorum, necdum etiam Baptizatum, in Regem Romanorum eligerent, eique fidelitatis juramenta præstarent; inter quos præfatus Philippus fidelitatis ei præstitit juramentum.

XXI. Quo facto, iterum venit Imperator in Regnum, & tandem apud Messanam præsente Imperatrice diem clausit extremum. Post cujus obitum quidam familiares ejus exeuntes de Regno, Marchualdus accessit in Marchiam, Conradus rediit in Ducatum, Philippus autem frater ipsius recepit se apud Montem Flasconem, & inde rediit in Theutoniam, patrimonium occupans universum. Remanserunt autem in Regno aliqui de Theotonicis, in Sicilia Guillelmus Capparonus, in Calabria Fredericus, in Apulia & Terra Laboris Dupuldus, & fautores ipsius, multas munitiones tenentes.

XXII. Post mortem Imperatoris, infra tres menses obiit Cœlestinus, & substitutus est Innocentius, rebus taliter & aliter variatis. Imperatrix verò Constantia reversa Panormum, misit ad Ducissam Spoleti, quæ filium suum in Marchia nutriebat, & perductum ad se coronari fecit in Regem, cœpitque cum illo regnare. Direxit autem incontinenti nuntios cum muneribus ad Dominum Innocentium, devotissimè postulans ut Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, cum cæteris adjacentiis, sibi & filio suo concedere dignaretur secundùm formam qua prædecessores ejus concesserunt illa prædecessoribus suis. Ipse verò sagacissimus Pontifex diligenter attendens quòd privilegium concessionis indultum primò ab Adriano, & renovatum postmodum à Clemente, super quatuor Capitulis, videlicet electionibus, legationibus, appellationibus, & Conciliis, derogabat non solùm Apostolicæ dignitati, verùm etiam Ecclesiasticæ libertati, mandavit Imperatrici ut illis capitulis renuntiaret omnino, cùm ea non esset aliquatenus concessurus. Tentavit illa propositum ejus muneribus immutare. Quod cùm efficere nequivisset, missis honorabilibus nuntiis, Anselmo Neapolitanensi Archiepiscopo, Aimerico Syracusanensi Archidiacono, Thoma Justitiario, & Nicolao Judice, post tractatum diutinum obtinuerunt concessionis privilegium innovari, capitulis illis omnino remotis, sub censu, fidelitate, ac hominio consuetis. Privilegium non pervênit ad illam mortis acceleratione præventam.

XXIII. Idem verò piissimus Pontifex ad liberationem captivorum clementer intendens, præsertim cùm per detentionem Salernitanensis Archiepiscopi nimis detraheretur Apostolicæ dignitati, statim circa suæ promotionis primordium misit Sutrinum Episcopum, natione Theotonicum, & Abbatem Sancti Anastasii Cisterciensis Ordinis, in Theutoniam, scribens Episcopis quatenus detentores eorum monerent, & si necesse foret, compellerent per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, ut illos dimitterent absolutos; comminando Principibus universis quòd nisi ad hoc impenderent operam efficacem, ipse totam Alamanniam supponeret Ecclesiastico interdicto. Quia verò Cœlestinus Papa prædecessor suus excommunicaverat præfatum Philippum Ducem Sueviæ, dum esset Dux Tusciæ, propter invasionem, & devastationem Apostolici patrimonii, & excommunicationem illam publicari fecerat etiam Henrico Imperatori, hanc formam dedit super ipsius absolutione præfatis Episcopo, & Abbati, ut quia superioris sententia per minorem relaxari non potest, & ob hoc oporteret eundem Philippum accedere ad Sedem Apostolicam absolvendum, ipsi tamen hoc modo remitterent ei laborem itineris, si præfatum Archiepiscopum liberaret, & recepto secundùm formam Ecclesiæ juramento quòd super omnibus pro quibus excommunicatus fuerat mandatis Apostolicis obediret, absolutionis ei beneficium exhiberent. Illi ergo in Theutoniam procedentes, invenerunt supradictum Philippum à quibusdam Principibus electum in Regem. Qui Guarmatiam ad ipsos accedens, de facto se fecit absolvi, non publicè, sed occultè, nec præstito juramento secundùm formam Ecclesiæ, sed promissione facta per stolam. Præfatum tamen Archiepiscopum, & fratres ipsius gratuitò liberavit. Post modicum autem idem Philippus fecit se inungi & coronari, non Aquisgrani, sed Maguntiæ, nec à Coloniensi Archiepiscopo, sed à Tarantasiensi; quia nullus Archiepiscoporum Theutoniæ id facere attentavit. Sed nec aliquis Episcoporum, qui fuerunt in illa coronatione præsentes, Pontificalibus indui præsumpserunt, præter solum Sutrinum, qui ad illud fuerat destinatus. Unde cùm ad Summi Pontificis præsentiam rediisset, veritate per propriam confessionem comperta, tum de forma neglecta, tum de præsumptione commissa, fecit eum extra suum Episcopatum usque ad finem vitæ manere. Pro prædictis verò captivis, licèt jam liberatis, adhuc tamen exulibus, rogavit Imperatricem per nuntium ad hoc specialiter destinatum, eisque restitutionis gratiam impetravit. Sed & Sibilia relicta Regis Tancredi cum filiabus suis ergastulum captivitatis evasit, & in Regnum Francorum confugiens, primogenitam suam Gualtero Brenensi Comiti tradidit in uxorem.

Coloniensis autem Archiepiscopus & quidam alii Principes tam Ecclesiastici, quàm Seculares, videntes se in electione Philippi fuisse contemptos, vocaverunt Othonem filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, Comitem Pictavensem, & apud Coloniam elegerunt in Regem, eumque Colo-

Digitized by Google

Coloniensis Archiepiscopus coronavit solemniter Aquisgranis; & sic facta est divisio in Imperio longo tempore duratura. Nam Othoni adhæserunt Coloniensis Archiepiscopus, & suffraganei universi. Præterea Cameracensis, & Padeburgensis, & illi deservientes Episcopi. Necnon Bremensis Archiepiscopus, Dux Lovaniæ, Dux Lumburgo, Comes Palatinus Rheni, Lantgravius Thuringiæ, multique Comites, itaque terram obtinuit ultra Mosellam à Cameraco usque Vidanam penè totam. Philippo verò reliqua terra cum cæteris Principibus se submisit; quamvis nec isti, nec illi firmiter adhærerent, sicut ex postfacto patebit.

XXIV. Interim autem Constantia Imperatrix cognoscens quòd perfidus Marcualdus machinabatur invadere Regnum, diffidavit eundem, & mandavit per literas suas eum tanquam hostem Regis & Regni ab omnibus evitari. Habebat etiam valde suspectum Gualterum Trojanum Episcopum, Regni Siciliæ Cancellarium; ita quòd subtraxerat illi sigillum, (Nam & fratres ipsius reduxerunt Marcualdum) sed ad multam intercessionem Summi Pontificis recepit illum in gratiam, ita quòd cùm eadem Imperatrix parum post annum à morte Imperatoris ageret in extremis, statuit eum familiarem Regium cum Panormitanensi, Montis-Regalis, & Capuano Archiepiscopis; Balium verò Regni Domino Papæ dimisit ab omnibus juramento firmandum, quoniam ad eum spectabat tanquam ad Dominum principalem; constituens ut singulis annis durante Balio perciperet de proventibus Regis triginta millia tarenorum, & si quas expensas pro Regni foret defensione facturus, omnes sibi ex integro redderentur; sicque debitum carnis exsolvit, Rege pupillo in familiarium custodia derelicto. Marcualdus autem regressus in Regnum, ad occupandum illud totis viribus intendebat, prætendens quòd ex testamento Imperatoris ipse debebat esse Balius Regis & Regni. Statim ergo Dominus Papa Gregorium Sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem Legatum in Siciliam destinavit, ut ibi cum familiaribus Regis de Regni negotiis ordinaret. Qui profectus, recepit ab eis Balii juramentum, & fecit illud ab aliis per Siciliam exhiberi. Verùm quia non bene intendebatur ei à familiaribus Regis, & præsertim à Cancellario, qui dedignabatur eum superiorem habere, cùm & omnes non Regiis, sed propriis utilitatibus insudarent, post non multum temporis ad Sedem Apostolicam est reversus, nuntiis cum literis Regis per Regnum transmissis ut ab omnibus Domino Papæ juramentum Balii præstaretur. In Terram verò Laboris Dominus Papa direxit Johannem Tituli Sancti Stephani in Cœlio-Monte Presbyterum, & Girardum Sancti Adriani Diaconum Cardinales, ut Civitates, Comites, & Barones inducerent ad resistendum perfido Marcualdo, qui congregato exercitu intendebat in primis capere Monasterium Casinense, ut ingressum Regni liberum obtineret. Cùm ergo Casinensis Abbas in instantis necessitatis articulo Summi Pontificis auxilium imploraret, misit nobilem virum Landonem de Montelongo, Consobrinum suum, Rectorem Campaniæ, cum quingentis penè militibus, & centum archariis conductis ad solidos, qui cum præfatis Cardinalibus receperunt se in Villa Sancti Germani, ut eam defenderent contra impetum Marcualdi. Homines autem ipsius Villæ, tanquam pusillanimes & imbelles, illo veniente fugerunt ad Montem Casinum cum filiis & uxoribus suis; & post eos, Cardinales & milites discesserunt. Cardinales verò cum habitatoribus mille infra Monasterium sunt recepti, & milites cum archariis se in vallo ante Monasterium receperunt, quos capta Villa & spoliata Marcualdus obsedit, æstimans eos ad deditionem posse compellere propter inopiam victualium, aliorumque necessariorum defectum. Quo audito, Summus Pontifex vehementer doluit; statimque misit Jordanum Tituli Sanctæ Pudentianæ Presbyterum Cardinalem, & Octavianum Subdiaconum Consobrinum suum, cum unciis auri mille quingentis, ad Petrum Comitem Celanensem, ut cum eo, prout meliùs possent, efficerent quatenus obsessis saltem in victualibus subvenirent. Ipse verò aurum recepit, & distribuit illud militibus suis, propriam magis utilitatem, quàm obsessorum necessitatem attendens. Nam vix tandem fecit illuc intromitti aliquas saumas farinæ. Sed illi, licèt in multa penuria & timore essent, restiterunt tamen viriliter & constanter; ita quòd cùm quosdam corrupissent pecunia de exercitu Marcualdi, & ad suum præsidium attraxissent, idem Marcualdus post duos menses ab obsidione recessit, aliquisque malo fuit usus in illo. Nam captâ villâ, & fugatis militibus, tantus omnes terror invasit, quòd si cum illo triumpho protinus processisset, penè nullos invenisset suæ malitiæ resistentes. Sed interim timore sedato, spirituque resumpto, ad resistendum ei se plurimi paraverunt. Ille verò non solùm viribus, sed & fraudibus insistebat, ut præconceptam malitiam duceret ad effectum; & licèt quosdam viribus superasset, alios verò fraudibus decepisset, non tamen potuit prævalere, cùm Summus Pontifex obstaculum sibi poneret in omnibus viis suis. Sperans autem quòd eum posset inclinare promissis, per Conradum Maguntinensem Archiepiscopum de Hierosolymitanis tunc partibus redeuntem, & sæpe per alios secretè fecit, & cautè tentari utrum eum posset oblatione munerum mitigare, promittens, quòd si solummodo ab ejus impedimento cessaret, quamvis nullum sibi præstaret auxilium, incontinenti daret ei valentiam auri viginti millium unciarum, & postquam obtinuisset Panormum, totidem sibi auri uncias exhiberet, ligiam sibi fidelitatem præstaret, duplicaret censum, & multiplicaret obsequia, quæ Romani Pontifices de Regno Siciliæ consueverunt habere, ipsumque Regnum ab Apostolica Sede immediatè teneret. Nec debebat obstare, quòd Summus Pontifex Regem Infantulum in sua cura susceperat, quia, sicut ipse firmiter asserebat, puer ille nec Imperatoris, nec Imperatricis filius fuerat, sed suppositus partus, quod testibus adstruere promittebat. Porrò Summus Pontifex tantam ipsius iniquitatem attendens, promissiones & oblationes ipsius execrabiles judicavit. Cùmque non posset hoc modo proficere, ad aliam se fraudem convertit, proponens quòd reconciliari vellet Ecclesiasticæ unitati. Sed cùm fuisset illi responsum, quòd oporteret eum juramento firmare ut super omnibus pro quibus excommunicatus erat mandatis Apostolicis obediret, respondit quòd in spiritualibus absolutè parêret; in temporalibus autem justis mandatis parendi præstaret juratoriam cautionem. Quod cùm sibi fuisset assertum, quia propter eum consueta forma jurandi nullatenus mutaretur, tandem in scriptis promisit, quòd super omnibus pro quibus excommunicatus erat juraret absque pacto quolibet, & teneret se universis man-

mandatis Apostolicis pariturum. Licèt autem Dominus Papa fraudem ipsius haberet valde suspectam; quia tamen redire volentibus non est aditus Ecclesiæ obserandus, misit Verulas in Campaniam Octavianum Ostiensem Episcopum, & Guidonem Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim Presbyterum, ac Hugolinum Sancti Eustachii Diaconum Cardinales, ut dictum Marcualdum illuc ad eorum presentiam accedentem sub forma reciperent suprascripta. Qui cùm venisset, post multas altercationes prædicto modo juravit, rogans Episcopum, & Cardinales prædictos ut ad faciendum mandatum descenderent ad Monasterium Casemarii, dictæ civitati vicinum, ut coram sociis suis, quorum illic remanserat multitudo, audiret usus hac fraude, ut cùm à loco munito ad locum descenderent immunitum, non auderent ei grave proferre mandatum. Acquievit Ostiensis Episcopus, seductus consilio nobilis viri Leonis de Monumento Consobrini sui, qui reconciliationis hujusmodi fuerat mediator. Acquieverunt & alii, licèt improvidè ipsius Ostiensis Episcopi persuasione seducti. Cùmque ad præfatum Monasterium descendissent, paratum est illis convivium, in quo præfatus Marcualdus eis accuratissimè deservivit, & sub finem convivii submurmuratum est, quòd capi deberent, ut sic territi mandatum quod displiceret illi facere non auderent. Vehementer ergo confusi, quid facerent ignorabant. Sed præfatus Hugolinus Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis, resumpto spiritu fortitudinis, coram omnibus qui convenerant ad audiendum mandatum, protulit scriptum Bullâ Domini Papæ munitum, in quo mandatum, quod illi faciendum erat, continebatur expressum; & ait: Ecce mandatum Domini Papæ. Nos aliud facere non valemus. Hanc autem cautelam Summus Pontifex adhibuerat, tum propter se, tum propter illos. Mandatum est ergo illi, sicut continebatur in scripto, sub debito præstiti juramenti, ut à Balio regni, invasione quoque, ac molestatione per se, ac suos omnino desisteret, nec ipsum aut patrimonium Beati Petri aliquatenus molestaret, universa quæ de regno per se, vel suos violenter, ac fraudulenter invaserat restitueret quæ haberet; quæ verò detinerentur ab aliis, pro posse suo restitui faceret bona fide; super damnis autem, & injuriis irrogatis, præsertim Ecclesiæ Romanæ, ac Monasterio Casinensi, satisfaceret competenter secundùm dispositionem Summi Pontificis, & proprias facultates; in Clericos & viros Ecclesiasticos manus de cætero non injiceret, nec injici faceret violentas; Cardinales & Legatos Apostolicæ Sedis nec spoliaret nec caperet, nec spoliari nec capi faceret, aut etiam obsideri; nisi forsan, impugnatus ab eis, in defensionem propriam id facere cogeretur; non quòd id ei diceret tunc licere; sed quia hoc ei non interdicebat ex debito juramenti.

XXV. Audito mandato, factus est ingens tumultus in populo. Sed ipse Marcualdus, quamvis valde commotus, non tamen permisit ut in Cardinales committeretur aliquid inhonestum; quin potiùs usque Verulas eos in propria persona conduxit, proponens quòd ad præsentiam Summi Pontificis vellet accedere, ut ei quædam secretissima patefaceret, quæ nulli alii revelaret. Unde petebat ut præscriptum mandatum interim suspendere dignarentur. Literas tamen suo sigillo munitas in testimonium destinavit, quòd præscriptum juramentum præstiterat, & mandatum receperat suprascriptum.

Sed ad vomitum rediens, post absolutionem suam literas Domino Papæ direxit, in quarum salutationis alloquio fraudem ejus perpendit, in eo quòd salutatio talis erat: *Reverendo in Christo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Sanctæ Romanæ Sedis Summo Pontifici, Marcualdus Imperii Senescalcus &c. salutem & obedientiam tam debitam, quàm devotam*. Et in aliis sic erat expressum: *Marcualdus Imperii Senescalcus, & id quod est devotum obedientiæ famulatum*; tanquam nec ex toto supprimeret, nec exprimeret manifestè quòd regni Balius & Procurator existeret, sicut se priùs in suis literis consueverat appellare.

Misit etiam literas, non solùm intra Regnum, sed extra, significans quòd ipse reconciliatus erat Summo Pontifici, tantamque gratiam in oculis ejus invenerat, quòd concesserat ei ut Balium Regni gereret, & duos ei deputaverat Cardinales, qui ad intendendum sibi compellerent universos. Super quibus cùm redargutus fuisset à Cardinalibus, apertè rescripsit, quòd nec pro Deo, nec pro homine mandatum, quod sibi fecerat Summus Pontifex observaret. Unde Dominus Papa per totum Regnum nuntios, & literas destinavit, significans totum processum negotii, & ipsius perfidiam manifestans, districtè præcipiens universis ut eum, tanquam excommunicatum, perjurum, hostem, & proditorem vitarent.

Ipse verò cognoscens se sua intentione fraudatum, cœpit subtiliter machinari qualiter posset in Siciliam transfretare, suam ibi nequitiam liberiùs impleturus. Et cùm quosdam sibi comparasset fautores, transivit, & cœpit mala quæ poterat operari, dimittens suæ iniquitatis complices & fautores, Diupuldum, Otthonem & Sifridum Fratres ipsius, Conradum Sorellæ, Otthonem de Laviano, & Fredericum Maluti, & quosdam alios, multas ex hac parte Phari munitiones tenentes, qui omnes cum illo de vanitate convenerant in idipsum. Cùm ergo per illum mala super Siciliam multiplicari cœpissent, familiares Regis ad Summum Pontificem clamare cœperunt ut eis cum exforcio mitteret protectorem. Misit igitur C. Tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, & nobilem virum Jacobum Consobrinum, & Marescalcum suum cum ducentis militibus pecuniaria mercede conductis; quibus adjunxit Anselmum Neapolitanensem, & Angelum Tarentinensem Archiepiscopos, viros industrios & prudentes, quorum studio & consilio uterentur. Qui profecti, Fredericum in Calabria compresserunt totam Provinciam devastantem; & inde pervenere Messanam civitatem Ecclesiæ fidelissimam, quæ nunquam in hac tempestate à via regia declinavit.

XXVI. Interim autem Gualterus Comes Brenensis, qui primogenitam filiam Regis Tancredi duxerat in uxorem de captivitatis ergastulo cum matre & sororibus redeuntem, vir utique fortis, nobilis, strenuus, & magnanimus, ad Apostolicam Sedem accessit, postulans humiliter & instanter justitiam sibi fieri de his quæ ad uxorem ejus in Regnò Siciliæ pertinebant. Constabat enim, quòd pater ejus Rex Tancredus Regnum Siciliæ obtinuerat, & post eum filius ejus Willelmus in Regni solium fuerat sublimatus; cui Henricus Imperator tempore Cœlestini Papæ abstulit Regnum, & sic tandem cum illo composuit quòd concessit ei, & hæredibus

Digitized by Google

dibus suis Comitatum Licii, & Principatum Tarenti, concessionem hujusmodi tam suo, quàm suorum juramento confirmans. Sed postquam eum, matrem, atque sorores ipsius in sua obtinuit potestate, captivos in Theutoniam destinavit; de qua vix tandem, ipso puero in captivitate defuncto, mater & sorores ejus per mandatum Apostolicum evaserunt. Cœpit ergo Dominus Papa multipliciter dubitare quid ei super petitione prædicti Comitis esset agendum. Nam ipse Comes Frederico puero Regi Siciliæ filio prædicti Imperatoris videbatur non immeritò esse suspectus, tanquam qui suorum intenderet injuriam vindicare. Sed è contrario dubitabat ne si omnino ipsius Comitis repelleretur petitio, ipse se Regis hostibus jungeret, & sic fieret error novissimus pejor priore. Deliberavit igitur diligenter, non solùm cum Cardinalibus, sed & cum aliis viris prudentibus; & in hoc tandem universorum resedit consilium ut jus quod uxor prædicti Comitis ex concessione Imperatoris habebat in Comitatu Licii, & Principatu Tarenti recognosceretur illi, ne justitiam denegaret. Ut autem contra suspicionem præfato Regi caveret, in publico Consistorio, adstante multitudine copiosa, subscriptum ab ipso Comite juramentum recepit. Et ne familiares Regis scandalizarentur ex hoc, si fortè antequam eis hujusmodi facti causam exponeret concessisset præfato Comiti literas pro Principatu Tarenti & Comitatu Licii obtinendo, protinus misit eis literas in hunc modum.

Nuper dilectus filius nobilis vir Gualterus Comes Brenensis cum nobili muliere S. relicta quondam Regis Tancredi & filia ipsius uxore sua, cum Militibus etiam & aliis multis, ad Apostolicam Sedem accedens, ex parte ipsius uxoris suæ ac sororum ejusdem petitionem nobis offerre curavit super assignando sibi Principatu Tarentinensi & Comitatu Liciensi vel justo excambio pro ipso Comitatu, juxta concessionem quam Henricus quondam Imperator super iis Willelmo quondam filio Regis ejusdem & ipsius hæredibus fecisse publicè noscebatur, cùm contra eum nec idem Willelmus nec sorores ipsius in aliquo deliquissent, utpote qui ætatis beneficio excusantur. Nos igitur ejusdem Comitis nobilitatem & potentiam attendentes, cùm etiam eum multi sequantur, & plures sint in proximo sequuturi, utpote quem dilecti filii Campaniæ & Flandriæ Comites proxima linea consanguinitatis attingunt. qui jam crucis signaculum assumpserunt in Terræ Sanctæ succursum & ipsius Comitis subsidium profecturi, deliberavimus quid esset agendum, utrum scilicet eum ad Regis traheremus obsequium, an pateremur hostilem animum assumere contra regnum. Cognoscentes ergo petitionem ipsius secundùm ea quæ intelleximus esse justam, favorem ei Apostolicum super ipsa petitione duximus impendendum; ne si ei forsitan justa negaremus, quasi desperans regni hostibus adderetur, vel per seipsum fortior Regis fieret inimicus, & fieret error novissimus pejor priore. Procuravimus igitur & obtinuimus apud ipsum studio diligenti, multa consilii deliberatione præhabita, quòd exhibuit nobis supra crucem & reliquias juratoriam cautionem quòd nec per se nec per alium machinabitur quicquam contra personam Regis, honorem ipsius, & regnum Siciliæ; sed cùm assequetur Principatum & Comitatum prædictos, vel justum excambium, ad mandatum nostrum præstabit eidem Regi fidelitatem, & hominium exhibebit, & nobis tam Regis tutelam quàm regni Balium assecurabit proprio juramento, & quòd bona fide pro posse suo ad defensionem Regis & regni studebit contra hostes ipsius, nominatim contra Marcualdum, Diupuldum, Oddonem de Lavanio, & fautores ipsorum. Similiter autem S. uxor & filia quondam Regis Tancredi, uxor ipsius Comitis, juraverunt quòd id quantum in eis est fideliter observabunt & procurabunt apud eundem Comitem ut inviolabiter observetur. Quòd si forsan contra præstitum juramentum idem Comes vel uxor ipsius per se vel alium quacunque tentaret occasione venire, præter reatum perjurii, excommunicationis in personas & interdicti sententiam in terram incurrerent, & ab omni jure, si quod eis non solùm in prædictis terris sed & in regno etiam competeret, caderent omnino. Super quibus omnibus fideliter observandis fidejussores idoneos idem Comes nobis quos poterit exhibebit. Volentes igitur honori vestro deferre priùs quàm ei Principatum & Comitatum prædictos vel justum faceremus aut etiam mandaremus excambium assignari, id vobis duximus intimandum, ut præter vestram conscientiam non agatur; fraternitatem vestram monentes & exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus infra vos ipsos diligentiùs attendentes & justitiam & potentiam Comitis antedicti, qui per se ac suos Regi ac regno poterit utiliter deservire, & hostes ipsius potenter ac viriliter expugnare, necessitatem quoque regni & egestatem, quod peccatis exigentibus non solùm supervenientem sed nec etiam imminentem persecutionem sufficit sustinere, procuretis prudenter & cautè ut quod ad justitiam ejus pertinere dinoscitur, sine turbatione qualibet compleatur; scituri quòd idem Comes, quem experimento cognovimus esse virum industrium & prudentem, & quem Deum timere credimus, & præ omnibus animæ suæ affectare salutem, nobis firmiter repromisit quòd tantum ac tale, dante Domino, Regi & regno contra hostes suos servitium exhibebit quòd non solùm ab eo non molestabitur super istis, sed majora merebitur obtinere. Quòd si forsan vobis visum fuerit ut ampliùs per eundem Comitem possimus Regi & regno cavere, id per vestras nobis literas intimetis; ut de consilio vestro cautionem quam expedire videritis exigamus ab ipso, & recipiamus exactam.

Cùm autem Gualterus Trojanus Episcopus, regni Siciliæ Cancellarius, apud Messanam has litteras recepisset, commotus est vehementer; & convocato populo, intentionem Summi Pontificis in impetu spiritus modis quibus potuit studuit depravare, magis sibi timens quàm Regi; quia cùm ipse cum omnibus suis semper opposuisset se Regi Tancredo, verebatur ne præfatus Comes, qui filiam ejus duxerat in uxorem, si potens efficeretur in regno, in eum & suos se acriter vindicaret. Memoratus verò Comes, uxore ac socru dimissis, in Franciam est reversus, ut exercitu congregato veniret ad obtinendam terram præscriptam & ad hostes regios expugnandos.

XXVII. Interea Marcualdus, attractis sibi Sarracenis Siciliæ, multisque sibi nobilibus sociatis, in tantum profecit quòd obtentis multis civitatibus & castellis, venit usque Panormum, & civitatem ipsam fortiter impugnabat. Unde oportuit Legatum & Marescalcum Summi Pontificis, qui Messanæ cum præfato Cancellario mo-

Digitized by Google

morabantur, accelerare Panormum. Quid autem de ipsorum adventu provenerit, literæ Anselmi Neapolitanensis Archiepiscopi ad Dominum Papam transmissæ testantur; quarum tenor est talis.

Bona quæ vestrarum orationum intervenientibus meritis operatus est Dominus his diebus, vobis Domino meo, sicut vidi propriis oculis, studui declarare. Noverit itaque sanctitas vestra me cum tribus galeis & uno bussio Apulorum, qui me vestri gratia cum Magistro Bartholomæo scriptore vestro & mea tota familia honorificè perduxerunt, feliciter applicuisse Panormum, die videlicet decimaseptima præsentis mensis Julii; quo etiam die, sicut Domino placuit, & hora eadem, Dominus Cardinalis cum Dominis omnibus Curiæ, excepto Cataniensi, & exercitu regio pariter pervenere Panormum. Factum est autem gaudium in civitate, pro eo præcipuè quòd occasione Marcualdi nequissimi, qui eam cum Sarracenorum gente nefaria per viginti dies continuos tenuerat strictè nimis & detinebat obsessam, summa jam videbatur inopia laborare. Die ergo eodem exercitus Regis extra civitatem, in viridario scilicet Regis quod dicitur Januardum, castra sunt posita, ut statim die sequenti campalis fieret cum inimico congressio. Sed homo versutus & callidus, mox ut applicuisse præsensit exercitum, per Raynerium de Manente verba pacifica transmisit in dolum, ut partis nostræ, si posset, infirmiora cognosceret, & quas de hora præstolabatur in horam vires interim recipiens cumularet. Noverat etiam pecuniæ nostræ defectum, & quòd propter importunam murmurationem stipendiariorum & instantiam belli erat nobis periculosa dilatio. Et ideo verbis detinendo sive decipiendo nos dulcibus illaqueare credebat; fecissetque votis satis, præsertim cùm jam audientium animos ad pacis suæ concordiam inclinasset, nisi consilia Principum Dominus desuper, qui novit omnia antequam fiant, & cogitationes hominum à longè considerat, dissipasset. Omnibus enim diversis & variis linguis quæ in exercitu erant regio congregatæ voluntatem & vocem contulit uniformem, ut omnes unanimiter dicerent, omnes una voce clamarent: Pacem excommunicati respuimus, inimici Dei & hominum concordiam penitùs sine omni consilio refutamus. Verùm propter hæc verba nec ille pacem suam desistebat expetere, nec tractatores nostri quæ ab eo proponebantur seu postulabantur audire. Et cùm ferè finis jam esset & murmurantibus omnibus pax consummari deberet, quæ nostræ partis pro certo continere videbatur incommodum, nec ad nostrum spectabat honorem, Magister Bartholomæus scriptor vester, qui nostram & Ecclesiæ Dei injuriam æquanimiter tolerare non potest, audiens quòd ista concordia in odium contemptumque vestrum fieri debebat, & quòd etiam toti regno poterat esse damnosa, literas prohibitionis vestræ produxit in medium, & ubi præter devotissimum vestrum Dominum Montis Regalis, tres erant alii Domini congregati pro tractanda immo perficienda dicta concordia, videlicet Cancellarius, & Domini Messanensis, & Cephaludensis, præsente jam dicto Raynerio nuntio Marcualdi, protulit & assignavit literas vestras, firmiter prohibens eis, juxta tenorem mandati, ut cum Marcualdo nequissimo pactum non facerent neque finem. Factum est itaque ut tum pro mandato vestro, tum quia totius exercitus & populi Panormitani tumultus nimis crescebat & murmur, post diem quartum inter Panormum & Montem Regalem, quem Marcualdus vi ceperat & tenebat, ab hora Tertiæ usque ferè ad Nonam fuit hinc inde fortissimè præliatum, & tamdem, sicut Domino placuit, promerentibus sanctis orationibus vestris, post multas partis adversæ strages, mutilationes, & cædes, per egregii viri Domini Marescalci vestri subsidium, qui cum suis in extremo locatus castellum tenebat, immo ipse castellum erat exercitus, optatum habuimus de inimico triumphum. Ut enim aliquantulum pleniùs eloquar, primi nostri, qui erant in prima belli facie constituti, licèt in primis viriliter fecerint, quamplures prostraverint & occiderint, multitudinem tamen illorum qui in ipsos insimul irruerunt non valentes sustinere, bis terga dedisse coacti sunt, & benedictus à Domino Marescalcus bis eos recepit & defendit incolumes; & dum nimis urgeret ac premeret Theutonicorum & Agarenorum pars alia, benedictus à Domino Marescalcus & sui unanimiter & animosè congressi, in hora una, in puncto uno, castra verterunt, fugaverunt, receperunt, ceciderunt, & occiderunt, sequentes & persequentes, donec illi qui gladium evaserunt, loca castrorum cum omnibus tentoriis & rebus suis desererent, & se per aspera montium, per concava vallium & defossa terrarum dispergerent; & in viam perditionis abirent. Quidam autem Pisani, ut dictum est, numero quingenti vel ampliùs quibus quidam præerat nomine Benedictus, qui & ipse Pisanus, Montis Regalis montana tenebant, & infinita Sarracenorum multitudo erat ibi cum eis ad custodienda loca debilia constituti. Sed quàm primò nuntiatum est bellum, pedites nostri cum Comite Gentili & Comite Malgario & quibusdam Militibus aliis potenter ascenderunt, transcenderunt, & obtinuerunt montana, & omnes ferè quot ibi inventi sunt in ore gladii posuerunt. Benedictus autem ille qui præerat, cum paucis dicitur evasisse. Sed & quidam Sarracenus nomine Magded, qui omnium erat Magister & Dux, ibi quoque truncatus & mortuus fuit. Marcualdus verò quò & cum quot aut quibus de suis aufugerit, adhuc nescitur: Scimus autem quia ille nuper hominum & diaboli mediator Raynerius de Manente captus est, & in carcere positus, & multi alii de majoribus & melioribus, quorum nomina nescio, de exercitu Marcualdi. Quot autem & qui sunt occisi, nescimus. Scimus autem multos & optimos fuisse. Spolia eorum multa & pretiosa fuerunt, ita quòd totus ille dies vix ad exportandum sufficcit. Hæc est ergo, Domine, dies quam fecit Dominus, optatæ redemptionis & lætitiæ; dies in quo magnificatum & benedictum est nomen vestrum; dies, inquam, quæ & nobis de hoste victoriam contulit, & viro egregio Marescalco cum omnibus suis nomen acquisivit æternum. Faciat Deus ut ei respondeatur secundùm merita sua bona, immo præclara opera sua. Vobis autem eum non commendo, quia opera sua valde bona eum apud vestram magnificentiam recommendant.

XXVIII. In hac fuga perdidit Marcualdus universam supellectilem suam; & inventum est in quodam scrinio testamentum Imperatoris Henrici aureâ bullâ signatum, in quo inter cetera hæc de verbo continebantur ad verbum. *Imperatrix consors nostra, & filius noster Fredericus, Domino Papæ & Ecclesiæ Romanæ exhibeant omnia jura quæ à Regibus Siciliæ consueverunt habere, & Domino Papæ securitatem faciant, sicuti*

Reges

Digitized by Google

Reges Siciliæ Summo Pontifici & Romanæ Ecclesiæ facere consueverunt. Si verò prædicta consors no ra præmoreretur, filius noster secundùm ordinationem suam remaneat. Et si filius noster sine herede decesserit, regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniat. (Si verò filius noster præmoreretur, dilecta consors nostra regnum in vita sua teneat, & post mortem suam regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniat.) De Imperio ordinamus quòd Dominus Papa & Ecclesia Romana illud filio nostro confirment; & pro hac confirmatione Imperii & regni volumus quòd tota terra nostra Comitissæ Mathildis restituatur Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, præter Medisinam & Argelatam cum earum pertinentiis. Et insuper ordinamus & volumus ut tota terra de Ponte Payle, cum monte Fortino, liberè dimittatur Domino Papæ usque Ceperanum, & quòd Ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis. Insuper præcipimus Marcualdo Senescalco nostro ut Ducatum Ravennæ, terram Brittonorii, & Marchiam Anconitanensem recipiat à Domino Papa & Romana Ecclesia, & recognoscat etiam ab eis Medisinam & Argelatam cum suis pertinentiis. De quibus omnibus bonis securitatem ei juret, & fidelitatem ei faciat, sicut domino suo. In morte verò sua, si sine herede decesserit, Ducatus Ravennæ, terra Brittonorii, & Marchia Anconæ, Medisina, & Argelata cum suis pertinentiis in dominio Romanæ Ecclesiæ remaneant.

XXIX In tantum autem præfati Marescalci strenuitas & prudentia, non solùm Regi, & familiaribus ejus, verùm etiam universis Comitibus & Baronibus & omnibus tam indigenis quàm extraneis grata extitit & accepta ut ei communi omnium consilio & favore Comitatus Andriæ donaretur, regali privilegio aurea bulla munito super ipsius sibi concessione collato. Quia verò familiares Regis necessarias sibi & suis denegabant expensas, & propter nimium æstatis ardorem milites sui jam inceperant graviter infirmari, compulsus est ad propria remeare; multamque pecuniam Dominus Papa fecit militibus elargiri, tum pro stipendiis & muneribus, tum pro equis & armis; quoniam propter quasdam expensas quas fecerant in Sicilia, nihil penitùs à Regis familiaribus acceperunt.

XXX. Tunc temporis defuncto Panormitanensi Archiepiscopo, metropolis Panormitana vacabat; ad quam præfatus Cancellarius vehementer adspirans, usque adeo laboravit quòd fecit se in Archiepiscopum postulari, eandemque postulationem per præfatum Legatum admitti, Summo pontifice penitùs inconsulto. Et quamvis nondum Palleum recepisset, nedum etiam postulasset, Panormitanensem tamen Archiepiscopum & re & nomine se gerebat. Quod cùm ad Summi Pontificis notitiam pervenisset, redarguit valde Legatum quòd in tanto negotio circa talem personam processerat antè quàm suum beneplacitum perquisisset. Ut tamen illi deferret, de multa benignitate concessit ut idem Cancellarius tam in spiritualibus quà in temporalibus procurationem gereret metropolis antedictæ; sic tamen ut se, sicut priùs, Trojanum Episcopum appellaret, &, si vellet, Ecclesiæ Panormitanensis procuratorem sive ministrum. Sed ipse spiritu elationis inflatus, hujusmodi gratiam dedignatus est acceptare; quin potiùs ad infamandum Summum Pontificem, de facto Brenensis Comitis nec linguam nec calamum voluit cohibere.

XXXI. Sæpefatus autem Comes Gualterus Brenensis, congregatis militibus, non multis quidem sed strenuis, Romam cum illis concito cursu pervênit; nonnullis ejus audaciam subsannantibus, quòd cum tam modica manu vellet regnum intrare. Quo audito, Diupuldus, & complices ejus in unum se pariter collegerunt, modis omnibus laborantes ut ejus impedirent ingressum. Porrò Dominus Papa cognoscens quòd ipse cum tam paucis militibus absque strage suorum & sua regnum ingredi non valeret, tum quia longè major erat cum adversariis multitudo, tum quia ipsi, scilicet adversarii, munitiones in ingressu regni tenebant, misertus ipsius, quingentas auri uncias concessit eidem, ex quibus colligeret sibi milites, quorum suffragio regnum intraret; deditque sibi literas ad Comites & Barones, Castellanos, & cives, ut eum reciperent & juvarent. Qui collectis militibus intrepidus regnum intravit, & receptus à civibus Theatinensibus, cùm eorum recepisset castellum, Capuam est profectus; sed à Capuanis non est infra civitatem admissus. Diupuldus igitur & complices ejus collecta multitudine copiosa circa Capuam, ei obviam processerunt, putantes eum & suos uno impetu deglutire. Cùmque hinc inde acies fuissent instructæ, pugnatum est satis durè. Sed Domino protegente fideles ab infidelibus, præfati excommunicati sunt in fugam conversi; ex quibus aliqui cæsi, aliique sunt capti. Tunc egressi Capuani cives diripuerunt spolia multa derelicta, Comite cum suis prosequentibus fugientes; sicque data est illi à Deo victoria insperata. Petrus ergo Comes Celani, confœderatus illi, retinuit illum plusquam per mensem ad obtinendum Comitatum Molisii, cujus suffragio majorem partem ipsius obtinuit Comitatûs. Cecidit enim terror ejus in eos qui suam & suorum fortitudinem audiebant; compressisque Theotonicis qui ante adventum ipsius per regnum liberè discurrebant, descendit pacificus in Apuliam; & redditæ sunt ei quædam civitates & villæ pertinentes ad Principatum Tarenti, videlicet Matera, Hydruntum, Brundusium, aliæque quamplures. Obtinuit etiam Melfiam, Barolum, Montem Pilosum, & quasdam alias civitates & villas quæ suæ se custodiæ submiserunt. Cœpitque pugnare contra Monopolitanenses & Tarentinenses & quosdam alios qui dominationem ejus recipere noluerunt. Castellum quoque Licii potenter obtinuit; multaque magnalia prudenter exercuit, quæ longum esset per singula enarrare.

XXXII. Gualterus autem Trojanus Episcopus, & Regni Siciliæ Cancellarius, quasi totum sibi usurpavit inter familiares regios dominatum, ita quòd, tanquam Rex esset, conferebat & auferebat Comitatus & Baronias, instituebat Justitiarios & Camerarios, Secretarios & Stratigotos; vendebat & impignorabat dohanas, & bajulationes accipiebat, & expendebat redditus & proventus; quin etiam familiares instituebat regios quos volebat, immemor Apostolicæ jussionis quam ipse cum aliis sibi fieri postulaverunt in hæc verba: *Probibemus ut domanium Regis nullatenus distrahatur, nec titulo quolibet obligetur, nisi evidentissima urgente necessitate, utpote si exercitum terra vel mari oporteat congregari; & tunc redditibus propter hoc pignori obligatis, accepta pecunia in obsequio regio per manus Secretariorum utiliter expendatur. Præsentium quoque tenore duximus inbibendum ut nullus vestrum, qui Regi familiariter adhæretis, nisi ex communi omnium voluntate, vel ex majori saltem* parte

Digitized by Google

parte consilii sanioris, aliquod arduum regni negotium audeat explicare, vel percipere quicquam de fisco præsumat. Regis quoque matrimonium minimè consummetur, nisi assensu nostro primitus requisito. Præcipimus etiam ut nullus Secretariorum alicui personaliter de familiaribus Regis intendat, aut aliquid ei de fisco persolvat, nisi omnibus assentientibus, vel majori & saniori parte volente; per quos thesaurum nuper inventum jubemus studiosiùs custodiri. Gravat etiam nos admodum & perturbat quòd cùm perfidus Marcualdus sit per vires nostras & regias Domino Deo faciente contritus & ad nihilum ferè redactus, quidam, ut audivimus, in dispendium Regis & regni contra nostri formam mandati pacem cum eo facere moliuntur; ut qui judicio jacet divino prostratus, hac dolosa pace resumptis viribus resurgat concitus ad nocendum. Ne igitur tam fraudulenta pax, quæ pernicies deberet potiùs nominari, perveniat ad effectum, per Apostolica scripta districtiùs inhibemus quatenus nemo, cujuscunque conditionis aut ordinis, de clero vel populo, pacem hujusmodi cum eodem perfido facere vel inire præsumat; sed ut ex majori parte jam victus, ex toto vincatur, contra ipsum agatur fortiter & prudenter. Ceterùm quia pax & tranquillitas Regi & regno super omnia expedire probatur, volumus & mandamus ut si Sarraceni sufficientem præstiterint cautionem quòd inimicis Regis de cetero non adhæreant, & in ejus fidelitate ac obsequio firmi & stabiles perseverent, pace cum ipsis integrè reformata, eos in gratiam pietatis regiæ revocetis, eisdemque Sarracenis aliisque proditoribus regni sine dubitatione scituris quòd si forsan his & aliis mandatis nostris, quæ pro Regis honore regnique salute transmittimus, contraire præsumpserint, nos ad eorum rebellionem & superbiam edomandam constantiùs accingemus, & Principes etiam Christianos, qui ad subsidium Terræ Sanctæ festinant, in eorum confusionem auctore Domino potenter assurgere faciemus. Salva in omnibus supradictis auctoritate Legati vel ejus cui vires nostras duxerimus committendas.

XXXIII. Ut autem idem Cancellarius præconceptam malitiam posset liberiùs adimplere, callidè procuravit ut Apostolicæ Sedis Legatus rediret. Vocaverat etiam idem Cancellarius Gentilem fratrem suum Comitem Manupelli, & familiarem regium constituerat, ad sublimationem ejus ardenter aspirans, cœpitque cum Marcualdo tractare de pace contra proprium juramentum & Apostolicum interdictum, contradicentibus aliis Dominis Curiæ, nisi quos ipse creaverat ut sibi faverent. Et quanquam eundem Marcualdum sciret à Domino Papa cum omnibus suis fautoribus excommunicatum & maledictum, quem & ipse de mandato Apostolico cum omnibus suis fautoribus excommunicaverat & maledixerat ore proprio, composuit tamen cum illo, in regiam eum familiaritatem admittens, immo inter universos familiares majorem constituens, dividens sibi regnum cum illo, ut unus in Sicilia & alter in Apulia Regis & regni negotia procurarent, mandans sub regio nomine universis ut pacem istam reciperent & secundùm eam intenderent Marcualdo, etiamsi Summo Pontifici displiceret. Verùm etsi uterque intenderet decipere reliquum, affinitatem tamen contrahere firmaverunt per conjugium inter nepotem unius & neptem alterius contrahendum. Porrò cùm uterque deprehendisset fraudem alterius, revelata sunt abscondita tenebrarum; quoniam Marcualdus per nuntios & literas suas publicavit ubique per regnum quòd Cancellarius machinabatur hæc & hujusmodi ut Comitem Gentilem fratrem suum ad regni solium promoveret. Cancellarius autem è contra, quòd Marcualdus moliebatur usurpare sibi regium diadema. Cœpitque Marcualdus resumere vires & crudeliùs solito debacchari. Cancellarius verò, quia jam in Sicilia dissipaverat universa, nec inveniebat unde facere posset expensas, dimisso Rege in custodia fratris sui, transfretavit in Calabriam & Apuliam; ut sicut per exactiones & extorsiones Siciliam spoliaverat, ita Calabriam & Apuliam spoliaret. Diripuit penè omnes Ecclesiarum thesauros, cruces, calices, & thuribula, quinetiam capsas & iconas aureas & argenteas excrustabat, nemini parcens quin à quo posset aut blanditiis aut terroribus aut fraudibus aut verberibus pecuniam extorqueret. Sed quamvis taliter extorsisset innumeram, consumpsit tamen inutiliter universam, in acquirendo cupidus, sed prodigus in donando.

XXXIV. Hic igitur in reprobum sensum datus, non cessabat Summum Pontificem profanis vocibus diffamare super facto Comitis Brenæ, quem habebat vehementer exosum, conspirationes & conjurationes cum Comitibus & Baronibus ac etiam civitatibus faciens contra illum. Unde Summus Pontifex ejus nequitiam non valens ulteriùs sustinere, damnationis in eum sententiam promulgavit; ipsumque multis ex causis perjurum & excommunicatum denuntians, tam à Panormitanensi Ecclesia quàm à Trojanensi removit, faciens in utraque alium Præsulem ordinari; mandans ubique per regnum ut ei nullus intenderet, neque per literas sub regio nomine destinatas ad intendendum ei quispiam teneretur. Res mira! Protinus cecidit ab universis despectus, abiitque vagus & profugus super terram; & cùm ei non intenderetur à fidelibus Regis, conjunxit se Diupuldo & fautoribus ejus, ut cum eis contra Summum Pontificem & præfatum Comitem Brenæ mala quæ poterat exerceret. Quo audito, familiares Regis, qui erant complices Cancellarii, cœperunt valde timere, feceruntque pro se pariter & pro illo intercessorias literas sub nomine Regio Summo Pontifici præsentari; qui Regi rescripsit hoc modo.

Utinam puerilibus annis virilem animum Dominus inspiraret, & ætati adhuc teneræ illam sensus infunderet gravitatem per quam inter fas & nefas discerneres, inter fidem & perfidiam judicares, nec fideles damnares pro perfidis, nec perfidos pro fidelibus exaltares. Utinam non experimento disceres, sed doctrina, quod in Evangelio legitur, *Inimici hominis, domestici ejus*, & quod Sapiens protestatur: *Nulla pestis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus existit* (2). Utinam intelligeres quòd in ætate quondam & nunc etiam tenera constitutum, & utriusque parentis destitutum solamine, protegendum Sedes Apostolica te recepit, & ut manus servorum, qui contra te conjuraverunt in regno, confringeret extra regnum, radicem pestiferæ arboris nisa fuerit amputare, ut venenosi rivi poculum exsiccaretur in fontem. Nec in regno etiam tibi defuit manus nostra. Immo nos per fratres & milites nostros primò cohibuimus impetus Marcualdi furentis, qui in fideles tuos barbarica feritate desæviens, non regni Balium, ut adulatores tibi aliqui mentiuntur

(2) *Boet. lib. 3. de Consol. Philos.*

Digitized by Google

tur, sed regni dominium nitebatur sibi per violentiam occupare, te Henrici quondam Imperatoris & inclytæ recordationis Constantiæ Imperatricis matris tuæ filium esse negans, ut hac occasione tam nos quàm alios à tuo subsidio revocaret. Nos autem ejus fallaciæ non credentes, licèt multa nobis & magna promiserit ne ipsius vellemus propositum impedire, quamvis etiam ut ei obviaremus in partibus cismarinis solicitudines subierimus quamplurimas & expensas, angustias, & labores non solùm in nostra, sed fratrum nostrorum, quinetiam consanguineorum & fidelium nostrorum personis, eos pro te periculis exponentes; postquam autem Siciliam est ingressus, dilectum filium I. Marescalcum & consobrinum nostrum, nobilem civem Romanum, cum exercitu nostro direximus contra eum, qui de ipso, faciente Domino, cum exercitu tuo mirabiliter triumphavit; ita quòd nisi quidam de familiaribus tuis milites nostros à persecutione revocassent ipsius, hodie plena tibi pax esset & optata regno tranquillitas restituta. Ecce in hoc tutoris debitum extendentes, & non tam Balii personam gerentes quàm tuam, cùm nemo cogatur suis sumptibus militare, & ex dispositione Imperatricis prædictæ sumptus nobis essent pro regni necessitatibus ministrandi, in expensis tamen nostris tuum dejecimus inimicum, ita quòd præter pauca, dum moram facerent, nihil vel in accessu, vel in recessu milites nostri à tuis familiaribus receperunt; sed præter expensas, emendationem armorum & equorum militibus nostris duximus faciendam. Quidam autem ex eisdem familiaribus, qui quietem Regni non appetunt, sed in ejus turbatione commoda sua ponunt, in aqua turbida piscari meliùs se credentes, ne turbatio Regno desit, eodem Marescalco ad nos sine remuneratione remisso, contra claves Ecclesiæ, quæ prædictum Marcualdum cum universis fautoribus, & participibus suis excommunicationis laqueis innodavit, quam ipsi etiam ore proprio publicarunt, sub specie pacis, quæ, sicut effectus indicat, pernicies potiùs est dicenda, in caput tuum erexere dejectum, & jacentem in familiarem stabilire Regium præsumpserunt, quasi totam ei potestatis plenitudinem in Regno Siciliæ conferentes. Et ne debilior, sed fortior potiùs ex casu resurgeret, & in excidium tuum ampliùs prævaleret, universis captivis quos in fuga ejus receperant restitutis, etiam hominum Regni ei voluerunt comparare favorem, pacem initam vel perniciem potiùs procuratam mandantes per universum Regnum sive volentibus, sive nolentibus, inviolabiliter observari. Ecce qualiter nobis familiares Regii detulerunt, qualiter suo consuluerunt honori; qui ut tuum erigerent inimicum, contra juramentum fidelitatis, quo quidam eorum sunt nobis astricti, & illud etiam quod de non componendo cum ipso sine mandato nostro præstiterant, persecutionem suscitavere sopitam, virus angui, & camino oleum infundentes. Unde qua fronte, vel ipsi pro se rogare possint, vel alius valeat intercedere pro eisdem, cùm quidam eorum gratiam nostram demeruerint, donec congruè satisfaciant, non videmus, quanquam eos de benignitate Sedis Apostolicæ duxerimus tolerandos. Ipsi etenim in arcum conversi, vel potiùs adversi perversum, dispositionem ejusdem Imperatricis suis interpretationibus depravantes, inane nobis nomen Balii reliquerunt, detrahentes honorem, & onus solummodo relinquentes; sibi etiam universa temeritate propria usurparunt; ita quòd jam ferè totum tuum domanium contra prohibitionem nostram ad eorum petitionem obtentam penitùs exhauserunt, Comitatus & Baronias pro suæ distribuentes arbitrio voluntatis, ut ex eo sibi favorem ampliùs compararent; & cùm Regnum exactionibus plurimis aggravarint, collectam pecuniam non converterunt in commodum Regium, nec nobis secundùm Constitutionem Imperatricis factas restituerunt expensas, sed nec censum debitum, nec quod eadem Imperatrix nobis, & fratribus nostris annis singulis statuit persolvendum, curaverunt exsolvere; sed ex ea ditaverunt consanguineos suos, & consanguineas dotaverunt; ut taceamus ea quæ sibi, cùm loculos habeant, reservarunt. Nos igitur attendentes, quòd sicut tuæ quoque literæ continebant, pueritiæ tuæ passim domestici se opponerent, passim se obicerent alieni, immo etiam homo pacis tuæ, in quo sperabas, & qui edebat panes tuos, supplantationem adversùs te curaverat ampliare, ad progenitorum tuorum exemplar recurrimus, & sicut eis consultum fuerat, sic etiam tibi duximus consulendum. Accepimus etenim, & novimus esse verum, quòd cùm illustris memoriæ Willelmus primus Siciliæ Rex multos de Regni nobilibus in exsilium destinasset, ii qui post ejus obitum inclytæ recordationis Willelmi Regis Siciliæ filii ejus curam, & custodiam susceperunt, ejectos ad propria revocantes, usque adeo ipsos per revocationis, & restitutionis beneficium in fidelitate, ac devotione Regia solidarunt, ut nullus progenitorum ejus in ea pace vixerit, nullus à subditis suis sic formidatus fuerit & dilectus, nullus ita paci Regni providerit & quieti. Attendentes igitur, quòd Henricus quondam Imperator de assensu illustris memoriæ Constantiæ Imperatricis matris tuæ, filiæ quondam Regis Rogerii, quando Willelmus filius inclytæ recordationis Regis Tancredi nepotis ejus ipsi se reddidit, Principatum Tarenti & Comitatum Licii ei, & hæredibus ejus concessit, & in animam ejus juramentis Principum tam de Imperio, quàm de Regno concessionem hujusmodi fecerit roborari, nec idem Willelmus aut sorores ipsius aliquo modo peccaverint, cùm ætatis beneficio excusentur, qua fronte in hac parte contraire justitiæ, vel resistere veritati possemus, nulla potuimus intelligere ratione, cùm pro suspicione non sit veritas relinquenda, contra suspicionem tamen hujusmodi cautelam quantamcumque potuimus curavimus adhibere. Nam ab eodem Comite super Crucem, Evangelium, & Reliquias recepimus publicè juramentum, quòd nec per se, nec per alium &c. *ut in ea quæ mittitur familiaribus Regis, usque* inviolabiliter observetur. Potuerat enim, si voluisset, hostibus tuis addi, & cum eis non solùm jus suum, sed alia etiam usurpare; fuissetque novissimus error pejor priore. Sed nos maluimus ipsum ad Regni defensionem inducere, ac in fidelitate Regia fortiùs solidare. Unde ipse nuper Regnum ingressus, quod juraverat executus, cum exercitu quem in propriis expensis de ultramontanis partibus secum duxit, de Diupuldo, qui hactenus per totum Regnum Siciliæ citra Pharum impunè discurrens quietem omnium perturbabat, faciente Domino mirabiliter triumphavit. Unde jam, per Dei gratiam, per ejus est industriam procuratum ut fideles tui, qui muros usque modo egredi formidabant, securè colligant messes suas, & ea quæ hostes seminaverant ipsi metant, & ab eis plurimùm metuantur

tur quos plusquam expediret hactenus metuebant; qui etiam omnes quos de manu inimicorum tuorum potest eripere, tibi facit ad mandatum nostrum fidelitatis juramenta præstare. Verùm ne adhuc Regnum pace gaudeat exoptata, sed ejus turbatio ampliùs augeatur, Gualterus Cancellarius cum devicto, & fugato composuit, & cadentem nititur sustinere. Sed cùm manus Domini sit in ejusdem D. ultionem extenta, Cancellarius ipsum sustinere non poterit, nec cum ipso subsistet, sed corruet cum ruente, qui jam ex duplici causa cum quibusdam suis fautoribus sententiam excommunicationis incurrit. Videas igitur cui potiùs credere debeas, utrum nobis, an quibusdam ex eis quos familiares appellas; cùm nos in hostium tuorum vigilemus excidium, & utroque gladio, altero per nos, altero per prædictum Comitem & alios fideles nostros, eorum nitamur contumaciam edomare. Illi autem in caput tuum gladium hostibus tuis tradunt, & eos non absque virium tuarum infirmatione in sua iniquitate confirmant. Sanè si verum inspicias, plus tibi Brenensis Comes contulit uno die, quàm quidam, qui de bonis tuis dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias, profuerint dum vixerunt. Ne igitur audieris eos, nec eorum oblocutionibus fidem præstes; quoniam non honorem tuum, sed propriam utilitatem affectant, & non propter te, sed propter seipsos, nostris dispositionibus contradicunt. Quòd si forsan illud objiciunt contra Comitem memoratum, quòd H. quondam Imperator de Regno uxorem ejus, & matrem ejus, & fratrem ejus, & fratrem uxoris ejecit, plus poteris de ipsorum aliquo dubitare, quem prædicta Imperatrix non sine causa forsitan aliquandiu tenuit ut captivum, & nisi fuisset morte præventa, vel nostrum ei auxilium subvenisset, ipsum forsan penitùs ejecisset à Regno, vel adhuc in vinculis detineret. Certum est autem quòd faciliùs quis injuriam negligit alienam, quàm propriam læsionem. Monemus igitur serenitatem Regiam, & exhortamur in Domino quatenus, quantum de homine credi potest, in nullo dubites de Comite memorato; sed potiùs de ipso confidas; quoniam, nisi per te steterit, vel per tuos veriùs, (qui tamen utinam essent tui) eum fidelem invenies & devotum & Regni tui post Deum, & nos potentissimum defensorem. Nec credas quòd id tam pro ipsius utilitate, quàm pro tua, & Regni salute dicamus. Considera ergo prudenter, immo familiares tui diligenter attendant, ne occasione vel compræhensione correctionis hujusmodi ad eos qui animam tuam sitiunt convertantur: quoniam si semel acceperint potestatem in eos, ipsi nos de eis Divino judicio judicabunt. Quòd si ad cor redire voluerint, & nunc tandem mandatis nostris humiliter, & devotè parere, nos pro tuæ serenitatis honore, quiete Regni, ac eorum salute ipsos adhuc ad Apostolicæ Sedis gratiam admittemus. Datum Laterani V. Non. Julii, Pontificatus nostri anno quarto.

XXXV. Misit ergo Dominus Papa Petrum Portuensem Episcopum Legatum in Apuliam, & Terram Laboris, præcipiens Comitibus, & Baronibus, Castellanis, & Civibus, ut ad mandatum Legati cum dicto Comite contra Diupuldum, & Cancellarium exurgerent universi. Qui cùm in Apuliam pervenisset, miser ille solo nomine Cancellarius ad præsentiam ejus accessit, reconciliari postulans Ecclesiasticæ unitati; & præstito corporaliter juramento, quòd pareret universis mandatis Domini Papæ, absolutus est à Legato. Sed cùm mandaret ei ut non opponeret se Comiti Brenensi, respondit quòd si Petrus Apostolus hoc ei præcepisset missus ab ipso Christo, mandato hujusmodi non pareret, etiamsi sciret, quòd propter hoc deberet in inferno damnari. Et ponens os suum in Cœlum, cùm linguam traheret super terram, publicè coram omnibus Summum Pontificem blasphemabat, præsente Legato; abiitque ad Diupuldum. Et congregatis universis quos poterant congregare, ad pugnandum contra Brenensem Comitem juxta Barolum processerunt. Ipse verò Comes erat ibi cum paucis. Nam de fidelibus Regis penè nullos ibi secum habebat. Barolitanenses quoque, licèt præcedenti die Legato jurassent, cùm aspicerent multitudinem esse cum illis, & paucitatem cum istis, non permiserunt ipsos intrare. Videns itaque Comes se constitutum in arcto, cœpit multipliciter anxiari, maximè propter Legatum, qui, tanquam formidolosus, plurimùm metuebat. Et confortatus in Domino, prosiliit ad arma cum suis; & benedictione ac remissione à Legato recepta, cùm idem Legatus maledixisset hostibus, in nomine Domini Comes alta voce Sanctum Petrum invocans adjutorem, processit ad pugnam. Et cùm acriter dimicare cœpissent, adversarii terga verterunt, & in fugam conversi, singuli, prout poterant, declinabant; ex quibus multi sunt capti, plures sunt cæsi, & plurimi etiam in stagnis & paludibus suffocati. Videbant enim plerique crucem auream splendidissimam ante Comitem miraculosè deferri. Fuitque tanta victoria ut prima quasi nulla videretur respectu secundæ. Nam inter alios captus est Sifredus frater Diupuldi, & Odo de Laviano, qui sanctæ memoriæ Albertum Leodiensem Episcopum interfecerat, Petrus de Venere sororius Cancellarii, & Magister Girardus Salernitanus intrusus, multique alii nobiles, & potentes. Magnificatus est ergo Comes & clarificatus in Regno; hostes autem humiliati sunt & compræhensi. Comes verò Gentilis receptâ pecuniâ, sicut publicè dicebatur, Turrem ad Mare tradidit Marcualdo, abiitque Messanam.

XXXVI. Marcualdus verò Panormum obtinuit, & tam Palatium, quàm Regem in suam potestatem accepit, universam penè Siciliam, præter Messanam, suæ subjugans ditioni, misissetque manum in puerum, & usurpasset sibi coronam, nisi præfatum Comitem timuisset, ad quem, Rege defuncto, Regnum hæreditario jure ratione conjugis pervenisset. Ideòque multifariè multisque modis, & apud Dominum Papam, & apud eundem Comitem cœpit agere ut acceptâ pecuniâ Regnum exiret. Quod cùm obtinere non posset, tempus opportunius observabat. Verùm ille qui non dimittit virgam peccatorum super sortem justorum, cœpit per seipsum, ne daret gloriam suam alteri, perfidum graviter flagellare. Quia cùm jamdudum calculosus fuisset, cœpit tunc de vitio lapidis tam vehementer affligi, ut præ nimiis doloribus ingentes clamores emittens, irremediabilibus cruciatibus torqueretur, & cùm non posset ulteriùs vehementiam ægritudinis sustinere, secari vel incidi se fecit; sed subitò miseram animam exhalavit. Ut verè sit de illo completum, quod dicitur per Psalmistam: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum super cedros Libani. Transivi, & ecce non erat; quæsivi, & non est inventus locus ejus.*

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII. Guillelmus autem Capparonus præcurrens Panormum, Palatium ac Regem in sua potestate recepit, & ex tunc se Regis Custodem & Magistrum Capitaneum Siciliæ appellavit. Quidam verò de complicibus nefandæ memoriæ Marcualdi hoc indignè ferentes, se in partem alteram statuerunt. Cancellarius autem opportunum sibi tempus æstimans advenisse, iteratò exhibens juratoriam cautionem, quòd mandatis Apostolicis per omnia obediret, absolutionis beneficium impetravit; regressusque in Siciliam, & adjungens se alteri parti, adversùs Capparonem agebat; misitque nuntios & literas ad Dominum Papam ut Legatum in Siciliam destinaret. Qui misit Gerardum Sancti Adriani Diaconum Cardinalem; per quem Willelmus Capparonus se fecit absolvi, jurans in manibus ejus Domino Papæ Balium, & quòd eidem Cardinali tanquam vice Balii, in omnibus obediret. Ipse verò Cardinalis cœpit tractare concordiam inter ipsum & Cancellarium, quæ propter simultates subortas non potuit consummari; accessitque Panormum, & honorificè à Capparone receptus, cœpit tanquam Balius Regis & Regni negotia pertractare. Cùm autem mandatum Capparoni fecisset sub debito præstiti juramenti super satisfactione Clericis, & Ecclesiis impendenda, ille semper bene promittens, de promissis nihil agebat, universa pro sua voluntate disponens. Unde Cardinalis prædictus, post aliquantulam moram, quam fecit Panormi, maximè propter Regem, qui delectabatur in ejus præsentia, & de sua consolatione gaudebat, Messanam rediit, Domini Papæ responsum expectans, Cancellarius quoque reversus in Apuliam, instans apud Dominum Papam, per nuntios & literas suas faciens apud eum multiplicari preces nobilium & potentum, ut cum ipso misericorditer agere dignaretur, reddendo sibi Panormitanensem Metropolim, vel saltem Episcopatum Trojanum. Sed ipse, sicut erat justus & constans, hujusmodi preces noluit exaudire, ne sine causa injuriam faceret Petro quondam Mazariensi Episcopo, qui per ejus mandatum erat in Archiepiscopum Panormitanensem assumptus, vel Trojano Episcopo, quem eligi fecerat & etiam consecrari; quin potiùs præfato Archiepiscopo Pallium destinavit, ne in ejus locum ulteriùs Cancellarius aspiraret.

XXXVIII. Ut autem Dominus Papa majorem impenderet Comiti Brenensi favorem, nobilem virum Jacobum Consobrinum, & Marescalcum suum in Apuliam destinavit, constituens eos pariter Magistros, & Justiciarios Apuliæ, & Terræ Laboris; fecitque illi Castellum Baroli ad custodiam assignari, & reddi Montem Pilosum, qui ad Comitatum Andriæ pertinebat, Regia sibi liberalitate concessum, præcipiens Comiti memorato ut ad obtinendum Comitatum prædictum impenderet ei auxilium & favorem. Cùm autem multa prudenter agerent & potenter, venerunt tandem in Campaniam visitare Summum Pontificem, quem audierant ægrotare. Inveneruntque illum apud Anagniam tam graviter ægrotantem, quòd à multis mortuus dicebatur. Cùmque de morte ipsius fama volasset, multæ civitates præfato Comiti rebellarunt, quædam expellentes milites suos, aliæ trucidantes; perdiditque tunc Materam, Brundusium, & Hydruntum. Barolitanenses castrum Baroli obsederunt, & coëgerunt Castellanum, quem ibi dimiserat Marescalcus, sibi resignare Castellum.

XXXIX. Porrò cùm Summus Pontifex convalescere incepisset, Comes & Marescalcus in Apuliam redierunt; & licèt recuperare prædicta nequivissent, multa tamen acquirere studuerunt. Nam ipse Marescalcus Adriam & Minerbium civitates obtinuit; & ex tunc se Comitem Adriæ appellavit, extruxitque munitionem fortissimam apud Andriam, ubi palatium Comitis priùs erat. Quidam autem filii Belial ei ponentes insidias, irruerunt in ipsum, putantes eum gladiis interficere. Sed quoniam armatus erat sub chlamyde, intentionem suam non potuerunt ducere ad effectum; maximè quia quidam miles ipsius objecit se illis, quem in sua præsentia peremerunt. Ipse verò quosdam eorum capiens, diversis suppliciis interemit; omnium autem bona diripiens confiscavit. Comes autem Brenensis, cùm multa fuisset magnificè operatus, quæ longum esset per singula explicare, usque adeo compressit Theutonicos ut vix auderent de Castellis exire; quæ cùm essent necessariis destituta, sperabatur ab omnibus, quòd ea non possent diutiùs sustinere. Nam & apud Salernum obtinuerat Terracinam, & Turrem majorem tenebat obsessam. Ipse verò nimis securus effectus, personæ suæ custodiam negligebat. De quo cùm argueretur à multis, interdum arroganter respondit, quòd Theutonici armati non auderent aggredi Francos inermes. Unde cùm quoddam Diupuldi castrum, quod Sacrum dicitur, obsideret, Diupuldus ipsius prævidens incautelam, summo diluculo armatus cum suis super Comitem, & suos nudos in tentoriis quiescentes irruit improvisus, multosque peremit, & cœpit ipsum Comitem fortiter repugnantem, sagittis & lanceis vulneratum; qui captivus deductus ad castrum, post aliquos dies receptâ pœnitentiâ, & viatico debitum carnis exolvit. Jacobus autem Comes Tricarici relictam Brenensis Comitis (3) conjugem desponsavit. Sed quia gravida erat, distulit illam traducere in uxorem; peperitque filium quem nomine patris vocavit Gualterum. Diupuldus verò cœpit apud Summum Pontificem supplicationibus, & promissis vehementer instare ut ipsum, & suos recipere dignaretur. Interveniente igitur fratre Rainerio recepit illum hoc modo, quòd absolutè juravit stare universis mandatis Summi Pontificis super omnibus pro quibus excommunicatus erat ab ipso, quòd fideliter intenderet illi de Balio Regis, & Regni, quòd ad mandatum ejus faceret guerram & pacem, quòd omni petenti sub ejus examine justitiam exhiberet, quòdque Philippo Duci Sueviæ nullum contra Regnum Siciliæ in Regno vel extra Regnum impenderet auxilium, vel favorem. Misit igitur præfatum fratrem Rainerium, & Magistrum Philippum Notarium suum in Terram Laboris, qui publicè secundùm præscriptum tenorem juramento recepto, & in scriptis redacto absolverunt Diupuldum & suos, similiter Marcualdum de Laviano cum suis, ac deinde Conradum Sorellæ cum suis. Et sic omnes Theutonici tam ultra Pharum, quàm citra ad mandatum Summi Pontificis redierunt. Diupuldus autem Panormum accedens, apud Willelmum Capparonem usque adeo laboravit, quòd Regem reddidit in manibus Legati & Cancellarii, securitate ab illis accepta, promittens quòd & palatium eis redderet,

(3) *Cod. reg.* duxit in conjugem.

Digitized by Google

deret, ut de cætero Rex, & Regnum pacem haberent. Cùmque de palatio Regem adducens perduxisset in civitatem ad Cancellarium, & Legatum, facto convivio epulabatur cum illis. Interea rumor insonuit, quòd hoc operaretur in fraudem, ut cùm illos reduceret in palatium, paratis insidiis caperet universos. Quod à multis creditur falsò fuisse confictum, ut hac occasione caperetur ab illis. Et sic captus est, & detentus. Sed minùs providè custoditus, per fugam evasit; rediitque Salernum, filio in captivitate dimisso. Interim frater ejus Soffridus proditoriè cœpit Magistrum Philippum Notarium Domini Papæ, quem ad petitionem ipsius Diupuldi Dominus Papa direxerat in Apuliam & Terram Laboris, committens eidem in temporalibus vices suas, ut inter Theutonicos & Latinos pacem, & justitiam faceret observari; quem dictus Soffridus vix tandem extorta gravi redemptione dimisit.

XL. Inter omnes verò Theutonicos qui post Imperatoris mortem in Regno remanserant ad flagellum, infidelissimus extitit Conradus Castellanus Sorellæ, qui & Roccam Arcis in ingressu Regni tenebat, supra modum persequens & affligens, non solùm undique per circuitum Terram Laboris, verùm etiam Campaniam, & Maritimam universam. Contra quem Dominus Papa sæpe misit nuntios, & exercitum ad devastationem civitatis Soranæ, quam ipse perfidus possidebat, sed forsan ut eam à sua posset perfidia revocare. Quoddam namque vicinum castrum, quod Insula dicitur occupavit, ejusque Dominos ad tantam calamitatem perduxit, quòd licèt nobiles essent, cogebantur tamen publicè mendicare. Illius ergo malitiam Dominus Papa detestans, & istorum miserans paupertatem, ad succurrendum istis, & impugnandum illum, Petrum Tituli Sanctæ Pudentianæ Presbyterum Cardinalem Rectorem Campaniæ ac Maritimæ destinavit. Qui magno exercitu congregato, adversùs illum processit, & eum infra prædictum castrum obsedit, terram ejus circumquaque devastans. Obsidione verò protracta, cùm ad deditionem induci non posset, laboraverunt dividere amnem qui præterfluebat undique castrum ipsum, ut amne transmisso, adversùs ipsum castrum facere possent insultum. Sed frustra laboratum est in utroque; immo non sine damno fuit attentatum utrumque. Verumtamen ita perfidum arctaverunt quòd receptâ pecuniâ, quam eisdem nobilibus Dominus Papa misericorditer mutuavit, reddidit eis castrum, & pacem sub certo tenore firmavit; quam tamen infra modicum tempus non erubuit violare. Nam & quosdam Verulanos fideles, & vassallos Domini Papæ, causa visitationis ad ipsum circa Festum Nativitatis Dominicæ venientes, ut eum, sicut moris est, honorarent, priùs benignè receptos, malignè postmodum cœpit, & per mutilationem membrorum ad gravissimam redemptionem coëgit, non parcens etiam cuidam nobili quem diu secum familiarem habuerat, & insigniverat cingulo militari. Cùmque monitus satisfacere nollet, prædictus Cardinalis Rector Campaniæ, & Maritimæ diffidavit eundem. Cives verò Sorani, qui præfatum Tyrannum, importabilibus eos gravaminibus affligentem, habebant vehementer exosum, inito cum Roffrido Venerabili Casinensi Abbate secreto consilio & tractatu, noctu eum cum multis armis introduxerunt in civitatem Soranam, & se ac civitatem reddiderunt eidem ad mandatum Domini Papæ. Ad cujus auxilium Dominus Papa Richardum Germanum suum, & Stephanum Camerarium protinus destinavit, & deinde præfatum Cardinalem direxit. Qui congregato exercitu, civitatem ipsam munire cœperunt, pro eo maximè, quòd Diupuldus cum magna multitudine dicebatur in illius auxilium accessurus; & occupaverunt Planellum, Montem videlicet qui est supra civitatem juxta Sorellam, ut præsidio ibi constructo, civitatem defenderent à Sorella. Tandem, sicut Domino placuit, summo diluculo cum ingenti clamore irruerunt ad vallum, & facto cœlitus cum nimia pluviarum effusione grandi fulgore ac tonitruo, exeuntes adversùs ipsos de Rocca, commisso certamine coëgerunt ad fugam; territusque Tyrannus, cùm putaret se proditum à quibusdam Latinis qui secum erant in Rocca Sorellæ, reddidit se & suos, salvis personis, in manus præfati Richardi Germani Domini Papæ; sicque miraculosè præter opinionem omnium munitionem inexpugnabilem acceperunt, victualibus & armis copiosè refertam. Ipsum verò Conradum & suos Ceperanum adduxerunt captivos, apud illos agentes ut Roccam Arcis faceret eis reddi, quam Hugo Consobrinus ipsius Conradi tenebat. Qui cùm ad reddendum eam nec minis, nec persuasionibus posset induci, ut sine mutilatione membrorum, & sanguinis effusione negotium ageretur, maximè propter Summi Pontificis honestatem promissis, & datis mille auri unciis & equis viginti, liberatisque captivis, arcem obtinuerunt in pace. Quod audiens Rex Siciliæ, admirans & gaudens civitatem Soranam, & Roccam Sorellæ, castrum Arcis, & Roccam ipsius, Broccum, & Pesclum solidum, quæ omnia eripuerunt de manu Conradi, concessit per Privilegium præfato Richardo Germano Domini Papæ, ac ejus hæredibus in perpetuum, constituens illum Comitem, & faciens eum de Comitatu per regale vexillum, quod illi transmisit, solemniter investiri.

XLI. Cancellarius autem manens cum Rege in civitate Panormi, modis quibus poterat nitebatur eripere palatium de manibus Capparonis. Quod cùm non posset efficere, literas & nuntios Regis sæpe direxit pro succursu per regnum. Sed nulli vel pauci succurrere voluerunt. Cùmque longa fieret concertatio inter Capparonem & fautores ejus ex parte una, & Cancellarium & fautores ejus ex altera, Sarraceni Siciliæ, qui receperant se in montibus, hoc videntes, non solùm se ab obsequio Regis penitùs subtraxerunt, verùm etiam alii descendentes, Christianos multiformiter impugnabant, ita quòd castrum Carilionis ceperunt, pejora facere meditantes. Miserabilem ergo statum Regni Siciliæ Dominus Papa prudenter advertens, licèt jam tempus Balii expirasset, assumpto tamen labore descendit in Regnum, & apud Sanctum Germanum juxta Monasterium Casinense convocatis & congregatis Comitibus, Baronibus, ac Prioribus civitatum, ad hoc illos induxit ut se juramentis & fidejussionibus obligarent quòd super succursu & adjutorio Regis, & super pace ac defensione Regni, ordinationem ejus bona fide susciperent, & pro posse suo facerent observari. Ordinatio verò quam fecit est talis: Ut videlicet super succursu & adjutorio Regis, & super pace ac defensione regni, Magistris Capitaneis, quos ad hoc statuit, omnes intendant. Quicumque ordinationem istam receperint, adinvicem sibi pacem observent. Et si quisquam ab alio fuerit offensus, non statim reof-

Digitized by Google

reoffendat eundem ; sed apud Magistros Capitaneos querelam deponat, qui eam secundùm rationem & consuetudinem regni faciant emendari. Qui autem ordinationem istam recipere noluerit aut servare, tanquam hostis publicus habeatur, & à cæteris impugnetur. Ducenti milites dirigantur in succursum & adjutorium regni usque ad Kalendas Septembris, moraturi per annum in expensis eorum à quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundùm æstimatorum arbitrium, qui ad hoc fuerint specialiter deputati, pensatis debitis servitiis & propriis facultatibus Comitum & Baronum ac etiam civitatum. Proviso etiam ut ad opus eorum victualia dirigantur. Civitatem autem, Comites, & Barones assignent in propriis expensis certum numerum bellatorum ad prædictorum Capitaneorum mandatum, si quando guerra contra quemquam propter hoc fuerit exercenda. In omnibus autem servavit sibi plenariam potestatem addendi & minuendi, mutandi & declarandi, prout viderit expedire. Scripsit autem super hoc Comitibus, Baronibus, & ceteris regni fidelibus in hunc modum.

Affectum dilectionis & gratiæ quem habemus ad Regem & regnum Siciliæ licèt in multis multotiens ostenderimus, nunc tamen evidentiùs & expressiùs per effectum operis demonstramus, cùm propter necessitatem urgentem in regnum personaliter descendimus, ceteris mundi negotiis ex magna parte postpositis, propter hoc unum, ut in ipso videlicet pacem & justitiam reformemus. Bonum ergo per Dei gratiam assecuti initium, progressum intendimus facere meliorem, ut finis optimus subsequatur. Quocirca devotionem vestram monemus & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes quatenus sicut Divinam & Apostolicam ac regiam gratiam caram habetis, ordinationem quam fecimus super Regis adjutorio & succursu, defensione ac pace regni, ad exemplar aliorum Comitum & Baronum ac etiam civitatum recipiatis hilariter & efficaciter observetis, prout ipsa ordinatio in capitulari continetur expressa bulla nostra munito, Magistris Capitaneis humiliter intendentes qui ad executionem ipsius de mandato nostro fuerint constituti; ne si fortè, quòd absit, quisquam præsumeret refragari, pœnam in ipsa ordinatione statutam incurrat, & nos manus nostras in eum spiritualiter & temporaliter aggravemus. Quia verò propter fervorem æstatis ad præsens non possumus personaliter descendere in Apuliam, vices nostras super hiis committimus exequendas dilecto filio nostro G. Sancti Theodori Diacono Cardinali, Apostolicæ sedis Legato, cui dilectum filium O. Acolytum nostrum à latere nostro transmissum duximus adjungendum.

XLII. Licet hic circa processum temporalium actionum figere gressum, ut ad principium promotionis hujusmodi præclarissimi Pontificis recurrentes, spirituales actus interim persequamur. Inter omnes itaque pestes habuit venalitatem exosam, cogitans qualiter eam posset à Romana Ecclesia extirpare. Statim ergo fecit edictum ut nullus officialium Curiæ suæ quicquam exigeret, præter solos scriptores & bullatores, quibus tamen certum modum præfixit, districtè præcipiens ut singuli suum officium gratis impenderent, recepturi grantanter si quid eis gratuitò donaretur. Fecit igitur Ostiarios à Notariorum cameris amoveri, ut liberè ad eos pateret accessus. Erat autem infra sacrum Lateranense palatium in transitu, juxta cisternam coquinæ, nummulariorum mensa locata, super quam cotidie ponebantur vasa aurea & argentea, monetarum diversitas, multusque thesaurus ad vendendum vel cambiandum; quam idem sollertissimus Pontifex, illius zelo succensus qui mensas nummulariorum subvertit, de toto palatio fecit penitùs amoveri. Ter in hebdomada solemne consistorium, quod in desuetudinem jam devenerat, publicè celebrabat: in quo auditis querimoniis singulorum, minores causas examinabat per alios; majores autem ventilabat per se tam subtiliter & prudenter ut omnes super ipsius subtilitate ac prudentia mirarentur; multique literatissimi viri & jurisperiti Romanam Ecclesiam frequentabant: ut ipsum duntaxat audirent, magisque discebant in ejus consistoriis quàm didicissent in scholis; præsertim cùm promulgantem sententias audiebant: quoniam adeo subtiliter & efficaciter allegabat ut utraque pars se victuram speraret, dum eum pro se allegantem audiret; nullusque tam peritus coram eo comparuit Advocatus qui oppositiones ipsius vehementissimè non timeret. Fuit autem in ferendis sententiis ita justus ut nunquam personas acciperet, nunquam à via regia declinaret; easque cum multa maturitate deliberatione præhabita proferebat.

XLIII. Ob hoc ad ejus audientiam tot & tantæ cœperunt de toto orbe causæ perferri ut plures & majores causas ipse suo tempore diffiniverit quàm à longis retro temporibus in Romana fuerint Ecclesia diffinitæ. Statim enim circa suæ promotionis primordium Compostellanus & Bracharensis Archiepiscopi ad ejus præsentiam personaliter accesserunt pro causis quæ vertebantur inter eos de septem episcopatibus, videlicet Colimbriensi, Lamecensi, Visensi, Egitanensi, Ulixbonensi, & Elborensi, ac Zamorensi; quæ causæ licèt essent prolixæ nimiùm & diffusæ, ut super eis magni essent hinc inde libri conscripti, & vix possent earum merita declarari, per oppositiones tamen & inquisitiones ipsius ita demum sunt earum abdita patefacta, easque tam prudenter & subtiliter diffinivit ut omnes in eo supereminentem intelligentiam commendarent. Eodem quoque tempore veterem illam, sed necdum (4) terminatam querelam, quæ de metropolitana dignitate super totam Britanniam inter Turonensem & Dolensem Ecclesias vertebatur, tam prudenter examinavit, tamque subtiliter diffinivit, ut licèt per prædecessores suos multotiens fuerit diffinita, nunquam tamen nisi per eum finem fuerit sortita finalem. Litem etiam quæ inter Archiepiscopum & Capitulum Cantuariensis Ecclesiæ cœperat agitari super Ecclesia de Lamehe, quam idem Archiepiscopus eodem Capitulo contradicente construxerat, & dotaverat multis & magnis redditibus, instituens in ea Canonicos regulares, viros nobiles, potentes, & literatos, non sine multa difficultate sedavit. Nam Rex & Archiepiscopus in illo facto se mutuò adjuvabant. Capitulum autem non habebat, post Deum, nisi solum Romanum Pontificem adjutorem, asserens pro constanti quòd nisi præfatam Ecclesiam faceret demoliri, metropolica dignitas pro majori parte transferretur ad illam. Ubi verò Dominus Papa rationes partium sufficienter audivit, Apostolicæ Sedis auctoritate decrevit ut dictus Archiepiscopus ean-

(4) *Codex reg. habet* inveteratam.

Digitized by Google

eandem Ecclesiam suis sumptibus demoliretur, omnino in irritum revocans quidquid factum fuerat circa ipsam. Quod cùm facere distulisset, prætendens quòd Rex illud fieri non sinebat, ipse succensus zelo justitiæ præcepit districtè in virtute obedientiæ Archiepiscopo memorato ut illud exequi ulteriùs non differret, alioquin sciret se ab officio pontificali suspensum, & suffraganeos suos ab ejus obedientia esse subtractos. Et sic demum, quantumcumque Rex & Archiepiscopus reniterentur & murmurarent, impletum est penitùs quod mandavit. Controversiam quoque quæ vertebatur inter Mediolanensem Archiepiscopum & Abbatem de Scozula super districtu & jurisdictione portus de Sexto, cum honore, districtu, & jurisdictione præfati loci & castellantiæ, hominum quoque qui habitant in Baveno, Gralia, Carpuneto, Vesterpeno, Cadempleno, Insula superiore, Bolgerate, ac Lisia mirabiliter terminavit. Nam cùm diu multùmque super iis coram diversis judicibus delegatis fuisset à partibus litigatum, & testes ac instrumenta producta, ipse habens instrumenta suspecta, pro eo quòd cùm fera sigilli ab interiori parte vetustissima esset, cera quæ posita erat ab exteriori parte quasi ad conservationem sigilli recens erat & mollis, falsitatem taliter deprehendit, quòd videlicet præsentibus partibus cum omnibus Advocatis in præsentia Cardinalium idem Dominus Papa dixit quòd volebat in conspectu omnium frangi sigilla, & si reperirentur vera & incorrupta, renovari faceret instrumenta sub testimonio bullæ suæ; si verò invenirentur corrupta vel falsa, nolebat quòd prævaleret falsitas veritati. Quod cùm factum fuisset, certo certius est compertum quòd sub vetusto sigillo carta fuerat perforata, & per glutinum novæ ceræ, quæ posita fuerat exteriùs quasi ad conservationem sigilli, vitiosè fuerat ipsi cartæ conjunctum; & sic falsitate comperta contra monasterium sententiam promulgavit, omnibus admirantibus quòd mirabiliter deprehenderat vitium falsitatis. Quis autem enumerare sufficeret innumerabilem multitudinem quæstionum quas inter diversas Ecclesias & personas super variis & dubiis articulis diffinivit, via Regia semper incedens, numquam declinans ad dexteram vel sinistram, personas non accipiens & munera non acceptans.

XLIV. Cùm autem Turonensis Archiepiscopus quendam qui fuerat electus in Episcopum Abrincensem, & per Metropolitanum suum postea confirmatus, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus aliquandiu ministraverat, in Andegavensem Ecclesiam præter Apostolicæ Sedis auctoritatem præsumpsisset transferre ac Episcopum consecrare, quem Rothomagensis Archiepiscopus præter Apostolicæ Sedis mandatum à priore absolvit Ecclesia, & ad posteriorem ei licentiam tribuit transeundi, attendens idem prudentissimus Papa hoc attentatum esse in derogationem Apostolicæ dignitatis, cui soli competit Episcoporum translatio, utrumque Archiepiscopum à confirmatione pariter & consecratione Pontificum, ipsum autem electum à pontificalis officii executione suspendit, auctoritatibus & rationibus evidenter ostendens quòd idem juris est in confirmatis electis quod in Episcopis consecratis. Propter eandem causam Antiochenum Patriarcham à pontificali suspendit officio; quia videlicet Appamiensem electum præter Apostolicæ Sedis licentiam in Tripolitanum Episcopum transferre præsumpsit: sed utrosque suam ignorantiam humiliter confitentes, & indulgentiam suppliciter postulantes, sine difficultate & mora restituit & absolvit.

XLV. Propter similem quoque causam excommunicavit Conradum Hildesemensem Episcopum, imperialis aulæ Cancellarium, virum utique nobilem, divitem, & potentem, ingeniosum, industrium, & astutum, quia videlicet ad Herbipolensem Ecclesiam sua præsumpsit temeritate transire, monitusque contempsit resipiscere ab errore, prætendens quòd à Celestino Papa sibi fuerat indultum ut invitatus majorem posset assumere dignitatem. Sed hæc indulgentia eum non poterat excusare; quoniam Herbipolensis Ecclesia, quamvis ditior, non tamen dignior quàm Hildesemensis existit; & majoris est indulgentiæ ut transeat quis ad parem quàm ad majorem dignitatem ascendat. Et ideo cùm post admonitionem contemptam præcepisset eidem quatinus Ecclesiam utramque dimitteret, quia cautum est in canonibus ut qui ad majorem se plebem transtulerit, & à cathedra pelli debeat aliena & carere propria, ut nec illis præsideat quos per superbiam sprevit, nec illis quos per avaritiam concupivit, ipse tandem excommunicari fecit eundem, & excommunicatum per totam provinciam publicari. Qui cùm ab omnibus vitaretur, tentavit multotiens per honorabiles nuncios si forsan intercessione Principum, aut oblatione munerum, ejus posset animum inclinare. Quod cùm nullo modo proficeret, proprium tandem recognoscens excessum, primò coram Magdeburgensi Archiepiscopo & multis Principibus, ac secundò coram Maguntinensi Archiepiscopo & multis aliis magnatibus juramento firmavit quòd mandatis Apostolicis obediret. Et exinde nec viarum evitans discrimina, nec incommoda temporis impacati, ad Apostolicam Sedem accessit, in multa contritione cordis & humilitate corporis absolutionis beneficium implorans. Qui cùm fuisset juramento rursus præstito absolutus, depositis calceamentis & pallio, cum corrigia in collo, Apostolico se conspectui præsentavit; & prosternens se totum in terram, in modum crucis manus expandit, cum grandi fletu postulans indulgentiam, proprium confitendo peccatum. Commota sunt autem viscera Summi Pontificis super eum. Sed ne dissolveret nervos Ecclesiasticæ disciplinæ, post deliberationem multiplicem in publico consistorio præcepit eidem sub debito præstiti juramenti ut tam Hildesemensem quàm Herbipolensem Ecclesias omnino dimitteret: qui quamvis omnino confusus humiliter obedivit, faciens de necessitate virtutem. Misitque munera quædam ipsi Domino Papæ, videlicet vasa argentea pulcra visu; qui animo hæsit paulisper, hæsitans utrum deberet illa recipere, an potiùs refutare. Sed ne ille de gratia sua penitùs desperaret, recepit oblata; & ne putaret quòd munerum posset donatione corrumpi, misit ei per honorabilem nuncium unam cupam auream preciosam majoris quàm illa vasa essent argentea universa. Volens autem infundere oleum super vinum, cùm præcepisset ut Hildesemensis Ecclesia idoneum sibi Pontificem per electionem canonicam provideret, ordinationem duxit Herbipolensis Ecclesiæ differendam; ut si forsan eadem Ecclesia iteratò postularet eundem, humiliatum erigeret quem dejecerat exaltatum; sicque post annum factum est ut prævidit de eo.

XLVI. Ne autem ex aliqua parte suum judicium

Digitized by Google

cium claudicaret, similem pœnæ modum adversùs Salzburgensem Archiepiscopum observavit: qui cùm esset Brixinensis Episcopus, quoniam in Archiepiscopum Salzburgensem electus, absque licentia Summi Pontificis ad metropolitanam Ecclesiam transire præsumpsit, electionem omnino cassavit, & præcepit eidem ut ad primam Ecclesiam, secundâ relictâ, rediret, cassans quicquid egerat erga illam. Unde Gurzensem electum à Gurzensi Episcopatu removit, quoniam in eo ab ipso fuerat institutus. Ipse verò alterius exemplo perterritus humiliter obedivit. Cùmque postmodum fuisset electus, electionem recipere non præsumpsit; sed cum electoribus suis ad Apostolicam Sedem accessit, dispensationis gratiam obtenturus. Et quidem obtinuit, ut experimento cognosceret quòd in arca fœderis & virga continetur & manna.

XLVII. Inter hæc ad subventionem & recuperationem Terræ Sanctæ ferventissimè aspirabat, sollicitè cogitans qualiter hoc posset efficaciùs adimplere. Quia verò detrahendo dicebant nonnulli quòd Ecclesia Romana imponebat aliis onera gravia & importabilia; digito autem suo nolebat illa movere, duos de fratribus, videlicet Soffridum tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum & Petrum Sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinales elegit, quibus & signum crucis imposuit, ut tam verbo quàm exemplo invitarent alios ad obsequium crucifixi, constituens ut universi Clerici majores pariter & minores de proventibus Ecclesiasticis quadragesimam partem in subsidium Terræ Sanctæ conferrent, ipse verò & Cardinales decimam de proventibus suis tribuerent portionem. Sicque factum est ut decrevit; fecitque fieri novam navim; pro qua cum armamentis suis mille trecentas libras expendit, & jussit eam onerari frumento, leguminibus, panibus, & carnibus; & per duos fratres, unum Templi, & alium Hospitalis, & tertium monachum, præcepit universa distribui necessitatibus Terræ Sanctæ. At illi proficiscentes applicuere Messanam, ubi propter turbationem æquoris compulsi sunt diutiùs demorari. Videntes autem deperire frumentum, quod & tunc cariùs in Sicilia quàm in Syria vendebatur, præhabito diligenti consilio frumentum ipsum Messanæ vendiderunt; preciumque cum ceteris deferentes, in tres partes omnia diviserunt; & unam partem assignaverunt ad restaurationem murorum Tyri, qui corruerant terræ motu, alteram in usus pauperum, & tertiam in stipendia bellatorum. Navim verò fecit tradi Templariis in præsidium opportunum. Misit ergo præfatum Soffridum Presbyterum Cardinalem ad Ducem & populum Venetorum; ad cujus exhortationem ipse Dux & multi de populo crucis characterem assumpserunt. Marchio quoque Montisferrati, Episcopus Cremonensis, & Abbas de Lucedio, multique alii nobiles de provincia Lombardiæ, cum multitudine plebis innumera, devoverunt se ad obsequium crucifixi. Quod ut pleniùs & liberiùs posset impleri, duos alios Cardinales, videlicet Petrum Presbyterum tituli Sanctæ Cæciliæ & Gratianum Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum, Pisas & Januam destinavit; ut inter Pisanos & Januenses pro Terræ Sanctæ succursu pacis fœdera reformarent. Sed quia filii pacis non erant, verbum pacis minimè receperunt. Generalem igitur indulgentiam universis Crucesignatis concessit in remissionem peccatorum, & eos cum omnibus bonis suis sub Apostolica protectione suscepit.

XLVIII. Præfatum verò Petrum Diaconum Cardinalem, quem ipse postmodum in Presbyterum ad titulum Sancti Marcelli promovit, direxit in Gallias, tria sibi præcipiens & injungens, videlicet ut exhortaretur & induceret populos ad Terræ Sanctæ succursum, ut pacem vel treugas inter Francorum & Anglorum Reges componeret & firmaret, & ut ipsum Regem Francorum ad dimittendum superinductam & recipiendum uxorem propriam, quam injustè dimiserat, commoneret & cogeret, si necessitas postularet. Ipse verò profectus circa primum capitulum usque adeo divina gratia favente profecit quòd innumera tam militum quàm peditum multitudo ad verbum exhortationis ipsius signum crucis suscepit ad obsequium crucifixi, cum quibus & quidam Episcopi & Abbates ac alii multi Clerici peregrinationis propositum assumpserunt; inter quos principales fuerunt Theobaldus Comes Trecensis, Ludowicus Comes Blesensis, Balduinus Comes Flandriæ ac Haynoniæ, & Comes de Sancto Paulo, Suessionensis & Trecensis Episcopi, & quidam ordinis Cistercienesis Abbates. Circa secundum quoque capitulum idem Legatus ita processit quòd Philippus Rex Franciæ in manu ejus data fide promisit se ad mandatum ipsius pacem vel treugas cum Rege Angliæ initurum. Richardus autem Rex Angliæ se difficilem ostendebat. Sed cùm idem Legatus ei cœpit rigorem Ecclesiasticum intentare, saniori ductus consilio acquievit; & quinquennales treugas composuit inter Reges, faciens quædam castella quæ tunc unus firmaverat contra alterum demoliri.

XLIX. Circa tertium verò capitulum ad pleniorem intelligentiam est notandum quòd defuncta prima uxore præfati Philippi Regis Francorum filia Balduini Comitis Hannoniæ, nepte videlicet Philippi Comitis Flandriæ, de qua susceperat unicum filium nomine Ludovicum, tractatum est inter ipsum & Canutum Regem Danorum ut Ingeburgim sororem ipsius idem Rex Franciæ duceret in uxorem; missoque Stephano Noviomensi Episcopo cum Regio apparatu ut illam adduceret, ipse Rex eam cum multo desiderio expetebat. Cùmque de ipsa suscipienda in conjugem & tenenda præstitæ fuissent sufficientes & idoneæ cautiones, frater ejus transmisit cum ea Petrum Roschildensem Episcopum cum idoneo comitatu. Quæ cùm transvecta per mare pervenisset Ambianis, ubi Rex Franciæ ipsius præstolabatur adventum, dilationis impatiens, ipso die desponsavit eandem. Et congregatis Principibus tam Ecclesiasticis quàm mundanis, sequenti die per manum Willelmi Remensis Archiepiscopi fecit eam secum solemniter coronari. Sed inter ipsa coronationis solemnia, suggerente diabolo, ad aspectum ipsius cœpit vehementer horrescere, tremere, ac pallere, ut nimiùm perturbatus vix sustinere posset finem solemnitatis inceptæ. Statimque motum est verbum divortii celebrandi propter affinitatis obstaculum quod inter eos quidam existere mussitabant, dicentes quòd secunda contigerat primam uxorem in gradu consanguinitatis quarto vel quinto. Sed aliis asserentibus quòd id sine turpi nota subitò fieri non valeret, aliquantulum est dilatum; & interim suggestum est Regi ut ad illam accederet, si forsan affectu mutato carnaliter illam cognoscere posset. Accessit igitur Rex ad illam apud Fossatum prope Parisius, quò fecerat illam adduci; & thorum ejus ingressus, post paululum ab illa recessit, in tan-

tantum habens ipsam exosam ut vix sustineret coram se de illa fieri mentionem. Asserebat autem Regina quòd Rex carnaliter illam cognoverat. Rex verò è contrario affirmabat quòd ei non potuerat carnaliter commisceri.

L. Convocatis igitur præfato Remensi Archiepiscopo in sua provincia tunc Apostolicæ Sedis Legato & aliis quibusdam Episcopis, coram eis accusatum est matrimonium, ipsa Regina quid ageretur penitùs ignorante, utpote quæ compatriotis remissis ad propria, quasi sola remanserat, linguæ Francorum prorsùs ignara; & affinitate per quosdam testes in continenti jurata, mox idem Archiepiscopus sententiam divortii promulgavit; quæ cùm Reginæ per quemdam exponeretur interpretem, illa ultra quàm dici posset admirans, flens, & ejulans, exclamavit: *Mala Francia*, *Mala Francia*; & adjecit: *Roma*, *Roma*. Non enim aliter noverat Gallicis verbis talem exprobare sententiam aut Sedem Apostolicam appellare. Protinus ergo Rex illam à Regno Francorum emisit, & in quodam cœnobio monialium extra Regni fines fecit utcunque deponi.

LI. Turbati sunt multi, quin & penè omnes qui Deum timebant & justitiam diligebant, super sententia tam iniqua. Pervenitque fama vel magis infamia hujus facti ad Cœlestinum tunc temporis Papam: qui cùm per magistrum Meliorem tituli Sanctorum Johannis & Pauli Presbyterum Cardinalem de Francia redeuntem veritatem pleniùs & certiùs cognovisset, quia factum erat notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari sententiam illam divortii contra ignaram & indefensam inordinatè ac impetuosè prolatam auctoritate Apostolica irritavit, interdicens Regi per nuncios & apices suos ne aliam sibi præsumeret copulare. Verùm quanto idem Papa ferventior circa hoc apparuit in principio, tanto tepidior est inventus in fine: quia licèt Rex Danorum, germanus frater ipsius Reginæ, per honorabiles nuntios imploraret ut compelleret Regem Francorum ad recipiendnm eandem Reginam sororem suam, quam injustè dimiserat, sicut juris ratio postulabat, nunquam tamen apud eum hoc potuit obtinere: quinetiam toleravit ut idem Rex, post interdictum ipsius, filiam Ducis Meraniæ, puellam utique pulchram nimis, non fine multo scandalo superduceret & teneret.

LII. Præfatus autem Innocentius Cœlestino succedens, statim per literas suas & per Parisiensem Episcopum sæpedictum Regem studuit commonere ut eam removeret à se quam contra interdictum Ecclesiæ superduxerat, & reciperet illam in gratiam conjugalem quam legitimè ductam illegitimè duxerat amovendam, juris ei licentia non negata quo minùs facta restitutione, postmodum audiretur, si quid duceret proponendum, contestans eidem quòd quantumcunque sibi molestum existeret eum in aliquo molestare, quia tamen oportebat eum plus cœlesti quàm terreno Regi deferre, & sine personarum acceptatione procederet sicut ratio postularet. Quia verò idem Rex sæpe commonitus noluit acquiescere, sæpedicto Legato per Apostolica scripta præcepit quatinus sublato appellationis obstaculo totam terram ipsius ecclesiastico subjiceret interdicto, ut nullum in ea, præter baptisma parvulorum & pœnitentiam morientium, divinum celebraretur officium, si forsan ei vexatio tribueret intellectum. Congregato igitur apud Divionem Archiepiscoporum, necnon Abbatum, & aliorum multorum Concilio, Rex præsentiens quòd idem Legatus vellet procedere contra ipsum, per nuntios suos fecit ad Sedem Apostolicam appellari. Legatus autem, non ut appellationi deferret, sed ut differret ad tempus, quatinus alibi mandatum Apostolicum commodiùs adimpleret, tandem apud Viennam multis Archiepiscopis convocatis, inter quos quidam de Regno Francorum fuere præsentes, interdicti sententiam promulgavit mandans per literas suas, quibus etiam tenorem Apostolicarum inseruit literarum, universis Ecclesiarum Prælatis in terra Regis Franciæ constitutis ut eam & ipsi servarent & facerent per suas literas observari. Quòd si forsan Episcoporum aliqui contra eam venire præsumerent, scirent se ab officio Pontificali suspensos. Ceteris verò cujuscumque dignitatis vel ordinis officiorum & beneficiorum administrationem penitùs interdixit. Omnes autem ad festum Ascensionis Domini proximè tunc futurum de inobedientia responsuros ad Sedem Apostolicam appellavit.

LIII. Receptis igitur literis ejus, quidam in auditu auris obedire cœperunt, sicut Canonici Senonenses, Parisiensis Episcopus, Silvanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Attrebatensis, & quidam alii, sententiam interdicti firmiter observantes. Alii verò distulerunt observare sententiam, sicut Rhemensis Archiepiscopus, Episcopus Laudunensis, Noviomensis, Antissiodorensis, Beluacensis, Morinensis, Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis, & alii fortè perpauci, nuntios suos ad Sedem Apostolicam destinantes, per quos quasdam excusationes, licèt frivolas, prætendebant; sed promittebant quòd illis expositis, si demum placeret Summo Pontifici, sententiam observarent. Cùm igitur Summus Pontifex excusationes illas evidentissimis rationibus improbaret, præcepit eisdem ut & ipsi pariter observarent sententiam interdicti. Qui, audito præcepto, humiliter paruerunt. Sicque tota terra Regis Francorum arctissimò est interdicto conclusa, ita ut clausis Ecclesiis nusquam in cœmeteriis sepelirentur corpora mortuorum, quinetiam super terram servabantur ubilibet insepulta.

LIV. Rex autem in tantam indignationem excanduit ut Episcopos & alios Clericos, qui primò servaverunt interdictum, ab Ecclesiis suis faceret violenter expelli & bona omnia occupari. Sed cùm plebs universa clamaret, Rex jam non valens Ecclesiasticæ severitatis sustinere rigorem, nuntios suos, quosdam videlicet Clericos, & quosdam Milites, ad Summum Pontificem destinavit, conquerens multipliciter de Legato, sed tamen offerens per eosdem juratoriam cautionem, quòd coram Legatis, vel delegatis judicibus staret juri. Quibus prudentissimus Papa respondit, quòd distinguendum erat utrum stare vellet juri dictato, vel juri dictando; si juri dictato, ut videlicet secundùm jus quòd dictaverat, superinductam à suo removeret consortio, & Reginam reciperet antedictam, libenter reciperet cautionem, immo sinè cautione qualibet, si hoc faceret, relaxaret sententiam interdicti, dummodo priùs Episcopi, & Clerici destituti plenam fuissent restitutionem adepti. Si verò juri dictando, videlicet ut secundùm jus quòd dictaret, affinitatis decideretur articulus, cautionem oblatam reciperet ad cautelam, dummodo superducta remota, Reginam priùs reciperet memoratam. Hoc autem cùm Rex per nuntios suos à Sede Apostolica revertentes audisset, spiritus ejus cœpit multi-

multipliciter anxiari; quia nec illam volebat recipere, quam habebat vehementer exosam, nec istam dimittere, quam habebat nimis acceptam. Verùm convocatis quibusdam Principibus tam Ecclesiasticis, quàm mundanis, cœpit deliberare cum illis quid ei foret in hoc articulo faciendum. Quibus unanimiter respondentibus, quòd parendum erat Apostolicæ Sedis mandatis, quæsivit ab avunculo suo Remensi Archiepiscopo, qui sententiam divortii promulgaverat, utrum verum esset, quod sibi Dominus Papa scripserat, videlicet, quòd illa non erat divortii dicenda sententia, sed ludibrii fabula nominanda. Qui cùm respondisset verum esse, quod scripserat Summus Pontifex, (non enim audebat aliud respondere) statim Rex intulit dicens: Ergo tu es stultus & fatuus, qui talem sententiam protulisti.

LV. Remissis igitur nuntiis instabat ut priùs, quòd videlicet relaxato interdicto, cognosceretur de jure. Sed cùm nec minis nec precibus, nec promissis animus Summi Pontificis flecti posset in fundamento justitiæ solidatus, ipsius arbitrio se submisit. Qui Octavianum Ostiensem Episcopum Legatum in Franciam destinavit, talem sibi formam præfigens, ut ante omnia satisfactionem plenariam de damnis, & injuriis Clericis, & Ecclesiis irrogatis faceret exhiberi, ita quòd ii qui propter obedientiam, & reverentiam Apostolicæ Sedis graves perpessi fuerant contumelias & jacturas, per Apostolicam Sedem sibi sentirent, & gauderent congruè satisfactum; deinde superinductam præciperet à Regis consortio tam carnaliter, quàm localiter removeri; ut non solùm à Regis amplexibus, verùm etiam à Regni finibus faceret illam excludi, & præfatam Reginam ab ipso Rege solemniter recipi, & regaliter pertractari, recepta publicè juratoria cautione, quòd eam sine judicio Ecclesiæ non dimitteret; & sic relaxaret sententiam interdicti, reservata sibi correctione illorum, qui ab initio non servaverunt interdictum. Et si post frequentes & diligentes admonitiones, & exhortationes idem Rex præfatam Reginam sicut legitimam habere nollet uxorem, sed mallet matrimonium accusare, præcepit eidem Legato ut pro termino peremptorio ad inchoandum causam spatium sex mensium assignaret; infra quod, si præfata vellet Regina, commoneretur Rex Danorum Germanus ipsius ut ad defensionem ipsius viros prudentes cum Advocatis & testibus, & aliis quibuslibet necessariis sub Apostolica, & Regia securitate dirigeret competenti loco de libera voluntate partium assignato. Associavit autem de libera voluntate partium Ostiensi Episcopo ad examinationem, & defensionem causæ ipsius Johannem Tituli Sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem, injungens eidem ut assidentibus sibi viris religiosis, literatis, & providis, causam ipsam sufficienter, diligenter, ac patienter examinare curarent, taliter in verbis & operibus, & aliis circumstantiis se habentes ut nulla de ipsis posset suspicio suboriri, sed juris ordine per omnia observato, securitatem & libertatem parti sæpedictæ Reginæ per omnia providentes, causam ipsam mediante justitia terminarent. Profectus est Ostiensis Episcopus secundùm hanc formam ad Regem Francorum, & tam ab ipso, quàm ab ejus magnatibus honorificè, ac devotè receptus, fecit in primis Ecclesiis & Ecclesiasticis viris de damnis, & injuriis satisfieri congruenter, ac deinde Reginam de loco in quo fuerat ad quoddam regale castrum adduci; ubi præsentibus Archiepiscopis & Episcopis regnique magnatibus, & tam cleri, quàm populi multitudine copiosa, Rex ad mandatum Legati Reginam recepit, faciens in animam suam juramento firmari, quòd honorificè eam ut Reginam tractaret, & absque judicio Ecclesiæ non dimitteret. Et sic ipse Legatus sententiam interdicti, quæ per octo menses duraverat, relaxavit cum multo gaudio, & applausu. Sed nonnulli sibi detraxerunt, quòd Apostolici mandati forma neglecta in quibusdam superficialiter processisset. Superinductam autem Rex à suis separavit amplexibus, sed à regni finibus non exclusit, quia gravida erat & partui jam vicina. Porrò causam ipsius Dominus judicavit; quia post partum graviter infirmata, debitum carnis exsolvit.

LVI. Cùm igitur idem Rex non posset induci ut ipsam Reginam vellet maritali affectione tractare, assignati sunt certi dies & certus locus ad causam, in quo apud Suessionem, præsentibus partibus, ambo interfuere Legati; coram quibus causa cœpit suo marte tractari. Et licèt Rex plures & majores Advocatos haberet, non tamen defuit qui propter Deum verbum faceret intrepidus pro Regina. Videns verò Rex, quòd parum proficeret, cùm diebus aliquot litigasset, indignatus recessit, nolens coram ipsis Legatis ulteriùs litigare. Summus autem Pontifex, etsi nunquam potuerit Regem inducere ut ipsam Reginam diligeret, nunquam tamen cessabat nec blandis, nec asperis agere apud ipsum ut eam faceret regaliter honorari, consolatorias & confortatorias ei literas sæpe transmittens, & per proprios nuntios eam faciens visitari, de contingentibus nihil omittens, etiamsi Regi plurimùm displiceret. Nam eadem Regina conquerebatur se magis esse incarceratam, quàm restitutam; cùm etsi Rex in victu & vestitu competenter ei faceret provideri, adeò tamen arctè faciebat eam apud Stampas in Regio Palatio custodiri, quòd nec ipsa permittebatur exire, nec quisquam ad eam nisi rarò permittebatur intrare, sicque manebat omnino solatio destituta.

LVII. Interea vacante Metropoli Senonensi, Antissiodorensis Episcopus ab universo Capitulo unanimiter est electus, Rege suum præbente consensum; missique sunt nuntii honorabiles, & solemnes ad obtinendam translationem, & Pallium impetrandum. Porrò Summus Pontifex prudenter attendens, quòd idem Antissiodorensis Episcopus unus fuerat ex illis, qui ab initio interdicti sententiam non servaverant, & Senonensis Ecclesia eam servaverat ab initio, ut discerneret inter obedientes & devotos, postulationem ipsius in publico consistorio reprobavit; cùm secundùm legem Divinam non sit arandum in bove & asino, nec quisquam debeat induere vestem de lana linoque contextam. Unde quidam protinus exclamavit, Nunquam Antissiodorensis Episcopus de bene cantando tantum acquiret, quantum de malè cantando jam perdidit, universis exaltantibus, & laudantibus Deum. Præfecit autem eidem Metropoli Magistrum Petrum de Corbolio, cujus Parisius in Sacra Pagina fuerat auditor, quem jampridem in Cameracensem Episcopum fecerat promoveri.

LVIII. Quia verò Summus Pontifex reservaverat sibi correctionem eorum, qui ab initio non servaverant sententiam interdicti, & ipsi sententiam suspensionis incurrerant, quam Legatus protulerat in eos qui eandem sententiam non

Digitized by Google

non servarent, compulsi sunt ad Apostolicam Sedem personaliter laborare. Venerunt igitur Remensis Archiepiscopus, Carnotensis, Aurelianensis, Meldensis, Antissiodorensis, Noviomensis, & Belvacensis Episcopi, & Procuratores eorum qui propter senectutem, vel ægritudinem accedere nequiverunt. Similiter & quidam Abbates venerunt. Qui verò venire non potuerunt, procuratores idoneos destinarunt. Recepit autem ab omnibus publicè juramentum, quòd tam super interdicti, quàm suspensionis sententia non servata mandatis Apostolicis obedirent; & sic eos à vinculo suspensionis absolvit; sed mandatum facere distulit ad cautelam.

LIX. Eo tempore tam in Oriente, quàm in Occidente detestabilis fuerat commissus incestus. Nam in Oriente una duobus fuit incestuosè conjuncta. In Occidente verò unus duas præsumpsit sibi jungere per incestum. Et incestui quidem in Oriente commisso non solùm consensus, sed & auctoritas Clericorum ibi consistentium intercessit. Sed in detestabili copula in Occidente contracta, licèt non absque quorundam Ecclesiasticorum virorum consensu fuerat forsitan attentata, Ecclesiastica tamen auctoritas nullatenus intervenit. Volens autem Deus majus peccatum vindicare celeriùs, & à similibus alios deterrere, tam Corradum Marchionem Montisferrati, qui Reginæ Jerosolymitanæ priùs adhæserat per incestum, occidit gladio, quàm Henricum Campaniæ Comitem, qui ei & in culpa quodammodo, & in pœna successit, dejecit præcipitio, utrumque verò morte imprævisa peremit. Nondum enim in hujusmodi iniquitatis auctores in Occidente suam exercuerat ultionem. Sed quanto longanimiùs adhuc sustinet, tanto forsan severiùs vindicabit. Licèt autem Apostolica Sedes, quod super hoc fuerat in Oriente commissum propter malitiam temporis, & persecutionem urgentem dissimulare sit visa, ad vindicandum tamen quod in Occidente fuerat attentatum, rigore canonicæ districtionis est usa. Nam audito quòd Rex Legionensis Consobrinam suam filiam Regis Portugalliæ incestuosè sibi præsumpserat copulare, tam Regem ipsum Portugalliæ, quàm incestuosè conjunctos excommunicationis sententiâ innodavit, & Legionense ac Portugalliæ regna sententiæ supposuit interdicti. Unde quod illegitimè factum fuerat est penitùs revocatum. Verùm dictus Rex Legionensis ad deteriora manum extendens, sicut is de quo dicit Scriptura, *Væ homini illi qui post se trahit peccatum quasi longam restem*, & *Impius cùm venerit in profundum vitiorum contemnit*, filiam Regis Castellæ Consobrini sui, neptem videlicet propriam, impudenter sibi copulare præsumpsit. Quod cùm ad ipsius Summi Pontificis pervenisset notitiam, protinus fratrem Raynerium, virum scientia, & religione pariter reverendum, Deo & hominibus obtentu scientiæ, & honestatis acceptum, in Hispaniam destinavit, ut juxta verbum propheticum dissolveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes; qui per Dei gratiam excussit ab omni munere manus suas, ita ut quod legitur verè possit de ipso referri: *Non fuit qui ditaverit Abraham*. Idem igitur frater Raynerius cùm in Hispaniam pervenisset, dictum Regem Legionensem semel, & iterum ex parte Summi Pontificis commonuit diligenter ut à tam detestabili, & nefanda copula resiliret, universis colligationibus dissolutis, quæ fuerant pro ipsa copula consummanda contractæ. Sed cùm apud eum nihil prorsùs monitis profecisset, certum ei diem assignavit & locum; & cùm ipsum etiam ultra terminum expectasset, in eum se contumaciter absentantem juxta formam mandati Apostolici excommunicationis sententiam promulgavit, & Regnum Legionense interdicto generali conclusit. In memoratum verò Regem Castellæ, ac Terram suam in nullo processit, cùm idem Rex se mandatis ejus exponeret, & quòd reciperet filiam suam, si sibi redderetur, proponeret assertivè, obligans se ad hoc per literas suas Summo Pontifici destinandas. Postmodum autem Toletanus Archiepiscopus, & Episcopus Palentinensis ex parte ipsius Regis Castellæ, ac ex parte Regis Legionensis Zamorensis Episcopus, ad Sedem Apostolicam accedentes, postulabant à Domino Papa ut cum eodem Rege Legionensi, & cum filia Regis Castellæ dignaretur super hujusmodi copula dispensare. Propter quod, nisi specialis illa gratia, quam habebat idem Dominus Innocentius ad devotionem dicti Regis Castellæ motum sui animi temperasset, in ipsos ita curasset severitatem Ecclesiasticam exercere, quòd nulli de cætero temporibus suis repudiatas toties, & damnatas petitiones afferrent. Tandem verò intelligentes Archiepiscopus, & Episcopi memorati, quòd non solùm Indulgentiam super hoc à Summo Pontifice, sed vix etiam possent audientiam impetrare, interdictum in terram dicti Regis Legionensis prolatum à Domino Papa postulavere remitti, asserentes quòd ex eo triplex toti Regno periculum imminebat, videlicet ab Hæreticis, Sarracenis, & Christianis. Ab Hæreticis; quia cùm propter interdictum ipsum clausa essent in partibus illis ora pastorum, non poterant fideles per eos contra hæreticos instrui, & ad resistendum eis aliquatenus informari, unde tum ex hoc, tum quia Rex Legionensis ab Ecclesia se asserens aggravatum, eis minimè resistebat, invalescebant contra fideles hæretici, & in Regno ipso hæreses variæ pullulabant. A Sarracenis; quoniam cùm per exhortationes, & remissiones Ecclesiæ Hispaniarum populus consuevisset ad expugnationem Paganorum induci, cessante Prædicatorum officio, populi etiam devotio tepescebat; quia dum se cum Principe suo, quoad interdictum, eidem videret pœnæ subjectum, à culpa, cui vel tacendo consenserat, fortè se non credebat immunem, propter quod minùs circa debellationem Sarracenorum fervebat, ne decederet in peccato. A Catholicis; quia cùm Clerici laïcis spiritualia ministrare non possent, laïci Clericis temporalia subtrahebant, oblationes, primitias, & decimas detinentes. Unde cùm Clerici ex his pro majori parte in partibus illis consueverint sustentari, eis subtractis, non solùm mendicare, sed fodere ac servire Judæis in Ecclesiæ, ac totius Christianitatis opprobrium cogebantur. Videbatur autem Domino Papæ difficile eorum petitioni annuere, ac sententiam ex animo & ordine, & causa latam canonicè sine satisfactione congrua relaxare. Ex animo siquidem; quia, sicut Deus suæ conscientiæ testimonium perhibebat, ad hoc nonnisi justitiæ, & honestatis obtentu processerat, cùm ex contrario potiùs contra ipsum Dominum Papam oriri præsumptio potuisset, si tam detestabile facinus duxisset in patientia tolerandum. Ex ordine: quia dictus frater Raynerius post commonitiones & dilationes legitimas, tandem districtione percussit Ecclesiastica contumacem.

Ex

Digitized by Google

Ex causa; exemplo, Divino videlicet & humano: Divino; quia cùm David in populi numeratione peccasset, Dominus in populum vasa sui furoris effudit, unde idem David dixisse legitur, peccatum suum Domino confitendo: *Ego sum qui peccavi, ego qui iniquè egi. Isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur, obsecro, furor tuus à populo tuo*. Humano; quia esset mali exempli; videlicet quòd si forsan in alia regna similem eundem Dominum Papam contingeret sententiam promulgare, similis ab ipso gratia peteretur; quam si forsan negaret, apud ipsum esse videretur acceptio personarum. Ex hoc etiam de ipso Summo Pontifice posset apud aliquos oriri suspicio, præsumentibus fortè quibusdam, quòd ad id moveretur ex causa latenti. Licèt igitur ex causis præmissis non videretur dicta petitio admittenda, quia tamen ubi multitudo est in causa, detrahendum est aliquid severitati ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat, in eo ad petitionem prædictorum Archiepiscopi, & Episcoporum gratiam duxit de communi fratrum suorum consilio faciendam ex quo videbantur impedimenta expressa superiùs provenire. Relaxavit igitur Summus Pontifex. non in totum, sed in una parte solummodo, interdictum; nec perpetuò, sed ad tempus, quamdiu scilicet sibi placeret, & expedire videret, ut probaret interim spiritus si essent ex Deo, & an, sicut idem Archiepiscopus, & Episcopi affirmabant, sperata inde utilitas sequeretur; sic videlicet ut in Regno ipso Divina celebrarentur officia, sed decedentium corpora ecclesiasticæ sepulturæ minimè traderentur, in quo tamen Clericis fecit gratiam specialem, in eo videlicet ut in Cœmiterio Ecclesiastico deberent cessante solemnitate solita tumulari. Quod licèt aliquibus posset absonum fortè videri, ut officio restituto, Sepultura Ecclesiastica negaretur, quia juxta canonicas sanctiones cui communicavimus vivo, communicare debemus & mortuo, rectè tamen intelligentibus nihil ex hoc incongruitatis occurrit, cùm juxta Lateranensis instituta Concilii decedentes ex torneamentis, etsi per pœnitentiam reconcilientur Ecclesiæ, Christiana tamen sepultura priventur. Ut autem non remittere pœnam, sed commutare potiùs videretur, dictum Regem Legionensem, memoratam filiam Regis Castellæ, & omnes eorum principales Consiliarios, & fautores excommunicationis vinculo innodavit, mandans ut ad quamcumque civitatem, villam, vel oppidum devenirent, nullus ibidem eis præsentibus Divina officia celebraret. Dicto autem Regi Castellæ, ac Reginæ uxori ejus præcepit ut ad dissolvendam prædictam copulam operam impenderent efficacem, alioquin in eos & terram suam similem sententiam promulgaret. Quia verò castra quædam, quæ idem Rex Legionensis dictæ filiæ Regis Castellæ tradidisse dicebatur in dotem, ita ut si eam aliqua ratione relinqueret, ipsa cederent in jus ejus, impedimentum præstabant hujusmodi copulæ dissolvendæ, mandavit castra ipsa restitui, & ad id puellam ipsam excommunicationis sententia coarctari, decernens ut si ex tam incestuosa, & damnabili copula susciperetur aliqua proles, spuria & illegitima penitùs haberetur, quæ secundùm statuta legitima in bonis paternis nulla ratione succedit. Licèt autem aliquanto tempore in sua contumacia perdurassent, demum tamen redeuntes ad cor, incestuosam copulam dissolverunt; & cùm fuissent ab invicem separati, præstito secundùm formam Ecclesiæ juramento meruerunt absolvi.

LX. Eodem tempore anathematizavit Suerum apostatam, qui Regnum Norvagiæ per violentiam occupaverat, legitimo Regni hærede perempto; & Nidrosiensem Archiepiscopum, qui perversis ejus actibus consentire nolebat, coëgit eum idem apostata extra suam Provinciam exulare; qui per Apostolicæ Sedis mandatum ab alio Archiepiscopo benignè receptus, invasor in peccato suo vitam finivit, & sic ad Ecclesiam suam post exilium suum remeavit.

LXI. Audita promotione Domini Innocentii, Alexius Constantinopolitanus Imperator misit ad eum honorabiles nuntios cum muneribus preciosis, rogans ut ipse per Legatos suos ejus Imperium visitaret. Qui misit illuc Albertum Subdiaconum, & Arbertum Notarium, monens per eos in literis suis Imperatorem prædictum ut ad succursum intenderet Terræ Sanctæ, cui propter divitiarum abundantiam, vicinitatem locorum inter omnes Principes Christianos poterat pleniùs subvenire, sed & Græcorum Ecclesiam reduceret ad obedientiam Sedis Apostolicæ Matris suæ, à cujus Magisterio se subtraxerat in sua contumacia longo tempore perseverans, alioquin pro certo cognosceret, quòd non posset sub dissimulatione transire, quin super hoc suum exequeretur officium, cùm ipse acceperit justitiam judicandi, super hoc ipse scribens Patriarchæ Constantinopolitano, monens ut ad id Imperatorem induceret memoratum. Quid autem Imperator ipse ad utrumque responderit, & qualiter ad ejus responsum Dominus Papa rescripserit per Johannem Capellanum suum illuc iterum destinatum, ipsius literæ ad eundem Imperatorem directæ declarant.

Multæ, *inquit*, nobis attulit exultationis affectum, quòd sicut ex literis Excellentiæ Imperialis accepimus, Legatos & literas nostras recepit humiliter Imperatoria celsitudo, & ad ea quæ super Ecclesiæ unitate nos scripsisse meminimus, etsi non omnino sufficienter, & evidenter, benignè tamen & devotè respondit, & exhortationes & commonitiones nostras suum rescripsit Imperium acceptasse. Is enim à quo secundùm Apostolum est omnis potestas, scrutator scilicet renum & cordium Jesus Christus, qui habet cor Principum in manu sua, qui aperit & nemo claudit, aures tuæ serenitatis aperuit, & eum tibi devotionis spiritum inspiravit ut quæ per nos, licèt insufficientes Vicarios suos, & immeritos Apostolorum Principis successores, Imperiali magnificentiæ literis fuerant exarata, & audires humiliter & benigniùs acceptares; licèt super subventione Terræ Orientali hactenus non impensa magnificentiam tuam nos credideris increpasse, cùm tamen id non increpando scripserimus, sed potiùs commonendo, quamvis increpationis alloquium à Pontificali non sit alloquio alienum, juxta quæ Paulus ad Timotheum scribens ajebat: *Prædica verbum, insta importunè, oportunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Miramur autem, quòd Imperialis prudentia pro recuperatione Terræ Sanctæ nondum esse laborandum visa est suis literis innuisse; quia, sicut ex detentione ipsius Terræ poterat evidenter agnosci, nondum Dominus peccatis nostris fuerat complacatus, qui non in multitudine, nec in arcu, sed in virtute sua salvos facit de sua misericordia confidentes. Timens enim, sicut tuæ literæ continebant, ne si tempus à Deo

Deo ejusdem terræ liberationi prævisum Imperialis serenitas voluerit prævenire, se frustra laborasse deploret, & increpetur à Domino per Prophetam dicentem sibi: *Regnaverunt, & non per me; dominati sunt, nec me noverunt*. Verùm ut non tam ad reprehensionem, quàm instructionem loquamur, si diligenter consideres, & inspicias veritatem, longè aliter intelliges sentiendum. Bonorum enim omnium dator, qui reddet unicuique secundùm opera sua, cui servitia coacta non placent, liberum homini concessit arbitrium, ut super his in quibus humanum posset invenire remedium Dominum non tentaret. Scriptum est enim: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Est igitur in tanta necessitate populi Christiani, vel potiùs Jesu Christi tam tibi, quàm universis Sacri Baptismatis unda renatis libero utendum arbitrio, & subveniendum exuli crucifixo; ne si redemptionis ejusdem terræ tempus ignotum hominibus expectare volueris, & nihil agere per teipsum, sed universa relinquere dispositioni Divinæ, Sepulcrum Dominicum à Sarracenorum manibus per tuæ subventionis auxilium nullatenus liberetur, & inde per negligentiam Imperialis magnificentia Divinam incurrat offensam, unde per solicitudinem suam gratiam Domini poterat promereri. Numquid enim sensum Domini cognovisti? Numquid Consiliarius ejus es, ut certus de dispositione Divina, tunc primùm arma moveas in Paganos, & ad liberationem Hierosolymitanæ Provinciæ accingaris cùm Dominus disposuerit misereri populi Christiani, & hæreditatem suam de manu Sarracenorum liberare? Nonne legisti de altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quoniam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? Sanè si Divinæ mentis arcana præscires, & liberationem Sepulcri Dominici occultæ revelationis oculo prævideres, numquid tibi meritorium esset tunc primùm in Terræ Sanctæ subsidium proficisci, quasi velles Dominum in suæ dispensationis executione juvare, quæ per te nec impediri posset, nec etiam prorogari? Qui hoc sentiunt, dicere compellentur despuisse Prophetas, qui eos pœnitentiam agere prædicabant quorum peccatum ex eorum contemptu Deus præviderat aggravandum. Ut cùm Moyses jussus à Deo monuerit Pharaonem ut & dimitteret populum, induratum sit tamen cor ejus ut populum dimittere nollet, est flagellatus, non erat secundùm opinionem talium vel desistendum à vitiis, vel virtutibus insistendum, sed standum potiùs dispositioni Divinæ, quæ damnandos prævidit singulos aut salvandos. Legit, sicut credimus, Imperialis excellentia, vel audivit quòd propter peccatum Israëlitici populi quadraginta dies, quibus debuerat terram repromissam intrare, in annos totidem Dominus commutavit, & è converso ad contritionem, & lacrymas Ezechiæ vitam ejus in ter quinos annos extendit. Ex quo potest plenè perpendi, quòd & tempus posset Sarracenicæ persecutionis breviare qui in Evangelio de Antichristi persecutione loquutus adjecit: *Nisi breviati fuissent dies illi, salva non fieret omnis caro*. Præterea inter cæteras arcanas, & inscrutabiles causas invasionis, & detentionis Terræ Orientalis, hanc etiam Dominus sua forsan miseratione prævidit, ut multi relictis parentibus & amicis, immo etiam omnibus quæ habebant assumpto salutiferæ crucis signo sequentes in defensione Terræ Sanctæ ipsius vestigia martyrio coronentur, & inde triumphans Ecclesia lætetur & augeatur in cœlis, unde militans dolere, & minorari videtur in terris. Nolumus autem in hujusmodi ampliùs immorari, cùm rectè attendentibus, & inspicientibus diligenter veritas pateat per seipsam. Imperialis autem Celsitudinis erit sic de cætero Christo exuli subvenire ut & obloquentium detractionem evitet, & in ultimæ discussionis examine illud Evangelicum contra se audire non possit: *Hospes fui, & non collegistis me; infirmus & in carcere, & non venistis ad me*. Gaudemus autem quòd super Ecclesiæ unione, pro qua Imperatoriæ magnificentiæ specialiter literas nostras direximus & Legatos, sicut ex literis tuis accepimus, promptum videris habere affectum, & ad consummandum quæ scripsimus intendere diligenter. Rescripsisti enim per literas tuas, ut tuis verbis utamur, quòd nostræ sanctitatis est, secundùm præcedentes Synodales operationes, pro requisitis dogmatibus Synodales conventiones fieri dispensare, & nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quæ apud vos est Ecclesia non ad conventum tardabit. Licèt autem Apostolica Sedes non tam constitutione Synodica, quàm Divina caput, & Mater omnium Ecclesiarum existat, sicut ex tenore literarum quas venerabili fratri nostro Patriarchæ Constantinopolitano dirigimus, & quarum tibi destinamus exemplar, Celsitudini tuæ poterit apparere, ideoque Patriarcha prædictus nec pro disparitate rituum, nec dogmatum diversitate differre debuerit quin nobis, sicut suo capiti, secundùm antiquum & canonicum statum benigniùs, & devotiùs obediret, cùm certa non sint pro dubiis relinquenda, nos tamen pro multis necessitatibus Ecclesiasticis disposuimus auctore Domino generale Concilium convocare, & synodalem celebrare conventum; ad quem si vocatus à nobis juxta tuam promissionem occurrerit, cùm hæc sint dogmata, quæ nostris literis requisivimus, ut scilicet membrum ad caput, & ad matrem filia revertatur, Ecclesiæ Romanæ reverentiam, & obedientiam debitam impensurus, eum sicut fratrem carissimum, & præcipuum membrum Ecclesiæ benignè, ac hilariter admittemus; de cæteris auctoritate Sedis Apostolicæ, ac sacri approbatione Concilii cum suo, & aliorum Fratrum nostrorum Consilio, quæ statuenda fuerint statuentes. Alioquin cùm scandalum Ecclesiæ non debeamus ulteriùs sustinere, qui de area Domini zizaniam debemus & paleas exsufflare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit; in hoc negotio de Fratrum nostrorum Consilio procedamus. Monemus igitur magnificentiam tuam, & exhortamur attentiùs, & in remissionem injungimus peccatorum quatenus sic efficias ut idem Patriarcha per se, vel si fortè justa præpeditus occasione nequiverit, per procuratores idoneos, & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatis statuto tempore ad Concilium vocatus accedat, Apostolicæ Sedi obedientiam, & reverentiam secundùm statum canonicum præstiturus; ne si secùs actum fuerit, quod non credimus, tam in te, qui potes, si volueris, efficere quod mandamus, quàm in eum, & in Græcorum Ecclesias procedere compellamur. Super cæteris autem dilectum filium Johannem Capellanum, & familiarem nostrum Apostolicæ Sedis Legatum, virum providum, & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suæ religionis, & honestatis acceptum, ac tuæ serenitati devotum, ad imperialem excellentiam duximus destinandum, monentes, & exhortantes

Digitized by Google

tes attentiùs quatenus eum ſicut Legatum Apoſtolicæ Sedis benignè recipias, & honores, & ea ſine dubitatione qualibet credas quæ tibi ex parte noſtra duxerit proponenda. Sciturus pro certo, quòd ſi noſtris volueris conſiliis acquieſcere, gravi tempeſtate ſedata, grata tibi poterit tranquillitas provenire.

LXII. Patriarchæ verò, qui eum ſuper duobus articulis conſuluerat, reſcripſit hoc modo.

Apoſtolicæ Sedis primatus, quem non homo ſed Deus, immo veriùs Deus homo conſtituit, multis quidem & Evangelicis & Apoſtolicis teſtimoniis comprobatur, à quibus poſtmodum conſtitutiones canonicæ proceſſerunt concorditer aſſerentes Sacroſanctam Romanam Eccleſiam in Beato Petro Apoſtolorum principe conſecratam, quaſi magiſtram & matrem ceteris præminere. Hic enim cùm interroganti Domino quem homines eſſe dicerent filium hominis, aliis opiniones referentibus aliorum, ipſe velut inter ceteros primus eum eſſe Chriſtum Dei vivi filium reſpondiſſet, audire promeruit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et poſt pauca: *Tibi dabo claves Regni cœlorum*. Nam licèt primum & præcipuum fundamentum Eccleſiæ ſit unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus, (juxta quod dicit Apoſtolus, quia fundamentum poſitum eſt præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Jeſus) ſecundum tamen & ſecundarium Eccleſiæ fundamentum eſt Petrus, etſi non tempore primus, tamen auctoritate præcipuus inter ceteros; de quibus Paulus inquit Apoſtolus: *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*; quos & fundamenta eſſe in montibus Sanctis David Propheta etiam teſtatur. Hujuſmodi etiam primatum veritas per ſeipſam expreſſit, cùm inquit ad eum: *Tu vocaberis Cephas*. Quod etſi Petrus interpretetur, caput tamen exponitur; ut ſicut caput ter cetera membra corporis, velut in quo viget inplenitudo ſenſuum, obtinet principatum, ſic & Petrus inter Apoſtolos, & ſucceſſores ipſius inter univerſos Eccleſiarum Prælatos prærogativâ præcelleret dignitatis, vocatis ſic ceteris in partem ſolicitudinis ut nihil ei de poteſtatis plenitudine deperiret. Huic Dominus oves ſuas paſcendas vocabulo tertiò repetito commiſit, ut alienus à grege dominico cenſeatur qui eum etiam in ſucceſſoribus ſuis noluerit habere paſtorem. Non enim inter has & illas oves diſtinxit, ſed ſimpliciter dixit, *Paſce oves meas*, ut omnes ei omnino intelligantur eſſe commiſſæ. Jacobus enim frater Domini, qui videbatur eſſe columna, Hieroſolymitana ſola contentus, ut ſemen fratris præmortui ſuſcitaret ubi fuerat crucifixus, Petro non ſolùm univerſam Eccleſiam ſed totum reliquit ſeculum gubernandum. Quod ex eo etiam evidenter apparet quòd cùm Dominus apparuiſſet in litore diſcipulis navigantibus, ſciens Petrus quòd Dominus eſſet, ſe miſit, in mare; aliis navigio venientibus, ipſe ſine beneficio navis ad Dominum feſtinavit. Cùm enim mare mundum deſignet juxta verbum Pſalmiſtæ dicentis, *Hoc mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia quorum non eſt numerus*. propter hoc quòd Petrus ſe miſit in mare, privilegium expreſſit Pontificii ſingularis, per quod univerſum orbem ſuſceperat gubernandum, ceteris Apoſtolis vehiculo navis contentis, cùm nulli eorum fuerit univerſus orbis commiſſus, ſed ſingulis ſingulæ provinciæ vel Eccleſiæ potiùs deputatæ. Iterum etiam ut ſe unicum Chriſti vicarium deſignaret, ad Dominum ſuper aquas maris mirabiliter ambulantem & ipſe ſuper aquas maris mirabiliter ambulavit. Nam cùm aquæ multæ ſint populi multi, congregationeſque aquarum ſint maria, per hoc quòd Petrus ſuper aquas maris ambulavit, ſuper omnes populos ſe poteſtatem habuiſſe demonſtravit. Pro eo quoque Dominus ſe oraſſe fatetur, inquiens in articulo paſſionis: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; ex hoc innuens manifeſtè quòd ſucceſſores ipſius nullo unquam tempore deviarent, ſed revocarent magis alios & confirmarent etiam hæſitantes; propter hoc ſic ei confirmandi alios poteſtatem indulgens ut aliis neceſſitatem imponeret obſequendi. Quod & tunc Petrus agere cœpit quando quibuſdam ex diſcipulis abeuntibus retro, & *Durus eſt hic ſermo* dicentibus, cùm dixiſſet Jeſus ad duodecim, *Numquid & vos vultis abire?* ſolus ipſe reſpondit pro ceteris: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Huic præterea dictum in Evangelio & audiſti ſæpius & legiſti: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Quod ſi omnibus etiam Apoſtoli ſimul dictum eſſe reperias, non tamen aliis ſine ipſo, ſed ipſi ſine aliis attributam eſſe cognoſcas ligandi atque ſolvendi à Domino facultatem; ut quod non alii ſine ipſo, ipſe ſine aliis poſſet ex privilegio ſibi collato à Domino & conceſſa plenitudine poteſtatis. At quod nimirum videtur illud non incongruè pertinere quòd ipſe ſolus legitur interrogaſſe Jeſum: *Si peccaverit in me frater meus, dimittam ei uſque ſepties?* Et ei ſoli Jeſus legitur reſpondiſſe: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Quia profectò ſeptenarius numerus univerſus eſt numerus, eò quòd omne tempus ſeptenario dierum numero noſcitur comprehendi. Septenarius ergo numerus in ſeipſum multiplicatus in hoc loco ſignificat univerſorum univerſa peccata; quia ſolus Petrus poteſt, non ſolùm omnia, ſed omnium crimina relaxare. Demum poſt paſſionem ſuam Dominus Petro dixiſſe legitur: *Tu me ſequere*; quod utique non tam de ſequela perferendæ paſſionis quàm creditæ diſpenſationis debet intelligi, cùm & Andreas & quidam alii præter Petrum ſicut Dominus fuerint crucifixi: ſed ſolum Petrum ſubſtituit ſibi Dominus & in officio vicarium & in magiſterio ſucceſſorem. Unde poſt Aſcenſionem Domini Petrus velut ſucceſſor ipſius regere cœpit Eccleſiam, ad complendum duodenarium numerum diſcipulorum loco Judæ prævaricatoris ex verbis Prophetæ alium inſtituens & faciens ſubrogari, & recepto Paraclito, diſcipulos non muſto repletos, ſed Spiritus Sancti gratiâ illuſtratos ex verbis Johelis apertiùs comprobavit. Hic pœnitentiam agere juſſit, & baptizari credentes. Hic inter diſcipulos, curando claudum, primus fuit miraculum operatus; & in Ananiam & Saphiram uxorem ſuam tamquam primus & præcipuus inter eos, quia mentiti fuerant in Spiritu Sancto, mortis ſententiam promulgavit. Hic ſimoniacæ peſtis radicem contra primitivam Eccleſiam pullulantem Apoſtolica falce ſuccidit, ſolus in Simonem Magum ſententiam damnationis promulgans; licèt non ei ſoli ſed omnibus communiter pecuniam obtuliſſet. Ipſæ præterea cùm in eum mentis cecidiſſet exceſſus, vidit cœlum apertum & deſcendens vas quoddam linteum magnum quatuor initiis de cœlo in terram ſubmitti, quod omnia quadrupedia & ſerpentia terræ ac cœli volatilia continebat. Et

Digitized by Google

cùm facta esset vox dicens ad eum, *Surge, Petre, macta, & manduca*, respondit: *Absit, Domine; quia nunquam immunda & communia manducavi*. Et vox ad eum facta est secundò: *Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris*. Per quod innuitur manifestè quòd Petrus prælatus fuit populis universis, cùm vas illud orbem & universitas contentorum in eo universas significet tam Judæorum quàm gentilium nationes. Quia licèt postmodum ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Urbem, non tamen concessum sibi primatum deseruit, sed secum potiùs cathedræ transtulit principatum; cùm Dominus eum nullatenus ignorare voluerit quem Romæ præviderat martyrio coronandum. Sanè cùm ipse postmodum, immo Dominus potiùs, qui se in eo pati asseruit, *Venio*, dicens ad eum, *Romam iterum crucifigi*, Romanam Ecclesiam suo sanguine consecrasset, primatum cathedræ successori reliquit, totam in eo transferens plenitudinem potestatis. Pro patre siquidem nati sunt ei filii, quos Dominus principes super omnem terram constituit. Sanè cùm per navem Petri Ecclesia figuretur, tunc Petrus juxta præceptum Dominicum navim duxit in altum, laxans prædicationis retia in capturam, cùm ibi posuit Ecclesiæ principatum ubi vigebat secularis potentiæ altitudo & Imperialis Monarchia residebat, cui ferè singulæ nationes sicut flumina mari tributa solvebant certis temporibus constituta. Ipse quidem primus Judæos, ipse quoque primus gentiles post Ascensionem Christi convertit ad fidem, ut super utrosque fideles se primatum accepisse monstraret, cùm ipso die Pentecostes ad verbum exhortationis ipsius circiter tria millia Judæorum baptismi receperint Sacramentum, ac deinde Cornelium Centurionem & suos quasi primitias gentium ad revelationem Angelicam baptizarit. Cùm autem inter Apostolos ad consultationem credentium magna fieret conquisitio utrum oporteret circumcidi fideles & Legem Mosaicam observari, Petrus principali fretus auctoritate respondit: *Ut quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem discipulorum quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Cujus sententiam subsecutus, Apostolicum super ista quæstione decretum Jacobus promulgavit. Paulus autem postquam abiit in Arabiam, & iterum rediit in Damascum, deinde post tres annos venit Hierusalem, ut Petrum videret, cum eo Euangelium quod gentibus prædicaverat collaturus, ne fortè in vacuum curreret aut etiam cucurrisset; cui etiam singularis Apostolatus privilegium recognoscens antonomasticè scribit de illo: *Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est mihi inter gentes*. Ut autem quem Dominus ceteris præfecit privilegio dignitatis, præ ceteris quoque virtutis privilegio decoraret, tantam ei contulit potestatem quòd ad umbram ejus salvabantur infirmi; ut in eo intelligatur esse completum quod Dominus dixerat: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*. Hæc autem non idcirco præmisimus ùt nos qui ei, licèt indigni, successimus in Apostolatus officio, extra nos ambulare velimus in magnis, aut super nos in mirabilibus exaltare, cùm à Domino dictum esse noverimus: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur*. Unde cùm inter piscipulos ejus quæstio de majoritate fuisset exorta, respondit: *Qui major est inter vos, erit omnium servus; & qui præcessor, tamquam ministrator*; seipsum in exemplo proponens: *Quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Propter quod & ipse Petrus ajebat: *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo*. Nam alia dicit scriptura: *Quantò major es, humilia te in omnibus*. Et iterum: *Principem te constituerunt; noli extolli, esto in illis quasi unus ex illis. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Sed quia per hæc & alia, sicut credimus, quæ tua non debet fraternitas ignorare, Apostolicæ Sedis magisterium recognoscens, eam super quibusdam dubitationum articulis consulere decrevisti; quod utique gratum gerimus & acceptum, & tuam exinde prudentiam in Domino commendamus; non quòd existimemus nos quasi sufficientes ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui linguas infantium facit disertas, & aperit ora mutorum. Quæsivisti etenim dubitans & addiscere volens qua ratione Romanam Ecclesiam unam & universalem in nostris literis vocaverimus, velut in quasdam species specialissimas jam divisam, cùm & unus sit pastor & unum ovile, licèt sub uno pastorum Principe Christo plures sint constituti pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd Ecclesia duabus ex causis universalis vocatur. Intelligentia namque dictorum ex causis est sumenda dicendi; cùm non res sermoni, sed rei sit sermo subjectus. Dicitur enim universalis Ecclesia quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo quoque Catholica nominatur. Et secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una quæ sub se continet Ecclesias universas. Et secundùm hanc nominis (5) rationem Romana tantùm universalis Ecclesia nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis ceteris est prælata; sicut & Deus universalis dominus appellatur, non quasi jam divisus in species aut specialissimas aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, de qua veritas inquit ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait: *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum*. Ex omnibus tamen una consistit, tamquam ex particularibus generalis; & una præminet omnibus; quoniam cùm unum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, illa velut caput ceteris membris excellit. Quæsivisti etiam & te asseruisti non modicùm dubitare, cupiens addiscere causam, quam acceptabis sine contradictione rationem habentem; cùm David de Hierusalem dicat in psalmis: *Mater Sion dicet, homo, & homo factus est in ea*, utpote in qua Christus dignatus est conversari, prædicare pariter & docere, ac nostram operari salutem, in ea nostræ ponens fidei fundamentum, propter quod mater meritò debet nuncupari, cùm ex ea doctrina processerit salutaris, cur mater omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia (6) dicatur, quæ ab Hierosolymitana Ecclesia orthodoxæ fidei sacramenta recepit, cùm

(5) *Cod. Eccl. Pod.* expositionem.

(6) *Cod. Pod.* nuncupatur.

Digitized by Google

cùm Apostolus etiam inquiens se usque ad Illyricum Evangelium prædicasse, quod quasi à Hierusalem inceperit evidenter ostendatur. Licet autem ex præmissis intelligatur & huic (7) inquisitioni responsum, cùm Ecclesia Romana dicatur mater, non ratione temporis, sed ratione dignitatis; (Nam etsi secundùm Johannem Andreas primus venerit ad fidem quàm Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm & in Apostolorum catalogo semper primus quasi præcipuus præmittatur; non quòd Petrus prior sit tempore, sed potior dignitate) ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet distinguere secundùm diversas nominis rationes inter Romanam & Hierosolymitanam Ecclesias; quòd illa dicenda sit Mater fidei, quoniam ab ea Sacramenta fidei processerunt; illa verò dicenda sit Mater fidelium, quoniam Privilegio dignitatis universis fidelibus est prælata; sicut etiam Synagoga dicitur Mater Ecclesiæ, quoniam & ipsa præcessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa, (juxta quòd eadem dicit in Canticis: *Filii Matris meæ pugnaverunt adversùs me*. Rursumque: *Paululum cùm pertransissem inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum Matris meæ*.) nihilominus tamen Ecclesia (8) Mater est generalis, quæ novo semper fœtu fœcunda concipit, parit, & nutrit. Concipit catechizando quos instruit, parit baptizando quos abluit, nutrit communicando quos reficit. De qua Propheta dicit in Psalmo: *Habitare facit sterilem in domo, Matrem filiorum lætantem*. Et idem Propheta, *Leva*, inquit, *in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt. Venerunt tibi; filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere consurgent*. Gaudemus autem non modicùm (& utinam in te ac super te nostrum gaudium impleatur) quòd Apostolatus nostri solicitudinem super unione Latinorum, & Græcorum Ecclesiæ commendasti pro Divino zelo, & ignito proposito quæ nos expressisti habere in tuarum serie literarum. Super qua etiam Imperialis nobis celsitudo rescripsit, quòd (ut verbis ejus utamur) nostræ sanctitatis est secundùm præcedentes Synodales operationes pro requisitis dogmatibus Synodalem conventionem fieri dispensare, & nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quæ apud vos est Ecclesia non ad conventum tardabit. Licèt autem, sicut ex prædictis apparet, Ecclesia Romana non tam constitutione Synodica, quàm Divina caput, & Mater omnium Ecclesiarum existat, & ideo nec pro disparitate rituum, nec dogmatum diversitate differre debueris quin nobis, sicut tuo capiti, secundùm antiquum & canonicum statum benigniùs, & devotiùs obedires, cùm certa non sint pro dubiis relinquenda, nos tamen pro multis necessitatibus Ecclesiasticis disposuimus, auctore Domino, generale convocare Concilium, & Synodalem celebrare conventum, ad quem si vocatus à nobis juxta ipsius Imperatoris promissionem concurreris, cùm hæc dogmata sint quæ nostris literis requisivimus, ut scilicet membrum ad caput, & ad Matrem filia revertatur, Ecclesiæ Romanæ reverentiam, & obedientiam debitam impensurus, te sicut Fratrem carissimum & præcipuum membrum Ecclesiæ benignè, & hilariter admittemus, de cæteris auctoritate Sedis Apostolicæ, ac Sacri approbatione Concilii cum tuo, & aliorum Fratrum nostrorum consilio quæ statuenda fuerint statuentes. Alioquin cùm scandalum Ecclesiæ non debeamus ulteriùs sustinere, qui de area Domini zizania debemus & paleas exsufflare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de Fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur Fraternitatem tuam & exhortamur in Domino, & per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus per te, vel si fortè justa præpeditus occasione nequiveris, per Procuratores idoneos, & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatis, statuto tempore ad Concilium vocatus accedas, Apostolicæ Sedi obedientiam, & reverentiam secundùm statum canonicum præstiturus; ne si secus actum fuerit, quod non credimus, tam in Imperatorem ipsum, qui potest si voluerit efficere, quod mandamus, quàm in te & Græcorum Ecclesiam procedere compellamur. Super cæteris autem dilectum filium Johannem Capellanum, & familiarem nostrum Apostolicæ Sedis Legatum, virum providum, & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suæ religionis & honestatis acceptum, ad Imperialem excellentiam duximus destinandum, monentes & exhortantes attentiùs, quatenus eum sicut Legatum Apostolicæ Sedis benignè recipias & honores, & ea sine dubitatione qualibet credas quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda.

LXIII. Cùm autem Imperator, & Patriarcha literas hujusmodi recepissent, & eas sibi fecissent diligenter exponi, non minimùm doluerunt, de his quæ priùs scripserant pœnitentes; quoniam Imperator ex promissione sua cognoscebat se obligatum, quòd cum Romanus Pontifex convocaret Concilium generale, ipse debebat Græcorum Ecclesiam ad Concilium destinare, statuta Concilii recepturam. Patriarcha verò ex responsionibus Apostolicis super suis consultationibus factis cognoscebat se tam rationibus, quàm auctoritatibus coarctatum ad obedientiam Romano Pontifici exhibendam. Imperator igitur habito cum Græcis longo consilio, ad ultimum sic respondit, quòd si Romanus Pontifex faceret in Græcia celebrari Concilium, ubi quatuor antiqua Concilia fuerant celebrata, illuc Græcorum Ecclesia suos mitteret responsales; & fingens se longiùs ire, ad aliam materiam se convertit, mittens Summo Pontifici literas in quibus nitebatur probare, quòd imperium sacerdotio præpollebat; ad quas ei Dominus Papa rescripsit hoc modo.

LXIV. Solitæ benignitatis affectu recepimus literas quas per dilectum filium Archidiaconum Durachii, virum providum & fidelem, Imperialis excellentia destinavit; per quas intelleximus quòd literæ quas per dilectum filium Johannem Capellanum nostrum tunc Apostolicæ Sedis Legatum tibi transmisimus, Imperio tuo præsentatæ fuerant, & perlectæ. Mirata est autem Imperialis sublimitas, sicut per easdem nobis literas intimasti, quòd te visi fuimus aliquantulum increpare; licèt non increpandi animo, sed affectu potiùs commonendi, quæ scripsimus nos meminerimus scripsisse. Huic autem tuæ admirationi non causam, sed occasionem præbuit, sicut ex eisdem conjecimus literis, quòd legisti Beatum Petrum Apostolorum Principem sic scripsisse: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tamquam præ-*

(7) *Cod. reg.* quæstioni.

(8) *Cod. reg.* Mater nostra est.

Digitized by Google

præcellenti, *sive Ducibus*, *tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum*, *laudem verò bonorum*, Volens enim, de quo nos rationabiliùs admiramur, Imperatoria celsitudo per hæc, & alia quæ induxit Imperium sacerdotio dignitate, ac potestate præferre, ex auctoritate præmissa triplex trahere voluit argumentum. Primùm ex eo quod legitur, *Subditi estote*, secundum ex eo quod sequitur, *Regi tamquam præcellenti*, tertium ex eo quod subsequenter adjectum est, *ad vindictam malefactorum*, *laudem verò bonorum*, per primum, subesse sacerdotium, per secundum, Imperium præminere, per tertium, Imperatorem tam in Sacerdotes, quàm Laicos jurisdictionem, immo etiam gladii potestatem accepisse præsumens. Cùm enim & boni quidam sint Sacerdotes, & quidam eorum malefactores existant, is qui secundùm Apostolum gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, in malè facientes Presbyteros excessus præsumptos ultore potest gladio vindicare, cùm inter Presbyteros & alios Apostolus non distinguat. Verùm si & personam loquentis, & eorum ad quos loquebatur vim locutionis diligentiùs attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum provocabat. Si enim per id quod dixit, *Subditi estote*, sacerdotio imponere voluit jugum subjectionis, & eis prælationis auctoritatem (9) conferre quibus eos subjectos esse commonebat, sequeretur ex hoc quòd etiam servus quilibet in sacerdotes Imperium accepisset, cùm dicatur, *omni humanæ creaturæ*. Quod autem sequitur, *Regi tamquam præcellenti*, non negamus quin præcellat in temporalibus Imperator, illis duntaxat, qui ab eo recipiunt temporalia. Sed Pontifex in spiritualibus antecellit; quæ tantò sunt temporalibus digniora quantò corpori est anima præferenda. Licèt nec simpliciter dictum fuerit, *Subditi estote*, sed additum fuit, *propter Deum*; nec purè scriptum sit, *Regi præcellenti*, sed interpositum forsitan non sine causa sit, *tamquam*. Quod autem sequitur, *ad vindictam malefactorum*, *laudem verò bonorum*, intelligendum non est, quòd Rex vel Imperator super omnes bonos & malos gladii potestatem acceperit, sed in eos solummodo, qui utentes gladio, ejus sunt jurisdictioni commissi, juxta quod veritas ait: *Omnes qui acceperint gladium*, *gladio peribunt*. Non enim potest aut debet quisquam servum alterius judicare, cùm servus suo Domino secundùm Apostolum stet aut cadat. Ad id etiam induxisti, quòd licèt Moyses, & Aaron secundùm carnem Fratres extiterint, Moyses tamen Princeps populi, Aaron sacerdotii potestate præerat, & Jesus successor ipsius Imperium in Sacerdotes accepit David quoque Rex Abiathar Pontifici præminebat. Cæterùm licèt Moyses Dux populi fuerit, fuit etiam & Sacerdos, qui Aaron in Sacerdotem inunxit, & cui Propheta Sacerdotium recognoscens, *Moyses*, inquit, *& Aaron in Sacerdotibus ejus*. Quæ verò de Jesu ad commendandam prælationem ejus scripsisti, magis secundùm spiritum, quàm literam debent intelligi, (quia secundùm Apostolum, *Litera occidit*, *spiritus autem vivificat*) pro eo quòd ipse veri Jesu figuram expressit, qui populum suum in terram promissionis induxit. David etiam, quamvis diadema Regium obtineret, Abiathar Sacerdoti non tam ex dignitate Regia, quàm auctoritate prophetica imperabat. Verùm quicquid olim fuerit in veteri testamento, nunc aliud est in novo, ex quo Christus factus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; qui se non ut Rex, sed ut Sacerdos in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, per quam genus redemit humanum, circa illum præcipuè qui successor est Petri Apostoli, sed & Vicarius Jesu Christi, potuisses, prærogativam Sacerdotii ex eo intelligere quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo, non Regi, sed Sacerdoti, nec de Regia stirpe, sed de Sacerdotali prosapia descendenti, de Sacerdotibus videlicet qui erant in Anathoth: *Ecce constitui te super gentes & regna*, *ut evellas & dissipes*, *ædifices & plantes*. Dictum est & in Lege Divina: *Diis non detrahes*, *& Principem populi tui non maledices*: quæ Sacerdotes Regibus anteponens, istos Deos & illos Principes appellavit. Præterea nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento Cœli, luminare majus & luminare minus, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus; quia nomine Cœli præsignatur Ecclesia, juxta quod veritas ait: *Simile est Regnum Cælorum homini patrifamilias*, *qui summo mane conduxit operarios in vineam suam*. Per diem verò spiritualis accipitur; & per noctem carnalis, secundùm Propheticum testimonium: *Dies diei eructat verbum*, *& nox nocti indicat scientiam*. Ad firmamentum igitur Cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, idest, duas magnas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas; sed illa quæ præest diebus, idest, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor est; ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hoc autem si prudenter attenderet Imperatoria celsitudo, non faceret aut permitteret venerabilem Fratrem nostrum Patriarcham Constantinopolitanum, magnum quidem, & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cùm alii Reges & Principes, Archiepiscopis & Episcopis suis, sicut debent, reverenter assurgant, & eis juxta se honorabilem Sedem assignent. Nam & piissimus Constantinus quantum honoris exhibuerit Sacerdotibus, tua, sicut credimus, (10) prudentia non ignorat. Nos autem, etsi non increpando scripserimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare; cùm Beatus Apostolus Paulus Episcopum instruens ad Timotheum scripsisse legatur: *Prædica verbum*, *insta opportunè*, *importunè*, *argue*, *obsecra*, *increpa in omni patientia & doctrina*. Non enim os nostrum debet esse ligatum, sed patere debet ad omnes; ne secundùm (11) Prophetam simus canes muti non valentes latrare. Unde correctio nostra non debuit esse molesta, sed magis accepta: quia Pater filium quem diligit corripit, & Deus quos amat arguit & castigat. Debitum igitur officii pastoralis exequimur cùm obsecramus, arguimus, increpamus, & non solùm alios, sed Imperatores & Reges opportunè, & importunè ad ea studemus inducere, quæ Dominicæ sunt placita (12) voluntati. Nobis enim in Beato Petro sunt oves Christi commissæ, dicente Domino, *Pasce oves meas*, non distinguens in-

(9) *Tert. Collect.* auferre.
(10) *In tert. compilat.* discretio.
(11) *Cod. Colbert. & Andegav.* Propheticum verbum.
(12) *Iidem Codd.* Majestati.

Digitized by Google

inter has oves & alias; ut alienum à suo demonstraret ovili, qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & Pastores; ut illud tamquam notissimum omittamus, quod Dominus inquit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius: *Quodcunque ligaveris super Terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcunque solveris super Terram, erit solutum & in Cœlis*, nihil excipiens qui dixit, *Quodcunque*. Verùm his diutiùs insistere nolumus, ne vel contendere videamur, vel in hujusmodi delectari; cùm si gloriari expediat, non in honore, sed onere, non in magnitudine, sed in solicitudine sit potiùs gloriandum; cùm & Apostolus in infirmitatibus glorietur. Novimus enim scriptum: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur*. Et iterum: *Quantò major es, humilia te in omnibus*. Et alibi: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Propter quod exaltationem nostram in humilitate ponimus, & humilitatem exaltationem maximam reputamus. Unde etiam servos, non solùm Dei, sed & servorum Dei nos esse scribimus & fatemur, & tam sapientibus, quàm insipientibus secundùm Apostolum sumus debitores. Utrum autem Imperatoriam Excellentiam ad bonum & utile per literas nostras duxerimus invitandam, utrum justa tibi suggesserimus & honesta, tua celsitudo discernat, cùm nonnisi ad unitatem Ecclesiæ ac terræ Hierosolymitanæ subsidium nos te meminerimus invitasse. Inspiret igitur menti tuæ is qui ubi vult spirat, & qui habet corda Principum in manu sua, ut consiliis nostris & monitis acquiescas, & id agas quod ad honorem divini nominis, Christianæ religionis augmentum, & salutem animæ tuæ meritò debeat provenire. Nos autem, quicquid tu egeris, quod expedire viderimus faciemus. Utinam autem illum egregium prædecessorem tuum inclytæ recordationis Manuelem Imperatorem satageres in devotione Sedis Apostolicæ verbis & operibus meliùs imitari, ut per ejus auxilium & consilium, sicut illi, sic tibi & imperio tuo meliùs proveniret, saltem amodo supplens quod hactenus neglexisti. Prædictus autem Archidiaconus quod à nobis audivit excellentiæ tuæ fideliter poterit intimare.

LXV. Post hoc autem idem Imperator Summo Pontifici supplicavit ut compelleret Regem Hierusalem ad restitutionem Cypri, quam asserebat ad Constantinopolitanum Imperium pertinere. Cui dominus Papa rescripsit hoc modo.

Recepimus literas quas per dilectum filium B. Priorem Pisanorum nuntium tuum Imperatoria nobis celsitudo direxit (13) benignitate qua decuit, & notavimus omnia quæ curasti per eas (14) auribus Apostolicis intimare. Petebas autem carissimum filium nostrum in Christo Regem Hierosolymorum illustrem ad restitutionem Cypri ad Constantinopolitanum Imperium pertinentis per excommunicationis sententiam auctoritate nostra compelli, paratus magnos eidem & tam Hospitalariis quàm Templariis sub idonea cautione in Terræ Sanctæ subsidium redditus ministrare; cùm eam inclytæ recordationis Ricardus Rex Angliæ, violato pacis fœdere quam cum Imperio tuo fecerat, invasisset; ad cujus recuperationem licèt validum disposuisset stolium destinare, distulisti tamen hactenus id efficere studio pietatis, ne sanguinem Christianorum effunderes & Terræ Sanctæ commodum impedires. Nos autem deliberantes super hoc quid esset agendum, accepimus quod prædictus Rex Cyprum de manu cujusdam eruerat qui de ipsa Constantinopolitano imperio nullatenus respondebat. Præterea occidentales nos Principes rogaverunt ut quoniam ex insula Cypri non modicum subsidium orientali provinciæ ministratur, Imperialem magnificentiam per nostras literas moneremus ne statu Terræ Sanctæ pendente Regem ipsius super eadem insula molestares: quia de facili posset accidere ut si te, quem in facto Hierosolymitanæ provinciæ fautorem & defensorem se credidit invenire, sentiret forsitan inimicum, dum minùs posset Imperiali potentiæ & paganorum violentiæ pariter repugnare, neglecta solicitudine Terræ Sanctæ, de qua sibi minus commodi provenit, plus laboris, ad eam se converteret defensandam ex qua plus perciperet & quam faciliùs se posse crederet defensare, sicque inde pateretur religio Christiana dispendium unde Constantinopolitanum Imperium nullum susciperet incrementum. Quapropter super hoc & nos Imperio tuo scripsisse meminimus, & occidentales Principes suas super hoc serenitati tuæ credimus literas destinasse. Cùm igitur nobis de rei veritate non plenè constaret, antequam magnificentiæ tuæ possimus super ea finaliter respondere, habere nos convenit notitiam pleniorem; ad quam pleniùs obtinendam tam ipsum Hierosolymitanum Regem, quàm etiam occidentales Principes per literas & nuntios solicitè requiremus; ut ita demum petitioni tuæ certius valeamus dare responsum. Super eo verò Imperialem prudentiam in Domino commendamus quòd maluit ab impugnatione (15) cessare quàm sanguinem Christianorum effundere vel Hierosolymitanum præsidium impedire, celsitudinem tuam monentes & exhortantes attentiùs quatenus ab hoc proposito non recedas; quia nos ad honorem & profectum tuum, quantum cum honestate nostra poterimus, intendemus.

LXVI. Cùm autem Regnum Blacorum & Bulgarorum à longissimis retro temporibus se ab obedientia Sedis Apostolicæ subtraxisset, Dominus Innocentius, tamquam bonus pastor, cupiens errabundas oves ad caulas reducere, direxit Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, virum in Græca & Latina lingua peritum, ad Johannitium dominum Blacorum & Bulgarorum, qui à Græcorum dominio se subduxerat; per quem tales ei literas destinavit.

Respexit Deus humilitatem tuam & devotionem quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, & inter tumultus bellicos & guerrarum discrimina non solùm potenter defendit, sed & misericorditer & mirabiliter dilatavit. Nos autem audito quòd de nobili urbis Romæ prosapia genitores tui originem traxerunt, & tu ab eis & sanguinis generositatem contraxeris & sinceræ devotionis affectum quem ad Sedem Apostolicam geris quasi hereditario jure, jampridem te proposuimus & literis & nuntiis visitare: sed variis Ecclesiæ solicitudinibus detenti, hactenus non potuimus nostrum propositum adimplere. Nunc verò inter alias solicitudines nostras hanc etiam assumendam duximus, immo consummandam potiùs jamdudum assumptam, ut per Legatos & literas nostras te in laudabili foveamus proposito & devotione Sedis Apostolicæ solidemus. Dilectum

(13) *Cod. Reg.* benignè affectione.
(14) *Idem Cod.* nostris auribus intimare.
(15) *Cod. Pod. addit.* malorum.

Digitized by Google

ctum itaque filium nostrum Dominicum Archipresbyterum Græcorum de Brundusio ad te præsentialiter destinantes, monemus nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ipsum humiliter & devotè recipiens, honorificè ac benignè pertractes, & per eum pleniùs tuam nobis devotionem exponas. Cùm enim plenè nobis per ipsum de sinceritate tui propositi ac devotionis affectu constiterit, ad te proposuimus majores nuntios vel Legatos potiùs destinare, qui tam te quàm tuos in Apostolicæ Sedis dilectione confirment, & de benevolentia nostra efficiant certiorem.

LXVII. Johannitius autem nuncios & literas Domini Papæ devotè recipiens, rescripsit hoc modo.

Venerabili & Sanctissimo patri summo Pontifici, ego Calojohannes Imperator Bulgarorum & Blacorum, gaudium & salutem mando tibi. Notum facimus sanctitati vestræ quòd nos recepimus vestras sacrosanctas literas, quas nobis portavit religiosus Archipresbyter Brundusinus, & nos reputavimus eas caras super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum. Unde multas egimus gratias omnipotenti Deo quia visitavit nos servos suos indignos secundùm suam inæstimabilem bonitatem, & respexit humilitatem nostram, & reduxit nos in memoriam sanguinis & patriæ nostræ, à qua descendimus. Et nunc, Sancte Pater, tamquam bonus pastor, & caput omnium fidelium Christianorum, filios Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Sedis congregare volens in unum, requisistis nos remotos secundùm corpus. Et quamvis fratres mei bonæ memoriæ jamdudum voluerint mittere sanctitati vestræ, non tamen ad vos pervenire propter multos nostros contrarios potuerunt. Et nos similiter probantes semel, secundò & tertiò ad vos dirigere, deducere non potuimus quod optabamus in (16) fructum. Et nunc videntes quòd sanctitas vestra dignata est mittere Imperio nostro, tamquam proprii & dilectissimi filii sicut amantissimo & desiderantissimo patri mittimus misericordiæ vestræ religiosum electum Brandizuberensem fidelem nostrum Presbyterum Blasium, unà cum fideli nuntio vestro Archipresbytero Brundusino, referentes vobis ex parte nostra gratiarum actiones & amicitiam, & servitium sicut patri spirituali & Summo Pontifici. Sanctissime pater, significastis nobis per sacras literas vestras quòd nos significaremus vobis quid ab Ecclesia Romana petamus. Hoc autem petit Imperium nostrum ab Apostolica Sede, ut nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. Inprimis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam & honorem tamquam dilectus filius, secundùm quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Unus fuit Petrus, alius Samuel, & alii qui eos in Imperio præcesserunt, sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est sanctitati vestræ nobis istud implere, quicquid Imperio nostro duxeritis injungendum, ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ complebitur. Nec miremini quod nuntius vester citiùs non redit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum, quia multi venerunt in Imperium nostrum nos decipere cogitantes; sed nos ab omnibus bene novimus præcavere; sed nos pro eo testimonium recepimus Prætaxati, & ei acquievimus. Verùm, si placet vobis, Sanctissime Pater, mittite nobis magnos nuntios de quibus nobis per literas nuntiastis, & istum destinate cum eis; & tunc certificabimur de prima missione pariter & secunda. Det vobis Dominus multos annos.

LXVIII. Basilius quoque Bulgarorum Archiepiscopus hujusmodi literas Papæ transmisit.

Honorantissimo & Sanctissimo Summo Pontifici Papæ, ego Basilius indignus Archiepiscopus sanctitatis vestræ, & pastor de Zagora, salutem, gaudium, & adorationem meritò vobis tamquam Patri nostro spirituali. Quamvis non possumus vos corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter adoramus, notificantes sanctitati vestræ quòd cùm nos vidimus missum à vobis Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, Deo gratias egimus, qui non despexit nos humiles & indignos servos suos esurientes & sitientes gratiam & benedictionem Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Sedis: quia Domini nostri Imperatores & nos voluimus à multis annis mittere ad vos, sed non potuimus. Et nunc per voluntatem potentis Dei & vestræ sanctitatis, quia misistis Domino nostro Imperatori orationem & benedictionem, valde bene fecistis. Nos autem hæc ab Imperatore discentes, qui fecit nos vocari, levavimus manus ad cœlum cum universo populo sic dicentes: Memor fuit nostri Dominus, quod nos non cogitavimus. Unde nos omnes parvi & magni, sicut boni filii, rogamus vos sicut bonum Patrem ut Dominus noster Imperator quod petit à vobis obtineat, quia dignus est hoc obtinere; quia ipse ac totum Imperium ejus bonam devotionem ad Ecclesiam Romanam habent, tamquam heredes descendentes à sanguine Romanorum. Item rogamus sanctitatem vestram quòd sint vobis recommendati filius socius noster Blasius Presbyter (17) Brandizuberensis electus, unà cum fidelissimo nuntio vestro Dominico Archipresbytero Brundusino; quia eis commisit Dominus noster Calojohannes Imperator sua secreta; & quod isti dixerint vobis & nostræ literæ, firmum habeatis. Et precamur sanctitatem vestram quòd festinetis vestros nuntios destinare.

LXIX. Receptis his literis, Dominus Papa transmisit ad eos Johannem Capellanum suum cū Apostolicis scriptis habentibus hunc tenorem.

Calojohanni Domino Blacorum & Bulgarorum. Apostolica Sedes, cui licèt immeriti præsidemus, Evangelici verbi memor quo Beato Petro Apostolorum Principi & cuilibet successori ejus intelligit esse dictum, *Si diligis me, pasce oves meas*, ut puræ dilectionis affectum habere se ostendat, oves ejus pascere satagit, & in unius Ecclesiæ gremio remotas etiam congregare contendit, ut sit unum ovile & unus pastor. Cùm enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exhibeat lenitatem, convocare ipsos & congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos, & eos tum per Legatos tum per literas suas visitat, ut & pastor suas oves agnoscat, & cognoscant oves ovile pariter & pastorem. Hoc igitur attendentes, jampridem nobilitatem tuam per nuntium & literas nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu quem habes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, majores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris descendisse, quàm degentem sub te populum verbo pascerent & exemplo, & de benevolentia &

(16) *f.* effectum.

(17) *Alibi l.* Brandiburziensis, *interd.* Branduberensis.

Digitized by Google

& gratia Sedis Apostolicæ redderent certiorem. Et licèt de nuntio nostro primùm tua nobilitas dubitaverit, sciens quòd Angelus Sathanæ interdum se in lucis Angelum transfigurat, intellecta postmodum per nobilis viri Prætaxati testimonium veritate, benignè ac honorificè ipsum recipere procurasti, sicut transmissæ ad nos tuæ literæ continebant. Rescripsisti autem nobis per eum & humiliter intimasti quòd literas nostras reputaveras (18) pretiosas super omne aurum, & quemlibet lapidem pretiosum, & Deo gratiarum exsolveras actiones, quòd te dignatus fuerat visitare. Addidisti etiam quòd licèt inclytæ recordationis fratrum tuorum sequutus exemplum, semel & secundò & tertiò ad nos nuntios (19) dirigere tentavisses, non potueras tamen quod desideraveras adimplere, sed nunc per nostras literas confortatus B. Presbyterum Brandizuberensem electum cum nostro nuntio destinabas; quamvis idem electus ad nos propter viarum discrimina non potuerit pervenire. Petisti verò humiliter ut coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustris memoriæ Petro, Samueli, & aliis progenitoribus tuis in libris tuis legitur concessisse. Nos igitur ut super hoc majorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligenter; ex quibus evidenter apparet quòd in terra tibi subjecta multi Reges fuerant coronati. Præterea continebatur in eis quòd tempore bonæ memoriæ Nicolai Papæ prædecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad cujus consulta sæpissime respondebat, cum toto Regno sibi commisso ad prædicationem ejus fuerat baptizatus, & Rex ipse ab eo Archiepiscopum postulaverat. Legatus quoque Michaëlis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papæ prædecessori nostro Regias literas præsentarat, & postularat ab eo ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad Sedem Apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Cùmque idem Adrianus illuc cum duobus Episcopis quendam Subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Græcorum, & promissionibus circumventi, Romanis ejectis Græcos Presbyteros receperunt. Licèt igitur tantæ memoria levitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, ad tuam præsentiam mitteremus, nihilominus tamen dilectum filium Johannem Capellanum, & familiarem nostrum, Apostolicæ Sedis Legatum, virum providum & discretum, quem nos & fratres nostri suæ probitatis, & religionis obtentu inter cæteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachiis amplexamur, ad te duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut & in tota terra tua quoad spiritualia corrigat, quæ corrigenda cognoverit, & statuat quæ secundùm Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque Archiepiscopo terræ tuæ palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, destinamus, ei juxta formam, quam sub bulla nostra dirigimus conferendum. Eidem quoque Legato nostro dedimus in mandatis ut si qui forsan in terra tua promovendi ad ordines fuerint, vel in Episcopos consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat Episcopos & ordinandos ordinet, & consecret consecrandos. Mandamus quoque ipsi ut de corona progenitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres, quàm alia documenta inquirat diligentiùs veritatem, & de omnibus tecum tractet quæ fuerint pertractanda; ut cùm per ipsum & nuntios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores, consultiùs & maturiùs prout procedendum fuerit procedamus. Monemus igitur nobilitatem tuam & hortamur in Domino quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram benignè suscipias, & honorificè studeas pertractare. salubria monita & statuta ipsius & tu ipse recipiens & ab universa Bulgarorum & Blacorum (20) multitudine recipi faciens & servari. Expedit enim tibi tam ad temporalem gloriam, quàm salutem æternam ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, & Populus terræ tuæ, qui de Sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiæ Romanæ instituta sequatur, ut etiam in cultu Divino mores videantur patrios redolere.

LXX. Item Archiepiscopo de Zagora.

Quia nobis in Beato Petro Apostolorum Principe intelligimus esse dictum, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, cùm ab innumeris solicitudinibus, quæ nobis incumbunt ad tranquillitatem convertimur nostræ mentis, remotos etiam Fratres & Coëpiscopos nostros, quos etsi habeamus absentes corpore, præsentes tamen spiritu reputamus, confirmamus in iis, quæ ad salutem eorum, & Ecclesiæ pertinent unitatem; ut sicut sunt in partem solicitudinis evocati, sic etiam nostris monitis roborentur. Sanè cùm unum sit Ecclesiæ Sanctæ Corpus, juxta illud Apostoli, *Omnes unum Corpus sumus in Christo*, æstimari non debet in uno corpore capita esse plura; sed is duntaxat post Dominum intelligendus est Ecclesiæ Dei caput quem Jesus Christus Dominus noster Vicarium sibi substituit & caput etiam nominavit, dicens ad Petrum, *Tu vocaberis Cephas*, quod & Petrus interpretatur & caput. Sanè cùm ei Dominus pascendas commisit oves suas, *Pasce*, inquiens, *oves meas*, ab ovili Christi, quæ est Ecclesia, extraneum se demonstrat qui caput eum habere noluerit & pastorem. Nos ergo, quos Dominus licèt immeritos Vicarios suos esse voluit & Apostolorum Principis successores, ut paternæ dilectionis affectum circa Bulgarorum, & Blacorum Ecclesiam, quæ à Romanis secundùm carnem, & sanguinem descendisse dicitur, per effectum operis monstraremus, jampridem dilectum filium Archipresbyterum Brundusinum ad dilecti filii nobilis viri Calojohannis Domini Bulgarorum & Blacorum præsentiam duximus destinandum, qui tam ipsum, quàm degentem sub eo Populum Christianum in devotione Sedis Apostolicæ roboraret, & nos de puritate fidei, & sinceritate dilectionis ipsius reddiens redderet certiores. Gaudemus autem & tuam prudentiam in Domino commendamus, quòd Apostolicæ Sedis magisterium recognoscens, scripsisti gratiam, & benedictionem Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ te sitire ac Deo gratiarum actiones egisse, quòd prædictus nobilis nostris meruerat literis visitari. Volentes igitur adhuc pleniùs te ac Ecclesiam tibi commissam in Ecclesiastica unitate, ac devotione Sedis Apostolicæ roborare, dilectum filium Johannem &c. *ut in literis videlicet missis Calojohanni usque amplexamur*, ad te ac nobilem memoratum duximus destinandum; cui etiam com-

(18) *Cod. Pod.* gratiosas.
(19) *Edit. Tolos.* destinare.

(20) *Edit. Tolos.* gente.

commisimus vices nostras, ut in tota terra ejusdem nobilis corrigat &c. *usque*, Per ipsum quoque Fraternitati tuæ palleum &c. *in eundem ferè modum usque* conferendum. Monemus igitur Fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus Magisterium & primatum Sedis Apostolicæ recognoscens, & in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistas, & Legatum ipsum sicut personam nostram benignè recipias &c. *in eundem ferè modum usque* servari; ut qui à Romanis traxerunt originem, Ecclesiæ Romanæ instituta sequantur. Noveris autem quòd eidem Legato nostro dedimus in mandatis ut si qui forsan in Provincia tua &c. *in eundem ferè modum usque* procedamus.

LXXI. Ille verò profectus palleum, mitram, & anulum præfato Archiepiscopo assignavit, recepto ab eo juramento fidelitatis & obedientiæ Summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ in perpetuum exhibendæ. Cùmque à præfato Johannitio sive Calojohanne, Domino Blacorum & Bulgarorum fuisset honorificè ac devotè susceptus, de ipsius consilio & assensu duos alios Metropolitanos in illo Regno constituit, videlicet (21) Belesbulnensem & Postolavensem, quos præfato Zagorensi, tamquam Primati subjecit; & apud Trinovium nobiliorem ipsius Provinciæ civitatem constituit primatiam. His igitur bene gestis, Johannitius se ac Regnum suum Imperio Ecclesiæ Romanæ subjecit per Privilegii paginam aurea bulla signatam, cujus tenor talis est.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Cùm placuit Domino nostro Jesu Christo me Dominum, & Imperatorem totius Bulgariæ & Blaciæ facere, inquisivi antiquorum nostrorum scripturas & libros, & beatæ memoriæ Imperatorum nostrorum prædecessorum leges, unde ipsi sumpserunt Regnum Bulgarorum & firmamentum Imperiale, coronam super caput eorum, & Patriarchalem benedictionem; & diligenter perscrutantes, in eorum invenimus scripturis, quòd beatæ memoriæ illi Imperatores Bulgarorum & Blacorum, Simeon, Petrus, & Samuel, & nostri prædecessores coronam (22) Imperii eorum, & Patriarchalem benedictionem acceperunt à Sanctissima Dei Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede, Principe Apostolorum Petro. Sed Imperium meum voluit benedictionem, & Imperiale firmamentum coronæ capitis Imperii sui suscipere, & Patriarchalem benedictionem ab Ecclesia Romana, ab Apostolicæ Sedis Principe Apostolorum Petro, & à Sanctissimo Patre nostro universali Papa Tertio Innocentio; & à quocunque Patriarchalis benedictio, & mandatum in civitate Imperii mei Trinovi data, & concessa fuit à Domino Papa faciendi, & consecrandi Archiepiscopos, Metropolitas, & Episcopos, & reliquas Ecclasiasticas obsequutiones Sacramentales, concedit Imperium meum ut plenissimam in omni tenimento, & Imperii mei pertinentiis ipsi habeant potestatem. Ecce enim omnes totius Imperii mei, & tenimenti, & Patriarcha meus Metropolitanus, Episcopi, Archiepiscopi, & cuncti Sacerdotes Romanæ subsint Ecclesiæ, & teneant legem & consuetudinem, & observationem quas tenuerunt beatæ memoriæ Imperatores totius Bulgariæ, & Blaciæ, prisci illi nostri prædecessores, & nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem Imperium meum ad securitatem chrysobolum suum, quòd nunquam ab Ecclesia Romana & ab Apostolica Sede, Principe Apostolorum Petro, ipsum videlicet Imperium meum discedet, neque alii Imperii mei Principes disgregabuntur; sed ut vocatus dilectus filius Sacrosanctæ, & Apostolicæ Romanæ Sedis Principis Apostolorum Petri ero. Et deinceps quascunque Terras Christianorum, seu Paganorum meum acquisiverit Imperium, sub potestate & mandato ejusdem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis erunt. Et ut præsens chrysobolum Imperii mei ratum, & firmum habeatur, dedi Imperium meum in manibus Reverendissimi viri Johannis Sacrosanctæ Romanæ Sedis Legati, & Domini Papæ Capellani, in quo & nostrum pium, & à Deo promotum subsignavit Imperium anno sex millesimo septingentesimo duodecimo, Indictione septima.

LXXII. Misit præterea Blasium Brandizuberensem Episcopum cum præfato Capellano Johanne, per quem & quædam donaria in signum devotionis Domino Papæ transmisit, & literas hunc tenorem habentes.

Sanctissimo & Dominatori, & universali Papæ sedenti in Sede Beati Petri, & Domino Patri regni mei Tertio Innocentio Papæ Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ, & Magistro totius mundi. Spero in Deum Salvatorem omnium, quòd bene & multùm bene valeat sanctitas tua cum omnibus sedentibus circa thronum sanctitatis tuæ Cardinalibus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Noverit magna sanctitas tua, quòd ego filius tuus, & Romanæ Ecclesiæ, Imperator omnium Bulgarorum & Blacorum, cum omnibus Principibus Imperii mei multùm bene sum per Deum, & orationem tuam. Multotiens misit Imperium meum nuntios suos ad sanctitatem tuam, sed non invenerunt opportunitatem transeundi ad sanctitatem tuam. Ideo certè non potuerunt transire, quia illi qui non habebant pacem cum Imperio meo servabant vias. Postea mense Junii præterito Imperium meum (misit) Archiepiscopum meum, & totius Bulgariæ regionis & universalem Sanctæ & magnæ Trinovæ, & magnum hominem Imperii mei meritò nominatum Primatem, & Archiepiscopum totius Bulgariæ & Blaciæ nomine Basilium: qui cùm pervenisset Durachium, non fuit permissus transire ad sanctitatem tuam, ut complere desiderium Imperii mei sanctitas tua secundùm consuetudinem prædecessorum meorum Imperatorum Bulgarorum & Blacorum Simeonis, Petri, & Samuelis progenitorum meorum, & cæterorum omnium Imperatorum Bulgarorum. Verùm, Deo adjuvante, & interveniertibus orationibus sanctitatis tuæ, venit ad me præsens Nuntius Apostolicus Cathedræ & primæ Sedis Principis Apostolorum & Sanctæ & universalis Ecclesiæ Romanæ Johannes Capellanus, & detulit mihi literas ex præcepto sanctitatis vestræ, & Apostolicæ Sedis, & palleavit dictum Archiepiscopum, & fecit eum Primatem totius Bulgariæ & Blaciæ, & portavit Imperio meo literas sanctitatis tuæ, & exposuit quicquid ei sanctitas vestra mandavit; & repletum est cor meum gaudio magno, quoniam secundùm voluntatem Imperii mei donavit mihi Deus & sanctitas tua. Et rogo, & deprecor magnam sanctitatem tuam ut compleat desiderium Imperii mei, & mittat virgam pasto-

(21) *Cod. reg.* Belesburdien.

(22) *Cod. reg.* pro Imperio.

Digitized by Google

pastoralem ad congregandas oves, & cætera quæ Patriarcha consuevit habere, & faciat præsentem Primatem & Patriarcham in Sancta, & magna Ecclesia Trinovæ primæ civitatis totius Bulgariæ, & habeat Ecclesia ipsa etiam post mortem istius Patriarchæ Patriarcham in perpetuum ex præcepto sanctitatis tuæ. Et quoniam grave esset propter longitudinem viæ & guerram hominum in obitu cujusque Patriarchæ recurrere ad Ecclesiam Romanam, concedatur ab Ecclesia Romana Ecclesiæ Trinovæ ut sibi possit eligere, & consecrare Patriarcham, ne ex ejus absentia terra illa sinè benedictione remaneat & tua consecratio imperfecta, & redundet peccatum in sanctitatem tuam. Nunc autem petimus ut fiat chrisma ex præcepto sanctitatis tuæ in Sancta & magna Ecclesia civitatis Trinovæ pro babtismate Christianorum. Sciat sanctitas tua, quòd cùm sciverint (23) Romæi quòd receperimus consecrationem à sanctitate tua, non dabunt mihi chrisma. Et aliud peto à sanctitate tua, ut mittas Cardinalem ad Imperium meum, seu istum qui venit ad me, sive alium à Sede Apostolica, & des ei diadema & sceptrum secundùm Apostolicæ Sedis & Apostolorum Principis benedictionem, & mittat Privilegium bullatum aurea bulla ad exemplar ipsius servandum perpetuò in Ecclesia Trinovæ. Et hæc omnia dent Imperio meo, & consecrent & coronent Imperium meum. Omnia autem prædicta mitti debent ad Imperium meum à sanctitate tua. Videat præsens nuntius Episcopus Brandizuberensis Blasius ut possit referre quid tu scripseris manu propria. Et si hæc omnia impleverit sanctitas tua, ita reputabo cum prosapia Imperii mei & omnium Bulgarorum & Blacorum, quòd sumus dilecti filii orthodoxæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et de confinio Ungariæ, Bulgariæ, & Blaciæ relinquo judicio sanctitatis tuæ ut dirigas negotium istud rectè & justè, ut non habeat peccatum anima sanctitatis tuæ, & ita habeat Imperium meum justitias Bulgariæ & Blaciæ, quòd Rex Ungariæ habeat justitias Ungariæ, & cessent occisiones Christianorum in me, & Imperium. Sciat autem sanctitas tua, quòd quinque Episcopatus Bulgariæ pertinent ad Imperium meum, quod invasit & detinet Rex Ungariæ cum justitiis Ecclesiarum; & ipsi Episcopatus sunt annihilati, & si justum est hoc fiat. Quicquid dicturus est præsens nuntius Imperii mei Episcopus Brandizuberensis Blasius sanctitati tuæ habeas verum; quoniam ex parte mea dicet.

LXXIII. Per eundem præfatus Archiepiscopus tales Summo Pontifici literas destinavit.

Multas inclinationes & magnas preces ad Dominum & gloriosissimum, & Cathedralem Apostolicæ Sedis, patri totius Christianitatis, & Domino nostro Innocentio Tertio Papæ, Archiepiscopus Basilius de minoribus & humillimis totius Bulgariæ & Blaciæ, vestram perfectam benedictionem. Adoro clementissimum Deum & Beatissimam Dei Genitricem Mariam ut sanam & gaudentem vestram sanctitatem meum inveniat scriptum. Et quod mea anima desideravit per octavumdecimum annum, ecce hodie dedit nobis Deus & sancta tua oratio Sedis Beati Petri Apostoli & tuæ sanctitatis. Noscat sanctitas tua qualiter ego conversatus sum, tuam quærens benedictionem. Mota est per mensem Julii, quarta die, sex millesimo septingentesimo undecimo, Indictione sexta, mea humilitas ad Sanctum & gloriosissimum Patrem nostrum Innocentium Papam Romanum, & fecit dies triginta in Durachio juxta mare; & cùm vellem introire navim gratia transfretandi, tunc detinuerunt me Græci, & non dimiserunt transire, sed tenuerunt me apud Durachium per octo dies, & multa mea deprecatione erga Deum & Beatissimum Principem Apostolorum Petrum per sanctas tuas orationes dimiserunt me (24) Latini. Nam consilium acceperant proiciendi me in mare; sed eripuit Deus tuaque sancta oratio. Exiens autem de civitate, reversus sum in villa nuncupata Cavathocori, & ibi diebus viginti permansi, & inde misi duos bonos homines meos Romæ sanctitati tuæ; & utrum transiverint, necne, novit Dominus. Sed literæ mihi ex parte Domini mei Imperatoris venerunt Domini Johannis dicentes mihi: Revertere citò, quia hìc pervenit Cardinalis à Domino Papa. Legens ergo literas Imperatoris, & videns quoniam me vocavit, reversus sum, & perveni Drianum per mensem Septembrem, & inveni virum sanctum, justum, & rectum à tua sanctitate directum. Nomen ejus Johannes Capellanus. Et dedit mihi literas ex parte vestræ sanctitatis, & perlectæ mihi fuerunt. Unde valde anima mea est lætata; & manus meas ad cœlum extendens, gratias Deo egi quia visitavit Dominus plebem suam, & Pater noster Beatus Papa quærens ovem quæ perierat, ut eam reduceret in sancto ovili. Et sicut continebatur in literis vestræ sanctitatis, sic Dominus Johannes Capellanus fecit. Secundùm edictum magnæ vestræ sanctitatis vestram mihi benedictionem dedit, & largiens mihi palleum ad plenitudinem Pontificalis officii, mense Septembri, octavo die, in festo Nativitatis Sanctissimæ nostræ Dei Genitricis. Et ego cum multa devotionis humilitate recepto palleo, exhibui fidelitatis obedientiam, præsentibus Episcopis qui scribunt sanctitati vestræ & Principe nostro & multis aliis in Ecclesia assistentibus. Et iterum, Pater Sancte, vestram rogo sanctitatem ut dispenses & adimpleas ordinem Ecclesiasticum, & qualiter debeam regere ovile quod mihi est commissum à Deo & sanctitate vestra. Sanctum chrisma non habemus; immo à Græcis receperamus. Sed de cætero nos tamquam & vos, Græci exosos habent. Et scias, Domine mi, quoniam hæc omnia in sanctitate tua remanserunt, quòd debeat in omnibus dispensare. Et de sancto chrismate nos doceat qualiter gentem baptizare debeamus, & ne remaneat gens absque chrismate sancto, & erit peccatum, sed in omnibus nos filios tuos perditos & pereuntes moneas; & mittas mihi, Pater bone, pallea ad opus duorum Metropolitanorum Prishlavæ & Belesbudii; & quicquid aliud noverit vestra sanctitas quod sit ad opus mei Pontificalis officii plenitudinem, mihi illud vestra dirigat sanctitas.

LXXIV. Cùm autem Episcopus & Capellanus prædicti ad Sedem Apostolicam pervenissent, Dominus Papa eos benignè suscepit, & super petitionibus sæpefati Johannitii per eundem Episcopum præsentatis habito diligenti tractatu, constituit eum Regem Blacorum & Bulgarorum, mittens ad eum Leonem tituli Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem Apostolicæ

(23) *idest* Constantinopolitani.

(24) Vox corrupta.

ſtolicæ Sedis Legatum, & per ipſum ſceptrum Regni ac Regium diadema, ut eundem vice Summi Pontificis ungeret & coronaret in Regem, tranſmiſſo Apoſtolico privilegio cujus tenor talis eſt.

Calojohanni illuſtri Bulgarorum & Blacorum Regi, ejuſque poſteris ei tam in Regno quàm in devotione Sedis Apoſtolicæ ſucceſſuris in perpetuum. Rex Regum & Dominus dominantium Jeſus Chriſtus, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, cui dedit omnia pater in manu, pedibus ejus ſubiciens univerſa, cujus eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & omnes habitantes in eo, immo cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, Summum Apoſtolicæ Sedis & Eccleſiæ Romanæ Pontificem, quem in Beato Petro ſibi Vicarium ordinavit, ſuper gentes, & regna conſtituit, evellendi, deſtruendi, diſperdendi, & diſſipandi, & ædificandi, & plantandi conferens poteſtatem, loquens ad eum in Propheta, qui fuit de Sacerdotibus Anatoth: *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas & diſperdas, & diſſipes & ædifices & plantes*. Ut autem id expreſſiùs demonſtraret, non per alium, ſed per ſeipſum, cùm pro hominibus carnem aſſumpſiſſet humanam, & calciamentum ſuum extendiſſet in Idumæam, ut ei allophyli ſubderentur, & oves ſuas quæ de hoc ovili non erant adduceret, & fieret unum ovile & unus paſtor, in ſe, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, univerſalis Eccleſiæ poſuit fundamentum, ejuſque Apoſtolorum Principi Petro magiſterium contulit & primatum, dicens ad eum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves Regni cœlorum*. Ubi etiam conſequenter adjecit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Poſt paſſionem quoque ſuam, aſcenſurus in cœlum, ovile ſuum, videlicet Eccleſiam, ei committens & commendans in omnibus, dixit ei, *Paſce oves meas*, vocabulo tertiò repetito; per hoc patenter oſtendens quòd ad ejus ovile non pertinent oves illæ quæ ſe commiſſas & ſubjectas eſſe Beato Petro contumaciter denegarent & ejus noluerint erudiri doctrina & magiſterio ſubjacere. Siquidem Eccleſia eſt illa arca, in qua paucæ animæ, pereuntibus cæteris in diluvio, ſunt ſalvatæ. Unde ſicut omnes quos arca non cœpit, in diluvio perierunt, ſic omnes qui extra Eccleſiam inventi fuerint, in judicio damnabuntur. Arca enim Eccleſiam, cataclismus judicium, & paſtorem Eccleſiæ Petrum Noë rector arcæ figuravit. Ille cum Domino legitur ambulaſſe; hic autem ſuper undas maris, quod hunc mundum ſignificat, ad Dominum ſcribitur perveniſſe. In quo etiam expreſsè notatur quòd Petro non ſpecialiter aliqua ſpecialis Eccleſia, ſed totus mundus commiſſus fuerit, & Eccleſia generalis. Nam ſicut aquæ multæ ſunt populi multi, ſic mare magnum & ſpatioſum mundum ſignificat univerſum. Unde vocatis cæteris in partem ſolicitudinis, hunc aſſumpſit Dominus in plenitudinem poteſtatis, cùm inquit ad eum *Tu vocaberis Cephas*, (quod Petrus interpretatur & caput) ut Petrum caput Eccleſiæ demonſtraret, qui ſicut unguentum quod à capite Aaron deſcendit in barbam, in membra (25) diffunderet, ut nihil ſibi penitùs deperiret: quoniam in capite viget ſenſuum plenitudo, ad membra verò pars eorum aliqua derivatur. Inſuper quærenti Petro ſi quotiens peccaret in eum frater ejus dimitteret ei uſque ſepties, Dominus legitur reſpondiſſe: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuageſies ſepties*. Sanè cùm omne tempus ſeptem dierum numero concludatur, multiplicatus in ſe ipſum ſeptenarius in hoc loco notat univerſa peccata univerſorum, cùm ſolus Petrus non ſolùm omnia, ſed & omnium poſſit crimina relaxare. Ipſi enim, & non alii, dictum à Domino reperitur, *Tu me ſequere*, ideſt, in veri paſtoris officio & poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudine imitare; quia eum in officio Vicarium ſibi ſubſtituit Dominus & in magiſterio ſucceſſorem, ſic hæreditatem, in cujus præclaris funes ejus ceciderant, transferens in eundem ut aliis poſſit per eum & ſub eo quaſi partem facere de hæreditate legata. Cùm igitur, licèt immeriti, ejus vices geramus in terris qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud, utpote per quod Reges regnant & Principes dominantur, cùm Petro & ſucceſſoribus ſuis & nobis in eo noverimus eſſe dictum, *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, cùm ex præcepto Domini oves ejus paſcere teneamur, populis Bulgarorum & Blacorum, qui multo jam tempore ab uberibus matris ſuæ alienati fuerunt, in ſpiritualibus & temporalibus paterna ſolicitudine providere volentes, ejus auctoritate confiſi per quem Samuel David in Regem inunxit, Regem te ſtatuimus ſuper eos, & per dilectum filium Leonem tituli Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, virum providum & honeſtum, nobis inter cæteros fratres noſtros acceptum, ſceptrum Regni ac Regium tibi mittimus diadema, ejus quaſi noſtris tibi manibus imponendum, recipiendo à te juratoriam cautionem, quòd nobis & ſucceſſoribus noſtris & Eccleſiæ Romanæ devotus & obediens permanebis, & cunctas terras & gentes tuo ſubjectas Imperio in obedientia & devotione Sedis Apoſtolicæ conſervabis. Ad petitionem inſuper venerabilis fratris noſtri Blaſii Brandizuberenſis Epiſcopi, quem ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſti, publicam in Regno tuo cudendi monetam tuo charactere inſignitam liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam fratri noſtro Archiepiſcopo Trinovitano in terris in quibus imperas univerſis privilegium concedimus primatiæ, qui & ſucceſſores ipſius tuos in poſterum ſucceſſores ſimili ab eis juramento recepto Apoſtolicæ Sedis auctoritate coronent, & in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique Metropolitani tam in Bulgariæ, quàm Blaciæ provinciis conſtituti ſubjaceant, & juxta formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant & honorem. Sic ergo, fili cariſſime, gratiam quam Apoſtolica Sedes mater tua tibi facit agnoſcas, ſic retribuas nobis pro omnibus quæ tribuimus tibi, ſic Regnum tuum in Apoſtolicæ Sedis ſubjectione ac devotione confirmes ut cùm ſub Beato Petro in illius petræ fuerit firmitate fundatum de qua inquit Apoſtolus, *Petra autem erat Chriſtus*, nec pluviarum imbres, nec impulſus ventorum, nec fluminum formidet incurſus, tu quoque præter auxilium Apoſtolicæ Sedis, quod juxta devotionem tuam ſenties in præſenti, de temporali Regno ad Regnum pervenias ſempiternum. Decernimus ergo ut nullus

(25) *Cod. reg. & Pod.* deſcenderet.

Digitized by Google

lus omnino &c. hoc privilegium nostræ constitutionis & confirmationis infringere vel ei &c. Si quis autem &c. Datum Anagniæ per manum Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi & Notarii, sexto Kalendas Martii, Indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno MCCIII. Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ tertii anno septimo.

LXXV. Misit etiam per eundem Legatum eidem Regi vexillum cum literis habentibus hunc tenorem.

Ut in cruce Domini nostri Jesu Christi cum Apostolo glorieris, & non tibi sed ei cui flectitur omne genu, tuos de cætero triumphos adscribas, qui docet manus ad prælium & digitos movet ad bellum, & inter varios bellorum eventus ejus suffragio sentias te muniri cui Dominus claves Regni cœlorum & ligandi atque solvendi contulit potestatem, præter Regiæ dignitatis insignia quæ tibi per dilectum filium Leonem tituli Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, virum providum & honestum, tuæ serenitati dirigimus, per eundem vexillum quo contra illos utaris qui honorant labiis crucifixum, cor autem eorum est longinquum ab ipso, ad petitionem venerabilis fratris nostri Brandizuberensis Episcopi tibi duximus destinandum. Prætendit autem non sine mysterio crucem & claves: quia Beatus Petrus Apostolus & crucem in Christo sustinuit, & claves à Christo suscepit. Repræsentat itaque signum crucis, in quo Christus, utpote qui vincit, Regnat, & Imperat, debellavit aëreas potestates & in quo capiens præda prædonem absorbuit, moriens vita mortem & Behemoth cepit in suis oculis quasi hamo. Clavem autem geminam repræsentat, discretionis alteram, reliquam potestatis; ut cùm discreveris inter bonum & malum, lucem & tenebras, sanctum & profanum, commissum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, exerceas, & arma contra illos apprehendas & scutum qui non posuerunt Deum adjutorem sibi, sed in feritate sua & multitudine confidentes, nituntur contra stimulum calcitrare. Monemus igitur serenitatem Regiam & hortamur attentiùs & per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus eodem vexillo in humilitate cordis utaris, & inter acies bellicas memor Dominicæ Passionis existas, ejusque magisterium recognoscas cui Dominus ipse dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; & tibi dabo claves Regni cœlorum.* Sic enim inimici tui non solùm contra te prævalere non poterunt, sed ante faciem tuam dante Domino non subsistent.

LXXVI. Constituit etiam Trinovitanum Archiepiscopum Primatem totius Bulgariæ & Blaciæ, misitque illi privilegium hujusmodi per dictum Legatum.

Archiepiscopo Trinovitano Bulgarorum & Blacorum Primati ejusque successoribus canonicè substituendis in devotione Sedis Apostolicæ successuris in perpetuum. Rex Regum &c. *usque ad* Samuel David in Regem inunxit, carissimum in Christo filium nostrum Calojohannem, hactenus ipsorum Dominum, Regem statuimus super eos, per dilectum filium &c. *usque* devotione Sedis Apostolicæ conservabit. Te quoque in Regno Bulgarorum & Blacorum Primatem statuimus, & Ecclesiæ Trinovitanæ præsenti privilegio auctoritatem concedimus primatiæ, statuentes ut tu & successores tui, qui tibi in Apostolicæ Sedis devotione successerint, cæteros Metropolitanos Bulgariæ & Blaciæ præcellatis ratione primatiæ, & ipsi tibi & eis juxta formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant & honorem, fraternitatem tuam scire volentes quòd apud nos hæc duo nomina, Primas & Patriarcha, penè penitùs idem sonant, cùm Patriarchæ & Primates teneant unam formam, licèt eorum nomina sint diversa. Præsenti quoque privilegio tibi & per te tuis successoribus inungendi, benedicendi & coronandi Reges Bulgarorum & Blacorum in posterum liberam concedimus facultatem. Obeunte verò te nunc Ecclesiæ memoratæ Primate, nullus ibi qualibet surreptionis astutia præponatur nisi qui canonicè fuerit electus ad eam secundùm consuetudinem approbatam. Electus autem per Metropolitanum & alios suffraganeos ejusdem Ecclesiæ, qui poterunt interesse, in Episcopum solemniter ordinetur. Consecratus verò ad Sedem Apostolicam nuntios suos mittat, palleum de corpore Beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, petituros; in cujus susceptione juramentum illud nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ præstabit quod alii Primates & Metropolitani secundùm generalem consuetudinem nobis præstant, & tu ipse in susceptione pallei præstitisti; cujus formam bulla nostra signatam ad perpetuam memoriam destinamus, exprimentes in ea ut cùm in Regem quemlibet ex prædicti Regis successoribus coronarint, præscriptum ab eo recipiant juramentum. Cùm autem aliquis Metropolitanorum qui tibi jure subjacent primatiæ viam fuerit universæ carnis ingressus, confirmabis electionem canonicam de persona idonea celebratam, & personam electam in Episcopum consecrabis. Pro palleo verò nuntios tuos cum nuntiis Ecclesiæ cui præest ad Apostolicam Sedem mittes, nosque illud tibi per eos libenter & hilariter transmittemus, per te Metropolitano Episcopo juxta formam quam sub bulla nostra recipies solemniter conferendum; ita quòd si Legatum vel nuntium nostrum contigerit interesse, id cum eo pariter exequaris. Chrisma verò & oleum catechumenorum & infirmorum singulis annis in Cœna Domini tam in Ecclesia Bulgariæ quàm Blaciæ fieri secundùm consuetudinem Ecclesiæ Romanæ concedimus, ut quoties necesse fuerit, qui baptizandi fuerint baptizentur, & confirmentur per diœcesanos Episcopos qui fuerint confirmandi, nec Episcoporum consecratio nec ordinatio Sacerdotum propter defectum hujusmodi vel impediatur penitùs vel diutiùs differatur: quia licèt hactenus apud vos nec in sua ordinatione Presbyteri nec in consecratione sua Episcopi consueverint sacram recipere unctionem, volumus tamen ut deinceps non tam ritum nostrum quàm mandatum divinum sequentes, per quod in lege præcipitur ut Pontifices & Sacerdotes ungantur, manus eorum qui ordinandi sunt in Presbyteros, & tam manus quàm caput eorum qui consecrandi sunt in Episcopos, solemniter inungantur. Præterea crucem, vexillum videlicet Dominicæ Passionis, ante te per totam Bulgariam & Blaciam deferendi fraternitati tuæ licentiam impartimur.

LXXVII. Quia verò secundùm consuetudinem Bulgarorum & Blacorum nec in ordinatione Presbyteri nec in consecratione Pontifices fuerant inuncti, fecit præfatum Brandizuberensem Episcopum per Johannem Episcopum Albanensem, assistentibus ei duobus Episcopis, in præ-

sentia sua Dominus Papa secundùm morem Latinorũ inungi, & mandavit ut tam Primas quàm Metropolitani & universi Episcopi ac Presbyteri sacrã reciperent unctionem, ac de cætero nulli sine unctione ordinarentur Presbyteri aut consecrarentur Episcopi, assignans super his rationes in literis memorato Primati directis: cui etiam insignia Pontificalia universa per prædictum Legatum liberaliter destinavit, taliter ei scribens.

Cùm venisset ad Apostolicam Sedem venerabilis frater noster Episcopus Brandizuberensis clara nobis insinuatione monstravit quòd in consecratione sua sacram non (26) receperat unctionem, quoniam apud vos non consuevere Pontifices, cùm consecrantur, inungi. Nos ergo quod illi defuerat mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus & manus per venerabilem fratrem nostrũ Johannem Albanensem Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundùm morem Ecclesiasticum sacro chrismate deliniri. Hoc enim Catholica tenet Ecclesia, non solùm ex præcepto divino verùm etiam Apostolorum exemplo. In Exodo quippe legitur præcepisse Dominus Moysi ut Aaron & filios ejus inungeret, quatenus ei sacerdotio fungerentur. Et Anacletus origine Græcus, qui à Beato Petro fuit in Presbyterum ordinatus, & postea in Apostolatus officio Clementi successit, tradit in ordinatione sua ungendos Episcopos more Apostolorum & Moysi: quia omnis Sanctificatio in Spiritu Sancto consistit, cujus invisibilis virtus sancto chrismati est permixta. Unde scire te volumus duas esse species unctionis, exteriorem, quæ materialis est & visibilis, & interiorem, quæ est spiritualis & invisibilis. Exteriore visibiliter ungitur corpus, interiore invisibiliter ungitur cor. De prima Jacobus Apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* De secunda (27) Johannes Apostolus ait. *Vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus vos docet de omnibus.* Unctio visibilis & exterior signum est interioris & invisibilis unctionis; unctio verò invisibilis & interior non solummodò est signum, sed etiam sacramentum; quia si dignè sumatur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat. Ad exhibendam igitur exteriorem & visibilem unctionem benedicitur oleum quod dicitur catechumenorum vel infirmorum, & conficitur chrysma, quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur, juxta quod legitur, *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*; per balsamum autem exprimitur odor famæ; propter quod dicitur: *Sicut balsamũ aromatizãs odorem dedi.* Hoc igitur chrismate ungi debet Episcopus non tam in corpore quàm in corde; ut & interiùs habeat nitorem conscientiæ quoad (28) Deum, & exteriùs habeat odorem famæ quoad proximum. De nitore conscientiæ dicit Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nam *omnis gloria filiæ Regis ab intus.* De odore famæ idem Apostolus ait: *Christi bonus odor sumus in omni loco, & aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* Debet enim Episcopus bonum habere testimonium & ab his qui sunt intus & ab his qui sunt foris, ut cortina cortinam trahat, & qui audit dicat, Veni. Hoc unguento caput & manus Episcopi consecrantur. Per caput enim mens intelligitur, juxta illud: *Unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Per manus opera designantur, secundùm illud: *Manus meæ distillaverunt (29) aurum.* Manus igitur unguntur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Caput autem inungitur (30) balsamo caritatis, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente & ex tota anima, & proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, manus propter ministerium & officium. Caput inungitur ut ostendatur illius repræsentare personam de quo dicitur per Prophetam: *Sicut unguentum in capite ejus, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Caput enim viri Christus; caput Christi Deus est, qui de se dicit: *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Manus unguntur Episcopo, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi & consecrandi. Unde cùm eas consecrator inungit, *Consecrare*, inquit, *& sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam sanctam unctionem & nostram benedictionem, ut quæcunque consecraverint consecrentur, & quæcunque benedixerint benedicantur in nomine Domini.* Verùm in veteri testamento non solùm ungebatur sacerdos, sed & Rex & Propheta, sicut in libro Regum præcepit Dominus Heliæ: *Vade, & revertere in (31) viam tuam per desertum in Damascum; cumque perveneris illuc, unges Hazaël Regem super Syriam, & Geu filium Namsi unges Regem super Israel, Heliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmala, unges Prophetam pro te.* Sed ubi Jesus Nazarenus, quem unxit Deus Spiritu Sancto, sicut in actibus Apostolorum habetur, unctus est oleo præ consortibus suis, qui secundùm Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, Principis unctio à capite scilicet in brachium est translata, ut (32) Princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio sive in humero vel in armo, in quibus principatus congruè designatur, juxta quod legitur: *Et factus est principatus super humerum ejus.* Ad quod etiam designandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos qui fuerant invitati. In capite verò Pontificis sacramentalis est delibatio conservata, quia personam capitis in Pontificali officio repræsentat. (33) Differt autem inter Pontificis & Principis unctionem, quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur, ut ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis & Principis potestatem. Quia verò Christus in sanguine suo fecit nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*, idcirco in novo testamento non solùm Sacerdotes & Reges unguntur, sed omnes etiam Christiani bis, ante baptismum scilicet oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter scapulas, & bis post baptismum, scilicet chrismate sacro, primùm in vertice, deinde in fronte. In pectore namque ungitur baptizandus, ut per Spiritus Sancti donum abjiciat erro-

(26) *In tertia collect.* acceperat.
(27) *Tert. collect.* Jacobus.
(28) *Cod. reg.* cum
(29) *Cantic. 5. & in codicibus Colbertino, & Andegav. legitur* myrrham.
(30) *Iidem codd.* oleo.
(31) *Tert. collect.* domum.
(32) *Cod. reg.* Principes ex tunc non ungantur.
(33) *Cod. reg. & Pod. & tert. collect.* Refert.

Digitized by Google

errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia justus ex fide vivit. Inter scapulas autem baptizandus inungitur, ut per Spiritus Sancti (34) gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est; & ut per fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus fides per dilectionem secundùm Apostolum operetur. In vertice verò baptizatus inungitur, ut sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem; quia per caput intelligitur mens, juxta quod legitur: *Oculi sapientis in capite ejus*; cujus superior pars est ratio, & inferior sensualitas. Unde bene per verticem, qui est suprema pars capitis intelligitur ratio, quæ superior pars est mentis. In fronte ungitur baptizatus, ut liberè confiteatur quod credit; quia *corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*, memor ejus quod Dominus ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Ante baptismum verò inungitur oleo benedicto, & post baptismum chrismate sacro, quia chrisma soli competit Christiano. Christus enim à chrismate dicitur, vel potiùs à Christo dicitur chrisma, non secundùm nominis formam, sed secundùm fidei rationem. A Christo enim Christiani dicuntur, tanquam uncti deriventur ab uncto, ut omnes currant in odorem unguentorum illius cujus nomen oleum est effusum. Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio; quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur & robur. Unde cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos, idest, Presbyter, valeat exhibere, hanc nonnisi Summus Sacerdos, idest, Episcopus, debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarii sunt Episcopi, quòd per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum actuum Apostolorum lectio manifestat: *Cùm audissent*, inquit, *Apostoli qui erant Hierosolymis quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Johannem: qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; cujus adventus per unctionis mysterium designatur, quia Columba in qua Spiritus Sanctus super Christum in baptismo descendit ad vesperam, in cataclismo revertens ramum retulit virentis olivæ. Cujus utique Sacramentum David Propheta prænoscens, exhilarandam faciem in oleo prædicavit. (35) Unguntur præterea secundùm Ecclesiasticum morem cùm consecratur Altare, cùm dedicatur Templum, & cùm benedicitur calix, non solùm ex mandato Legis Divinæ, verùm etiam exemplo Beati Silvestri, qui cùm consecrabat Altare, illud chrismate perungebat. Præcepit enim Dominus Moysi ut faceret oleum unctionis de quo ungeret (36) tabernaculum testimonii, & arcam testamenti mensamque cum vasis. De quibus etiam unctionibus si forsitan dubitaveris, cùm à te fuerimus requisiti, fraternitatem tuam plenius instruemus. Veruntamen unctionis Sacramentum aliud quidem efficit & figurat tam in novo, quàm in veteri testamento. Unde non judaizat Ecclesia cùm unctionis celebrat Sacramentum, sicut aliqui mentiuntur, qui neque scripturas, neque Dei novere virtutes. Monemus igitur fraternitatem tuam, & exhortamur attentiùs per Apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad mandatum dilecti filii nostri Leonis Tituli Sanctæ Crucis Presbyteri Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati tu quoque sacram (37) suscipias unctionem, ne quid tibi desit ad plenitudinem Sacramenti; ut cùm sacro fueris chrismate delibutus, Archiepiscopos, & Episcopos tuos similiter ungas, & per eos facias manus Sacerdotum inungi oleo benedicto, illum de cætero in ordinandis Presbyteris, & consecrandis Episcopis morem servans, & faciens observari, quem Apostolica Sedes observat, quæ, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est & magistra. Mittimus autem tibi per Cardinalem prædictum Pontificalia ornamenta, caligas & sandalia, amictum & albam, cingulum & succinctorium, orarium & manipulum, tunicam & dalmaticam, chirothecas & anulum, planetam & mitram. Palleum verò per dilectum filium Johannem Capellanum nostrum antea miseramus. Et licèt Romanus Pontifex non utatur baculo pastorali, tum propter historiam, tum etiam propter mysticam rationem, (38) (quod idem Cardinalis, sicut à nobis accepit, poterit edocere) tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum poteris eo uti.

LXXVIII. Misit etiam per eundem Legatum duobus Archiepiscopis de novo creatis duo pallea assignanda illis secundùm hanc formam.

Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Innocentii, & Romanæ Ecclesiæ necnon & Ecclesiæ tibi commissæ tradimus tibi palleum de Corpore Beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, quo ad Missarum solemnia infra Ecclesias tibi subjectas utaris in Nativitate Domini, Festivitate Protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbatho Sancto, Pascha, Feria secunda post Pascha, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus Festivitatibus Sanctæ Mariæ, Natali Beati Johannis Baptistæ, Solemnitatibus Omnium Sanctorum, Commemoratione Omnium Apostolorum, Dedicationibus Ecclesiarum, Consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus Clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, Anniversario consecrationis tuæ die.

Sanè solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis palleo semper utitur, & ubique; quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per palleum figuratur. Alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem acceperunt, certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Præcepit etiam ut tam à Primate, quàm præfatis Archiepiscopis reciperet hujusmodi Sacramentum.

Ego Archiepiscopus Trinovitanus Primas totius Bulgariæ & Blaciæ ab hac hora in antea ero fidelis & obediens Beato Petro, Sanctæque Romanæ & Apostolicæ Sedi, & Domino meo Inno-

(34) *Cod. Colbert. & Andegav.* donum.
(35) *Tert. collect.* Ungitur.
(36) *Cod. Colbert. & Andeg.* ostium tabernaculi &.

(37) *Cod. reg.* recipias.
(38) *Tert. Collect.* quorum omnium rationem.

Digitized by Google

Innocentio ejusque Catholicis successoribus. Non ero in facto vel consilio, vel consensu ut perdant vitam, aut membrum, vel capiantur, aut spolientur. Consilium quod mihi crediderint, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Eorum certum malum si scivero, impedire studebo. Quòd si non potero impedire, eis quàm citò potero intimare curabo. Papatum Romanum, honores, dignitates, & rationes Apostolicæ Sedis defendam pro posse, salvo ordine meo, contra omnem viventem. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditione canonica fuerim impeditus. Apostolorum limina singulis quadrienniis per me, vel per meum nuntium visitabo; nisi eorum absolvar licentiâ. Legatum Apostolicæ Sedis, quem pro certo scivero esse Legatum, devotè suscipiam, & in suis necessitatibus adjuvabo. Cùm quemlibet de meis suffraganeis consecravero, faciam illi jurare ut Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam, & debitum honorem impendat. Cæterùm cùm aliquem coronavero in Regem Bulgarorum, & Blacorum juxta Indulgentiam mihi, & successoribus meis ab Apostolica Sede concessam, ab eo juratoriam recipiam cautionem, quòd ei qui tunc Apostolicæ Sedi præfuerit, successoribus ejus, & Ecclesiæ Romanæ devotus & obediens permanebit, & cunctas terras, & gentes suo subjectas Imperio in obedientia, & devotione Sedis Apostolicæ conservabit. Hæc omnia bona fide servabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia in præsenti, & in futuro.

LXXIX. Legatus ergo transitum faciens per Ungariam, tam à Rege, quàm à Principibus Ecclesiasticis, & mundanis honorificè fuit, & devotè susceptus. Sed cùm ad fines jam Ungariæ pervenisset, missis post eum nuntiis Rex fecit ejus transitum impediri. Super quo qualiter Dominus Papa processerit ipsius literæ manifestant ad Regem Ungariæ destinatæ.

Inter alios, *inquit*, Reges Catholicos, & Principes Christianos de te specialiter, fili carissime, gloriamur quòd Deo fidelis nobisque devotus existas, ita ut tu meritò valeas gloriari, quòd gratiam & favorem Apostolicæ Sedis obtineas specialem; sicut hinc inde plurima probant, non solùm indicia, sed exempla. Rediens enim ad Apostolicam Sedem Johannes tunc Capellanus noster, nunc autem Furconensis Episcopus, constanti nobis assertione suggessit, quòd à te cum ingenti honore & devotione susceptus clementer obtinuit, non solùm quod circa negotium Culumbani à Regia Celsitudine requisivit, verùm etiam impetravit, quòd tam ipsi, quàm aliis Ecclesiæ Nuntiis, & Legatis liber pateat per Regnum tuum progressus pariter, & regressus in Bulgariam & Blaciam. Tu quoque, si bene recolimus, suggessisti, quòd tuæ serenitati placebat ut Megajuppanus Serviæ debitam, & devotam Apostolicæ Sedi reverentiam, & obedientiam exhiberet, & à nobis, salvo in temporalibus jure tuo, Regium susciperet diadema. Unde nos hujus executionem negotii Venerabili Fratri nostro Colocensi Archiepiscopo meminimus injunxisse. Per has ergo non tam generales, quàm speciales causas inducti filium nostrum Leonem Tituli Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum in Bulgariam & Blaciam per Regnum tuum ad propagationem fidei Christianæ duximus destinandum: qui, sicut nobis suis literis intimavit, à tua Regia Celsitudine ultra etiam, quàm crediderit extitit honoratus, ita ut quasi deposita gravitate regali, universa conareris efficere, quæ sibi credere complacere; dato priùs cum omni jocunditate ducatu nuntiis, quos in Bulgariam duxerat destinandos. Datoque pacis osculo, & facta cum magno gaudio mutua promissione amicitiæ specialis, & muneribus elargitis, non solùm licentiam obtinuit transeundi, verùm etiam tuis nuntiis præcepisti ut eum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens quòd tuum sibi scriptum in confinio destinares, quod ipse apud se secretiùs retineret, & secundùm illud ad reformationem pacis fideliter laboraret. Procedens ergo cum nuntiis tuis usque ad Regni terminum, pervênit ad castrum, quod vocatur Keve, ubi solo Danubio mediante Regnum Ungariæ à Bulgarorum Provincia separatur; multis eum cum desiderio expectantibus ex altera parte. Sed post unius moram diei nuntios ex insperato recepit, qui cum festinatione maxima venientes, sibi & Episcopo Bulgaro transitum fecerunt omnino præcludi, ex parte Regia proponentes ut ad quoddam tuum præsidium retroiret, quod itinere trium dierum reliquerat jam post tergum, ibique morans Domino Bulgarorum per nuntios demandaret quòd ad quandam insulam festinus accederet in confinio constitutam, ut ibi priùs de controversia quæ vertitur inter vos plenè cognosceret & eam fine debito terminaret, (39) aliàs ei transitus non pateret. Ipse verò Cardinalis inter multa respondit quòd hoc tali modo facere non debebat, tum quia si eum cum hujusmodi pactionibus reciperet ad matris ubera redeuntem, cùm super hoc non tam seculare quàm spirituale negotium ageretur, videretur intervenire species simoniacæ pravitatis; tum quia non posset eum compellere ad aliquid faciendum donec obligatus esset Apostolicæ Sedi per vinculum spirituale. Unde cùm nollet ab incepto itinere retroire, protinus exiit edictum à Comite castri quòd quicunque sibi & suis aut etiam Episcopo memorato auderet aliquid vendere, seu aliquod humanitatis solatium exhibere, pœnam incurrerent personarum, & rerum. Et ipse Cardinalis cum Episcopo sæpe dicto à trecentis ad minus circumfusis satellitibus custoditur, qui adeo ipsum comprimunt, quòd ostium cameræ, si camera dici debet, observant; ut taceamus ea quæ sibi & suis circa necessaria naturæ viliter irrogantur. Heu heu! fili carissime, ubi est Regia clementia, ubi Religio Christiana, ubi specialis devotio, quam ad nos, & Romanam Ecclesiam prædicaris habere? Mutatus est color optimus, & aurum in scoriam est conversum. Parcat igitur eis Deus, qui animum tuum pravo consilio eduxerunt, volentibus inter Regnum & Sacerdotium discordiam seminare. Sed nos pro certo speramus, quòd aut per te ipsum jam errata correxeris, aut ad monitionem nostram taliter debeas emendare ut injuria transeat in honorem, & offensa in gratiam revertatur. Quocirca serenitatem Regiam, de qua planè confidimus, rogamus attentiùs & monemus, in remissionem tibi peccatorum injungentes, quatenus injuriam Cardinali prædicto, immo veriùs nobis in ipso, quin potiùs illatam Domino Jesu Christo in nobis, ita satagas abolere ut nos in hoc devotionem tuam experiri possimus, & non cogamur propter hoc aliquid

(39) *Cod. Pod.* aliter.

aliquid agere, quod tibi possit esse molestum; quia quantumcunque nobis molestum existeret te in aliquo molestare, non possemus tam perversum exemplum relinquere incorrectum, & propositum nostrum auctore Domino nihilominus exequemur. Minùs etiam ac benigniùs tibi scribimus, quàm instans materia postularet, ne quis fortè literas nostras inspiciens æstimaret Apostolicæ Sedis favorem tibi esse subtractum, quod utilitati utique ac honori tuo nullatenus expediret; quia multa gesta sunt, & geruntur in Regno tuo, quæ si deducerentur ad limam, correctionem exposcerent graviorem; non solùm de voto tuo, captione fraterna, & electionibus Prælatorum, sed etiam multis aliis, quæ, ne nimiùm conturberis, ad præsens duximus supprimenda. Provideas ergo tibi, ne in eam te difficultatem inducas de qua non facilè valeas expediri.

LXXX. Ipse verò Rex quendam militem cum literis excusatoriis ad Dominum Papam direxit, per quem ei Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Regiæ Celsitudinis literas quas nobis per dilectum filium nobilem virum E. militem destinasti benignè recepimus, & quæ significasti per eas notavimus diligenter. Ad primum ergò capitulum respondemus, quòd utique piæ recordationis progenitores tui, ex quo Regnum Ungariæ ad Catholicæ fidei unitatem per Beati Stephani Regis diligentiam Divina gratia præcedente pervênit, cum multa devotione Sedem sunt Apostolicam venerati, & omnes qui ex ejus progenie descenderunt, sicuti in Regno, ita sibi in reverentia Beati Petri successoribus exhibenda pariter successerunt; præsertim inclytæ recordationis Bela Rex pater tuus, qui toto tempore vitæ suæ Sedem Apostolicam studuit honorare; cui tu tam in Regno, quàm in devotione succedens, ea facere studuisti quæ ad ipsius procederent commodum, & honorem. Porrò sicut nos ea quæ dicta sunt absque dubio recognoscimus esse vera, ita tu ea quæ sunt dicenda vera esse proculdubio recognoscas. Licèt enim prædecessores nostri progenitores tuos inter alios Reges Catholicos diligere, ac honorare studuerint quadam gratia speciali, satagentes illis secundùm Deum in omni necessitate favere, specialiter tamen claræ memoriæ patrem tuum Apostolica Sedes toto conamine promovere curavit, ita quòd cùm propter quasdam causas, sicut credimus, tibi notas regalem non posset obtinere coronam, felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster post multas exhortationes, præceptiones, & commonitiones Strigoniensi Archiepiscopo factas ut ei Regium diadema conferret, cùm ipse non posset ad hoc aliquatenus inclinari, tandem Colocensi Archiepiscopo districtè præcepit ut ipse illum absque præjudicio Strigoniensis Ecclesiæ coronaret in Regem; & sic ad mandatum Apostolicæ Sedis obtinuit coronari. Quantum etiam circa principium Regni, quod utique propter dissensiones multorum non leviter extitit perturbatum, Apostolica Sedes tibi curaverit subvenire, ipse rerum ostendit effectus, quæ tandem per Legatum suum ad hoc specialiter destinatum te, ac tuos ex una parte, necnon & fratrem tuum, ac fautores ejus ex altera, reduxit ad pacem; quæ licèt reformata fuerit & firmata, utinam tamen meliùs observata fuisset. Ad secundum verò capitulum respondemus hoc modo, quòd revera tu nuntiis nostris in terra Johannitii Domini Bulgarorum, & ipsius nuntiis ad Ecclesiam Romanam ire volentibus per terram tuam securum conductum & liberum transitum concessisti, dimittens exercitum ad preces Legati nostri quem congregaveras contra ipsum, sumptibus frustra consumptis; super quibus serenitati tuæ gratiarum referimus actiones. Quod autem scripsisti quoniam præfatus Johannitius terram, quam pater tuus sorori tuæ Imperatrici Græcorum dedit in dotem, detinet occupatam, & terram Serviæ, tuæ coronæ subjectam, adjuncta sibi Paganorum multitudine copiosa crudeliter devastavit, ita quòd præter eos qui per ejus tyrannidem sunt perempti, non pauci Christiani sunt in Paganorum captivitatem deducti, eo videlicet tempore quo precibus nostris inductus, Rege Bohemiæ à Philippi consortio separato & Regi Othoni conjuncto, cum ipso pro isto validum contra illum exercitum destinasti, certissimè noveris nobis esse valde molestum quicquid in tuam injuriam, & jacturam noscitur attentatum, & ut tibi congruè satisfaciat nos diligens studium impensuros, & operam efficacem. Ad tertium verò capitulum respondemus taliter, quoniam etsi scripseris quòd præfatus Johannitius nullius terræ de jure sit Dominus, licèt aliquam partem tui, & aliam Regni alterius ad tempus detineat occupatam, unde miraris quòd tam manifestum inimicum tuum te inconsulto tam subitò in Regem proposuerimus coronare, secus est tamen ex aliqua parte, ut salva tui pace loquamur, cùm super hoc non plenè noveris veritatem. Nam antiquitus multi Reges in Bulgaria successivè fuerunt auctoritate Apostolica coronati, sicut Petrus & Samuel, & alii nonnulli post eos. Nam ad prædicationem sanctæ memoriæ Nicolai prædecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad quorum consulta sæpissime respondebat, cum toto Regno sibi commisso meruit baptizari; sed tandem prævalentibus Græcis, Bulgari perdiderunt Regiam dignitatem; quin immo compulsi sunt gravi sub jugo Imperatori Constantinopolitano servire, donec novissimè duo fratres, Petrus videlicet, & Johannitius, de priorum Regum prosapia descendentes, terram patrum suorum non tam occupare, quàm recuperare cœperunt, ita quòd una die de magnis Principibus, & innumeris populis mirabilem sunt victoriam consequuti. Non ergo negamus quin forsan aliquam partem terræ violenter invaserint, sed constanter asserimus, quòd plurimam terræ partem de jure recuperavere paterno. Unde nos eum non super alienam, sed super propriam terram ad instar prædecessorum nostrorum Regem intendimus coronare, volentes ut & ipse terram restituat injustè detentam, & terra injustè retenta restituatur eidem; cùm ipse postulaverit hoc à nobis, ut de terris invasis faciamus inter te & ipsum utrique parti justitiam exhiberi. Cùm igitur nuntiis nostris ad eum & nuntiis ejus ad nos non solùm liberum concesseris transitum, verùm etiam securum ducatum, non debuimus opinari quòd ipse tibi esset infestissimus inimicus, (40) sed per nostræ solicitudinis studium inimicitiarum occasione sublata, de inimicis fieri valeatis amici. Nec repentè processimus ad hoc negotium consummandum, cùm frequenter ad eum nuntios cum literis nostris propter hoc curaverimus destinare, ut filiam revo-

(40) *Cod. reg. & Pod.* licèt.

Digitized by Google

revocaremus ad matrem, & membrum reduceremus ad caput; quatenus esset unum ovile, & unus pastor. Verùm & illud non ab re potuissemus attendere in hoc casu, quòd cùm nobilis vir Stephanus Megajuppanus Sarviæ per venerabiles nuntios nobis humiliter supplicaverit ut in terram suam dirigeremus Legatum, qui eam ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reduceret, & Regium sibi diadema conferret, nosque petitionem ipsius de communi Fratrum nostrorum consilio decreverimus admittendam, hujus legationis officium venerabili fratri nostro Johanni Albanensi Episcopo injungentes, intellecto tandem, quòd hoc tuæ (41) sublimitati plurimùm displiceret, ob tui gratiam non sine quadam nostra confusione destitimus ab incepto. Tu verò postquàm expugnasti Sarviam amoto Stephano, & Vulco substituto in locum ipsius, per tuos nuntios intimasti quòd terram illam ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducere cupiebas, & salvo in temporalibus jure tuo, æquanimiter sustinebas ut dictus Vulcus regalem susciperet ab Apostolica Sede coronam. Unde nos hujus executionem negotii de consilio nuntiorum tuorum venerabili fratri nostro Colocensi Archiepiscopo duximus committendam. Sed cùm jam biennium sit transactum, in nullo novimus esse processum. Ad quartum verò capitulum respondemus hoc modo, quòd licèt dilectum filium Leonem Tituli Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum devotè receperis, & honoraveris studiosè, ita quòd eum in osculo pacis benignè dimissum fecisti usque ad Regni fines honestè conduci, ut jam non superesset nisi Danubii transitus de Ungaria in Bulgariam, quia tamen juxta verbum poëticum, *Turpiùs ejicitur quàm non admittitur hospes*, miramur non modicùm & movemur, magis quidem pro te, quàm pro nobis, quòd mox eum retroducere præcepisti, cùm minùs indecens extitisset si non admisisses eum, quàm admissum non sineres proficisci. Rationibus ergo quas ad hoc in tuis literis expressisti sufficeret illud Salomonicum respondere: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, nisi respondere nos oporteret ad illud, quod per literas tuas suppliciter postulasti, ut vel à proposito coronationis illius desisteremus omnino, vel saltem tamdiu cessaremus donec discordia inter vos judicio posset, vel arbitrio Legati nostri pacari. Reddimus ergo paucissimas de plurimis rationes, ne nimis expressa responsio te nimiùm conturbaret. Cùm enim Cardinalis prædictus in Regno tuo longam fecerit moram, & tam à te, quàm ab aliis non solùm honestè receptus, sed & magnificè fuerit honoratus, profectò non posset mediator esse communis ad concordiam reformandam, aut Judex æqualis ad controversiam dirimendam, nisi pari modo in terra sua reciperetur ab illo, ut omnis suspicio tolleretur. Præterea non posset illum compellere ad faciendam concordiam, vel justitiam exhibendam antequàm jugum susciperet Apostolicæ disciplinę nostroque se subiceret magisterio & pręcepto. Ad hæc, cùm idem Legatus procedat ad propagandum Christianæ fidei Sacramentum, & promovendum Apostolicæ Sedis honorem, si forsan impedires eundem, profectò Divinam indignationem incurreres; & nostram merereris offensam, illumque tibi redderes ampliùs inimicum, nihilque proficeres; quia nos modo alio possemus nostræ voluntatis propositum adimplere. Attende nihilominus diligenter quale denique reputares si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in Regem, & tale nos reputare cognosce si tu impedire coneris ne filius noster spiritualis in Regem valeat coronari, filius inquam prodigus, qui olim cum meretricibus vivendo luxuriosè, substantiam dissipavit, sed tandem in seipsum reversus, ad patrem revertitur: qui occurrens amplectitur, & osculatur filium revertentem, præcipiens servis suis ut eum induant stolam primam & dent anulum in manu ejus, & calciamenta in pedibus ejus, occidantque vitulum saginatum, ut manducent, & epulentur; quia filius ejus mortuus fuerat, & revixit, perierat & inventus est. Qualiter autem pater indignationem sedaverit filii senioris, parabola te doceat evangelica, cujus doctrinam te cupimus & in hoc, & in aliis imitari. Quòd si forsan verearis ne postquam coronam acceperit, insolentior fiat subitò sublimatus, scire te decet pro certo, quòd non tantum ex procurata fraude proficeret quantum deficeret ex fide mentita: nosque minùs dicimus tibi, ut tu intelligas per te magis. Ad quintum verò capitulum respondemus, quoniam etsi scripseris, quòd de his qui Sedis Apostolicæ sententiam contemnentes, tibi sub securitate contra fraudem inimicorum nil providenti Jaderam destruxerunt, elapso jam biennio nihil ferè adhuc justitiæ super tam irrecuperabili damno per Romanam Ecclesiam consequi potuisti, unde si permitteres præfatum Johannitium coronari antequam inter te & ipsum discordia sopiretur, nunquam ampliùs per Romanam Ecclesiam tibi posset justitia exhiberi; nolumus te, fili carissime, ignorare quòd tam stolium Venetorum, quàm Francorum exercitum propter destructionem Jaderæ anathematis vinculo curavimus innodare, cùmque majores exercitus Gallicani absolutionis beneficium postularent, non priùs potuerunt absolvi, quàm juraverint nostris stare mandatis, & obligaverint non solùm seipsos, sed suos etiam successores per literas authenticas & patentes, quòd ad mandatum nostrum super illo excessu satisfacere procurabunt. Quia verò Dux Venetorum, & sui nondum absolutionis gratiam postularunt, nos in tantum jam processimus contra eos, quòd dilectum filium suum Patriarcham electum noluimus consecrare; immo cùm ad nos personaliter accessisset, remisimus eum non sine multo pudore confusum. Significavimus quoque tibi ut apud Jaderam, quæ hactenus cum tota Provincia sua subjecta fuit Patriarchæ Gradensi, faceres electionem canonicam de persona idonea celebrari, & electum ad nos consecrandum, & palleandum dirigeres, ut sic inciperemus punire superbiam Venetorum. Pari modo præfatus Johannitius puniretur, si post susceptionem coronæ nollet super discordia inter vos arbitrio, vel judicio Legati nostri parêre, fierentque novissima sua deteriora prioribus, & error novissimus pejor priore. Quia verò quantumcunque sæpedictum Johannitium diligamus, te tamen diligimus incomparabiliter magis, modum, sicut credimus, invenimus congruentem per quem honori, & juri tuo debeat provideri, sicut per literas quas super hoc modò dirigimus advertere poteris evidenter. Quocirca serenitatem tuam rogamus attentiùs, & monemus quatenus

(41) *Cod. Pod.* serenitati.

Digitized by Google

tenus Deo dans gloriam, & nobis honorem, non impedias propagationem fidei Christianæ, nec dilatationem Apostolicæ Sedis, experieris absque dubio fructuosum.

LXXXI. Ex illo autem verbo quod in præmissis continetur, *Quale denique reputares si nos impedire vellemus ne filius tuus carnalis coronari posset in Regem*, Rex ipse valde territus fuit: quia cùm fecisset curiam congregari solemnem ut filium suum parvulum in Regem faceret coronari, timuit vehementer ne coronationem ejus Dominus Papa faceret impediri. Unde cùm præfatus Cardinalis ad curiam illam nuntios destinasset, tunc demum obtinuerunt à Rege licentiam transeundi. Profectus ergo Legatus universa, sicut fuerant constituta, complevit; & rediens tales ex parte Regis & Primatis Bulgarorum & Blacorum literas reportavit.

A Calojohanne Rege totius Bulgariæ & Blaciæ ad à Deo promotum & sanctissimum & in Christo dilectum & honorificentissimum patrem Regni nostri tertium Innocentium & sacerrimum Papam Romæ, & successorem Principis Apostolorum Apostoli Petri Legatus Apostolicæ Sedis Dominus Leo sanctitatis tuæ scriptum meo obtulit Imperio; addiscentesque de ejus sanctitate & incolumitate, omnipotenti Deo & sanctissimæ matri suæ glorificavimus. Et utinam quòd scriptum Imperii mei inveniat sanctitatem tuam viventem & degentem cum omni gaudio & hilaritate! Et Imperium meum per gratiam omnipotentis Dei & Beatissimæ Dei Genitricis & per intercessiones sanctitatis vestræ sanum est & multùm bene cum omni gaudio & exultatione. Hoc autem notum fit sanctitati vestræ, patri spirituali Regni mei, Domino Papæ, quòd Dominus Leo Legatus Apostolicæ Sedis venit ad Imperium meum, sibi afferens coronam, & eam benedicens super caput Imperii mei imposuit, & in manibus meis dedit mihi sceptrum atque vexillum, & benedixit Sanctissimo Patriarchæ Regni mei & totius Bulgariæ ex præcepto vestræ sanctitatis. Et valde Deo & Beatissimæ Dei Genetrici necnon & circumspectioni sanctitatis vestræ glorificavimus, eò quòd secundùm petitionem Imperii mei sanctitas vestra totum suum velle adimplevit, & universa Bulgaria atque Blacia & omnis Imperii mei pertinentia valde glorificavit, & vestram sanctitatem magnificavit. Scribo autem vobis & de Ungaro, quoniam Imperium meum non habet aliquam societatem regionum vel aliquam rem cum eo, neque ei nocet; immo ipse parvipendit, & nocet regionibus Imperii mei. Et Dominus Leo Cardinalis vidit, & vestræ sanctitati annuntiabit justum vel injustum quod est ab Imperio meo, aut si ego parvipendo Ungarum, vel si ipse meum Imperium parvipendit. Et scribat ei sanctitas vestra quatenus distet à Regno meo, quoniam Imperium meum nec eum habet parvipendere nec contra terras ejus abire. Si verò ipse venerit contra terras Imperii mei, & Deus adjuverit ut vincatur, non habeat sanctitas vestra Imperium meum suspectum, sed sim liber. De Latinis quoque qui Constantinopolim introjerunt, scribo sanctitati vestræ ut eis scribatis quòd distent ab Imperio meo, & sicut Imperium meum nullum malum eis facit, neque ipsi nos parvipendant. Si fortè ipsi conati fuerint contra Imperium meum, & parvipenderint eum, & occidetur ex eis, non habeat sanctitas vestra Imperium meum suspectum, sed sint universa libera. Misi autem ad tuam magnam sanctitatem pueros duos. Unus nominatur Basilius, alius Bethelem. Et detur ex præcepto ejus ut addiscant in scholis literas Latinas, quoniam hic grammaticos non habemus qui possint literas quas mittitis nobis transferre; & postquam addiscerint, remittentur ad Imperium meum. Misi autem ad præsens in signum parvæ recordationis examita duo, episima dupla, unum est rubeum, & aliud album, & camelum unum. Cùm verò mittam Legatos ad sanctitatem vestram, semper vestræ sanctitatis recordabor.

LXXXII. Multas inclinationes & multas sanitates à me Basilio humili Bulgarorum & Blacorum Primate erga patrem universorum & Dominum & patrem meum magnificentissimum & Sanctissimum Papam Innocentium. Oramus omnipotentem Deum & Sanctissimam Dei Genitricem & Beatissimos Apostolos Petrum & Paulum ut cum sanitate & sospitate inveniat vos scriptum meæ humilitatis, & per nostri Domini magnificentiam vivo & ego per Dei gratiam magnis involutus delictis. Notum sit ergo vestræ magnæ sanctitati quòd Leo Cardinalis & sanus & sospes pervenit delegatus à sanctitate vestra & Apostolica Sede, & usque ad nostram magnam civitatem Trinovæ tetendit quintadecima die mensis (42) Septembris, & portavit universalem plenitudinem patriarchalis dignitatis & paramenta omnia quæ mihi à vestra magna sanctitate fuerunt delegata. Tradidit similiter & anulum & privilegium & scripta & instructiones. Ex præcepto vestræ sanctitatis unxit me chrismate, mihi benedicens, & consecravit me in Patriarcham mensis Novembris septimo die, in festivitate scilicet Sancti Apostoli Jacobi fratris Domini. Et ego illa die duos unxi Metropolitanos & cæteros Episcopos magno cum gaudio, & duobus de Metropolitanis benedixit Cardinalis, & tradidit eis palleum atque mitras, & reliquis in caput eorum mitras imposuit. Octavo verò die ejusdem mensis, in festivitate videlicet sancti Michaëlis, coronavit & benedixit Imperatori Calojohanni Domino omnium Bulgarorum atque Blacorum, & superposuit capiti suo Regiam Coronam, & sceptrum suis manibus imponens omnia hæc complevit & perfecit secundùm sanctitatis vestræ velle; & benedicens nobis segregatus est à nobis mensis Novembris die quintadecima. Interea sciat vestra magna sanctitas quòd duos pueros ex præcepto Domini Imperatoris vobis mitto (Unus est Presbyteri Constantini filius, alius verò Regis) ut ex præcepto vestræ sanctitatis literas Latinas addiscant. Et quicquid meditari valetis ad honorem Imperatoris faciatis. Manuteneat enim Deus vestram sanctitatem per multa & longæva tempora.

LXXXIII. Alexius autem filius Isachii quondam Constantinopolitani Imperatoris de carcere fugiens venit ad Summum Pontificem, gravem de patruo suo Alexio Constantinopolitano Imperatore querelam deponens, quòd videlicet patrem suum Imperatorem Isachium, quem sicut fratrem & dominum debuerat honorare, crudeliter excœcaverat, & invadens violenter Imperium, tam illum quàm ipsum Alexium ejus filium incarceraverat ferreis vinculis compeditum, postulans de eo justitiam exerceri. Contra quem idem Imperator nuntios & literas suas Summo Pontifici destinavit, quarum tenor in ipsius

(42) *Cod. reg.* Octobris.

Digitized by Google

ipsius responsivis literis Apostolicis explicatur, & ad alia super quibus idem Imperator ei rescripserat respondetur.

Literas & nuntios Imperatoriæ dignitatis ea qua decuit benignitate recepimus, & tam ea quæ iidem nuntii proponere voluerunt quàm quæ in literis continebantur eisdem intelleximus diligenter. Proposuerunt siquidem nobis dicti nuntii tui, & id etiam tuæ literæ continebant, quòd cùm Christianorum exercitus qui venturus est in subsidium Terræ Sanctæ proposuerit tuæ magnitudinis terram invadere & contra Christianos arma movere, nostro conveniebat officio ut eos à tali deberemus proposito revocare; ne fortè manus suas de Christianorum nece fœdantes, & Dei exinde offensam incurrerent, ac inimicos Christi, debilitati non modicùm, non possent aliquatenus impugnare. Ex parte insuper tuæ celsitudinis adjecerunt quòd Alexio filio Isachii Angeli quondam Imperatoris, qui ad Philippum Sueviæ Ducem accessit ut Imperium contra te ipsius posset auxilio obtinere, favorem nullatenus præstaremus, quia Imperium non debet ad eum aliqua ratione devolvi, cùm illud non per successionem sed per electionem nobilium conferatur; nisi fortè genitus esset post adeptum fastigium Imperatoriæ dignitatis; quod utique idem Alexius non poterat allegare, cùm priùs quàm pater ejus esset in Imperatorem promotus natus fuerit, & quia pater ejus tunc privata erat persona, in Imperio non poterat sibi jus aliquod vendicare. Nos autem Imperiali prudentiæ taliter duximus respondendum, quòd prædictus Alexius olim ad præsentiam nostram accedens, gravem in nostra & Fratrum nostrorum præsentia, multis nobilium Romanorum adstantibus, proposuit quæstionem, asserens quòd patrem ejus injustè ceperis & feceris etiam nequiter excœcari, eos diù detinens carcerali custodiæ mancipatos, quia ad superiorem nobis non poterat habere recursum, & nos, juxta Apostolum, eramus tam sapientibus quàm insipientibus debitores, ei justitiam facere tenebamur. Cùmque nos eidem dedissemus responsum juxta quod vidimus expedire, recessit à nobis, & ad prædictum Philippum sororium suum concitus properavit: cum quo deliberato consilio sic effecit quòd idem Philippus nuntios suos ad Principes exercitus Christiani sine qualibet dilatione transmisit, rogans eos & petens ut quia pater suus & ipse fuerant jure suo & Imperio nequiter spoliati, cum eo Constantinopolitanum deberent Regnum intrare, ac ad illud recuperandum eidem præstarent consilium & favorem, promittens eisdem quòd tam in subsidium Terræ Sanctæ quàm in expensis & donativis eis magnificè responderet, paratus etiam in omnibus & per omnia nostris stare mandatis, & quòd Sacrosanctam Romanam Ecclesiam vellet juxta posse suum modis omnibus honorare ac ea efficere quæ nostræ forent placita voluntati. Cæterùm dicti Principes deliberato consilio responderunt quòd cùm in tam arduo negotio sine mandato & auctoritate nostra non possent procedere nec deberent, nos volebant consulere super his ac exinde præstolari nostræ beneplacitum voluntatis, inducentes dilectum filium nostrum Petrum tituli Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, qui tum transfretare debebat, ut ad præsentiam nostram rediret, & super prædictis omnibus nostram inquireret voluntatem. Verùm idem Cardinalis ad præsentiam nostram accedens, omnia nobis curavit proponere diligenter; &, cùm nuntii vestri ad nostram accesserint præsentiam, super his cum Fratribus nostris habebimus tractatum, & illud statuemus quod poterit tibi meritò complacere: quamquam plures assererent quòd ad hujusmodi postulationem benigniùs deberemus præstare favorem, pro eo quòd Græcorum Ecclesia sit Apostolicæ Sedi minùs obediens & devota.

LXXXIV. Cùm de subventione Hierosolymitanæ provinciæ tam in Italia quàm in Gallia ingens fieret apparatus, Comites Galliarum crucesignati miserunt nuntios suos in Italiam ad Ducem & populum Venetorum, ut ab eis sibi conducerent navigia opportuna. Tractatum est etiam inter eos de societate pariter ineunda. Et postquam sub certis pactionibus convenerunt, communiter est provisum ut aliquot in Syriam destinatis, cæteri tenderent in Ægyptum, ut caperent Alexandriam & finitimas regiones, sicque Terra Sancta liberaretur faciliùs de manibus paganorum. Ubi ergo Franci & Veneti societatem hujusmodi firmaverunt, utrique simul ad Sedem Apostolicam nuntios destinarunt, petentes ut Summus Pontifex pactiones hujusmodi inter se factas pro subsidio Terræ Sanctæ auctoritate Apostolica confirmaret. Ipse verò, quòd futurorum esset præsagiens, cautè respondit quòd conventiones illas ita duceret confirmandas, ut videlicet ipsi Christianos non læderent, nisi forsan iter eorum illi nequiter impedirent, aut alia causa justa vel necessaria forsan occurreret propter quam aliud agere non possent, Apostolicæ Sedis Legati consilio accedente. Veneti autem confirmationem sub hoc tenore recipere noluerunt. Unde pro certo conicitur qualis fuerit eorum intentio per effectum operis postea declarata. Contigit interim quòd Theobaldus Comes Trecensis, qui se ad iter peregrinationis magnificè præparaverat, debitum carnis exsolvit. Unde cæteri Comites & Barones cum consilio Regis Franciæ vocaverunt Bonifacium Marchionem Montisferrati, & eum sic ducem Christiani exercitus præfecerunt, tradita ex majori parte pecunia quam pro subsidio Terræ Sanctæ Comes memoratus cogregaverat. Ipse verò de Francia per Alamanniam transitum fecit; ubi cum Philippo Duce Sueviæ, qui se Regem gerebat, dicebatur habuisse tractatum ut Alexium sororium suum, filium videlicet Isachii quondam Constantinopolitani Imperatoris, cujus sororem ipse Philippus duxerat in uxorem, ad se de captivitatis ergastulo fugientem reduci faceret Constantinopolim ab exercitu Christiano ad obtinendum Imperium Romaniæ. De quo, cùm idem Marchio ad Summum Pontificem accessisset, cœpit agere à remotis; sed cùm intellexisset ipsius animum ad hoc non esse directum, expeditis negotiis ad crucis officium pertinentibus ad propria remeavit.

LXXXV. Quàm verò diligens & sollicitus, studiosus & promptus extiterit ad subveniendum necessitatibus Terræ Sanctæ, ut ad recuperationem ipsius Christianum exercitum inflammaret, ex literis quas super hoc negotio destinabat colligitur evidenter: de quibus, cùm multæ sint & diversæ, hanc unam credidi præsenti paginæ inserendam.

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in Regno Franciæ constitutis. Verendum est nobis & vobis, immo etiam omnibus in sortem Domini evocatis, ne viri Ninivæ nobiscum & cum Clericis nostris surgant in judicio, & vos damnent, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, vos autem non solùm non scidistis hactenus corda vestra, sed nec manus vestras ad mandatum nostrum sæpius repe-

repetitum voluistis hactenus aperire, ut subveniretis pauperi Jesu Christo ad relevandum opprobrium quo ei à fidei nostræ hostibus jugiter exprobratur. Ecce etenim rursus in cruce sua crucifigitur crucifixus, rursus alapis cæditur, rursus etiam flagellatur; rursus cadunt opprobria exprobrantium super eum, dicentibus inimicis: *Si filius Dei es, salvum facias temetipsum*. Si quidem potes, libera terram nativitatis tuæ de manibus nostris, & crucis cultoribus restitue crucem tuam. Vos autem, quod pro majori parte dicimus & dolemus, poscenti & reposcenti sæpius nec poculum aquæ frigidæ ministrastis; ita ut contra vos jam à laicis, quos interdum ad crucis obsequium verbis non operibus invitatis, illud Evangelicum assumatur: *Alligant onera gravia humeris subditorum, quæ movere digito etiam nolunt ipsi*. Jam improperatur vobis à laicis quòd de patrimonio Jesu Christi libentiùs histrionibus subvenitis quàm Christo, plura in canibus, & avibus pascendis consumitis, quàm velitis in ejus subsidium erogare, facti prodigi aliis, ipsi parci, vel, ut veriùs dicamus, avari. Ecce quomodo tribuistis ei pro omnibus quæ retribuit ipse vobis? Ecce quomodo amatis eum? Ecce qualiter multiplicibus ejus beneficiis respondetis; sic evidentiùs ostendentes qualiter animas pro ovibus poneretis, qui nec etiam quadragesimam partem redituum vestrorum pro ipso, immo ipsi hactenus impendere noluistis, cùm plures vestrum non solùm quadragesimam juxta mandati nostri tenorem, sed tricesimam juxta promissionem suam factam in Divionensi Concilio in tam pium opus convertere tenerentur. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & per Apostolica vobis scripta mandamus, & ex parte Dei Omnipotentis in virtute Spiritus Sancti sub interminatione Divini judicii districtè præcipimus quatenus juxta priorum nostrarum literarum tenorem vos, & universi clerici jurisdictioni vestræ subjecti saltim quadragesimam partem omnium Ecclesiasticorum reddituum & proventuum vestrorum, priùs tamen deductis usuris quarum solutio vitari non possit, in Terræ Sanctæ subsidium convertatis, facientes vos, Fratres Archiepiscopi, & Episcopi, quadragesimam ipsam per vestras Diœceses instanter exactam & collectam fideliter in tuto loco deponi; de qua singuli vestrûm, Fratres Archiepiscopi & Episcopi, assumptis secum duobus fratribus, uno Hierosolymitani hospitalis, & alio militiæ Templi, de consilio nobilium virorum Matthæi de Mallio Canonici de Bethunia & Milonis de Bremont ac Galteri de Guidonisvilla, & aliorum discretorum virorum, militibus vel aliis bellatoribus qui signum Dominicæ Crucis assumpserint, si in suis non potuerint sumptibus transfretare, congrua de eadem summa stipendia subministrent, sufficienti ab eis cautione recepta, quòd in defensionem terræ orientalis per annum, vel ampliùs juxtà quantitatem subsidii commorentur, & si decesserint, quod absit, in via suscepta, subsidium non in alios usus convertant, sed restituant potiùs in stipendia bellatorum; qui etiam cùm redierint, non priùs absolvantur à præstita cautione, quàm literas Regis vel Patriarchæ, vel Magistri hospitalis, vel Militiæ Templi, vel etiam Legati nostri vobis exhibeant de mora ipsorum testimonium perhibentes. Ut autem mandatum Apostolicum faciliùs, & meliùs compleatur, per singulas Provincias in Metropolitana Ecclesia, vel si hoc ibi fieri propter hostilitatem, vel aliud evidens impedimentum non poterit, in duobus vel tribus locis Provinciæ sine dilatione convenire curetis, & inter vos juxta formam Apostolici mandati de ipsius terræ subventione tractare, & post reversionem suam quilibet vestrûm in sua Diœcesi Concilium convocet sine mora, auctoritate (43) nostra præcipiens Abbatibus, & Prioribus tam exemptis, quàm aliis, Archidiaconis, & Decanis, & universis omnino Clericis in sua Diœcesi constitutis ut juxta veram æstimationem proventus & redditus suos taxent, & infra tres menses post factam eis denuntiationem, quadragesimam partem valoris eorum sub ipsius Episcopi testimonio, & aliquot religiosorum virorum, adhibitis nihilominus ad cautelam aliquibus laicis fidelibus & discretis, in locum idoneum ejusdem Diœcesis non differant consignare. Ab hac autem generalitate Grandimontenses, & Cartusienses Heremitas, Monachos Cistercienses, & Canonicos Præmonstratenses excipimus, quibus mandatum super hoc injungimus speciale. Ad hæc, in singulis Ecclesiis truncum concavum poni præcipimus, tribus clavibus consignatum, prima penes Episcopum, secunda penes Ecclesiæ Sacerdotem, tertia per aliquem Religiosum laicum conservandis; ut & in eo fidelis quilibet, juxta quod Dominus eorum mentibus inspiraverit, suas eleemosynas (44) firmitate statuta deponere in remissionem eorum peccaminum moneantur, & in omnibus Ecclesiis semel in hebdomada pro remissione peccatorum, & præsertim offerentium, certa die, quam tamen Sacerdos prænuntiet populo, Missa publicè decantetur, singulisque diebus inter Missarum solemnia *Deus venerunt gentes* Campanis pulsantibus cum oratione consueta dicatur. Concedimus autem vobis, Fratres Archiepiscopi, & Episcopi, ut circa eos qui de bonis suis Terræ Sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum & rerum facultate pensatis, & considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possitis in opus eleemosynæ faciendæ. Noveritis autem nos Venerabilibus Fratribus nostris Parisiensi & Suessionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallium Sarneji, & Sancti Victoris Abbatibus, per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandasse ut eos qui in Concilio à dilecto filio Petro Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali tunc Apostolicæ Sedis Legato apud Divionem collecto tricesimam suorum reddituum in Terræ Sanctæ subsidium liberaliter promiserunt, saltem ad quadragesimam persolvendam, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellant. Porrò quàm meritorium sit crucis obsequium, quàm laudabile relictis propriis, Terræ Sanctæ Reliquiis subvenire satis patet ex Evangelica lectione. Illi enim qui assumpto crucis signaculo in Terræ Sanctæ subsidium non dubitant transfretare, quod in Evangelio legitur videntur ad literam etiam adimplere: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Qui etiam ut veri Discipuli Christi fiant, Patrem, Matrem, Uxorem, Filios, Fratres, & Sorores, adhuc autem & animam suam juxta verbum veritatis oderunt. Numquid enim Patrem, Matrem, Uxorem, Filios, Fratres, & Sorores non videntur odisse qui post-

(43) *Cod. Pod.* Apostolica.

(44) *Cod. Reg.* fraternitate.

Digitized by Google

postposito carnis affectu, Regi Regum in puritate Spiritus desiderant militare? Numquid suam animam non oderunt, qui ut injuriam vindicent crucifixi, animas ponere non formidant, caritatis ejus privilegio commendandi de qua veritas in Evangelio protestatur: *Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tales quærenti Domino si Calicem bibere possent quem ipse fuerat bibiturus, *Possumus* securè cum Zebedæi filiis responderent. Tales de Christi gratia confidentes, dicerent securè cum Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Numquid enim qui Regna, Principatus, Comitatus, & prædia reliquerunt larga, non securè uterentur hoc verbo quo Petrus, qui navim tantùm & rete reliquerat, fuit usus. Nos ergo, qui licèt indigni, locum ejus tenemus in terris cui tales suum devovent famulatum, sanctæ recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, præsentium auctoritate statuimus ut bona eorum & similium, ex quo crucem susceperint, cum familiis suis sub Sanctę Romanæ Ecclesiæ, ac nostra necnon Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant, & donec de ipsorum reditu, vel obitu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta consistant. Quòd si quisquam contrà præsumpserit, singuli vestrum in sua Diœcesi præsumptionem ipsius per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescant. Volentes præterea sic super interdicti sententia prolati in terram carissimi in Christo filii nostri Philippi Francorum Regis Illustris crucesignatorum petitioni deferre ut non dissolvatur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus ut si qui ex eis officia voluerint audire Divina, ea faciatis ipsis, exclusis aliis qui non fuerint crucesignati, non pulsatis Campanis, voce celebrari suppressa. Si qui autem eorum excommunicationis forsan sententia innodati postulaverint absolvi, ab eis juratoria cautione recepta, & ipsis beneficio absolutionis impenso, non negamus quin ab eis statutam pecuniam etiam exigatis juxta terræ consuetudinem, & recipiatis exactam. Veruntamen postquàm recepta fuerit, eam ipsis pro Terræ Sanctæ succursu in peregrinationis subsidium conferatis, ipsum, si grave id forsitan, quod non credimus, vobis fuerit, in quadragesima, quam per vos erogari mandavimus, in eorum stipendia, qui suis non possunt transfretare sumptibus computantes. Præterea prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ut Clerici crucesignati usque ad triennium redditus suos pignori valeant obligare concedimus, atque volumus, & mandamus ut eos super hoc nec impediatis per vos in aliquo, nec permittatis per alios impediri. Ex parte quoque nostra districtiùs inhibere curetis dominis signatorum ne ipsos gravent indebitè, aut exactionibus præsumant insolitis molestare. Quia verò iis qui Divinæ se mancipant obsequiis servitutis, & abstinendum ab illicitis & licitis parciùs est utendnm, ne licitum fiat illicitum si lascivè, vel illicenter agatur, volumus & mandamus ut eos ex parte nostra monere diligentiùs, & inducere procuretis ne diebus illis, quibus carnibus vesci debent, aut etiam jejuniorum diebus, præter pulmenta pluribus ferculis, quàm duobus, & eis etiam moderatis, utantur; nisi forsan Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus tertium ferculum, quod vulgò dicitur intermissum, ultra id quod exhibetur familiæ apponatur; nec de cætero, donec votum peregrinationis adimpleant, herminiis variis seu griseis induantur. Ad quorum utrumque tam Clericos, quàm Laicos, & mulieres etiam, quæ vel transfretare tenentur ex voto, vel secuturæ sunt in peregrinationis itinere viros suos, similiter volumus commoneri. Armigeros etiam, & alios servitores diligenter, & efficaciter, quantum in vobis fuerit, inducatis ut coloratis vestibus non utantur, sed contenti sint aliis convenientibus indumentis. Cæterùm quoniam nobiles viri Boloniæ, Bellimontis Comites, & multi alii, sicut accepimus, ut contra votum suum licentiùs veniant, vel illud differant adimplere, signum crucis, quod suis affixerant humeris, in animarum suarum perniciem abjecerunt, fraternitati vestræ, fratres Archiepiscopi & Episcopi, per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus eos, indulgentia etiam non obstante, si qua forsan apparuerit per subreptionem obtenta, ut signum crucis recipiant, & cum aliis statuto tempore peregrinationis propositum exequantur, monitione præmissa per excommunicationis, & in terras interdicti sententias appellatione postposita compellatis, & quocunque tales devenerint, divina prohibeatis eis præsentibus officia celebrari. Quòd si forsan aliqua vobis indulgentia fuerit præsentata, quæ dubia vobis, vel difficilis videatur, ita quòd judicare de ipsa facilè non possitis, eam ad nostram præsentiam destinetis. Parochianos quoque vestros ne saltem usque ad quinquennium ad torneamenta convenire præsumant, monere diligentiùs, & inducere procuretis, in personas eorum qui contra præsumpserint excommunicationis, & in terras interdicti sententias sublato appellationis obstaculo proferentes, & quocunque tales devenerint, Divina prohibentes ipsis præsentibus officia celebrari; nec priùs latas in eos relaxetis sententias, quàm torneamenta usque ad prædictum terminum solemniter abjurarint. Nos autem de Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam Deus nobis, licèt indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Illis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis juxta qualitatem & facultatem suam viros idoneos destinaverint illic per annum moraturos ad minus, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Hujus quoque peregrinationis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt. Personas insuper ipsorum & bona eorum, ex quo crucem susceperint, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant. Quòd si quisquam contra præsumpserit, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento teneantur astricti, vos Fratres Archiepiscopi & Episcopi, per vestras Diœceses creditores eorum sublato appellationis obstaculo eadem districtione cogatis ut eos à Sacramento penitùs absolventes, ab usurarum ulteriùs exactione desistant. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum, eum ad restitutionem earum sublato appellationis obstaculo districtione simili compellatis. Judæos verò ad remittendum ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab universis Christifidelibus tam in mercimo-

cimo-

Digitized by Google

cimoniis, quàm aliis per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut si qui forsan crucesignatorum tanto debitorum onere prægravantur ut fortè soluta non sufficiant ad expensas quas sunt in peregrinatione facturi, creditores eorum quos rei familiaris inopia non excusat, ut usque ad triennium solutionis terminum prorogent monere diligenter, & inducere procuretis. Horum autem omnium Venerabilibus Fratribus nostris Parisiensi & Suessionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallium Sarnei, & Sancti Victoris Abbatibus solicitudinem delegamus, ut executores sint super capitulis illis quæ fieri sub Ecclesiastica districtione mandamus, & in iis ad quæ aliquos moneri jubemus exsequantur officium monitorum.

LXXXVI. Termino igitur constituto crucesignatorum exercitus ad partes Venetiarum accessit tam multus & fortis, devotus & timoratus, ut absque dubio crederetur quòd per eum Dominus antiqua miracula innovaret, nec solummodo recuperaretur Hierosolymitana provincia, verùm etiam Regnum Babylonicum caperetur. Nam & Veneti tam magnifica navigia præparaverant ut à longis retro temporibus nedum visus sed nec auditus fuerit tantus navalium apparatus. Misit ergo Dominus Papa Petrum tituli Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum ad exercitum Venetiis congregatum, ut proficisceretur cum illo in nomine Redemptoris. Sed Dux & Consiliarii Venetorum, timentes ne ipse impediret eorum propositum, quod malè conceperant, de Jadera expugnanda, dixerunt quòd si vellet ire cum eis, non ut legationis, sed ut prædicationis exerceret officium, ducerent illum, alioquin rediret. Quamvis autem displicuisset hoc Francis, rediit tamen inhonoratus à Venetis, pravam eorum intentionem Summo Pontifici expressiùs manifestans. Qui literas misit universis crucesignatis districtiùs prohibens ne terras Christianorum infestarent, & (45) nominatim Jaderam, quam Rex Ungariæ possidebat, qui similiter erat crucesignatus; alioquin scirent se anathematis vinculo innodatos. Et hanc inhibitionem & excommunicationem fecit eis per Abbatem de Locedio certiùs intimari. Marchio verò Montisferrati, qui fuerat super hoc à Domino Papa viva voce prohibitus, se prudenter absentans, non processit cum illis ad Jaderam expugnandam.

LXXXVII. Qualiter autem illi ad Jaderam destruendam processerint, quantùm super hoc Dominus Papa commotus fuerit, literæ quas misit ad illos indicant manifestè.

Dolemus non modicùm & movemur quòd iis quibus remissionis impendere gratiam solebamus & æternæ polliceri retributionis augmentū, nunc, quod sine mœrore multo non dicimus, nostræ salutationis alloquium & Apostolicæ benedictionis præsidium cogimur denegare. Ecce etenim aurum versum est in scoriam, & penè penitùs æruginavit argentum, cùm à puritate vestri propositi recedentes, & in invium declinantes à via, quasi manum retraxistis ab aratro, & retrorsum cum Loth conjuge respexistis. Cùm fugientes Ægyptum festinare debuissetis ad terram melle ac lacte manantem, errantes ad solitudinem divertistis; ubi reducentes ad animum qualiter in Ægypto super ollas carnium sederatis, non solùm esuristis allia & pepones, sed fraternum sanguinem sitivistis. Sanè rememorans serpens antiquus qualiter inter semen mulieris & eum inimicitias Deus posuerit, post hominis primi lapsum, quia in caput prævalere non potuit, insidiatus calcaneo, seipsum occultavit in via, ut vel equorum ungulas tangeret, & cum equo prosterneret ascensorem, consueta fraudis astutia & solitæ nequitiæ malignitate procurans ut saltem modicum fermenti corrumperet totam massam, & omnium facti rei, cùm offenderetis in uno, totius laboris vestri meritum perderetis. Attendens siquidem ipse hostis antiquus, qui est diabolus & sathanas, qui seducit universum orbem, quòd majorem caritatē nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis, ut vos tantæ caritatis affectu & mercede privaret, contra fratres vestros bellum movere vos fecit & signa vestra primùm contra fideles populos explicare, quatenus sic ei peregrinationis vestræ solveretis primitias, & tam vestrum quàm fratrum vestrorum sanguinem dæmonibus funderetis. Habentes igitur faciem non euntis in Hierusalem, sed descendentis potiùs in Ægyptum, in Hierico ab Hierosolymis descendistis, & incidistis ideo in latrones, qui & vos virtutum spoliarunt amictu, & peccatorum plagas imposuerunt spoliatis; nec abire tamen voluerunt hactenus nec relinquere semivivos, cùm adhuc apud vos immissiones per angelos malos fiant, ut tamquam pro necessitatibus vestris divertatis ad insulas, & in sumptus vestros Christianorum spolia convertatis, sicut nuper apud Jaderam accepimus vos fecisse. Cùm enim illuc navigio venissetis, signa vestra contra civitatem protinus expandentes, tentoria in obsidione fixistis, vallavistis undique civitatem, & muros ipsius non sine multa effusione sanguinis suffodistis. Cùmque cives subire cum Venetis judicium nostrum vellent, nec in hoc etiam apud vos potuissent misericordiam invenire, circa muros suos crucis imagines suspenderunt. Sed vos in injuriam crucifixi non minùs civitatem impugnastis & cives; sed eos ad deditionem violenta dextera coëgistis. Debuerant autem vos à tam nequissimo proposito vel reverentia crucis assumptæ vel carissimi in Christo filii nostri Henrici Regis Ungarorum illustris & nobilis viri Andreæ Ducis fratris ejus devotio, qui pro Terræ Sanctæ subsidio crucis signaculum assumpserunt, vel saltem Apostolicæ Sedis auctoritas, quæ vobis curavit districtiùs inhibere ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia causa justa vel necessaria forsan occurreret propter quam aliud agere accedente consilio Legati, possetis. Ne verò præmissa inhibitio segniter audiretur, si qui contra eam venire præsumerent, eos denuntiavimus excommunicationis vinculo innodatos & beneficiis indulgentiæ quam Apostolica Sedes crucesignatis indulsit immunes. Ceterùm licèt dilectus filius noster Petrus tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus prohibitionis nostræ tenorem quibusdam ex vobis exponere curavisset, & tandem literæ nostræ vobis fuissent publicè præsentatæ, nec Deo nec Sedi Apostolicæ detulistis, sed ut se redderent coëgistis miseros Jadertinos. Veneti ergo in oculis vestris subverterunt muros civitatis ejusdem, spoliaverunt Ecclesias, ædificia destruxerunt, & vos cum eis Jadertinorum spolia divisistis. Ne igitur addatur peccato peccatum, & in vobis quod legitur impleatur, *Peccator contemnit cùm in profundum venerit vitiorum*, universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs & per Apostolica vobis scripta mandamus & sub interminatione anathematis districtè præcipimus quatenus Jaderam nec destruatis ampliùs, quàm hactenus est destructa, nec destrui faciatis, aut quantum in vobis fuerit permittatis, sed nuntiis Regis

(45) *Cod. Reg.* specialiter.

Regis ejusdem ablata omnia restituere procuretis. Alioquin vos excommunicationis sententiæ subjacere noveritis, & à promissa vobis venia remissionis immunes.

LXXXVIII. Principes verò Francorum suum recognoscentes excessum, juraverunt in manibus Episcoporum suorum quòd super eo mandatis Domini Papæ parerent; & fecerunt se ab illis absolvi, mittentes Suessionensem Episcopum ad Apostolicam Sedem ut commotionē Summi Pontificis mitigarent & illum consulerent qualiter essent de cætero processuri. Ipse verò per literas suas præcepit eisdem quatenus dignè de tanto pœnitentes excessu, & satisfacientes congruè de peccato, redderent universa quæ ad eos de Jadertinorum spoliis pervenerant, & à similibus de cætero penitùs abstinerent. Quia verò sententiam Apostolicæ Sedis præter auctoritatem ipsius nullus potuit relaxare, quibusdam viris discretis injunxit ut ab eis qui nondum juraverant Apostolicis stare mandatis reciperent juramentum, à juratis autem exposcerent ut in eorum præsentia recognoscerent taliter se jurasse, ac deinde juxta formam Ecclesiæ munus absolutionis impenderent universis; injungentes Comitibus & Baronibus sub debito juramenti ut per patentes literas tam se quàm successores suos Sedi Apostolicæ obligarent quòd ad mandatum ejus de tanta præsumptione satisfactionem exhibere curabunt; omnibus autem præciperent in communi ut à similibus de cætero abstinerent, salvis aliis mandatis quæ super hoc duceret facienda. Porrò Comites & Barones obligaverunt se sicut fuit illis injunctum, & sic omnes absoluti fuerunt. Veneti verò, tamquam qui gloriantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, nec ad pœnitentiam agendam, nec ad indulgentiā implorandam voluerunt aliquatenus inclinari. Ad consultationes autem Francorum Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Si verè vos pœnitet de commisso, & plenè proponitis satisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, immo novimus jam placatum. Si verò Veneti potuerint ad satisfactionem induci, & absolutionis beneficium meruerint obtinere, securè cum eis navigare poteritis; & prælium Domini præliari. Quòd si nec satisfacere fortè voluerint nec absolvi, utpote qui non dolere sed gaudere dicuntur potius de commisso, permittimus vobis ut cum ipsis usque in terram Sarracenorum vel Hierosolymitanam provinciam, juxta quod inter vos & ipsos convenit vel honestè convenerit, navigio transeatis, quantò minùs poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & sub spe veniæ communicantes eisdem. Cùm enim jam à vobis majorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci aut etiam coarctari, si aliter fieret, videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi autem præmium ex contumacia reportare; cùm ad hoc debitum exsolvendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi possit & recipi quod debetur. Est autem cautum in jure quòd si quisquam per terram hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessaria emere ac recipere poterit ab eisdem. Præterea si paterfamilias domus excommunicationis sententia fuerit innodatus, à participatione ipsius familia excusatur. Licèt ergo Dux Venetorum dominus navium, tamquam paterfamilias domus, in excommunicatione persistat, vos tamen, tamquam ipsius familia, dum in navibus ejus fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud Deum si in excommunicatorum navibus existentes cum dolore cordis sub spe pœnitentiæ excommunicatis ipsis communicaveritis in quibus communionem eorum nequiveritis evitare. Verùm cùm vel in terram Sarracenorum vel Hierosolymitanam provinciam de navibus vos descendere continget, nisi Veneti ad satisfaciendum & recipiendum juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium inducti fuerint vel compulsi, cum eis nullatenus præsumatis prælium Domini præliari; ne si eis habentibus aliquid de anathemate in crucis insurrexeritis inimicos, non prævaleatis in eos, sed terga vertentes fugiatis potiùs & cadatis. Nam in libro Josue legitur quòd cùm Achan filius Charmi pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum de Hierico anathemate rapuisset, iratus est Dominus Israëli. Unde cùm adversùs Haï ascendissent tria millia pugnatorum, statim terga vertentes percussi sunt à viris urbis Haï, & corruerunt ex eis triginta & sex homines; persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes; nec priùs Dominus urbem Haï in manus tradidit Israël quàm Achan populus lapidavit & omnia quæ illius fuerant igne consumpsit. In Paralipomenon etiam cùm Josaphat Rex Juda cum Ochozia Rege Israël, cujus opera pessima fuerant, fœdus iniisset, fecissentque naves quæ irent Tharsis, Eliezer filius Dodau de Maressa ad Josaphat prophetasse legitur & dixisse: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire Tharsis*. In libro autem Machabæorum legitur quòd cùm Judas contra Gorgiam præpositum Idumææ cum tribus millibus peditum & quadringentis equitibus ascendisset, in congressu contigit paucos ruere. Cùmque postmodum Judas prostratorum corpora in paternis sepulcris ponere voluisset, invenit de idolosum donariis quæ apud Jampiam fuerant, & à quibus prohibet lex Judæos, sub tunicis occisorum. Factum est igitur omnibus manifestum ob hanc causam eos qui ruerant corruisse. Ne autem victualia vobis desint, carissimo in Christo filio nostro Imperatori Constantinopolitano scribemus ut juxta quod per literas suas nobis ipse promisit, victualia vobis faciat exhiberi. Quòd si forsan ea vobis contingeret denegari, cùm tamen vos devoveritis ad commune obsequium crucifixi, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in ea, posset utique non absurdum videri ad similitudinem Imperatoris terræ, de quo cautum est in jure civili quòd si ejus exercitus indiguerit alimentis, ea possit accipere undecunque, possitis & vos cum timore Domini sub satisfaciendi proposito ad necessitatem tantùm ea sine personarum accipere læsione. In libro namque judicum reperitur quòd cùm Gedeon Zebee & Salmana Reges Madian persequeretur instanter, & primò à viris Socoth, ac secundò ab habitatoribus Phanuel panes pro populo qui secum venerat, & jam quasi defecerat, postulasset, quia ei quod postulaverat denegarunt, victor reversus tulit seniores civitatis Socoth & spinas deserti ac tribulos, & contrivit cum eis atque comminuit viros Socoth. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. Necessitas enim, maximè cùm insistitur operi necessario, & in multis excusat. Cùm enim Dominus sabbato per sata transiret, & vellerent discipuli ejus spicas, ac manducarent manibus confricantes, & quidam Pharisæorum ad discipulos: *Quid facitis quod non licet in sabbatis* proclamarent, Jesus eis legitur respondisse: *Nec hoc legistis quod fecit David, cùm esuriret ipse, & qui cum eo erant, quomodo venit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat nisi tantùm Sacerdotibus man-*

manducare? Et consequenter adjecit quia filius hominis Dominus est etiam sabbati. Sed & hoc negotium filii hominis est, & prœlium Domini, quod intenditis prœliári. Hæc autem exempla de scripturis sanctis induximus, non ut concedamus rapinam, sed ut toleremus, quod ex gravi necessitate sine grandi dispendio vitari non posset. Provideatis autem prudenter & cautè, ut si fortè Veneti voluerint occasiones aliquas invenire, quòd exercitus dissolvatur, multa pro tempore dissimulare ac tolerare curetis, donec ad locum perveneritis destinatum, ubi opportunitate accepta, eorum, ut expedit, malitiam comprimatis.

LXXXIX. Præmisit itaque Dominus Papa Soffredum Tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem in Hierosolymitanam Provinciam, ut interim ibi legationis officium exerceret; & fecit ei mille ducentas libras conferri, ut eas tum in necessitates familiæ suæ, tum in utilitatem Terræ Sanctæ providè distribueret, sicut cognosceret expedire. Petrum verò Tituli Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem direxit post illum, ut, si posset, crucesignatis se jungeret, aut si non posset, in Syriam transfretaret, conferens ei totidem libras propter causas easdem. Uterque verò, unus post alium in Hierosolymitanam Provinciam transfretavit, per Insulam Cypri transitum faciens, & in ea quæ fuerant ordinanda disponens. Soffredus ergo præcedens, Hierosolymitanum Patriarcham invenit in ultimis laborantem; quo post aliquot dies ex hac luce migrante, idem Legatus à clero fuit in Patriarcham electus, & à populo expetitus, cum Regis assensu & suffraganeorum favore. Missique sunt nuntii de communi consilio ad Apostolicam Sedem, ut obtinerent eum in Patriarcham sibi concedi, & post concessionem sibi palleum destinari. Deliberavit ergo Summus Pontifex ut idem Legatus induceretur, si posset, sed non cogeretur si nollet, Patriarchatum recipere, mittens palleum alteri Cardinali ut illud ei, si consentiret, conferret. Sed ille noluit aliquatenus consentire. Unde obtinuit de alterius electione tractari; & convenerunt omnes in Vercellensem Episcopum, virum utique vitâ & scientiâ, & famâ præclarum, cui Papa scripsit hoc modo.

Ut lapsum humani generis repararet unigenitus Dei filius Jesus Christus, cùm in forma Dei esset, exinanivit, ut testatur Apostolus, semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, & elegit sibi Hierosolymam passioni, factus obediens Deo patri usque ad mortem crucis, & peccata nostra in corpore suo pertulit super lignum, reputatus cum iniquis, & cum latronibus crucifixus. Nisi ergo de ingratitudinis vitio servus voluerit inutilis condemnari, nec jugum, nec jugulum recusabit subire pro Domino, cùm Dominus tradidit se pro servo morte turpissima condemnatus. Sanè ut omnem occasionem nobis Dominus tolleret, nec ad excusandas excusationes in peccato negligentiæ locum aliquem reservaret, quicquid servus pati potuisset pro Domino, penè passus est Dominus antè pro servo. Quis ergo terrena omnia non relinquat pro eo quem descendisse noverit à cœlestibus ad terrena? Quis animam suam non ponat pro illo qui pro eo spiritum emisit in cruce? Siquidem ut retribuamus ei aliquid pro omnibus, quæ retribuit ipse nobis, nec tribulatio, nec angustia, nec mors nec gladius nos debet aliquatenus retardare quò minùs, si necessitas exigat, & deposcat utilitas, gustemus pro eo calicem passionis. Si enim quemadmodum ambulavit ambulare disponimus, & vestigia ejus sequi, nec opprobria exprobrantium, nec hostis familiaris insidias, nec inimici sævientis potentiam debemus aliquatenus formidare quò minùs in viis ambulemus ipsius, & pedes nostros in ejus semitis dirigamus, passo compatientes ad tempus, ut in æternum regnanti feliciter conregnemus. Novimus etenim, & certum tenemus tam ex Prophetica, quàm Evangelica lectione quòd improperium expectavit cor ejus cùm lingua ei maledicentium exprobraret quòd filius fabri esset, potator vini, & publicanorum amicus. Novimus quòd qui edebat panes ejus erexit calcaneum contra ipsum. Novimus qualiter sputo conspersus, cæsus colaphis, spinis coronatus Pilati tyrannidem pertulit patienter, crucifixus ad ultimum, & lanceâ perforatus. Numquid ergo tuo te factori negabis, ut recuses onus Ecclesiæ Hierosolymitanæ subire quam ipse suo sanguine consecravit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, numquid non adibis hæreditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto, qui per te disposuit forsitan in terram peregrinationis, & prędicationis suæ semen Evangelicum propagare? Absit ut labores, timores, & dolores evites, paupertates, anxietates, & necessitates effugias, ne subeas onus illud ad quod es Divina dispositione vocatus. Absit ut pro eo labores evites qui pro te per Prophetam se asserit laborasse, dicens in Psalmo, *Laboravi sustinens*, & de quo Evangelista testatur, quòd horâ quasi sextâ sedebat super puteum ex itinere fatigatus. Absit ut pro eo dolores evites quem pro te non dubitas doluisse, juxta quod ipse asserit in Propheta. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus*, & qui de seipso in Evangelio protestatur: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Absit ut pro illo timores evites, qui de se legitur in Psalmo dixisse. *Timor & tremor venerunt super me*, & de quo in Evangelio legitur quòd cœpit pavere & tædere. Absit ut pro eo fugias paupertatem, qui pro te pauper est factus, juxta quod asserit in Propheta: *Pauper & dolens sum ego*, & in Evangelio: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Absit ut pro eo anxietates refugias in cujus persona loquens Propheta sic ait: *Anxiatus est in me spiritus meus, & in me turbatum est cor meum*, & qui asserit de seipso: *Baptisma habeo baptizari, & coarctor donec perficiatur*. Absit ut pro eo necessitates effugias qui pro te, ut alia taceamus, se in famis & sitis necessitatem induxit, juxta quod legitur in Propheta: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*, & sicut idem Evangelista testatur quòd cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit, & cui, cùm clamasset in cruce *Sitio*, acetum sive vinum myrrhatum, sive etiam felle mixtum crucifigentium dextra propinavit. Si fortè te moveat, quòd ad illius Ecclesiæ præsulatum vocaris cujus ad præsens non poteris possessionem adire, utpote quæ ferè tota nunc ab hostibus detinetur ad tempus, reducas oculos tuæ mentis, quomodo Jacobus frater Domini suscepit Hierosolymam gubernandam, non quidem faventem sibi, sed potiùs repugnantem; utpote in qua illi tenebant eo tempore potentatum, qui & Dominum crucifixerant extra urbem, & circa templum postmodum ipsum Jacobum occiderunt. Et licèt Johannes, & Thadæus secundùm carnem fuerint fratres Domini, Jacobus tamen specialiter dicitur frater ejus, utpote qui relictam fratris defuncti duxerit uxorem, ut semen ei juxta Legem Mosaicam suscitaret. Qui etiam non incongruè dicitur supplantator, cùm quodammodo Apostolos supplantaverit; utpote qui quamvis primus inter alios non fuisset, cæteris tamen quasi primogenituram præripuerit, dum primogenitam suscepit Ecclesiam gubernandam, de qua vide-

Digitized by Google

videlicet Propheta testatur, quòd de Sion exivit lex & verbum Domini de Hierusalem. Hæc est civitas Regis magni, de qua multa dicta sunt gloriosa, & illud quasi præcipuum, quòd subjungitur: *Mater Sion dicet, homo & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*. Præterea licèt pars ipsius Ecclesiæ, quod dolentes referimus, in excidio Terræ Sanctæ capta fuerit, & ab hostibus trucidata, pars tamen quæ manus evasit hostiles, immo etiam ipsa Ecclesia, quæ per novam est sobolem renovata, in pastorem te sibi expetit & expectat. Non ergo de loco causeris, cùm personas habeas quas gubernes; quia nomen Ecclesiæ ad personas refertur ampliùs quàm ad locum; licèt ad hoc specialiter postuleris, ut de loco solicitus, ad recuperationem ipsius, & reintegrationem terræ Nativitatis Dominicæ totis viribus elabores. Accedentes enim ad præsentiam nostram dilecti filii Prior & Canonici Sepulcri Dominici tam viva voce, quàm per literas quas tulerunt nobis humiliter intimarunt, quòd cùm dilectus filius noster Soffredus Tituli Sanctę Praxedis Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus non potuisset induci ut electioni factæ de ipso ad Hierosolymitanam Ecclesiam consentiret, convenientes in unum te in Patriarcham unanimiter postularunt: quorum postulationi, & carissimus in Christo filius noster A. Illustris Rex Hierosolymitanus assensum præstitit, & Archiepiscopi consenserunt, per suas nobis literas supplicantes ut te non solùm inducere, sed etiam cogere dignaremur ut postulationi eorum humiliter consentires. Idem quoque Sanctæ Praxedis, & dilectus filius noster Petrus Tituli Sancti Marcelli Presbyteri Cardinales, Apostolicæ Sedis Legati, per suas nobis literas intimarunt, quòd cùm suffraganei Ecclesia Hierosolymitanæ in electione vocem assererent se habere. Prior autem, & Canonici Sepulcri Dominici hoc negarent, factum est tandem ut nominatis duabus personis, vices & voces suas in eas devotè conferrent ut ex illis, quam magis idoneam crederent eis eligerent Patriarcham. Similiter & Prælati provinciæ in eos si quid juris in electione habebant concorditer contulerunt. Ipsi ergo deliberatione præhabita de duabus nominatis personis te potiùs eligentes nominarunt eidem Ecclesiæ in pastorem. Licèt autem valde nobis necessarius sis in partibus Lombardiæ, utpote cui securè in arduis negotiis committimus vices nostras, propter urgentem tamen necessitatem, non solùm Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed totius Orientalis Provinciæ, quandam nobis quasi violentiam inferentes, monemus discretionem tuam, & exhortamur attentiùs, & in remissionem injungimus peccatorum, obsecrantes per aspersionem Sanguinis Jesu Christi quatenus (46) dictæ nominationi consentiens, & prædictorum omnium desideriis condescendas, & electionem recipias de te factam; ne, si aliter egeris, voluntati Divinæ resistere videaris, quæ tamen & à volentibus & à nolentibus semper impletur; prudenter attendens, ne si persona minùs idonea, vel forsan indigna eidem præficeretur Ecclesiæ juxta desiderium aliquorum, tibi propter contradictionem tuam posset non immeritò imputari. Nec laborem istum refugias, tamquam perficere nequeas quod exoptas; quia Deus non tam profectum remunerat, quàm laborem. Propter quod dicit Apostolus: *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundùm suum laborem*, & alia scriptura testatur: *Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum*. Unde cautè dixit Apostolus: *Plus omnibus laboravi*, nec dixit: *Omnibus plus profeci*. Quamquam ex laboribus tuis profectus speremus non modicos proventuros. Taliter igitur pro Deo, & propter Deum super hoc mandatum Apostolicum exequaris, quòd manum districtioris severitatis nos non oporteat exhibere. Nam etsi secundùm statuta canonica nullus invitus crescere compellatur, tamen juxta legitimas etiam sanctiones aliqui ad publica munera (47) trahuntur inviti. Interest autem tam Apostolicæ Sedis, quàm Ecclesiæ generalis, immo & generaliter omnium, & singulariter singulorum fidelium crucifixi, ut eidem Ecclesiæ persona præficiatur idonea in pastorem; nec tu tam ad honorem assumeris, quàm ad onus, cùm Ecclesia illa hodie plus habeat oneris, quàm honoris. Ne turberis in aliquo, vel causeris quòd præfatus Cardinalis Sanctæ Praxedis factam de se postulationem Canonicam Sepulcri Dominici non admisit: quia forsan, sicut Sarra Tobiæ, sic & ipsa viro fuit alii Divino judicio reservata; vel fortassis hoc eum ad hanc oneris recusationem induxit, ne, cùm in partibus illis præsens existeret, videretur promotionem propriam procurasse, ac ex eo præsertim notam ambitionis incurreret, quòd cùm ad remotionem cujusdam perversæ personæ. quæ ad eandem Ecclesiam fuerat improbè nominata, opportunè ac importunè, sicut ad ejus pertinebat officium, institisset, amota illa factam de se postulationem postmodum acceptaret.

LXXXX. Ipse verò Vercellensis Episcopus humiliter acquiescens, ad Apostolicam Sedem accessit, & in Patriarcham promotus non solùm pallei ornamentum accepit, verùm etiam officium legationis promeruit per quadriennium in sua Provincia exercendum; Januamque profectus, inde in Syriam navigavit. Philippus autem, sicut convenerat cum Marchione Montisferrati, misit Alexium sororium suum filium videlicet Isachii quondam Constantinopolitani Imperatoris; & eodem Marchione sagaciter mediante tractatum est inter ipsum, & exercitum Christianum ut idem exercitus reduceret illum in Græciam, & juvaret ad Constantinopolitanum Imperium obtinendum, ipseque pecuniam eis promissam solveret, & alia pacta cum eis inita custodiret, postquam Imperium obtineret. Verùm cùm hoc ad Summi Pontificis notitiam pervenisset, scripsit illis hoc modo.

Cum in manu valida & extento brachio egressi fueritis de Ægypto ut vos ipsos Domino in sacrificium offerretis, doluimus non modicùm & dolemus quòd adhuc Pharao vos persequitur fugientes, vel vos potiùs sequimini Pharaonem, qui vos sub quadam necessitatis specie ac velamine pietatis sub jugo peccati vetustæ suæ nititur subdere servituti. Doluimus autem, sicut præmisimus, & dolemus pro nobis pariter & pro vobis & pro universo populo Christiano. Pro nobis, quia dum quod seminaveramus in lacrymis per Legatos & literas nostras, vobis & aliis sæpius non absque quadam amaritudine cordis & corporis anxietate non modica verbum Domini proponentes, & exhortantes nominis Christiani cultores ad vindicandam injuriam crucifixi, & credebamus vos in exultatione messuros, ex improviso messi nostræ inimicus homo superseminavit zizania, & sic (48) seminavit ut in lolium degenerasse triticum videatur. Pro vobis autem; quoniam cùm expurgassetis vetus fermentum, & crederemini jam veterem hominem cum suis actibus exuisse, modicum fermenti, & utinam modicum, corrupit denuo totam massam; & dum vestimenta candida non servastis, quasi veterem reinduistis amictum, manum retrahentes

(46) *Cod. reg. & Pod.* Divinæ vocationi.
(47) *Cod. Pod.* compelluntur.
(48) *Cod. Reg.* vitiavit.

Digitized by Google

hentes ab aratro, & respicientes cum conjuge Loth retrorsum; ita ut apti non videamini secundùm Apostolum Regno Dei. Pro populo autem Christiano doluimus; quoniam inde humiliatur ampliùs unde credebatur potiùs exaltari. Cùm enim multi qui vos præcesserunt in Terræ Sanctæ succursum, quòd non ascenderetis audito, ad propria sunt reversi, de proximo vestro passagio diffidentes, Sarraceni de accessu vestro dubii, & illorum recessu securi, contra Christianos animos assumpserunt; & qualiter peccatis exigentibus prævaluerunt contra eos referre nolumus, cùm sit ferè ubilibet divulgatum. Gaudemus autem quòd receptis literis nostris (49) erratum in vobis intelligentes, devotè ac humiliter mandatum estis Apostolicum executi, & juramento præstito vel recognito, absolutionis beneficium percepistis, vos & successores vestros, filii Comites, cum duobus Baronibus Gallicanis ad satisfaciendum juxta mandatum nostrum super eo quòd apud Jaderam excommunicationis sententiam incurristis, per patentes literas obligantes. Utinam autem pœnitentia vestra sit vera, ut sic pœniteatis videlicet de commissis quòd à similibus de cætero caveatis: quoniam qui adhuc agit quod pœnitet, non est pœnitens, sed illusor, & cani reverso ad vomitum comparatur pœnitens rediens ad peccatum. Est quoque levius peccatum quod semel committitur quàm quod commissum semel, postmodum iteratur. Nullus itaque vestrum sibi temerè blandiatur quòd terram Græcorum occupare sibi liceat vel prædari tamquam minùs Apostolicæ Sedi subjectam, & quòd Imperator Constantinopolitanus deposito fratre suo & etiam excœcato Imperium usurpavit. Sanè quantumcunque in hoc vel aliis idem Imperator & homines ejus jurisdictioni commissi delinquant, non est tamen vestrum de ipsorum judicare delictis, nec ad hoc crucis signaculum assumpsistis ut hanc vindicaretis injuriam, sed opprobrium potiùs crucifixi, cujus vos obsequio specialiter deputastis. Monemus igitur (50) universitatem vestram & exhortamur attentiùs, & per Apostolica vobis scripta mandamus quòd nec decipiatis vos ipsos, nec ab aliis decipi permittatis, ut sub specie pietatis agatis illa, quod absit, quæ redundent in vestrarum perniciem animarum; sed cessantibus potiùs occasionibus frivolis & necessitatibus simulatis, in Terræ Sanctæ transeatis subsidium, & crucis injuriam vindicetis, accepturi de hostium spoliis quæ vos, si moram feceritis in partibus Romaniæ, oporteret forsitan à fratribus extorquere. Aliter enim (51) nec possumus nec debemus remissionis vobis gratiam polliceri. Inhibitionis autem nostræ tenorem, qua vobis sub excommunicationis interminatione vetuimus ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia justa & necessaria causa forsan occurreret propter quam aliud agere interveniente consilio Legati possetis, memoriter retinere vos volumus, & monemus, ne contra eam leviter veniatis. Ne autem culpa Ducis & populi Venetorum in pœnam vestram redundet, volumus & mandamus ut literas nostras, quas ipsis assignandas direximus, & quæ adhuc apud vos esse noscuntur, assignari faciatis eisdem, ne ipsi excusationem in peccatis assumant.

XCI. Ipsi tamen nihilominus in Græciam navigantes, Constantinopolim pervenerunt; ubi quid actum fuerit ab ipsis, literæ ipsorum ad Dominum Papam directæ declarant.

Quanta fecerit nobis Dominus, immo non solùm nobis, sed nomini suo dederit his diebus, quanta possumus brevitate perstrinximus, ipso prænotantes (52) initio; quia ex quo urbem transgressionis exivimus, (sic enim Jaderam nominamus; cujus excidium vidimus dolentes quidem & necessitate compulsi) nihil inter nos ordinatum esse meminimus quod communiter ad utilitatem pertineret exercitus quin illud in melius providentia divina mutaverit, sibique in totum vendicans, stultam fecerit sapientiam nostram. Hinc est quòd eorum quæ facta sunt apud nos gloriosè, omnem à nobis gloriam jure repellimus; quippe qui operis adhibuimus parum, consilij nihil. Unde necesse est ut si quis ex nobis voluerit gloriari, in Domino glorietur, non in se, vel in altero. Fœdere igitur confirmato cum illustri Constantinopolitani quondam Imperatoris Isachii filio Alexio; cùm victualibus omnibus & rebus egentes, Terræ Sanctæ videremur gravamen potiùs illaturi, sicut & alii ex nobis qui nos præcesserunt, quàm juvamenti aliquid allaturi, nec terræ Sarracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare potentes, verisimilibus quidem rumoribus & argumentis inducti quòd dicti Alexii suspiraret adventum Regiæ pars potior civitatis, & pondus Imperij, quem electione concordi cum solemnitate debita sublimasset, contra consuetum ordinem temporis aura favente, obedientibus Domino ventis & mari, ad urbem Regiam præter omnem spem prosperè applicuimus, & in brevi. Sed nec adventavimus improvisi, qui usque ad sexaginta millia equitum præter pedites in urbe reperimus; & transilientes loca tutissima, pontes, terras, & flumina, sine damno nostrorum, terra & mari obsedimus civitatem & tyrannum pariter, qui commisso in fratrem parricidio fasces Imperii diutina incubatione polluerat. Præter igitur omnium opinionem, universorum civium mentes contra nos invenimus obfirmatas, nec aliter contra dominum suum civitatem muris & machinis obseratam quàm si adventasset populus infidelis, qui loca sancta polluere & religionem proponeret inexorabiliter evellere Christianam. Imperii siquidem crudelissimus incubator, domini & fratris sui Imperatoris orbator & proditor, quique eundem carcere perpetuo sine crimine condemnasset, idem filio ejus illustri facturus Alexio si non eundem à manibus ejus felix eripuisset exilium, & præhabita in populo detestabili concione, potentes simul & plebem sermonibus adeo infecerat venenosis ut ad subversionem libertatis antiquæ Latinos assereret adventare, qui Romano Pontifici locum & gentem restituere properarent & Latinorum legibus Imperium subjugare. Hæc profectò res sic omnes contra nos animavit pariter & armavit ut contra nos & exulem nostrum viderentur omnes pariter conjurasse. Sæpius ergo per nuntios nostros, immo per ipsum exulem nostrum & Barones nostros à civibus postulantes audiri, nec adventus nostri causam nec petitionis modum potuimus explicare; sed quotiens terra vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, totiens retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur quòd præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti ut statim necesse haberemus aut perire aut vincere, cùm obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium incredibilis urgeret angustia, non ex desperatione quidem,

(49) *Cod. Reg.* erraneum.
(50) *Cod. Reg.* nobilitatem.
(51) *Cod. Reg. & Pod.* quia non poss. n. deb. rem. gra. vo. pollicemus.
(52) *Cod. Reg.* indicio.

Digitized by Google

dem, sed inspirata quadam securitate divinitus suspirare cœpimus ad bella (53) promptissimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtinere. Ad conflictum etiam campestrem sæpius ordinati, inæstimabilem multitudinem fugâ in urbe ignominiosâ conclusimus. Aptatis igitur terra & mari bellicis instrumentis, die obsidionis octavo violenter civitas introitur, grassatur incendium, disponit contra nos acies Imperator; & paratis nobis excipere venientem, constantiam nostram cum paucitate miratus ignominiosè (54) terga reflectit, in urbem retrogressus ardentem. Ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suamque in urbe relinquit uxorem & parvulam prolem. Eadem re comperta, nescientibus nobis, Græcorum proceres in palatio congregantur, & exulis nostri solemnis celebratur electio, seu potiùs restitutio declaratur, insperatamque lætitiam copiosa in palatio luminaria protestantur. Manè facto prodit in castra (55) copiosa Græcorum procerum multitudo, suumque cum gaudio quærit electum. Restitutam civitati asserunt libertatem, & regredienti filio ad fasces Imperii cum gaudio inæstimabili sublevatum de carcere caput patris Isachii quondam Imperatoris ostendunt. Præordinatis itaque quæ necessaria videbantur, ad Ecclesiam Sanctæ Sophiæ novus Imperator cum solemni processione deducitur, & exuli nostro sine omni contradictione Imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His peractis, ad solutionem promissorum prosilit Imperator, & promissa rebus accumulat, victualia pro servitio Domini profutura nobis præbet in annum, ducenta marcharum milia nobis solvere pergit, & Venetis sumptibus suis stolium prolongat in annum, seque juramento astringit quòd (56) erigere nobis debeat regale vexillum & in passagio Martii nobiscum ad servitium Domini proficisci cum quantis poterit milibus armatorum, & sub eadem promissione concludit quòd eam reverentiam præstare debeat Summo Pontifici quam antecessores sui Imperatores Catholici prædecessoribus suis Pontificibus pridem impendisse noscuntur, & Ecclesiam orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare, ac toto vitæ suæ tempore milites quingentos cum sumptibus suis in Terra Sancta honorificè provisurum ad servitium Redemptoris.

Tunc demum Dux & Veneti qui erant in Græcia miserunt nuntios ad Petrum tituli Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, absolutionis beneficium implorantes; qui misit ad illos cum literis suis Thesaurarium Nicosiensem de Cypro, & recepto ab eis secundùm formam Ecclesiæ juramento, fecit illos absolvi, quamvis adhuc in nullo satisfecerint de commisso, malens eos habere claudos quàm mortuos; præsertim ne ipsorum contagium cæteros inquinaret.

XCII Alexio igitur cum Isachio patre suo ad Constantinopolitanum Imperium restituto, eoque fidem non servante Latinis, qualiter Constantinopolitana civitas capta fuerit, & Balduinus Comes Flandriæ ad Imperium sublimatus, ipsius literæ ad Dominum Papam transmissæ describunt.

Sanctissimo, *inquit*, Patri & Domino carissimo Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Balduinus eadem gratia Constantinopolitanus Imperator & semper Augustus, Flandriæ & Hainoniæ Comes, Miles suus cum devota obsequii voluntate pedum oscula beatorum. Cùm paternæ sollicitudinis zelo, & nostræ congregationis in idipsum amore speciali, quæ circa nos aguntur sanctitas vestra scire desideret, seriatim vobis declarandum esse decernimus quàm mira circa nos usa sit divina clementia novitate; quamquam non nobis, sed nomini suo gloriam dederit omnibus sęculis admirandam. Mirabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succedunt; ut etiam infidelibus dubium esse non debeat quin manus Domini operetur hæc omnia, cùm nihil speratum aut provisum antè contigerit, sed tunc demum nova nobis Dominus procuraverit auxilia cùm nihil humani videretur superesse consilii. Et quidem, si bene meminimus, per literas paternitati vestræ transmissas nostri progressus & status narrationem eò usque deduximus ut urbe populosa capta violenter à paucis, tyranno fugato, ac filio Isachii Alexio coronato, mora nostra promissa foret & ordinata per hiemem, ut potenter obtinerent si qui resistere videbantur Alexio. Et nunc breviter narranda suscipimus quæ circa nos postea contigerunt, eo prænotato, quòd sicut non opera hominum fuere, sed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum opera fuere, sed dæmonum, quæ cum Imperatore novo Græcoque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Nos siquidem, ne discordiæ inter nos & Græcos fomitem ministraret moribus nostris adversa barbaries, de civitate exeuntes, ex adverso civitatis in interjacente pòrtu ad preces Imperatoris castra posuimus, & ex insperato, seu innatâ malitiâ, vel Græcorum seductus perfidiâ, animo recessit à nobis cui tanta beneficia contulimus Imperator, & in omnibus cum patre, Patriarcha, & mole nobilium nobis promissis perjurus & mendax, tot incurrit perjuria quot nobis præstitit juramenta. Unde nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur incassum, & navigii quod eum adduxerat & sublimaverat ad coronam procurat incendia. Sed voto tam crudeli, Deo nos protegente, fraudatur. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proveniunt. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur; Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis, ea occasione captata, quòd nullum ad auxilium nostrum deberet habere (57) confugium. Cùmque eidem evadendi spes unica restaret in nobis, juratum sibi quendam Marculfum nomine, sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficiis impensis super omnes alios confidebat, mittit ad exercitum nostrum, qui Blachernæ palatium nobis sub Imperatoris & suo juramento promittit in obsidium donec nobis cuncta promissa reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni; & quos jam nobis dederat spretis obsidibus, consueta perjuria non veretur Nocte insecuta Marculfus domino suo perjurus & nobis, Græcis reddendi nobis palatii revelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum ipse declarat ut deiciatur Alexius. Cujus proditionis merito tertius in urbe Imperator attollitur. In dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus; eumque carcere tetro concludens, ac conducens tertium Nicolaum quendam, qui apud Sanctam Sophiam Imperiales infulas noviter usurparat, traditum sibi Græcorum, qui eum creaverant, proditione rursus incarcerat, mortuoque postmodum Isachio, qui animum filii sui à nobis præ omnibus, ut dicebant, averterat, acclamante clero Græcorum

(53) *Raynald.* paucissimi.
(54) *Cod. Reg. & Pod.* frena.
(55) *Arnold.* inermis.
(56) *Arnold.* exire nobiscum debeat.
(57) *Cod. reg.* refugium.

Digitized by Google

rum & populo ut de terra tolleretur in brevi, tantùm sanguinem nostrum sitientibus Græcis, prælia contra nos proditor jam dictus instaurat, urbem machinis & propugnaculis munit, quorum similia nemo vidit unquam. Cùmque murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cœmentoque tenacitatis & firmitatis antiquæ constructus, in altum valde consurgens, turres haberet amplissimas pedibus circiter quinquagenis paulò plus minusve distantes inter quaslibet duas, à parte maris, quò noster timebatur assultus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus aut quatuor multitudinem continentibus armatorum. Nihilominus etiam inter quaslibet duas turres seu petraria seu mangonellus erigitur. Turribus autem supererigguntur ligneæ turres altissimæ stationum sex; superque supremam stationem adversùm nos porriguntur scalæ, appodiationes ex utraque parte & propugnacula continentes, paulò minùs excelsis scalarum capitibus quàm jacere in altum posset arcus à terra. Murum etiam ipsum murus circumcingit inferior, duplexque fossatum, ne muris ulla applicari possent ingenia; sub quibus possent latitare fossores. Interim terra marique nos tentat perfidus Imperator, nos semper Domino protegente & suos frustrante conatus. Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul exeuntibus nostris, usque ad mille animas hominum pugnatorum Imperator occurrit in multitudine gravi primoque congressu dissipatur omnino, cæsis captisque non paucis sine damno nostrorum; fugâ ignominiosâ consulens sibi, clypeum abicit, arma deponit, & nostris vexillum Imperiale dimittit, nobilemque quam sibi præferri faciebat iconam, quam ordini Cisterciensi nostri dedicavere victores. Iteratò navigium nostrum flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio sexdecim suas naves incensas velis in altum expansis & inferiùs colligatis ad proram, flante fortiter austro, nostras mittit in naves; sed Domino faciente, cum multo labore nostrorum custodum indemnes, & ardentibus navibus clavis infixis catenis hærentibus, nostrorum remigio trahuntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Nos igitur terrestrem eum provocamus ad pugnam, & ponte atque amne transmisso, qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portam diù stetimus Regiæ civitatis & palatii Imperialis quod Blacherna nuncupatur, in nomine Domini Israël agmina præcedente cruce vivifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quendam nostri pedites trucidarunt. Sic in castra reversi, terra marique sæpius provocamur; sed, dante Domino, semper ac triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis fictæ legatos perfidus incubator Imperii, postulat & obtinet cum Duce colloquium. Cùmque eidem Dux magnanimus objecisset quòd nulla cum eo pàcis posset esse securitas qui dominum suum carcere conclusisset postposita jurisjurandi religione & fidei ac fœderis inter quantumlibet infideles firmiter obtinentis, & ipsi præripuisset Imperium; eidemque bona fide consuleret ut dominum suum restitueret & humiliter veniam postularet, novas etiam pro se promitteret preces, & quòd cum eodem domino suo, si vellet, agere misericorditer deberemus ac quicquid contra nos egerat venenosè, si rediret ad animum, imputare vellemus ætatis lapsui, non consilio, ille vana verba subintulit, quia quæ responderet non habebat. Obedientiam autem Romanæ Ecclesiæ & subventionem Terræ Sanctæ, quam juramento & scripto Imperiali firmaverat Alexius, adeo refutavit ut vitam amittere præeligeret Græciamque subverti quàm quòd Latinis Pontificibus orientalis Ecclesia subderetur. Nocte igitur insequenti Dominum suum latenter suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumpserat, similis Judæ; & clava ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit, casuque vitam, quam laqueo extorserat, confingit ereptam, ac Imperiali sepultura concessa, propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sicque nobis hiems tota perficitur, donec in navibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in navibus, quinto Idus Aprilis, hoc est, feria sexta ante passionem Domini, unanimiter pro honore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & subventione Terræ Sanctæ navali prælio invadimus civitatem, & eadem die, sine multo tamen nostrorum sanguine, fuimus tanta perpessi ut inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars fuit per cuncta superior, adeo ut tracta in terram Græcis compelleremur bellica nostra machinamenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur adversam, ea die, ut videbatur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimùm & conterriti, sed demum in Domino roborati, definito consilio rursus instauramur ad pugnam, & quarto die, secundo Idus Aprilis, hoc est feria secunda post passionem Domini, flante Borea, rursum applicamur ad muros, scalas navium scalis turrium applicantes cum multo labore nostrorum, permultum resistentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diù anceps belli duravit eventus. Duæ siquidem naves pariter colligatæ, quæ nostros Episcopos, Suessionensem videlicet ac Trecensem, deferebant, quarum erant insignia Paradisus & Peregrina, primæ scalis suis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio peregrinos pro Paradiso certantes hostibus admoverunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cœlestium secretorum prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur nostris, procedit Domino jubente multitudo infinita pro paucis; & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audacter militibus portas aperiunt: quorum cùm Imperator, qui non procul à muris in tentoriis stabat armatus, conspicaretur ingressum, statim tentoria relinquit & fugit. Nostri cædibus occupantur, civitas capitur populosa, recipiuntur in palatiis Imperialibus qui nostrorum enses effugiunt; multaque cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt advesperascente jam die; arma fessi deponunt, de assultu palatiorum in crastinum tractaturi. Suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens quòd nostros in potestate nunc habeat intra murorum septa conclusos. Sed nocte latenter dat terga devictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita, de substituendo Imperatore pertractat. Et dum manè facto ad nominationem cujusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione majori ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima palatia relinquuntur, totaque in momento civitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo. Auri & argenti, sericorum pretiosarumque vestium, atque gemmarum, & omnium eorum quæ ab hominibus inter divitias computantur tam inæstimabilis abundantia reperitur ut tantum tota non videatur possidere Latinitas. Et quia admodum pauca negaverant, cuncta nobis divino judicio reliquerunt, ut securè dicamus quia majora his mirabilia circa bellorum casus nulla unquam narret historia, ut impleta prophetia manifestè videatur in nobis quæ dicit: *Persequitur unus ex nobis centum alienos*; quoniam si inter singulos victo-

Digitized by Google

victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quàm centum & obsedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam usurpamus, quia salvavit sibi dextera Domini, & brachium virtutis ejus revelatum est in nobis. A Domino tantùm factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Ordinatis igitur diligenter quæ disponenda rerum poscebat eventus, ad electionem Imperatoris unanimiter & devotè procedimus, & ambitione seclusa, cum sex Baronibus Venetorum venerabiles viros Episcopos nostros Suessionensem, Halberstatensem, Trecensem, Dominumque Bethlehemitanum, qui à partibus transmarinis auctoritate Apostolica nobis fuerat delegatus, Acconensem electum, Abbatemque Lucedii, Imperatoris nostri sub Domino constituimus electores. Qui oratione præmissa, ut decuit, dominica, misericordia Domini personam nostram, quod à nostris meritis procul erat, unanimiter ac solemniter elegerunt, divinis laudibus clero & populo pariter acclamante. Sequenti Dominica, qua *Jubilate* cantatur, præcipiente Apostolo Petro Regem honorificari eique obediri tamquam præcellenti, & Euangelio nuntiante quòd gaudium nostrum nemo tollet à nobis, cum ingenti honore atque tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subventionem Terræ Sanctæ, gloriosè coronatum ad Imperii fastigia Deo & hominibus amabiles patres memorati Pontifices cum universorum applausu & piis lacrymis sublimarunt. Aderant incolæ Terræ Sanctæ, Ecclesiasticæ militaresque personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabunda lætitia; exhibitumque Deo gratius obsequium asserebant quàm si civitas Sancta Christianis cultibus restituta, cùm ad confusionem perpetuam inimicorum crucis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ terræque Hierosolymitanæ sese Regia civitas devoverit, quæ tamdiù tam potenter adversaria stetit, & contradixit utrique. Hæc est enim quæ spurcissimo gentium ritu pro (58) superna societate, sanguinibus alternis ebibitis, cum infidelibus ausa est sæpius amicitias firmare ferales, & eosdem mamilla diù lactavit uberrima, & extulit in superbiam seculorum, arma, naves, & victualia ministrando. Quid è contrario fecerit peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla quàm verba. Hæc est quæ in odium Apostolici culminis Apostolorum Principis nomen audire vix poterat, nec unam eidem inter Græcos Ecclesiam concedebat qui omnium Ecclesiarum accepit ab ipso Domino principatum. (59) Hæc est quæ Christum solis didicerat honorare picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi spreta scripturarum auctoritate confinxerat, & lavacri salutaris plerunque facere præsumebat iterando jacturam. Hæc est quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur, sed canum; quorum sanguinem effundere penè inter merita reputabant, nec ulla pœnitentiæ satisfactione pensabant laici monachi, penes quos, sacerdotibus (60) spretis, tota ligandi atque solvendi consistebat auctoritas. Hæc & ejusmodi deliramenta, quæ epistolaris explicare non valet angustia, impletis iniquitatibus eorum, quæ ipsum Dominum ad nauseam provocabant, divina justitia nostro ministerio digna ultione percussit, & expulsis hominibus Deum odientibus & amantibus sese, terram nobis dedit omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino, & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, & pascuis speciosam, spatiosissimam ad manendum, & cui similem non continet orbis, aëre temperatam. Sed nec in his desideria nostra subsistunt, nec ab humeris nostris sustinebimus signum regale deponi donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum, partes debeamus invisere transmarinas, & Deo dante propositum peregrinationis explere. Speramus enim in Domino Jesu, quòd qui cœpit in nobis opus bonum ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit, solidabitque. Paternitatem igitur vestram propensiùs exoramus, & obsecramus in Domino ut gloriæ hujus atque victoriæ & spei præoptatæ, cujus ostium nobis magnum apertum est, Principes esse velitis & Duces, vestrisque temporibus & operibus adscribatis decus hoc. Quod absque ulla nobis dubitatione continget, si Apostolicæ sanctitati devotos nostri præcipuè incolas occidentis, nobiles & ignobiles, cujuslibet conditionis aut sexus, eisdem desideriis accensos, ad veras immensasque divitias capessendas, temporales pariter & æternas, salutaribus monitis accendatis, propositâ venientibus omnibus Apostolicâ indulgentiâ nobis, & Imperio nostro aut temporaliter, aut perpetuò fideliter servituris. Universis enim dare sufficimus quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit, universos volumus simul & possumus secundùm status suos varietatemque natalium & augere divitiis, & honoribus ampliare. Specialiter autem Deo amabiles Ecclesiasticos viros, cujuslibet religionis aut ritus, solicitudo vestra paterna potenter inducat ut ad idem populum prædicationibus publicis, & potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant, catervatimque, & ipsi venire festinent in locis amœnissimis & uberrimis, non tamen in sanguine, sed in multa libertate & pace omniumque bonorum affluentia Ecclesiam plantaturi, salvâ semper, ut decet, suorum canonicâ licentiâ Prælatorum. Ad laudem etiam Redemptoris & sanctitatis vestræ perpetuum decus utilitatemque præcipuam generalis Ecclesiæ pertinere credentium nullus ambigeret, si in civitate Constantinopolitana veteribus honorata Conciliis vestra paternitas generale Concilium convocaret, beatissimæ personæ vestræ præsentiâ confirmandum, novamque Romam veteri couniret sanctionibus sacris ac perpetuò valituris. Jam enim ad Concilium Græciam rebellem vos invitasse didicimus, quasi quæ nunc videtis ipsa præsignando; licèt sive pro rebellione Græcorum, sive pro utilitatibus mundi & variis occupationibus interim videamini distulisse. Ecce nunc tempus acceptabile, Pater Sancte, ecce nunc dies salutis. Cogitasse videtur Dominus cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestrorum vestros posuit inimicos. Canite, quæsumus, tuba Sacerdotali in Sion, amantissime Pater; vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes, & sugentes ubera; sanctificate diem acceptabilem Domino, diem stabiliendæ unitatis & pacis, & quam ad Dominum custodimus nostræ fortitudinis confirmandæ. Quantumlibet enim sufficientes simus ex nobis, sperare audemus in Domino, quòd gaudium Domini sit fortitudo nostra ad evacuandum scandalum crucis, & subjiciendam in terris omnem adversariam potestatem erigentem se adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Recordamini, Pater Sancte, Cathedræ vestræ sessorum, quorum in Cælo gaudent animæ, & in Terris vivit gloriosa memoria, Johannis,

(58) *Cod. reg. & Arnold. Lubec.* fraterna.

(59) *Heic quædam alia interferuntur apud Arnold. Lubec.*

(60) *Arnold.* sum notis. *Cod. reg.* sumptis. *Pod.* persspretis.

Digitized by Google

hannis, Agapiti, & Leonis, seu aliorum, qui ex variis causis Constantinapolitanam leguntur Ecclesiam præsentialiter visitasse, sicut in Apostolicis continetur archivis; & invenietis manifestè, si nos qui asserunt se legisse non fallunt, quòd pro causis longè minoribus eorum quilibet adventarit. Si quid ex ardenti desiderio, ultra quàm decet ingerimus, ex benignitate consueta, Reverende Pater, ignoscite, affectumque nostrum apicemque negotii ulteriùs & potiùs quàm verba spectate. Illud autem silere nulla ratione (61) valemus, quòd Reverendi Pontifices, & Abbates nostri, & inferioris status Venerabilis Clerus tam magnificè ac decenter, tam honestè inter nos se habuit, ac prudenter, & armis Deo potentibus tam constanter, & triumphaliter dimicavit ut coronam (62) gloriæ de manu Domini meritò debeat expectare, & eorum in perpetuum esse meruerit in benedictione memoria, & ne quid eis in nulla gratia desit, Apostolici favoris & gratiæ cumulum pro tam bene meritis evidentiùs reportare. Illustrem virum H. Dandulum Ducem Venetorum, dilectum nobis ac meritò diligendum, cum amicis ac sociis nostris Venetis, quos fideles ac industrios per cuncta reperimus, paternitati vestræ pro suæ probitatis merito plurimùm commendamus.

XCIII. Verùm antequam Franci, & Veneti ad capiendam Constantinopolim processissent, tales inierunt ad invicem pactiones.

In nomine Dei æterni. Amen. Nos quidem Bonifacius Montisferrati Marchio, & Balduinus Flandriæ & Hainoviæ, L. Blesensis & Clarimontis, H. Sancti Pauli Comites, pro parte nostra vobiscum, vir inclyte Domine H. Dandule, Venetiæ, Dalmatiæ, atque Crovaciæ Dux, & cum parte vestra, ad hoc ut unitas, & firma inter nos possit esse concordia, & ad omnem materiam scandali evitandam, ipso cooperante qui est pax nostra & fecit utraque unum, ad ejus laudem & gloriam talem duximus ordinem observandum, utraque parte juramento astricta. In primis omnium armata manu, Christi invocato nomine, civitatem expugnare debemus; & si Divina auxiliante potentia civitatem intraverimus, sub eorum regimine debemus manere, & ire qui fuerint super exercitum prælecti, & eos sequi secundùm quòd fuerit ordinatum; totumque avere quod in civitate inventum fuerit à quolibet, duci debet & poni in commune, & loco quo fuerit ordinatum; de quo tamen avere nobis, & hominibus Venetorum tres partes debent solvi pro illo avere, quod Alexius quondam Imperator nobis, & vobis solvere tenebatur. Quartam verò partem nobis retinere debemus, donec fuerimus in ipsa solutione coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit, debemus per medietatem inter nos & vos dividere donec fueritis apagati. Si verò minus fuerit, ita quòd non possit sufficere ad memoratum debitum persolvendum, undecunque fuerit prius avere acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem observare. Salvis tamen victualibus, quæ debent observari & dividi tam vestris, quàm nostris æqualiter, ita quòd utraque pars possit inde congruè sustentari. Quod autem residuum fuerit, partiri debet in alio avere juxta ordinem prænominatum. Vos etiam & homines Venetorum liberè, & absolutè absque omni controversia per totum Imperium habere debetis omnes honorificentias & possessiones quas quondam consuevistis habere tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, omnesque rationes sive consuetudines quæ sunt in scripto, & sine scripto. Debent etiam sex homines eligi pro parte nostra, & sex pro vestra, qui juramento adstricti eam personam eligere debent de exercitu quam credent meliùs scire, & meliùs posse tenere, & meliùs scire ordinare Terram & Imperium ad honorem Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii; & si fuerint in uno concordes, illum debemus Imperatorem habere quem ipsi concorditer elegerint. Si verò sex in una parte, & sex in alia concordaverint, sors mitti debet, & super quem sors ciciderit, debemus pro Imperatore habere. Et si plures consenserint in una parte, quàm in alia, illum Imperatorem habebimus in quem major pars consenserit. Si verò plures partes fuerint, quàm duæ, super quo major pars ordinaverit sit Imperator. Debet verò iste Imperator habere universam quartam partem acquisiti Imperii & Palatium Blachernæ, & Buccam Leonis. Reliquæ verò tres partes per medietatem inter vos & nos dividentur. Sciendum est quòd Clerici, qui de parte illa fuerint de qua non fuerit Imperator electus, potestatem habebunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ ordinandi, & Patriarcham eligendi ad honorem Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Imperii. Clerici verò utriusque partis illas Ecclesias ordinare debent quæ suæ parti contingent. De possessionibus verò Ecclesiarum tot & tantum Clericis, & Ecclesiis debent provideri quot honorificè possint vivere & sustentari. Reliquæ verò possessiones Ecclesiarum dividi, & partiri debent secundùm ordinem præsignatum. Insuper etiam jurandum est tam ex nostra parte, quàm ex vestra quòd ab ultimo die instantis mensis Martii morari debemus usque ad annum expletum ad Imperium & Imperatorem manutenendum ad honorem Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Imperii; inde verò in antea omnes, qui in Imperio remanserint, ipsi Imperatori stringi debent jurameuto secundùm bonam & rationabilem consuetudinem; & illi qui tunc in Imperio remanserint, ut prædictum est, jurare debent quòd firmas, & stabiles pactiones quæ factæ fuerunt habebunt. Est autem sciendum quòd à nostra, & vestra parte duodecim homines vel plures pro parte eligi debent, qui juramento adstricti feuda & possessiones & honorificentias inter homines distribuere debent, & servitia assignare quæ ipsi homines Imperatori, & Imperio facere debent, secundùm quod illis bonum videbitur, & conveniens apparebit. Feudum verò, quod unicuique assignatum fuerit, liberè & absolutè possidere debent de hærede in hæredem tam in masculo, quàm in fœmina, & plenam habeant potestatem ad faciendum inde quicquid suæ fuerit voluntatis, salvo tamen jure & servitio Imperatoris & Imperii. Imperator verò reliqua servitia facere debet quæ fuerint facienda, præter ea quæ ipsi facient qui feuda, & honorificentias possidebunt secundùm ordinem sibi injunctum. Statutum est etiam, quòd nemo hominum alicujus gentis, quæ communem guerram (63) nobiscum, & successoribus nostris vel populo Venetorum habuerit, recipiatur in Imperio donec guerra illa pacificata fuerit. Teneatur etiam utraque pars ad dandam operam bona fide ut hoc à Domino Papa valeat impetrari, ut si aliquis contra hanc institutionem ire tentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper Imperator jurare debet, quòd firmas & stabiles partitiones, & dationes quę factæ fuerint irrevocabiles habebit secundùm ordinationem superiùs dictam. Si verò aliquid in istis omnibus erit addendum vel minuendum, in potestate & discretione vestra & vestrorum sex Consiliatorum & Domini Marchionis & ejus sex Con-

(61) *Cod. reg. & Pod.* debemus.
(62) *Cod. reg. & Pod.* victoriæ.
(63) *Cod. reg. & Pod.* vobisc. & success. vestris.

Digitized by Google

Consiliatorum consistat. Sciendum est etiam quòd vos, præfate Domine Dux, nec debetis Imperatori qui fuerit electus, vel Imperio, ad aliqua servitia facienda juramentum præstare propter aliquod datum vel feudum vel honorificentiam quæ vobis debeat assignari: tantùm illi vel ille quem vel quos loco vestro statueritis super iis quæ vobis fuerint assignata, debeant juramenta præstare ad omne servitium Imperatori & Imperio faciendum juxta ordinem superiùs declaratum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quarto mense Martii, Indictione septima.

XCIV. Attendens ergo Dominus Innocentius quòd in pactionibus illis multa continebantur illicita, præsertim ea quæ contingebant statum Ecclesiarum & Clericorum, & quòd in captione Constantinopolis multa fuerant scelera perpetrata, quòdque crucesignati prohibiti fuerant terras Christianorum offendere nisi forsan eorum nequitia iter impediretur, nec videbatur ad excusationem illorum sufficere quòd propterea licuerit eis Græcos offendere quoniam ipsi ab obedientia Sedis Apostolicæ sese subtraxerant & noluerant succurrere Terræ Sanctæ, licèt super utroque fuerint ab eodem Domino Papa commoniti, & Alexius Imperator nequiter incubaret Imperio quod iniquè abstulerat fratri suo, cùm super his nullam desuper ulciscendi acceperint potestatem, cœpit vehementissimè dubitare quid in tanto negotio sibi foret agendum. Sed habito diligenti tractatu, non solùm cum Cardinalibus, verùm etiam cum Archiepiscopis & Episcopis & aliis viris prudentibus, quorum tunc de diversis partibus magna erat apud Sedem Apostolicam multitudo, nobili verò Marchioni Montisferrati super hoc Sedem Apostolicam consulenti de communi consilio scripsit hoc modo.

Quòd inter curas & occupationes mundanas, non solùm multiplices, sed ingentes, de salute animæ tuæ solicitus & studiosus existis, prudentiam & devotionem tuam in Domino commendamus. Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? (64) Insuper non redimet homo, nec dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Laborabit in æternum, & vivet in finem. Recepimus namque literas tuas per dilectum filium Soffredum tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem nostro Apostolatui præsentatas, quibus nobis insinuare curasti quòd corde contrito & spiritu (65) humiliato ad Apostolicæ commotionis mandatum spe indulgentiæ generalis inductus, votum crucis solemniter emisisti, & ad id fideliter prosequendum intendisti semper animo incorrupto. Quòd autem illius adolescentis suscepisti ducatum qui fatebatur Constantinopolitanum Imperium sibi de jure deberi, consilium fuit dilecti filii Petri tituli Sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, nec tam humanum consilium quàm necessitas importuna, quòd post Jadertinensis civitatis excidium ad requirenda victualia in Romaniam exercitus declinaret. Verùm tu & alii crucesignati facientes de necessitate virtutem, intendistis in ipsa principaliter procurare ut Apostolicæ Sedi gratum impenderetis obsequium; & expectatum nihilominus Terræ Sanctæ succursum, quod ad plenum consummasse putastis, cùm sine sanguinis effusione Regia Urbe capta, & occupatore Imperii effugato, restitutisque in ipsa patre simul ac filio ad fastigium Imperatoriæ dignitatis, fecistis ipsos non coactos Sacrosanctæ Apostolicæ Sedi tactis Evangeliis obedientiam exhibere, Imperiali nobis scripto transmisso ad majorem fidei firmitatem, ut quod ore promiserant, opere adimplerent. Cùmque vos ad navigandum in Syriam totis viribus pararetis, innatâ Græcorum malitiâ juramentis & pactis penitùs violatis, igne, dolo, & toxico iter vestrum, non semel tantùm, sed sæpe nequiter impediverunt, & ad occupationem Urbis Regiæ vos in ipsorum perniciem renitẽtes & invitos attraxerunt; qua sola Dei virtute mirabiliter triumphata, quicquid ex tunc quocunque modo vel loco fecistis voluntarii vel inviti, communicato Dei nostri consilio semper habuistis in votis ut per vos inobedientiæ filii redirent ad obedientiam matris suæ tam debitam quàm devotam, & orientalis Ecclesia tamquam principale membrum suo capiti uniretur. Quod ut meliùs & pleniùs fieri posset, Apostolicæ Sedis consilium, sine quo perit penitùs opera & impensa, suspensi hactenus expectastis, & adhuc continuis desideriis expectatis. Quia verò signum crucis, prout asseris, suscepisti ad delendum tuæ maculas juventutis, & quicquid apostaticæ labis à retroactis temporibus fragilitas humana contraxerat (66) exterminandum, non ut graviùs & licentiùs sub umbra religionis & crucis vexillo peccares, & ad examinationis nostræ calculum singula referens, in omnibus & per omnia te nostris exponere consiliis & mandatis, ita ut si Romaniæ statum & tui moram in ea noverimus Apostolicæ Sedi & terræ promissionis efficaciter expedire, teque per hoc remissionem accipere peccatorum, non abnuis pericula vel labores; alioquin non habito respectu ad possessiones & honorificentias quas obtines affluenter, illud tibi potiùs injungamus per quod abundantiùs merearis iram supremi judicis declinare. Sanè per ea quæ superiùs sunt descripta tacitis videris objectionibus respondere quæ contra crucesignatos possunt taliter intorqueri. Cùm enim vos devoveritis in obsequium crucifixi ad liberandum Terram Sanctam de manibus pagnorum, & sub excommunicationis interminatione fuerit vobis inhibitum ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi forsitan iter vestrum ipsi nequiter impedirent, aut alia justa & necessaria causa vobis occurreret prepter quam, interveniente Legati nostri consilio, aliud agere valeretis, vos nullam in Græcos jurisdictionem aut potestatem habentes, à puritate voti vestri temerè declinasse videmini, dum non contra Sarracenos, sed contra Christianos arma movistis, non intendentes ad recuperandam Hierusalem, sed Constantinopolim occupandam, terrenas opes cœlestibus divitiis præferendo. Illudq; longè gravius reputatur quòd quidam nec religioni nec ętati nec sexui pepercerunt, sed fornicationes, adulteria, & incestus in oculis omnium exercentes, non solùm maritatas & viduas, sed & matronas & Virgines Deoque dicatas exposuerunt spurcitiis garcionum. Nec Imperiales suffecit divitias exhaurire ac diripere spolia majorum pariter & minorum, nisi ad Ecclesiarum thesauros & quod gravius est, ad ipsarum possessiones extenderitis manus vestras, tabulas argenteas de altaribus rapientes, & violatis sacrariis, cruces, iconas, & reliquias asportantes, ut Græcorum Ecclesia, quantumcunque persecutionibus affligatur, ad obedientiam Apostolicæ Sedis redire contemnat, quæ in Latinis nonnisi proditionis exempla & opera tenebrarum aspexit, ut meritò illos abhorreat plusquam canes. Tu verò contra jurisdictionem & potestatem indebitam vel

(64) *Cod. Reg. & Pod.* Frater non redimet, redimet homo, non.

(65) *Iidem Codd.* sincero.

(66) *Cod. reg.* eliminandum.

potiùs usurpatam, Apostolicæ Sedis Legati consilium allegasti, tamquam ex eo vobis licuerit cum præfato adolescente ad restituendum sibi Constantinopolitanum Imperium proficisci; quamvis & id potueris allegare, quòd cùm vos victualium defectus urgeret, sine quibus non poteratis votum crucis implere, licuerit vobis propter causam adeo necessariam operas vestras illi locare qui justam causam prosequi videbatur; præsertim cùm per hoc intenderitis finaliter ad Terræ Sanctæ succursum & Apostolicæ Sedis augmentum. Cùmque pollicitam vobis & debitam negaverint illi mercedem, juramentis & pactis penitus violatis, quin etiam armis, igne, dolo, & toxico vos sæpius attentaverint, tamquam in arcto positi, (67) coacti fuistis ut contra Schismaticos & perjuros debita vobis injustè negantes exerceretis debitam ultionem. Divinum enim videtur fuisse judicium ut qui tamdiu misericorditer tolerati, & totiens, non solùm ab aliis, sed etiam à nobis studiosè commoniti, noluerunt redire ad Ecclesiæ unitatem nec ullum Terræ Sanctæ subsidium impertiri, per eos qui ad utrumque pariter intendebant amitterent locum & gentem; quatenus perditis malè malis, terra bonis agricolis locaretur, qui fructum reddant temporibus opportunis, quemadmodum legitur in Daniele Propheta: *Est Deus in cœlo qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna. Ipse dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud*. Vulgaris verò tenet sententia quòd jura regnorum semper violenta fuerunt. Quia verò judicia Dei nonnunquam adeo sunt occulta ut à Propheta dicantur abyssus multa, ita ut Apostolus clamare cogatur, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* nos de tam profundo judicio nolentes temerè judicare, præsertim antequam de veritate negotii pleniùs instruamur, cùm & illi potuerint justè puniri propter peccatum quod commiserunt in Deum, & vos nihilominus injustè punire propter odium quod exercebatis in proximos, si tamen proximi sunt dicendi qui proximare contemnunt, cùm etiam propter justam illorum pœnam forsitan Dominus justam vobis mercedem dederit, juxta quod dixisse legitur in Propheta, *Quia servisti mihi in Tyro, dabo tibi Ægyptum*, unde Assur virgam furoris sui appellat, illud omissis dubiis tibi pro certo duximus respondendum, in uno pariter & eodem tam Terræ Sanctæ quàm Apostolicæ Sedi necnon animæ tuæ salubriter consulentes, ut sub timore Domini & spe veniæ terram divino judicio acquisitam teneas & defendas, & tenendam ac defendendam acquiras, populos tibi subjectos in justitia regens, sub pace conservans, & religioni conformans; ita ut Ecclesiastica bona restituas, secundùm propriam facultatem pœnitens & satisfaciens de commissis, cùm hujusmodi res vix geri potuerit sine piaculari reatu; quoniam qui tangit picem, coinquinabitur ab ea; firmumque geras in voto propositum ut ad Terræ Sanctæ succursum, cui te specialiter & principaliter devovisti, prudenter & potenter intendas, cùm per hanc terram illa de facili recuperanda speretur. Ad hæc, cùm ad exempla patrum & fratrum tuorum, qui Sacrosanctam Romanam Ecclesiam de corde puro & conscientia bona & fide non ficta revereri semper ac venerari per omnia studuerunt, tu nobis & Apostolicæ Sedi fidelis & devotus existas, de plenitudine gratiæ nostræ te reddimus omnino securum, sciturus pro certo quòd ea cupimus operari quotiens se obtulerit opportunitas quæ ad honorem & profectum tuum debeant magnificè redundare. Datum &c.

XCV. Quia verò per Constantinopolitani Imperii detentionem, quod divino judicio sibi subjugavere Latini, Hierosolymitana provincia sperabatur facilè liberari de manibus paganorum, ex tunc firmato proposito Dominus Papa cœpit ad eorum succursum qui Constantinopoli morabantur intendere diligenter, scribens pro illis Archiepiscopis & Episcopis in hunc modum.

Vir unus de Ramatha duas sibi copulavit uxores, Annam videlicet & Phenennam; sed quæ priùs fuit prolis gloria decorata, quoniam superbivit ubi altera cœpit de fœcunditate sobolis in Domino exultare, meruit infamari, sicut ipsius canticum manifestat. Ea siquidem quæ sub umbra legis historialiter accidisse leguntur, cùm secundùm Apostolum omnia illis contingerent in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei tempore gratiæ revelari, ut à Moysi facie sublato velamine, per Evangelicæ doctrinæ fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aëris elucescat, & significans appareat evidenter. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus, unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ, duas convocans ad se gentes, Græcum videlicet populum & Latinum, ipsos sibi conjunxit per fidei sacramenta. Sed alter eorum, videlicet Græcus, qui septeno Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus & earum angelis mentionem facit in Apocalypsi Johannes, ubi Latinorum Ecclesiæ vidit funiculos dilatari, quasi stimulis invidiæ agitatus ab (68) unitate discessit, non attendens quòd cùm sponsus præmisisset in canticis, *Sexaginta sunt Reginæ & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*, statim adjunxit: *Una est columba mea, perfecta mea; una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, Reginæ & concubinæ laudaverunt eam. Nam multæ filiæ congregaverunt divitias; hæc autem supergressa est universas*. Postquam autem Græcorum populus rupto vinculo pacis ab unitate discessit, elanguit etiam circa fidem, renuens confiteri quòd Spiritus Sanctus, qui est unitatis æqualitatisque connexio, procedat à filio sicut à patre procedit. Quia igitur circa processionem Spiritus Sancti profiteri renuit veritatem, meritò tenebras mentis incurrit, cùm ipse spiritus omnem doceat veritatem, sicut filius in evangelio protestatur. Spirituali enim intellectu privatus, quia peccavit in spiritum, fermentum non ejecit à domo, ut epularetur in azymis sinceritatis & veritatis; sed veteri fermento retento, Corpus Christi, quantum in ipso est, comedit fermentatum. Benedictus autem Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; qui suam volens Ecclesiam consolari, ut Ephraim convertatur ad Judam, & ad Hierusalem Samaria revertatur, super eundem populum quasi montem caliginosum signum dignatus est mirabiliter elevare, ac ejus portas sanctificati Deo sunt ingressi, Græcorum Imperium à superbis ad humiles, à superstitiosis ad religiosos, à Schismaticis ad Catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cùm enim Christianus exercitus illuc cum Alexio Isachii advenisset, & capta urbe Constantinopoli idem fuisset Alexius coronatus, ductus exercitus ibidem proposuit hiemare. Sed quid novus Imperator pro beneficiis sibi ab eodem collatis retribuere studuerit, longum esset præsenti pagina enarrare. Verùm ut multa breviùs perstringamus, eorum

(67) *Cod. reg. & Pod.* tracti.

(68) *Cod. Pod.* à veritate.

Digitized by Google

eorum malitia, quasi Amorrhæorum iniquitate completa, dextera Domini fecit virtutem, & exaltavit exercitum Christianum, illos digna ultione percutiens, ac eorum terram auro vel argento gemmisque referram, frumento, vino, & oleo stabilitam & bonorum omnium copiis affluentem, exercitui tribuens memorato. Expulsis igitur de Constantinopoli Græcis, & eorum terra pariter subjugata, carissimum in Christo filium nostrum Balduinum Comitem Flandriæ & Hainoviæ ad Imperii Regimen voluntate communi & unanimi sublimarunt; ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro prædictum: *Subiciam*, inquit, *ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam. Aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum.* Hic igitur mirabiliter sublimatus nobis humiliter supplicavit ut Apostolicæ Sedis devotos clericos simul ac laicos, nobiles & ignobiles, cujuslibet conditionis & sexus, Apostolicis dignaremur exhortationibus invitare ut ad ipsius accedant Imperium, ab eo secundùm qualitates & merita gratas divitias recepturi. Attendentes igitur quòd mutatio hujus Imperii dexteræ mutatio sit excelsi, & ab eo factum sit istud qui tempora mutat & transfert regna, cùm per illud Terræ Sanctæ possit utiliùs subveniri, quin potiùs cùm per illud ista credatur posse recuperari de levi, fraternitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus tam clericos quàm laicos efficaciter inducatis ut ad capessendas spirituales pariter & temporales divitias ad præfatum Imperatorem accedant, qui, ut ejus verbis utamur, cùm sufficiat universis quos ad eum Christianæ religionis zelus adduxerit, singulos vult & potest secundùm status suos varietatemque natalium & augere divitiis & honoribus ampliare; ut Constantinopolitano Imperio roborato, & in devotione Apostolicæ Sedis ibidem Ecclesia stabilita, idem Imperator ad expugnandas barbaras nationes, quæ terram in qua Deus noster Rex ante sæcula nostram dignatus est operari salutem, peccatis exigentibus detinent occupatam, manu forti & brachio extento valeat properare; sperantes in Domino Jesu Christo quòd ipse qui per eum jam cœpit mirabiliter operari, opus inceptum ad laudem & gloriam nominis sui mirabiliùs consummabit. Nos igitur his qui accedentes ad ipsum in Terræ Sanctæ subsidium laboraverint, illam concedimus indulgentiam peccatorum quam aliis crucesignatis Apostolica Sedes indulsit.

XCVI. Præfatus autem Balduinus Comes Flandriæ postquam ad Constantinopolitanum Imperium extitit sublimatus per nuntios & apices suos vocavit ad se præfatum Petrum Tituli Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum in Hierosolymitana Provincia existentem, ut accedens in Græciam de personis & rebus Ecclesiasticis auctoritate Apostolica ordinaret. Porrò cùm sæpedictus Soffredus Tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, similiter Apostolicæ Sedis Legatus, nollet ibi remanere post illum, ambo pariter recedentes Constantinopolim accesserunt, factâ priùs sex annorum treugâ cum Sarracenis; & tanta eos secuta est multitudo, non solùm laicorum, sed etiam clericorum, quòd alienigenæ penè omnes, & indigenæ multi Hierosolymitanam Provinciam deserentes, Constantinopolim adierunt. Sed præfatus Soffredus modicam faciens ibi moram, per Thessalonicam, ubi cum Marchione Montisferrati est aliquandiu commoratus, ad Sedem Apostolicam est reversus. Qualiter autem Dominus Papa scripserit super his, & aliis præfato Petro Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali apud Constantinopolim existenti ejus literæ manifestant, quarum tenor est talis.

Audito jampridem quòd tu & dilectus filius noster Soffredus Tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, relictâ in multæ necessitatis (69) articulo Hierosolymitanâ Provinciâ, Constantinopolim navigio veneratis, mirati sumus non modicùm & turbati, eidem terræ imminens periculum formidantes. Et ecce quod verebamur accidit, & quod timuimus jam evenit. Nam præter id quod bonæ memoriæ Patriarcha Hierosolymitano tunc temporis viam universæ carnis ingresso, Ecclesia Hierosolymitana vacabat, & ex guerra quæ tunc inter carissimum in Christo filium nostrum Regem Armeniorum Illustrem, & Tripolitanum Comitem super Principatum Antiochenum vertitur, inter Christianos æmulatio quædam erat, postmodum ex inclytæ recordationis A. Regis Hierosolymitanorum & filii ejus obitu improviso Regnum Hierosolymitanum penè penitus omni est regimine destitutum. Et quia vos, qui debueratis ibidem majus expectare subsidium, & ad succurrendum eidem terræ tam exemplo, quàm verbo alios invitare, pro vestræ voluntatis arbitrio exinde in Græciam navigastis, non solùm peregrini, sed indigenæ Terræ Sanctæ, vestris vestigiis inhærentes, Constantinopolim devenerunt, venerabili fratre nostro Archiepiscopo Tyrensi vos pariter subsecuto. Remansit ergo terra illa, recedentibus vobis, viris & viribus destituta, & facta sunt novissima ejus horum occasione pejora prioribus, cùm omnes amici ejus illam vobiscum reliquerint, nec sit qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Unde facti videntur hostes ejus in capite, si fœdus treugarum voluerint violare, quod etiam à quibusdam dicitur Rege ac filio ejus exspirantibus exspirasse. Turbamur igitur intra nos ipsos non modicùm, & contra vos meritò commovemur, quòd in hoc consilium devenistis ut simul relinqueretis eam, quam Dominus suâ præsentiâ consecravit, & in qua nostræ redemptionis mysterium Rex noster ante sæcula novissimis temporibus est mirabiliter operatus. Quamvis fanè venerabilis frater noster quondam Episcopus Vercellensis in Patriarcham Hierosolymitanum fuerit postulatus, & nos postulationem approbantes ejusdem, jam ei palleum duxerimus concedendum, propter occupationes tamen multiplices non tam citò forsan poterit transfretare. Debueratis ergo causam vestræ legationis attendere ac solicitè cogitare, quòd non ad capiendum Constantinopolitanum Imperium, sed defendendas Reliquias Terræ Sanctæ, ac perdita, si daret Dominus, restauranda vos duxerimus delegandos, mittentes vos non ad capessendas temporales divitias, sed promerendas æternas, cùm nos & fratres nostri vobis in expensis providerimus competenter. Audito autem nuper, & per tuas literas intellecto quòd universos crucesignatos qui in defensione Constantinopolis à præcedenti Martio usque ad proximum morarentur, à voto peregrinationis, & onere crucis absolveras, contra te non potuimus non moveri, cùm nec debueris nec potueris talia ullatenus attentare, quicunque tibi contrà suggererent, & quocunque modo seducerent mentem tuam. Cùm enim illi ad hoc principaliter assumpserint signum crucis, & hoc præsertim voverint Domino Deo suo ut in Terræ Sanctæ subsidium transfretarent, & à via postmodum errantes

(69) *Cod. Pod.* periculo.

Digitized by Google

rantes in invium temporalia commoda usque hodie sint secuti, utrum tibi licuerit immutare taliter immo pervertere potius votum tam solemne ac pium, tibi relinquimus discernendum. Ecce etenim, quod cum mœrore ac rubore referimus, unde videbamur hactenus profecisse defecimus, & angustamur unde credebamus potissimùm dilatari. Quomodo enim Græcorum Ecclesia, quantumcunque persecutionibus affligatur, ad unitatem Ecclesiæ & devotionem Sedis Apostolicæ revertetur, quæ in Latinis nonnisi proditionis exempla & opera tenebrarum aspexit, ut jam meritò illos abhorreat plusquam canes? Illi enim qui non quę sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere credebantur, gladios, quos exercere debuerant in Paganos, Christianorum sanguine cruentantes, nec religioni, nec ætati, nec sexui pepercerunt, incestus, adulteria, & fornicationes in oculis omnium exercentes, & tam matronas, quàm virgines & Deo dicatas exponentes spurcitiis garcionum Nec suffecit iisdem Imperiales divitias exhaurire ac diripere spolia Principum & minorum, nisi ad thesauros Ecclesiarum, & quod gravius est, ad ipsarum possessiones extenderent manus suas, tabulas argenteas etiam de altaribus rapientes, & inter se confringentes in frusta, violantes sacraria, & cruces & reliquias asportantes. Præterea, cùm latere non possit, quod inter tot millia hominum est præsumptum, numquid Sarraceni qui capta Constantinopolitana urbe nimio fuerant timore perculsi, ex quo intellexerint, quòd crucesignati post annum sint ad propria redituri, & jam in eos ultio Divina desæviat, quæ iniquitates ipsorum jam incipit flagellare, animos non resument, & pauculas oves, quas velut in deserto luporum morsibus reliquistis, nisi sola eis Dei dextera restiterit, non vorabunt? Nos quoque qua fronte de cætero populum occidentis ad Terræ Sanctæ subsidium, & præsidium Imperii Constantinopolitani poterimus invitare, quibus, etsi non ob culpam propriam, tamen propter factum tuum aliqui forsitan imputabunt, quòd crucesignati relicto peregrinationis proposito absoluti ad propria revertantur, & qui prædictum Imperium spoliarant, illo immunito relicto, referti spoliis terga vertant. Non sit ergo in ore tuo verbum Domini alligatum, nec sis tamquam canis mutus latrare non valens; sed hoc loquere, publicè ac coram omnibus protestans, ut tanto te ampliùs pro Deo, & propter Deum objurgantem inveniant quanto magis invenerunt te hactenus negligentem. (Super absolutione autem Ducis, & populi Venetorum contra formam Ecclesiasticam perperam attentata non arguimus te ad præsens, cùm per alias literas super hoc ad te specialiter destinatas te duxerimus arguendum.)

XCVII. Qualiter autem fuerit ad electionem Patriarchæ processum, ex literis Domini Papæ colligitur evidenter in hunc modum Imperatori directis.

Postquam dextera Domini, quæ glorificata est in virtute, Constantinopolitanum Imperium à Græcis transtulit in Latinos, volentes ii qui fuerant in exercitu Latinorum Imperio ipsi de persona idonea providere, ex Principibus Galliarum Imperatorem concorditer elegerunt. Ut autem Veneti, qui fuerant laboris participes, essent pariter consortes honoris, placuit Latinis in communi ut de clero Venetiarum assumeretur vir idoneus & præferretur Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha. Cùm ergo quidam clerici Venetorum fuissent Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ servitio deputati, ne acephali, idest, sine capite viderentur de præficiendo sibi pastore tractantes convenerunt in unum, & dilectum filium Thomam Subdiaconum nostrum in Patriarcham elegerunt, & confirmationem electionis suæ per nuntios proprios à nobis humiliter postularunt, nobili viro Duce Venetorum per solemnes nuntios suos idem cum instantia requirente. Imperialis quoque sublimitas per suas nobis literas supplicavit ut conventiones inter eum & peregrinos ex una parte ipsumque Ducem & Venetos ex altera initas ante debellationem Regiæ civitatis, suique sigilli impressione munitas, nos ratas dignaremur habere ac eas auctoritatis Apostolicæ munimine roborare, scire nos volens, ut ejus verbis utamur, quòd cum memorato Duce ac Venetis bonam societatem habuerat & fidelem, & eos cooperatores probissimos & efficaces ad honorem Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Imperii Constantinopolitani, sicut eorum opera testabantur, invenerat, & in futuro desiderabat habere, cùm ad Imperii regimen, & subventionem Terræ Sanctæ, ac unitatem Ecclesiæ conservandam utilis, & necessaria esset societas eorundem, nec sine societate ipsorum pariter, & amore ad honorem Dei, & Apostolicæ Sedis regi posset idem Imperium competenter. Idem quoque nobis sub verbis eisdem nobiles viri Bonifacius Marchio Montisferrati, L. Blesensis, & H. Sancti Pauli Comites per suas literas intimarunt. Nos ergo scriptum conventionum ipsarum ejusdem Imperatoris & ipsorum Marchionis & Comitum sigillis munitum coram nobis perlegi facientes, contineri perspeximus in eisdem ut clerici partis illius de qua non contingeret Imperatorem assumi liberę sibi eligerent Patriarcham. Cùm ergo hujusmodi nobis fuisset electio præsentata, licèt de persona electa ex mora diutina, quam apud Sedem Apostolicam fecit olim, nos & fratres nostri sufficientem notitiam haberemus, utpote quam noveramus genere nobilem, honestam moribus, prudentia circumspectam, & competenter literis eruditam, electionem tamen examinavimus juxta morem, & eam invenimus contra formam canonicam attentatam, non tam ex eo, quòd à multis extitit contradicta, & ab aliquibus etiam appellatum, etsi postmodum fuerit à contradictione pariter, & appellatione recessum, quàm pro eo quòd cum laicis, quantumcunque religiosis, disponendi de rebus Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, auctoritate alicujus Principis secularis in Constantinopolitana Ecclesia nec potuerat, nec debuerat eligi Patriarcha. Sed nec clerici Veneti, qui Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ se Canonicos electos appellant, in eadem Ecclesia jus habebant eligendi, cùm in ea neque per nos neque per Legatos aut Delegatos nostros fuerint instituti. Propter quod electionem ipsam de communi fratrum nostrorum consilio curavimus in publico consistorio reprobare. Verùm cùm personarum delictum in damnum Ecclesiarum non debeat redundare, nec idem Subdiaconus in aliquo deliquisset, utpote qui absens fuerat & irrequisitus electus, memores precum jam dicti Imperatoris, quæ non solùm utilitatem, verùm etiam necessitatem innuere videbantur, & eidem Ecclesiæ, cujus ad nos ordinatio specialiter pertinebat, providere volentes, ac sub ea spe Venetis gratiam exhibere, ut ad obsequium crucis Christi fortiùs accingantur, ex collata nobis plenitudine potestatis eundem Subdiaconum nostrum, tamquam membrum Apostolicæ Sedis elegimus, & confirmavimus eidem Ecclesiæ Patriarcham. Monemus igitur Imperatoriam dignitatem, consulimus, & exhortamur quatenus Patriarcham ipsum, cùm ad Constantinopolitanam accesserit civitatem, benignè recipias & honores, & tamquam Episcopum, & Pastorem animæ tuæ humiliter venereris, & in justitiis suis & Ecclesiæ sibi commissæ

Digitized by Google

missæ manuteneas & defendas, taliter in cæteris honoraturus ut ab eo cujus minister existit merearis in cœlestibus honorari.

XCVIII. Quid verò Duci Venetorum responderit petenti pactiones inter Francos & Venetos initas confirmari, ipsius literæ ad eum directæ demonstrant.

Venientes, *inquit*, ad Apostolicam Sedem dilectos filios.. & A. nobiles cives Venetorum nuntios tuos benignè recepimus, & quæ coram nobis proponere curaverunt audivimus diligenter. In nostra igitur præsentia constituti conventiones quasdam inter se & Venetos ex una parte, & carissimum in Christo filium nostrum Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem Illustrem, & Francos ex altera concorditer initas asserebant; quas ne quis violare præsumeret, petebant sub pœna excommunicationis per Sedem Apostolicam inhiberi; ut quicumque videlicet veniret de cætero contra eas, excommunicationis sententiæ subjaceret. Super hac autem prima petitione cum Fratribus nostris habito diligenti tractatu, tria invenimus quæ ipsi petitioni penitùs contradicunt. Hoc enim in conventionibus ipsis capitulum est expressum, ut inter Venetos & Francos possessiones Ecclesiasticæ dividantur, reservata clericis portione de qua possint honorificè sustentari. Sanè cùm Ecclesiarum thesauros non sinè Creatoris offensa manu diripuerint violenta, majorem culpam incurrerent si spoliatas thesauris Ecclesias suis possessionibus mutilarent, nec decet Apostolicam Sedem illos hoc modo defendere qui sic Ecclesiasticam offenderent dignitatem. Præterea cùm ad honorem ejusdem Ecclesiæ Romanæ hujusmodi sint initæ pactiones, & ferè sit in singulis hoc expressum, ut ad honorem ejus omnia provenirent, nec debuimus, nec potuimus confirmare, quod contra juramentum ab utraque parte communiter præstitum honori Sedis Apostolicæ derogaret. Insuper cùm in te, ac in sex de Consiliariis tuis & nobilem virum Marchionem Montisferrati ac sex de Consiliariis suis addendi, vel minuendi sit collata facultas, qualiter in laicorum arbitrio nostram sententiam poneremus, ut illi sententiam excommunicationis incurrerent qui nobis ignotas & Sacris forsan Canonibus inimicas Constitutiones laïcas non servarent? Cùmque dilectus filius Thomas Constantinopolitanus electus in proximo Constantinopolim sit venturus, non fuerat de possessionibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ante adventum ipsius aliquid (70) disponendum à laicis, vel confirmandum à nobis, quod posset in juris ejus injuriam & Ecclesiæ suæ dispendium redundare.

XCIX. Idem igitur Dominus Innocentius præfatum Constantinopolitanum electum Sabbato Quatuor Temporum Quadragesimæ in Diaconum ordinavit, & in Sabbato hebdomadæ mediantis in Sacerdotem promovit, ac sequenti Dominica Romæ apud Sanctum Petrum in Episcopum consecravit, ac postmodum contulit ei palleum, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, de Corpore Beati Petri Apostoli sumptum, recepto ab eo fidelitatis & obedientiæ juramento sub ea forma jurandi antiqua, & approbata secundùm quam Primates, & Metropolitani solent in susceptione pallei Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ jurare, Privilegium sibi sub hac forma concedens.

Prærogativa dilectionis & gratiæ quam Apostolica Sedes exhibuit Ecclesiæ Bizantinæ, cùm eam in Patriarchalem Sedem erexit, Ecclesiasticæ plenitudinem potestatis, quam non homo, sed Deus, immo veriùs Deus homo in Beato Petro Ecclesiæ Romanæ concessit, evidenter attestatur, & quòd Romanus Pontifex ejus Vicarius sit ostendit, qui & primos novissimos facit, & novissimos primos. Sanè cùm eadem Ecclesia, quæ tunc Byzantina, nunc autem Constantinopolitana vocatur, necnomen, nec locum inter Sedes Patriarchales haberet, Apostolica Sedes fecit ei nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra, & ipsam quasi de pulvere suscitatam usque adeo sublimavit ut eam tam Ecclesiæ Alexandrinæ, quàm Antiochenæ ac Hierosolymitanæ dignitatis Privilegio anteferret, atque post se præ cæteris exaltaret; ita quòd cùm multæ filiæ divitias congregaverint, hæc sola per matris gratiam specialem supergressa fuerit universas. Licèt autem eadem Ecclesia interdum ab obedientia Sedis Apostolicæ declinaverit, quia tamen ad eam per Dei gratiam humiliter est reversa, tuis precibus annuentes, eandem Ecclesiam, cui Deo actore præesse dignosceris, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Præterea quascunque possessiones & quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, &c. *usque* adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata consistant. Libertates etiam & immunitates ejusdem Ecclesiæ ac consuetudines rationabiles & antiquas, quæ Apostolicæ Sedis non obviant institutis, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Palleum quoque, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, fraternitati tuæ Apostolicæ Sedis liberalitate largimur, quo infra Ecclesias tuæ jurisdictioni subjectas in Solemniis Missarum utaris diebus inferiùs denotatis, videlicet in nativitate Domini, festivitate Protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbato Sancto, Pascha, Feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus Festivitatibus Sanctæ Mariæ, natali Beati Johannis Baptistæ, Solemnitatibus Apostolorum, commemoratione Omnium Sanctorum, Dedicationibus Ecclesiarum, Episcoporum consecrationibus, Ordinationibus Clericorum, Principalibus Festivitatibus Ecclesiarum tuarum, & Anniversario Consecrationis tuæ die, & tam Imperatoris, quàm aliorum magnatum & Principum sepulturis. Ad indicium etiam gratiæ plenioris, auctoritate tibi præsentium Indulgemus ut Archiepiscopis suffraganeis tuis usum pallei præsentis Indulgentiæ auctoritate concedas, ab eis pro te quod Canonicum fuerit, pro nobis autem & Ecclesia Romana sponsionem obedientiæ recepturus. Porrò crucem, videlicet vexillum Dominicum, per quemcunque locum te transire contigerit, excepta urbe Romana, & loco in quo fuerit Romanus antistes, ante te deferendi licentiam impartimur, & in processionibus tuis tibi concedimus usum (71) nacci. Præsenti scripto nihilominus statuentes ut universi Clerici cujuscunque nationis & gentis in Civitate, vel Diœcesi Constantinopolitana Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia obtinentes tibi, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ reverentiam exhibeant debitam & devotam, Salva tamen in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate, reverentia, & honore.

Has etiam Indulgentias eidem Patriarchæ concessit.

Sicut Dominus in Romanam Ecclesiam per Beati Petri merita sua dona effudit, sic ejus Privilegium ampliavit ut quantumlibet in alios fuerit liberalis, nec detrimentum inde honoris timeat, nec

(70) *Cod. reg.* ordinandum.

(71) Vide Glossar. Dufresnii in v. *Nactum*.

nec dispendium potestatis, utpote quæ nihil sibi subtrahit cùm aliis etiam maxima elargitur, nec aufert quod confert, nec quod donat amittit. Ipsa etenim in eos quos in partem suę solicitudinis evocat sic dispensat onera, & honores ut non minùs eam omnium Ecclesiarum cura feliciter & plenitudo Ecclesiasticæ potestatis adornet, quam non patitur Petri Privilegium minorari. Cùm igitur ad Apostolicam Sedem personaliter (72) laboraris, & per impositionem manuum nostrarum Diaconatus & Presbyteratus susceperis ordines, & (73) in Episcopum tandem fueris consecratus, specialem gratiam tibi facere volumus, & te personaliter intendimus honorare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut subditos tuos qui in Clericos, & alios viros Religiosos manus injecerint violentas, auctoritate ac vice nostra secundùm Ecclesiæ formam absolvas; nisi forsan ita enormis fuerit excessus ut meritò credas eos ad Sedem Apostolicam destinandos. Falsariorum quoque absolutionem tuæ fraternitati committimus, si forsan in sigillo tuo vel subditorum tuorum vitium commiserint falsitatis. Ut autem tamquam sponsus de thalamo matris procedas ad sponsam circumdatus varietatibus, & Indulgentiarum nostrarum decoratus amictu, tibi personaliter indulgemus, ut si qui Reges in Constantinopolitano Imperio fuerint inungendi, dum tamen à te inunctio postuletur & assensus Imperialis accedat, inungas. Quia igitur gratia datur ex gratia, quòd apud nos fueris gratiosus, effusa super te monstrabit copia gratiarum. Tuis igitur precibus annuentes, fraternitati tuæ personaliter Indulgemus ut in diebus Dominicis, & præcipuis Solemnitatibus, cùm necesse fuerit, personas idoneas in Subdiaconos valeas promovere, & cùm in Ecclesia Constantinopolitana vel nulli, vel pauci sint canonicè instituti, ad eam sublato appellationis obstaculo idoneos viros assumas, nec carni & sanguini aliter quam deceat acquiescas, sed merita ponderes, & literaturam attendas; qnoniam in omni gente qui facit justitiam acceptus est Domino. Licèt in forma juramenti, quod nobis in susceptione pallei secundùm generalem consuetudinem præstitisti hoc specialiter fit expressum ut possessiones ad mensam tui Episcopatus spectantes nec vendas, nec dones, nec pignori obliges, nec de novo infeudes, nec aliquo modo inconsulto Romano Pontifice alienes, quia tamen novitatem tuam & Ecclesiæ Constantinopolitanæ necessitatem ac totius terræ turbationem allegans, super hoc nos duxisti humiliter consulendos, ne pro singulis ad nos negotiis recurrere compellaris, ut in talibus, cùm necesse fuerit, de prudentum virorum consilio statuas, quod eidem Ecclesiæ ac tibi videris expedire, auctoritate tibi præsentium licentiam impartimur. Auctoritate quoque præsentium inhibemus ne obeunte te nunc Constantinopolitano Patriarcha, vel tuorum quolibet successorum, ullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi qui fuerit electus secundùm canonicas sanctiones. Cùm autem secundùm morem Ecclesiasticum fuerit consecratus, ad Sedem Apostolicam nuntios suos mittat, palleum de Corpore Beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, petiturus; in cujus susceptione juramentum nobis, & successoribus nostris secundùm Apostolicæ Sedis consuetudinem, quod & tu ipse nobis suscepto palleo præstitisti, sine contradictione qualibet exhibebit. Ad hæc, tuæ fraternitati concedimus ut liberè à subditis tuis, cum necesse fuerit, ad tuam audientiam appelletur, nisi cùm negotium fuerit ab Apostolica Sede commissum; ita quòd tu appellationibus ad Romanam Ecclesiam interpositis humiliter deferas & devotè. Licèt nulli penitùs injuriam facimus cùm utimur jure nostro, nec depereat quicquam aliquibus cùm collatam nobis Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem exercemus, Constantinopolitanæ tamen Ecclesiæ providere volumus ad cautelam, & dolosa labia & linguam malignam habentibus materiam subtrahere murmurandi. Quamvis igitur ejusdem Ecclesiæ utilitate ac necessitate cogente, utpote quæ, postquam Constantinopolitanum Imperium devolutum fuerat ad Latinos, non fuerat ordinata, cùm non ad alium, sed ad nos tantùm ejus ordinatio pertinebat, te in Constantinopolitanum elegerimus, & eligendo confirmaverimus Patriarcham, ac munus tandem consecrationis tibi duxerimus impendendum, quia tamen eidem Ecclesiæ auferre nolumus electionis canonicæ libertatem, in qua ipsam potiùs manutenere proponimus & fovere, nolumus ut ex facto nostro aliquod ei præjudicium generetur quò minùs, cùm eam vacare contigerit, canonicè ordinetur.

C. Idem igitur Patriarcha Venetias est reversùs, ut inde Constantinopolim navigaret; sed à Venetis est compulsus quasdam eis facere illicitas pactiones; quæ cùm ad Summi Pontificis notitiam pervenissent, eas omnino cassavit, sicut per literas eidem Patriarchæ directas apparet.

Ad hoc Deus Apostolicæ Sedis antistitem, qui plenitudinem habet Ecclesiasticæ potestatis, super gentes & Regna constituit ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, dissipet & disperdat quæ in agro dominico suæ culturæ commisso inutilia repererit & nociva, juxta quod alibi sibi pręcipitur à Domino per Prophetam: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes*. Ncs igitur attendentes juramentum illud, quasi prorsus illicitum, non esse servandum quod à te Venetiis constituto fuit à Venetis violenter extortum, sicut tua nobis insinuatio patefecit, ut videlicet neminem sis facturus Canonicum in Ecclesia Sanctæ Sophię nisi Venetum natione, vel qui continuè per decennium Venetiis habitasset, quòdque bona fide modis omnibus quibus poteris laborabis ut semper in Ecclesia Sanctę Sophię sit Venetus Patriarcha, salvo tamen in omnibus Apostolicæ Sedis jure, auctoritate, reverentia & honore, licèt hæc conditio ita sit à te adjecta ut non sit in scriptis redacta, pręsentium tibi auctoritate mandamus & in virtute Spiritus Sancti districtè pręcipimus quatenus juramentum illud nequaquam observes, cùm Sanctuarium Dei non sit hæreditario jure ab aliquibus possidendum, sed in omni gente qui facit justitiam acceptus est Deo, præcavens diligenter ne posthac Apostolicæ Sedis præceptum in præmissis articulis violes, iterumque delinquas: quoniam si de cætero solos Venetos in Ecclesia Sanctę Sophiæ Canonicos institueris, & ad hoc impenderis operam qualemcunque ut semper in eadem Ecclesia sit Venetus Patriarcha, in ipsa non ponendo Canonicum nisi juret, quòd nunquam alium nisi de Venetis eliget aut recipiet Patriarcham, nulla deinceps ratione super his poteris excusari. Sed nec illud observes, quod absque juramento diceris promisisse, ut neminem in Archiepiscopum pręter Venetum in tota facias Romania. Ne verò prætextu juratoriæ cautionis aut cujuscunque promissionis obtentu talia de cætero præsumantur, aut si præsumpta sunt, observentur, nos obligationes hujus-

(72) *Cod. reg.* accesseris.

(73) *Idem Cod.* apud ipsam.

Digitized by Google

hujusmodi auctoritate Apostolica irritamus, sub interpositione anathematis prohibentes ne quis eas observare præsumat; tibique præcipimus ut id Canonicis Sanctæ Sophiæ, non solùm institutis, sed etiam instituendis, cautè denunties, quatenus hoc nefas valeant evitare. Licèt autem plus debueris Deum timere, quàm homines, ne jurares aliquid propter homines contra Deum, si tamen in illo juramento per vim & metum extorto præscriptam adhibuisti cautelam, ut juraveris salvo in omnibus Apostolicæ Sedis jure, auctoritate, reverentia, & honore, nos tibi delictum tuum humiliter confitenti de speciali gratia indulgemus ut hujusmodi juramentum nullum tibi possit præjudicium generare, dummodo præceptum quod salubriter tibi fecimus ad salvandum jus, reverentiam, auctoritatem, & honorem Apostolicæ Sedis, contra cujus statuta ea quæ sunt jurata redundant, fideliter exsequaris. Cæterùm etsi præscripta nobis à tuis nuntiis secretò fuerint intimata, noveris tamen pro certo, quòd quædam eorum certa relatione priùs fuerant nostris auribus patefacta. (Data Ferentini XI. Kal Julii, anno nono.)

CI. Cùm igitur Patriarcha Constantinopolim pervenisset, antequam civitatem intraret nuntios & literas destinavit ad Clerum, & Populum universum, ut ei obviam procedentes debito ipsum reciperent cum honore. Clerici verò Francorum noluerunt ipsum recipere vel ei aliquatenus obedire, asserentes promotionem ejus per suppressionem veritatis & expressionem falsitatis ab Apostolica Sede fuisse subreptam, & ad eam in præsentia Cardinalis unanimiter appellarunt; quorum appellationi Cardinalis censuit deferendum, & ideo noluit illos compellere ad exhibendum obedientiam Patriarchæ. Sed nec ipsi excommunicationis sententiam servaverunt, quam in eos idem protulit Patriarcha, & sic in discordia permanserunt donec Benedictus Tituli Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus ad Constantinopolitanam urbem pervenit; qui tandem composuit inter eos. Hunc Dominus Papa constituit generalem Legatum per totum Imperium Romaniæ, ipsum à Latere suo de novo transmittens; tum quia præfatum Petrum Tituli Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem in Hierosolymitanam Provinciam remittere intendebat, tum quia Legatus à Sede Apostolica noviter destinatus in majori reverentia & honore debebat haberi, sicut apparuit ex postfacto. Nam qualiter & ipse processerit, & quid egerit in processu, ipsius literæ ad Dominum Papam directæ demonstrant. *Memini*, inquit, *paternitati vestræ literis intimasse &c.*

CII. Compositionem igitur factam inter Patriarcham & Francos super possessionibus Ecclesiarum quæ secundùm divisionem factam inter Francos, & Venetos pervenerant ad eosdem, ad petitionem utriusque partis Dominus Papa firmiter observari præcepit hoc modo.

Instantia nostra cottidiana, solicitudo videlicet Ecclesiarum omnium, quæ nobis imminet Deo disponente, nos admonet & inducit ut iis quæ deliberatione provida pro Ecclesiarum utilitatibus ordinantur robur Apostolici apponamus; ne tergiversatione malorum, qui Ecclesiarum profectibus invident & quieti, ea in detrimentum ipsarum valeant revocari. Cùm igitur inter te & clerum tibi commissum ex una parte, & dilectum filium nobilem virum Henricum moderatorem Constantinopolitani Imperii, Barones, Milites, & populum ex altera, super recompensatione facienda Ecclesiis de possessionibus earundem amicabilis compositio intercesserit, nos necessitatem temporis attendentes, compositionem ipsam, sicut sine vi & dolo providè facta est & ab utraque parte de certa scientia liberè ac sponte recepta, præcipimus firmiter observari; dummodo circa possessiones & proventus hujusmodi nulli prejudicium generetur. Ad majorem autem notitiam formam compositionis ejusdem, prout continetur in instrumento exinde confecto, de verbo ad verbum huic paginæ duximus inserendam.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo sexto, mense Martii Indictione nona, Constantinopoli. Hæc est forma concordiæ factæ inter Dominum Benedictum tituli Sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum & Dominum Thomam Maurocenum Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham ex una parte, & Dominum Henricum & Barones & Milites ex altera, in conquisitis & acquirendis intus & extra Imperium (74) Romaniæ. Dominus Henricus de consilio & assensu omnium Principum, Baronum, Militum, & populi dat Ecclesiis & promisit se daturum in earundem recompensationem possessionum, sicut inferiùs denotatur. Extra muros civitatis Constantinopolitanæ partem quintam decimam omnium possessionum, civitatum, castrorum, (75) casalium, camporum, vinearum, nemorum, silvarum, pratorum, pomœriorum, hortorum, salinarum, passagiorum, teloneorum terræ & maris, piscariarum in mari & aqua dulci, & omnium possessionum, etsi in præsenti scripto non reperiantur in solidum declaratæ. His exceptis, quòd de terra quam habent juxta muros nominatæ civitatis à porta aurea usque ad portam Blacbernæ, inter murum ipsius & mare, dare quintam decimam nullatenus tenebuntur, nec etiam de casalibus monetæ. In quorum recompensationem casalium Dominus Henricus & prædicti secundùm eorundem casalium valorem in prima conquisitione satisfacere de quintadecima Ecclesiis tenebuntur. De (76) commerdio quod infra Constantinopolim vel extra nomine civitatis recepe-rint quintam decimam non dabunt. Si in ipsa civitate Constantinopolitana nomine alterius civitatis aut loci vel alibi commerdium solvetur, quintam decimam dabunt Ecclesiæ. Si verò cum aliqua civitate vel castro, terra vel insula, quam Dominus Henricus sibi & Imperio subjugare non poterit, per annuum censum compositum fuerit, quintamdecimam dabunt Ecclesiæ. Sed si feudare vel donare vel alienare voluerit, hoc faciat, salva primò Ecclesiarum quintadecima parte. Divisiones possessionum inter Ecclesiam & prædictos hoc modo fient, quòd boni viri post bullatum præsens instrumentum infra octo dierum spatium ab utraque parte eligentur, qui jurati bona fide de possessione cujuslibet terræ & aquæ quindecim partes facient, & sortes mittent si aliter convenire non possint; & super qua ceciderit sors, Ecclesiæ erit. Hæc autem infra Pentecosten festum proximè venturum bona fide complebuntur. Claustra verò omnia tam infra civitatem quàm extra libera erunt Ecclesiæ, nec in quintadecima computanda. Si de quantitate claustrorum quæstio oriatur, utraque partium eliget unum idoneum post quæstionem motam infra octo dierum spatium; & illi duo per sacramentum suum tertium eligant; & quod illi tres vel major pars eorum astricti sacramento infra viginti dies super hoc bona fide duxerit faciendum stabile permaneat. Si pro ardua necessitate terræ aliqua castra fuerint incastellanda incastellentur de assensu Domini Patriarchæ vel diocesani Episcopi. Quod si de incastellationibus concordare nequiverint sicut suprà dictum est de claustris, quæstio terminetur. Dabunt insuper decimas laborum omnium in perpetuum, videlicet de blado, legumine, & omnibus fructibus terræ & vinearum quas excolent vel propriis sumptibus excoli facient, & de fructibus arborum & hortorum, exceptis fructibus arborum & hortorum quos paterfamilias in usus comedendi & munusculorum bona fide convertet. De nutrimentis animalium quadrupedium, & de apibus, & lanis decimæ solventur. Et progressu temporis si à Græcis Ecclesia decimas per exhortationē & admonitionē aquirere poterit, per eos nullū impedimentū præstabitur. Præterea clerici & Ecclesiæ universæ, earū possessiones, & manentes in ipsis possessionibus & Ecclesiis, & religiosæ personæ tam Græcorum quàm Latinorum, & morantes cum prædictis, & claustra Eccle-

(74) *Cod. reg. & Pod.* Romanum.
(75) *Cod. reg.* casinorum, casalinorum.

(76) *f.* commercio.

Ecclesiarum & habitantes in eis, & qui ad Ecclesiam confugerint, liberi erunt ab omni laicali jurisdictione secundùm liberaliorem consuetudinem Franciæ, salva in omnibus auctoritate Ecclesiæ Romanæ, necnon & Constantinopolitanæ honore, & jure Domini Patriarchæ & Imperatoris & Imperii, & salvis in omnibus capitulis supradictis. De terris verò quæ Deo volente de cætero conquirentur, primò habebit Ecclesia quintamdecimam partem antequam alicui distribuatur. Hæc autem omnia Dominus Henricus & Barones ipsius bona fide attendent, & curabunt pro posse debito effectui mancipare. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam concordiæ vel pactionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Hanc compositionem Dominus Patriarcha pro se & successoribus suis se firmiter observaturum promisit, & Dominus Henricus & Barones & Milites cum populo similiter pro se & successoribus suis, & hac excepta communi parte Venetorum, se firmiter observaturos promiserunt. Datum Constantinopoli apud Sanctam Sophiam sextodecimo Kalendas Aprilis. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ præceptionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Ferentini Nonis Augusti, anno nono.

CIII. Post hæc Patriarcha prædictus solemnes nuntios cum gratuitis obsequiis ad Apostolicam Sedem direxit super diversis articulis, querelas, consultationes, & preces inculcans. Ad quæ omnia Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Inter quatuor animalia quæ in medio sedis & in ejus circuitu describuntur, facies aquilæ ab Ezechiele desuper ipsorum quatuor memoratur: quoniam inter quatuor patriarchales Ecclesias, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quæ per animalia supradicta significantur, quas Apostolica Sedes in medio habens quasi filias amplectitur spirituales, cui eædem sunt in circuitu quasi famulæ obsequentes, ipsa Constantinopolitana post Apostolicam Sedem excellentiâ præminet dignitatis; ad cujus exaltationem tanto libentiùs aspiramus quanto ipsum honorabilius membrum Sacrosanctæ Romanę Ecclesiæ arctiùs amplexantes, ipsius auxilio temporibus istis eandem ampliùs noscimus indigere; ac tuas, qui eidem Domino disponente præesse dinosceris, petitiones libentiùs promovere disponimus, quibus non repugnat honestas, nec aliis præjudicium generatur; cùm à nobis injuriarum actio non debeat exoriri, à quibus jura tamquam à fonte ad cæteros derivantur. Licèt igitur in quantum cum Deo possumus tuo velimus honori deferre ac tuas preces effectui mancipare, petitionem tamen illam nequivimus exaudire qua postulasti à nobis ut donationes Ecclesiarum & beneficiorum à dilecto filio Petro tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato factas te præsente ac penitùs inconsulto, cùm nimiam multitudinem Ecclesiarum contulerit, easque jure perpetuo absque tuo consensu & Capituli majoris Ecclesiæ tradiderit possidendas, dignaremur auctoritate Apostolica irritare: quoniam idem Legatus per suas literas nobis intimavit quòd quasdam Ecclesias, postquam à nobis literas legationis accepit in Constantinopolitano Imperio exercendæ, quibusdam Ecclesiis & locis Hierosolymitanæ Provinciæ contulit, quibus eædem Ecclesiæ ad custodiam fuerant assignatæ, ut vel sic subveniretur utrinque necessitatibus Terræ Sanctæ, & quasdam quibusdam aliis locis religiosis, quorum nuntii ad vocationem carissimi in Christo filii nostri Balduini Constantinopolitani Imperatoris illustris illuc accesserant, assignavit, quosdam clericos, inspecta utilitate quæ de ipsorum institutione poterat provenire, in quibusdam Ecclesiis procurans ordinare. Unde quia visum est ei quòd ordinata per ipsum intenderis immutare post recessum ejus, præsentibus dilecto filio Benedicto tituli Sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato & multis de clero, ac etiam temetipso, omnia quæ per ipsum fuerant ordinata Sedis Apostolicæ protectioni supponens, ne ipsorum aliquid immutares, ad nostram audientiam appellavit, à tunc instanti passagio usque ad annum suæ terminum appellationi præfigens. Cùm igitur rationabilem terminum dictus Legatus appellationi præfixerit quam emisit, qui eam ex rationabili causa, videlicet obedientiæ bono & obsequio Terræ Sanctæ, usque ad biennium ipsum potuisset prorogasse, appellatione pendentes juxta canonicas & legitimas sanctiones, sicut tua fraternitas non ignorat, in ipsius absentia non debuit eorum aliquid immutari; præsertim cùm præsumi valeant rite facta donec in contrarium probaretur, & id fieri sine illorum præjudicio non valeret quibus dictæ Ecclesiæ seu beneficia auctoritate Apostolica sunt collata; cùm nec citati fuerint, nec absentes per contumaciam, seu convicti, sed penitùs indefensi. Si quas verò de ipsis nos duxerimus aliquibus confirmandas, juxta communem formam id noveris faciendum, videlicet *sicut ea justè possident & quietè*. Super eo verò mirari non debes, sicut idem Legatus asserit, quòd ipse te præsente ac inconsulto Ecclesias & beneficia contulit memorata, cùm & tu ipse multò majora, Ecclesiam videlicet Sanctæ Sophiæ, quæ caput patriarchatus existit, necnon Archiepiscopatus & Episcopatus ipso præsente & inrequisito penitùs, qui vices nostras gerebat, ibidem curaveris ordinare. Quamvis ergo tuam propter præmissa petitionem juxta tuum desiderium nequiverimus exaudire, tuo tamen, quantum cum nostra possumus honestate, volentes honori deferre, fraternitati tuæ duximus concedendum ut hi qui Ecclesias illas seu beneficia possident, obedientiam tibi debitam exhibeant & devotam; nisi fortè aliqua illarum Ecclesiarum ante captionem Regiæ civitatis à jurisdictione Patriarchæ legitimè fuisset exempta. Subsequentem verò petitionem, qua Ecclesias illas tibi subici postulabas quæ priusquam Constantinopolitana civitas caperetur, Constantinopolitano Patriarchæ minimè respondebant, duplici ratione non duximus admittendam. Juris namque ratio postulavit ut in illorum præjudicium quibus eædem Ecclesiæ sunt subjectæ nihil ordinaremus de ipsis, cùm nec citati sunt, nec convicti, nec per contumaciam se absentent. Id etiam modò fieri providentia dissuasit, ne Pisani ac Veneti aliique quamplures apud Constantinopolim hujusmodi habentes Ecclesias contra Imperium provocarentur hoc tempore, qui sunt alliciendi potiùs blandimentis donec illud soliditate immobili roboretur. Quòd si jus tuum contra illos prosequendum duxeris tempore opportuno, faciemus auctore Domino super ipsis justitiæ tibi plenitudinem exhiberi. Super obedientiam verò, quam ut tibi faceremus impendi ab Archiepiscopo, & Episcopis Regni Cypri similiter postulasti, ferè idem quod in præcedenti petitione tibi duximus respondendum; cùm & ipsi ante tuam extiterint promotionem exempti, cùm videlicet Constantinopolitana Ecclesia erat inobediens & rebellis, & in eorum absentia circa statum ipsorum non debuerimus aliquid immutare. Justitiam tamen non negabimus tibi cùm eam duxeris postulandam. Præterea ex parte tua fuit propositum coram nobis, quòd quidam Episcoporum Romanię commoniti tibi obedire contemnunt, qui tamen Episcopales reditus percipere non desistunt; quidam verò ex eis ab Episcopatibus fugiunt ne valeant commoneri, per sex menses, vel ampliùs suam Diœcesim deserentes. Unde nos suppliciter exorasti ut super hoc tibi salubriter consulentes, qualiter circa illos & ipsorum Diœceses procedere debeas devotioni tuę scri-

Digitized by Google

scribere dignaremur. Nos igitur attendentes quod per novitatem mutationis Imperii, & novitatum eventus sit cum maturitate plurima procedendum, fraternitati tuæ taliter respondemus, ut illos non semel, sed sæpe, videlicet primò, secundò, & tertiò citare procures, & si parere noluerint, sed in sua duxerint contumacia persistendum, nisi fortè se appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infra tempus legitimum prosequantur, ipsos per suspensionis, & excommunicationis sententias ad tuam obedientiam venire compellas. Quòd si nec sic ipsorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius Benedictus Tituli Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus ab Episcopatibus administratione removeat, & quibus præsunt Ecclesiis de personis idoneis unà tecum faciat provideri, sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer fiducialiùs agi possit. In Ecclesiis autem illorum qui se fraudulenter absentant ne ad ipsos citatio valeat pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari, & si nec sic curaverint obedire, sed contrà ita ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias ut juxta canonicas sanctiones eis meritò debeant spoliari, contra eos quoque sicut præscriptum est procedatur. Cùm verò Legatus ad propria remearit, tibi, quandiu nobis & successoribus nostris placuerit, personaliter duximus concedendum ut contra præfatos rebelles præscripto modo procedas, tamquam à Sede Apostolica Delegatus. Tua insuper fraternitas postulavit ut cùm in partibus illis nimia sit Episcopatuum multitudo, illos, cùm nimis sint tenues, ad paucitatem redigere tibi concedere dignaremur. Nos autem ita duximus providendum, ut id, cùm necessitas vel utilitas postulaverit, per præfatum Legatum, quandiu in partibus illis exstiterit, tuo tamen accedente consilio, valeat adimpleri, ita videlicet ut Episcopatus non uniat, sed illi quem fecerit ad unam Ecclesiam ordinari aliquot tales Ecclesias, si viderit expedire, committat; quatenus si fortè pro temporis necessitate de ipsis fuerit aliter ordinandum, quod factum est faciliùs valeat immutari. Legato verò ad propria redeunte, tu, si necesse fuerit, auctoritate Sedis Apostolicę, tamquam Delegatus à nobis, facias illud idem. Postulasti postmodum per Sedem Apostolicam edoceri qualiter Episcopatus illos debeas ordinare in quibus Græci tantummodo commorantur, & illos etiam in quibus permisti sunt Græci pariter & Latini, & quos debeas præficere in eisdem. Ad quod fraternitati tuę breviter respondemus, quòd in illis Ecclesiis in quibus sunt solummodo Gręci, Gręcos debes Episcopos ordinare, si tales valeas reperire qui nobis & tibi devoti & fideles existant, & à te consecrationem velint recipere humiliter & devotè. In illis verò in quibus cum Latinis Græci sunt mixti, Latinos præficias & præferas ipsis Græcis. Cæterùm nobis humiliter supplicasti ut de nostra tibi permissione liceret constitutos & constituendos in Ecclesiasticis dignitatibus baculis, mitris, anulis, & sandaliis insignire, ac dispensare cum illis qui omissis minoribus majores ordines recipere præsumpserunt. Nos ergo volentes personaliter tibi gratiam facere specialem, auctoritate tibi pręsentium indulgemus quatenus illis concedas insignia supradicta quibus secundùm morem Apostolicæ Sedis possunt honestè concedi, ac cum illis super omissione prædictorum minorum ordinum auctoritate nostra dispenses quibus literarum scientia & morum gravitas suffragantur, injuncta priùs illis pœnitentia competenti. Consuluit nos insuper fraternitas tua utrum clericos ad te sine suorum ordinatorum literis venientes, & offerrentes præstare corporaliter juramentum, quòd sint in quovis Ecclesiasticorum ordinum constituti, debeas ad superiores ordines promovęre. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd nisi de ipsorum ordinatione canonica per idonea tibi constiterit argumenta, eos nec in illis suscipere nec ad majores debes ordines promovere, præsertim antequam eorum conversatio fuerit comprobata. Edoceri quoque de Sacrificiorum & aliorum Sacramentorum ritu per Sedem Apostolicam postulasti, utrum debeas Græcos admittere ut ea exerceant more suo, vel compellere ad ritum potiùs Latinorum. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, ut eos tamdiu in suo ritu sustineas, si per te revocari non possunt, donec super hoc Apostolica Sedes maturiori consilio aliud duxerit statuendum. De Clericis autem qui Ecclesias vel præbendas sibi concessas absque justa & necessaria causa, tuo præsertim non accedente consensu, in hac deserunt novitate, hoc tibi duximus rescribendum, quòd postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possint eis justè privari, dummodo non sint justo impedimento detenti. De Monasteriis quoque Græcorum in sæculares Canonicos convertendis, fraternitati tuæ breviter respondemus, quòd quandiu per Regulares viros sive Græcos, sive Latinos remanere poterunt ordinata, non sunt ad sæculares clericos transferenda. Sed si regulares defuerint, propter eorum defectum in eis sæculares clerici poterunt ordinari. Præterea nobis humiliter supplicasti ut cùm difficile sit tuæ jurisdictioni subjectis pro singulis quæstionibus ad Sedem Apostolicam laborare, super appellationibus modum imponere dignaremur. Cùm igitur sanctæ recordationis GregoriusPapa prędecessor noster duxerit statuendum ut si fortè super rebus modicis, quæ infra summam decem Marcharum subsistunt, in Archiepiscoporum, & Episcoporum auditoriis quæstio ventiletur, & alia partium litigantium delusoriè putaverit provocandum, ipsi ejus appellatione contempta infra fines Episcopatuum ipsorum eligere judices qui careant suspicione compellant, si tamen ibidem idonei poterunt inveniri, in quorum præsentia jurgium sopiatur, nos attendentes quòd nimis dispendiosum esset & grave propter multa maris, & terræ discrimina subditos tuos pro singulis quęrelis Sedem Apostolicam adire, fraternitati tuæ per Apostolica scripta indulgemus, quòd in causis illis quæ in tuo debent auditorio pertractari, si aliqua partium ad Sedem Apostolicam provocaverit, & res super qua quæstio vertitur summam non excesserit prætaxatam, non obstante appellationis objectu, justitia mediante, procedas, vel partes compellas in aliquos compromittere qui appellatione remota causam audiant, & debito fine decidant, illud idem facturus de levioribus causis, præsertim inter personas minores, quæ cùm sint merè spirituales, civilem non continent quæstionem. Venetos autem habitatores Regiæ civitatis ad solvendum decimas personis, & Ecclesiis Constantinopoli existentibus quibus de jure debent, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellas, non obstante consuetudine, quam habitatores Venetiarum observant, ut videlicet in morte duntaxat decimentilla quę acquisiverunt in vita, ne hoc prætextu Ecclesia Constantinopolitana suo fraudetur jure si forsan hi qui longo tempore Constantinopolim habitarunt, circa finem vitæ suæ Venetias revertantur. Verùm in his & in aliis cum discretione ac maturitate procedas, impetum & facilitatem evitans: quoniam in ejusmodi est de tarditate aliqua, quàm de velocitate nimia reprehendi.

CIV. Interim quidam natione Burgundio electus in Archiepiscopum Patracensem super Provin-

vinciam Achaïæ universam, ad Apostolicam Sedem accessit: pro quo nobilis vir Guillelmus Campaniensis Princeps Achaïæ & Canonici Sancti Andreæ de Patras humiliter supplicabant ut ipsum eis in Archiepiscopum Summus Pontifex concedere dignaretur, remittendo ipsum confirmatum, consecratum, & palleatum. Qui qualiter super hoc facto processerit, ipsius literæ manifestant Constantinopolitano Patriarchæ transmissæ.

Inter quatuor, *inquit*, animalia quæ secundùm Apocalypsin Johannis in medio Sedis & in circuitu existere describuntur, licèt aquila cæteris postponatur, ipsa tamen aliis antecellit: quia cùm per hujusmodi Sedem Romana Ecclesia designetur, quæ usitato vocabulo Sedes Apostolica nuncupatur, & per quatuor animalia, videlicet leonem, vitulum, hominem, atque aquilam, intelligantur quatuor Patriarchales Ecclesiæ videlicet Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, & Constantinopolitana, quæ in medio Sedis tamquam filiæ continentur in sinu Matris, & in circuitu Sedis tamquam famulæ in obsequio dominæ præparantur, licèt Constantinopolitana Ecclesia inter cæteras sit ultima tempore, ipsa tamen inter cæteras est præcipua dignitate; ut sicut Constantinopolitana civitas est nova Roma, sic Constantinopolitana Ecclesia secunda sit à Romana, prælata per Matris gratiam cæteris sororibus suis Privilegio dignitatis, ut secundùm Evangelicam veritatem sint primi novissimi & novissimi primi. Nos igitur, qui per gratiam Redemptoris ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam ad Apostolicæ Sedis obedientiam tamquam ad sinum reduximus Matris suæ, Privilegium dignitatis ipsius intendimus integrum conservare; ne inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur. Et ideo licèt dilectus filius nobilis vir VV. Campaniensis Princeps totius Achaïæ Provinciæ, & Canonici Sancti Andreæ de Patras nobis instanter, & humiliter supplicaverint ut dilectum filium A. electum Sancti Andreæ de Patras ad Sedem Apostolicam accedentem, quem iidem Canonici in Archiepiscopum ejusdem Ecclesiæ unanimiter elegerunt, eis concedere dignaremur, & quod circa personam illius factum fuerat approbantes, ad eos cum pleno remitteremus honore, volentes tamen sic eorum petitiones admittere ut aliis jura sua nequaquam subtrahere videamur, de communi Fratrum nostrorum consilio quod per eosdem Canonicos factum est, tamquam minùs canonicè procuratum, cùm & ipsi minùs canonicè instituti, non duximus approbandum; sed necessitate pariter ac utilitate pensata, postquam de veritate negotii, & statu terræ per juramenta sociorum ipsius electi effecti fuimus certiores, de potestate nobis à Domino in Beato Petro concessa ipsum ejusdem Ecclesiæ Pastorem constituimus & rectorem, administrationem sibi plenariam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus concedentes, & Indulgentias insuper ad cautelam ut à quocunque Catholico Episcopo se faciat, cùm necesse fuerit, in Presbyterum ordinari. Licèt autem de plenitudine potestatis, quam habemus à Domino disponendi super Ecclesias universas, ipsum ad Ecclesiam eandem consecrationis munere, ac honore pallei potuissemus insignitum remittere, quia sic te vocavimus in partem solicitudinis, quòd nobis retinuimus plenitudinem potestatis, nec facimus cuiquam injuriam cùm utimur jure nostro volentes tamen tibi, cui Ecclesia de Patras noscitur esse subjecta, in tua maximè novitate deferre, ipsum ad te duximus remittendum, ut à te vel alio de mandato tuo in Archiepiscopum consecratus, & pallei honore recepto, te post Romanum Pontificem patrem præcipuum recognoscat; dilecto filio Benedicto Tituli Sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato nostris dantes literis in mandatis ut ea quæ præmisimus circa personam ipsius, appellatione remota faciat adimpleri. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsum consecrationis munere ac honore pallei non differas insignire; ne propter tuum, quod absit, defectum ad nos cogatur habere recursum.

CV. Defuncto apud Constantinopolim Henrico Dandulo Venetorum Duce, Petrus Cianus apud Venetias est promotus in Ducem. Qui Abbatem Sancti Felicis de Venetiis eligi fecit in Archiepiscopum Jadertinum, & auctoritate Patriarchæ Gradensis confirmari & consecrari, mittens solemnes nuncios ad Summum Pontificem pro palleo impetrando, quod ei altera vice fuerat denegatum. Memor autem offensæ, quam in destructione Jaderæ Veneti commiserunt, taliter eis Dominus Papa rescripsit.

Apostolicæ servitutis officium laudabiliter exercemus si, juxta quod docet Apostolus, arguimus, obsecramus, & increpamus in omni patientia, & doctrina. Quia ergo pater filium quem diligit corripit, Deus quos amat arguit & castigat, idcirco dilectos filios nobiles viros Mar. & P. Quir nuntios vestros ad Sedem Apostolicam accedentes paterno corripuimus affectu, vos in ipsis potiùs increpantes super multis, & magnis offensis quas non solùm in Deum & Romanam Ecclesiam, verùm etiam in populum Cristianum, & nos ac proximos nostros nequiter commisistis, præsertim in Jadertinæ civitatis excidio, ubi & vos deviastis & exercitum Domini deviare fecistis à dextera in sinistram, impugnantes populos Christianos, cùm debuissetis expugnare perfidos Sarracenos, repellendo Apostolicæ Sedis Legatum, & excommunicationis sententiam contemnendo, violato crucis voto in injuriam crucifixi; ut de multis iniquis operibus taceamus quæ apud Constantinopolim perpetrastis, diripiendo Ecclesiarum thesauros, possessiones Ecclesiasticas invadendo, volentes quasi hæreditario jure Sanctuarium Domini possidere; propter quod compositiones illicitas extorsistis. Dicite nobis quando vos tantum damnum reparare poteritis Terræ Sanctæ, cùm averteritis populum Christianum tam grandem, tam nobilem, tam potentem, adductum & congregatum tam magno studio & labore, tam magnis sumptibus & expensis, per quem proculdubio sperabatur, quòd non solùm Hierosolymitana Provincia recuperari deberet, verùm & magna pars Regni Babylonici occupari? Si enim sibi potuit Constantinopolim, & Græciam subjugare, quanto potiùs potuisset obtinere Alexandriam, & Ægyptum, ac per hoc eripere Terram Sanctam de manibus Paganorum; Certè licèt gratum sit nobis, quòd Constantinopolis rediit ad obedientiam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matris suæ, gratius tamen nobis fuisset si Hierusalem reducta esset in potestatem populi Christiani. Neque putetis quòd ideò minimè peccaveritis, quòd civitas una, vel altera tradita sit vobis, & illis magis Divino judicio, quàm potestatu mundano: quia sæpe placet Deo passio flagellati quando displicet ei flagellans, sicut evidenter ostenditur auctoritatibus tam novi, quàm veteris testamenti. Non ergo nostræ duritiæ imputetis, sed vestræ ascribatis offensæ quòd preces quas pro palleo destinando Abbati Sancti Felicis, quem vos Jadertinum appellatis electum, per præfatos nobis nuntios porrexistis non duximus admittendas: quia cùm ex iis quæ per vos acta sunt contra Jaderam nimis contra vos scandalizatus sit populus Christianus, nolumus propter vos aliquid agere circa Jaderam pro quo ampliùs cōtra nos scandalizari

Digitized by Google

lizari possit Ecclesia generalis, quod utique fieret si ad petitionem vestram ei palleum largiendo, absque omni satisfactione tantam remisisse videremur offensam, cùm juxta sententiam Salomonis, in quo quis peccat, in eo sit puniendus. Quamvis hæc dilatio non tam pœna sit quàm cautela, per quam & nobis & vobis intendimus providere. Licèt enim in hac parte non peccaverint Jadertini, quia tamen metropolitica dignitas propter vestrum honorem specialiter fuit illis ab Apostolica Sede concessa, ut videlicet Ecclesia vestra non solo nomine sed pleno jure patriarchalem dignitatem haberet cùm ei subjecta foret metropolis Jadertina, magis in hoc vestram culpam quàm illorum pœnam volumus denotare, cùm nec novum sit nec absurdum si quando puniantur subditi pro prælatis, sicut absque propria culpa punitus est populus Israëlis quando David in ipsius enumeratione peccavit. Hoc itaque vobis per nuntios vestros & per nostras literas respondemus, ut vos ad satisfactionem Deo & nobis offerendam & exhibendam humiliter inclinetis, saltem illorum exemplo qui licèt minùs peccaverint cùm ad hoc facinus perpetrandum per vos tracti fuerint, ad satisfaciendum tamen se nobis firmiter obligarunt; quatenus cùm non excusando, sed accusando vestram offensam, divinam & nostram imploraveritis indulgentiam, ad satisfactionem vos congruam exponentes, nos, qui vestram quoad Deum speramus salutem, & vestrum quoad homines affectamus honorem, & in his & in aliis quæ dignius duxeritis postulanda vos exaudire curemus. Interim autem correctionem vestram æquanimiter expectantes, censuram illam suspendimus quam universorum penè sententia in vos asserit exercendam; ut cùm Domino inspirante conversi fueritis, non solùm remittamus vindictam, sed & gratiam impendamus. Nec se quisquam excuset quòd his gerendis corpore non interfuit, si forsan his gestis etiam corde consentit quia facientes & approbãtes similis culpa condemnat. Placeant igitur vobis, dilecti filii, verba nostra, licèt in cortice aspera, tamen suavia in medulla: quia, sicut ille novit qui nihil ignorat, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt; ut sicut meliora sunt amici verbera quàm oscula inimici, sic vos magis delectet patris correctio quàm adulatio peccatoris. Non ergo vos pudeat sub illius humiliari potentia qui solo nutu potest humiliare superbos & humiles exaltare, concessam vobis victoriam non vestræ virtuti sed divinæ potentiæ adscribentes, quæ licèt forsan occulto, justo tamen judicio per vos alios voluerit flagellare, scientes quod utrumque de cordis timore procedit. Nobis quoque cum devotione curetis obedientiam & reverentiam plenariam exhibere propter illius gratiam & honorem cujus, licèt immeriti & indigni, vicem gerimus & locum tenemus; ut ipse vos in præsenti protegat & exaltet, & in futuro glorificet & coronet, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. (Datum Ferentini Nonis Augusti anno nono.)

CVI. Cùm autem Latini jam pro majori parte Constantinopolitanum obtinuissent etiam Imperium, & in omnibus eis prosperè successisset, ita ut terror eorũ quasi fulgur de cœlo ceciderit, non solùm in Græcos, verùm etiam in paganos, ipsi de prosperitate nimis insolentes effecti, post vanitates suas liberè declinare cœperunt, & Deum ad iracundiam pravis operibus irritare. Unde quid eis merito peccatorum suorum evenerit ex literis Henrici fratris Imperatoris Summo Pontifici destinatis perpendere licet manifestè.

Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Henricus frater Imperatoris Constantinopolitani, & moderator Imperii, cum debita reverentia humili & devota, pedum oscula. Cùm universum exercitus Christiani progressum & laborum peregrinationis nostræ seriem paternitati vestræ per multiplices literas & nuntios frater meus & Dominus Imperator usque ad Martium elapsum novissimè satis lucidè significaverit, eventus nostros ex tunc prioribus multùm dissimiles, immo peccatis nostris exigentibus nimis miserabiles, vobis tamquam patri & domino dignum duxi propalare. Contigit igitur Græcos, qui ex innata malitia & perfidia consueta post omne genus securitatis & cautionis proditioni semper pronos se exhibent, statim post dimissionem nuntiorum ad vos ultimò directorum proditionem, quam pridem mente conceperant, rebellione contra nos facta detegêre manifestè. Quo comperto frater meus & Dominus Imperator opportunè paucioribus comitatus, quippe nobis per munitiones & marchias pro magna parte dispersis, contra caput rebellionis, Andronopolim videlicet, quæ est civitas Græciæ munitissima & montibus tantùm interpositis Blacorum affinis populis, ulciscendi animum intendens, urbem Regiam egressus est. Eramus enim tunc temporis sic divisi. Marchio Montisferrati ultra Thessalonicam erat cum multis; ego ex altera parte brachii Sancti Georgii eram apud (77) Andromiticum cum non paucis; Paganus de Aurelia & Petrus de Braccel versùs Nicæam ex eadem parte, E. de Tric. apud Philoppopolim cum pluribus & alii alibi per loca & munitiones dispersi. Porrò audito à Johannitio Blacorum Domino quòd Latini in tanta virorum paucitate civitatem prædictam obsedissent, quem etiam Græci in auxilium suum, occultè tamen, ut magis læderent, evocarant, irruit subitò Blacus ille Johannitius in nostros cum multitudine barbarorum, Blacis videlicet, Commanis, & aliis. Quibus etiam nimis improvisè obviam exeuntibus nostris, & remotiùs quàm oporteret instantibus, per inimicorum insidias tandem vallatis undique, proh dolor! Dominus Imperator, Comes Lodovicus, Stephanus de Pertico, & quidam alii Barones & Milites, quod non sine sanguinearum lachrymarum effusione referre valeo, tanta obruti multitudine, non sine damno tamen illorum, ab inimicis intercepti sunt. Nescimus revera qui capti fuerunt, qui occisi. Accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis & fama veridica quòd Dominus meus Imperator sanus teneatur & vivus, qui ab eodem Johannitio satis, ut asseritur, pro tempore honorabiliter procuratur, cum quibusdam aliis, quos tamen adhuc expresè nescimus nominare. Sciatis autem quòd ab eo die quo Græcorum fines ingressi fuimus usque ad diem infelicis illius congressus, quantacunque nobis & nostris occurreret multitudo, licèt aliquando nostri paucissimi fuerint, cum triumpho tamen semper & victoria recesserunt. Inæstimabilem verò jacturam quam tunc nobis dolemus & plangimus accidisse, ex inconsulta nostrorum audacia & peccatorum nostrorum meritis credimus contigisse. Illi itaque qui elapsi è prælio manus inimicorum evaserunt, consilio abbreviato cum his qui ad tentoria servãda remanserant, absque alio damno ab obsidione recesserunt: quibus tendentibus in Urbem Regiam & tam inopinaliter desolatis tantam Dominus subitò dedit consolationem ut quasi in momento omnes simul, quotquot dispersi fuerant, tamquam convocati à Domino,

(77) *Cod. reg.* Mandromiticum.

mino, apud civitatem quandam quæ dicitur Rodestoch convenirent. Marchio tamen fideliter & victoriosè in suis marchiis, R. de Tric. in suis partibus per Dei gratiam incolumis morabatur & indemnis. Inspectis igitur ibidem nostrorum viribus, urbes & castella ex tunc munire cœpimus, quę contra Græcorum rebellionem posse tenere videbantur; & iter agentes, Constantinopolim usque profecti sumus. Licèt itaque in personis amissis infortunium lugubre nobis acciderit, speramus tamen in Domino & audacter confidimus quòd inimicorum nostrorum insidias & assultus diutiùs, volente Domino, sustinere poterimus, & etiam de longinquo subventionem & auxilium expectare. Ecce tamen quod verebamur accidit, & quod fama canebat publica quoque, per literas ipsius Blaci confœderationem ipsius cum Turchis & cæteris crucis Christi inimicis continentes edocti sumus, quas etiam à nobis cum nuntiis ipsius interceptas Apostolatui vestro in utraque lingua transmisimus, licèt graviùs expectato vulnus incurritur & ruina: cujus susceptionem vobis incumbere tamquam patri omnium & nostro patrono & domino nemo est qui ambigat; præsertim cùm ob Ecclesiæ tantùm unitatem reformandam & Terræ Sanctæ subventionem laboremus, quorum unum hactenus pendet ex altero, sicut communis omnium Christianorum in oriente degentium, & præcipuè venerabilium fratrum militiæ Templi & Hospitalis utriusque, qui nobiscum sunt, clamat assertio; ut non solùm ipsius liberationem hujusmodi operetur redintegratio, verùm etiam omniū paganorum & crucis Christi inimicorum confusionem omnimodam apertissimè procurare videatur; sicut è contrà ejus disturbatio quod Dominus avertat, non solùm recuperandi partem amissam Terræ Sanctæ spem auferret, immo & illam quæ presenti Christiano cultui dedita est, proculdubio spem præriperet detinendi. Attendentes igitur, sicut à principio, imperfectum nostrum ad tam ardui propositi celsitudinem minùs sufficere, ad vos tamquam summum & præcipuum, immo unicum spei nostræ refugium & fundamentum, qui solus præ filiis hominum & Principibus & Regibus in quantalibet potestate constitutis nobis potestis succurrere, supplici & devota intentione & mente confugimus, ad pedes paternitatis vestræ prona humilitate prostrati, quantâ possumus precum instantiâ cum lacrymis implorantes quatenus filiis vestris in tam arcto periculo constitutis, & præ cunctis viventibus consilio & auxilio vestro indigentibus, consuetum pietatis impendere non differatis affectum, quod tantò securiùs à paternitatis vestræ dulcedine postulamus quanto præter peregrinationis nostræ votum solemne pro Ecclesia Romana corpora nostra & vitas impedimus. In quo præter communem omnium Christianorum, qua tenemini, solicitudinem nos paternitati vestræ & vos nobis tamquam Militibus vestris & Ecclesiæ Romanæ stipendiariis districtè novimus obligatos.

CVII. Adhuc etiam manus Domini non cessavit flagellare Latinos, ut vexatio eis tribueret intellectum, sicut præfatus Henricus frater Constantinopolitani Imperatoris & moderator Imperii Domino Papæ rescripsit.

Statum, *inquit*, nostrum & rumores qualescunque pro nuntiorum opportunitate sanctitati vestræ dignum duximus revelare. Satis, ut credimus, vobis innotuit qualiter peccatis nostris exigentibus Dominus noster Imperator, occisa & capta magna parte suorum, quod sine cordis amaritudine & dolore maximo dicere non possum, à Comanis in bello Andrinopolitano captus fuerit. Postmodum cùm Principes & Barones & Milites exercitus me Imperii Baillivum elegerunt, egressus ex Urbe Regia cum exercitu Christiano, civitates & castella plurima, quæ nobis rebellia fuerant, subjugavimus, & munitis marchiis nostris, circa festum Sancti Remigii Constantinopolim reversi fuimus. In munitione verò cujusdam civitatis quę Rossa dicitur, Th. de Tereramunda, virum utique strenuum & discretum, cum multis militibus & (78) serjantis reliquimus; & dum morarentur ibidem, circa Purificationem Beatæ Mariæ significatum est eis Blacos prope Rossam castrum quoddam occupasse. Qui de Rossa de nocte exeuntes armati, Blacos quos illic invenerunt occiderunt, & castro dejecto cum præda Blacorum & equitaturis eorum, versùs civitatem supradictam redire cœperunt. Quibus redeuntibus, ex insidiis prope Rossam occurrit multitudo Blacorum & Comanorum; & congressu facto ex utraque parte, proh dolor! ultione divina nostri ferè omnes occisi sunt vel capti. Illi verò quibus custodia civitatis deputata fuerat, circiter quadraginta milites de nocte recedentes cum (79) serjantis ad nos sani redière; & sic Dominus flagellum flagello adiciens, meritis nostris perversis idipsum exigentibus, vultum indignationis suæ nobis ostendit. Veruntamen quia bellorum eventus fuit, est, & erit semper anceps, nec fieri potest quòd semper bene cedat bellantibus, & sæpe tristia lætis miscentur, non est desperandum virtuosis viris. Nam parvo tempore mutatur fortuna, & Dominus respiciet suos, & statim reddet optata gaudia desolatis. In rebus arduis virtus comprobatur, & robustos viros ipsa reddunt pericula cautiores. Nam adversitas quæ bonis viris obicitur, non indicium reprobationis, sed probatio virtutis est. Nos ergo in his angustiis constituti, ad vos patrem omnium, immo ut veriùs loquamur, nostrum in hoc facto turbationis recurrimus, vestrum implorantes auxilium & consilium: quatenus opus nostrum à vobis misericorditer inceptum misericordiùs terminetis, quoslibet bonos modos pro facto operis nostri necessarios adinvenientes.

CVIII. Eorum igitur infortuniis Dominus Papa compatiens pro liberatione Imperatoris nuntium specialem ad præfatum Johannitium cum his literis destinavit.

Ex illa gratia speciali qua te glorificavimus inter omnes Principes Christianos usque adeo te diligimus ut ad tuum commodum & honorem efficaciter aspiremus, pro certo sperantes quòd tu in devotione Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris tuæ proficere debes incessanter, per cujus merita gloriosum acquisivisti triumphum adversùs eos qui te nitebantur graviter molestare. Cùm igitur Regium diadema & militare vexillum à nobis per Legatum Apostolicæ Sedis acceperis, ut Regnum tuum Beati Petri sit speciale, providere volumus diligenter ut ab hostium undique liberatus incursibus, tranquilla pace læteris. Noveris ergo, fili carissime, quòd ingens exercitus de occidentalibus partibus est in Græciam profecturus, præter illum qui nuper accessit. Unde tibi & terræ tuæ debes summopere providere, ut dum potes, pacem ineas cum Latinis; ne si fortè ipsi ex una parte & Ungari ex altera te studuerint impugnare, non facilè possis resistere conatibus utrorumque. Quocirca serenitati tuæ suggerimus & consulimus fide recta quatenus cùm Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem dicaris tenere captivum, ita tibi

(78) *Cod. reg.* servientibus.

(79) *Cod. reg.* servientibus.

tibi provideas ut per liberationem ipsius veram & firmam pacem facias cum Latinis, ut ab impugnatione tua & terræ tuæ penitùs conquiescant. Nos enim Henrico fratri ejusdem Imperatoris, qui Constantinopoli præest exercitui Latinorum, per Apostolica scripta mandamus ut ad pacem tuam pro liberatione ipsius Imperatoris Latinos inclinet, & à tua molestatione cesset omnino. Inspiret itaque tibi Deus ut nostris monitis, & consiliis acquiescas; quatenus Regnum tuum, quod Beato Petro & Ecclesiæ Romanæ devotissimè dedicasti, ab omni perturbatione servetur illæsum, ad quod diligens studium impendere cupimus, & operam efficacem.

CIX. Præfatus verò Johannitius sive Calojohannes Rex Bulgarorum & Blacorum respondit quòd ipse audita captione Regię civitatis miserat nuntios & literas ad Latinos ut cum eis pacem haberet, sed ipsi ei superbissimè responderunt, dicentes quòd pacem non haberent cum illo nisi redderet terram ad Constantinopolitanum Imperium pertinentem, quam ipse invaserat violenter; quibus ipse respondit, quòd terra illa justiùs possidebatur ab ipso quàm Constantinopolis possideretur ab illis. Nam ipse recuperaverat terram, quam progenitores ejus amiserant; sed ipsi Constantinopolim occupaverant, quæ ad eos minimè pertinebat. Ipse præterea coronam Regni legitimè receperat à Summo Pontifice; sed ipse qui se appellabat Constantinopolitanum Basileum, coronam Imperii temerè usurpaverat à seipso. Quare potiùs ad ipsum, quàm ad illum Imperium pertinebat, ideòque sub uno vexillo, quod à Beato Petro receperat ejus clavibus insignito, pugnaret fiducialiter contra illos qui falsas cruces suis humeris præferebant. Provocatus igitur à Latinis, compulsus fuit ut defenderet se ab illis; deditque sibi victoriam insperatam Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; ipsamque victoriam Beato Petro Apostolorum Principi ascribebat. Dictum autem Imperatorem ad consilium suum & mandatum Summi Pontificis liberare non poterat, quia debitum carnis exsolverat cùm (80) carcere teneretur.

CX. Auditâ famâ nominis ejus, Gregorius Armenorum Catholicus & Levo Rex minoris Armeniæ literas & nuntios cum muneribus Domino Innocentio transmiserunt, ad devotionem & obedientiam ejus se humiliter exponentes. Quibus Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Gregorio Armeniorum Catholico. Ex eo te radicatum in fide Catholica & Ecclesia Catholica non tam nomine, quàm merito experimur quòd Apostolicæ Sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium Matrem & nos caput universorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie literarum. Nosti enim Privilegium Beati Petri, quo ei Dominus universas oves suas pascendas vocabulo tertiò repetito commisit, *Pasce*, inquiens, *oves meas*, & super universas ligandi & solvendi contulit potestatem dicens ad eum: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Nosti enim prærogativam Apostolicæ Sedis, quæ per merita Beati Petri, etsi non tempore, auctoritate tamen inter Apostolos primi, non constitutione Synodica, sed Divina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit & primatum, fundata super immobili fundamento, de quo Paulus inquit Apostolus, *Fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus*, de quo veritas inquit ad Petrum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Petrus siquidem post Christum potest intelligi Pastor unus, & Ecclesia universalis ovile unum; de quibus Dominus in Evangelio protestatur dicens: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor*. Sanè lapis ille angularis, quem reprobaverunt ædificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens utraque unum, Judæorum populos, & gentium nationes in unitate fidei Catholicæ counivit, Ecclesiam ex utrisque constituens non habentem maculam neque rugam; quæ ne post ascensionem ejus secaretur in partes, & ne unicum in ejus fide divideretur ovile, uni commisit Apostolorum Principi gubernandum, quem solum sibi Dominus & in officio Vicarium, & in magisterio constituit successorem. Hæc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens quòd secundùm Apostolum omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nos, quos Dominus, licèt immeritos, Vicarios suos esse voluit & Apostolorum Principis successores, caput Ecclesiæ confiteris, & te ac fratres & Coëpiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis, sciens quòd sicut palmes non potest fructum facere à semetipso nisi manserit in vite, sic & membrum & sensu caret & actu, si non in corporis permanserit unitate. Gaudemus ergo non modicum quòd in fide Catholica perseverans, circa nos piæ geris devotionis affectum, & filium te esse Apostolicæ Sedis innuis, dum eam esse Matrem omnium protestaris, recognoscens ex nobis Magisterium Ecclesiasticæ disciplinæ, quam etsi receptam longo tempore priùs, ex parte tamen per Venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum, & Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, suscepisse te gaudes & desideras observare. Fuit autem & est magnum tuæ devotionis indicium, quòd eundem Archiepiscopum magnificè recepisti, & curasti non modicum honorare, sicut & tuæ literæ continebant & ipsius nobis relatio patefecit. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in devotione Sedis Apostolicæ firmiter perseveres, & in Lege Domini die mediteris & nocte, quod sanæ doctrinæ congruit prædicans, & quæ prædicaveris quantum Dominus permittit adimplens, ut in te nec opera verbis, nec verba operibus contradicant. Esto circa subjectos magister ut doceas, ut corrigas pater, mater, ut foveas. Doceas minùs doctos, superbos corrigas, humiles foveas & devotos, justitiam misericordia temperans, & æquitatem in judicio non relinquens. Super subventionem verò Hierosolymitanæ Provinciæ nosse te volumus quòd jam per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem Orientalis Provinciæ opportuno tempore transituri. Jam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificæ crucis assumpserunt vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur & esto robustus, quia citiùs forsan, quàm credatur, Orientalis Provincia subsidium sentiet expectatum.

CXI Levoni Armenorum Regi Illustri. Is Ecclesiam suam congregat ex gentibus non habentem maculam neque rugam & super gentes, & regna constituit, is extendit palmites ejus usque ad Mare, & usque ad terminos Terræ ipsius propagines dilatavit cujus est Terra & plenitudo ejus, orbis

(80) *Cod. reg* in carcere moraretur.

Digitized by Google

orbis terrarum & universi qui habitant in eo. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solùm universis fidelibus prætulit, sed super cæteras etiam Ecclesias exaltavit, ut cæteræ ab ea non tantùm vivendi normam & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam Catholicæ documenta reciperent, & ejus servarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum Principe, (cui excellentiùs aliis Dominus ligandi & solvendi contulit potestatem dicens ad eum : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*) Ecclesia Romana Sedes ipsius, & sessores ejus Rcmani Pontifices, successores Petri, & Vicarii Jesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus & cunctis Ecclesiarum Prælatis, immo & fidelibus universis à Domino primatum & Magisterium acceperunt, vocatis sic cæteris in partem solicitudinis ut apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro, & cum Petro singulare illud Privilegium expiravit, quod successoribus ejus futuris usque in finem Mundi Dominus in ipso concessit; sed præter vitæ sanctitatem & miraculorum virtutes, par est in omnibus jurisdictio successorum, quos etsi divisis temporibus, eidem tamen Sedi & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere. Gaudemus autem quòd tu Princeps Catholicus, Apostolicæ Sedis Privilegium recognoscens, Venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum, & Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benignè ac hilariter recepisti, & non solùm per eum institutis salutaribus es instructus, quibus juxta continentiam literarum tuarum totum Regnum tuum, licèt amplissimum, desideras informari, & universos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium revocare, sed ad honorem & gloriam Apostolicæ Sedis, quam constitutam esse novisti super gentes & Regna, diadema Regni recepisti de manibus ejus, & eum curasti devotè ac humiliter honorare, & nos per ipsum & literas tuas ad Orientalis Terræ subsidium invitasti. Ei ergo à quo omne datum est optimum, & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tibi tantæ humilitatis animum inspiravit, rogamus serenitatem Regiam & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in timore Domini, & Apostolicæ Sedis devotione persistens ad expugnandam barbariem Paganorum, & vindicandam injuriam Crucifixi tanto potentiùs, & efficaciùs studeas imminere, quanto fraudes, & versutias hostium vicinus positus meliùs cognovisti, non in exercitus multitudine aut virtute, sed de ipsius miseratione confidens qui docet manus ad prœlium, & digitos movet ad bellum, qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos. Jam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, opportuno tempore transituri. Jam etiam duo ex fratribus nostris vivificæ crucis assumpserunt vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citiùs forsan quàm credatur Orientalis Provincia subsidium sentiet expectatum.

CXII. Post hæc idem Rex quendam Militem cum literis suis ad Summum Pontificem destinavit, rogans & postulans ut cùm super injuriis, quas circa successionem Principatus Antiochiæ Comes Tripolitanus cum Hospitalariis cuidam nepoti suo, Rupino nomine, irrogaverat, ad Apostolicam Sedem appellasset, faceret ei justitiæ plenitudinem exhiberi. Cui Dominus per literas suas ita respondit.

Ei à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui corda Principum habet in manu sua, & à quo est omnis potestas, quas possumus gratiarum referimus actiones, quòd te usque adeò in devotione Sedis Apostolicæ radicavit, ut non solùm in spiritualibus, sed in temporalibus etiam ad auxilium Ecclesiæ Romanæ recurras, & in tuendis justitiis tuis per appellationem interpositam opem ejus implores. Veniens enim ad Apostolicam Sedem dilectus filius nobilis vir Robertus de Margato Miles nuntius tuus plenè nobis exposuit tuæ devotionis affectum, & Regiæ serenitatis literas nobis obtulit continentes, quòd cùm R quondam primogenitus filius nobilis viri R. Principis Antiocheni A. neptem tuam duxerit in uxorem, ex ea mascula prole suscepta, dum ageret in extremis, eidem Principi supplicavit ut successionem quę ipsi jure hæreditario competebat, R. unico ejus filio conservaret. Qui post mortem filii, non immemor precum ejus, convocatis ligiis hominibus suis, quòd dictus Raymundus legitimus fuisset hæres ipsius, & post mortem R. prædicti R. filius ipsius Principis legitimus hæres esset, publicè recognovit, & ei ab universis hominibus suis, salva fidelitate qua ei tenerentur dum vixerit, ligium fecit homagium exhiberi. Deinde quoque prædictum R. de civitate Antiochia, & toto Principatu Antiocheno tenendo post ejus obitum, salva dote I. uxoris ipsius, & omnibus donis quæ fecerat, & in posterum est facturus, & dum vixerit, totius Principatus dominio sibi salvos, saisivit, & eum Raymundum nomine patris appellavit, sicut in literis ad nos à te transmissis perspeximus contineri. Cæterùm nobilis vir Comes Tripolitanus filius Principis memorati molestè ferens se patria hæreditate privari, cum dilectis filiis Hierosolymitani Hospitalis & Militiæ Templi Magistris te voluit molestare: sed quòd adversùm te prævalere non posset inspiciens, conversus in Principem, favore Antiochenæ communitatis filius patrem exclusit, & Domino suo contumelias præsumpsit & injurias irrogare. Interea etiam quidam amici Tripolitani Comitis corrupti pretio, & precibus circumventi, Comitem ipsum legitimum hæredem Principis asserentes, falsis suggestionibus obtinuerunt à Populo memorato ut abjurato quodammodo juramento priori, eidem Comiti (81) homagium exhiberent. Propter quod ad Sedem Apostolicam Regia serenitas appellavit, & Templariis & Hospitalariis ad cor redeuntibus, Principem in Sede restituit principali. Licèt autem, quantum cum Deo possumus, tuæ velimus serenitati deferre, quia tamen in dubiis certum non volumus nec debemus proferre judicium, cùm etsi etiam nobis de veritate constaret, in absentia tamen partis alterius nondum cœpto judicio ad sententiam procedere non possemus, causam ipsam Legatorum nostrorum, qui dante Domino in proximo transfretabunt examini duximus reservandam, quibus & verbis, & scriptis dabimus firmiter in mandatis ut ipsam diligenter examinent, & sine personarum acceptione prævia ratione decidant, nolentes eam delegare judicibus, qui alterutri partium, & tuæ præsertim, esse possent de ratione suspecti. Rogamus igitur celsitudinem tuam & exhortamur attentiùs, ac per Apostolica

(81) *Cod. Pod.* hominium. *Ita etiam in regesto.*

Digitized by Google

Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus communem causam privatæ præponens, & propriis commodis negotium præferens crucifixi, quantum in te fuerit pacem ad universos Christianos observans, ad defendendam hæreditatem Domini, & expugnandam barbariem Sarracenorum potenter intendas, nec ob hoc adversùs Comitem vel alium bellum moveas, præsertim vivente Principe, qui, sicut in ejusdem literis continetur, sic nepotem tuum de Principatus successione saisivit ut sibi proprietatem, & dominium quoad viveret retineret. Cùm autem ad partes illas Legati nostri pervenerint, causam tuam non armis, sed legibus, non gladio vindictæ, sed justitia judice prosequaris. Nos enim eidem Comiti per Apostolica scripta mandamus ut causa ipsa in suo statu manente, nihil in præjudicium juris alterius attentare præsumat, sed Legatorum nostrorum, quibus cognitionem & diffinitionem ipsius duximus committendam, expectet adventum. Ad hæc dilectum filium nuntium tuum serenitati Regiæ propensiùs commendamus, ut de caro eum habeas de cætero cariorem. Præterea serenitati tuæ gratiarum referimus actiones quòd nos per eundem nuntium tuum magnificè ac liberaliter visitasti.

CXIII. Per eundem Militem misit ei Dominus Papa vexillum quod postulaverat ab eodem, scribens ei hoc modo.

Comitibus, Baronibus, Militibus, & populis universis in Armenia constitutis. Etsi modernis temporibus Apostolicę Sedis receperitis instituta, secundùm ea Domino in puritate cordis ac corporis servientes, is tamen qui matutinos & vespertinos operarios vineæ suæ singulorum denariorum rumunerat, faciens novissimos primos & primos novissimos, bravium vobis largietur æternum, si Catholicam Ecclesiam sponsam veri Salomonis, sub cujus capite, secundùm quod ipsa potestatur in canticis canticorum, læva ejus, & dextra ejus ipsam jugiter amplexatur, fueritis humiliter venerati & usque adeo vos zelus domus Domini comederit ut ad vindicandum injuriam crucifixi & templum & hæreditatem ejus de paganorum manibus liberandam & res exposueritis & personas, Christum vobis vitam & mortem lucrum cum Apostolo reputantes. Gaudemus autem quòd etsi nova sitis Ecclesiæ Romanæ plantatio, novitas tamen in vobis virtutis operatur augmentum, & usque adeo vos reddit in fide ferventes ut tanto ferventiores in Christianorum omnium immo Christi auxilium assurgatis quanto estis viciniores hostibus, & ex vicinitate meliùs & scitis & vultis eorum conatibus obviare. Nos autem de carissimi in Christo filii nostri Lievonis Armeniæ Regis illustris sinceritate ac vestra devotione confisi, ei ad petitionem dilecti filii nobilis viri R. Militis nuntii ejus in nostræ dilectionis indicium vexillum Beati Petri dirigimus, quo in hostes crucis duntaxat utatur, & eorum superbiam sufragantibus Apostolorum Principis meritis Domino concedente conculcet. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad liberandum funiculum hæreditatis dominicæ de manibus paganorum & eorum refrenandam audaciam & barbariem edomandam, cum eodem Rege vestro, sicut bene cœpistis, potenter & viriliter intendatis, ut ejus sitis remissionis participes quam de Dei omnipotentis & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus transfretantibus indulgemus.

CXIV. Iterum idem Rex alium Militem ad Sedem Apostolicam destinavit, per quem talia scripta direxit.

Paternitatis vestræ literas, quas per dilectum fidelem nuntium nostrum nobis direxistis, ea qua decuit reverentia & devotione suscepimus, & per earum significata pleno collegimus intellectu vos caritatis visceribus Regiam Majestatem nostram amplexari. Continebant etiam quòd in devotione & amore Apostolicæ Sedis persisteremus; & in hoc semper perseverare cupimus & optamus, & testis est rerum effectus, dum de omnibus negotiis nostris ad Sedem Apostolicam appellamus. Misistis autem nobis per eundem nuntium nostrum vexillum Sancti Petri in memoriam dilectionis Sedis Apostolicæ, quod semper ante nos portari contra inimicos crucis ad honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciemus. Nuntius verò noster nobis insinuare curavit se benignè & honorificè à beatitudine vestra esse susceptum & tractatum, & quòd omnibus petitionibus nostris aures pietatis vestræ diligenter & efficaciter accomodastis; quod quidem mellifluis literis vestris perspicuè intelleximus. Super his omnibus prædictis Sanctæ paternitati vestræ gratiarum exsolvimus actiones assiduas. Precari autem & exhortari nos voluistis ut contra conatus & violentias paganorum nos murum opponeremus ascendentibus ex adverso, quod quidem qualiter hactenus fecerimus, vestræ, prout credimus, non extat incognitum paternitati, atque de cætero pro lege nostra & defensione fidei Christianæ, muniti vestrâ gratiâ, fortitudinis nostræ clypeum in manu forti & brachio extento contra barbaricas nationes opponemus, quousque desideratum nobis subsidium mittatis. Mandastis sæpe & sæpius quòd teneremus pacem Antiochiæ & Comiti Tripolitano, quod amoris vestri gratia nunc usque bene observavimus. Verùm nulli veniat in dubium quòd per Dei gratiam bene non habeamus posse Antiochenorum repugnantiam & audaciam refrenare. Quomodo autem & qualiter nuper adversùm nos se habuerint, sanctam paternitatem vestram latere nolumus. Miserunt nuntios suos Comes Tripolitanus & Antiocheni ad (82) Rocomodin crucis inimicum & adversarium nostrum, & contra nos se ei alligaverunt, & machinati sunt ad invicem quòd Rocomodin crudelissimus ex una parte, Comes Tripolitanus & Antiocheni ex altera, nos infestare non cessarent donec à Regni solio nos eliminarent. Quod cùm audivimus, nostros misimus exploratores: qui tamdiu insidiati sunt quoad usque ceperunt prædictos nuntios. Quibus ante pedes potentiæ nostræ adductis trementibus & verentibus, rei veritatem aperta nobis voce exposuerunt. Deinde ad fines Antiochiæ accessimus, ibique per tres menses cum multo labore & sudore inviti plurima sustinuimus. Post hæc quicquid voluerunt Antiocheni, non timore ipsorum, sed precibus vestris, molestè ferentes supplevimus. Eapropter in Regno nostro non modica damna incurrimus, & à servitio Dei & Christianitatis nos declinare invitos oportuit. Venientibus autem desideratis Legatis vestris prævià divinâ potentiâ, in præsentia ipsorum rei certitudinem per eosdem nuntios, si vita eis communis fuerit, explicari faciemus. Ad hæc sanctitati vestræ supplicamus ut diù expectatum & desideratum succursum festinanter transmittatis. Magna etenim discordia inter barbaricas nationes est emersa, & desæviunt crudeliter adinvicem; & si antequam inter eos discordia fuerit reformata subsidium miseritis, Christianitas exaltabitur; & si, quod absit, antequam veniat subsidium inter eos concordia fuerit reformata, non erit qui eorum vio-

(82) *Cod. Ped.* Noconodium, *in Regest.* Roconod.

Digitized by Google

violentiam valeat cohibere, & reliqua Christianitas vix aut nunquam poterit eis resistere. Super hoc quod nobis scripsistis de negotio Rupini dilecti nepotis nostri, quòd absente alia parte super re incerta nec vultis nec debetis proferre judicium, hoc decet sanctitatem vestram, hoc exigit universale jus. Verùm populsati sumus non modica lætitia eò quòd causam nostram in manibus Legatorum vestrorum commisistis & literis & firmis mandatis, non in manibus personarum nobis suspectarum. Super quo sanctitati vestræ gratiarum exsolvimus actiones assiduas, & omnium conditori laudes referimus copiosas. Ad hæc, piissimam paternitatem vestram exposcimus & flexis genibus flagitamus quatenus cum Legatis vestris, de quibus non modicùm confidimus, venerabilem Archiepiscopum Maguntinum ad succursum Terræ Sanctæ, futurum in eadem causa nostra judicem constituere dignemini, quia nihil est de quo nos magis lætificare possitis. Scripsistis etiam nobis quòd per literas vestras misistis Comiti Tripolitano ut de alieno jure se subtraheret, quod gratum duximus & acceptum, & vobis immensas gratiarum exsolvimus actiones. Sed sciatis nihil nobis profuisse, quia insidiatur ut lupus in absconditis, & non cessat die noctuque sibi quos potest Antiochenos & pretio & precibus attrahere. Igitur sanctitatem vestram latere nolumus, quòd mense Julii exercitum nostrum coadunavimus contra barbaricas nationes, quas duriùs cum Dei auxilio lædere speramus propter discordiam inter eas emersam. In quo negotio misimus pro Templariis morantibus in Regno nostro de possessionibus valentibus viginti milia byzantiorum ut venirent in auxilium nostrum ad honorem & defensionem Christianitatis. Qui Antiochiam usque venerunt, & nos in propria persona cum gaudio & exultatione usque ad fines Antiochiæ obviam eis exivimus. Ad hæc, destinavit nobis literas Magister Templi ex parte vestra directas; quas cùm vidissemus, eo quo decuit honore suscepimus. Quibus perlectis, per earum tenorem intelleximus vos nos precari ut eis redderemus Gaston. Et nos in momento pro Magistro ac quibusdam fratribus suis misimus secundùm preces vestras causâ loquendi cum eis. Qui ad nos venientes, communicaverunt nobis colloquia. Post multas verò verborum nebulas rogavimus Magistrum Templi, ad supplendas preces vestras, ut ipse & Dominus Patriarcha Antiochenus & nos mitteremus nuntios nostros simul ad Sedem Apostolicam, quia per manus vestras ipsum Gaston, sopita omni occasione, Templariis reddere volebamus, & Rupinum dilectum nepotem nostrum ad nutriendum & custodiendum bona fide & sine malo ingenio in ipso castello eis tradere cupiebamus, & ut deberent semper esse auxiliantes prædicti pueri ad acquirenda jura sua, in quantum dignitas ordinis sui permitteret, & ut quodlibet damnum in Regno nostro per ipsum castellum non contigisset; & donec nuntii nostri irent & redirent, precum vestrarum obtentu, quantum valebant redditus pertinentiarum ipsius castelli in corpore terræ nostræ Templariis restituere volebamus. Nos itaque & puer dilectus nepos noster hac conditione fieri confratres eorum quærebamus, & ad acquirendum aliud castellum nomine Trepesach, eis pertinens, cum omni gente nostra & viribus nostris eis similiter auxiliari volebamus. Videntes autem ipsi Templarii me tanto negotio circumventum, in humilitate nostra contritum, nos exaudire contempserunt; immo conventum quem ad partes Regni nostri direxerant, redire mandaverunt. Et nulli veniat in dubium quòd precibus cujuslibet, exceptis vestris, ad hanc formam pacis de ipso castello pervenire nequissent. Misimus iterum eis, rogando ut pro Dei amore in Regnum nostrum venirent, & ex quo non placebat eis nobiscum contra paganos exire, saltem Dei pietate Regnum nostrum usque ad reditum nostrum reccommendatum haberent. Qui in obstinatione sua perseverantes, neque hoc neque illud facere voluerunt: immo nobis exeuntibus contra crucis inimicos, Regnum nostrorum luporum morsibus austeritate sua reliquerunt. Tamen cum Dei auxilio salvi & sani redeuntes, invenimus terram nostram vestris precibus illæsam & intactam. Ex hoc conquerimur Deo & vobis. Nam quid inde factum sit, vestræ non extat incognitum sanctitati. Præterea nos obedientiæ vinculis de cætero Apostolicæ Sedi esse alligatos non dubitetis. Ea propter, si placet sanctitati vestræ, cuilibet alteri Ecclesiæ Latinæ nec volumus nec debemus alligari. Hinc est quòd sanctitatem vestram humiliter flagitamus quatenus nobis literas apertas mittere dignemini ut non teneamur, neque Latini de terra nostra, de qualibet conditione, exceptâ Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, cuilibet Ecclesiæ Latinæ, & quòd non habeat potestatem nos seu Latinos de terra nostra excommunicandi vel sententiam in Regno nostro proferendi super Latinos quælibet Ecclesia, excepta, ut dictum est, Sede Apostolica. Præsentium quoque latorem dilectum & fidelem nostrum Militem nomine Garnerum Teuto ad pedes sanctitatis vestræ dirigimus; cui super his quæ ex parte nostra vobis dixerit, tamquam nobis ipsis credere ne dubitetis.

CXV. Ad petitionem verò Regis Dominus Papa tale sibi scriptum indulsit.

Regiæ serenitatis devotio promeretur & sinceritas tuæ caritatis exposcit ut non solùm tibi, sed toti etiam Regno tuo spiritualem gratiam faciamus, & ob tuæ devotionis meritum totam Armenicam Ecclesiam honoremus. Bene enim præ cæteris prædecessoribus tuis; quorum extat memoria specialis, in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistis, & apostolicæ Sedis primatum & magisterium recognoscens, ad eam velut ad matrem tuam humiliter & devotè recurris, propter quod ab ea debes rationabiliter honorari. Accepimus autem ex literis quas Regia nobis serenitas destinavit quòd cùm Regnum Armeniæ alligatum Sedi Apostolicæ obedientiæ vinculis recognoscas, illud, sicut non debebas, ita etiam non volebas obligari cuilibet alteri Ecclesiæ Latinorum. Unde petebas tibi per literas Apostolicas indulgeri ut præter Romanum Pontificem nullus Latinus in te vel Regnum tuum vel homines Regni tui, sive Latinos, sive alios, cujuscunque conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sententiam promulgare. Volentes igitur, quantum cum Deo possumus, tuæ serenitati deferre & cum honestate nostra petitiones Regias exaudire, tuis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus ne quis in te vel Regnum tuum aut homines Regni tui, cujuscunque conditionis existant, qui mediantibus (83) tamen ejusdem Regni Prælatis Sedi Apostolicæ sunt subjecti, præter Romanum Pontificem & ejus Legatum, vel de ipsius speciali mandato, districtionem Ecclesiasticam audeat exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere &c.

CXVI. Rescripsit etiam Armenorum Catholico in hunc modum.

Quòd die ac nocte in lege Domini mediteris, ex literarum tuarum tenore cognoscimus, quas varíis

(83) *Cod. Pod.* tantùm.

Digitized by Google

variis auctoritatum floribus decorasti, de thesauro cordis tui nova & vetera proferens, & hæc illis & illa istis doctiùs intermiscens, ut uberiùs juncti simul flosculi redolerent. Sanè licèt didiceris ex verbis Apostoli quòd omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, & quòd cunctos quos sacri baptismatis unda regenerat fratres facit, quoniam unus est pater noster qui est in cœlis, prout in Evangelio veritas protestatur, in nobis tamen, qui Beato Petro successimus, Christianæ fidei magisterium recognoscis. Unde secus fontem scientiæ fidei nostræ ac præceptorum legis & Ecclesiæ quiescere desideras & nutriri ut sugas mamillas nostras quotidie & inebrieris lacte doctrinæ ab Apostolica Sede emanantis. Et licèt loco quidem à nobis remotus existas, fide tamen nobis gaudes tam te quàm Armenicam Ecclesiam couniri, cùm ex illo sitis ovili de quo Dominus in Evangelio protestatur, *Alias*, inquiens, *oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor*. Oves enim hujus ovilis uni Dominus pastori commisit, Petro videlicet, cùm inquit, *Pasce oves meas*, innuens per verbum tertiò repetitum quòd quicunque fidem habuerint trinitatis, in quacunque orbis partium regione, ac trino fidelium ordine, cum Noë, Job, & Daniele, sive in lecto, sive in agro, sive in mola consistant, Petri magisterio sunt commissi. Gavisus es igitur quòd Mater Ecclesiarum omnium, quæ totum orbem sua irradiat claritate, Catholicam Armenorum Ecclesiam bono corde respiciens voluit consolari, in hoc illud impletum intelligens quod inquit Petro Dominus Jesus Christus: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Asseris quoque quòd ab Ecclesia Romana fidem ab initio Armenica suscepit Ecclesia, quam tu & Coëpiscopi tui & grex tibi, & ipsis commissus non minuistis in aliquo nec auxistis, sed sicut accepistis, sic usque hodie inviolabiliter observatis, ejus tenentes consuetudines secundùm Sanctorum patrum præcedentium instituta. Nos igitur, qui vos diligere debemus ut nos ipsos, de tuæ fidei puritate gaudemus in Christo, & te velut Venerabilem fratrem nostrum, & magnum Ecclesiæ Dei membrum gerimus in visceribus caritatis, ac carissimum in Christo filium nostrum L. Armenorum Regem Illustrem honorare disponimus & universam Armenorum Ecclesiam, utpote filiam Sedis Apostolicæ, specialiter confovere. Ne autem hæres sit filius ancillæ cum filio liberæ, immo ne ancillæ filius hæredis liberæ sibi ampliùs hæreditatem usurpet, sed ancilla potiùs & ejus filius expellatur, posuimus signum Tau in frontibus gementium & dolentium, ita quòd per Dei gratiam crucesignatorum exercitus Venetias jam applicavit pro parte majori, unde in proximo naves ascendent in Terræ Sanctæ subsidium transituræ. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur, & per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus in Divini nominis timore persistens, & in Apostolicæ Sedis reverentia perseverans, prædictum Regem & universam Armenorum Ecclesiam in Lege Domini, & in nostra devotione confirmes, & eis, sicut per alias literas nostras mandavimus, formam Apostolicæ remissionis exponas, & exhorteris ipsos attentiùs ut se murum pro domo Domini opponant ascendentibus ex adverso, nec dubitent, si opus fuerit, pro illo fundere sanguinem qui pro eis non dubitavit crucis subire tormentum, cùm sic possint sibi Regnum acquirere sempiternum & terrena in cœlestia laudabili commercio commutare. Expectent autem efficax de cœlo auxilium, & festinum de terra succursum, & spem suam ponant in eo qui est in se sperantium fortitudo, qui facit in tentatione proventum, & post lacrymationem & fletum exultationem inducit.

CXVII. Qualiter autem Petrus Tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus de Antiochia processerit in Armeniam, & quàm honorificè ac devotè receptus fuerit tam à Rege, quàm à Catholico necnon & personis Ecclesiasticis ac mundanis, quòdque omnes ad obedientiam Sedis Apostolicæ se astrinxerint, literæ Regis Armenorum ad Dominum Papam directæ declarant; in quibus tamen idem Rex de præfato Legato Domino Papæ conqueritur, & tam de facto Antiocheno, quàm de negotio Templariorum multa narrantur quæ pleniùs & planiùs ex ipsarum lectione patebunt. Rex quippe scribit hoc modo.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, & universali Papæ Leo per eandem & Romani (84) Imperii gratiam Rex Armenorum, sanctitatis suæ devotus & obediens, cum salute grata servitia & pedum oscula. Cùm constet vos, celeberrime Pater & Domine, totius Sanctæ Ecclesiæ & Religionis Christianæ curam & prælationem dante Domino gerere, constat utique nos ad vestri refugium tamquam ad tutissimum receptaculum debere recurrere, in quo tota spes nostra, & fiducia post Deum dependet, & à beatitudine vestra in nostris necessitatibus præsidium postulare. Proinde, Clementissime Pater & Domine, ad pedes sanctitatis vestræ flexis genibus, & cum omni supplicatione recurrentes, conquerimur & conqueri non cessamus de Domino Petro Tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali Legato vestro, nostris in causis suspecto, immo aperto adversario. Cùm enim ad partes Regni nostri ex injuncta sibi legatione, tum pro reformatione pacis inter nepotem nostrum & Comitem Tripolitanum, qui contra justitiam & appellationem nostram ad Apostolicam audientiam factam Antiochiæ Principatum usurpaverant, ut creditur, accessisset, Dominus Johannes Catholicus Venerabilis in Christo pater noster cum quibusdam suffraganeis suis & clero, nos cum Baronibus & fidelibus nostris, & pluribus nobilibus peregrinis astantibus, quanta potuimus honorificentia & veneratione ob vestri reverentiam illum suscepimus. Sequentibus diebus de obedientia Armenicæ Ecclesiæ ad Sanctam Romanam Ecclesiam, ad quam jamdiu laboravimus, Divina auxiliante gratia deliberavimus; & ad hoc cum multo labore induximus Ecclesiam Armeniæ tempore Pontificatus vestri, meritorum vestrorum exigentia, ad quod progenitores nostri multis transactis temporibus inducere nequiverunt, ut ipse Petrus Cardinalis & rerum est testis effectus. Dominus Catholicus cum solemnitate celebri & obedientiam, & reverentiam per manus ipsius Legati secundùm literarum vestrarum formam, & mandatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vobis exhibens, palleum à beatitudine vestra destinatum coram prædictis personis astantibus cum devotione omni & humilitate suscepit, promittens in ordine suo singulis quinque annis per nuntios suos secundùm capitularia Apostolica Sanctam Romanam Ecclesiam visitare

(84) idest, Rom. Ecclesiæ ut patet ex cap. 100. horum gestorum. In Armenico haud dubiè erat *Romanæ auctoritatis gratiam* aut quid simile: pro quo interpres malè vertit *Imperii*.

Digitized by Google

sitare tamquam Matrem, & Magistram omnium Ecclesiarum, & in Cismarinis Conciliis, seu in persona propria, seu per nuntios suos interesse; & quòd non deberent celebrari Concilia Ecclesiastica in Cismarinis partibus absente eo, vel nuntio suo, ab utraque parte statutum est. Quibus peractis, de reformatione pacis inter nepotem nostrum & Comitem Tripolitanum tractarunt; in quo tractatu Apostolica scripta de commissione, (85) ut causam de qua agebatur fine debito terminarent, quæ Dominis Soffredo Tituli Sanctæ Praxedis & Petro Tituli Sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus & Legatis delegastis, eidem Petro Cardinali repræsentavimus, confidentes secundùm mandatum vestrum causam ipsam fine optato terminari. In quibus Dominus Soffredus Cardinalis absens pro negotio Christianitatis Accon erat, quem in tota causa æquitatis & justitiæ invenimus amatorem. Repræsentatis Apostolicis scriptis, ut dictum est, causam nepotis nostri ei vices vestras gerenti commisimus, & ab initio causæ semper Apostolicam appellavimus audientiam, & in judicio ipsius causam ipsam commisimus, testibus Domino Patriarcha Antiocheno, Hospitalariis, Templariis, & aliis viris religiosis Nigromontanis. Ipse verò Petrus Cardinalis, & Legatus, in quo nullam & verè nullam sperabamus habere suspicionem, Comiti Tripolitano, Templariis, & Antiochenis confœderationem privatam faciens, parti nostræ fraudulenter detrahebat, & parti adversæ in nostri perniciem & jacturam assistebat, manum eis consilii & auxilii porrigens. Ex mandato itaque ipsius Legati, sub cujus (86) specie decepti eramus. ad partes Antiochiæ secundò ac tertiò accessimus pro pace reformanda. Comes Tripolitanus diverticula quærens, ad diem statutum in causa numquam accedebat. Cognita verò & intellecta fraude confœderationis initę, ipsum Petrum Legatum suspectum, immo apertum adversarium habentes, ad Apostolicam appellavimus audientiam, & causam nepotis nostri judicio vestro commisimus, personam nostram, Regnum & gentes nostras sub protectione Dei & vestra committentes, quod per Privilegium à beatitudine vestra delegatum obtinere credebamus. Contigit igitur nocte quadam ante adventum ipsius Petri Cardinalis cum omni exercitu nostro, vendicantes hæreditatem nepotis nostri, partes Antiochenorum defectu justitiæ infestantes, sicut Domino placuit, infra muros Antiochiæ in manu forti intravimus; & si ad effusionem Christiani sanguinis & incendium ipsius civitatis manus potentiæ nostræ extendere voluissemus, urbs Antiochena capta foret, sed pietate & Dei timore moti, & Christianitati miserando compatientes, Dominum Patriarcham Antiochenum ad nos accersitum inter nos, & Antiochenos rogavimus optatæ pacis esse mediatorem. Et dum de pace tractaretur, ecce Templarii, quos precibus, & mandatis vestris honorabamus, & quibus in tota guerra deferebamus, salvatis possessionibus & tenementis illorum, quos amicos, non adversarios, tamquam viros religiosos, habere sperabamus, sine diffidentia facta contra nos dentes acuerunt, turres munierunt, arma excusserunt, exercitum nostrum intra, & extra muros civitatis Antiochenæ sagittaverunt, vexillum (87) baldanum contra nos paraverunt, & quod gravius est, Christianum sanguinem effuderunt, postposito Religionis ordine. Hi cum Comite Tripolitano, & Antiocheno unanimes, perfido Soldano Alappiæ sunt confœderati; suis sic machinationibus ab acquisita hęreditate sua nepotem nostrum pupillum, orphanum, sub protectione Dei & vestra deputatum, alienaverunt, & sic non expectato vulnus ab hoste tulimus. Quod molestè ferentes, possessiones & tenimenta quæ in Regno nostro Templarii possidebant saisivimus, & à terra nostra illos eliminavimus. His ita peractis, Dominus Petrus Cardinalis Templariis confœderatus, inter nos & Templarios pacem reformare quærens, nos ad restaurationem rerum Templariis nuper ablatarum primùm viva voce, postea secundò ac tertiò & scriptis, & nuntiis instanter compellebat. Ad quod respondebamus dicentes: Parati sumus ad honorem Sedis Apostolicæ Templariis restituere nuper ablata, si in ordine suo promiserint se de cętero neque infra muros neque extra muros Antiochiæ justitiæ & recturæ nepotis nostri adversari, sed sint sicut viri Religiosi salvi & securi in domibus & possessionibus suis. Contra quæ Templarii arrogantiæ stimulo suffulti, opponebant se muros Antiochiæ contra justitiam & directuram nepotis nostri semper defendere ordine postposito. Cùm verò de concordia inter nos & Templarios nihil proficì posset, Dominus Petrus Cardinalis, absente Domino Catholico patre nostro, & Venerabili Antiocheno Patriarcha, super eadem causa Concilium celebravit, & post appellationem nostram iteratam ad Apostolicam audientiam, sententiam excommunicationis in terram nostram promulgavit, salvis confessionibus infirmorum, baptisterio, & sepelitione mortuorum. Super eadem literas suas cum sententia ad Dominum Catholicũ Armenorum destinavit, ut ex abrupto per totum catholicatum sententiosa interdictio promulgaretur. (Convenientibus itaque Catholico & principalibus suffraganeis catholicatus in unum, communicato diù consilio mirati sunt de tanta, & tam subita exasperatione absente Catholico in Armenicam Ecclesiam facta; & reducentes ad memoriam hoc quod statutum fuerat inter Dominum Petrum Cardinalem & Johannem Catholicon Armeniæ. quia de Concilio absens fuit ipse Catholicos, & sine consensu suo data est in (88) Diœcesi sua à Cardinale interdictionis sententia, censuere patres nostri illam non tenere nec observari sententiam, dicentes: Qui de mamillis Matris nostræ primò lac dulce & suave sugere sperabamus, nunc autem fel amarum & acetum potamus. Sperabamus imbre salutifero irrigari, non à grandinosis procellis tempestari. Qui verò nimiùm emungit, ut bene scitis, elicit sanguinem.) Quæ cùm ad notitiam Domini Soffredi Cardinalis & Legati devenissent, molestè tulit, & habito consilio cum Domino Petro collegato suo ad se accedente, quia instantissimè ad audientiam vestram appellabamus, procellam in auram consilio Domini Petri Cardinalis convertere studuerunt. Sicque factum est ut ex mandato Dominorum Cardinalium, illustris Regis Hierusalem & Cypri, omniumque nobilium peregrinorum, mense Septembris ad partes Accon pro reformatione pacis inter nos & Antiochenos & Templarios nuntium nostrum nobilem Constantinum de Camardesio dilectum consanguineum nostrum delegaverimus, & mediante sapientia & discretione Domini Soffredi Cardinalis juris & æquitatis amatoris pax reformata est inter nos & Templarios, sicut per literas ipsius intelligere poteritis. Nos verò nunquam à mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ recessimus, nec vita comite

(85) *Raynaldus hic putat addi debere*, lecta sunt, *sed inutiliter*.

(86) *Cod. reg.* spe.

(87) *Cod. reg.* balsanum. *Pod. & Fux.* balaoanum.

(88) *Leg.* Diœcesim suam.

comite recedemus; quamquam Dominus Petrus Cardinalis ab ea nos eliminare laboret. Nos igitur, qui Dei & vestri gratia tempore Pontificatus vestri nova sumus planta vestra facti, cupientes ad honorem Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fructus odoriferos & suaves producere, ad pedes sanctitatis vestræ recurrimus, flexis genibus rogantes & deprecantes ut in judicio Domini Petri Cardinalis & Legati, quem suspectum immo apertum adversarium habemus, causam nepotis nostri non committatis, & quòd nullam super nos & terram nostram habitantes, cujuscunque conditionis existant, ex injuncta sibi legatione potestatem de cætero habeat, & ut Templariis per Apostolica scripta mandando præcipiatis ne de facto Antiocheno justitiæ ac directuræ nepotis nostri sint adversarii, sicuti non sunt Hospitalarii nec alii viri religiosi, & causam nepotis nostri, de qua sæpius dominationi vestræ scripsimus, non suspectis judicibus, sed talibus personis committatis qui à recto tramite non declinent, sed æqua lance, auditis utrinque partibus, sine personarum acceptione justum judicium faciant quatenus exinde Sanctam Romanam Ecclesiam ad ædificationem, non extirpationem novellæ plantæ vestræ sentiamus pervenisse, & per auxilii vestri gratiam delectabiles exitus manè & vesperi gaudeat se planta vestra recepisse.

CXVIII. Catholicus verò tales literas destinavit.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici & universali Papæ, Johannes per eandem humilis Armenorum Catholicus, sanctitati vestræ devotus & obediens, cum debita obedientia & reverentia plena salutis gaudia. Ex ineffabili providentia Domini nostri, à quo bonum omne procedit, Armenica Ecclesia primatum & magisterium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Deo sibi concessum recognoscens, filia ejus facta est devotissima, & nos, licèt indigni, ministri ipsius, accedente Domino Petro tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali Legato vestro, ex injuncta sibi legatione ad partes Catholicatus nostri, ubi illi ob reverentiam cum clero & grege à Deo nobis commisso obviantes, quanta potuimus honorificentia illum suscepimus, & mutuis communicantes amplexibus & alloquiis, per manus ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis secundùm literarum vestrarum tenorem obedientiam & reverentiam exhibuimus, atque palleum à vestra beatitudine delegatum solemnitate celebri ac cum omni humilitate suscipientes, promisimus in ordine nostro singulis quinque annis per nuntios nostros Sanctam Romanam Ecclesiam tamquam matrem & magistram omnium Ecclesiarum visitare & in Cōciliis cismarinis adesse: & quòd in eisdem Concilia celebrari nobis absentibus vel nuntio nostro non deberent, ab utraque parte statutum est. Institutiones Sanctę Romanæ Ecclesiæ in parte suscepimus, & in parte propter absentiam suffraganeorum nostrorum longè lateque diffusam induciantes; & quia non sine magna personarū deliberatione hoc fieri poterit, convenientibus Prælatis nostris vel majori parte ipsorum in uno tempore constituto, ipsorum ab assensu, ne in Ecclesia scandalum oriretur, constitutiones vestras, in quibus concordaremus, suscipere proposuimus. Ad omnia igitur mandata vestra promovenda nos fideles & devotos invenietis executores.

CXIX. Legati verò super his Domino Papæ rescripserunt hoc modo.

Reverentissimo Patri & Domino plurimùm metuendo Innocentio Dei gratia Sanctæ & universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Soffredus permissione divina tituli Sanctæ Praxedis & Petrus divina providentia tituli Sancti Marcelli Presbyteri Cardinales, licèt indigni, debitam & paratam in omnibus obedientiam. Dum eo tempore quo veni Accon ego Soffredus, treuga esset cum Sarracenis & guerra gravis inter Regem Armenię & Comitem Tripolitanum & Antiochenos pro eo quòd, sicut dicebatur, idem Comes Antiochiam injustè occupaverat, & ejecerat, assistentibus sibi ex majori parte civibus, ex magna parte nobiles civitatis, pro eo quia sibi jurare nolebant contra juramentum fidelitatis quod pręstiterant filio primogenito cujusdam Principis, requisitus ab utraque parte sæpius & instanter, habito consilio non semel sed sæpius cum Magistris Templi & Hospitalis, iter arripui versùs Antiochiam, ut ibi laborarem ad pacem & sedandam, sicut possem, discordiam. Scripseram etiam præfato Comiti & communi Antiochiæ secundùm consilium prædictorum Magistrorum ut venirent vel mitterent honorabiles & prudentes viros, ut cum eis deliberare possem qualiter mihi esset procedendum usque in Antiochiam. Cùm igitur in festo Beati Martini intrassem civitatem Tripolitanam, ad quem diem & locum eos vocaveram, nec mihi occurrerunt, sed nec etiam per nudas literas respondere aliquid voluerunt. Laborans autem ultra, misi ad utramque partem viros venerabiles Anteradensem & Bethlehemitanum Episcopos. Nam hiems invaluerat, & dicebatur mihi quia jam non erat tutum intrare mare. Sed nec sic responsum aliquod habere potui usque ad festum Purificationis. Tunc verò venit Princeps Tripolitanus, non propter me, sed ad negotia sua promovenda, prout ipsius opportunitas requirebat; cum quo colloquium in propria persona habere non potui, pro eo quia denuntiatus erat excommunicatus per Hierosolymitanum & Antiochenum Patriarchas atque circumadjacentes Episcopos, sed, sicut ipse asserebat, injustè, ideòque non gerebat se pro excommunicato. Per internuntium quoque mihi loqui nolebat. Laboratum est autem ad concordiam inter ipsum & Hospitalarios super facto pro quo notatus erat excommunicatus; & post multam tergiversationem ventum est ad concordiam, in qua non est passus haberi mentionem nominis mei; quo mediante totum negotium firmatum fuerat, & sine cujus assensu Hospitalarii non poterant cum eo concordare. Sicque ibidem jacui usque ad Dominicam Passionis. Cùmque sic fatigatus & delusus rediissem Accon, (Expectabam enim venturum stolium, nec volebam in ipsius adventu abesse) accesserunt autem multi nobiles viri de Francia, & tā ipsi quàm Rex Hierusalem, Magister Templi, & alii nonnulli institerunt mihi de pedibus non modicùm laboranti ut navigarem cum ipsis Antiochiam. Nam si ego irem cum eis, ipsi parati essent mecum venire pro concordia in Antiochia ponenda. Acquievi eis continuò, licèt æger pedibus; sicque navigavimus ego & Magister Templi, Generalis Præceptor Hospitalis, Stephanus de Pertico, Comes (89) Moncia de Ungaria, & nuntius Marchionis Montisferrati, qui venerat in terram. Applicuimus proinde auctore Domino ad portum Antiochenum. Rex autem Armeniæ applicuerat circa pertinentias Antiochiæ. Secunda die intravimus terram Antiochię. Quo audito, festinanter misimus ad eum nuntium & literas ut pro reverentia Romanæ Sedis & nostra differret lędere terrā usque dum loqueremur ei. Expectavit triduo. Venimus ad eum tertia die,

(89) *Cod. reg.* Motia.

die, & iterum obtinuimus dilationes ab eo per novem dies quibus expectamus Hierusalem Regem venturum. Laboravimus interim adinvenire viam pacis ante omnia. Rex Armeniæ offert se ad justitiam; & instanter per me, immo per vos, eam nepoti suo orphano & matri ejus viduæ instanter & humiliter postulat exhiberi. Requiritur ipse ut acquiescat judicio Baronum qui venturi erant; ecce proponit ipse quia ab Ecclesia Romana requisierat justitiam, quam vos in adventu nostro per me & collegam promiseritis exhibendam, & nostrum esset quorumcunque vellemus uti consilis. Nam ipse non committebat se nisi in judicio nostro principaliter immo in nobis vestro. Accessit autem spiritus iniquitatis, & eorum corda subvertit & avertit ab unitate nostra, qui pro concordia credebatur accessisse. Cœperunt quippe dicere constanter quòd hoc judicium ad nos non pertinebat, sed neque ad Ecclesiam Romanam. Quorum consiliis innixus qui dicebatur Princeps secundùm ipsum constanter proponebat. Sicque facti sunt cor unum & anima una in itinere quòd dictus Princeps vix aliquid vel agebat vel respondebat nisi illorum consilio informatus; excepto uno ex his qui mecum venerant, qui fideliter & prudenter mihi astitit in toto negotio. Obtulerat insuper Rex Armeniæ viginti millia armatorum ad servitium Christianitatis, si pro nepote suo orphano & matre ejus vidua justitiam posset obtinere. Videbatur mihi petitio ejusdem Regis justa & admittenda, oblatio quoque utilis multùm & fructuosa Christianitati. Sed cùm haberem contradictores illos quos coadjutores esse sperabam, videns me quasi solum, recessi cum illo unico qui mihi assistebat; & veni Margatum, ubi laboravi sicut Deus voluit usque ad mortem, usque dum venit Dominus Cardinalis in Cyprum, & tandem Accon; ubi occurri sibi, multis literis requisitus ab ipso, licèt adhuc essem multimoda debilitate infirmitatis oppressus. Dominus autē Cardinalis, expeditis aliquibus negotiis apud Accon, ivit in Antiochiam, & usque in Armeniam; ubi quod fecerit, & qualiter malitia in partibus illis diabolo instigante creverit, ipse vobis prudentiùs enarrabit. Ego verò Petrus tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis insinuo paternitati vestræ quòd in superiori serie narravit sanctitati vestrę dilectus in Christo Pater Dominus Soffredus tituli Sanctæ Praxedis venerabilis Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus ea quæ circa hoc negotium ipse inspexit, & qualiter ipse processit in eo postquam ipse rediit à partibus Antiochiæ. Et ego cùm nuper venissem ad partes Acconenses vocatus pluries tam ab illustri Rege Armenorum quàm à Comite Tripolitano seu Principe Antiochiæ & civibus Antiochenis pro discordia dicta sedanda, si datum esset desuper, ad partes Antiochiæ accessi, & circa negotium istud triplicem viam tentavi. Primò si ex consensu partium aliqua posset provenire concordia; circa quam cùm diutiùs laborassem, nihil profeci. Secundò, ut partes permitterent se Domino Cardinali & mihi, quatenus secundùm justitiam & æquitatem concordaremus vel judicaremus: & cùm super hoc cum utrisque diutiùs laborassem, nihil profeci etiam per tres menses. Tandem tertio, quia non videbatur necesse ut quæreremus à partibus quatenus se nobis committerent, sed tantùm ex officio nostro offerremus utrique partium, si quid vellent proponere, nos esse paratos justitiam exhibere, ad exonerationem vestram, Romanæ Ecclesiæ, Domini Cardinalis, & meam obtuli Domino Regi vestras literas, quibus Domino Soffredo & mihi mandabatis ut negotium illud terminaremus justitia mediante, quòd parati eramus Dominus Cardinalis & ego ad justitiam faciendam & exhibendam secundùm mandatum, neque per nos aliquem sustineret defectum pro nepotis justitia consequenda. Ipse autem Rex tunc ait quòd referebat grates de eo quòd sibi satis offerebam, & vobis & Ecclesiæ Romanæ & nobis duobus; sed addidit quòd Antiocheni inferebant ei violentiam: ideo petebat ut priùs amoveremus dictum Comitem seu Principem à possessione civitatis & principatus Antiochiæ, & postmodum deberemus ei justitiam exhibere. Cui cùm respondissem quòd hoc secundùm justitiam facere non possemus antequam in judicio constitutus proponeret pro parte sua hoc ipsum & alias rationes quas vellet, ajebat ipse Rex: Vos estis Vicarii Apostolici, ego Rex Armeniæ. Pono in vobis, Domini S. & P. Cardinales, negotium nepotis mei & (90) sororis meæ; & petimus à vobis & habere volumus talem justitiam & consequi qualem Dominus Papa nobis faceret si essemus in præsentia ejus pro vidua & orphano sub protectione Apostolica constitutis. Videtis vim, violentiam & injustitiam quam Comes affert nepoti nostro orphano & sorori nostræ ejus matri viduæ. Sitis securi de Antiochia, & plenam ejus suscipientes potestatem habeatis, ut cuicunque partium adjudicaveritis, firmum permaneat & illibatum. Cui cùm respondissem quòd ad nostrum pertineret officium super hoc providere, sed procederet, si placeret, in causa, & nos parati essemus etiam compellere partem alteram ad sistendum judicio, super facto ipso non processit, cùm tamen ego exposuerim & continuò exponerem nos paratos ad justitiam exhibendam. Hoc etiam obtuli Antiochenis, si aliquam vellent proponere querelam. Et tandem habitis cum utrisque infinitis contentionibus & verbis, quæ longum esset enarrare, de consilio Patriarchæ, Archiepiscopi (91) Borsensis, Episcoporum, Capituli, & Abbatum Antiochenæ Ecclesiæ, necnon Domini Cremonensis, & aliorum qui mecum aderant, utrique parti ex parte Dei omnipotentis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & totius Christianitatis & nostra, scilicet Legatorum qui eramus in terra, firmiter inhibui ne aliquo modo aliqua partium contra aliam guerram moveret ex quo defectum justitiæ non inveniebant, & nos parati eramus ad utrisque justitiam exhibendam, & guerra ipsa in totius Christianitatis & maximè orientalis terræ dispendium proveniret. Dum verò reversus esset Accon Dominus Cardinalis, institit nobis Comitissa Flandriæ, quæ advenerat, & alii peregrini, ut iterum non cessaremus laborare pro jam dicta pace. Deliberatum est postmodum per nos. Hierosolymitanum Regem, Templarios, Hospitalarios, & nobiles qui aderant peregrinos, ut per nuntios & literas nostras tam ipsi quàm nos convenire deberemus atque citare supradictos omnes ut absque ulla conditione se committerent judicio nostro, postulassent securitates, obsides & tenimenta præstare in manus nostras pro recipiendo & observando judicio nostro, & quæcunque partium hoc non faceret, nos eam persequeremur tamquam inimicam Christianitatis & spiritualiter & temporaliter. Misimus proinde cum literis nostris, nos, Rex Hierusalem, atque Barones peregrini venerabilem Cremonensem Episcopum, qui partes præsentatis literis nostris moneret ad ea quæ scripsimus facienda, & quicunque hæc non faceret, ipse sententiam excommunicationis ex parte nostra promulgaret in eum. Accessit itaque ad eos, & singulis

(90) *Cod. reg. & Pod.* nepti. *Sic etiam paulò post.*

(91) *Cod. reg.* Thorsensis. *Forte*, Tharsensis.

gulis requisitis, ut prædixi, Rex Armeniæ obtulit pro reverentia vestra (92) & nostra treugas quadraginta dierum, quæ ab altera parte non fuerunt receptæ: immo cùm nuntius qui ad nos venturus erat ex parte ipsius Regis pro faciendo mandato nostro, postulasset securitatem, quia per partes inimicorum oportebat eum transire, denegatum sibi fuit omnino. Ipse tamen, sicut Dominus voluit, illæsus ad nos usque pervenit cum plenitudine mandati quod acceperat à domino suo. Continebatur quippe in literis Regis quòd quicquid nuntius ipse faceret, Rex firmum haberet, & tamquam à se factum firmiter observaret. Sicque de facto Templariorum, pro quo Rex excommunicatus fuerat & terra ejus interdicto subjecta, juravit stare mandato nostro, sicut moris est, super animam suam & Regis, & mandatum quod nos justè fecimus ipse humiliter suscepit. Tandem de facto Antiochiæ obtulit se facturum idem nuntius tantum pro Rege quod nos reputaremus satis esse. Et quia Comes Tripolitanus neque venit neque misit, sed nec etiam scripserat aliquid quod pondus, ut dicebatur haberet, postulavit à nobis excommunicari Comitem, inhiberi sibi Christianorum & maximè Templariorum & peregrinorum auxilium, qui hactenus auxilium præstiterant & favorem longè aliter quàm deceret & quàm contineret statum vestrum cum multa deliberatione factum, quod utique non esset provocare Regem ad obedientiam Romanæ Sedis, sed procul repellere ultro se offerentem. Ad convincendam quoque duritiam & contumaciam Comitis allegabat idem nuntius quòd cùm venisset Episcopus Tripolitanus. & ex majori parte Canonici tepidi nimiùm & remissi, & Notarius ejusdem Comitis ad præsentiam nostram, nulla ratione excusationem haberet, sed neque excusationis colorem super eo quòd mandatis nostris non paruerat. Nos autem respondebamus quòd difficultas hęc non proveniebat nisi ex quodam casu inopinato, scilicet quia eramus in procinctu recedendi de terra & eundi Constantinopolim pro consilio & auxilio peregrinis qui ibi pro Christianitatis servitio laborant. Cui excusationi dum ego pro honestate Romanæ Ecclesiæ incumbo in publico, tandem ego Soffredus advocatis seorsum Domino Cardinali, Cæsariensi Archiepiscopo, Episcopo Cremonensi, & Acconensi electo, firmiter proposui eis quòd ego coram Deo & eis de hoc facto excusatus esse volebam. & videbatur mihi pro certo quòd instantia prædicti nuntii justa esset & admittenda, & ego paratus eram, si placeret Domino Cardinali, quod petebatur efficere, pro eo quòd sic fuerat communi deliberatione nostra, Hierusalem Regis, Templariorum, Hospitalariorum, Baronum, peregrinorum qui Accone aderant, irrevocabiliter statutum atque firmatum, nec decebat taliter & sic solenniter statutum pro utilitate Christianitatis inefficax esse & illusorium.

CXX. Quia verò Legati de partibus illis recesserunt Constantinopolim accedentes, Dominus Papa causam commisit de Lucedio, de Monte Thabor Abbatibus, & nobilibus viris Comiti Bercoboch & G. de Furnivale, hoc modo.

Etsi semper inter eos odium sit mortale qui tenentur amare proximos ut seipsos, & inimicos etiam diligere propter Deum, hoc tamen tempore discordia inter nominis Christiani cultores, constitutos præsertim in partibus transmarinis, non solùm ipsis, sed Ecclesiæ generali tanto ampliùs est damnosa quanto per eam negotium Terræ Sanctæ potiùs impeditur. Usque adeo enim inimici nominis Christiani, qui nunc peccatis exigentibus detinent & coinquinant Templum Dei, urbes & castra quæ se de Christianorum manibus extorsisse in gladio gloriantur, viris & viribus munierunt quòd sufficeret dispersionis nostræ Reliquiis, etiamsi conjugatis manibus, uno animo & pari desiderio ferrentur in hostes, si possent crucis injuriam aliquatenus vindicare, ac hæreditatem Christi liberare de manibus Paganorum. Verùm ipsi hoc minùs quàm deceat attendentes, quasi neglecta prorsùs injuria crucifixi, proprias injurias persequuntur, & voluntati communi voluntates privatas in totius Christianitatis dispendium anteponunt; sicque se odio prosequuntur iniquo, & sic ab invicem sunt divisi, ut propter eorum discordias Terræ Sanctæ verbum sit Evangelicum non modicùm formidandum, quo dicitur: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet*. Ecce enim occasione discordiæ quæ inter carissimum in Christo filium nostrum Leonem Regem Armenorum Illustrem nomine sororis suæ viduæ, & nepotis orphani ex una parte ac nobilem virum Comitem Tripolitanum ex altera super Principatu Antiochiæ vertitur, impeditur quasi penitùs Terræ Sanctæ profectus, cùm ipsi pugnantes adinvicem hostes crucis nequeant impugnare, aliisque facientibus sibi cum partibus portionem, & quæstionem illorum reputantibus causam suam, reliqui laborant incassum, ut inter discordes, concordiam reformare. Nos autem jampridem his malis obviare volentes, causam hanc dilectis filiis Soffredo Tituli Sanctæ Praxedis, & Petro Tituli Sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus Apostolicę Sedis Legatis commisimus terminandam. Sed ipsi licèt nec labores propter hoc vitaverint nec expensas, immo utræque personæ & ambo diutiùs laborassent, in nullo tamen apud partes, quia non datum fuerat desuper, profecerunt. Nuper ergo idem Rex per suas nobis literas intimavit, quòd per Legatos nostros non potuerat justitiam obtinere, licèt eam sæpius postularit, & semper paratus fuerit stare juri. Unde cùm ipse mandatis Legatorum ipsorum, qui eum pro multo minori negotio excommunicaverant & interdixerant terram ejus, tandem humiliter paruisset, postulabat ne repelleremus ipsum pulsantem ad Apostolicæ Sedis januam & justitiam postulantem, cùm simus omnibus in justitia debitores. Nos igitur attendentes quòd apud nos esse non debeat acceptio personarum, & quòd inter virum & virum facere justitiam teneamur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus atque pręcipimus quatenus partem convenientes utramque, diligenter commonere curetis ut vel inter se super eodem Principatu conveniant, vel in arbitros compromittant, qui usque ad tres menses post commonitionem vestram debeant arbitrari. Alioquin vos ex tunc, partibus convocatis, audiatis utrinque proposita, & causam ipsam sublato appellationis obstaculo, si partes consenserint, terminetis. Alioquin remittatis nobis causam sufficienter instructam, partibus terminum præfigentes quo per responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Verùm ne judicio simul experiantur & bello, partes ad treugas interim conservandas auctoritate Apostolica compellatis. Quòd si alterutra partium se exhibuerit contumacem, in eam spiritualiter & temporaliter per vos & omnes Christianos, qui in partibus illis existunt quanto districtiùs poteritis procedentes, inhibeatis tam carissimo in Christo filio nostro Regi Hierosolymorum Illustri, quàm Hospitalariis & omnibus communiter Christianis ne parti contumaci auxilium vel favorem impendant, sed subtrahant

(92) Heic definit codex regius.

trahant potiùs, & parti quæ parata fuerit stare juri viriliter & potenter assistant. Quòd si non omnes &c. tres vel duo saltem, quorum unus sit Laicus, alter Clericus, mandatum Apostolicum exequantur. Veruntamen volumus, & mandamus ut si quis interim in Patriarchatu Hierosolymitano fuerit institutus, his vobiscum exequendis intersit.

CXXI. Anno septimo Pontificatus Domini Innocentii Papæ III. mense Novembri Petrus Rex Aragonum ad Apostolicam Sedem accessit ut ab eodem Domino Papa militare cingulum, & regium acciperet diadema. Venit autem per Mare cum quinque Galeis, & applicuit apud Insulam inter Portum & Hostiam, adducens secum Arelatensem Archiepiscopum, Præpositum Magalonensem, cum quibus interfuit electus Montis maioris, & alii quidam Clerici nobiles & prudentes. Proceres quoque secum adduxit Sancium patruum suum, Hugonem de Baucio, Rocelinum de Marsilia, Arnaldum de Fotiano, & alios multos nobiles & potentes. Missis autem ad illum equitaturis & sommariis penè ducentis, fecit eum apud Sanctum Petrum ad præsentiam suam idem Dominus Papa venire, mittens in occursum ipsius quosdam Cardinales, Senatorem urbis, & alios multos nobiles & magnates; fecitque illum apud Sanctum Petrum in domo Canonicorum honorabiliter hospitari. Tertio verò die, in Festo videlicet Sancti Martini, præfatus Dominus Papa cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, Primicerio, & Cantoribus, Senatore, Justitiariis, Judicibus, Advocatis, & Scriniariis, multisque nobilibus ac populo copioso, ad Monasterium Sancti Pancratii Martyris prope Trans-Tyberim est profectus; ibique præfatum Regem per manus Petri Portuensis Episcopi fecit inungi, quem postmodum ipse manu propria coronavit, largiens ei regalia insignia universa, mantum videlicet, & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram, corporale ab eo recipiens juramentum, cujus tenor est talis.

Ego Petrus Rex Aragonum profiteor, & polliceor quòd semper ero fidelis, & obediens Domino meo Papæ Innocentio ejusque Catholicis successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, regnumque meum in ipsius obedientia fideliter conservabo, defendens fidem Catholicam, & persequens hæreticam pravitatem. Libertatem & immunitatem Ecclesiarum custodiam, & earum jura defendam. In omni terra meæ potestati subjecta pacem, & justitiam servare studebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

CXXII. Deinde præfatus Rex cum multo laudis præconio & favoris applausu coronatus rediit juxta Dominum Papam ad Basilicam Sancti Petri; super cujus Altare sceptrum, & diadema deposuit, & de manu ejusdem Domini Papæ militarem ensem accepit, regnumque suum Beato Petro Apostolorum Principi obtulit, illudque sibi constituit censuale per Privilegii paginam, quam eidem Papæ tradidit super ipsum Altare, cujus tenor est talis.

Cùm corde credam, & ore confitear quòd Romanus Pontifex, qui est Beati Petri successor, Vicarius sit illius per quem Reges regnant, & Principes principantur, qui dominatur in Regno hominum, & cui voluerit dabit, ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barcinonæ & Dominus Montispessulani, cupiens principali post Deum Beati Petri, & Apostolicæ Sedis protectione muniri, tibi, Reverendissime Pater & Domine Summe Pontifex Innocenti, & per te Sacrosanctæ (93) Romanæ Ecclesiæ offero Regnum meum, illudque tibi, & successoribus tuis in perpetuum Divini amoris intuitu, & pro remedio animæ meæ, & progenitorum nostrorum constituo censuale, ut annuatim de camera Regis ducentæ quinquaginta (94) massenutinæ Apostolicæ Sedi reddantur, & ego ac successores mei specialiter ei fideles, & obnoxii teneamur. Hoc autem lege perpetua servandum fore decerno, quia spero firmiter, & confido quòd tu, & successores tui me ac successores meos, & Regnum prædictum auctoritate Apostolica defendetis; præsertim cùm ex multo devotionis affectu me ad Sedem Apostolicam accedentem tuis quasi Beati Petri manibus in Regem duxeris solemniter coronandum. Ut autem hæc regalis concessio inviolabilem obtineat firmitatem, de consilio procerum curiæ meæ, præsente venerabili patre meo Arelatensi Archiepiscopo, & Sancio patruo meo, & Hugone de Baucio, & Arnaldo de Fotiano Baronibus meis, sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quarto, tertio Idus Novembris, Anno regni mei octavo.

CXXIII. His omnibus rite peractis, fecit eum Dominus Papa per urbem ad Ecclesiam Sancti Pauli deduci; ubi Galeas inveniens præparatas intravit, & Apostolica benedictione munitus ad propria meruit cum prosperitate redire. Super coronationem verò Regum & Reginarum Aragoniæ in posterum faciendam tale sibi Privilegium Dominus Papa concessit.

Cum quanta gloria & honore, tripudio & applausu Regium Regni Romæ de manu nostra in Monasterio Beati Pancratii susceperis diadema, postquam per venerabilem fratrem nostrum Petrum Portuensem Episcopum in Regem fecimus te inungi, tua sublimitas non ignorat. Ut autem dilectionis nostræ affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis evidentiùs monstraremus, regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram ad opus tuum, non minùs pretiosa, quàm speciosa, fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donavimus in signum gratiæ specialis. Tu verò, tamquam devotus Princeps & Catholicus Rex, super Altare Beati Petri Apostolorum Principis Regnum tuum nobis, & per nos Apostolicæ Sedi cum multo devotionis affectu per Privilegii paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale, firmiter promittendo quòd juramentum fidelitatis, & obedientiæ in coronatione tua nobis exhibitum inviolabiliter observabis, & ad illud exhibendum & observandum successores tuos obligari volebas. Nos igitur gratiam tibi à nobis exhibitam ad successores tuos derivari volentes, præsentium auctoritate concedimus ut cùm ipsi decreverint coronari, coronam à Sede Apostolica requirentes, de speciali mandato per Tarraconensem Archiepiscopum apud Cæsaraugustam solemniter coronentur, præstita super prædictis idonea cautione. Et quoniam jure civili statutum est ut mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentium auctoritate concedimus ut per manus ejusdem Archiepiscopi eas liceat coronari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. (Datum Ferentini XV. Kal. Julii, anno nono.)

CXXIV. Anno decimo, celebrato Festo Ascensionis, Dominus Papa Urbem exivit, & venit Viterbium, receptus à Viterbiensibus cum ingenti gaudio, gloria, & honore. Statim autem cœpit videre ad eliminandam Patarenorum spurcitiam, qua Viterbiensis civitas erat vehementer infecta; ne Ecclesiæ Romanæ (95) exprobraretur, quòd in oculis suis, & in patrimonio quoque suo sustineret hæreticam pravitatem, nec liberam frontem habebat super hoc alios arguendi dicentes: *Medice cura teipsum. Ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc ejicies festucam de oculo fratris tui.* Patareni verò, cognito ejus adventu, omnes omnino fugerunt. Sed ipse convocatis Episcopo, & Clero civitatis

(93) Apud Raynald. *Apostolicæ Sedi off.*

(94) *Cod. Pod. & apud Raynald.* massemutinæ.

(95) *Cod. Pod.* improperaretur.

Digitized by Google

tatis ejusdem, fecit diligenter inquiri, ac studiosè describi omnes receptatores, fautores, defensores, & credentes eorum; ac demum per Potestatem & Consules fecit universos astringi, præstita juratoria, fidejussoria, & pignoratoria cautione quòd suis per omnia passionibus obedirent. In primis ergo fecit domos in quibus Patareni fuerant recepti funditus demoliri; ac deinde clero, & populo generaliter congregato statutum hujusmodi solemniter promulgavit.

Ad eliminandam omnino de Patrimonio Beati Petri hæreticorum spurcitiam, servanda in perpetuum lege sancimus ut quicunque hæreticus, & maximè Patarenus, in eo fuerit inventus, protinus capiatur, & tradatur sæculari curiæ puniendus secundùm legitimas sanctiones. Bona verò ipsius omnia publicentur; ita ut de ipsis unam partem percipiat qui cœperit illum alteram curia quæ ipsum punierit, tertia verò deputetur ad constructionem murorum illius terræ ubi fuerit interceptus. Domus autem in qua hæreticus fuerit receptatus, funditus destruatur, nec quisquam eam reædificare præsumat; sed fiat sordidum receptaculum, quæ fuit latibulum perfidorum. Credentes prꝫterea, & defensores ac fautores eorum quarta bonorum suorum parte multentur, quę ad usum Reipublicæ deputetur. Quòd si vel hoc modo puniti in similem fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitùs expellantur; nec unquam revertantur ad illa nisi de mandato Summi Pontificis, digna satisfactione præmissa. Proclamationes autem aut appellationes hujusmodi personarum minimè audiantur, nec quisquam eis in qualibet causa respondere cogatur, sed ipsi cogantur aliis responde re. Judices autem, Advocati, & Notarii, nulli eorum suum impendant officium. Alioquin eodem officio perpetuo fiat privati. Clerici verò non exhibeant hujusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eleemosynas, nec oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarii ac Templarii & quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio. ad quod numquam restituantur absque (96) consensu Sedis Apostolicæ speciali. Quicunque præterea tales, videlicet credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam anathematis gladio feriantur. Nullus talium admittatur ad testimonium, vel ad aliquod publicū officium, vel cōmune consilium assumatur; & qui (97) taliter egerit, tamquam hæreticorum fautor prædicta pœna multetur. Statutum istud in capitulari scribatur, ad quod annuatim jurent Potestates, Consules, seu Rectores, nec unquam removeatur ex illo; jurent ipsum statutum se firmiter servaturos. Et quicunque contempserit aut neglexerit illud servare, depositus à regimine centum librarum pœnam incurrat, solvendam cuicunque Summus Pontifex jusserit assignari. Nulli ergo &c. Datum Viterbii nono Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno decimo.

CXXV. Tunc etiam ad suam præsentiam convocavit Episcopos & Abbates, Comites & Barones. Potestates & Consules civitatum de Tuscia, Ducatu, & Marchia usque Romam ad jurisdictionem Sedis Apostolicæ pertinentes; & solemni cur a congregata, primo die jura Ecclesiæ Romanæ proposuit, & omnino ab universis laicis juramenta recipiens, quòd ejus dominationi parerent, secundo die querelas & petitiones universorum audivit. Tertio die pro justitia & pace servanda statuta hujusmodi promulgavit, quæ servari præcepit sub debito præstiti juramenti.

A Cùm ex officii nostri debito teneamur tam Clericis, quàm Laicis paterna solicitudine providere, ne contingat istos aut illos injuriam perpeti vel injuriam perpetrare, constitutiones iniquas, præsertim contra Leges, & Canones, à Laicis promulgatas aut etiam promulgandas adversùs Ecclesiam seu viros Ecclesiasticos, non solùm spirituali sed etiam temporali auctoritate damnamus pœnitùs & cassamus, sub debito fidelitatis, & interminatione anathematis inhibentes ne constitutiones hujusmodi nequiter observare præsumant. Nos enim quicquid earum occasione contra Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas fuerit attentatum, decernimus irritum & inane; non obstante aliquo juramento, quod super earum observatione præstitum esse dicatur, cùm illud tamquam illicitum non debeat observari. Judicibus autem & Tabellionibus inhibemus ne secundùm hujusmodi constitutiones damnatas suum præsumant officium exercere, si officii sui cupiunt periculum evitare. Datum Viterbii nono Kalendas Octobris, anno decimo.

CXXVI. Cùm juratum sit à Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus, pacem & justitiam & securitatem strictè ad mandatum nostrum servare, universitati vestræ mandamus quatenus veram pacem servantes, nequaquam vos invicem offendatis, neque communitas communitatem, neque persona personam, neque persona communitatem, neque communitas offendat personam; exceptis raptoribus & prædonibus, & exceptis bannitis & diffidatis; ad quos puniendos Rectori Apostolici patrimonii, quotiens requisiti fueritis, impendatis auxilium opportunum. Si verò quisquam offenderit, non statim reoffendatur; sed moneatur priùs ut emendet offensam. Et si super emendatione orta fuerit contradictio, nisi per alium sedari po uerit, ad arbitrium Rectoris Apostolici patrimonii referatur. Alioquin diffidatus ab eo tamquam hostis publicus impugnetur. Cùm autem orta fuerit inter aliquos controversia, per concordiam vel judicium terminetur; sitque judicium penes eum cui competit jurisdictio, salvis semper appellationibus ad nos vel Rectores Apostolici patrimonii legitimè factis aut etiam faciendis. Si verò quisquam infra Beati Petri patrimonium constitutus modum istum servare contempserit, ab omnibus secundùm mandatum Rectoris Apostolici patrimonii arceatur. Si quis autem auctoritate sua prædam acceperit, vel accipere fecerit, seu aliquis furatus fuerit, vel furari fecerit, prędam & furtum tam ipse quàm ille qui scienter emerit cum pœna duplici restituat. Qui verò furtum vel hujusmodi prædam emerit ignoranter, ea restituat absolutè, nulla recompensatione sibi præstita vel præstanda, sed emptor adversùs venditorem suam habeat actionem. Hæc omnia injungimus sub debito præstiti juramenti Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus observanda; ut & ipsi ea fideliter servent, & per districtus suos faciant ab aliis observari. Salvo semper in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Datum ut suprà.

CXXVII. Cùm autem monasterium Sancti Martini de Monte ad exterminationem devenisset extremam, ita ut vix in eo tres Monachi remansissent, possessionibus ejus omnino distractis, vel sub gravi fœnore pignoratis, idem Pontifex ad reformationem ipsius clementer intendens, pro redimendis possessionibus mille libras exsolvit; scripsitque Abbati & conventui Pontiniacensis cœnobii, quod est unum de quatuor primis præcipuis Cisterciensis ordinis monasteriis, ut ipsam Ecclesiam Sancti

(96) *In regesto*, indulto.

(97) *In regesto*, talem elegerit.

Digitized by Google

Sancti Martini reciperent in filiam specialem, & ad ipsam dirigerent Abbatem & conventum de monachis & conversis, quod ipsi libenti animo perfecerunt. Cùm ergo venissent, Dominus Papa benedixit Abbatem, & ut in eodem loco religio pullularet, concessit & donavit eidem Ecclesiam Sancti Salvatoris quæ sita est juxta Orele cum omnibus rationibus & possessionibus suis, longè quidem majoribus ac etiam melioribus quàm ceteræ possessiones illius, adjuvans fratres in necessariis ad excolenda prædia & ædificia construenda, magnificè privilegians locum ipsum.

CXXVIII. Interea venit ad ipsum relatio ex parte Lundensis Archiepiscopi, quem Legatum direxerat ad convertendos paganos, quòd tota Livonia erat ad fidem Christi conversa, nullusque in ipsa remanserat qui non recepisset sacramentum baptismatis, vicinis gentibus ad hoc ipsum ex magna parte paratis.

Cùm autem inter cives Tudertinos, majores videlicet & minores, orta fuisset magna dissensio, ita quòd nobiliores civitatem egressi populum impugnabant, ex qua dissensione multa pericula jam provenerant, videlicet incendia, homicidia, prædæ, rapinæ, cædes hominum, mutilationes membrorum, vastationes segetum, destructiones domorum, & multis sæpius mediantibus nunquam pervenire potuissent ad pacem, Dominus Papa utrisque vocatis, & receptis ab eis corporaliter juramentis quòd suo starent mandato, veram pacem inter illos composuit & firmavit; cujus formam per publicam manum redegit in scriptis, & servandam in posterum perpetua lege sancivit.

Eodem tempore discussit & diffinivit causam quæ vertebatur inter Archiepiscopum Ravennatem & Commune Faventiæ super castro Luci Areoli & Sancti Potiti, adjudicans restitutionem eorum Ecclesiæ Ravennati. Porro idem Archiepiscopus tanta penuria laborabat quòd etiam indumenta pontificalia non habebat: cujus Dominus Papa misertus, contulit ei planetam, tunicam, & dalmaticam de optimo examito rubeo, aurifrigiis & granatibus decenter ornatas, amictum, albam, cingulum, atque stolas.

Volens autem idem Pontifex patrimonium apostolicæ Sedis in illis partibus constitutum corporali præsentia visitare, accessit ad Montem Flasconem, ubi per duodecim dies moram fecit continuam, recipiens ibi ad ligiam fidelitatem Aldebrandinum Comitem Palatinum. Postea ivit Tuscanam, & per octo dies in ipsa civitate moratus accessit Cornetum; ubi apud Sanctum Nicolaum novum sibi fecerat ædificari palatium, requirens pariter & recipiens jura quæ fuerant à quibusdam invasa. Inde per Rovertellum profectus est Sutrium; ubi tribus diebus moratus. Cathedralem Ecclesiam solemniter dedicavit; & sic ad urbem finaliter est reversus.

CXXIX. Hic per Gregorium Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, quem Legatum in Ungaria destinavit, reformavit pacem inter Ainricum Regem & Andream fratrem ejus Ducem, quorum guerra totum penè Regnum Ungariæ devastabat.

Hic per Martinum Camaldulensem Priorem, virum providum & honestum, inter Mediolanenses & Papienses pacis fœdera reformavit, per sex menses ad hoc studiosissimè laborans: quorum antiqua discordia inter civitates Lombardiæ, quæ hinc inde diviserant se in partes, dissensionis seminarium pariebat, ex qua multotiens magna provenerant & dispendia & pericula personarum.

CXXX. Hic ad reformandam pacem vel componendum treugam inter Philippum Regem Francorum & Johannem Regem Anglorum Abbatem Casemarii destinavit: qui cùm ad hoc per annum integrum laborasset de Francia ad Angliam & de Anglia ad Franciam discurrendo, videns tandem se non posse proficere, convocavit Archiepiscoporum & Episcoporum & Abbatum Concilium apud civitatem Meldensem, in quo præfatus Rex Franciæ per eosdem Archiepiscopos, Episcopos & Abbates fecit ab eo ad Sedem Apostolicam appellari. Quorum appellationi noluit ipse deferre nisi jurassent quòd in termino quem eis præfigeret appellationem ipsam in propriis prosequerentur personis. Sed Summus Pontifex ab hujusmodi juramento illos absolvit, indulgens eis de speciali gratia ut aliquot ex parte omniũ ad prosequendũ appellationẽ venirent. Venerunt igitur in termino constituto Senonensis & Bituricensis Archiepiscopi, Parisiensis, Meldensis, Cathalaunensis & Nivernensis Episcopi, & multi honorabiles Clerici procuratores omnium aliorum. Quibus diutiùs expectantibus prænominatus Rex Angliæ pro se neminem destinavit, negligens prosequi causam suam. Ex qua negligentia quantum ei damnum provenerit satis patet, cùm in brevi tempore totam Normanniam & Andegaviam & Aquitaniam ipsam perdiderit penè totam. Prædicti verò Archiepiscopi & Episcopi post expectationem diutinam in publico consistorio sub verbo veritatis tamquam Pontifices sunt professi quòd ipsi non appellaverant ad mandatum Apostolicum eludendum, sed quia sua interesse credebant, maximè cùm crederent in hac parte suum Regem justam causam habere; sed si nec istud sufficeret, & in aliquo essent Domino Papæ suspecti, purgationem canonicam offerebant; quam eis Dominus Papa remisit.

CXXXI. Hic ad reformationem & correctionem excessuum vigilanter intendens, visitatores prudentes per diversas provincias delegabat, per quos faciebat diligenter inquiri de statu & conversatione, non solùm Ecclesiarum, sed etiam Prælatorum; & quos inveniebat culpabiles, à suis prælationibus protinus removebat, nolens crimina relinquere impunita. Quot enim Prælatos à suis dignitatibus deposuerit enarrare quis posset? Ipse namque, ut de multis aliquos exprimamus, deposuit in Teutonia Coloniensem Archiepiscopum, Episcopum Wormaciensem, Archiepiscopum Maguntinum intrusum, Hildesemensem & Herbipolensem Episcopum Imperialis aulæ Cancellarium, Guircensem Episcopum Vicarium Salseburgensis Archiepiscopi, & Episcopum Nurembergensem. In Lombardia induxit vel coëgit ad cessionem Mediolanensem Archiepiscopum, Astensem & Iporiensem Episcopos & multos Abbates. In Provincia verò dejecit (98) Tolosanum, Biterrensem, Vinciensem, & Vivariẽsem Episcopos, & alios multos Præsules & Abbates. In Regno Franciæ destituit Lingonensẽ Episcopũ, & Abbates de Viziliaco, de Burgolio, de Cultura, & de (99) Carasca. In Regno Siciliæ Trojanum Episcopum & Archiepiscopum Panormitanum assumptũ.

CXXXII. Licèt Beatus Thomas Archiepiscopus animam suam pro Ecclesiastica posuerit libertate, nulla tamen utilitas quoad hoc in sanguine ejus erat, quoniam Anglicana Ecclesia per Principum insolentiam in profundo servitutis ancillata jacebat, ita ut Apostolicum quoque mandatum in Anglia jam quasi precarium haberetur, & electiones Prælatorum nusquam liberè fierent, ut de cæteris abusionibus taceatur. Contigit autem ut defuncto Huberto Cantuariensi Archiepiscopo controversia oriretur de jure ac potestate eligendi Archie-

(98) *Vide cap.* Per inquisitionem. *De electione.*

(99) *Cod. Ped.* Tarasca.

Digitized by Google

chiepiscopum inter suffraganeos & monachos Cantuariensis metropolis, illis asserentibus quòd consueverant & debebant interesse cum monachis ad eligendum Archiepiscopum, istis è contrario affirmantibus quòd Metropolitani electio ad suffraganeos minimè pertinebat. Rex verò favebat suffraganeis contra monachos, suum nihilominus fovere nitens abusum. Cùmque propter timorem ipsius monachi non auderent liberam electionem publicè celebrare, Subpriorem suum sub simulatione quadam occultè in Capitulo elegerunt, & ad ipsius Regis instantiam, cui resistere non audebant, in publico elegerunt Episcopum Norvicensem; quem & ob Regis gratiam suffraganei elegerunt. Utraque igitur quæstione ad Apostolicæ Sedis examen ab utroque perlata, & ea quæ de jure eligendi Archiepiscopum inter suffraganeos & monachos vertebatur, & illa quæ super electione Subprioris ex parte una & electione Norvicensis Episcopi agebatur ex altera, in quo monachorum conventus videbatur esse divisus, quibusdam adhęrentibus Subpriori, aliis autem Episcopo Norvicensi, cui etiam Rex & suffraganei omnino favebant, postquam productis testibus & exhibitis instrumentis sufficienter actum est de utraque, Dominus Papa via regia prudenter incedens, non declinando ad dexteram vel sinistram, jus & potestatem eligendi Archiepiscopum adjudicavit conventui monachorum, perpetuum imponens silentium suffraganeis in hac causa. Utramque autem electionem justitia exigente cassavit, munera omnino detestans, de quibus dicebatur quòd plusquam undecim millia marcharum propter hanc causam parati fuerant elargiri. Ne verò si monachi ad celebrandum electionem remitterentur in Angliam, novissimus error fieret pejor priore, præcavens Summus Pontifex huic malo, mandaverat conventui Monachorum ut potestatem eligendi Archiepiscopum committerent quindecim ex fratribus suis ad Apostolicam Sedem destinandis, si fortè contingeret utramque illarum electionum de jure cassari, hoc idem insinuans ipsi Regi. Cùm igitur monachi paruissent Apostolicæ jussioni, Dominus Papa post cassationem prædictarum electionum injunxit quindecim monachis ut in præsentia sua electionem canonicam de persona celebrarent, & examinatis voluntatibus singulorum, inventi sunt plures in magistrum Stephanum de Languetone Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Grisogoni convenire, virum utique vita, scientia, & fama præclarum, de Anglia oriundum, quem Dominus Papa eodem anno de cathedra magistrali, quam regebat Parisius, assumpserat in Presbyterum Cardinalem; in quem tandem omnes monachi pariter consenserunt, nuntiis Regis hoc molestè ferentibus & multis modis laborantibus impedire. Quod cùm per eos ad Regis notitiā pervenisset, Rex in tantam indignationem exarsit, licèt ei Dominus Papa scribens postulasset exhortans ut suum impenderet huic facto favorem, ut nuntiis ad ipsum remissis non dubitaverit ei mandare per literas quòd id nullatenus pateretur. Porrò Dominus Papa, sicut erat fortis & constans, præfatum electum propriis manibus consecravit, & palleo sibi dato, transmisit illum ad gerendam solicitudinem pastoralem, districtè præcipiens suffraganeis universis ut nisi Rex diligenter cōmonitus acquiesceret, totum Regnum Angliæ subicerent interdicto Ecclesiastico. Quod sicut mandavit denique factum est, Deo mirabiliter operante ut per totum regnum Angliæ simul ac semel curreret interdictum; quod tam districtè servabatur ubique ut præter pœnitentiam morientium & baptisma parvulorum nusquam celebraretur divinum officium aut exhiberetur Ecclesiasticum sacramentum; ita quòd non solùm Clericorum & monachorum aut quorumlibet regularium, sed etiam Episcoporum cadavera servarentur extra cimiterium inhumata. Quod demum Rex propter generalem clamorem sustinere non prævalens, satisfactionem obtulit per nuntios & literas suas; quam Archiepiscopo in Flandria expectanti denuntiavit hoc modo.

CXXXIII. Carissimus in Christo filius noster Johannes Rex Anglorum illustris nuper nobis per dilectum filium Abbatem Belliloci literas hujusmodi destinavit, ut quæ nobis ex parte sua proponeret crederemus. Ipse verò proposuit quòd licèt se in negotio Cantuariensis Ecclesiæ reputaret multùm aggravatum, ob devotionem tamen & reverentiam quam erga Romanam Ecclesiam nostramque personam asserit se habere, paratus est sicut Cantuariensem Archiepiscopum te recipere ac tractare, præstita securitate tam tibi quàm tuis quæ ad hoc visa fuerit opportuna, restitutionem plenariam ablatorum promittens personis pariter & Ecclesiis faciendam; monachos quoque Cantuarienses permittet ad Ecclesiam suam redire ac manere securos: quamquam hoc sibi grave periculum videatur, ex eo quòd in ipso negotio contra se credit eosdem proditionem machinatos. Regalia verò in manu nostra posuit per eundem Abbatem, ut nos ea pro nostro beneplacito conferamus. Interrogatus autem cur non idem ipsa conferret, sed potiùs nobis traderet conferenda, respondit quòd nondum animus ejus potuerat inclinari ut familiarem tibi gratiam exhiberet. Nos igitur his auditis, de consilio fratrum nostrorum hoc modo circa præfata regalia duximus procedendum, ut & reciperemus ea sine præjudicio juris tam Ecclesiastici quàm regalis, & tibi etiam tribui mandaremus, ita quòd tu pro eis quemadmodum tui prædecessores suis progenitoribus tenearis. Unde venerabilibus fratribus nostris Londoniensi, Eliensi, & Wigorniensi Episcopis per nostras damus literas in mandatis ut proviso prudenter ne quid deceptionis contra libertatem Ecclesiasticam interveniat, prælibata regalia præscripto modo recipiant, tibique conferant vice nostra, si forsan idem Rex, cui super hoc affectuosissimè scribimus, induci nequiverit ut ipse ea conferat tibi, & his quæ superiùs sunt expressa rite peractis, sententiam interdicti relaxent, faciendo te, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci. Monemus ergo fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus tuam ponens principaliter spem in Domino, circa præfatum Regem talem te satagas exhibere quòd ad profectum Ecclesiæ tibi commissæ meliùs promovendum familiaritatis Regiæ possis tibi comparare favorem. Speramus enim in eo in cujus manu cor Regis existit, & quò voluerit vertet illud, quòd sicut in hoc negotio consilium ejus in parte dirigere jam incepit, ita ipsum finali quoque prosequetur effectu, ut ad curam suscepti regiminis efficaciter exequendam tibi non solùm impedimentum non inferat; sed adjumentum impendat. Datum &c.

CXXXIV. Quia verò virtutis aurum in persecutionis fornace probatur, volens Deus præfati Præsulis patientiam inter adversa probari, eum quasi signum exposuit ad sagittas, permittens ipsum à suis civibus multis tentationibus exerceri; sed, sicut in psalmo legitur, sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & pro nihilo habentur contra eum linguæ ipsorum. Cùm enim Romanum populum ad vassallagium recepisset, quidam qui ex discordia quam seminare solebant inter Sūmum Pontificem & Romanum populum suos quęstus augebant, intelligentes quòd non poterant in aqua clara piscari, cœperunt aquam turbare, ut in ea

Digitized by Google

ea meliùs piscarentur. Inter quos principales, & præcipui extiterunt Johannes Petri Leonis Rainerii, & Johannes Capotius, qui ex facundia sua multum obtinuerat in plebem favorem. Hi ergo hanc primam turbandi materiam invenerunt, dicentes in populo quòd Dominus Papa spoliaverat urbem omnibus tenimentis, sicut auceps deplumat avem omnibus pennis, pro eo quòd ipse Sabinam & maritimam ad manum Ecclesiæ revocaverat, & recuperaverat urbis Senatum. Sed cùm hoc modo minimè profecissent, occasionem aliquam confinxerunt, asserentes quòd ipse Senatum non faciebat communem, sed eum in Senatorem eligi faciebat qui suis propitius & aliis esset infestus. Quamvis autem multifariè multisque modis populum subvertere niterentur, & sæpe scandala suscitassent, non tamen eum adhuc plenè seducere potuerunt, ah hoc præcipuè intendentes ut, sicut soliti fuerant, à Summo Pontifice pecuniam extorquerent. Verùm ipse cupiens hanc pessimam consuetudinem abolere, noluit se ab illis redimere ut à sua persecutione cessarent. Unde ipsi contempti cœperunt ad persecutionem ipsius ampliùs inflamari. Et quia videbant se solos non posse sufficere, multos sibi attrahere studuerunt, insimul conjurantes. Sic ergo longam restem fecerunt, dum quosdam simplicitate seductos, alios tractos invidia, nonnullos cupiditate illectos ad suum inclinavere consensum. Accidit interim ut Viterbienses in tantum opprimerent Viterclanum, nolentes homines ipsius castri alio modo recipere nisi salvis personis & rebus castrum ipsum eis traderent destruendum, quòd ipsi summa necessitate compulsi mittentes nuntios ad Romanos, se simul cum castro eorum dominationi subiciendos offerrent, ut imminens possent periculum evitare. Tunc præfati Schismatiarchæ arbitrati sunt se turbationis invenisse materiam, per quam possent Romanum populum contra Summum Pontificem commovere, dicentes: Faciamus Viterclanum recipi à Romanis contra Viterbienses tuendum; & si Papa noluerit Romanis auxilium impertiri, tunc Romanus populus commovebitur contra ipsum; si verò auxilia illis impenderit, Viterbienses cum fautoribus suis ab ejus fidelitate recedent; & sic suscitabitur guerra, per quam meliùs poterimus in aqua turbata piscari. Licèt igitur sanis & sapientibus hujusmodi consilium displiceret, prævaluit tamen consilium istud in plebe, quæ Viterbienses habet exosos, & receptum est Viterclanum ab urbe contra Viterbienses defendendum. Cùm autem Viterbienses nollent ad mandatum Romanorum ab impugnatione Viterclani cessare, diffidati sunt à Romanis. Et cùm isti congregarent exercitum contra illos, illi convocatis Rectoribus Societatis Tusciæ in auxilium contra istos, cœperun ad resistendum se viriliter præpare. Rectoribus ergo Tusciæ Societatis cum valida manu in auxilium Viterbiensium accedentibus, Romani dubitantes procedere, murmurare cœperunt adversùs eos qui consilium dederant ut acciperent Viterclanum; & sic præfati Schismatiarchæ visi sunt incidere in foveam, quam nisi sunt aliis præparare. Quid ergo facerent ignorantes, recurrerunt tandem ad Summum Pontificem, ipsius auxilium humiliter implorantes. Ipse verò, non tam propter illorum instantiam, quàm propter Viterbiensium insolentiam, qui super negotio Viterclani sæpius requisiti nunquam voluerunt ipsius acquiescere monitis, & mandatis, immo etiam contra ipsum Narniensibus in rebellione sua præstiterunt auxilium & favorem, mandavit eisdem ut à molestatione Viterclani desisterent, vel in curia sua justitiam exhiberent, promittens eis in veniendo, morando, & redeundo plenariam securitatem præstare. Quod cùm ipsi facere noluissent, eos pro contumacia sua diffidavit & interdicto subjecit, injungens Rectoribus Societatis Tusciæ, qui jam in eorum auxilium usque Urbevetum pervenerant, ut eis contra Romanos auxilium non præstarent. Qui respondentes dixerunt, quòd cùm eos ratione Societatis tenerentur juvare, non poterant eis sine perjurii reatu deesse. Quibus per honorabiles nuntios Dominus Papa rescripsit, quòd cùm ipsi Societatem ad honorem Ecclesiæ Romanæ jurassent, ipsius honorem proculdubio non servarent, si Viterbiensibus contemnentibus ad mandatum ejus facere rationem, & ob hoc justo judicio diffidatis & interdictis, auxilium exhiberent. Unde ipsi Rectores cum exercitu suo ad propria redierunt, & Romani cum fidelibus Domini Papæ ad mandatum ipsius undique congregatis, adjerunt fiducialiter Viterclanum, illudque victualibus, & aliis necessariis munientes usque Viterbium processerunt, & castra metantes ex opposito civitatis, circa vesperam periclitati certamine pugnaverunt cum illis, & in eo congressu sunt superiores effecti; sed summo diluculo non expectantes ad propria redierunt, usque adeo in laudem Summi Pontificis conclamantes ut quidam qui consueverant in contradictionem Domini Papæ ora laxare, publicè dicerent quòd ita jam erant ipsorum linguæ, quòd nunquam de cætero contra Summum Pontificem loquerentur.

CXXXV. Hoc autem parvissimo tempore fervaverunt. Nam cùm nobiles viri Landus Coll. de Medio & fratres ejus deposuissent Domino Papæ querelam de (100) Bartholomæo & Jonatha Domino Varniæ & Gabriani, quòd partem terræ spectantem ad ipsos per violentiam detinerent, & peterent sibi justitiam exhiberi, qui sæpe citati justitiam sub ejus examine facere noluerunt, fecit illos per peremptorium edictum per Marescallum suum in possessionem rerum petitarum induci: quam illi temerè perturbantes, accesserunt ad præfatos Johannem Leonis Rainerii, & Johannem Capotium, & eis simulato contractu terram suam titulo pignoris obligarunt, eam se ab ipsis tenere simulantes. Illi verò apud Dominum Papam instare cœperunt ut eis terram illam in pace dimitteret. Quorum fraudem Dominus Papa cognoscens, præfatos nobiles coartari nihilominus faciebat per vastationem segetum, incisionem arborum, fractionem molendinorum, & abductionem prædarum: quamquam præfati Schismatici clamarent contra Dominum Papam in populo, quòd ipse libertates & consuetudines & rationes Romanorum infringeret & auferret, satagentes contra eum scandalum populi suscitare; quod ipse tandem congregato populo, exposita veritate, sedavit; & adhuc eis minantibus, & renitentibus coëgit nobiles antedictos ut pignoris contractu rescisso, mandatis ipsius se per omnia parituros juramentis, & fidejussionibus promiserint, & sic demum inter istos, & illos controversia finem per transactionem accepit. Viterbienses verò impugnantes Viterclanum, & illud nimiùm coartantes, Viterclanenses Romanorum auxilium implorarunt, asserentes quòd nisi quantocyus illis succurrerent, tanta laborabant penuria victualium, quòd non poterant ulteriùs se tenere. Senator igitur urbem egressus, in prato Sancti Petri fixit tentorium, mandans Romanis ut post ipsum exirent, & vicinos amicos urbis in expeditione convocans universos. Romani verò pauci & cum tædio exeuntes, vix tandem Senator usque ad civitatem Castellanam processit. Viterbienses autem adjuncto Comite Ilde-

(100) *Cod. Pod.* Ptolomeo.

Ildebrandino, quem sibi Potestatem præfecerant, & tam per ipsum, quàm per alios amicos suos magno exercitu congregato, multis nihilominus militibus & arcariis mercede conductis, se contra Romanos viriliter præpararunt. Romani ergo cùm essent pauci, audito illorum multiplici apparatu, quid agerent dubitare cœperunt; quia eis ignominiosum redire, & periculosum procedere videbatur. Sed hoc consilium inierunt, ut Senator à potentioribus urbis pecuniam mutuò postularet, ex qua conduceret milites & arcarios opportunos. Qui cùm nullam vel modicam ab aliis potuisset habere, Richardus Domini Papæ germanus eis in tanto necessitatis articulo mutuavit; ex qua conductis militibus, & arcariis processerunt ut inferrent victualia Viterclano. Sed Viterbienses eis obviam venientes, cœperunt dimicare cum ipsis ipso die Epiphaniæ, cùm Dominus Papa Missarum solemnia celebrans in Ecclesia Sancti Petri exhortaretur populum ut pro fratribus in exercitu commorantibus supplicarent, ut Deus eos cum prosperitate reduceret & honore. Ipsoque die Viterbienses terga vertentes fugati sunt à Romanis, multis in bello vulneratis, occisis, & captis. Sicque Romanis cum gloria revertentibus, Senator cum sæpefato Johanne Petri Leonis Rainerii & multis aliis ad Summum Pontificem accedentes, prostraverunt se ad pedes ipsius, & eos humiliter osculantes, innumeras ei gratias retulerunt. Senator autem universos captivos misit in Canapariam multis miseriis macerandos: inter quos duo erant majores, videlicet Neopolion Vicecomes Campiliæ, & Burgudio Protonotarius Viterbii: quibus Dominus Papa compatiens, fecit illos educi de Canaparia & in Palatio suo aliquandiu detineri, ac demum apud Larianum honorificè custodiri; cœterorumque misertus, inter Romanos & Viterbienses cœpit de pace tractare.

CXXXVI. Præfato verò Neopolione per fugam elapso, sæpefati Schismatici cœperunt contra Dominum Papam ora laxare, obloquentes & blasphemantes ut contra eum populum concitarent. Et quidem malignis eorum suggestionibus populus nimis est concitatus. Quorum furorem Dominus Papa blandè deliniens, usque adeò in pacis tractatu processit, quòd inter eos salva in omnibus fidelitate Romani Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ composuit, & sic omnes captivi sunt liberati; præcipiens Viterbiensibus ut portas æreas, quas de Basilica Sancti Petri, & pateres æreos, quos de cantharo ante Basilicam dicebantur extulisse, vel confregisse tempore Frederici Imperatoris, facerent restaurari. Licèt hanc pacem de voluntate fecerit Romanorum, nihilominus tamen aliqui oblatrabant dicentes quòd eam ob commodum fecerit speciale. Ad has malignitates & nequitias exercendas incentores & auctores fuerunt filii Ursi, quondam Cœlestini Papæ nepotes, de bonis Ecclesiæ Romanæ ditati, hac occasione duntaxat, quòd inter domum Petri Bobonis, ex qua ipsi per patrem descenderant, & domum Romani de Scorta, ex qua Dominus Papa per matrem descendit, veteres æmulationes fuerunt. Unde timebant ne ipse vellet eos opprimere, præsertim super terram, quam nomine pignoris ab Ecclesia Romana tenebant, videlicet, Viconario, Burdella, & Cantalupo; quamvis nihil tale facto verbo, vel signo percipere potuissent. Nitebantur igitur sub nomine communitatis populi sibi captare favorem, & inter ipsum & Ecclesiam scandalum suscitare; ut Dominus Papa molestatus à populo, eos molestare non posset, & si vellet, se contra ipsum favore populi tuerentur. In tantum igitur eorum processit malitia ut absentiâ Domini Papæ captatâ, cùm apud Velletrum æstivo tempore moraretur, ipsi paratis insidiis ex improviso in Romanum de Scorta, & filios Johannis Odolinæ consanguineos ipsius Domini Papæ violenter irruerint, & eos ac uxores eorum de domibus suis ejecerint. Quod cùm ad audientiam Summi Pontificis pervenisset, indoluit vehementer, non tam propter illam injuriam, quàm propter futurum periculum, quod timebat, & ideo ad reditum festinavit. Ad cujus præsentiam præfati malefactores, videlicet filii Ursi, cum consanguineis & amicis suis protinus accesserunt, ipsius se mandatis per omnia exponentes; & recepto ab eis corporaliter juramento quòd universis mandatis ejus absque reservatione cum timore parerent, ab aliis quoque simile juramentum recepit; & fidejussoribus insuper utrinque receptis, pacem inter eos componere intendebat.

CXXXVII. Porrò Pandulphus de Subuxa Senator urbis, qui per omnia Domino Papæ favebat, his non contentus, utrosque sua mandata jurare coëgit, & fidejussoribus ab utrisque receptis, eorumque turres accepit, compellens eos urbem exire; illosque apud Sanctum Petrum, istosque apud Sanctum Paulum manere præcepit, ut eis absentibus vindictam liberiùs exerceret. Cepitque quandam turrim filiorum Ursi propter injuriam perpetratam.

CXXXVIII. Interim autem (101) Theobaldus Benedicti Odonis, Consobrinus filiorum Ursi, ad Sanctum Paulum frequenter accedens, cum præfato Romano de Scorta genero suo securiùs loquebatur. Quod cùm filii Johannis Odolinæ perpenderent, & scirent eum totius mali fuisse principalem auctorem, præsumentes quòd contra eos tractaret irruerunt in ipso maligno spiritu concitati, & in via inter Sanctum Paulum & urbem eum nequiter occiderunt. Quod cùm ad filiorum Ursi notitiam pervenisset, subitò revertentes in urbem, favore plebis propter sceleris immanitatem adjuti, utrasque turres quas tenebat Senator nihil tale suspicans occuparunt, & tam turres, quàm domos illorum funditus destruxerunt, reportantes ad domum cadaver occisi, & cogitantes illud non solùm ante domum Richardi germani Domini Papæ, verùm etiam ante Palatium Summi Pontificis cum funebri luctu deponere, ut contra eos furorem populi concitarent; sed impediti quod cogitaverunt perficere nequiverunt. Ex tunc conspirationibus & conjurationibus ardentiùs intendentes, quæcunque poterant excogitabant iniqua, machinantes qualiter possent Dominum Papam offendere, saltem in suis consanguineis & amicis, & ex eo materiam assumpserunt, quòd Odo de Polo vivente adhuc Gregorio patre suo, ac post ejus decessum, de conjugali copula contrahenda inter filium suum & neptem Domini Papæ, filiam videlicet præfati Richardi, cœpit habere tractatum, & multis pactis intercedentibus, tandem mediante Octaviano Hostiensi Episcopo patruo suo adinvicem convenerunt. Cùmque præscriptam terram, quam ipse Odo ac progenitores ipsius multis debitis obligaverant prædictus Richardus à debitorum onere liberasset, ipse Odo ac fratres ejus, qui cùm terra subjaceret debitis obligata, vix poterant ex ea tenuem ducere vitam, cœperunt ad eam anxiùs aspirare. Verùm cùm suam contra præfatum Richardum querelam proponerent coram Summo Pontifice, respondit sæpissime idem Richardus quòd paratus erat sub examine Domini Papæ vel fratrum suorum aut judicum, vel etiam ad arbitrium bonorum hominum seu communium personarum plenariam eis justitiam exhibere, idem Dominus Papa præfato O. & fra-

(101) *Cod. Pod.* Tebaldus.

Digitized by Google

fratribus necessarios sumptus in litera promisit misericorditer elargiri. Sed ipsi pravo ducti consilio, cœperunt non solùm contra Richardum, verùm etiam contra Dominum Papam multa confingere falsa, ut quasi sub specie pietatis clamorem populi concitarent, ita quòd nudati per urbem frequenter cum crucibus ad arculas discurrebant. Et licèt prohibiti fuissent à Domino Papa ne contra ipsum tale quid attentarent, ab incepto tamen desistere noluerunt; sed pejora prioribus attentantes, secunda feria post Pascha tumultum & seditionem populi concitarunt, ita quòd plasphemis clamoribus incessanter emissis, in ipsa Beati Petri Basilica Divinum officium perturbarunt. Et cùm de more ipse Summus Pontifex coronatus reverenter per urbem incederet, insidias & injurias multas sustinuit atque magnas. Ipse verò placido vultu procedebat intrepidus, nullum pavoris, aut commotionis signum ostendens; quia conscientiam habebat liberam & securam. Porrò (102) ne his conceptis fieret error novissimus pejor priore, cùm Romanus populus esset coràm Senatore in (103) Capitolio congregatus, sæpedictam terram ad proprietatem Sedis Apostolicæ pertinentem verbo, quia facto non poterant, & scripto, quia jure nequibant, Senatui populoque Romano, quantum in eis erat, concedere præsumpserunt. Sed ipse Dominus Papa incontinenti jus suum, convocato populo, per quosdam fratrum suorum fecit publicè protestari. Et ne jus Ecclesiæ deperiret, præcepit sæpedicto Richardo ut terram ipsam per Romanam Ecclesiam recognoscens, eam defenderet & muniret. Adhuc in tantum processit eorum audacia, quòd præfatum Senatorem nolentem suis perversitatibus consentire infra Palatium Capitolii obsederunt, eum illic expugnare putantes. Quod cùm facere nequivissent, falsis (104) commentis contra præfatum Senatorem Romanum populum seducentes, ipsum adversùs eum adeo commoverunt ut armis ad conflictum assumptis, turrem ipsius igne apposito acriter expugnarent, ita quòd eam, ipso vix tandem per fugam liberato, cœperunt, multis tam sibi, quàm adjutoribus suis damnis & injuriis irrogatis. Videns ergo Dominus Papa quòd furor erat in cursu, cessit currenti furori; & urbem egressus, in Campaniam declinavit. Cùmque apud Ferentinum per totam æstatem demoratus fuisset, ubi fieri fecit optimum & pulcherrimum fontem, circa finem Septembris venit Anagniam; ubi eum tam gravis ægritudo pervasit ut de ipsius liberatione penè nulla spes esset, ita ut per ipsam civitatem sæpius insonuerit quòd diem clausisset extremum.

CXXXIX. Tempus interim imminebat quo renovari debebat in urbe Senatus. Fecerunt nuntios destinari, qui ad eligendum peterent medianos. Suggesserant enim populo ut non unicum, sed quinquaginta sex Senatores vellent habere; quatenus inter multos, aliquos ipsi fautores haberent. Et quia pars eorum nimiùm invaluerat, cùm ab his qui ægrotante Summo Pontifice negotia Ecclesiæ procurabant duodecim mediani fuissent populo assignati, penè omnes capi fecerunt, & in trullo Johannis de (105) Stacio violenter includi, cogentes eos jurare ut singuli saltem duos de fautoribus suis eligerent Senatores. Quo facto, præfatus Senator assignavit, & tradidit Capitolium illis duntaxat qui Domino Papæ favebant. Et cùm ipsi juramentum regiminis secundùm antiquam & consuetam formam intrassent, hoc audito quòd de terra quæ fuerat Gregorii de Polo nihil contra urbis justitiam ordinarent, alii jurarunt quòd de terra illa nullum facerent omnino contractum, nisi urbs priùs haberet tenutam; & ad hoc populum suis machinationibus induxerunt ut penè omnes clamarent, quòd ipsius terræ priùs urbi traderetur possessio, & tunc demum inter Ecclesiam & Richardum & urbem cognosceretur de jure. Quod quàm absurdum esset & iniquum penè nullus ignorat. Cùm ergo Senatores illi non possent in voto concordare cum aliis, nec in uno loco poterunt remanere cum illis, sed descenderunt apud Monasterium Dominæ Rosæ juxta domum Johannis de Stacio, qui eis omnino favebat. Et sic diviso Senatu, pax & justitia nunquam inveniebantur in urbe. Cœpit ergo paulatim populus murmurare propter maleficia quæ committebantur impune, multis dolentibus, quibus erat mens sana, de his quæ propter invidiam nequiter agebantur. Et licèt multotiens solemnes nuntii missi fuissent ad Dominum Papam ut rediret ad urbem, & ipse redire noluisset, quia nondum res exigere videbatur, missi sunt tamen ad ultimum majores & plures, qui eum jam plenè restitutum per salvationis gratiam sanitati ex parte populi ad reditum invitarunt. Rediit igitur, ne populum contemnere videretur, & cum ingenti fuit honore susceptus.

CXL. Licèt autem multorum commotio quiescere jam cœpisset, nondum tamen ita restinxit indignatio perversorum ut quantumcunque Dominus Papa benignè ac placidè loqueretur, justitiam sibi fieri postulando, cùm ipse paratus esset justitiam exhibere, verbum ejus acceptaretur ab illis. Consultum est ergo Summo Pontifici ut convocato populo, assignari eis faceret medianum, qui unum eligeret Senatorem. Ipse verò ne contra personam mediani quicquam obici posset, fecit eis assignari pro mediano nobilem virum Johannem Petri Leonis. qui ab universo populo approbatus, juramento secundùm morem exhibito, Gregorium Petri Leonis Rainerii Senatorem elegit; cujus electio satis visa est populo complacere. Sed præfati Schismatici convenientes post Nonam cum fautoribus suis apud Monasterium Dominæ Rosæ, tenorem pacis quę inter Ecclesiam & urbem per Privilegium confirmata fuerat temerè violantes, suos non Senatores, sed seductores eligere præsumpserunt viros infames & criminosos. quia bonos & honestos habere nequibant. Et sic factus est error novissimus pejor priore hoc ad excusationem solummodo prætendentes, quòd Dominus Papa Privilegium meruerat amittere. quia permissa sibi abusus fuerat potestate. Præfatus autem Gregorius Petri Leonis Raynerii, qui legitimè fuerat electus Senator, vir erat fidelis, benignus, & mitis, sed non ita virtuosus, strenuus & astutus sicut temporis malitia requirebat. Omnibus ergo confusis, licebat unicuique quod libebat. Unde Johannes Capotius opportunitatem temporis se invenisse cognoscens, quòd suum posset desiderium adimplere, juxta domum suam turrim cœpit ædificare de novo. Quod cùm præfato Pandulpho & aliis ejus æmulis displiceret, cogitare cœperunt quomodo possent ejus propositum impedire; miseruntque nuntios ad eundem ut à turris ædificatione cessaret. Qui prohibitionem eorum contemnens, cœpit ædificationi fortiùs imminere: quamquam multi sibi consulerent ne causam quasi communem faceret specialem, quia proculdubio favorem communitatis amitteret, & si Dominus Papa vellet illis favere, resistere non valeret. Sed ipse, sicut erat arrogans, talibus consiliis nullatenus acquievit, præsentia tantùm considerans, non futura. Cœperunt igitur utrinque se ad bella præparare, ita quòd ipsa die Paschæ

(102) *Edit. Tolos.* nec his contenti, sed & er.
(103) *Cod. Pod.* Capitulo.
(104) *Cod. Pod.* convitiis.
(105) *Cod. Pod.* Staton.

Digitized by Google

Paschæ Johannes Capotius per urbem discurrens, populum ad auxilium convocabat, affirmans quòd eo die plenam sumeret de universis inimicis victoriam. Æstimabat enim quòd non possent ante faciem ejus subsistere, quin eos in momento deleret. Præfatus verò Pandulphus se in Montem supra domum suam qui Ballea Neapolis dicitur receptavit, ne locus ipse præoccuparetur ab illis. Ad quem cùm Johannes Capotius armatus cum suis fautoribus accessisset, Pandulphus cum paucis illos aggressus convertit in fugam, & usque ad Sanctum Quiricum eos insecutus est, crebris percussionibus affligendo. Cùmque diversis locis ea die pugnatum fuisset hinc inde, parti Pandulphi meliùs cessit, multis laudantibus Deum quòd humiliasset superbum, qui nec diei Sancto dedit honorem. Ex tunc pars illa deficere cœpit, & Pandulphus roborari. Nam Richardus germanus Domini Papæ subveniebat ei magnificè in expensis; feceruntque utrinque turres ligneas, ubi lapideas non habebant, aggeres & fossata, munientes thermas, & incastellantes Ecclesias, die noctuque pugnantes, non solùm milites & pedites super terram, verùm etiam custodes & servientes per turres de alto lapides & sagittas emittentes. Erexerant enim petrarias, & mangonellos, conduxerant balistarios & arcarios; & tam acriter dimicabant ut præter cædes & strages, & domos destruerent, & incendia perpetrarent. Verùm cùm Johannes Capotius nec sic à turris ædificatione cessaret, Pandulphus cœpit ædificare fagiolum super quoddam monumentum antiquum quod illius domui adeo erat vicinum ut à fundibulariis de hac in illam lapides jacerentur. Indoluit vehementer Johannes Capotius; quia cùm fagiolum perfecisset in altum, ex jactu lapidum homines ante domum non poterant remanere. Sed & filii Petri Alexii, fautores Pandulphi, supra prædictum Montem turrim ædificarunt excelsam, & Gilido Carbonis similiter adjumento ipsius tres turres suas erexit in altum. Sed Petrus Annibaldi sororius Domini Papæ (106) pontes omnes juxta Colosæum, turrem ex opposito cœpit constituere, prohibentibus Jacobo Frajapane ac relicta Najonis Frajapanis, & impedientibus prout poterant, per Colosæum & turrem Najonis lapidibus, & sagittis emissis. Sed ipse per dictas oppositiones ab ædificio non cessabat.

CXLI. Johannes verò Capotius anxius cogitabat quomodo posset fagiolum occupare; tantumque fategit quòd illud multo studio ac labore in festo Sancti Laurentii occupavit; & post occupationem ejus tantum invaluit mox, quòd Lateranum accedens, domos Pandulphi quæ ibi erant universas evertit, & formam quam ibi habebat accepit. Sed & turricellam quam prope Colosæum juxta Sanctorum Quadraginta Martyrum Ecclesiam munierat violenter invasit; tantusque terror irruit in Pandulphum & fautores ipsius quòd jam penè desperabant. Modum autem in prosperitate non servans, contra Petrum Annibaldum sororium Domini Papæ processit; cœpitque adversùs illum pugnare, putans & ipsum omnino delere. Sed multi qui sequebantur eundem, ab illo sunt ad istum conversi, quia eum plurimùm diligebant; & sic illi fortiter resistentes, eum viriliter propulerunt. Extunc Petrus Annibaldi negotium fecit facere suum, & per hoc pars ista viribus innovata usque adeo cœpit invalescere contra illam quòd infra modicum tempus violenter cœperunt turrem munitam quæ vulgariter Gallina alba vocatur, & turrem Gregorii (107) Serraverii, sed & Sanctum Quiricum, quem illi totis viribus defendebant, succendentes & diruentes domos adversariorum undique per circuitum. Turris quoque quam ædificaverat Baroncellus, præcipuus fautor Johannis Capotii, funditus corruit per se ipsam; adeòque virtus eorum invaluit contra illos ut jam vires illorum quasi deficerent enervatæ. Nam adjutores eorum, longo tempore gravati laboribus, & expensis, eis deesse cœperunt. & ipsi sibi sufficere non valebant. Populus quoque adverùs illos jam ex majori parte clamabat, ipsis ut suum palliarent defectum dicentibus, quòd contra eos pecunia Domini Papæ pugnabat.

CXLII. Licèt autem plerique consulerent Domino Papæ ut permitteret eos usque ad extremam exinanitionem quassari, nolens tamen eis respondere pro meritis, quibusdam ad se benignè vocatis talem formam pacis proposuit. *Eligantur quatuor boni viri super discordia & divisione quæ vertitur inter ipsos & illos qui se nominant bonos homines de communi & Richardum germanum meum, qui jurent nec amore, nec odio, nec prece, nec pretio, nec timore, sed bona fide ac sine fraude cognoscere & dicere super his infra sex menses quod intelligent esse justum; nisi forsan interim possent voluntariam concordiam reformare. Sed electi jurati ante omnia dicant de facto senatus; salvo tenore finis inter Ecclesiam Romanam & urbem, sicut apparet per privilegium. Et nos pro bono pacis ex gratia procedemus hoc anno in facto senatus secundùm eorum consilium; ita ut hoc non possit nobis in posterum impedimentum aut præjudicium generare.* Placuit quidem illis hæc forma, tamquam qui nimis ex guerra gravati eam subterfugere non ferebant. Veruntamen ut suum scelestum propositum occultarent, Johannes Capotius convocato populo, & exposita forma pacis, inter cætera ita dixit: *Non consuevit urbs in aliqua contentione succumbere quam contra Ecclesiam assumpsisset, neque justitia, sed potentia vincere consuevit, sed ecce nunc omnino succumbit; quia & tenutam terræ contra populi decretum & juramentum Senatorum illi dimittit, & senatum illi confirmat. Et si nos, qui tot sumus & tanti, deficimus, quis ei de cætero se opponet? Nunquam tam turpem pacem audivi factam pro urbe, nec ego tam turpi paci volo præbere consensum.* Audiens autem Johannes Petri Leonis Rainerii quòd is qui pacem illam præ cæteris affectabat, eam propter favorem populi penitùs reprobasset, & ipse assumpta parabola cœpit eam modis omnibus improbare; sicque tractatus pacis ea die non potuit habere processum. Sed cùm guerrarum aculeis pungerentur, jam verò non rogati, sed rogantes, faciebant pacem hujusmodi postulari. Et de communi omnium voluntate quatuor sunt electi qui secundùm præscriptam formam jurarunt; statimque dixerunt quòd ad summum Pontificem pertinebat creare senatum. Sed quoniam unus inveniri non poterat qui esset utrique parti communis, consulebant Domino Papæ ut concederet populo quinquaginta sex Senatores. Qui prædicens illis quòd per tot Senatores urbs commodè regi non poterat, quoniam ad invicem discordarent, pro instanti tamen necessitate annuit postulatis. Electi sunt igitur Senatores, qui omnes juraverunt Domino Papæ fidelitatem aut finem, & inter prædictos discordantes qualem qualem pacem fecerunt; cœpitque urbs à bellorum strepitu paululum respirare, ac prædicti Schismatici contra Dominum Papam & Romanam Ecclesiam obloqui cessaverunt. Multùm ergo virtus & constantia Domini Papæ profecit, qui statum Ecclesiæ quasi de servitute ad libertatem reduxit, ut non oporteret eam semper à persecutoribus se redimere torquentibus tantùm ut extorqueretur. Nam & omnium una vox erat & eadem sententia, quòd iste Pontifex flecti non pote-

(106) *Cod. Pod.* portus.

(107) *Cod. Pod.* Raverii.

Digitized by Google

poterat injuriis vel offensis, sed obsequio & honore. Interea dum guerra ferveret, duo fratres habitatores Laterani contempta prohibitione Summi Pontificis ædificaverunt turrim munitam ante Lateranum palatium super formam antiquam, quam postea requisiti Domino Papę humiliter tradiderunt, ipsius se jussionibus per omnia submittentes. Qui cùm eam fecisset aliquandiu custodiri, tandem eam demoliri præcepit, ne quis de cætero simile attentaret; & sic penitùs fuit destructa.

CXLIII. Præfatus verò Johannes Petri Leonis Rainerii quandam partem invaserat de territorio Tusculani; quam cùm Dominus Papa repeteret, asserebat eam à Cęlestino Papa sibi fuisse concessam. Sed cùm id non ostenderet, Dominus Papa post monitiones multiplices comminatus est ei quòd ipsum excommunicationis laqueo innodaret. Ipse autem hoc audiens, indignatus est vehementer; & sicut erat arrogans & superbus, intonuit quòd non auderet in eum quod nullus prædecessorum suorum ausus fuerat attentare. Nam & tale sibi propter hoc impedimentum opponeret de quo non posset leviter expediri. Et hoc fuit causa præcipua quare ipse memoratum scandalum contra Summum Pontificem suscitavit. Sed idem magnanimus Pontifex, ne videretur esse canis mutus nō valens latrare, in declinatione Basilicæ Beati Petri coram innumera multitudine solemniter ipsum excommunicavit. Porrò quamvis murmuraret, juravit tamen stare mandatis ipsius; & sic extitit absolutus. Cùmque postmodum infirmaretur ad mortem, quia nondum fuerat satisfactum, denuntiavit hęredibus suis quòd nisi & ipsi mandatis ejus obedire jurarent, sepulturam illi, cùm moreretur, interdiceret Christianam. Quibus jurantibus & fidejussores præbentibus, permisit Ecclesiastico more sepelire defunctum. Senatores autem, sicut Dominus Papa prædixerat tam malè in officio regiminis se gesserunt ut à quolibet tam intra urbem quàm extra maleficia committerentur impune, pace ac justitia penitùs relegatis. Unde populus cœpit adeo execrari ut oportuerit Dominum Papam ad communem populi petitionem unum eis Senatorem concedere; quantumcunque præfatis Schismaticis displiceret, qui turbationis tempore jactitabant quòd nunquam de cætero Dominus Papa posset in urbe unicum constituere Senatorem. Senator ergo per Summum Pontificem substitutus pacem & justitiam protinus reduxit in urbem, comprimens rebelles & præsumptores; nullusque contra illum audebat mutire, potentiam Summi Pontificis reformidans.

CXLIV. Interea Dominus Innocentius suum jactans in Domino cogitatum, operibus pietatis pleniùs insistebat. Nam valida cùm famis invaluisset inedia, ita ut (108) rublum frumenti à viginti usque ad triginta solidos venderetur, & tunc ipse moraretur Anagniæ, protinus remeavit ad urbem, & cœpit necessarias eleemosynas indigenti populo liberaliter erogare. Sic autem fecit illas distribui ut qui verecundabantur publicè mendicare, pecuniam occultè reciperent, de qua sustentarentur per singulas septimanas; illi verò qui publicè mendicabant, singulis diebus panē acciperent ad sufficientiam universi; (quorum tanta erat (109) præ miseria multitudo ut excederet numerum octo millium personarum) alii autem in eleemosynaria domo reciperent alimenta. Et sic famelicum populum ab imminenti periculo liberavit, exhortans divites & potentes verbis pariter & exemplis ad eleemosynas largiendas. Quantam verò pecuniam in hoc opus expenderit, novit ille qui nihil ignorat.

Ab initio quippe promotionis suæ ad eleemosynas deputavit universos proventus ad se pertinētes de oblationibus Basilicæ Sancti Petri. Præterea de cunctis proventibus suis faciebat integram decimam in opus eleemosynæ separari, & de residuo, licèt occultas, sæpissime tamen largas eleemosynas impendebat. Universales oblationes provenientes ad pedes ipsius secundùm antiquam consuetudinem accipiebat Eleemosynarius erogandas. Faciebat ergo famelicos refici, nudos vestiri, virgines pauperculas maritari, parvulos expositos nutriri. Subveniebat frequenter monachis & monialibus indigentibus, & reclusis, & heremitis. Domos etiam religiosas visitabat multotiens, & à debitis liberabat. Circuibat & investigabat diligenter Eleemosynarius ejus pauperes ac debiles, maximè nobiles; dabatque illis sigilla ut per eos qui ipsa referrent singulis hebdomadibus pecuniam acciperent ad victum; & sæpissime talibus quindecim libras per hebdomadam impendebat; exceptis illis qui cottidie recipiebant aut cibos aut nummos aut vestes. Permittebat etiam idem benignissimus Pontifex pauperculos parvos ante mensam suam post finem refectionis venire, ipsisque de his quæ coram eo remanserant victualia exhiberi. Sabbatis quoque faciebat mandatum, lavans ac tergens & osculans pedes duodecim pauperum, & singulis duodecim nummos impendens, faciens refectionem omnibus ministrari.

CXLV. Fecit & propriis sumptibus ad opus infirmorum & pauperum hospitale Sancti Spiritus apud Sanctam Mariam in Saxia in strata publica juxta Tyberim ante Basilicam Sancti Petri; quod quantum ditaverit & dotaverit beneficiis, possessionibus, redditibus, thesauris, ornamentis, libris, & privilegiis, per se satis apparet, & ut religiosus cultus & hospitalitatis gratia, quæ nunc vigent ibidem, semper abundent. Instituit autem apud hospitale prædictum stationem solemnem Dominica post octavas Epiphaniæ, in qua populus illic confluit Christianus ad videndum & venerandum Sudarium Salvatoris, quod cum hymnis & canticis, psalmis & faculis à Basilica Sancti Petri ad locum illum processionaliter deportant & ad audiendum, & intelligendum sermonem exhortatorium quem ibi facere debet Romanus Pontifex de operibus pietatis, & ad promerendam & obtinendam indulgentiam peccatorum quam exercentibus se ad opera misericordiæ pollicetur: ad quæ ut alios non solùm verbis provocet, sed exemplis, egenis omnibus ad illas spirituales nuptias concurrentibus panes, carnes, & denarios constituit elargiri: quorum omnium rationem idem prudentissimus Præsul exposuit in homilia, quam super illius diei Evangelium exaravit. Quantum verò munificus & studiosus extiterit circa cultum & ornamentum Ecclesiarum, (110) frequentia dona manifestant. Basilicæ ergo Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, contulit in Territorio Tusculano Ecclesiam de Fracata cum tenimentis suis, sicut infra distinctos terminos continetur, & pretiosam vestem de exameto rubeo deauratam, undique cooperientem altare, habentem ab anteriori parte Imaginem Salvatoris & Imagines Beatæ Virginis, Johannis Baptistæ, Principis Apostolorum & Imperatoris mirabiliter insignitas, & dalmaticam deauratam nobilem, Monasterium Sancti Andreæ in Silice cum omnibus pertinentiis suis; hospitali ejus possessiones in Territorio Tusculano. Item eidem Basilicæ optimam crucem auratam nobiliter operatam cum lapidibus pretiosis, & pedem pro eadem cruce argenteum deauratum septem marcarum,

(108) *Edit. Tolos.* tublium.
(109) *Cod. Pod.* promiscua.

(110) *Cod. Pod.* sequentia manifestant.

Digitized by Google

carum, & unum calicem aureum decem & ſeptem unciarum & dimidiæ, & unum cochlear aureum duarum unciarum & unius tareni.

VITA
HONORII PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

HOnorius III., natione Romanus, cœpit anno Domini MCCXVI. in menſe Julii, ſedit annis X., menſibus VIII., diebus XXIII. vacavit ſedes dies XXIII.

Hic renovavit Eccleſiam Sancti Laurentii extra muros, & Baſilicam, quæ dicitur Sancta Sanctorum. Item compoſuit decretales. Hic apud Sanctum Laurentium foris muros Petrum Comitem Altiſiodorenſem in Imperatorem Conſtantinopolitanum coronavit.

Hic Honorius Papa Pontificatus ſui anno primo confirmavit Ordinem Fratrum Prædicatorum, Beato Dominico natione Hiſpano Inſtitutore ejuſdem Ordinis procurante Romæ apud Sanctum Petrum in craſtinum Sancti Thomæ Apoſtoli XI. Kalendas Januarii anno Domini MCCXVI. cujus Ordinis confirmationem Innocentius Papa III. cœleſti viſione ſibi divinitus præoſtenſa eidem Beato Dominico conceſſerat in Concilio Generali, & Ordinem decreverat confirmare; ſed morte præventus non potuit adimplere. Item confirmavit Ordinem Fratrum Minorum Beato Franciſco Pontificatus ſui anno VIII. Item confirmavit Ordinem de Valle Scolarium Pariſiis anno Domini MCCXVII. Item confirmavit Ordinem Carmelitarum anno Domini MCCXVII. Eodem tempore obiit Guillermus Nivernenſis Epiſcopus, qui duo millia pauperum omni die paſcebat.

Anno Domini MCCXVII. congregatus eſt exercitus Domini in Achon cum Regibus Hieruſalem, Cypri, Ungariæ, & Ducibus Auſtriæ, & Bavariæ, Franciſque pluribus, & Germanis; redeuntibus verò Ungaris, aliqui Ægyptum applicant, Damiatam capiunt. Premitque (*fortè* premuntque) tam fame, quàm ferro LXXX. millia Sarracen. Denique tandem captis Cardinali, & Templariis, & Hoſpitalariis, totoque exercitu, excepto Rege, qui à Cardinali diſcordans receſſerat, Damiata, quæ per annum à Chriſtianis poſſeſſa fuerat, pro redemptione eorum fuit reddita paganis.

Anno Domini MCCXVII. cùm Comes Symon guerram longè gereret cum Ademaro depictam ultra Rodanum, obſervata temporis opportunitate, Raimundus vetus quondam Comes Tholoſæ cum Comitibus Convenarum, & Paleariorum cum militibus paucis tranſit Pirentum, & clam intravit Tholoſam menſe Septembris tranſiens Garonam non ponte, ſed vado. Quod cùm pauci ſcirent quibuſdam placuit, quibuſdam verò diſplicuit. Comes autem Guido de Monte-forti, qui erat in terra temptavit ferro recentem motum compeſcere, ſed repulſus non valuit adimplere. Interminatim dum iſta Comiti Symoni nunciantur tenenti obſidia apud Creſtum, Cives Tholoſani cœperunt contra caſtrum Narbonenſe claudere civitatem palis, & ſudibus, & magnis trabibus, & foſſatis; venienſque Comes Symon cum Domino Bertrando Cardinali, qui miſſus erat Legatus ab Honorio Papa III. invaſit in manu valida civitatem, tenens ſecum Caſtrum, quod dicitur Narbonenſe; ſed defendentibus ſe viriliter civibus, nihil potuit illa die. Denique machinæ undique exiguntur, & mittuntur in terra molares lapides. Verſa vice mittitur in Franciam interea à Legato Fulco Epiſcopus Tholoſanus prædicaturus crucem cum aliis, qui mandatum habuerant in eodem; cum quibus fuit ſupramemoratus Magiſter Jacobus de Vitriaco vir magnæ honeſtatis, literaturæ, atque eloquentiæ, poſtmodum Epiſcopus Achonenſis, & demum Cardinalis, & in illa prædicatione multos cruce ſignaverunt, qui venerunt in illa obſidione, verno tempore ſubſequenti, cum quibus Fulco Epiſcopus ad exercitum eſt reverſus. Cui Comes Symon donavit eleemoſynam, ejuſque ſucceſſoribus Epiſcopis Tholoſanis perpetuò caſtrum Viridis-folii cum cunctis villis, & fortiis, quæ erant ſub ejuſdem caſtri dominio, in quibus erant viginti fori, vel infra, nihil ſibi retinendo, niſi quod, ſi contingeret ſibi fieri bellum campeſtre ab aliquo in terra ſua, Epiſcopus militem unum armatum ſibi in illo prœlio exhiberet. Cùm igitur labor pugnæ tam obſeſſis, quàm obſidentibus per totam hyemem tam cum machinis, quàm cum aliis inſtrumentis bellicis perduraſſet, Comes Symon roboratus recentibus peregrinis non tam egreſſionibus, quæ fiebant extrinſecus, quàm etiam diſcurſibus, qui fiebant circa villam, quos & cives impediebant bareriis, & foſſatis, adverſarios infeſtabat. Cujus demum fuit Conſilium ædificare machinam ligneam, quam catham vocant, cum qua terram, & ligna pertraherent ad implendum foſsata: quibus æquatis pugnam, quo minùs inferrent, & effractis clauſuris ligneis inſilirent. Cùmque quadam die, ſcilicet in craſtino nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ juxta catham illam eſset Comes Symon, immiſſus ab adverſa parte lapis manganelli cecidit ſuper caput ejus, & comminutus expiravit.

Anno Domini MCCXVIII. in exercitu Domini, quem gerebat vir per omnia laude dignus, cujus filius Almaricus ſucceſſor ejus, & hæres obſidionem tenuit uſque ad feſtum Sancti Jacobi, indeque ab obſidione recedens caſtrum deſeruit, quod tenêre non poterat, Narbonenſe, corpuſque paternum apud Carcaſſonam curatum more Gallico exportavit, & inde poſtmodum in Franciam eſt delatum.

Vacillante igitur terra caſibus inopinatis, poſt paucos dies Caſtrum-Novum de Arrio redditur Comiti Tholoſano, quod Comes Almaricus non eſt cunctatus collectis exercitibus obſidere erectis machinis contra ipſum, tuente illud & ſtabiliente Raimundo Juniore filio veteris Comitis Tholoſani, factumque eſt una die, quòd in quodam inſultu cecidit Guido Comes Bigorræ filius quondam Symonis, & frater Almarici, & coroſus vulneribus expiravit, cujus corpus decenter curatum in tabulato purpurâ coopertο remittit fratri ſuo, & ab æſtatis fine uſque ad finem hyemis eſt certatum. Soluta autem obſidione à Caſtro-Novo Comes Almaricus receſſit verno tempore affectus tædio, & expenſis.

Anno autem Domini ſubſequenti MCCXIX. Ludovicus ſuperiùs memoratus filius Philippi Regis Franciæ cùm in deditionem cepiſſet Rupellam, quam expugnaverat contra Regem Angliæ, cum exercitu ſuo adversùs Tholoſam diſpoſuit peregrinus, cujus, venienti obvium fuit obſidere caſtrum, quod dicitur Marmanda in Diœceſi Agenenſi, quod fuerat Comitis Tholoſani, quod ejus Comitis mandato Comes Aſcariaci Centullus, & quidam alii nobiles, inter quos erat Arnaldus de Blanca-forti, ſuſceperat defendendum: & cùm per dies aliquos Ludovicus eos impugnare feciſſet, cognoſcentes

Digitized by Google

tes obsessi, qui diu ferre non poterant, belli instantiam, data eis belli securitate, ei se consecrati reddiderunt villam, ductique sunt capti apud Podium Laurentium servandi, donec qui capti tenebantur à parte altera redderentur. Recedens autem de Marmanda Ludovicus contra Tholosam properat rectâ viâ. Erat ejus exercitus magnus valde, Tholosamque perveniens ante festum Sancti Johannis Baptistæ XV. Kalend. Julii castra sua disposuit circumquaque, erectisque machinis, & agressionibus acerrimis obsessos diebus XLV. expugnavit, nec aberat Dominus Bertrandus Legatus, cui negotium erat cordi, perfectisque suæ peregrinationis diebus, ab obsidione recessit, Princeps exercitus Ludovicus prima die Augusti & in Franciam est reversus, & fuerunt qui capti erant hincinde prænominati viri, & milites restituti. Post recessum autem dicti exercitus ferventiùs guerra excanduit, & plura castra se reddiderunt veteri Comiti Tholosano.

Anno Domini MCCXX. nata est Johanna filia unica Raimundi junioris filii Raimundi veteris Comitis Tholosani, quæ fuit postmodum uxor Domini Alfonsi Comitis Pictavensis fratris Regis Ludovici, & anno prætaxato multa sé opida eidem Raimundo Comiti reddiderunt, optinuitque, & recuperavit castrum Vauri, & Podium Laurentium, castrumque Montis-regalis ubi fuit interemptus Alanus de Rofiaco tunc Dominus dicti castri.

Anno Domini MCCXXI., vel secundùm quosdam MCCXXII. Honorius Papa III. in Basilica Sancti Petri mense Octobri coronavit in Imperatorem Fridericum Secundum Henrici quondam Imperatoris filium, Regemque Siciliæ, qui fuit ab Augusto I. XCV. Imperator sicùt in chronica Martini Poloni. Hic Fredericus tempore Innocentii Papæ III. prædecessoris Honorii fuerat electus, & vocatus ad Imperium optinendum vivente adhuc Ottone IIII., & Imperium detinente. Cœpitque Regnare Fredericus in Theutonia, defuncto Ottone in Saxonia anno Domini MCCXVII. Hic Fredericus à principio visus est bonus, fuitque ab infantia per Ecclesiam tanquam per matrem educatus, & Ottone IV. dampnato ad Imperium promotus, sed postmodum aversus à bono factus est Ecclesiæ adversarius tyrannus, Ecclesiamque Dei non fovit ut matrem, sed tanquam novercam, quantum potuit, laceravit. Propter hoc Honorius Papa, qui ipsum coronaverat rebellem sibi, & Ecclesiæ adversarium comperiens anathematizavit eum, & omnes Barones ab ejus fidelitate absolvit. Imperavit autem non per fas, sed per nefas, non jure, sed injuria tyrannizans annis XXXIII.

Anno Domini MCCXXI. mittitur Legatus à Sede Apostolica ad partes Albigenses, & Tholosanas Corradus Cisterciensis Ordinis Cardinalis Episcopus Portuensis. Anno Domini MCCXXI. VIII. Idus Augusti Beatus pater Dominicus complevit dies suos Bononiæ in bono, & annos suos in gloria plenus miraculis plusquam annis.

Anno Domini MCCXXII. mense Julii moritur Bernardus Rogerii Comes Fuxi in obsidione castri Mirapiscis non vulnere, sed magno ulcere pergravatus, cui successit filius ejus Rogerius Bernardi.

Eodem anno Domini MCCXXII. mense Augusti moritur senior Comes Tholosanus morte præventus subita, quare non potuit quicquam loqui, & supervenientibus fratribus hospitalis Sancti Johannis Tholosæ corpus ipsius ad eorum domum fuit portatum, sed non est traditum Ecclesiasticæ sepulturæ; Erat enim gravi vinculo anathematis innodatus, & usque in hodiernum diem tenetur, sicut conspicitur, insepultum. Cujus filius Raimundus ultimus Comes Tholosanus processu temporis, postquam obtinuerat pacem Ecclesiæ, & Regi Franciæ, productis testibus apud Sedem Apostolicam super probando, quod signa pœnit. habuisset, nullo modo, quòd sepeliretur, potuit obtinere.

Anno Domini MCCXXIII. Philippus Rex Franciæ fortunatissimus obiit apud Medoutam castrum Regni sui, anno XLIII. qui Regnum suum plurimum ampliavit. Cui successit filius ejus Ludovicus ætatis annorum XXXVII. fuitque coronatus in Regem cum Regina Domina Blancha uxore sua filia Regis Castellæ in die transfigurationis Domini Remis civitate, anno Domini prætaxato.

Eodem anno Domini MCCXXIII. Honorius Papa confirmavit Beato Francisco Regulam, quam fecerat Fratrum Minorum in Laterano III. Kalendas Decembris Pontificatus sui anno VIII. Anno Domini MCCXXIV. Lemonicinium, & Petra Goricinium, & omnes Principes Aquitaniæ, exceptis Vasconibus, qui erant ultra Garonam, Ludovico Regi Franciæ fidelitatem promittunt, & servant. Circa idem tempus Amalricus Comes filius, & hæres memorati viri nobilis Symonis Comitis Montifortis Tholosæ videns incolarum terræ inconstantiam, & quòd de die in diem contrarium abirent, & ad suum adversarium se converterent, nec terram defendere prævalens, resignavit Regi Franciæ Domino suo Comitatum Tholosanum, totamque terram aliam, quam pater suus, & ipse habuerant adquisitam, & sibi datam in Agenesio, & Albigesio, Caturcinio, & Carcasesio, & alibi, ubicumque in illis dumtaxat partibus, & in jure suo Regem Franciæ fecit totaliter successorem. Rex verò contulit Conestabulatus officium in tota Francia eidem Comiti Almarico, quem noverat virum providum, ac strenuum, & expertum in exercitio militari. Eodem tempore terræmotus factus est magnus in Lombardia, ita quòd multæ domus, & turres ceciderunt, multique homines mortui sunt. In diebus illis missus est Legatus ad partes Albigenses, & Tholosanas Dominus Romanus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis vir magnæ discretionis acceptus Deo, & hominibus, atque sufficiens tantis negotiis pertractandis; qui cum Dei auxilio induxit Ludovicum Regem Franciæ, ut reservatum sibi negotium imperactum sub aliis, in partibus Albigensibus, & Tholosanis, atque in Provincia ipse assumeret peragendum. Quod idem Rex tanquam Deo devotus, atque magnanimus acceptavit. Anno Domini MCCXXV. mense Februarii obiit Bernardus Comes Convenarum maritus Dominæ Mariæ de Monte-Pesulano, quæ postmodum fuit mater Regis Aragonum Domni Jacobi, fuitque sepultus Comes ad Montem-Salves. Circa idem tempus obiit Dominus Arnaldus Almarici Archiepiscopus Narbonensis Cisterciensis Ordinis, cui successit Dominus Petrus Amelii ejusdem Ecclesiæ major Archidiaconus. Anno Domini MCCXXVI. tempore verno, quando solent reges ad bella procedere, benedictus à Deo Dominus Ludovicus Rex Franciæ egressus cum exercitu innumerabili signaculo crucis insignito unà cum Domino Romano Legato sibi assiduè adhærente versùs Lugdunum dirigit iter suum eligens terræ planitiem quadrigis accommodam,

dam, & flumen Rodani navigio portandis copiis opportunum; quibus venientibus ex villis, & opidis, quæ erant Comitis Tholosani, consules concurrebant, & Regi Fortaliciæ tradebantur, & ad suam dabant obsides voluntatem. Quos etiam cives Avinionenses, datis obsidibus, prævenerunt; cùmque in vigilia Pentecostes illuc venisset Rex, & Legatus, jamque pars non parva exercitus transivisset per pontem, iidem cives Avinionenses timore, ubi timor non erat rationabilis, trepidantes de Barriagio, si permitteretur per villam incedere multitudo, portas civitatis precludunt; Regi tamen cum paucis transitum permittentes, aut haberet transeundi sub ripa via arctissima optionem, quod Rex tam periculosum, quàm obprobriosum videns sibi noluit acceptare, nisi transitum per civitatem liberum inveniret; quod eis denegantibus, & resistentibus Rex mansit in loco, & jussit erigi tentoria, & castrametari ordine militari, & erectis petrariis, & aliis bellicis instrumentis cœpit expugnare fortiter civitatem, civibus machinas contra machinas erigentibus viriliter se defendentibus ex adverso. Interim autem præmittitur à Legato, & à Rege Dominus Petrus Amelii Archiepiscopus Narbonensis versùs partes Tholosanas, ut invitaret ad pacem Ecclesiæ, qui præveniens eos, castra, & bonas villas, & Dominos eorum pacem Ecclesiæ, & Regis promittens eis, confœderavit Ecclesiæ, atque Regi nullo fœdere excepto à parte superiori usque ad portas Tholosæ, juraveruntque Regi, & Ecclesiæ adhærere. Claves etiam Carcasonæ Regi à civibus in exercitum deferuntur. Comes etiam Fuxi Rogerius Bernardi pacem requisivit, sed illa vice qualem voluerat non invênit. Interea cives Avinionenses, quorum Dominus superbiam humiliare decreverat per hanc viam tribus mensibus expugnati, seque in viribus impares cognoscentes sub certis conditionibus suam Legato, & Regi liberant civitatem pridie Idus Septembris, qui & ruinâ murorum, & pœnis aliis sunt multati. Multi autem in exercitu diversis ægritudinibus moriuntur. Nec fuit parva gratia Dei, quòd citò in deditionem receperunt civitatem; vix enim post recessum exercitus diebus elapsis XV. erupit Durentia flumen cum suo alveo cum tumore, tantoque planiciem illam, in qua castra Regis erant, cooperiens occupavit, ubi non potuisset exercitus remanere. Capta itaque Avinione Rex versùs Bitterim, & Carcasonam dirigit viam suam, Legato continuè comitante, nec deerat vir venerabilis Fulco Episcopus Tholosanus, quem, cùm essent in exercitu, aut in itinere nemo pro sua largitate nosse poterat exulasse. Erat quippe pro suæ bonitatis fama, & laboris, quem pro fide sustinuerat omnibus reverendus. Cùm autem pervenisset Appamiam Rex ibi multa cum consilio Cardinalis Legati ad honorem Dei, & libertatis Ecclesiæ ordinavit, & maximè contra contemptores clavium Ecclesiæ, animadvertens in eos statuto necessario & salubri, de quo fit mentio in Concilio Narbonense, in sequenti mox Quadragesima celebrato felicis recordationis. Exeuntes autem Appamiam per bellum Podium ubi jacuerunt, venerunt ad Castrum Novum, & inde apud Podium Laurentii ubi similiter pernoctarunt, & inde die altera apud Vaurum. & inde profecti apud Albiam, relictoque custode terræ Domino Imberto de bello-Joco viro bellicoso, & labori dispòsito, cum manu maxima bellatorum tenuerunt Rex, & Legatus per Alverniam viam suam. Præventus autem Rex ægritudine apud Montem-Pauserium in Alvernia præsentis vitæ cursum complevit, Domino sic volente, VII. Idus Novembris anno Domini prætaxato MCCXXVI., Regni verò sui anno IV. currente, cujus erat propositum reverti ad terras Albigenses, & Tholosanas in vere, si viveret, subsequenti, cui Ludovicus filius ejus primogenitus ætatis annorum ferè XIV. successit in Regno, sed pro ætate mores, & virtutem patris repræsentabat. Anno Domini MCCXXVI. IV. Nonas Octobris Sanctus Franciscus Ordinis Fratrum Minorum Institutor in cella sua, quæ cognominatur de Portiuncula prope Assisium civitatem transiit ex hoc mundo in Sabbato. Sepultusque fuit Dominica die sequenti in Ecclesia Sancti Georgii apud Assisium. Eodemque anno Domini prætaxato, pridie Kalendas Februarii obiit nobilis Comes Guido de Monte-forti frater quondam nobilis Comitis Symonis de Monteforti vulneratus jactu quayrelli in capite apud Vayrillas prope Appamiam tunc Diœcesis Tholosanæ.

Anno Domini MCCXXVI. IV. Kal. Martii; In speculo verò Vincentii scribitur XVI. Kalendas Aprilis, Honorius Papa III. moritur Pontificatus sui anno XI. Sepultusque est Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris.

VITA EJUSDEM
HONORII PAPÆ III.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

HOnorius natione Romanus Perusii electus est. Sedit annis X. mensibus VIII. diebus XXII. Hic apud Sanctum Laurentium foris muros, Petrum Altisiodorensem Comitem in Imperatorem Constantinopolitanum coronavit.

Hic etiam Ecclesiam Sancti Laurentii extra muros, & Basilicam, quæ dicitur Sancta Sanctorum, renovavit. Decretales compilavit. Hic in Basilica Sancti Petri Fredericum Regem Siciliæ in Imperatorem Romanorum coronavit. Hujus tempore Christiani Damiatam ceperunt: sed Saraceni fortuito casu contingente eam postea recuperaverunt. Hic Honorius Fredericum sibi rebellem, & ratione Ecclesiæ adversarium comperiens anathematizavit: atque Barones ab ejus fidelitate absolvit. Honorius Papa moritur, & Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris sepelitur, & Dominus Ugholinus Hostiensis Episcopus in Papam electus, Gregorius est vocatus. Honorius primo anno Pontificatus sui Ordinem Prædicatorum confirmavit, Beato Dominico, natione Hispano, inventore procurante. Nam Innocentius Papa, qui durus sibi in hoc fuerat, visione habita, quomodo Beatus Dominicus Lateranensem Ecclesiam cadentem humeris suis sustentasset, confirmare deliberaverat: sed morte præventus non potuit.

VITA
GREGORII PAPÆ IX.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

GRegorius IX., natione Campanus, de Anagnia natus, electusque est Romæ apud Septisolium nona die post festum Sancti Gregorii

Digitized by Google

gorii in vigilia Sancti Benedicti XIV. Kalendas Aprilis anno Domini MCCXXVI. secundùm illos, qui annos Dominicæ Incarnationis incipiunt in Annunciatione Dominica computare, quam ego in præsenti opere semper servo; secundùm illos verò qui in Natale Domini incipiunt computare dicitur anno Domini MCCXXVII. Sedit annis XIV. & ampliùs. In pluribus verò Chronicis scribitur annis XIII. mensibus VI. sed primum tenendum est. Hic Gregorius primò dictus est Hugolinus Cardinalis Episcopus Hostiensis. Hic Gregorius Papa per fratrem Raimundum de Pœna forti Ordinis Fratrum Prædicatorum Pœnitentiarium & Capellanum suum ex pluribus voluminibus compilavit volumen unum, mandans ubique Doctoribus, & Judicibus Ecclesiasticis illo uti. Hic Gregorius Papa sententiam, quam Honorius Prædecessor suus tulerat contra Fridericum innovavit, & ampliùs agravavit. Cùmque Consilium Romæ celebrare niteretur, & à Friderico Imperatore viæ per mare, ac per terram artarentur, duo Cardinales, Jacobus Penestrinus, & Otho, qui pro subsidio Ecclesiæ Legati missi fuerant ultra montes, cùm redirent ad Curiam, & multi Prælati, Abbates, & Clerici, maximè per mare ad Concilium venientes per Imperatoris Friderici fautores per naves Pisanorum capiuntur. Hic quoque Gregorius cùm ab ipso Friderico Imperatore, qui tunc ex magna parte patrimonium Ecclesiæ occupaverat, in urbe obsideretur, videns etiam penè omnes Romanos per pecuniam corruptos esse, excipiens capita Apostolorum, & processionem à Laterano usque ad S. Petrum faciens, animos Romanorum sic revocavit, ut penè omnes contra Imperatorem Cruce-signarentur. Quod Imperator, quoniam se credebat urbem intraturum audiens, timens, longè ab urbe retrocessit.

Anno Domini MCCXXVI truncatur castrum Beteta in Diœcesi Tholosana, in quo hostes Ecclesiæ, & hæretici tutabantur. Quod Domnus Imbertus de bello Joco ex parte Regis Franciæ Ludovici obsedit in æstate sequenti anno Domini MCCXXVII. In quo Raimundus ultimus Comes Tholosanus posuerat munitiones viros strenuos bellatores ad defensionem ejusdem castri. Erant autem in exercitu ex parte Regis & Ecclesiæ cum eodem Domino Imberto, Dominus Petrus Amelii Archiepiscopus Narbonensis, & Dominus Fulco Episcopus Tholosanus. Quoniam quadam die transeuntem cum pluribus circa villam illi deintus clamantes Diabolorum Episcopum infideliter vocitabant: dicunt enim hæretici infideles Catholicos, Ministros Romanæ Ecclesiæ Diabolos, & ipsam Ecclesiam Sathanæ Synagogam: Et tunc qui cum ipso erant, auditis, inquiunt, quòd vos appellant Diabolorum Episcopum: Utique, respondit Episcopus, & verum dicunt; Ipsi enim sunt Diaboli, & ego sum Episcopus illorum. Castrum verò cum machinis expugnatum fortiter capitur, & militibus, & peditibus nocte fugientibus non paucis, cæteri qui inventi sunt partim gladio, partim fudibus ceciderunt. Parvulis autem & mulieribus pius Episcopus dabat operam eruendis. Hæretici verò Geraldus de Mota Diaconus eorum, & alii ejus socii flammis ignium sunt combusti.

Anno Domini MCCXXVII. circa tempus Paschæ, Raimundus Comes Tholosanus recuperavit castrum Sarracenum, quod à gentibus Regis, & Ecclesiæ tenebatur, obseditque, & conclusit munitionem in capite castri, & illos qui intus erant. Et licèt festinatus fuisset succursus per terranos, & alios, qui quo minus haberi poterant, ex parte Regis, & Ecclesiæ, ad obsessos tamen suos pertingere nequiverunt. Exteriùs enim Comes Tholosanus eos palo grandi concluserat cum propugnaculis faciem defensionis habentibus ad utrosque venientes extrinsecus, & incluso, quò etiam Narbonensis Archiepiscopus Petrus Amelii, & Fulco Tholosanus, Guido Carcasonensis Episcopi conveniunt; Advênit etiam Dominus Imbertus de bello Joco, qui ad terram suam in Franciam cesserat ad tempus. Accurrit etiam Archiepiscopus Byturicensis collecta manu armatorum, qui venerat, suam Provinciam visitaturus: Inciditque consilium Prælatis, & Baronibus, ut ex quo inclusis suis in castro Sarraceno non poterant subvenire, ibidem castrum vicinum Montegium obsiderent, quod obsessum cùm diebus aliquot expugnassent in deditionem ceperunt. Illi autem, qui erant in capite castri Sarraceni, cùm nihil prorsus, quod comederent, superesset, tradentes se salvâ vitâ castrum hostibus resignarunt. Consequenter autem disposuerunt talare, & destruere vineas Tholosæ civitatis, convocatisque viribus, undecunque advenientibus etiam Prælatis de Vasconia Archiepiscopo Burdegalensi, & Auxitano, necnon & quibusdam Episcopis, atque Baronibus cum plebibus suis Cruce-signatis circa festum Sancti Johannis Baptistæ versùs Tholosam dirigunt iter suum, & castrametati sunt in loco versùs Orientem, qui dicitur Podius Aymerici, & inchoaverunt à parte superiori vineas demoliri, quibus ab illo latere demolitis, ad locum, qui dicitur Mons Andranus, transferunt castra sua, & triplici labore ac dampno adversarios infestabant. Habebant enim viros plurimos, qui segetes desalcabant, item & alios qui turribus & muris forciarum destruendis pictas ferreas applicabant. Item & plures alios, qui terrendis vineis insistebant; quibus hæc erat quotidie disciplina. In aurora autem audita celebratione Missarum sobriè prandebatur. Et præmissis balestariis, accinctè subsequentibus præparatis in prœlium militum aciebus ad propinquiores civitatis vineas accedebant. Vix adhuc excitatis à sompno civibus civitatis, & inchoantibus inde versa ad castra sua facie conterendo vineas remeabant, quos paulatim sequebantur acies militares; & hoc ordine cotidie procedebant, donec ferè trium mensium completo tempore, ex omni penè latere fuit consummatum. Sicque dum quasi fugientes redirent, miro modo fugiendo suos adversarios superabant: Ad conversionem siquidem invitabantur, & humilitatem quibus subtrahebatur, quod propter consueverant superbire, sicut salubriter subtrahitur ægrotanti, quod nimietate poterat nocuisse. Ex hoc quidquid factum erat multùm ad propositum exercitus Domini, & Ecclesiæ pertinebat, ut ista vexatio adversæ partis daret auditui intellectum, sicut patuit ex post facto; Peracto igitur talationis, & demolitionis hujus negotio Prælati, Barones, milites, plebesque Vasconiæ ad propria redierunt. Residui autem in manu forti versùs Appamam ascenderunt terram usque ad passum Barræ Fuxensis Comitis invadentes, & juxta locum, qui dicitur Sancti Johannis de virginibus, in illa planitie figentes tentoria sua multis noctibus jacuerunt, & positis munitionibus, ubi erat expediens, revertuntur. Interea Venerabilis Abbas Grandis Sylvæ Helyas Ga-

Digitized by Google

Garini nomine venit de Francia auctoritate Legati pacem offerens Tholosanis. Qui cassati multis vexationibus prælibatis paci consentiunt faciendæ, & sumptis treugis miscentur colloquia circa Vazegiam, & quòd sit eundum in Franciam ordinatur, & locus ad veniendum primò fuit Meldis in Ebria civitate Comitis Campaniæ assignata, affueruntque tam jussi, quàm spontanei Archiepiscopus, ejusque suffraganei Provinciæ Narbonensis, veneruntque illuc Raimundus ultimus Comes Tholosanus, & alii viri, & cives Tholosani, qui in forma pacis, seu aliis instrumentis informatis nominantur. Eratque ibi Legatus, pluresque alii Prælati, qui fuerant evocati, ibi tractando pacis modum diebus pluribus est moratum. Deinde profecti sunt Parisius, ut in præsentia Ludovici Regis deberent omnia consummari, omnibusque ad calcem ductis, & sigillatis, reconciliatus fuit Raimundus ultimus Comes, & qui cum eo erant excommunicationis sententiâ innodati in die Parasceve Sancta in fine præcedentis anni prætaxati, inchoante tunc an. Domini MCCXXVIII. eratque pietas videre tantum virum tanto tempore tot, & tantis nationibus potuerat restitisse duci nudum in camisia, & in braccis, & nudis pedibus ad Altare. Erant autem præsentes ad hoc duo Romanæ Ecclesiæ Cardinales, unus Legatus noster in Regno Franciæ, & alius in Regno Angliæ Episcopus Portuensis; De forma verò pacis inter Ecclesiam, & Regem ex parte una, & Comitem Tholosanum ex altera, non est necesse hîc scribere, cùm vulgata & scripta habeatur, libet tamen interserere in hoc loco, quòd in primis juvenis Ludovici Regis auspiciis de tam prolixa guerra Comitis Tholosani, sic Deus ejus Provinciam honoravit, quòd de pluribus conditionibus in prædicta pace obtentis, & contentis unaque sola per se sufficeret quasi ad redemptionis pretium, si Rex eumdem Comitem invenisset adversùm se in campestri prœlio & cepisset, ut est quod Tholosani, & Comitatum Tholosanum sibi in vita concessum, tamen nulli posset hæredi suo relinquere, nullusque ejus hæres, vel filiæ nullum posset sibi jus reclamare, ubi soli ex ipsa filia unica nomine Johanna, & fratre ejusdem Ludovici Regis Domni Alfonsi tantùm descendentes. Item sufficeret ad pecuniam eam esse quinquennio ultra mare. Item quòd se ad solvendum XXVII. millia marcharum argenti obligavit. Item quòd totam aliam terram extra Episcopatum Tholosanum versùs Orientem infra Rodanum, & ultra Regi acquitavit & Ecclesiæ, ac dimisit; tacendo de cæteris, quorum se supposuit gravitatibus, quibus si captus esset mulctatus plurimùm videretur, ut quod factum fuit credatur factum non per homines, sed per Deum.

Comes verò Fuxi qui olim per se cum patre ipsius Regis pacem exquisierat sinè Domino suo Comite Tholosano, nec invenerat ut volebat, remansit in guerra, tradente Rege benefico pacis terram, quæ olim usque ad passum Barræ fuerat acquisita Comiti Tholosano, quam idem Comes tenuit, & posuit ibi Bajulos suos, donec processu temporis, postquam Comes Fuxi cum Rege composuerat, datis sibi à Rege mille libratis terræ in Cassesio, idem Comes Tholosanus dictam terram à passu Barræ inferiùs eidem Comiti Fuxensi tenendam tradidit ex comenda reddendam ei, quicumque eam requireret sinè mora. Post pacem autem Parisius celebratam sub an. Domini prætaxato MCCXXVIII. postmodum in sequenti mense Julii Magistrum Petrum de Collo medio gerentem vices Legati fuit reconciliata civitas Tholosana, Comite nondum reverso de Francia, qui de propria voluntate remansit in possessione Regis Parisius, donec muri Tholosæ corruissent, & castra, ac villæ fuissent reddita, pro ut in pace fuerat ordinatum, & esset tradita filia ejus Johanna IX. annos habens Regis Nunciis Carcassonæ, quam postea duxit Alphonsus frater Regis Comes Pictaviæ in uxorem. Factus ergo miles idem Comes Tholosanus à Domino Rege in festo Pentecostes mox impletis quæ pacta fuerant, ad propria est reversus, quem non post multos dies Legatus sequitur, præmissis ad terras pro diruendis castris Cruce-signatis cum indulgentia infinitis, qui priùs erant venturi cum armis, nisi pax intervenisset. Idemque Legatus Dominus Romanus ibidem Tholosæ post æstatem Concilium celebravit sub anno Domini prætaxato MCCXXVIII. cui interfuerunt, Narbonensis, Burdegalensis, Auxitanus Archiepiscopi, Episcopi multi, & alii Prælati, item affuerunt Comes Tholosanus, & alii Comites, præter Fuxensis, ac Barones Provinciæ, & Senescallus Carcassonæ, & Consules Tholosani, & duo unus de civitate, & alius de Burgo, qui statuta pacis, & totius universitatis animam juraverunt, tam Comes, quàm cæteri illud approbaverunt, & fecerunt, & idem postea tota terra. Ne autem videretur Legatus, sic erat vir circumspectus & providus, obmittere aliqua de contingentibus, mandavit inquisitionem fieri contra suspectos de hæretica pravitate, fuitque in ipso Consilio Guillelmus de Solario, qui fuerat hæreticus vescitus, & sponte sua recesserat ab hæreticis, restitutus ad famam, ut ejus testimonium & valeret contra illos, de quibus noverat veritatem; quæ inquisitio sic fuit ordinata, ut singuli Episcopi, qui aderant testes, quos producebat Tholosanus Episcopus, examinarent, & eorum dicta in scriptis redacta eidem Episcopo redderent conservanda, & sic possent multa in brevi tempore expediri. Et vocatis priùs, & auditis qui fideles reputabantur & Catholici, mox vocandis qui suspecti erant aliquibus in testimonium est processum, qui hoc præsentientes se invicem, ne quicquam contra se dicerent, præcluserunt, quod satis patuit ex post facto. Nihil enim vocati ad testimonium fatebantur; fuere autem quidam usi consilio saniori, qui primò ante alios venerunt, & Legati se misericordiæ subdiderunt, & ideo misericordiam invenerunt, cujus se quia dura cervice erant reddiderunt indignos, & postmodum qui coacti, & quasi tracti venerunt pœnitentias difficiles habuerunt, fuere & alii, sed pauci, qui dicebant se velle deffendere in jure petentes sibi tradi nomina testium, qui deposuerant contra eos, quia possent esse inimici, quibus credendum non fuerat, capitales. Et secuti sunt Legatum usque ad Montem-Pesulanum, taliter insistendo: præsumensque Legatus quòd hoc prosequerentur ut testes, quos scirent deposuisse specialiter contra eos, cautè eorum illusit instantiæ, omnia nomina testium in inquisitione tota excepta inde tamen eis tradidit intuenda, si fortè non suos cognoscerent inimicos, qui videntes se proinde circumventos, quibus nomina testium tradebantur, nec ob hoc nosse poterant quos suos dicerent inimicos, quoniam nescirent quòd deposuissent aliquod contra se, ab incepto litigio quieverunt. Legati se voluntati finaliter supponentes; transivitque Legatus

Digitized by Google

gatus inde Rodanum, & apud Aurasicam cum Cisalpinis Archiepiscopis & Episcopis, & Prælatis suum Concilium celebravit, & literas Provinciarum, quas ordinaverat contra reos de hæresi, quos Tholosæ per Inquisitionem invenerat, transmisit Episcopo Tholosano de castro Monarcii, ubi erat, IV. Kalendas Januarii, quas Episcopus Tholosanus reversus vocatis eis in Ecclesia Sancti Jacobi publicavit. In diebus illis fuit interfectus Andreas Calveti miles strenuus Senescallus Regis interemptus ab hostibus in bosco, qui dicitur Centenaria.

Anno Domini MCCXXIX. facta fuit Parisius inter Scolares dissensio, quam mox secuta est ad tempus multifaria dispersio. Alii quidem Remis, alii Andegavis, alii verò in Angliam, alii verò Italiam, vel Hispaniam, sive in alias mundi Provincias causâ studii sunt profecti. Multi quoque Magistri, & Scolares Tholosam venerunt, & rexerunt ibidem. Eodem anno in festo Sancti Silvestri Jacobus Rex Aragonum cepit Majoricam, ibique mortuus fuit in bello Guillelmus de Monte-chateno pater de Bearnio.

Anno Domini MCCXXX. Theobaldus Comes Campaniæ, item Comes Britanniæ, item Comes Marchiæ, & Raimundus ultimus Comes Tholosæ cum Rege Angliæ contra Sanctum Ludovicum Regem Franciæ convenerunt. Sed, agente Deo, parvi Regis viribus sunt repulsi. Eodem anno, procurante Concilio Prælatorum, Venerabilis Pater Dominus Clarius Episcopus Carcassonæ accedens ad Sedem Apostolicam Legatum obtinuit mitti ad negotium pacis, & fidei prosequendum, virum magnæ probitatis, & providentiæ Episcopum Tornacensem, qui cùm venisset, convênit Comitem Tholosanum Raimundum ultimum super illis articulis emendandis, qui dicebantur contra pacem nuper factam Parisius esse commissi, unde fuit dies assignata apud Castrum-novum in Ecclesia Petræ Albæ omnibus, qui causas haberent, conquerendi, ut in scriptis Comiti traderentur; Ipse enim promisit, quantum in ipso erat, omnia emendare.

Anno Domini MCCXXXI. in nocte Nativitatis Domini Venerabilis Pater Dominus Fulco Episcopus Tholosanus æternâ memoriâ recolendus sanctitate, largitate, benivolentia, gratia acceptus Deo, & Fidelibus, Infidelibus verò semper gravis cùm omnia benefecisset, & Episcopatum quasi olim mortuum suscitasset, & de manu laicorum traxisset decimas, unde possent sustentari honorificè successores, qui quando intravit Episcopatum unde viveret nec C. invênit solidos Tholosanos, Domino volente, servo suo diem clausit extremum, sepultusque fuit in Monasterio Grandis-Sylvæ, Cisterciensisque Ordinis, cujus Ordinis Monachus fuerat & Professor, Episcopatus sui anno XXVII. Cui successit venerabilis vir frater Raimundus de Falgario de Miro-monte Castro Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum in Provincia electus in Episcopum in concordia Capituli Ecclesiæ universi in festo Sancti Benedicti Abbatis in XL. sequenti, in Dominica verò quæ cantatur *Lætare Jerusalem* consecratur, & sequenti Dominica in Passione Domini suam Ecclesiam cum Processione Cleri, & Populi est ingressus. Inchoavit igitur idem Episcopus, ubi Prædecessor suus desierat hæreticos viriliter prosequendo jura Ecclesiastica deffendendo, Comitem modò de rigore, modò cum mansuetudine ad quæcumque bona poterat dirigendo.

Anno Domini MCCXXXII. Raimundus Comes, & Episcopus Tholosanus pernoctaverunt pro capiendis exploratis sibi hæreticis in montanis, quibus Dominus tradidit XIX. hæreticos vescitos inter viros, & mulieres, inter quos est inventus Paganus de Beteta, qui olim fuerat Dominus dicti Castri.

Anno Domini MCCXXXIII. Raimundus Comes Tholosanus fecit Statuta juxta articulos traditos, & ordinatos per Dominum Raimundum Episcopum Tholosanum ad correctionem, & emendationem illorum, super quibus convenerat eum Apostolicæ Sedis Legatus Episcopus Tornacensis cum Archiepiscopo Narbonense, & ejus suffraganeis coram Ludovico Sancto Rege Franciæ, in quibus Comes commiserat, vel minùs benè, sicut docuerat, atque debuerat, observaverat secundùm formam pacis Parisius celebratæ. Quæ Statuta publicata fuerunt, & promulgata in Claustro Sancti Stephani Tholosæ per eundem Comitem in præsentia Legati, & Prælatorum, & plurium Baronum, & Senescalli Carcassonæ, qui ea approbavit, & sumpsit in sua Senescallia servanda, fueruntque sigillata, & tradita Domino Ægidio militi ad hoc misso à Rege, in Franciam deportanda. Eodem anno in nocte Circuncisionis Domini inhorruit tam valida hyems atque continua, quòd pro majori parte sata fuerunt radicitus congelata; circa istud tempus sub anno Domini MCCXXXIII. Dominus Legatus fuit Bitturrim, Concilium celebravit, idemque super reformanda pace inter Comites Provinciæ, & Tholosæ, qui jam triennio & ampliùs usque ad illud tempus habuerant guerram ad invicem, plurimùm laboravit, nec labor effectum habuit, quem volebant. Fuitque autem dictæ guerræ causa, quia cives Massiliæ cum proprio Episcopo, & Comite Provinciæ discordiam habentes, adierunt Comitem Tholosanum, eumque fecerunt suum Dominum, ut civitatem contra Comitem, & Episcopum ampararet; quò cùm venisset in manu valida hostis Comes eum voluit expectare, & exinde dum vixit tenuit suum Vicarium, & de redditibus non quantùm ipse volebat, sed quantùm Cives volebant, qui jam periculum suum transierant, extrahebat, quorum inconstantiam frequenter necesse habuit experiri. In diebus autem Legationis ejusdem Episcopi Tornacensis per Summum Pontificem Gregorium IX. commissa est Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitio in partibus Tholosanis, Albigensibus, & Carcassonensibus, atque Agenensibus contra hæreticos facienda, sub anno Domini MCCXXXIII. Pontificatus sui anno septimo X. Kalend. Maji, fueruntque ad hoc deputati Fratres ejusdem Ordinis, qui Tholosæ quosdam citatos, & convictos hæreticos judicarunt; Cœpitque paulatim majores quosdam Inquisitio prævenire, factumque est ut nonnulli dorsa paleosa habentes difficultates opponerent, quibus possent inquisitionis officium impedire, quod in tam profecit in pœnis, atque prævaluit, quòd fratres Inquisitores Villam exire, idemque Tholosanus Episcopus cogeretur, & etiam totus Conventus Fratrum Prædicatorum unà nihilominus est ejectus.

Anno Domini MCCXXXV. Nonis Novembris de illis, quæ facta fuerunt Canonicis suæ Ecclesiæ Sancti Stephani, ac domesticis, & inquisitoribus labis hæreticæ, tacere satius est ob reverentiam civitatis, quàm per singula enarrare, cujus totam massam licèt in se bonam in illo stanti, & in illa instantia fermenti non modicum

Digitized by Google

eum corrumpebat. Anno Dom. MCCXXXIV. Ludovicus Rex Franciæ Sanctus postmodum declaratus Margaretam filiam Raimundi Berengarii Provinciæ Comitis duxit uxorem. Eodem tempore fuit fames magna, & potius in Pictavia; unde gentes herbas sicut bruta animalia comedebant, fuitque tanta mortalitas subsecuta, ut C. pauperes alfi. in una eademque die fovea, seu cavea conderentur. Anno Domini MCCXXXIV. VIII. Idus Julii Dominus Gregorius Papa IX. Pontificatus sui anno VIII. apud Reatam Tusciæ civitatem canonizavit, & Sanctorum Confessorum Cathalogo annotavit Beatum Dominicum primum Patrem, & Institutorem Ordinis Prædicatorum. Exonerato in diebus illis ab onere legationis Episcopo Tornacense subrogatur ei Legatus venerabilis Pater Dominus Johannes Archiepiscopus Viennensis; fuere autem multa per ipsius Legati solicitudinem ordinata, quo liberiùs inquisitio contra hæreticos curreret, & puritas fidei tutaretur. Interim autem processu temporis eodem Archiepiscopo Viennense à legationis officio liberato mittitur Legatus de Latere Summi Pontificis Episcopus Penestrinus in Romana Ecclesia Cardinalis. Anno Domini MCCXXXVIII. in vigilia Beati Michaëlis Archangeli Jacobus Rex Aragonum cepit Valentiam.

Anno Domini MCCXXXIX. III. Nonas Junii feriâ VI. facta est eclypsis Solis, adeòque obscuratus est Sol, quòd Stellæ videbantur in cœlo. Item eodem anno in festo S. Jacobi facta est eclypsis Solis iteratò, & obscuratus est Sol supra pallorem Solis, sed non sicut in alia precedenti.

Anno Domini MCCXL. tempore æstivo Raimundus Comes Tholosæ collecto exercitu valido intravit Tamargias, & fecit contra civitatem Comitis Arelatensis apud Trenchatalhan, Rodano mediante, & certatum est quasi per totam æstatem inter partes lapidum immissione molarium cum machinis hinc & inde, & aliis bellicis instrumentis, & navalibus aggressionibus super flumen, ferentibus auxilium Massiliensibus civibus, quibuslibet sicut Domino suo Comiti Thosano. Eodem anno & tempore Trencanellus filius quondam Vicecomitis Biterensis adhærentibus sibi Magnatibus Olivario de Terminis, & Bernardo de Ortalibus, & Bernardo Hugonis de Serra-longa, & Bernardo de Villa-nova, & Hugone de Romegos nepote ejus. & Jordano de Saxiaco, invasit terram Domini Regis Franciæ in Narbonensi, Carcassonensi Diœcesibus, & multa castra sunt conversa ad eum, Mons Regalis, Mons-Olinus, Saxiacum, Limosum, Asilianum, Lauranum, & quotquot voluerunt in illo impetu, & tremore. Ex adverso autem intraverunt civitatem Carcassonæ Venerabiles Patres Archiepiscopus Narbonensis, Petrus Amelii, & Episcopus Tholosanus, Raimundus, & Barones, terrarii, & Clerici plures de terra cum suis familiis, ac rebus de securitate civitatis, & burgi pariter confidentes: Nam Episcopus Tholosanus frequenter descendebat in burgum, & Burgensibus prædicabat confortans eos, & præmonens, ne ab Ecclesia, & à Rege discederent, qui nosse poterant, quòd fieri ea diu Rex nullatenus. (1) Dumque ista colloquia agerentur civitas messibus, & præventis vindemiis replebatur, mœnia ligneis propugnaculis coronantur, exiguntur machinæ, & omnia ut ad pugnam expectantibus, parabantur. Interea quidam de burgo latenter cum hostibus miscuere colloquium, quòd in burgum eos inducerent, procurantes. In ipsis quoque diebus Comes Tholosanus redibat de Camargiis ibi devastatis, & cùm venisset ad Podium Vauterium prope Carcassonam, Senescallus Regis exivit ad ejus colloquium, ut hostes de terra expelleret interpellans, ipso quoque Comite respondente, quòd super hoc Tholosæ suum haberet Concilium, ad sua undique redierunt. Et post paucos dies Episcopus Tholosanus, cujus lingua eucharis ad inimicitias erat efficax mitigandas, unà cum Senescallo descendit in burgum, & convenientibus in Ecclesia Beatæ Mariæ Burgensibus, & populo, quòd Ecclesiæ, & Regi, & illis qui erant in civitate adhærerent, & eos defenderent, omnes juramento super corpore Christi, & reliquiis Sanctorum propositis, tactis Sacrosanctis Evangeliis super Altare gloriosæ Virginis Mariæ astrinxerunt, & sequenti die in nativitate Beatæ Mariæ per Nuncium proprium, quem ipsi Burgenses Regi miserant, ejus literas receperunt, quas Prælatis & Magnatibus, qui erant in civitate cum apparatu magnæ lætitiæ ostenderunt, factumque est quòd ipsa nocte in burgum hostes Regis, & Ecclesiæ inducuntur, & recipiuntur, non obstantibus juramentis, & in contrarium conjuratur. Multi autem Clerici, qui erant in burgo ad Ecclesiam confugerunt. Quibus cùm de recedendo versùs Narbonam data esset licentia, & promissa securitas per suum Principem, sed tyrannum, sub sigilli sui testimonio viri mente corrupti reprobi contra fidem eos proditionaliter inter Sacerdotes, & Clericos XXX. & plures numero prope portam. Deinde incipientes minare instar talparum conantur invadere civitatem; sed occurrentibus eis defensoribus ex adverso sub terra à simili vulneribus & fumo & calce repulsi, cœptum laborem dimittere compelluntur; fuit autem in prima aggressione molendinum, quod munitum erat postato tenui, & vetusto captum, & qui erant in eo juvenes interfecti; Erat autem pugna valde vicina, & ideo periculosa, quia domus burgi erant juxta, quasi adhærentes civitati, è quibus cum Balistis nocere poterant & inchoare nova foramina ex occulto, recipiebantque desuper eum machinis, & molaribus calionem, certatoque sic ferè per mensem succursus mittitur de Francia, quem hostes non fuere ausi expectare, sed igne immisso in pluribus locis burgum venientibus resignarunt, V. Idus Octobris, & apud Montem Regalem se se continuò receperunt, quos & ibi obsedit exercitus subsecutus, cùmque diebus plurimis certatum esset, tamdem convenientibus Tholosano, & Fuxensi Comitibus, & tractantibus de pace, obsessi egressi inde cum suis equis, & armis castrum, ac populum dimiserunt: Hyemps enim jam adeò valida inhorruerat, quòd periculum esset ibi exercitum hyemare.

Anno Domini MCCXLI. IV. Nonas Maji mortuus est Rogerius Bernardi Comes Fuxi, cui filius ejus Rogerius successit in Comitatu. Gregorius Papa IX. multis tribulationibus concussus Romæ migravit ad Christum mense Augusti Pontificatus sui anno XV. Anno Domini MCCXLI. quamvis in aliquibus chronicis scribatur MCCXXXIX. sed malè. (2)

VITA

(1) *Supplendum* permitteret.

GREGORIUS.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(2) GRegorius, natione Campanus, mense Martii die XI. post festum Sancti Gregorii apud Septemsolium electus fuit. Sedit annis XIV. Hic Sanctam Elisabeth filiam Regis Ungariæ relictam Lantgravii, Thurringiæ canonizavit. Hic sententiam, quam Honorius præcessor suus contra Fredericum fulminaverat, robora-

VITA EJUSDEM
GREGORII PAPÆ IX.
EX CARDINALI ARAGONIO.

De Gregorio Papa IX. natione Campano, qui cœpit in Vigilia B. Benedicti, scilicet XIII. Kalendas Aprilis anno Domini MCCXXVI., & sedit ferè XV. annis.

Venerabilium gesta Pontificum archivis sunt mandanda fidelibus, ut ea digesta per ordinem, lectorum studia in vota gratiarum exerceant, & capiat de priorum moribus secutura posteritas vitæ felicioris exemplum. Inter hos itaque, quos ad summi Præsulatus fastigium erectos series recolenda testatur, Gregorius IX. Papa, velut fulgor meridianus egreditur, veteres vitiorum caligines, sæculi climata, quinimo ipsa Ecclesiæ luminaria offuscantes nova claritate propulsans. Hic enim natione Campanus de Anagnia nobiliori ejusdem provinciæ civitate, parte de Comitibus Signiæ, felicis memoriæ Domnum Innocentium Papam III. tertio gradu consanguinitatis attingens, matre verò de potentioribus Anagninis exortus, formâ decorus, & venustus aspectu, perspicacis ingenii, & fidelis memoriæ prærogativâ dotatus, liberalium, & utriusque juris peritiâ eminenter instructus, fluvius eloquentiæ Tullianæ, sacræ paginæ diligens observator, & doctor, zelator fidei, disciplina virtutis, rectitudo justitiæ, solatium miserorum, Religionis plantator, & cultor, castitatis amator, & totius sanctitatis exemplar. De Capellaniæ Domni Innocentii Papæ III. honorando Collegio in Cardinalem Sancti Eustachii modica interjectione promotus, non multò post in Ostiensem Episcopum ordinatus. Cujus officii tempore Pœnitentium Fratrum, & Dominarum inclusarum novos instituit Ordines, & ad summum usque provexit. Minorum etiam Ordinem intra initia sub limite incerto vagantem novæ Regulæ traditione direxit, & informavit informem, Beatum Franciscum, eis ministrum præficiens, & rectorem, quorum eodem rigante ad eos limites incrementa venerunt, ut præbente Divina Potentia per singulos Orbis terminos eorum Venerando Consortio vix viculus reperiatur immunis. Præter illa quidem mira existimatione notanda, quæ Fratrum necessitatibus pia liberalitate concessit. Domnabus eisdem in urbe Monasterium unum, scilicet Monasterium Sancti Cosmæ; in Lombardia...... in Tuscia.......... expensis innumeris, & ministerii sui subventione construxit, providendo postmodum necessitatibus singulorum. Eas etiam, quæ suæ prædicationis studio divinitus inspirante, parentibus dimissis, & patria, nec lacrymis emollitæ natorum, mundi superbiam, & temporales divitias commutaverant in paupertatis extrema, & in asperæ lanæ mordentes aculeos vestis pretiosæ contextum, post Summi Pontificii solium colligebat ut filias, venerabatur ut matres, ipsarum indigentiam uberioribus auxiliis prosecutus. Apud Anagniam verò ad Gloriosæ Virginis gloriam in paterno prædio Florensis Ordinis nobile Monasterium dictum *de Gloria* statuit, stipe decoratum mirifica, & pingui possessione dotatum; ibidem aliud construens ad Beati Martini Confessoris honorem. In Veltrensi Diœcesi Venerandum Monasterium de Mirceto. In porta civitatis Anagninæ ad usus pauperum Hospitale multarum possessionum largitione dotatum. Graves Romanorum discordias, per quas multorum excidia timebantur, ad insperatæ pacis concordiam futurus pater paterna solicitudine reducebat. Civitatem Ostiam turribus munivit, & muris, sumptibus, & laboribus magnis de manibus occupantium potenter ereptam. Qui tandem defuncto piæ recordationis Honorio III. sexta Feria, hebdomada verò majoris Quadragesimæ quinta, de communi, & impræmeditata Fratrum concordia, non minùs electione canonica, quàm inspiratione Divina, lacrymabili, & clamosa contradictione recusans, inter votivas eligentium manus pia vestium laceratione quassatus, in domo Beati Gregorii Gregorius ejus imitator assumitur apud Septem solia Summi Pontificis solium, Fratrum instantiâ devictus, ascendens. Demum verò Romanis exultantibus Populis, ac Clero jubilante præ gaudio, irruentibus etiam cathervatim utriusque sexus hominibus, Pontificali decoratus infula, in Lateranensi Palatio magnificè cathedratur. Tunc lugubres vestes mutavit Ecclesia, & urbis semiruta mœnia pristinum recepere fulgorem. Sequenti verò Dominica die, scilicet Sanctissimi Benedicti Benedictus Pater Prælatorum comitatus obsequiis, assistente innumerabili multitudine Romanorum, in Principis Apostolorum Basilica venerandus Princeps magnifico susceptus tripudio, ex Apostolicæ Sedis more suscepit pallium, plenæ potestatis insigne. Sicque Missarum peractis solemniis Summus Pontifex gemmis circumtectus, & auro ad Palatium Lateranense procedit. Die verò Resurrectionis Dominicæ subsequentis Missarum mysteriis in Virginis Gloriosæ Basilica solemniter celebratis, revertitur cum tripudio coronatus. Feriâ quidem secundâ in Albis in prædicta Petri Basilica Divinis Missarum Officiis reverenter expletis, duplici diademate coronatus, sub fulgoris specie in Cherubim transfiguratus aspectum, inter purpuratam venerabilium Cardinalium, Clericorum, & Prælatorum comitivam innumeram, insignibus Papalibus præcedentibus equo in phaleris pretiosis evectus per almæ Urbis miranda mœnia pater Urbis, & Orbis deducitur admirandus. Hinc cantica concrepant, inde præconia Populi jubilantis exsurgunt, & per vicos singulos clamosum resonat *Kyrie eleyson*: Aureis, argenteisque pla-

boravit. Hic cùm Concilium celebrare Romæ nititur, & ab Imperatore per mare, & per terram viæ artarentur, duo Cardinales, & multi Prælati, Abbates, & Clerici maximè per mare ad Concilium venientes per Pisanos Imperatoris fautores capiuntur. Hic Papa per Fratrem Raimundum Ordinis Prædicatorum primarium, (*Papebroc.* Pœnitentiarium) & Capellanum suum ex pluribus voluminibus decretalium compilavit volumen unum mandans ubique Doctoribus illo uti.

Hic Gregorius cùm ab Imperatore, qui tunc ex magna parte patrimonium Ecclesiæ occupaverat in urbe obsideretur, videns etiam penè omnes Romanos per pecuniam corruptos esse, excipiens capita Apostolorum, & Processionem à Laterano usque ad Sanctum Petrum faciens, animos Romanorum sic revocavit; ut penè omnes contra Imperatorem Cruce-signarentur, quod Imperator qui jam credebat se intraturum in urbem audiens, timensque longè ab urbe recessit. Hic Beatum Dominicum inventorem, & magistrum Ordinis Prædicatorum Bononiæ sepultum, & miraculis innumeris corruscantem canonizavit.

Digitized by Google

platea distinguitur tapetis pictis in Ægypto prostrata, & tinctis Indiæ, Galliæque coloribus ordinatè composita, diversorum aromatum suavitate flagrabat. Tubarum clangore turba concutitur, se certatim clamoribus mutuis exhortando. Judices, & Tabelliones cappis fulgebant sericis, aureis vestibus legione procerum decorata Græcorum, & Hebræorum catherva non modica Christi Vicario suis linguis, & ritibus laudis munia persolvebant, & puerilis linguæ garrulitas procacia fescenina cantabat. Sicque incredibili multitudine Populi cum palmis, & floribus, præcedente Senatore, ac Præfecto Urbis almificæ, non equis evectis, sed pedibus Pontificalis equi lora trahentibus, sub arcuatis platearum ordinibus micantium siderum imitantibus speciem, Pontifex Sanctissimus perducitur Lateranum. Decurso verò ibidem temporis spatio, quia Romani aëris suspecta conditio languores minabatur æstivos, primo sui Præsulatus anno æstate media venit Anagniam, Fratrum venerando Collegio comitatus, ubi proximo mense Septembris ordinationem faciens de Fratrum voluntate communi Sabinensem creavit Episcopum, duobus Presbyteris, & Diaconibus ordinatis; ibique sequente proximo festo Sancti Michaëlis Archangeli in maiori Ecclesia Pontificalibus indutus, ex more assistentibus venerabilibus Fratribus Cardinalibus, Archiepiscopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, sermonem exorsus hujusmodi. *Necesse est, ut veniant scandala*. Cùm Archangelus de dracone triumphans Fredericum Imperatorem frequenti monitione præmissa, votum exequi recusantem, excommunicatum publicè nuntiavit, qui sententiam excommunicationis à felicis memoriæ Domno Honorio Papa III. latam, cui spontè se subjecit, incurrerat, pro eo quod voluntariè signo Crucis assumpto in Terræ Sanctæ subsidium termino, quem sibi præfixerat apud Sanctum Germanum in venerabilium Patrum P. Albanensis Episcopi, & Gualterii titulo Sancti Marci Presbyteri Cardinalium manibus, proprio juramento firmato juxta Imperialem, pro ut tenebatur, magnificentiam non transivit. Interim autem sub mitiori cœlo grata redeunte temperie urbem regreditur Reverendus Antistes, à Clero, & Populo magnifica veneratione susceptus, Religiosis, viduis, & egentium aliis manum subventionis extendens, nec devotione Nobilium irremunerata dimissa.

Tunc Prælatorum Lombardiæ, Tusciæ, totius Patrimonii, & Apuliæ, ac aliorum, qui pro suarum prosecutione causarum ad Curiam venerant, Consilio convocato, post hujus profundi sermonis decursum, *quis mihi tribuat auditorem*, &c., respondentibus singulis vota sua, qualiter contra dictum Imperatorem procederet ordinavit. In Laterano verò turres, & palatia quorumdam Nobilium Romanorum, qui auctoritati palatii detrahebant, & ejus prospectui præstabant obstaculum, absque impedimento contradictionis evertit. Idem autem Imperator ad astutiæ solita commenta recurrens, quosdam Romanorum pretio, & mentita promissione corrupit, qui Dei timore contempto, patris beneficiorum immemores, inter ejusdem Pontificis jam anni secundi primordia Feriâ secundâ Resurrectionis Dominicæ ad Beati Petri Basilicam effrænata rabie properantes, dictum Patrem, & Præsulem super corpus Apostoli devotione solita Missarum solemnia celebrantem, clamore valido, vel latratu potiùs, adjectis comminationibus impetebant, & dum per manus innoxias Sanctissimi Præsulis in Altaris ara verus Dei Filius mactaretur, inter sacratissima verba Canonis, crucifixoribus Christi non dispares, ferinos dabant mugitus, ad cœlum ore clamantes, & manibus *crucifige*. Demum iidem Satanæ Ministri, perditionis hæredes, terrenam in eo potiùs, quàm Divinam potentiam formidantes, ad mandatum Sedis Apostolicæ cum satisfactione solemni non absque illius injuria, de cujus mandato venerant, redierunt. Eo tempore Imperator dictâ sententiâ, & juramenti religione contemptis, Christianum exercitum, quem per longa temporum spatia remissionibus, & sumptibus variis in Ecclesia Romana convocaverat, in civitate Brundusii regione pestifera, cujus ardoribus ipsa ferè solida metalla liquescunt, simulata proprii corporis ægritudine illo detinuit tempore, ut major pars exercitus aëris, & aquæ corruptione periret. Inter quos memoriæ dignæ Langravius procurata morte opinione publica creditur interiisse, quorum idem Fredericus ditatus spoliis, quæ fuerant innoxii sanguinis pretiũ solita calliditate mercatus, non multò post paucorum comitatus vestigio, voti nihilominus, & juramenti transgressor, non Imperator, sed veriùs pirata, transivit. Ubi quibusdam treugis, immo collusionibus initis cum Soldano, Civitas Sancta, quæ longiùs ipsius suspirabat adventum, fervit ignominiosiùs Agarenis, quam priùs violentia palliabat, consensu creverit, & auctoritate prætoris, & templo Domini sponte tradito cultoribus Machometi, pactum inivit cum Assyriis, sancta prostituens cuilibet transeunti. Ut autem domum Domini, & ejus Vicarium pari conditione subigeret, ad suæ infidelitatis indicium Raynaldum dudum Ducis Conradi filium Regni Siciliæ reliquit Vicarium, quin potiùs executorem nequitiæ præconceptæ, cujus obstetricante manu eductus est colluber tortuosus. Nam ipse à suo sic Catholico Principe acceptis epistolis, & mandato, ut si quos inveniret Ecclesiæ Catholicæ filios, & devotos, crudeli morte damnaret, sævas manus, nec impunitas postmodum extendit ad Sancta, Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, privatione luminum dehonestans. Cujus Frater Bertoldus Apostata, undique spoliatis Ecclesiis, & Sanctorum extumulatis corporibus, eorumdem Ordinum Clericos in summi Sacerdotis injuria, cujus sunt filii, & hæredes, effossis luminibus, demum turpissima suspendii morte damnavit, crudelis blasphemus, alludens se totam Missam pariter suspendisse. Minister impius in Christi ministros crudeli animadversione succensus eo nihilominus incœptæ crudelitatis exitia inhumaniter exequente, & demum Cæsaris urgente nequitia, quem dira concitabat barbaries, & Marchiam Anconitanam jure dominii per Romanam Ecclesiam antiqua traditione, possessam non minùs nequiter, quàm potenter ingressus, Montem de Ulmo, Maceratam, & quasdam alias ipsius Provinciæ terras, incolarum volente perfidia, occupavit. Patrimonii reliqui, & Ducatus fideles pretio corrumpere molitus, & fraude, ut patris præsentia cautela existeret filiorum, idem Raynaldus etiam Perusinis, inter quos tunc Romana degebat Ecclesia, grandem obtulit munerum quantitatem. Tunc autem Beatus Franciscus in civitate Asisii, quasi novum sidus in Ecclesiæ firmamento miraculorum claritate fulgebat, quibus per diligentem inquisitionis indaginem ex veridica te-

Digitized by Google

testium relatione probatis, Sanctissimus Papa Gregorius de Fratrum Consilio perrexit Asisium, ubi IV. Nonas Octobris anno sui Præsulatus II. cum venerabilium Cardinalium, & Prælatorum diverso Collegio. pretiosis ornatus cum palmis, & cereis, de mundi partibus multitudine Populi congregata post sermonis profundi decursum, cujus tale sumpsit exordium: *quasi stella in medio nebulæ, & quasi Sol lucens in diebus suis, sic iste fulsit in domo Domini*, post miracula recitata, & diligenter exposita Præsul Beatissimus profusis lacrymis Beatum Franciscum Crucifixi Ministrum, cujus corde, & corpore Stigmatum portavit vestigia, decrevit in Sanctorum Catalogo adnotandum, ac post triduum Perusium est reversus.

Eodem tempore Conradus Guizinardi (1) ejusdem Imperatoris nuntius manu valida Vallem Spoletanam ingressus, intravit sinè mora Fulginium civitatem apostatricem, primordium Schismatis, proditionis plantarium, totius infidelitatis detestandæ sentinam. Quo tamdem per vassallos Ecclesiæ invitis proditoribus ignominiosè dejecto, corruptibilis Populus ad fidelitatem Matris Ecclesiæ, si fidei titulo digni sunt, recidivo juramento præstito redierunt. Sævientem utique Raynaldi, & præconceptam nequitiam gestis durioribus prosequentem, ac iterata monitione præmissa Marchiam exire nolentem, Ecclesiæ Princeps anathematis gladio de Petri auctoritate percussit. Verùm quia nec spiritualis animadversio gladii corripuit delinquentem, necessitate devictus temporalem curavit Petri Successor gladium exercere, qui à Domino passuro quærente de gladiis recepit utriusque gladii potestatem. Idem autem copiosum exercitum per honorabilium Legatorum Johannis Hierosolymitani Regis Illustris, quem per Imperatoris dicti versutiam contra justitiam publicæ honestatis de Regno dejectum Apostolica Sede susceperat in gratiæ sinum confovendum, & Johannis Sanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis fidele obsequium in Marchiam destinavit; & ut impetitus (2) à pluribus ad singula debilior redderetur, Pandulfum Capellanum ejus expertæ providentiæ virum cum militum, & peditum bellatorum subsidio transmisit in Regnum, qui causam Ecclesiæ favente justitia fideliter prosequens, primo sui congressus limine castrum Insulæ conjunctum Campaniæ finibus expugnavit. Quo capto prærupta montana munitissimi Monasterii Casinensis ascendens, majorem Justitiarium, & Regni nobiliores in Arabum multitudine grandi, qui potenti manu ad defensionem loci concurrerant, paucis associatus Judicibus, Dei judicio dirigente devicit, castro nihilominus sibi eodem mandante Justitiario resignato. Et quia non est in conspectu Domini differentia in multis pugnare, vel paucis, paucorum vestigio inaccessibiles munitiones expugnans, infra breve temporis spatium usque Capuam obtinuit civitates, & castra. Propter quod prædictus Vicarius de Marchia fugitivus abscessit, aliena relinquens, ut propria custodiret. Advenerant etiam de remotis Galliæ partibus ad Matris Ecclesiæ repellendam injuriam devoti filii venerabiles Belluacensis, & Claromontensis Episcopi electâ militiâ bellatorum, quos Domnus Papa remisit ad propria, quasi alienis non egeat, victoriosus in suis. Idem autem omni laudis præconio recolendus Antistes Patrum metas liberalitate progressus, pro turbationis hujusmodi tempestate tollenda, & libertatis Ecclesiasticæ prosequenda tutela, præter illa, quæ memoriam æstimantis effugiunt, centum viginti millia Denariorum per fidele administratorum obsequium tunc expendit, quarum restitutionem prædictus Imperator promiserat stipulatione solemni, fidem tamen sicut & cæteris non daturus. Tunc optatus Pater ad urbem regreditur, venerabiliter à Populo Romano susceptus.

Anno verò ejusdem tertio dictus Imperator de partibus transmarinis regressus per venerabilem Messanensem Archiepiscopum, & Theutonicorum Magistrum veniam postulat, promittit emendam, pro servandæ fidei cautione offert civitates, & castra: quod tamdem Summus Pontifex multorum instantiâ devictus, assumit, per venerabilium Patrum Cardinalium studiosum obsequium compositione firmata, & sigilli Imperialis testimonio communita. Demum Terram tot acquisitam laboribus eidem quasi nova infeudatione concedit, in signum dominii, quibusdam sibi munitionibus reservatis, quas eidem postmodum adjectis conditionibus commendavit, nec ipsius vulnere solidato rancoris. Dumque suspecta prorumperent æstatis incendia, Summus Pontifex venit Anagniam, clementioris aëris indulgentiam percepturus. Ad quem inter Autumni primordia præfatus Imperator ex insperato pervenit, circa Sala salientis aquæ fontem irriguum castrametatus magnificè cum honorabili comitiva. In crastino autem ascendens Anagniam ad pedes venerandi Pontificis rejecto pallio reverenter accessit; & osculo dato aliquamdiu moratus ibidem, in Palatio majoris Ecclesiæ noctis spatia pertransivit. Sequenti verò die in ejusdem Patris paterno Palatio simul uterque Princeps in una mensa discubuit, Principum, & Magnatum ibidem militia magnificè convescente. Quo die per longos tractatus, & publicos, per secreta familiaritatis alloquia votivè decurso, Cæsar ad tentoria rediens properavit in Regnum, Summus autem Pontifex propinqua jam hyeme ad Urbem rediit à Romano Populo congaudente susceptus. Tunc in Lateranensi Palatio domos construxit altissimas, & Palatium nobile pauperum usibus deputatum. Romanis beneficia grandia elargitur. Sed hostis antiqui versutia, quæ dum ex uno repellitur, aditum invenit aliunde, Perusinos cariores Ecclesiæ filios crudeli seditione commovit, ut divisis alterutrum populis, & Nobilibus de civitate proscriptis, patris manus sæviret in filios, & filiorum in parentes. Furebat vicinus in proximum, & muri fraterno sanguine madebant, ac funditus eversis domibus, & arbustis excisis premebat intus famis inedia, & foris gladius indefessus. Sicque civitas ruinis exposita ferrum convertens in viscera, suis parabat exilium, absque remedio laxius ruitura. Occurrit in hoc Mater Ecclesia, filiæ desolatæ miserta, & Domno Johanne de Columpna titulo Sanctæ Praxedis venerabili Presbytero Cardinali pro ipsorum subventione præmisso, tandem circa æstatis initium quarto sui Pontificatus anno Perusium personaliter adiit pius Pater. Qui miserorum misertus angustias, & pia gestans viscera, cum afflictis reduxit exules, consovit egentes, tristes, & mœrore confectos consolationis remedio

(1) M. Guizmardi.

(2) M. impetus.

Digitized by Google

dio delinivit, omnibus factus omnia, medela, & refectio singulorum. Quibus ad pacis, & concordiæ fœdera cautione intercedente reductis, pro temperandis ruinis, & subventione damnorum novem millia librarum paterna liberalitate concessit, tribus millibus mutuatis eisdem, & ut quàm citiùs deserti filii perdita repararent, causam uberioris auxilii clementer adjecit, viginti duorum mensium moram percurrens ibidem, quæ solet regionibus beneficia desideratæ commoditatis afferre.

Premebat interim Romana rabies recidivo furore Sedis Apostolicæ libertatem, Ecclesias urbis angariis, Vassallos Patrimonii variis oneribus impetens; ex quibus ne Sponsa Christi remaneret inulta, quasi libellum repudii susceptura, videns Dominus quòd ipsorum cuncta cogitatio intenta esset ad malum, cœli cataractas aperuit, & secuta Tiberis tumentis influxio in domibus urbis usque ad tecta succrescens, homines non paucos, & jumenta delevit, frumento, & vino deperditis, lectis & vasorum grandium multitudine devectis in mare. Illamque serpentium magnarum congeriem intra urbis mœnia inundatio diminuta reliquit, ut eorum putredine molesta lues in homines, & jumenta desæviens magnam ipsorum partem tum morte, tum infirmitate damnarit. Qui divinæ ultionis judicium de offensa venire Matris Ecclesiæ cognoscentes, Cancellarium, & Pandulfum de Subura Procunsules, & Legatos apud Perusium ad pedes Summi Pontificis pro impetranda venia, & eodem ad urbem reducendo Pontifice cum honorificentia debita destinarunt. Qui benignus Pater, & Dominus, non elatus, sed humiliatus potiùs ex vindicta, tristes filiorum eventus, & supplicantium legatorum suspiria compassione paterna suscipiens, circa sui quarti anni exitum mensis Februarii hebdomadâ majoris Quadragesimæ primâ in urbem cum gloria, & inæstimanda lætitia Populi exultantis intravit. Quibus exhaustis, & famis attritis inedia, frumenta de vicinis partibus eo mandante collecta pia liberalitate donavit. Aliàs etiam circa ipsos de ubertate Matris Ecclesiæ, quæ super afflictis pia gestare viscera consuevit, eorum mœrori compassus, manus munificæ subventionis extendit. Tunc in Basilica Apostolorum Principis in majoris portæ vestibulo parietem altitudine prægrandi erectum vestivit lapide deaurato, nobilium imaginum decore distinctum. Campanam miræ magnitudinis concessit ibidem, quæ cæteras urbis & comparatione corporis, & boatu sonoritatis excedit. Tunc enim Anibaldo regente Senatum, quia in urbe propter Pastoris absentiam ille contagiosus morbus hæreticæ pravitatis irrepserat, ut occulto meatu proficiens jam publica nocumenta monstraret, inquisitione præhabita diligenti, ante ostium majoris Basilicæ Virginis Gloriosæ, Senatore, ac Populo Romano præsentibus, multos Presbyteros, Clericos, & utriusque sexus Laicos hujusmodi leprâ conspersos, tum testibus, tum propria confessione damnavit, Presbyteros ipsos, & Clericos sacris indutos, & demum spectante Populo universos vestibus spoliatos sententiæ perpetuæ depositionis addicens. Pontem autem Sanctæ Mariæ gravibus refecit impensis alluvione Tiberis demolitum. Et quia quædam urbis itinera sui concavitate reflexa per detentionem putredinum ferè inaccessibilia reddebantur, nec tamen absque gravissima Civium ibidem degentium corruptela, Pater munificus quædam fieri purgamenta decrevit, quæ Romani Clavicas vocant, per quarum vastos hiatus influente putredine salubriter aëri providetur, & viæ.

Cæterùm quia Romani Viterbienses immaniter persequentes, captis munitionibus, & hominibus de potentioribus civitatis, ac animalibus datis in prædam, annis singulis vineas, & segetes devastabant, per quod Viterbienses quidam desperatione commoti vicinos Ecclesiæ flagellis durioribus affligere non cessabant, ut idem Domnus à tali pressura fideles eriperet, duos de Fratribus suis venerabiles Patres, Ostiensem Episcopum, & T. (3) Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem Viterbium destinavit, per quorum manus fuit forma compositionis inventa, consensu partium, & sufficienti cautione vallata. Et licèt ille versutus Augustus augere discordias contra suæ majestatis debitum moliretur, minister nequitiæ fomenta gravioris odii ministrando, ut antiqui draconis imitator, & hæres per mille nocendi modos caudæ fraudulentis aculeo in matris pectus venenum infunderet præconceptum, ut vel mater filiorum destituta subsidio faciliùs ruinæ pateretur incursum, vel saltem turbationis experiretur angustias in dissensione natorum, nullius quietis beneficio potitura, Johannis de Polo tunc Senatoris Urbis, & quorumdam Nobilium, quos pretii mercede corruperat, suffragio comitatus, eam tamen Pater pro vi curavit invenire cautelam, ut hostis argumentis elisis discordes filios ad gremium matris Ecclesiæ reduceret, firmissimi fœderis unione pacatos, eorum sic labores metitur, & damna, ut de matris ubere Romanis filiis lactis copiam ministraret, nec relinqueret alios ubertatis extorres, quorum inopiæ, quam ex causa dissensionis incurrerant, viginti millia librarum Ecclesia Romana concessit, sanctiùs judicans vasa viventia, quàm metalla servare. Sicque pace discordantium stabilita, captivos liberavit utrimque vestibus, & muneribus honoratos. Sicque pius Pater circa salutem filiorum errantium provida liberalitate laborabat, ut hos à pœna destructionis eriperet, & alios præservaret à culpâ. Jam siquidem prædictus Pontifex æstatis proximæ suspicione permotus, quinto sui Pontificatus anno ad civitatem se contulit Reatinam, ubi pro eminentia loci, & aquarum fluentium copia, frigidioris aëris potitus obsequio, longi temporis spatium percurrit, ibidem multis & variis Ecclesiæ negotiis expeditis. Ubi etiam Fratrem Jacobum Cisterciensis Ordinis, totius Religionis, & modestiæ virum, Trium Fontium tunc Abbatem, assumpsit in Episcopum Prænestrinum. Tunc Castri Mirandæ Dominos, quos hæreticorum fautores, publici violatores itineris, & falsarios Papalis Bullæ, ac fraudati numismatis percussores, publica deferebat infamia, mandatis ejus parère nolentes, custodiæ mancipavit, munitionem ipsam jam potenter obsessam Ecclesiæ Romanæ faciens assignari. Quibus postmodum paterna pietate compassus, sex millia librarum Domnarum, & parvulorum subventioni, qui sicut à culpa, sic à pœna videbantur immunes, ac pro ipsius munitionis voluntaria exhibitione concessit, singulos nihilominus beneficiis singularibus prosecutus. Romanorum etiam exercitum in exterminium Campaniæ properantem de

(3) M. *pro* T. *legit* R.

Digitized by Google

de Castro Montisfortini, quò jam pervenerat, trium Cardinalium obsequio, quos ad eos destinaverat, non absque munerum intercessione revocavit. Ibidem autem manens Beatum Dominicum primum reverendi Ordinis Magistrum, & institutorem almificum, cujus vitam miracula subsecuta monstrabant, de venerabilium Fratrum, & Prælatorum consilio in Sanctorum catalogo adnotavit.

Sexto quippe anno Pontificii sui inter ætatis succedentis initia perrexit Spoletum magna jucunditate susceptus: ibique inter multa & alia negotia, quæ feliciter expedivit, Beatum Antonium de Fratrum Minorum Ordine, qui felicissimi Magistri vita & miraculis non dispar exstiterat imitator, Sanctorum consortio venerabiliter sociavit. De Spoleto postmodum per Reatinæ civitatis aditus, & Abbatiæ Sublacensis profectus itinera, Campaniam adiit, mense Augusti Anagniam civitatem ingressus, ibi majori parte hyemis feliciter consummata. Interim autem in Campaniæ partibus nobile Castrum Palliani, Populo & possessione fœcundum, adeò dira degentium seditio concitabat, ut alterutrum attriti molestiis solum ipsius exterminium per ignis incendia cogitarent: quod inexpleta Romanorum cupiditas rumore suscepto suis adjungere terminis viribus, & dolo procurans, homines Montisfortini latenter immisit, ut illud occasione discordiæ caperent indefensum, ex ejus sperantes dominio reliquam Campaniam subjugandam, quod verisimilius videbatur, nam inter fines Campaniæ situm, promptius præstare poterat hostibus familiare fomentum, præsertim cum, si remota timentur incendia, non veniunt cum securitate propinqua: Quorum astutiam Domni Papæ cautela præveniens, illud officialium suorum ministerio captum decrevit ad opus Sedis Apostolicæ custodiri, eodem fossatis præruptis, muro sublimi, & excelsæ turris præsidio communito. Et licèt ipsius structuræ primordia Romanus Populus interdicens, terroribus solitis exterminium patriæ minaretur, & Castri, non minus pastor intrepidus in hyemis algentis horrore, aquæ bullientis subsidio cœmentis habilitatis ad opus, quæ malitia temporis reddebantur inepta manu artificis celeris erexit eamdem. Ut autem hominibus Castri, & arcis custodiæ utiliùs provideret, ipsius loci nobilium domos, & possessiones non tenues novem millium librarum eis erogato pretio titulo emptionis accepit, quas subsequenter eisdem concessit in feudum Romanæ Ecclesiæ proprietate servata, largiori pecunia nihilominus pro ædificiis, & variis munimentis pro emptis possessionibus, & aliis usibus affluenter effusa. Castrum etiam Serroni, satis primo vicinum non modico emptum pretio, Ecclesiæ dominio applicavit. Munitissimum ibidem Castrum Fumonis structura nobili & grandi possessione ditatum, quod Ecclesiæ Romanæ demanium afferunt publica documenta, Nobiles quidam ipsius Domni Papæ propinqui, quorum custodiæ fuit antiqua Sedis Apostolicæ liberalitate commissum, detentione ita longa, quasi jure dominii vendicabant, per quos etiam itinera publica dubia reddebantur. Sed non acquiescens carni, & sanguini Pontifex venerandus, illud Ecclesiæ matri restituit arcta obsidione devictum, de pietatis manu trium millium librarum eis quantitate soluta, propter quæ Romanorum pectora dira commotione succensa, personarum pericula, & exterminia patrimonii promittebant.

Quo Fredericus Imperator prædictus apud Sanctum Germanum certa relatione comperto, qui (4) fidele defensionis præsidium Ecclesiæ Romanæ promiserat, ut juramento, & vassallagii obligatione tenetur, & fidei, & majestatis oblitus, Messanam properans nullo persequente discessit, hostibus taciti favoris auxilium ex cessione daturus. Fratrum ad hoc consilia dividuntur, dum pauci Urbis ingressum, plures accessum in Tusciam Summo Pontifici suaderent. Sed Christi Vicarius, cui brevitas temporis ad elidendos Romanorum impetus facultatem virium denegabat, & existens Anagniæ cum Apostolicæ Sedis honore exilium patriæ sustinere non poterat indefessum (5), nec absque præsidalis auctoritatis injuria provinciam deserere poterat fugitivus, Magistri vocem secutus, & actus, trepidantium Fratrum animos humili responsione collidens: *Vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis*; & persecutoribus similitudine quæstionis occurrens: *Si me quæritis, sinite hos abire*, zelo justitiæ, ac fidei favore succensus, fortis athleta, sanguinem ponere pro commissæ sponsæ libertate paratus, Urbem frementium bestiarum intrepidus, & constanter ingreditur, à Romano Populo cathervatim obviam concurrente incredibili veneratione susceptus. Res mira, & ab humana possibilitate remota, ut hostes proposito crudelitatis armati, audito Pastoris accessu, protinus ferocitatis animum mutaverint in devotionis affectum, & ora contumeliæ scurrilitate laxata in organa divinæ laudis composita, Patrum Patri præconia personabant. Nec iis Pater contentus devotionis indiciis, quæ solent apud eos venalitatis argumenta monstrare, ipsorum esuriem non modicæ pecuniæ refectione pacavit: sed illorum mens vulnere livoris effossa, nullius medicaminis suffragio valitura, pro depulso dæmone septem spiritus nequiores assumens, septimo ejusdem Pontificis anno in pejora prioribus commenta vexationis erupit. Quo tempore Urbis Senator inter statuta, quæ in Ecclesiasticæ libertatis exitium, & enormem Sedis Apostolicæ læsionem temerarius edidit, hoc grave promulgavit edictum, ut Roma, quæ Christi Vicario largitione Christianissimi Constantini, & sequentium Principum munimentis usque ad ætatis nostræ tempora illi fuerat servituti obnoxia, quod Senatoris electio, percussura monetæ, coquendi panis fornax accensa, ipsa etiam brutorum pascua sub tributo servirent, in hæreditatem suæ Dominæ suspiraret ancilla, & quæ sui libertate carebat, in Petri patrimonio quæreret novi Comitatus abusum. Pro quibus deducendis in actum Legatos in Tusciam, & Sabiniam destinavit, viros omni cupiditate notabiles, & immanissimorum scelerum patratores, quorum vesania non minus impetu munita, quàm gladio à Vassallis Ecclesiæ fidelitatis perjuria, & pecuniarum loculos extorquentes, in Castro Montis alti ultra virium potentiam excelsam turrim in signum dominii, & defendendæ occupationis præsidium construxerunt. Hæc est devotio filiorum, hic maternæ solicitudinis fructus, ut ubere jam ad sanguinis eductionem emuncto, matris procurarent excidium filii matricidæ. Invênit ad hoc consilium, procuravit remedium providus Ecclesiæ gubernator, & excusso depedi-

(4) M. *qui non leg.*

(5) M. indefensum.

pedibus pulvere, Damascum suis relinquens erroribus, Reate reatum delinquentium punitu- rus accessit. Cujus discordiæ causam dictus Imperator agnoscens, cum decrevisset [pro imminente sibi necessitatis eventu contra Henricum ejus filium in ipsius juris injuriam sibi] (6) jura Imperii vindicantem, ad Ecclesiæ patrocinium implorandum Reate concitus, nec invitatus advenit, Ecclesiæ causam, quam ut Advocatus ex Imperii debito, & Vassallus ex homagio Regni Siciliæ, gemino tenebatur defendere juramento, cum supplicatione suscipiens Domino Papæ, & Fratribus de ipsius fide dubitantibus prosequendam. Fecerat enim eorum judicia futuri profectus incredula mentitæ sæpius offerentis fidei conjectura. Quod prudenter tamdem Summi Præsulis cautela permisit, eligens potius felicem deesse negotio successum, quàm recusare debitum Imperatoris ipsius obsequium, per quod cùm ex conditione Regni, & Imperii teneretur, grave poterat Ecclesiæ præjudicium generari. Qui post tractatus, & collationes multiplices, post familiare convivium, quod eadem mensa, & scutella, communis simul utrique Principi ministrarat, ut cautiùs falleret, cautionem adjecit, Conradum natum proprium obsidem ad Summi Pontificis pedes exponens, Regni, & Imperii juribus pro fide servanda fraudulenter oblatis, sicut facta sequentia manifestant.

Licèt autem negotium ipsum sumptibus propriis sub præmissis cautionibus promiserat exequendum, quia tamen inter ipsa primordia mentita devotio decipientis propositum certis indiciis ostendebat, per quod dubiæ fidei dubius timebatur eventus, venerabilem Patrem R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem apud Castrum Montisflasconis in electorum multitudine militum ad comprimendam Romanorum superbiam cum Cæsare destinavit, ubi de concepta nequitia in partus venenatos erumpens Legatus infidus, & corruptibilis executor, deformans Prætoris solium, & imminuens Imperatoriam Majestatem, violato prioris fidei fœdere, mutatus in hostem hostibus se conjunxit, recessus sui diem certis cautionibus statuens, omnimoda interim indemnitate promissa. In suæ quidem apertioris infidelitatis indicium eos secreta familiaritate pertractans venerabatur in publicum, & muneribus honorabat, non minus in hoc pusillanimitatis opprobrio, quàm infidelitate notandus. Hic majestatis titulum in officium venaturæ commutans, non armis decoratus, & legibus, sed canibus, & avium garrulitate munitus, factus de Imperatore venator, excellentiæ sceptrum in ferarum venabula commutavit, & hostium vindictâ postpositâ in capturam avium solicitabat Aquilas triumphales. Sic igitur decurso jam temporis spatio, quo matris causam indevotus filius prosecutus (7) accessit, Romanis in die illa, qua idem sibi præfixerat, exeuntibus ex conditione, Castri Raspampani, quod à ruina sola ipsius præservavit astutia, obsidione relicta, inlicentiato exercitu, & gladiis exposito Romanorum, famæ prodigus, & honoris, fugitivus abscessit, proditionis maculam timoris mendacio cupiens colorare. Illa siquidem velocitate fugatis triumphalibus Aquilis vehebatur, ut de dicto Castro eadem die quasi hostibus terga petentibus delatus in Regnum non equitasse, sed volasse veriùs crederetur. Tunc Perusium adiit Summus Pater, ubi auditum deplorat infidelitatis eventum; dolores ingeminat mater Ecclesia de filio Patris & Patriæ delatore; prodit totus orbis in fabulam altum negotium tanta solicitudine procuratum, tam turpi collusione conclusum. Sed Dei filius sponsus Ecclesiæ resumpsit contra draconis insidias sponsæ causam; nam ipsius sponsæ Vicarius Ecclesiæ solicitus gubernator, cadenti negotio manum subventionis apponens, quosdam Teutonicos nobiles libertatis Ecclesiasticæ zelatores decrevit apud Viterbium pro defensione Patrimonii retineri; qui Romanos de sua præsumentes virtute ad ipsius Civitatis incidendas vineas, & arbores in gravi multitudine properantes congressu audacissimo fugaverunt, non paucis captis, & interfectis utrimque, victoriam tamen, & liberationem patriæ de cœlo, non ab homine, consecuti. Hi postmodum per Urbis confinia usque ad Campum Rotundum, qui ab Urbe decem distat milliaribus, discurrentes, totam Sabinam à Romanis civibus occupatam absque contradictionis obstaculo ad Ecclesiæ dominium reduxerunt. Romanis sic animadversione divina percussis, ut dum alienos terminos quærerent, suorum defensione carerent, Clericis Urbis perceptione redituum, & debitorum solutione mercatoribus interdicta, & ut multiplicatis viribus eorum colla vestigio premeret graviori, ultramontanis Prælatis omnibus pro stipendiis congregandæ militiæ pecuniam subventionis indixit. Quæ cùm jam consummato negotio non opportuna veniret, (8) eadem liberalitate, qua Ecclesiæ Nuntio soluta extitit, est solventibus totaliter restituta. Ibidem primò Crucis verbum, & Terræ Sanctæ subsidium, in majori platea civitatis utriusque sexus populo congregato, lacrymabiliter & devotè proponens, eorum turbam non modicam cum lacrymarum profluvio Crucis charactere insignivit, per mundi climata Crucis prædicatoribus destinatis.

Tunc etiam die....... Elisabet beatissima dudum Regis Ungariæ filia, & Langravii (9) conjux, novæ creationis stella in empireo claritatis exorta, orbis terminos prærogativâ miraculorum illustrans, inter alia nova, & prorsus admiratione stupenda, testium assertione veridica octo probatur mortuos suscitasse, quam Sanctissimus Papa Gregorius adhuc teneram, & divini lactis inexpertam suscepit in filiam, instruxit devotam, & coaluit verbi cœlestis irriguo jam provectam. Quæ protinus bibens imbrem, & cultum, & habitum quasi sanctæ mentis impedimenta projiciens, felicis propositi fœcundata conceptu, plures protulit manipulos operum, quàm susceperit semina præceptorum. Hanc igitur post profundi sermonis decursum, cui tale dedit initium: *Vas admirabile, opus Excelsi*, de venerabilium Fratrum, & Prælatorum consilio in Sanctorum catalogo sociavit. Recepit ibidem Soldani Iconii, & Battacii Græcorum Principis honorabiles nuntios in futuræ subjectionis indicium, pretiosa dona portantes, per quos tam ore, quàm literis Christianæ Religionis subire culturam, & redire ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ postulabant. Cujus propositum Princeps ille sic Catholicus impedivit, salutis Ecclesiæ præmium in commodum temporale commutans, & culturæ Christi ritus præferens Machometi. Sed dispensator mu-

(6) *Inclusa parentesibus verba M. non habet.*
(7) M. prosecuturus.
(8) M. demeret.
(9) M. Langravii dehessia.

Digitized by Google

munificus pretiosis remissis eidem quædam tapetia in signum devotionis accepit, quæ per Patriarchales Urbis Ecclesias liberaliter dispensavit.

Octavo verò anno Pontificatus ipsius de Perusio movens Viterbium adiit. Ibi Cæsaris nuntios de Lombardiæ negotio tractaturos recepit, multis & arduis negotiis terminatis ibidem. Nono quidem anno de Viterbio interjectione temporis Iteramnensem accessit: inde mense Augusti Reate profectus. Sed quia locus ille paludtris nimium sibi ex causa reumatis videbatur infestus, Iteramnæ juxta fluenta plenissima ordinatis arboribus undique, multæ commoditatis construxit Palatium Papalibus usibus non indignum. Tunc in Abbatia de Ferentillis munitissima emit Castra, quæ facit impensis propriis custodiri. Cæsar autem tumentis pectoris prærumpentes insidias diutiùs cohibere non valens, Petrum Frajapanum Romanum Civem genere nobilem, sed nobilitate degenerem, quem prædecessorum suorum vestigio Vassallum Ecclesiæ notio publica manifestat, blanditiis & mercede corrumpens, nummulario sibi cum pecuniæ loculis de Regni Siciliæ, spoliis patenter adjuncto, gravem absenti Pontifici seditionem excitavit in urbe, ac quorumdam Nobilium confisus obsequio, qui jam fere consumptis propriis animam venalem exponunt, in Petri Sede nefarium ponere titulum Cæsaris cogitabat. Ne verò putredo neglecti vulneris latiùs cresceret in reliquum corpus effusa, providit Pater doctissimus remedium festinatum, subitos languoris insultus forti medicamento præscindens; & fidelium Ecclesiæ in armis, & machinis acie ordinata, Cancellariam turrim illam Babel nullo priori fatigatam impulsu comminuit, & potenter evertit, ac Cæsaris majestate depressa. Degentibus ibidem erat sola fuga præsidium, & abdita receptacula in tutelam. Tunc etiam emit nobile Castrum Gualdi situm in partibus Spoletanis. ipsius dominis, (10) non modico pretio erogato, quod Ecclesiæ custoditur impensis. Montisflasconis, & Radicophani castra nobilia turribus munivit, & muris. De Iteramna civitate Viterbium veniens, corporis languore compulsus, pro civium ipsorum sedanda discordia difficultates multas subiit & labores, circa partes regionis ipsius anno decimo, & parte undecimi commoratus, ibique multos Hæreticos, quorum unus Johannes Beneventi Papa dicebatur ipsorum, tum ex testium assertione fideli, tum ex confessione propria, populo assistente damnavit, eorum domos, & turrim de nobilioribus civitatis ipsius funditus faciens emoliri.

Prædictus interim Imperator contra Henricum ejus filium, qui patris excluso dominio Regni Theutonici regebat habenas, disponens in Theutoniam proficisci, Sedis Apostolicæ subsidium imploravit. Sed pia mater ingratitudinis oblita præteritæ, compassionis viscera resumens in filium, quem educavit infantem, defendit multo labore pupillum, & provexit ad cultum Imperii jam adultum, ne planta tot cultæ sudoribus percuteretur uredine manu subducta rigantis, ad fructus adhuc uberes, falsa licèt opinione servata, eidem contra filium, & ejus complices concessit Apostolicas literas juxta petentis arbitrium, modum petitionis, & formam. Procedit itaque quasi novus Ecclesiæ Romanæ Legatus, literis Papalibus præmunitus, quorum censuram Theutoniæ Principes tutores Catholicæ Fidei formidantes, patris resumpto dominio, de filii consortio recesserunt, quem tamdem ad ejus gremium cum supplicatione veniæ redeuntem non induit stola prima, non occidit vitulum saginatum, sed proscriptum in Apuliam regionem longinquam pater hoste crudelior custodiæ mancipavit. Sic igitur ad jura restitutus Imperii, ut per affinitatis annexum funiculos extenderet longiores, sororem R. Regis Angliæ per interventum Sedis Apostolicæ cum instantia postulavit, quod multis elaboratum studiis obtineri non poterat, nisi Romana Ecclesia permittente, de cujus arbitrio Rex, & Regnum devotionis proposito, & subjectionis conditione dependent. Annuit voto petentis filii pius Pater, credens ipsum devotiorem efficere pluribus largitionibus gratiarum, & literis concessis ad votum, optatam sibi permisit conjugem copulari. Cujus occasione conjugii conceptam fraudem deducens in publicum, eamdem Provinciam, quæ Romanæ Sedi peculiaris existit, suo conabatur dominio applicare. Sic igitur Ecclesiæ magnificatus auxilio jam ultricem manum convertere cogitans in Lombardos, quos jura sibi longis subtraxisse temporibus, ac atroces adjecisse causas injuriæ causabatur, Lombardiam intravit contra Sedis Apostolicæ Consilium, & mandatum. Sed priùs vires viribus prudenter examinans, eos per Apostolicæ Sedis oraculum obtinuit amoveri, quorum Nuntiis cum Legatis Principis ad Christi Vicarium cum instrumentis de rato transmissis, in ejus tamdem arbitrio cum adjectione pœnæ per munimenta publica extitit compromissum, licèt finem non ceperit examinatum judicium, tergiversatione partium calumnias ingerente. Qui tamdem petiit in Lombardiam Sedis Apostolicæ destinari Legatum, cujus judicio celeriùs suborta quæstio finiretur. Ad quod venerabilis Pater Episcopus Prænestrinus, cui præter illa communia, quæ Pontificii conditione debentur, & hæc quæ regularis adjicit disciplina, zelus fidei, rectitudo justitiæ, ac fervor libertatis Ecclesiasticæ suffragantur, cum plenæ legationis officio destinatur. Quem cùm nollet à via Regia declinare, occasione concepta, quòd inter Placentinos Cives pacem firmaverat, sicut ex officii debito tenebatur, gravi suspicione notatum audire contempsit, eumdem contumeliis, & comminationibus prosecutus. Quo tamdem ad Sedem Apostolicam redeunte, post lapsum temporis ad ipsius Imperatoris instantiam venerabiles Patres Ostiensem Episcopum, & T. Sanctæ Sabinæ Presbyterum, Cardinales, quorum virtutis meritum vita protestantur, & fama, in partes easdem cum potestate simili Summus Pontifex destinavit, qui eam assumpsit in Ecclesiæ humilitatem superbiam, ut suam eis præsentiam, quam interdum turpibus immiscet conviciis, denegaret, in modico felicitatis judicio cuncta pro voto sibi mentiens successura. Qui tamdem absque ulla prosecutione negotii redierunt. Et quia rerum eventus non sibi succedebat ad votum, Imperator ipse venerabiles Patriarcham Antiochenum, Messanensem, & Panormitanum Archiepiscopos, Theutonicorum Magistrum, & Judicem Petrum de Vineis, Achitophel alterum, cujus Consilio, contemptis Principibus, Majestas Imperatoria regitur, & Respublica gubernatur, & Lombardiæ Societas pro se nonnullos Nobiles pro deci-

(10) M. domino.

Digitized by Google

decidenda quæstionis materia inter eos, diversis temporibus ad Sedem Apostolicam destinarunt, quæ longæ discussionis examinata judicio tamdem relinquitur per calumniam partium indecisa, licèt statera judicis diversis attemptata promissionum ponderibus in partem nequiverit inclinari. Nam post recusata munera, quæ sedentem in medio movere non poterant, fortiora Cæsar ipse incitamenta corruptionis adjecit, ut Summus Pontifex neptem suam naturali ejus filio copularet uxorem, quæ à Summo Præsule non majori fuere repulsa constantia, quàm levitate oblata. Ex quibus idem Fredericus in illam prorupit crudelitatis insaniam, ut Ecclesiam fortioribus perurgeret angariis, Religiosos opprimeret, & afflictis Regni Siciliæ lateres lateribus inculcaret; Orbem solicitat, turbat Urbem, Cardinales expetit, ut dividat, & cribret ut triticum, terrores ingerit, & suscitat quæstiones, credens timore corrumpere, quem pecunia non corrumpit.

Sed Pater intrepidus, lapis angularis Ecclesiæ, nec calore solvendus, nec frangendus impulsu, non promissis, non terrore commotus, provida deliberatione revolvens, quod in graviores solent flammas irrumpere incendia sic neglecta, per viros venerabiles Lombardiæ Prælatos, & alios Sedis Apostolicæ Nuntios super iis, & innumeris aliis, quorum alia sequens dabit assertio, efficaciter corrigendis, paterna curavit Imperatorem prædictum inductione movere. Propter hoc specialiter ad eum Gregorio Curiæ suæ Notario Legato Sedis Apostolicæ destinato, licèt post monitionem toties iteratam in partus prodiderit nequiores, nam ipse ingratitudinis filius non matris sauciatus angustiis eam à patrio latere proscribere cogitans, Johannem Cinthii tunc Urbis corruptibilem Senatorem corrupit juramento recepto, ut regressum Summi Pontificis impediret, qui Ecclesiæ Principem, per quam de rusticano tugurio Prætorium Senatoris ascenderat, Judæ socius Christi Vicarium pecuniæ mercede commutans, ne Petri Urbem Petri Successor intraret, portas Urbis, & muros curabat, quibus poterat conatibus, custodire. Sed devoti filii patris suspirantes adventum, proditoris elisâ versutiâ, Capitolium potenter aggressi, propulsis exinde turpiter hostibus, nobilem virum Jacobum Caputium, & alios potentiores Urbis ad reducendum eorum Patrem, & Præsulem destinarunt. Cujus precibus paucorum Fratrum accedente consensu, Pater venerabilis inclinatus, anno prædicto undecimo Urbem profecturus accedit duobus diebus apud Sutrium, parte Cæsaris adhuc Senatoris nequitiam excitante. Illa tamdem venientem patrem Romanus Populus tanta veneratione suscepit, cum eodem Senatore incredibili malitia (11) obviam exeunte, ut quasi novus Pontifex in novæ receptionis gloria putaretur. Psallebat Clerus, Populus exultabat, expectabat pupillus, vidua lætabatur, plaudebat Græcus, confitebatur Hebræus, nullus sexus, nulla conditio de tanti Patris lætitia reddebatur immunis. Tunc idem oneratis navibus Romanos vino, & frumento stabiliens, longam ipsorum amovit inediam, frumento per regiones Urbis manu Sacerdotum fidelium distributo, ac in misericordia uberi, quos paupertas depresserat, subventione pecuniæ levavit egentes, pro quorum corrigendis excessibus, ut de patris ubere flagella disciplinæ sentiret, & de matris ubere blandimenta, plusquam centum millia librarum fuere soluta.

Anno postmodum duodecimo Pontificatus sui Anagniam properans, suspecti aëris declinavit insultus. Porrò tortuosus coluber ille Cæsar in patris, & natorum reconciliationem commotus concepta venena, quæ priùs sub squammarum tegebat velamine, interdum punctionibus occultis, immissa jam aperta læsione revelans Bobacianum, & Ægidium Boëtii, ac quosdam de Urbe potentes foro venalitatis expositos, plus offerentis arbitrio applicandos, pecunia propitiante corrupit, & auri sacra fames publico proclamata præcone impudicos filios de ubere matris sic avulsit, ut contra Christi Vicarium se potenter armarent muniti charactere Antichristi. Quorum solvit colligationes iniquas manus erudita Pontificis, & per devotum Johannis de Judice tunc Senatoris obsequium, turres hostium, & operosi marmoris tabulata Palatia, nobile vestigium prioris ætatis, in opprobrium ruinæ redegit. Tunc Cæsaris cessere præconia non auro, non astutiâ revelata. Jam quidem æstatis suspicione cedente, ad Urbem Summus Pater regreditur grandi veneratione susceptus, qui licèt innumeris vexatus angustiis erat, tamen in Divini nominis contemplatione robustior, & Prædecessorum solicitudine devincens, & actus, electissimi serici colore, ac tincturæ mirabilis indumenta multiplicia Pontificalis officii, auro, & gemmis pretiosis intexta, in opus Sacerdotale distribuit, ea juxta varietatem colorum solemnitatibus temporum allegorica considerationc conformans ad Altaris ornatum in auro nitore gemmarum, quorum nobiliùs cum smaltis aureis pomorum quantitati conformibus, gemmis electioribus, & auro contextum mille librarum æstimatione probatur, & operis distinctione multimoda velamina pretiosa concessit. Crucem auream triginta sex auri marchis appensam opere mirabili, gemmarum varietate distinctam, quorum pretium æstimationem non capit, grandem pretiosi ligni Crucis vivificæ quantitatem ingenio subtilis artificis contegentem, ejusdem deputavit obsequio, cujus pes argenteus aurea superinductione contentus, & capsa multæ soliditatis argentea viginti marcharum ponderis pretio (12) appendunt. Sicque totius operis æstimatio præter inæstimabile lignum Crucis mille marcharum argenti purissimi consideratione malleatoris excedit. Libros contulit electioris literæ, ac picturâ decoros. Hic constituit, ut semper in sexta Feria in vesperis completo solito cursu cantetur *Salve Regina*, & in nocte Antiphona: *Beata Dei Genitrix Maria*, secuta oratione, *Deus, qui de Beatæ Mariæ*, &c. Et quòd ante Corpus Domini, cùm idem conficitur, campana pulsetur. Interim autem ebulliens serpentis astutia venena prodebat in publicum in Christi Vicarium, & Fratres venerabiles Cardinales, ac ejus sanguinis proximos, sanguinis effusione suspirans, sicut ipsius literæ testabantur eisdem Cardinalibus, & Populo Romano transmissæ, quæ præter comminata supplicia personarum, Apostolicæ Sedis dissidium, & grave famæ dispendium sapiebant, si tamen contra famam Patris laudabilis filius admittatur infamis. Quis enim sanctum esse dubitat, quem apex tantæ dignitatis attollit? Quis enim non dicat hæreticum Sedis Apostolicæ subversorem? Cùm enim Sacrosanctæ Sedis Antistitem sanctum asserant sacratissimæ

(11) M. militia.

(12) M. pondere publico, &c.

Digitized by Google

mæ sanctiones, pœnam meretur sacrilegi de tantæ Sedis potentia disputare. Satis in ejus pœnam præter culpæ gravioris excessum miseri Regni Siciliæ continuata molestia sufficere poterat, utinam non in salutis dispendium ab Ecclesia tolerata, cujus nutritus, & provectus uberibus ipsa tamdem ubera dentium laceratione quassavit. Et ut à Sanctuario manus sævientis inciperet, & in domesticos peregrina inhumanitate sæviret, Catanensem Episcopum Regni Siciliæ Cancellarium, ex cujus ubere gratis obsequiis prima ciborum rudimenta suscepit, crevit, & profecit impensis, sub ejus tutelæ præsidio jam adultus inter suæ senectutis extrema proscripsit exilio, & ea paupertate damnavit, ut viventem vita repelleret, & mortuo mors ipsa funeris denegaret impensas. Archiepiscopum Tarentinum, & Caphaludensem Episcopum illa sibi familiaritate conjunctos, ut idem scyphus ferè & manus eadem communiter alimenta præberet, nec esset ei præter ipsorum notitiam singulare secretum, ministerio privavit, & gratia, & hominibus eorum datis in prædam extra Regni limites iniqua temeritate proscripsit. Alifanum Episcopum à patriis laribus exulem, captivatis fratribus, miserabilis vitæ cursum compulit exilii paupertate finire. Calmensem Episcopum à Regno dejectum grandi oppressit inopia, fratrem ipsius laqueo suspensionis addicto. Soranus Episcopus nec ipsius furoris non expers quærere cogitur limites alienos. Nafranis Episcopi mortis amaritudinem in exilii paupertate biberunt. Minores Fratres, quorum vitam ipsa Paganorum duritia veneratur, hic Pagano durior flammarum atrocitate damnavit. Militensem Decanum in maris fluctus levi suspicione demersit. Neapolitanum Archiepiscopum, Archipresbyterum (13) Montorii, & Thomasinum, Cantorem Messanensem longa maceratione carceris interemit. Magistrum Nicolaum Subdiaconum Messanensem ignis acerbitate combussit. Magistrum Berardum Domni Papæ Notarium, & Salernitanum Archidiaconum, & alios innumeros Clericos ablatis spoliis exilio deputavit. Et sic multis Ministris Ecclesiæ tum exilio, tum morte damnatis, nec sanguine satiatus innoxio, propinquiores ipsorum pænè non relinquit extorres. Ipsiusque & sanguinis, & spolii insatiabilis appetitus, nobile Monasterium Casinense, quod Ecclesiæ Romanæ nullo mediante subjectum, ut ipsius fundatio, & Apostolicæ Sedis ostendit Archivum, cujus etiam sunt ædificia per Victorem Apostolicæ Sedis Pontificem opere decoro constructa, in quo venerabile corpus Beatissimi Benedicti quiescit, in illum casum ignobilitatis adduxit, ut Castris, Vassallis, & possessionibus spoliatum contra munifica Sedis Apostolicæ Privilegia, & multorum Imperatorum indulta singulari præeminentiæ libertate, ditioni suæ taliter vendicare præsumens, ipsum Monasterium inter Monasteria cætera dignitate, ac emunitate sublimis, venerando Monachorum depulso Collegio prædonum contagiis deputavit, per quod fœlix illa Religio, quam legione depulsa dæmonum Beatus Pater ibidem instituit, in Ordinis contumeliam relegata in sæculares abusus commutare cogitur observantias regulares. Aurea verò, & argentea vasa loci ejusdem ministerio Altaris addicta, in vasa ventris officium procurantia conflavit, manu sacrilega sacra vestimenta prædatus. Ejusdem quoque Satanæ satellites, & Principis execrandi Ministri, tantæ verecundiæ templum inquinamentis variis profanantes, pro solitis aromatibus incensorum ibidem offerunt fœtida lenocinia mulierum, sanctum Dei prostibulum statuentes, Matutinos, & Laudes in præconia Cæsaris, & Hymnum Angelicum in lasciviæ cantica commutando, quorum unus excubiis murorum insistens, spiritu nequiori correptus, Monachum quemdam ibidem, quasi racemum post vindemiam derelictum, sub ipsius custodis ambitum improvisis passibus incedentem urinæ profluvio impudicè perfudit. Qui statim post Monachi lacrymas, & Benedicti præsidium imploratum, ille toto corpore gravi lepra percutitur, ut corporis miserabilis membra, velut elimato percussa gladio profundatis ulceribus conscindentur in frusta, sic quod vix multorum vehiculo apponi potuit Consortio leprosorum. Jurisdictionem etiam, quam idem in Sancto Germano, loco utique populoso, & multa commoditate dotato, longa traditione possederat: Castrum etiam Atini, (14) Roccam Bantræ, Roccam Guillelmi in ejus confinio; In Calabria Castrum Malveti, & possessiones non modicas suo dominio in Ecclesiæ Romanæ injuriam, & Beati Benedicti, applicavit. Monasterium Turris majoris abstulit, Castrum, & Villam Ecclesiæ Melfiensi, Villam Trojanam, Casale Sancti Laurentii Aversanæ, duo Castra Salernitanæ, Castrum Olibani Tarentinæ, Casalia tria Caputaquensi; Pollicastrense Castrum, Monasterium Sanctæ Euphemiæ, Castrum, & Villam Militensem, Castrum Reginæ; Castrum Syracusanum, Casalia quatuor, Cephaludensi; Civitatem, & Castrum, Catanensi, & Castra duo nequiter abstulit, suo dominio applicatis eisdem, ac homines civitatis ipsius, qui tantùm Catanensi Ecclesiæ tenebantur, ad sui demanii loca nova transvexit. Nec iis contentus molestiis, proventus Ecclesiarum vacantium, & earum, quas subtili procurat ingenio pastorum carere præsentia, quosdam in proprios convertit abusus, alios in ædificiis castrorum expendit, Christi ministros in lutea cœmenta commutans. Hospitalariis, & Templariis, quorum sanguine terra defenditur, cùm deberet adesse præsidio, adeò molestiis occurrit, quod eorum terras, quas eleemosynaria devotio contulit, ambitiosa manus extorqueat indevoti, ut homo vivat in adipe, Christus in paupere moriatur. Nobiles domos ipsorum apud Carolum pia fidelium erogatione constructas in Crucis evertit injuriam adversarius Crucifixi, de quorum quadris lapidibus perito ligatis artifice in civitate Muceria, in quam ejectis Christi cultoribus cultores intulit Machometi, opere regio construxit Palatium, in cujus ædificio parte Cathedralis Ecclesiæ ipso mediante destructa, ubi titulus Altaris extiterat, ille Christianissimus Fredericus Palatii purgamenta substituit, & ubi Dei Filius mactabatur in ara labem hominis purgaturus, filius hominis in contumeliam Creatoris ventris immunditiam positurus accedit. Illius quidem civitatis Antistes de tot millibus hominum, quos Christiana Religio congregavit ibidem, duodecim Christicolas habere permissus, dum immunito Populo fidelium caret Consortio, alienigenarum contubernia circuire compellitur, & linguæ nativæ officium in Arabum convertere idioma, olim opulenta possessione fœcundus, nunc pauper serviens sub tri-

(13) M. *τὸ* Archipresbyterum *non leg.*

(14) M. Antini.

Est etiam, quod causam non minoris doloris adjiciat, dum Saraceni avidi Christiani sanguinis effusores impunè perimunt Christianos; & si defensionis præsidio, vel inopinatis eventibus occiditur Saracenus, qui causam dedit, damnatur ad mortem, ac ipso nullis invento, præsumptionis indiciis illi gravi pœna multantur, in quorum confinio invenitur occisus. Quis non turbetur in prænuntio Antichristi? Quis Pilati non defleat successorem, imo majori Pilato crudelitate notandum, cùm ille manus laverit, hic infigat, ille saltim occidi permiserit, hic extinguat, ille furorem populi curavit evertere, hic errantem populum peccare compellat? Sed adhuc manus sævientis extenta Clericos in sortem Domini assumptos, & religiosos singulos, in quos suæ potentiæ frena laxantur, durissimis affligit angariis, & quos utriusque testamenti pagina libertate dotavit, hic innovator sæculi nova servitute condemnat, ut nec sexus nec conditio sub tyranno respiret. Regni Comites, & Barones, quibus tota florebat Apulia, & Sicilia præmunita gaudebat, quorum obsequio, sicut ex homagio tenebantur, colla rebellium Sedes Apostolica comprimebat, alios damnavit exilio, alios ferro peremit, quosdam famis consumpsit inedia, quosdam carcer tenebrosus exhausit, hos laqueus, illos gladius interemit, nonnullos mare absorbuit, multos ignis acerbitas crudeli damnatione decoxit. Talibus hos Christi milites Princeps Christianus honorat, talibus recompensat stipendiis obsequia ministrorum, & ut nulla crudelitati suffragetur exceptio, cùm in exactionibus repetitis bona quæque concessit extorsio, patres capiuntur, & nati, & si non est unde pacari valeat extortoris instantia, examinat suspendio fœminas, ut pœnis extorqueat, quod in terræ visceribus callida credit opinione sepultum. Molle genus hominum fœminas, nec Cæsaris ira dignum, non culpæ qualitas, sed avaritia tortoris affligit; non præsumptæ suspicionis opinio, sed libido excruciat sæviendi; rationale animal irrationali crudeliùs in eas pœnarum exercet aculeos, cum quibus sua lenocinia frequentavit, plus amator pecuniæ, quàm salutis, eis, in quarum complexibus ponit animam, illectus pecuniâ non indulget. Hoc habet jumento crudeliùs, quod masculus sævit in masculum, sed fœminis caudæ lenimento blanditur: idem autem non substantia, non pecunia, non sanguinis effusione quietus, ut nullius pœnæ, nullius injuriæ inveniatur immunis, afflictas virgines, & adhuc parentum recenti sanguine cruentatas in consolationis remedium Rex piùs prostitutionis sibi conjungit abusu, ac emissarius indefessus in fœminas, non conjugatis, non solutis indulgens, aggreditur viribus, quas non permittit assensus, & quas oculus venator obtulerat, currui fœminarum adjungens, dulcis coccini glareis ante se trahit innumeras, & post se multitudinem subsequentem. Pirata crudelis virginum piscatus naufragia, procacissimis Syris pudicitiam puellarum exponens, quas Christianus character impresserat, proscriptione longa cum Soldano mercatur, ut templum Domini castitatis signaculum immundus solvat, & polluat Agarenus. Nec in iis avertitur furor ejus, sed adhuc manus sævientis extenta, (15) nam præter illas exactionum species, quas personale procurat edictum, novus monetæ falsarius, dum æra cudit diverso charactere argenti tenui superinducta cuticula, exponit occultus mercator venalia, nec quartam partem pretii valitura Salis, & ferri, ac eorum omnium, quæ usibus debentur humanis, commercia interdicit, ut nulli emere, vel vendere liceat, nisi priùs novi juris, vel injuriæ sua portio deducatur, Pharaone crudelior, qui si subtractis paleis lateres duplicasset, commercii saltem non privaverat libertate. Hic est Rex Religionis amator, sic indicens ipsis Sæcularibus observantias regulares, ut dum omnia sibi communicanda decernit, nihil eos proprium patiatur habere. Si talia Rex unctus debuit, si hæc Imperatoriæ competunt majestati, Judex districtus examinet, & vindicet Dominus ultionum. Quòd si salutis prodigus sententiam superioris eludat, videat ne de Feudi cognitione succumbat, qui limam correptionis evitans, contra juramenti debitum tot perversis modis, & motibus delinquit in Feudum.

Beneventanam utique civitatem non minùs fide, quàm dignitate præclaram, quam post alta Urbis, & admiranda fastigia, cunctis illustriorem Urbibus, & prima suorum mœnium fundamenta, & privilegia libertatis antiquæ omni exceptione majora testantur, devotione præcipuam, constantia singularem, amœnitate conspicuam, rebus, & virtutibus opulentam, quam in Regni centro Sedes Apostolica suo judicio in signum dominii reservavit, illis premit, & angustat doloribus, ut adhibitis in vestibulo portæ custodibus intrare, vel exire volentes, nova solvere pedagia compellantur, terras excolere nisi datâ redemptionis pecuniâ non permissi, eisdem in Regni finibus commerciis interdictis, nec ad matris licet recurrere gremium, nisi qui manus insequentium evaserunt. Tali obsidione conclusis hoc solum adesse videretur auxilium, ut in manus devolverentur hostiles, nisi præstaret probata fides obstaculum, quæ molestias alleviat passionum. Et adhuc manus sævientis extenta Regnum quærens, & Sacerdotium vendicare, vacantibus ipsius Ecclesiis Regni pastorum non patitur præsidio subveniri, tot animarum occisor, quot per pastorum absentiam transeunt incorreptæ (16) ipsarum bona pauperibus, & Christi deputanda ministris, in usus convertens illicitos temerarius dispensator. Habet præterea mater Ecclesia quod in filio doleat, quod defleat in Fidei defensore, dum ipse, qui recedentes ab ubere deberet manu susceptæ solicitudinis ad matris gremium revocare, repellat aversa facie venientes. Nam nuper Regis Tunisi fratrem ad Sedem Apostolicam accedentem sacramentum Baptismatis recepturum detentione jam longa prohibuit, in voto prosecutus alterius, quod in suo factus apostata detestatur, onerosus patronus struentis Ecclesiæ structuram impedit, dum curat evertere fundamentum. Venerabilem Patrem Prænestrinum Episcopum, quem in Provinciam pro pace patriæ Sedes Apostolica decreverat destinandum, gravibus interjectis obstaculis impedivit verenda de Principe manifesta suspicio, ut inter fideles Ecclesiæ, quos ipsius dominii limes non colligit, pacis patiatur accessum, qui Christi hostibus quietis tempora iniqua consideratione procurat. Civitatem Soranam contra pacis formam, spreta juramenti religione, combussit, nec permittit Ecclesias reparari, crudeli sententia cum corporibus Sanctorum exustas. Ut autem majori pœnæ se reddat obnoxium, quo culpam in terminos laxiores

(15) M. extensa.

(16) M. incorruptæ.

xiores immittit, ad Ecclesiæ terras, & Ecclesiarum bona sacrilegas manus extendens, Ferrariam, Pigognagam, (17) Bondenum, (18) Massam, Lunensem Diœcesim, & Terram Sardiniæ contra juramentum super iis conservandis specialiter præstitum occupavit. Et licèt idem nuntios quosdam verba portantes in dolo ad Sedem Apostolicam destinavit, ut sub excusationis velamine, termino latiori surrepto, profundiùs aculeos latentes infigeret, dum cautè innuit de correptione cautelam: veretur tamen providentia paterna, ne interim incorrepta nequitia (quod inditia manifesta monstrabant) in graviora prioribus erumperet nocumenta, ac proinde in ejus ulcera, quæ monitionum fomenta non senserant, remedium ferri medicinalis apposuit, eumdem membrum Ecclesiæ putridum per Excommunicationis sententiam à fideli hominum communione proscindens, absolutis eis, qui sibi juramenti, vel fidelitatis debito tenebantur, loca etiam, ad quæ pervenerit, supponens Ecclesiastico Interdicto.

Tunc Cæsar ipse cæsus levioribus citra meritum delinquentis, non sub Christi Vicario humiliatus, sed super omne id, quod Deus dicitur, aut colitur, elevatus correptionis divinæ medelam in suæ nequitiæ recordatione non sentiens, elatus ex verbere, Fredericus frendens, & fremens, absorbet iram, nec latæ sententiæ reputat sonare clangorem, factus cerastes in semita, ungulam equi dentibus detractionis aggreditur. Ut famam dejiciat ascensoris, palliat culpam, proponit calumniam (19), innocentiam sub verborum colore mentitur. Quadam falsa literarum congerie per Urbem, & Orbis terminos, matris pudicitiam lacerat filius abortivus, occupare Patrimonium tentat, quod tenetur defendere juramento: aurum solvit, appendit argentum, nationes invitat, ut petram evertat Ecclesiæ, quam Dominus posuit Fidei fundamentum. Ecclesiæ claves, quas Christus successoribus in Petro concessit, sic ille temerarius Fredericus infringit, ut excommunicatione contempta sacratissimum Christi Corpus, quod nec sano devotio, nec ægro necessitas suadebat, nunc de corpore præcisus Ecclesiæ assumat sacrilegus, & divina mysteria, quæ priùs, ut non vocem incantantis audiret, conclusis auribus fugiebat, prohibitus frequentare præsumit, ore polluto protestans, nullam ligandi, & solvendi datam Christi Vicario potestatem. Hoc quidem ipse de Græcorum, & Arabum conversatione suscepit, qui cuncta ejus applicanda dominio ex constellationibus mentientes, in illum immersere gentilitatis errorem, ut homo reprobatus à Domino jam se Deum in hominis specie suspicetur, aperta dissertione proponens, tres trufatores in elusionem hominum præcessisse, Moysen, Christum, & Machometum. Moysen ex aquis assumptum, alieni panis subventione nutritum; Machometum camelorum custodem, servili femine generatum; qui tamen vitæ suæ cursum suâ prudentiâ in favore Sæculi peregerunt. Christus verò fabri filius, & pauperculæ mulieris, de falsa doctrina convictus, crucis patibulum cum damnatitiis condignam retributionem recepit, quem non esse Deum persuasionibus diversis intentat, Creatoris, & creaturæ impossibilè asserens unionem. At cùm eos genere, prudentia, viribus, & honore præcedere publicè protestatur, qui nationes varias deceptionibus traxere diversis, facilè reputat novis ritibus eos superare, alteram in cumulum erroris adjiciens Apostolicæ Sedis trufam, ab hominibus mundi simplicibus toleratam, sua superstitione delere. His munimentis defensor Fidei Fidem impugnaturus armatur. Iis Christianus Princeps principiis dogmatizat. In literarum verò suarum serie venena detractionis adjecit, venerandum Pontificem illam causam commotionis habere, quòd Cæsar requisitus ab ipso filium spurium ejus nepti legitimæ noluit copulare; qui siquidem si conscientiæ suæ testis fidelis existat, si deponat officium detractionis, hoc invenit frequenter sua petitione porrectum, & ipsius Patris responsione negatum, sicut venerabilium Messanensis, & Panormitani Archiepiscoporum, Teutonicorum Magistri, Petri de Vinea Judicis, & aliorum, quibus idem hoc prosequentium injunxerat, assertio veridica manifestat. Nec verisimile videretur, ut Summus Pater, si circa sanguinis proximos inclinaret affectum, homo Nobilis de Comitum genere neptem suam spurio copularet, cujus progenitores præter Summi Præsulatus officium nobilioribus Urbis, & Campaniæ lineâ propinquitatis fuere conjuncti. Nec est à falsitatis vitio peregrinum, quòd ejus conscientia turbata præsumpsit, ut literæ in audientia examinandæ communi manu latentis artificis in camera cuderentur, cùm ex Apostolicæ Sedis antiquata traditione servetur, ut familiare negotium, quod præjudicium non sapit alterius, in publicum non deducatur examen. Et quidem terroribus terrores innectit, vias quærit, consilia discutit, congestis undique sumptibus præmunitur, ut Dominam gentium, Christi Sponsam constitutam super gentes, & Regna, suis detrahat conatibus in ruinam, confundat prostitutionis injuriâ, & ponat servitutis opprobrio desolatam. Comminatur apertè sanctum dare canibus, & venerandam Principis Apostolorum Basilicam in præsepe deducere jumentorum; Sacrosanctum Altare supra corpus Apostoli mirificè collocatum equorum usibus positurus, qui etiam Ecclesiæ Principem in illam injungere (20) gloriatur egestatis injuriam, ut cinerem pro corona suscipiat, spicas pro pane vendicet, & pro equorum candidata gloria cogatur quærere subjugale. In illum nihilominus eas producturus vindictas, quibus in primos erumpentes Ecclesiæ filios, gentilitatis tempore, Cæsares uti solent; qui si beneficia recepta recoleret, si matris affectum appenderet in statera, quæ ipsius propitiata profectibus terram sibi placabat, & maria, nec emergebat obstaculum, quod non Ecclesiæ subsidio tolleretur nec umquam repulsam gratiæ pertulit ejusdem petitio, quæ comitem justitiam habuisset, ac postmodum pupillum de quærentium panibus (*) provida tutrix eripiens. Siciliæ Regnum à multorum tyrannide, præsertim Ottonis Imperatoris potentissimi, aggressione servavit, quo ipsius intuitu per Legatum Apostolicæ Sedis ejecto, eumdem laboribus, & impensis innumeris ad Imperii provexit fastigium jam adultum. Cui tamdem de plenitudine gratiæ felicissimum (21) Regnum Hierosolymitanum adjecit, ea intentione dumtaxat, ut Regnum integraretur in ipso,

(17) M. Pigonagam.
(18) M. Bondemum.
(19) M. proponit calumniam *non legit*.

(20) M. inmergere.
(21) M. fœcundissimum.
(*) *for.* manibus.

Digitized by Google

ipso, & idem magnificentior effectus in Regno eò devotior cum gratiæ & retributionis obsequio redderetur, quò de sola Sedis Apostolicæ dextera majora susceperat incrementa. Sed sic consotus erumpens in regulum, & idem magnificentior effectus, cumulatis viribus properat venenare foventem.

Hujusmodi fructus mortiferos cultoris operosi laboribus planta venenata producit; sic nutritus serpens in gremio recompensat. Hæc matri filius, hæc pupillus retribuit pro tutela, minus prudenter examinans, quòd Cam pudenda patris fecere maledictionis hæredem, & Absalonem in patris solium aspirantem vindex quercus suspendii vilitate peremit. Videat igitur subditus, attendat amicus, hic parvulus instruatur, & magnus, quid de tali sperari debeat, de quo mater cogitur desperare. Quid ab illo fidei, quid retributionis alienus expectet, qui Deo fidem, fidelitatem Domino non attendens, affectum patri, promotori vicem tam tristi vicissitudine recompensat. Adhuc autem spirans minarum, & cædis, turrim Divi Petri frangibilis Frangipanis, cujus potentiâ Petri credebat humiliare primatum, sumptibus propriis refici procuravit. Verùm cùm Summum Pontificem apud Anagniam æstate media clementior aura susciperet, Romanus Populus in Assumptionis Virginis gloriosæ Vigilia Salvatoris imaginem per Urbis vicos ex antiqua consuetudine deduxit. Quæ dum in atrio poneretur Ecclesiæ, quæ Sancta Maria nova vocatur, quasi quietis beneficium receptura, blasphemis quibusdam conductis Frederici prædicti sacrilega voce clamantibus: Ecce Salvator, veniat Imperator: turris in ignominiam Sponsæ Christi de sanguine pauperum, & lacrymis viduarum è vicinio erecta, mox eversa funditus, blasphemantium multitudinem judicio divinæ ultionis oppressit, ut quasi non sustinens Salvatoris injuriam insensibilis creatura, Creatori de hostium vindicta serviret, & elementa muta cognoscerent, quem rationale animal non cognovit, ac injuriam in suo susceptam Vicario Salvator ipse transire non videretur inultam. Ipse verò Summus Pontifex Urbem regreditur, hyemis tempore redeunte. Prædictus denique Imperator nobilis Brixiæ longa obsidione distractus, quam nec furor Teutonicus, nec Apula commovit astutia, Lombardorum, ac de diversis regionibus multitudine congregata, pace, quam pater ejus apud Constantiam cum Mediolanensibus fecerat, oblata sibi per Legatum Sedis Apostolicæ, non contentus, Mediolanum aggreditur, Urbem utique patriæ dominam, ultricem hostium, & libertatis amicam, de qua cùm, dolo, non viribus, captis quibusdam ex ipsa Civibus, sibi victoriam adscripsisset, ad Bononiæ terminos se convertit, quorum prudentiam expertus, & vires, per aliquod tempus moratus ibidem, modico tamen damno dato discedens, Mediolanum revertitur in gravi (22) multitudine bellatorum. Sed Civibus ipsis ad duodecim milliaria extra Civitatis mœnia in manu valida stantibus ex adverso, de ipsius Legati præsidio favorem justitiæ consecutus, victoriosus abscedens, Pontem Placentiæ obsessurus accedit, ubi tandem fluminis crescentis alluvio Placentinorum artificio præparato, & Ponti tutelam, & fugam præbuit hostibus, non absque grandi exercitus Imperialis incommodo, & excidio personarum. Sicque consumptis opibus, exhaustis loculis, & non paucis temporibus ex omni natione fatigatis amicis, juramento, quod in Lombardiam rediret sequenti Majo, non servato, in sua confusus superbia terga præbuit hostibus, Tusciam quasi fugitivus ingressus, & ad Pisanam civitatem se cursu velocissimo conferens, in die Nativitatis Dominicæ in Civitate ipsa tum ex sui præsentia, tum ex causis aliis supposita Interdicto, Civibus de tanta præsumptione stupentibus, in majori Ecclesia per suos apostatas publicè fecit profanari divina in Ecclesiæ Sacrosanctæ convicium, sua retexens eloquia Imperiali modestia deformata. Cùm autem esset in Apuliam paratis navigiis profecturus, de Florentinis diu quæsita fidelitate desperans, cum in bello Senensi Populus fœminea compositione insolescens, non armis, sed crinibus colendis addictus, quem bellicosa Florentia hostili persecutione vexabat, multâ supplicationis instantiâ in sui præsidium advocavit, præstito sibi vassallagii juramento. Tamdem Aretini non voluntariè, sed Perusinorum odio concitati potiùs, eum exceperunt. Nec juribus (23) contentus Imperii, defectus proprios Lombardorum oppositione susceptos in Ecclesiæ calumniam patenter involvens, proprium filium illegitimum Entium nomine in Marchiam destinavit, Civitatibus, & Castris quibusdam occupatis in ea, pro ut regionis nota proditio tribuebat, reliquis in devotione Ecclesiæ ad subventionis studium reservatis. Ipse verò à Fulginatibus invitatus, cùm esset in partibus Lombardiæ, potentiam Perusinæ civitatis evitans, quam nec terroribus inflectere potuit, nec promissis, licèt per partes illas sibi compendiosiùs iter esset, longiori via per civitatem Castelli, Eugubinam, & Nucerinam, ejus protinus mandato parentes, devenit Fulginium, populo lætante susceptus, quorum informis fides, intentio fallax, perjura manus, vulgata proditio, dirupto fidei fœdere, quod Ecclesiæ Romanæ juramentis firmaverant, iteratis recidivo perjurio Cæsaris dominium elegerunt, rem ex nomine possessuri, ut Fulginates famæ nigredinem de fuligine fumerent, & fidei corruptelam. Utinam misericordes manus matris Ecclesiæ casus non sentiant proprios in decoctione natorum, quibus crudeliùs fuit parcere, quàm servire.

Tunc Trevani Spoletanorum priùs vastati potentiâ, Castro diruto, & ablatis spoliis, Ecclesiæ beneficio ad lares proprios multo labore reducti, Spellani, Cocoronenses, Menaniates, Bictonienses, qui pignus in fide fidei cuilibet offerunt transeunti, mandatis ejus solita facilitate paruere. Assisinates autem, quos & generis claritas, & fides inconcussa decorat, usque ad muros pro Sedis Apostolicæ nomine Imperiali furore vastati, & vexatione pulsati continua, inter ipsas vexationes proposito, & devotione creverunt, Perusinis, Tudertinis, & Spoletanis fidei constantiam eamdem prosecutis. Prædicta verò Fulginatensis Civitas indigna vocabulo, brevibus conclusa limitibus, vicinæ manus subventione subducta, jam alimentorum inopiâ non modicum arctabatur; præter quod Principem ipsum jam ad partes Apuliæ fugere disponentem, Viterbienses semen nequam, filii scelerati, & fidei suæ crudeles, & famæ, nullo timore cogente, sed propriâ perfidiâ ducti, vocaverunt, maternæ benedictionis obliti, quæ præter grandia beneficia devotionis debito non

(22) M. magna.

(23) M. viribus.

Digitized by Google

non indigna illum insignem eis contulit Episcopalis dignitatis honorem, ut Civitas de Castro jam facta, priùs servituti subjectionis obnoxia, gauderet libertate prælata. Pro quorum vexatione tollenda, quam eis Urbs sanguinum inferebat, quodammodo sæviens in se ipsam, non verita propriæ Sedis exilium, Romanos speciales Ecclesiæ filios jure primogenituræ majores Viterbiensibus ipsis infestos paulo priùs, congestis undique viribus, hostili persecutione contriverat, & sententia adversa damnarat. Imperatorem etiam supradictum Summus Pontifex in partibus illis mensibus tribus detinuit in multitudine bellatorum laboribus gravibus, & impensis, circa quadraginta marcharum millia pro ipsis expendens, suam eisdem nihilominus præsentiam in non modico exhibendo, per quod ipsorum inopiæ consuluit, & tutelæ, qui tamdem alienati ab utero susceptam de ubere materno dulcedinem in amaritudinem felleam commutantes, ingratitudinis spumantes humorem, in matris erruperunt excidium filii patricidæ, Christi hostes, patris, & patriæ delatores, proditores Domini, & rei majestatis offensæ. Nec de radice dissimili tam nocivi seminum fructus prodire credebantur, ut in plantario hæresis, agro sanguinis, spelunca latronum, adulterii domo crescentes, infidelitatis rigati profluvio non alium reddere saporem poterant, quàm amarum. Sic enim Viterbienses viam tenentes Herebi, & culpæ propriæ relinquantur, & pœnæ, per quod Hortani, Tuscanenses, Cornetani, homines Montisflasconis, & Montisalti, eorum exemplo corrupti, errore simili convolvuntur. Jam Satanæ furentis nequitia in Christi Sponsam potenter armata illud grande movit in Urbe dissidium, ut ferè utriusque sexus, & cujuslibet ætatis sententia, pari voto & proposito simili, assertionibus publicis, casum Ecclesiæ diffiniret, incredibili errore concepto, per quem in patrum sanguinem natorum inhiabat immanitas, in cubile maternum inducere satagens alienum, ruinam generalis Ecclesiæ prosequentem. Sed non defuit Sponsæ Christi præsidium, & fluctuanti Vicario adjutrix Domini dextera non defecit, cujus beneficio Petri Successor erectus, ad Divina se conferens munimenta, lignum Crucis vivificæ, ac reverenda Beatorum Petri, & Pauli capita, exultantibus Populis, ad ipsius Principis Apostolorum Basilicam, venerabilium Cardinalium, & Prælatorum comitatus vestigio, quo decuit, honore portavit, ubi blasphemantium, quæ convenerat, multitudo, censu corrupta Cæsareo, fœcunda exhortatione sermonis, & negotii novitate conversa, triumphum Matris Ecclesiæ proclamabat, in sui conductoris injuriam Crucis muniti præsidio, charactere deposito Antichristi; Romanis cujusque conditionis, & sexus pro tutela Ecclesiasticæ libertatis assumentibus, protinus signum Crucis erexit. Crescit ex hoc furentis immanitas proposito desperationis accensa; fit Deo contrarius. & in Redemptoris injuriam armatur. Horrendum procedit de Prætorio crudelitatis edictum, per quod Crucis gestantes characterem, pœnis subjiciuntur atrocibus, alii candentis ferri stigmate ad modum Crucis in frontibus consignati, alii membrorum facti mutilatione deformes, quidam amputatis coronis Sacri Ordinis in improperium redditi, multi exusti flammarum incendiis, nonnulli verò in loco Crucis clavis crudeliter perforati in grande infidelitatis indicium, ac publicam contumeliam Crucifixi. Sacerdos quidam vexillo Crucis venerandæ munitus, in alto palearum culmo ligatus expositus, Crucis suave jugum recusans deponere, igne superposito crematur. Qui supra modum conditionis humanæ intrepidus *Te Deum laudamus* voce valida, & constantia invicta decantans, ipsius hymni sequentia usque ad *Te Martyrum candidatus laudat exercitus* prosecutus, undique jam flammis crebrescentibus obsitus, inter ipsius versiculi verba sanctissimam animam Christo reddidit, pro cujus nomine Tyranni sævitiam, & ignis incendia non expavit. Tunc Imperator terrore commotus, ingressus Apuliam, Beneventanam undique civitatem longo concepto furore vastavit, qui si rerum fatigati dispendiis, fidei tamen detrimenta non passi, quin potiùs ex molestia robustiores effecti, plures de Imperiali exercitu congressu audacissimo peremerunt. Demum potentiæ suæ vires examinans, Regni Siciliæ, ac diversarum nationum multitudine congregata, & frenum furoris relaxans, Campaniæ fines aggreditur, exterminium Patriæ comminatur. Quæ fide præclara, nobilitate perspicua, divitiis opulenta, Clero spectabilis, militiâ strenua, liberalitate dotata, patrum relinquere leges non potuit, præscriptione fidei, & devotionis singularitate probata, cujus immobili fidei fundamentum antiqua patrum soliditate firmatum, nullius ævi turbatione commotum, non callidæ artis astutia, non auri fulgentis infesta promissio, non hostiles corrupere conatus, qui armorum, & fidei tutelâ muniti, aliquod subsidium Ecclesiæ præstiterunt. Quare Cæsar patriam relinquens, in tantum vires hostium concitus declinavit, micantes Marchiæ filios petiturus,

In Concordia pacis facta inter Domnum Clementem Papam Tertium, & Senatores, Populumque Romanum.

Hæc leguntur in fine. (*)

ACtum XLIV. Anno Senatus, Indictione VI. mense Maji, die ultimo, jussu Senatorum, Consiliariorum, Angeli Ser Romani de Pinea, Bobonis Stephani de Octaviano, Petri Stephani de Transtiberim, Romani Senebaldi, Rainerii (1), Raynaldi de Rainutio, Johannis de Schinando, Caphari Bartholomæi, Petri Nicolai, Fusconis de Berta, Bubonis Donne Scocce (2), & Ilperini Donnici (3), & Senatorum Stephani Contebore Petri Berardi, Cencii Muti (4), Johannis Cencii, Guidonis Bobonis Malebranche, Johannis Leonis, Johannis Parentii, Guidonis Rotfredi (5), Jordani de Ponte Sancti Petri, Odonis Campferri Romani, Johannis de Flajano, Petri Johannis, Ade Cencii de Gulferamo, Stephani Judicis, Nicolai Buccemazi, Gerardi Petri de Gerardo, Jaquinti de Tosto (6), Piscionis Nicolai, Johannis Saxonis, Johannis Guidonis de Papa, Petri de Gerardo, Johannis Bartholomæi, Johannis Cencii, Benonis Petri de Octaviano, Vitalis Pauli (7), Franconis Stephani, Petri Latronis, Contebrace, Petri de Gregorio, Petri Berardi de Blancha, Banionis Buccemaze, Octaviani Johannis de Octaviano, Johannis Plage, Johannis Buccemazi, Jordani Oddonis, Cencii de Bertramno, Silvestri Petri Auconis, Johannis Scriniarii, Bartholomæi Ciconis, ... Nicolai de Antonio, Johannis Astulphi, Angeli Romani de Johanne, Astaldo de Transtiberim, Johannis Gulferami, Matthæi Muscam in pugno, Jacobi Odonis Franconis.

In Privilegio Frederici Secundi Imperatoris, per quod intuitu Domni Innocentii Papæ Tertii abolevit illum abusum, quod Prædecessores sui Romanorum Imperatores se intromiserunt de electionibus Prælatorum, & possessionibus Ecclesiæ, & cæteris spiritualibus.

Hæc in fine leguntur. (*)

TEstes autem hi sunt. Sifridus Maguntinensis Sedis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus, Eberardus Salzburgensis Archiepiscopus, Conradus Ratisponensis Episcopus, Otto Wirzburgensis Episcopus, [Menagoldus Pataviensis Episcopus, Engelhardus Zizenensis Episcopus], (1) Othacharus Bohemorum Rex, Ludovicus Dux Bavariæ, Luipoldus Dux Austriæ, & Stiriæ, Hermannus Lantgravius Turingiæ, Comes Albertus de Ebstein, Comes Adolphus de Sovenberch, Comes Burchardus de Manesveld, Berardus (2) de Bets, Comes Ludovicus de Wirtenberch, Geberhardus Buntgravius Meigdeburgensis, Henricus de Stahelberch, Gualterus de Langeberch (3), Amricus de Chalandina (4), Marescalcus Imperii, Walterus de Siph pincerna Imperii, & alii complures. Ego Cunradus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Metensis, & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domni Sifridi (5) Maguntinensis Archiepiscopi, & Apostolicæ Sedis Legati, ac totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. (6)

(*) *Vide Baronium ad annum* 1188. *pag.* 810. *& seqq.*
(1) M. R. Senobaldi Rainerii.
(2) M. Scoctæ.
(3) M. Dominici.
(4) M. Mucii.
(5) M. post Johannis Cencii, *leg.* Guidonis Rofredi &c. *interposita nomina omittens.*
(6) M. Tosco.
(7) M. *nomina inter* Vitalem Pauli, *&* Petrum Berardi, *non habet.*

(*) *Vide Raynaldum ad ann.* 1213. *num. XXIII.*
(1) M. *interposita parentesibus verba non leg.*
(2) M. Bernardus.
(3) M. Henricus de Stahelberch, Gualterus de Langeberch, *non leg.*
(4) M. Clabandina.
(5) M. Friderici.
(6) *prosequitur* M. Acta sunt anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo CCXIV. Indictione I. Regnante Domino Friderico Secundo Romanorum Rege glorioso, & Rege Siciliæ Anno Regni ejus Romani I. Regno verò ejus Siciliæ XVI. Datum apud Egram per manus Bertoldi de Sciffe Regalis Aulæ Protonotarii IV. Idus Julii.

Hic desin. MS. Cardinalis de Aragonia.

Digitized by Google

VITA
COELESTINI PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

COElestinus IV. natione Mediolanensis, cœpit anno Domini MCCXLI. Sedit diebus XVII. Vacavitque Sedes propter ambitiones, & discordias mensibus XXII. diebus XIV. Hic priùs vocabatur Gaufridus Cardinalis Episcopus Sabinensis vitâ & scientiâ laudabilis, senexque & infirmus electus citò moritur, & in Ecclesia Sancti Petri sepelitur. Eodem quoque anno in festo Sancti Andreæ Apostoli mortuus est Bernardus Comes Convenarum apud Lateranum Diœcesis Tholosanæ, dum pranderet subitò super mensam. Anno Domini MCCXLII. mense Aprilis oriuntur contractus, & machinantur tractatus inter Comitem Raimundum Tholosanum, & Comitem Marchiæ, & Regem Angliæ de facienda guerra Regi Franciæ Ludovico cum pluribus aliis consentientibus in se ipsum, ut lacessitus ex multis lateribus minùs sibi sufficeret defensurus. Super quo ipse idem Comes Tholosanus mysterium Concilii sui habuit cum Magnatibus suis; Inter quos Comes Fuxi fuit præcipuus, qui hoc ei consuluit, & Concilii sui ac promissionis, quòd eum juvaret in tota guerra Regi movenda: præstito juramento sibi dedit literas etiam patentes, adhæseruntque Comiti Tholosano Almaricus Vicecomes Narbonensis, Raimundus Gancellini Dominus de Lunello, Poncius de Olargiis, & quidam alii de Diœcesi Bitturensi. Item Cives Albienses, & Vicecomes Lautericensis, alii quoque fictè, donec viderent eum involutum irrevocabiliter & insitum. Verùm Episcopus Tholosanus Raimundus attendens Comitis, & multorum cum ipso periculum & ruinam, ex ejusdem Comitis assensu, pacis cum Domino Rege sumpsit studium & laborem. Sed inventum est, quòd Comes Fuxi, non obstante promissione, quam Comiti super Concilio sibi impenso fecerat, cum Domino Rege composuit sine eo. In qua compositione, ut Regi contra Comitem adhæreret obtinuit, ut ipse & omnes successores ejus cum tota terra, quam tunc tenebat à dicto Comite, & ex cōmenda exempti essent perpetuò à jugo Comitis Tholosani; & sic apud pennam Agenensis cujus castrum tenebat obsessum, ipsum Tholosanum Comitem diffidavit. Interea dictus Episcopus Tholosanus cum Domino Rege, qui terram Comitis Marchiæ impugnabat invênit gratiam & viam pacis tractandæ inter ipsum, & Comitem Tholosanum, nec tardavit Rex propter hoc ad partes Tholosanas à parte Caturcinii sufficientem militiam destinare. Postquam ex altera parte jussit venerabilem Patrem Dominum Hugonem Episcopum Claromontensem, & nobilem virum Dominum Hymbertum de Bello-Joco cum majori multitudine pugnatorum. Interim super tractatu pacis convenientibus prope Romam Diœcesi Carcassonensi Comite Tholosano ex parte sua, & Episcopo Claromontensi, & Domino Hymberto de Bello-Joco ex altera cum eis, qui ampliùs recenter missi fuerant, à Rege sumptis treugis dies assumitur, in qua essent coram Regis præsentia comparendum, & locus apud Lornacum in Gastinesio, ubi pax fuit cum Dei auxilio reformata. Anno Domini MCCXLII. IV. Kalendas Junii in nocte Ascensionis Domini Frater Guillelmus Arnaldi Vir discretus, devotus, constans, atque mitissimus Inquisitor hæreticorum cum duobus Fratribus suis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Frater Stephanus collega dicti Inquisitoris cum socio suo Ordinis Fratrum Minorum, & Raimundus Scriptoris Archidiaconus Lezatensis Ecclesiæ Tholosanæ, & prior Avinioneti Monachus de Clusa, & Petrus Arnaldi Notarius Inquisitionis, cum aliis tribus apud Avinionetum Tholosanæ Diœcesis contra hæreticos negotium fidei prosequentes, in aula ipsius Comitis ab inimicis fidei, & Dei hæreticorum credentibus fuerunt pro fide atrociter interfecti, cantantes *Te Deum laudamus*: de mandato Bajuli dicti Comitis, qui eos illuc duxerat. Cujus facti attrocitas nonnullos retraxit à guerra, in qua cum Comite Tholosano esse voluerant contra Regem. Glorificavit autem tunc miraculis Martyres suos Dominus, quæ alibi scripta habentur, & ampliùs glorificasset, sed incredulitas eorum, à quibus & inter quos passi sunt, sicut nobiliter creditur, impedivit.

Anno eodem Domini prætaxato MCCXLII. Ludovicus Rex Franciæ contra Comitem Marchiæ, & Engolismæ Aquitaniam venit. Post verò multa bella, & obsidiones Comes Marchiæ cum uxore sua Regina Angliæ, & filiis ad pedes Regis venit, & homagium Dominorum de Pontibus, & de Rauconio, & Comitatus Andegavensis, & de Rupe, & de Lesiviaco Comiti Pictaviæ, Alphonso fratri Regis quietavit. Rex verò Angliæ confusus, & à Baronibus Aquitaniæ desertus de Saxonia fugiens Burdegalam in patriam remeavit. Eodem tempore Tartari Poloniam, & Ungariam, vastaverunt utramque Armeniam, & Russiam, & Alapiam, & XXX. Regna magna, & usque ad fines Germaniæ pervenerunt. Cùm autem Ungaros timerent remansuri quærunt, & dictum est eis ire securi, quia spiritus discordiæ, & incredulitatis, & timoris præcedunt vos, quare turbati non prævalebunt vos; sicque factum est. Ante introitum enim eorum Rex, & Principes, & Electus, & populus diffidebant, ideo in introitu eorum se parare noluerunt, & cùm Tartari se diffunderent, Ungari timore confusi fugerunt, & multa millia sunt occisa. (1)

VITA
INNOCENTII PAPÆ IV

Ex MS. Bernardi Guidonis.

INnocentius IV. natione Januensis, de Comitibus Lavaniæ, qui priùs Cenebaldus dicebatur Cardinalis, post biennem ferè Romanæ Sedis vacationem eligitur in Papam Anagniæ in crastino Sancti Johannis Baptistæ anno Domini MCCXLIII. quamvis in aliquibus Chronicis dicatur MCCXLII. sed primum tenendum est tanquam verum. Sedit annis XI. mensibus VI. In quibusdam verò Chronicis scribitur annis XII. Hic Sedes Cardinalium multo tempore vacuas de personis, & diversis mundi partibus Ecclesiis restauravit; Inter quos fuerunt Magister

---

COELESTINUS.
Ex alio MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) COElestinus, natione Mediolanensis, sedit diebus XVII. vacavit Sedes XX. menses, & dies XIV. Hic Episcopus Sabinensis vitâ & scientiâ laudabilis, senex & infirmus, electus citò moritur, & in Ecclesia Sancti Petri sepelitur.

gister Odo de Castro Radulphi Cancellarius Parisiensis, & Frater Hugo de Sancto Theodorio Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum in Francia, Magister in Theologia, qui totam Bibliam utiliter postillavit. Anno Dñi MCCXLIII. tempore verno Raimundus Comes Tholosæ adiit Sedem Apostolicam, & tam apud Imperatorem, quàm apud Curiam moram traxit per annum, aut circa, & obtinuit sibi terram restitui Veneyssini. In ipso quoque tempore vocatus ivit ad Curiam Dominus Raimundus Episcopus Tholosanus. Innocentius Papa post magnum tractatum de pace cum Imperatore Frederico, dum ipsius adversùs Ecclesiam contumaciam perpendisset, clam de Italia fugiens, Januensium auxilio devênit in Galliam apud Lugdunum, quô intravit feriâ VI. in hebdomada prima adventus Dominici An. Domini MCCXLIV. fuitque ibidem continuè per sex annos & ampliùs, quantum est à prima hebdomada adventus, usque ad quartam feriam infra octabas Paschæ, qua recessit postmodum de Lugduno. Anno eodem Domini MCCXLIV. ante Nativitatem Domini Rex Franciæ Ludovicus cùm quasi ægrotasset usque ad mortem, Crucem sibi transmarinam assumpsit. Eodemque anno Raimundus Comes Tholosæ, qui tempore Autumpni de Curia redierat, tenuit Curiam magnam Tholosæ in Nativitate Domini, accinctis circiter Ecclesiasticis militibus novis cingulo, ut moris est, militari, inter quos fuerunt præcipui Comes Convenarum, Petrus Vicecomes Lautricensis, Guido de Seveyraco, Sicardus Alamanni, Jordanus de Insula, Bernardus de Turre, & alii plures, fuitque Curia illa sumptuosa plurimùm & pomposa. Anno Dñi MCCXLIV. in mense Martii, vel secundùm quod innuitur magis in Chronica Magistri Guillelmi de Podio Laurentii. Anno Domini MCCXLIV. Venerabilis Pater Dominus P. Amelii Archiepiscopus Narbonensis, & Dominus Durandus Episcopus Albiensis, & Senescallus Carcassonæ obsederunt Castrum Montis-Securi in Mirapeyssesio in Diœcesi Tholosana, quod dudum furati tenebant duo Magnates, Petrus Regis de Mirapisce, & Raimundus de Peyrella, ubi erat refugium publicum quorumlibet malefactorum & hæreticorum quasi Sathanæ Synagoga propter fortitudinem Castri, quod situm in altissima rupe inexpugnabile videbatur. Et cùm diu fuissent ibi, & parum proficerent, accidit vernaculo expeditos mitti cum viris, qui loci habebant experientiam, disponentibus noctu ascensum per prærupta horribilia, qui ad quamdam municionem, quæ ad quemdam angulum Montis erat Duce Domino attigerunt, & interceptis subitò excubiis, illam fortitudinem occuparunt, & quos invenerunt gladio occiderunt. Et facta luce quasi equiparati cæteris, qui in majori parte erant, valde eos impugnare cœperunt, & mirantes horribilitatem viæ, per quam nocte ascenderant, nullatenus illi de luce se committere ausi essent, sed conclusis in parte superiori cæteris, ascensus expeditior aliis, qui erant in exercitu est paratus, & expugnatis qui intus erant die noctuque, cùm quietem non haberent, nec ferre possent aggressiones fidelium infideles, accepta vice securitate, Castrum, & hæreticos vescitos, qui inter viros, & mulieres ducenti & ampliùs inventi sunt, oppugnantibus diviserunt. Erant autem inter illos Bernardus Martini de Calhavello, & Raimundus Agulhier Carcassonensis, quos ipsi suos Episcopos faciebant, qui omnes conversionem, ad quam invitabantur, pertinaciter recusantes in clausura facta de palis & sudibus, igne immisso una die combusti ad ignem tartareum transierunt, fuitque enim Castro Marescallo Mirapiscis, cujus antea fuerat restitutum.

Anno Domini MCCXLV. in festo S. Johannis Baptistæ, Innocentius Papa celebravit Concilium in Lugduno cum Cardinalibus suis, & Prælatis Cisalpinis, & cæteris de Regno Franciæ & Hispaniæ, & ibidem ab Imperio deposuit Fredericum per diffinitivam sententiam XVI. Kal. Augusti. Cui interfuerunt Bandoynus Imperator Constantinopolitanus, & Tholosanus ac Provinciæ Comites. Qui ibi coram Papa tractaverunt de conjugio inter ipsum Comitem Tholosanum, & Beatricem ultimam filiam ejusdem Comitis Provinciæ contrahendo, Papa dispensaturo super eo propter affinitatis impedimentum. Reversis autem eis ad propria infra paucos dies Raimundus Berengarii Comes Provinciæ moritur, dicto conjugio inperacto, nec Summus Pontifex ad dispensationem processit, Margaretâ Reginâ Franciæ, & Sanchiâ Reginâ Alamanniæ, & Helyonor Reginâ Angliæ, quæ sorores erant ejusdem puellæ, impedientibus, missis contraditoribus ad Papam, ne dispensationem faceret supradictam. Comes verò Sabaudiæ avunculus puellæ, ac Barones Provinciæ secretò ac sollicitè procuraverunt, quòd Karolo fratri Regis Franciæ Sancti Ludovici, postmodum Regis Siciliæ, in uxorem daretur puella, quod factum extitit ipso anno Domini prætaxato. Innocentius verò Papa, postquam deposuerat ab Imperio Fredericum, procuravit per Electores Regis Theutoniæ, & Romanorum eligi langranvium Turingiæ contra depositum Fredericum, qui infra IV. annos moritur. Dehinc eligitur Guillelmus Comes Hollandiæ, qui anno quinto post in bello à Frisonibus occiditur. Præfati igitur duo antequam ad Imperialem benedictionem pervenissent vitæ terminum exegerunt.

Anno Domini MCCXLVII. in Kalendis Octobris, Innocentius Papa Pontificatus sui anno V. confirmavit Regulam Fratrum Ordinis de Carmelo modificatam ex commissione ejusdem per Dominum Hugonem Presbyterum Cardinalem Sanctæ Sabinæ titulo, & per Fratrem Guillelmum Episcopum Anradensem ex prima altera Regula ipsorum, quam dederat eis Albericus Patriarcha Jerosolymitanus.

Anno Domini MCCXLVII. Raimundus Comes Tholosæ profectus est in Franciam, & Crucesignatus, & reverso eo, Crucesignati sunt multi Barones, & milites, & Cives, & Burgenses, & procuravit in navigio, & in aliis plurimum apparatum. Interea procuravit assiduè, ut magis poterat, quòd transfretaturus, paternum corpus, de quo superiùs facta est mentio, non dimitteret insepultum. Cùm super inquirendis signis pœnitentiæ, quæ dicebatur habuisse, cum agonizaret ad exitum, dudum judices à Sede Apostolica habuisset. Sed Missis ad Regem Franciæ Ludovicum literis, ut dignaretur Papam super hoc deprecari, & misso procuratore ad Papam penitùs nihil obtinuit. Sicque quocunque delicto nec uxorari, ut volebat, nec patrem sepeliri Tholosanus Comes potuit obtinere.

Anno Domini MCCXLVIII. Sanctus Ludovicus postmodum declaratus Rex Franciæ cum duobus suis fratribus, scilicet Roberto Atrebacensi, & Karolo Andegavensi Comitibus, & uxoribus eorumdem cum militia multa valde trans-

Digitized by Google

transfretaturus venit Lugdunum, ubi Innocentius Papa cum sua tunc Curia morabatur, recedensque de Lugduno, dum iter aggressus fuisset, castrum, quod dicitur Reca supra Rodanum obsedit, quòd Rogerius de Cloregio Dominus castri pedagiari fecerat peregrinos cunctos, qui ibant in subsidium Terræ Sanctæ, & expugnato eo, post paucos dies ipsum in deditionem recepit, donec de facta injuria peregrinis plenariè satisfactum fuit. Deinde descendit ad mare, ad plagam, quæ Aquæ mortuæ appellatur; & inde progrediens per mare applicuit portui insulæ Cypri, ubi hyemavit, quem anno sequenti Alphunsus Comes Pictaviæ frater Regis, & Johanna uxor ejus filia Raimundi Comitis Tholosani pariter sunt secuti; hyemante Rege in Cypro, Græci in illis partibus Schisma abjurant, & multi Sarraceni ad Fidem Christi convertuntur. Inde verò misit Rex Ludovicus Fratrem Andream, & Fratrem Johannem cognominatum de Carcassona, erat tamen Gallicus natione, Ordinis Fratrum Prædicatorum ad Regem Tartarorum cum magno apparatu, & ornamentis Ecclesiasticis preciosis, ut invitaret eum ad Fidem Christi, quoniam credebatur quòd dictus Rex ad Fidem nostram suum animum inclinabat; sed cùm pervenissent dicti fratres cum multis laboribus ad caput exercitus Tartarorum invenerunt esse defunctum. Verumptamen Regina, & filius ejus, visis, & acceptis exeniis Ecclesiasticis, honoraverunt nuncios, & munera & exenia tribuerunt. Sicque remissi regressi sunt cum honore, nullo tamen effectu alio subsecuto, qui principaliter quærebatur.

Anno Domini MCCXLIX. tempore verno Rex cum suo exercitu navigavit, & veniens Damiatham litora fluminis Vili multitudine magna Sarracenorum invênit obsita defendentium sibi terram, sed repulsi jaculis balistarũ, refugientes ad civitatem, litora intrantibus terrã liberam dimiserunt, tantoq; terrore perterriti, quòd & civitatem munitissimam refectam victualibus resignarunt, Domino adjuvante, ad quam cùm præmissi bellatores de castris venissent, mirati sunt, quòd nullum invenissent, sicut suspicati fuerant, defensorem, & sequentes eos Rex & totus exercitus destitutam introierunt civitatem, quam per totam æstatem, & sequentem hyemem tenuerunt.

Anno Domini prætaxato MCCXLIX. V. Kalendas Octobris Raimundus Comes Tholosæ, qui præcedenti anno debuerat, & disposuerat transfretare, & de Massilia retraxerat gressus suos apud Amilanum, febre correptus, susceptis Ecclesiasticis Sacramentis, diem clausit extremum, & inde allatum est corpus ejus apud Monasterium Fontis-Ebrandi, ubi juxta dominam Johannam matrem suam, filiam quondam Regis Angliæ sepelitur.

Anno Domini MCCL. egressus est Rex Franciæ Ludovicus cum exercitu suo contra Soldanum Babiloniæ sequendo alveum fluminis Vili. Cujus adventus adeò terribilis erat Sarracenis, quòd non se audebant contra eum in prœlium comparare; sed ut poterant vias, & transitus, ne ad eos posset accedere, præcludebant. Tunc Comes Atrebacensis Robertus, frater Regis facta aggressione quadam, unde bene ei successerat, suspicatus quòd eodem cursu prima ultimis responderent, spreto Fratrum Templi consilio ultra progreditur, & quamdam villam occupat nomine Almasoram, & in tantæ exeuntibus ibi Christianis insiliunt cum gravi multitudine Sarraceni, & plurimos occiderunt, inter quos Comes Atrebacensis fuit perditus, nec inventus: infirmitas verò multa inoritur in exercitu Christiano dolore maxillarum, & dentium, & tibiarum tumore, qui infra paucos dies moriebantur, vixque sufficiebant mortuos suos sepelire; unde quandoque necesse erat, vel ad excubias nocturnas, vel diurnas custodias, coquos, & alios famulos, qui equitare non consueverant, arma, & equos assumere ægrotantiũ dominorum. Qua compulsi necessitate cepta dimittere cogebantur. Quod scientes Sarraceni insectantur Regem, & in quodam loco interclusum cum duobus fratribus suis, Alphunso scilicet Pictavensi, & Karolo Andegavensi Comitibus capiunt, & alios persequuntur, & multos interficiunt persequendo, & plures retinent captivos, quod quo factum sit judicio non præsumit humana fragilitas definire, sed percutiens, & sanans in ira misericordiæ recordatur. Unde postmodum habito cum Soldano tunc vivente tractatu, magna interveniente pecuniæ quantitate, Rex cum suo exercitu liberatur.

Damiata verò dimittitur Sarracenis. Soldanus autem, qui Christianos se vicisse gaudebat, occasione dictæ pecuniæ fuit à vassallis propriis interemptus. Sarraceni autem Damiatam postmodum diruerunt, timentes ne ad Christianorum manus tertiò deveniret. Rex verò cum suis ad civitatem rediens Achonensem in partibus illis ferè per quinquennium moram traxit, & multa loca munivit, & captivos plurimos liberavit. Eodem tempore, quo memoratus Rex Ludovicus captus, & detentus fuit, sub anno Domini MCCLI. quibusdam Trutãnis machinantibus facta est subitò Crucesignatio pastorellorum, & puerorum multorum, ac puellarum in Regno Franciæ, quorum aliqui pestiferi inventores istius fraudis fingebant aliquos ex eis pueris se visionem Angelorũ vidisse, miracula facere, & ad ulciscendum Regem à Deo missos esse, inter quos erant qui se magistros vocabant, quibus cæteri obediebant, qui per vias, & villas, & civitates more Episcoporum signabant, aquam etiam benedictam Gregorianam in ipsa civitate Parisiensi fecerunt, matrimonia conjunxerunt, Religiosos & Clericos ubicumque poterant gravabant, alios spoliantes, alios verberantes, alios occidentes, nec erat qui compesceret malignantes, aut resisteret in virtute. Universus autem populus eis favebat, aliqui quia hæc fieri, & ad bonum finem perventura spectabant, plurimi autem & penè universi, quia de persecutione Clericorum gaudebant. Sed postquam cœpit detegi fraus interiorum, infra breve tempus, sicut fumus evanuerunt.

Anno Domini MCCL. in festo Sanctæ Luciæ obiit Fredericus dudum depositus Imperator, qui post suam ab Imperio depositionem cùm inter cęteras civitates Lombardiæ Parmam tanquam magis exosam sibi in forti manu obsideret, à Legato Domini Papæ, & à Parmensibus turpiter devictus, & amissis thesauris, & aliis rebus suis, in Apuliam rediens, ibi gravi infirmitate corripitur, ob quam infirmitatẽ Matfredus filius suus naturalis non legitimus, Regnum Siciliæ ambiens, dominium, & thesauros, uno Frederici Imperatoris Secretario conscio, timens ne convalesceret, infirmum, cussino supra faciem ejus posito, suffocavit. Qui Fredericus antea propriũ Henricum nomine, Regem tunc Alamanniæ, accusatum sibi de rebellione, captum in Apuliam deducens, ibi squallore carceris suf-

suffocarat. Sicque Fredericus sinè Sacramentis, & pœnitentia in anathematis vinculo, & Schismate est extinctus. In Chronica tamen magistri Guillelmi de Podio Laurentii scribitur, quòd Fredericus suum in fine recognoscens errorem, exhiberi sibi in morte funeralia Imperialia, & plangi etiam interdixit, quia Ecclesiæ inobediens fuerat & rebellis.

Manfredus autem postmodum filius Frederici, cui non competebat successio ejus, vel hæreditas ex directo, per modum tutelæ, seu curationis pro Corradino filio Corradi, filii dicti quondam Frederici, Regnum sibi Siciliæ, & Apuliæ, & Calabriæ Principatum per fraudem & violentiam vendicavit, & imposito sibi dyademate, se Regem & Principem ostentavit, paternæ rebellionis & inobedientiæ imitator. Quem Dominus Innocentius Papa, postquam à Lugduno recesserat, persecutus est, sicut Regno incongruum & indignum.

Eodem anno Domini MCCL. In Dacia Henricus Rex Daciæ inclytus ab Abel fratre suo juniori, ut regnaret pro eo, in mari suffocatur. Qui Abel parum honoris & commodi est ex hoc assecutus; nam sequenti anno Regni, cùm sibi Frisones subjugare voluisset, fuit à Frisonibus interemptus. Anno Domini MCCLI. Feriâ IV. infra Octabam Paschæ, Innocentius Papa de Lugduno recedens regreditur in Italiam post annos VI. cum dimidio ferè, quibus steterat in Lugduno. Moritur nobilis Domina Blanca Regina Franciæ, mater præfati Regis Domini Ludovici, item oritur turbatio Universitatis Parisiensis contra Religiosos pauperes studentes in Theologia, incentore malorum Guillelmo de Sancto-Amore; sed postmodum per Sedem Apostolicam debitum finem accepit, & turbationis auctor Guillelmus à toto Regno Franciæ exturbatur. Anno eodem MCCLI. X. Kalendas Junii, Alphonsus frater Regis Franciæ Ludovici, Comes Pictaviæ & Tholosæ, & Johanna uxor ejus, filia quondam Raimundi Comitis Tholosani intraverunt Tholosam & ...... Comitatus, & totius terræ Raimundi Comitis acceperunt.

Eodem anno Domini MCCLI. Corradus filius quondam Frederici, ut mortuo patre Regnum Siciliæ acciperet, per mare in Apuliam venit, & capta Neapoli, muros illius funditus dextruxit. Sed cùm sequenti anno introitus sui in Apuliam infirmari cœpisset, clistere, quod à Medicis judicabatur fieri ad salutem, veneno mixto intulit sibi mortem. Anno eodem institutus est Ordo de Pœnitentia Domini Jesu Christi apud Massiliam de speciali mandato Innocentii Papæ IV.

Anno Domini MCCLII. VIII. Idus Aprilis Sabbato in albis Frater Petrus de Verona Ordinis Prædicatorum Inquisitor hæreticorum per Sedem Apostolicam deputatus propter Inquisitionis infatigabilem instantiam, & prędicationis constantiam, & fervorem, ab impiis hæreticorum credentibus pro pietate fidei in Mediolanensi territorio est occisus. Simbolum fidei in ipsa occisionis hora voce libera confitendo, virgo doctor, & martyr corona triplici laureatus; cujus crebra miracula, & insignia, nova signa sequentia Sanctitatis ipsius odorem undique diffuderunt, & gloriam declaraverunt; fuit autem canonizatus, & Sanctorum Martyrum ascriptus cathalogo infra annum per Innocentium Papam IV. Perusii in XL. subsequenti, IX. Kalendas Aprilis, Pontificatus sui anno X. anno Domini inchoante MCCLIII. Canonizavit etiam idem Innocentius Papa apud Assisium Sanctum Stanislaum Cracoviensem Episcopum in Polonia ab iniquo Principe interemptum. Anno MCCLIV. mense Junii, Ludovicus Rex Franciæ Christianissimus de partibus revertitur transmarinis, Religiosis adhæret, ut pater pacem in Regno reformat, eleemosynas multas fecit, salubria statuta, eliminare studens à Regno ludum taxillorum, blasphemias jurantium, scorta villarum, usuras Judæorum, acceptiones munerum à suis Judicibus, & Bailivis. Innocentius Papa IV. obiit in Neapoli in festo Sanctæ Luciæ, ibique sepultus fuit in Ecclesia majori, anno Domini MCCLIV. Pontificatus sui anno XII. secundùm Chronicam Magistri Guillelmi de Podio Laurentii, quamvis in quibusdam Chronicis dicatur anno Domini MCCLII. quod omnino non reputo esse verum, quia constat per ipsius bullam, quòd ipse canonizavit Beatum Petrum Martyrem IX. Kalendas Aprilis, Pontificatus sui anno X. anno Domini inchoante MCCLIII. ut dictum est supra; in quibusdam verò Chronicis invenitur, quòd obiit anno Domini MCCLIII. sed primum magis æstimo esse verum, quod evidenter apparet, ex quibus posteriori tempore per eum gestis Pontificatus sui anno XII. Anno verò Domini MCCLIV.

VITA EJUSDEM
INNOCENTII PAPÆ IV.

Scripta à Fratre Nicolao de Curbio Ordinis Minorum, postmodum Episcopo Assisinatensi.

De Papa Gregorio, & Imperatore Frederico.

I. Temporibus felicis memoriæ Domini Gregorii Papæ IX. Fredericus II. Romanorum Imperator, qui ab Innocentio Papa III. primò fuerat ab ipsa pueritia in regno Siciliæ, & in Alamania amore tenero nutritus & educatus, & postmodùm ab Honorio Papa III. in arcem Imperialis magnificentiæ sublimatus, ut tanquam Christianissimus Imperator Sacrosanctam Romanam Ecclesiam multiplici persecutione, ac tyrannide Ottonis Imperatoris prædecessoris ipsius ea tempestate graviter molestatam tanto defensaret fideliùs, quanto per eam extiterat gratiùs exaltatus, Imperiali derogans majestati, & suæ promotionis ingratus, ex Imperatore tyrannus, ex protectore impugnator, & ex defensore factus est Ecclesiæ persecutor. Quippe in eam, quam toto conamine tueri debuerat, toto exorsus est malignitatis spiritu debacchari.

De convocatione Concilii.

II. Quare jamdictus Papa Gregorius vehementissimæ persecutionis per dictum Imperatorem in Sancta Ecclesia pronostica, immo evidentia signa cernens, Ecclesiarum Prælatos, Regum, ac Principum nuntios in urbe Romæ ad suam præsentiam advocavit, ut ibidem per eos de meritis cognosceretur ipsius, & mater Ecclesia de congregatione filiorum speratum haberet solatium, & gratum providi consilii fulcimentum (1). Quo percepto, idem Imperator, Dei & Ecclesiæ persecutor, fraudulenta potiùs tergiversatione, quàm mentis stabilitate

(1) Vide Odoricum Raynaldum ad an. 1228. §. 1.

Digitized by Google

litate suffultus, ipsam Concilii celebrationem machinatus est pro viribus impedire. Ex ipsius namque urgenti edicto terrarum undique præclusis viis, & semitis artissimâ custodiâ præmunitis, velut jam draco sævus, non contentus tyrannidem exercere in mari, etiam insidias multiplices, ut venturos ad Concilium undique nequiter impediret.

De captione Prælatorum in mari.

III. Sicque factum est, ipsius malitia procurante, ut cùm venerabiles Cardinales Otto Portuensis, Jacobus Penestrinus Episcopi de suis legationibus revertentes, & quamplures Ecclesiarum Prælati, & clerici tam religiosi quàm sæculares ad Sedem Apostolicam pro celebrando Concilio de Janua navigio convenirent, idem Imperator in obsidione persistens Faventiæ, destinato Encio filio suo Pisas cum multitudine galearum, assumptis secum pariter Pisanis, & aliis de regno Apuliæ, qui ad hoc missi fuerant cum lignorum multitudine armatorum, ipsos ad prænominatum Concilium evocatos, die tertia mensis Maji, juxta insulas, quæ vulgò vocantur Gilium & Planosa, ausu sacrilego capi fecit, quibusdam Prælatorum ipsorum & aliis pluribus in hujusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus insecutione hostili fugatis, reliquis verò bonis spoliatis propriis, primò ad majorem verecundiam deducti fuerunt Pisas, & exinde de loco ad locum per regnum Siciliæ opprobriosè deducti, ac ibidem diris carceribus mancipati, quorum aliqui macerati squalloribus & inedia pressi miserabiliter defecerunt.

De obsidione Urbis.

IV. Et ut magìs ac magìs Sacrosanctam Ecclesiam perturbationibus diversis impeteret dirus hostis, de Faventia venit Romam obsessurus, & oppressurus pariter ipsam urbem, pro eo quòd in ipsa urbe dictus Gregorius tunc temporis residebat. In qua quidem obsidione suæ relaxans frena nequitiæ, castra, turres, atque palatia tam Ecclesiarum, quàm multorum Romanorum nobilium destruxit & solum usque redegit, minas nihilominus intentans multiplices quòd ipsum Papam Gregorium Christi vicarium in sede sua caperet & teneret.

De obitu Domini Gregorii Papæ.

V. Interea jam ipso Imperatore in obsidione Urbis manente, dictus Papa Gregorius naturæ carnis debitum solvens XV. pontificatus sui anno, mense Augusto, octava assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Deo dispensante, ne in Ecclesiæ persecutionibus diutiùs vexaretur, de medio est sublatus, & in Ecclesia Beati Petri honorificè est sepultus. Hic multa monasteria & domos religiosas fecit, & propriis sumptibus fundavit. Sanctos Franciscum & Antonium de Ordine Fratrum Minorum, & Beatum Dominicum de Ordine Fratrum Prædicatorum, Sanctam Helisabeth, & plures alias canonizavit, religiosos fovit, & servos Dei dilexit. Hic primo anno pontificatus sui excommunicavit Imperatorem Fredericum, pro eo quòd in terram sanctam non iverat, sicut promiserat, in termino constituto. Item in anno XIII. sui pontificatus in ramis palmarum excommunicavit eundem Imperatorem in Ecclesia Lateranensi, pro eo quòd Ecclesias sui regni suis juribus & possessionibus defraudavit, & terram Ecclesiæ occupaverat. Post cujus obitum statim qui in urbe Roma tunc reperti sunt Cardinales in carcerali ergastulo apud Septemsolium per Senatorem urbis pariter sunt reclusi. Ubi tum propter necessariorum subtractionem, tum propter æstus fervorem, qui tunc temporis abundavit, tum propter moram diutinam ibidem contractam, quidam sunt ibi mortui, utpote Dominus Robertus Anglicus Sancti Grisogoni Diaconus Cardinalis. Quidam gravissimè infirmati; inter quos Dominus Sinibaldus tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis tam gravi ægritudine pressus fuit, ut esse in mortis faucibus putaretur & ipse. Et volentes ipsi Domini Cardinales Ecclesiæ providere de substitutione futuri Pontificis, Dominum Goffredum Mediolanensem, Sabinensem Episcopum communiter elegerunt; cujus mutato ex more solito nomine, vocatus est Cœlestinus; qui morte præventus, pallium non recepit more papali, munus consecrationis non habuit, neque bullam, & infra XVII. dierum spatium obdormiens in Domino diem clausit extremum.

De vacatione Ecclesiæ & electione Domini Innocentii Papæ.

VI. Post vacationem diutinam, quæ per annum & decem menses & dies sex, peccatis exigentibus, & propter temporis malitiam intervênit, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui per multiplices Frederici Imperatoris persecutiones & dissensiones fuerant per diversa loca tanquam oves non habentes pastorem dispersi, ad tantum subrogandum pastorem Anagniæ in majori Ecclesia convenerunt. Mentibus in Deum directis, devotissimè Missâ cantatâ, & invocatâ Sancti Spiritus gratiâ, in pace, ac multa tranquillitate omnes unanimiter & concorditer vota sua direxerunt in Dominum Sinibaldum tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem, qui alto Dei consilio ad summum Sacerdotii apicem anno Domini MCCXLII.VI. die, exeunte Junio extitit sublimatus, & sicut moris est, proprio antiquato nomine, fuit Innocentius nuncupatus, postmodum IV. Kal. Julii feliciter consecratus. Hic fuit Innocentius IV. natione Januensis, nobilis genere, sed vita nobilior, scientia præclarus, ac morum præditus honestate. Ex nobilibus namque Comitibus Lavaniæ, patre Hugone genitus, & à bonæ memoriæ Gregorio IX. ad titulum Sancti Laurentii in Lucina, divinâ providentiâ, extitit in Cardinalem promotus, & ad summum tandem pontificium est electus.

De tractatu pacis cum Imperatore.

VII. Susceptâ igitur Ecclesiæ curâ, tanquam virtute indutus ex alto, statim sumpta comestione, in ipsa consecrationis die de pace ac concordia Ecclesiæ tractare cum fratribus cœpit, & speciales nuntios & solemnes ad Fredericum tunc Romanorum Imperatorem, qui à Papa Gregorio IX. propter suos enormes excessus & contumaciam fuerat anathematis vinculo innodatus, mittere procuravit venerabiles fratres, videlicet Domi-

Digitized by Google

num Petrum Albanensem, tunc Rothomagensem Archiepiscopum, & Dominum Guillelmum Basilicæ XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem tunc Abbatem Sancti Facundi, & Dominum Nicolaum Episcopum Regium, viros utique magnæ auctoritatis & prudentiæ venustate pollentes, qui tunc dicti Imperatoris præcipuè zelabant salutem (2). Communicato itaque cum fratribus consilio duxit ipsos propensiùs destinandos, tam ipsius, quàm fratrum affectum & promptitudinem ad pacem & concordiam eidem diligentiùs relaturos & petituros pariter restitutionem Prælatorum, clericorum, omniúmque aliorum, quos injustè tenebat captivos, cunctorumque laicorum quos in galeis tempore Papæ Gregorii ceperat, & apertionem viarum, quas idem clauserat Imperator, ut nullus unquam ad Romanam Ecclesiam per terras aut per mare posset accedere gressu pacifico vel securo. Abeuntes igitur prædicti Romanæ Ecclesiæ pacis nuntii, quæ ipsis comissa fuerant prudenter, & cum diligentia multa nimis exposuerunt præfato Imperatori, qui eo tempore apud Melphim in Apulia morabatur, qui eos benevolentiâ blandâ, sed simulatâ, recipiens ad pacem & concordiam faciendam & prædictorum satisfactionem se promptum & paratum promisit. Ipsi verò verbis ipsius tamquam ab imperiali majestate prolatis fidem simpliciter adhibentes, & mentis inconstantiam non pensantes, cum ingenti lætitia redierunt. Consequenter verò idem Imperator nuntios solemnes, videlicet magistrum Petrum de Vineis & magistrum Thadæum, viros sagacitatis & astuciæ magnæ solemniter cum bullatis literis suis aureâ bullâ super præmissis Anagniam transmisit ad Summum Pontificem. Nihil tamen per eos tunc, ut promiserat nuntiis Apostolicæ Sedis, dictus Imperator ad effectum perduxit. Ex quo patet liquidò totum calida simulatione fecisse.

Interea verò hyemali tempore ingruente, quia Romanorum Pontificum mos tenebat tunc temporis ad urbem redire, XVII. Kal. Novembris exiens de Anagnia, Romam ivit, ad quam cùm pervenisset, tam à clero quàm à populo universo cum tripudii gaudio est receptus XVII. Kal. Decembris. Sed revera sicut Dominicâ de palmis Judæi Christum quanto honorabiliùs receperant, tanto ignominiosiùs sequenti sexta feria tractaverunt, cui tunc sua vestimenta prostraverunt, postmodum exuentes propria, & quem tunc laude multiplici benedixerant, postmodum blasphemiarum & opprobriorum jaculis acriùs ferientes, ita & Romanorum quamplurimi mercatores, quamquam non de nobilium voluntate, qui Dominicâ medii Novembris eum, tam honorificè susceperant venientem ad urbem, statim sequenti sexta feria qui Gregorio Papæ IX. XL. millia ferè mutuaverant marcarum, instantissimè ac procaciter mutuum repetebant, aulam palatii & cameras non minùs infestis clamoribus, quàm onerosa multitudine replentes, & per multorum dierum spatium ipsum adeò angustantes, quòd in mensa more solito manducare non poterat, potiùs ipsum oportebat in camera latitare. Tandem magnâ ipsius pacientiâ, quæ optimum est genus vincendi, victi pariter & confusi, spe sua vana frustrati in magna quantitate minus ab ea quantitate quàm petierant, & ex usuris recipere se sperabant, ab eodem se concorditer receperunt. Porrò tam hoc, quàm alia debita plura & pluriora quibus Ecclesiam invenerat obligatam in brevi satis expediens tempore quo nunquam receperat ipsa solvit.

De obsidione Viterbii.

VIII. Interea dictus Imperator, Dei timore postposito, obfirmans contra Sanctam Ecclesiam vultum suum, circa festum omnium Sanctorum in obsidione Viterbii venit. Habebat proinde intus in terra in castro Sancti Laurentii Comitem Simonem Theatinum cum CCC. Militibus, quos Dominus Raynerius Cardinalis tunc in dicta terra residens pro parte Ecclesiæ Summi (Pontificis) potentia, & favore detinebat inclusos. Congregata itaque infinita multitudine militum & peditum, idem Imperator ad expugnandam civitatem cum multis machinis & castris lignorum civitati appropinquavit prædictæ. Tunc Dominus Raynerius divina favente gratia subitò nihilominus subsequente, tam Romanorum quàm aliorum quos Dominus Papa transmisit eidem, tanquam sollicitus Ecclesiæ defensator & indefessis laboribus & expensis volens ipsius jura tueri, devicit ipsum Imperatorem in suis superbiæ viribus confidentem, necnon & machinas, currus, ac castra lignorum, & alia ædificia fecit cremari. Et sic idem Imperator ad castra sua rediit devictus in ipso conflictu pariter & confusus. Steterat namque in obsidione duobus mensibus & dimidio.

De iterato tractatu pacis.

IX. His igitur peractis, dictus Summus Pontifex, tanquam pacis amator & concordiæ, venerabilem O. Portuensem Episcopum, cùm esset amicus ejus, iteratò, si fortè audiat & quiescat, ad præfatum Imperatorem primò apud Viterbium, in cujus terræ obsidione tunc temporis morabatur, secundariò apud Aquampendentem super inceptum pacis tractatum & concordiæ destinavit. Qui obturans more aspidis aures suas hujusmodi sollicitudinem & pacis prædictæ instantem oblationem obstinata elatione contempsit.

De nuntiis Imperatoris destinatis ad curiam.

X. Demum verò vecordiæ magis, quàm concordiæ intuitu motus, ut Ecclesiæ potiùs illuderet, quàm pareret, sicut postmodum patuit manifestè, solemnibus nuntiis destinatis, nobili videlicet viro Comite Thelosano, ac judicibus præcipuè in curia sua procuratoribus Petro de Vinea & Thadæo de Suessa (3) in die cœnæ Domini in platea Lateranensi coram Domino Papa & fratribus suis, præsentibus clarissimo Constantinopolitano Imperatore, cœtu non modico Prælatorum, Senatoribus etiam, populoque Romano, & maxima multitudine aliorum, qui ea die propter instantem Paschæ solemnitatem de diversis mundi partibus convenerant ad Apostolorum limina visitanda, ipsius Domini Papæ, Ecclesiæque mandatis se pleniùs pariturum per prædictos nuntios, ab ipso super hoc speciale mandatum habentes, in anima sua juramento promisit. Postmodum verò ut terras Ecclesiæ restitueret, quas occupare præsumpserat, & captivos, quos

(2) Odor. Raynald. an. 1243. §. 13. 17.

(3) Odor. Raynald. an. 1242. §. 28. an. 1244. §. 20. 22.

Digitized by Google

quos in galêis ceperat, suæ redderet libertati, à Summo Pontifice recipiens in mandatis, dum adhuc idem Imperator apud Aquampendentem persisteret, ipse tanquam in pertinacia præconcepta obstinatus prædictis parêre contempsit, illudens potiùs nuntiis, viro videlicet religioso fratri Bonvecino de ordine Templariorum Domini Papæ Cubiculario, & aliis super receptione terrarum à Sede Apostolica destinatis.

De requisitione parentelæ.

XI. Sed ut quocunque deceptionis genere Summi Pontificis posset animum obliquare arctitudine bonitatis, eum de parentela multo studio per speciales nuncios requisivit, ut aliquam de ipsius neptibus suo filio Corrado traderet in uxorem, ut saltem ipsi Domino Papæ catenâ sanguinis sociatus, Ecclesiæ jura, & negotia impediret. Advertens quoque ipse Dominus Papa multiplices ipsius dolositates, atque versutias, nec respuens, nec acceptans, explicuit se ab ipsius laqueis labiorum, quibus tanquam inimicus nequissimus inducabat, ut subverteret vias ejus.

De ordinatione Cardinalium.

XII. Post hæc cernens igitur Dominus Papa se plurimùm fratrum indigere consilio, cùm non essent tunc nisi septem in Ecclesia Cardinales, primo anno Pontificatus sui in Ecclesia Beati Petri Apostoli de Urbe, Sabbato infra octavam Pentecostes XII. Cardinalium, videlicet trium Episcoporum, & trium Presbyterorum, ac sex Diaconorum ordinatione decentissima Ecclesiam adornavit. Et septimo die Junii subsequentis egrediens Urbem ad civitatem Castellanam illico est profectus. Ubi dictus Imperator, qui apud Interamnum tunc erat, dicto Pontifici & fratribus occultas tendens insidias, ipsosque capere machinans, in ipso civitatis egressu, adjecit iterum pacis simulare tractatum, solemnes trasmittens nuntios, magistrum videlicet Petrum de Vineis, Gualterium de Sora, qui eum sub specie tractatus pacis securum redderent & incautum.

De missione pro galeis.

XIII. Pontifex ipse verò hujusmodi machinationis, & malitiæ non ignarus, cùm frustra rete jacitur ante oculos pennatorum, in prædicta civitate XIX. dierum persistens spatio, præconcepit ad partes alias se transferre, ubi dictus Imperator virus suæ malignitatis exercendi potentiam non haberet. Et cùm aliunde propter viarum discrimina, & præclusiones earum per mare, seu per terram, nisi tantùm per Sutrium, Civitatemvetulam, & Januam non potuisset habere transitum pacificum vel securum, religiosum virum, & nobilem fratrem Bojolum nomine, consanguineum suum, ordinis Fratrum Minorum misit Januam pro galêis, ad nobilem videlicet virum Dominum Opizonem fratrem ipsius Domini Papæ secundùm carnem, & alios suos consanguineos, & nepotes, ad Dominum Philippum Vicecomitem de Placentia tunc Potestatem Januensem, mandans ipsas apud Civitatemvetulam, vel Cornetum conduci. Et mirum in modum, divino procurante auxilio, infra XVII. dierum spatium XXII. galêæ cum duabus sagittis, & aliis octo lignis bene præparatis pariter & armatis ad dictam Civitatemvetulam sunt deductæ. Cùmque in die præcedente vigiliam Apostolorum Petri & Pauli Sutrium devenisset, in ipsa quidem vigilia quadam prudenti ac salutari fictione, quæ ad fretum erant necessaria, jussit ut palam decebat magnificentiam, præparari. Solemni ergo præparatione facta, cùm totam jam quasi terram ipse Imperator occupasset nequiter & teneret præter in Marchia Anconam, in Ducatu Assisium, Narniam, Reate, Castrum Sancti Gemini, & Scrontonem, in patrimonio Perusium, Urbemveterem, Radicophanum, in Sabina Mons Asulæ, quæ adeò erant à dicto Principe angustatæ, quòd necdum Domino Papæ, verùm nec sibi ipsis propter ipsius opprimentem potentiam poterant subvenire, assumptis secum Domino Guillelmo Sancti Eustachii Diacono Cardinale nepote suo, cum quatuor aliis de familia sua tantùm, fratre Nicolao de Curbio Sacerdote Capellano suo, & confessore ordinis fratrum Minorum, postmodum Assisinatensi Episcopo, Domino Mazia suo nepote, fratre Bonvecino ordinis fratrum Templariorum, & fratre Thoma ordinis Hospitaliorum, Cubiculariis suis, nec non & Domino Gottifredo de Præferatis Capellano ipsius, postmodum electo Bethlemitanensi, cum quodam nepote suo Petro, qui usque ad Civitatemvetulam nocturnum sibi ducatum præstarent. Et cœpto itinere ipsâ primâ noctis horâ, dimissis omnibus sicut alter Mathatias, per devia & abrupta montium ac nemora tota nocte laborans, multa lassitudine prægravatus, in die festivitatis Apostolorum circa horam nonam ad ipsam Civitatemvetulam est deductus. Secuti sunt autem eum in crastinum V. quinque de Cardinalibus, videlicet Dominus Guillelmus Episcopus Sabinensis, Dominus Johannes de Tolleto tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Dominus Petrus Caputii Sancti Gregorii ad Velumaureum, & Dominus Johannes Gaetanus Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinales. Alii verò VII. Cardinales, videlicet Dominus Otto Portuensis Episcopus, Petrus de Barro tituli Sancti Marcelli, & Dominus Willelmus XII. Apostolorum Presbyteri Cardinales, Dominus Ægidius Sancti Cosmæ, Dominus Octavianus Sanctæ Mariæ in via lata, Dominus Goffredus Sancti Adriani Diaconi Cardinales, per terram usque Segusiam venientes, & ibidem Dominum Apostolicum expectantes, præter quatuor, qui de ipsius Domini Papæ remanserant voluntate, videlicet Dominus Stephanus tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim Presbyter Cardinalis, qui remansit in Urbe Vicarius, Dominus Raynerius Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, qui remansit Legatus in Tuscia, Ducatu, Valle Spoletana, Marchia Anconitana, & patrimonio beati Petri, Dominus Ricardus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis in Campania, & Maritima Comes. Demum cum ipsis remansit Dominus R. Episcopus Ostiensis.

De introitu Papæ in galeis.

XIV. Inventis itaque ibidem galêis numero XXII. cum duabus sagittis, & aliis lignis ad navigium, & quamplures alios homines, qui

qui cum devotione multa fuerant subsecuti, eadem Apostolorum die, scilicet quartâ feriâ circa horam vespertinam galêas intravit cum hominibus, & summo diluculo versùs Januam cœpit in navigio proficisci. Divina itaque misericordia suffragante, post multos graves, & varios (labores) ac innumeram procellarum ac tempestatum discriminosam agitationem, quæ vix sinè fletu & lacrymis posset aliquatenus enarrari, die secunda apud Capraria insulam applicantes, die tertio ad portum Veneris pervenerunt, ibique propter maris intemperiem morâ factâ per tres dies, post alios duos dies, scilicet octavâ Apostolorum, devênit Januam Christo duce; (4) ubi vicis omnibus, per quos fecit transitum, pannis deauratis ac sericis undique decoratis honorificentiâ multâ nimis cum ingenti lætitia est receptus, turbis plaudentibus, tubis clangentibus, tympanis & cymbalis, & diversis generibus musicorum sonantibus, pueris quoque cantantibus, & psallentibus, & cunctis populis Deum benedicentibus, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

De infirmitate Papæ.

XV. Post paucos verò dies contigit dictum Summum Pontificem, propter nimiam conquassationem, quam de aëris temperie, & maris fluctuatione pertulerat, febris, & dissenteriæ in tantum molestatione gravari, ut de ipsius corporali salute ferè communiter medici desperarent. Propter quod eum oportuit trium mensium spatio modò in Monasterio Sancti Andreæ prope civitatem ipsam Cisterciensis ordinis commorari. Sed ut resumpsit aliquantulas vires convalescentiæ nimis brevis, & de Janua egrediens, vectus hominum, & equorum vehiculo ipse decumbens in lectulo, apud castrum Stellæ pervênit, ubi Dominus Manfredus Marchio de Carrecto propter circumstantes inimicorum insidias occurrens sibi cum multitudine armatorum, honorificè suscepit eundem. Et cùm in dicto castro Stellæ gravissima esset ægritudine prægravatus in tantum, ut in faucibus mortis medicorum judicio crederetur, paucis secum retentis de familia propria propter terræ inopiam, quæ in nemoribus, & in montibus eatenus sita, ibidem diebus pluribus moram traxit. Acerbitate igitur infirmitatis, utcumque medicinalis Salvatoris gratiâ, mitigata, IX. Kalendas Novembris inde egrediens, apud Cararium devertit, nunc hominum, nunc equorum vehiculo supportatus. Unde post tres dies V. Kalendas ejusdem usque Cortomiliam super mulum in quadam cabia lignea, propter debilitatem ipsius nimiam, fuit vectus; & infra quatuor dierum spatium aliquantulas vires resumens, decima die apud Sanctum Stephanum est portatus; ubi recepta multitudine armatorum à Marchione Montisferrati directa, itaut usque ad Sanctum Ambrosium ducatus pacifici, & securi sibi obsequium exhiberent, VIII. Idus Novembris ad civitatem Astensem, quæ tunc temporis erat Imperatori subjecta, constans, & intrepidus venit, cui cives portas civitatis impudentissimè concluserunt. Ipse verò Pontifex, tanquam humilitatis, & patientiæ virtute præpollens, in quadam Abbatia Sanctorum Apostolorum extra civitatem unà cum suis humiliter se recepit. Serò autem ipsius diei, dissensione facta non modica inter cives, Potestatem, & Consilium civitatis prædictæ ad Summum Pontificem exeuntes, prostrati ad Sacros ipsius pedes, de illata injuria cum universo populo veniam humiliter petierunt. Multa etiam populorum, virorum pariter & mulierum, confluxit frequentia flagitantium Summi Pontificis præsentiam intueri. Inde verò recedens, apud Segusiam pervênit pridie Idus Novembris, ubi sex Cardinales præfati superiùs, qui venerunt per terram de Sutrio, & Dominus Otto Episcopus Tusculanus, ac Dominus Hugo tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, qui venerunt de Francia, & qui in eo castro Segusiæ sui cardinalatus anulos receperunt, dicto Summo Pontifici occurrerunt. Et sic unà cum ipsis, & aliis, qui secum per mare venerunt, Alpes cum labore gravi, & afflictione non modica transiere, onus incommoditatis prægrandis, & multiplicis sustinentes nivium & algoris, cùm jam tempus post festum omnium Sanctorum advenisset hyemale. Advenientes proinde ad Monasterium Altæcumbæ Cisterciensis ordinis per fluvium Rhodani trium dierum spatio, non sinè magno discrimine remigarunt. Et sic periculis maris, periculis fluminum, periculis viarum, periculis hostium, & periculis diversarum infirmitatum æquanimiter perpessis, secunda die Decembris, in festo Sanctæ Bibianæ Virginis, Christo duce Lugdunum pervênit; ubi cum gaudio valde magno, & exultatione indicibili, gentibus per terram, & aquam undique occurrentibus, tam à Clero, quàm universo populo religiosorum, & sæcularium susceptus fuit honorificentiâ multâ nimis.

De ordinatione curiæ in Lugduno.

XVI. Ibi ergo curia jam quasi castrorum acie ordinata, innumeris de cunctis mundi partibus, tanquam ad Romam alteram confluentibus, cœpit Apostolatus officium exercere tam viriliter, quàm prudenter, oppressos relevans, & opprimentes condemnans, omnibus, ac singulis exhibens jura, secundùm exigentiam meritorum. Causas enim non solùm tempore vacationis exortas, verùm etiam à longis retro temporibus à suis prædecessoribus indecisas, sub brevissimo temporis spatio sua industri sapientia terminabat, utpote discretione præditus, mente pius, scientia præclarus, & sapientiæ plenitudinis titulo decoratus. Et ut de plenitudine gratis gaudeant universi, secundo anno sui Pontificatus apud Lugdunum in sua curia generale studium ordinavit tam de theologia, quàm de decretis, decretalibus pariter & legibus, ad eruditionem videlicet rudium, & incrementum sapientiæ sapientum, cùm audiens sapiens sapientior semper fiat.

Quòd Papa misit nuntios ad diversas gentes.

XVII. Interea namque ipse Summus Pontifex in secundo anno sui Pontificatus, accensus zelo lucrifaciendi animas gentium perditarum, misit solemnes Legatos, & nuntios cum solemnibus literis ad diversarum provinciarum barbaras nationes, gentes apostatrices, ut saltem jam in fine temporum resilirent à suis

(4) Odor. Raynald. an. 1244. §. 34.

Digitized by Google

suis erroribus, & cultibus idolorum, & ut sanctam fidem catholicam plenitudo gentium subintraret. Inter quos missus est in Norwegia Legatus venerabilis Dominus Guillelmus Episcopus Sabinensis; (5) ubi coronavit Regem, præcedente tamen dispensatione apostolica super defectu natalium, quem patiebatur de soluto genitus, & soluta. At Rutenos quoque, qui ad Romanam curiam suos solemnes nuntios destinarunt, ut eis Legatum mitteret, per quem instruerentur, & informarentur in fide catholica, cùm more Græcorum, & ritu viverent, missus est Dominus Albertus Archiepiscopus Livoniæ, & Prussiæ. (6) Ubi quidem ad Regem subsequenter ab Apostolica Sede Legatus missus Domnus Abbas de Mazario, qui coronavit e ndem. (7) In Letoviam verò missus est Legatus Dominus Episcopus Culmensis de Prussia ad prædicandum illis nationibus, & informandum conversos in fide, cùm ipsi pagani existerent, ubi nomine Murdowe Regem proprium coronavit. Ad Tartaros quoque, gentem amaram, nullius religionis, & ritus, quæ præ sui multitudine repleverat quasi universam faciem partium orientis, missus est vir multæ religionis frater Johannes de Planocarpino ordinis Minorum, Pœnitentiarius ipsius, postmodum Archiepiscopus Antinacensis. (8) Qui transiens per terram desertam, inviam, & inaquosam, & per diversarum viarum amfractus in fame & siti, frigore & nuditate, ad illos post multos ferè per annum labores graves, & varios, duce Domino est deductus, alloquens eos postmodum per interpretem, cùm ignotæ linguæ ab habitabili nostra zona penitùs haberentur, multo laboravit studio, si quo modo reciperent verbum Dei, & ad ovile fidei catholicæ vocarentur. Hic solus ad ipsorum Regem pervênit, cùm plurimi hoc tentassent, nec unquam ipsum attingere potuissent, & propter ipsius distantiam, qui erat in ultima parte sui exercitus constitutus, qui quidem exercitus in longum nimiùm tendebatur. Destinavit quoque ad infideles paganos, Soldanos videlicet Babyloniæ & Yconiæ, & alios quoque plures, nuntios speciales viros religiosos ordinis Minorum & Prædicatorum doctos in scientia verbi Dei, ut & ipsi abdicato infidelitatis errore venirent ad fidem, & ad notitiam veritatis. Quod quidem gavisi, honorantes plurimùm nuntios memoratos, per quos omnes rescripserunt ipsi Summo Pontifici, quamquam in suæ infidelitatis velamine remansissent. (9) Ad Græcos quoque & Baccium Imperatorem ipsorum misit ipse Dominus Papa virum religiosum fratrem Johannem de Parmeno generalem Ministrum ordinis Minorum, vitæ maturitate præclarum, Doctorem in Theologia egregium, dans ipsi focios, & sequaces ejusdem ordinis fratres viros sapientiâ doctos pariter & maturos ad reducendum illos ad fidei certitudinem, & Ecclesiæ unitatem, ut fieret unum ovile & unus pastor; quibus illuc usque, Deo volente, deductis, ordinatis hinc inde quæstionibus super quibusdam casibus, & eorum erroribus, quibus errabant, & in sua pertinacia se tenebant, tam super processione Spiritus Sancti, quem asserebant non à filio, sed solùm à patre procedere, quàm de reverendo Sacramento Eucharestiæ, quod dicebant debere confici, non de azymo, sed potiùs fermentato, & quibusdam aliis suis ritibus & doctrinis, decidentes ipsi à suis opinionibus, cùm non haberent eorum stabile fulcimentum, deventum est tandem & denuntiatum, quòd ex eis super iis decidendis, & parendo Ecclesiæ Romanæ mandatis, solemnes nuntii ad Sedem Apostolicam mitterentur. Diebus verò frater J. Minister & ejus focii memorati apud Lugdunum ad præsentiam Summi Pontificis remearunt.

De denunciatione Concilii in Lugduno.

XVIII. Festo autem nativitatis Domini celebrato, dum in festo beati Joannis Evangelistæ Missam manè in Lugdunensi Ecclesia celebraret, ac prædicaret populo verbum Dei, ibi publicè nunciavit Concilium generale in festo beati Joannis Baptistæ venturo proximo celebrandum. (10) Et tunc in prædicatione publica per se ipsum citavit memoratum Imperatorem Fredericum, quòd ibi per se, vel sufficientes procuratores, & nuntios futuro Concilio compareret, propositurus quicquid de jure suo vellet proponere, ac postmodum auditurus quod super ipsius negotio Sacrum Concilium, Domino dictante sententiam, judicaret, cùm ejusdem malitia faciente non posset ad ipsum alia citatio pervenire. Licèt autem interim non parvæ auctoritatis viri Patriarcha Antiochenus, & alii ad petitionem ipsius pro compositione facienda non sinè multis laboribus, & expensis interposuerint partes suas, nequivit tamen, ipsius obstinata duritia faciente, cùm nollet satisfacere de offensis, concordia provenire.

De depositione Imperatoris in Concilio Lugdunensi.

XIX. Cùm verò jam esset Concilium tempore præfinito Prælatorum, nuntiorum Regum Franciæ, Angliæ, Hispaniæ, Principum quoque, & potestatum, multarumque civitatum & comitatuum, ipse personaliter venire contempsit, sed suos nuntios destinavit, Dominum videlicet Archiepiscopum Panormitanum, judicem Thadæum, & alios quoque plures super his negotiis auctoritatem plenariam non habentes, qui, si expectaretur modicum, promittebant ipsum personaliter adventurum. Ipse autem non intendebat venire, sed Concilium potiùs perturbare, sicut tempore felicis memoriæ Papæ Gregorii, ut est superiùs memoratum, vice alia perturbavit, quod rei eventus evidentiùs comprobavit, sed ad ejus malitiam convertendam à festo Sancti Joannis usque ad XV. Kal. Augusti à toto Concilio fuit, non sinè incommoditate maxima, expectatus, cùm tunc esset in Lombardia apud Veronam, qui bene potuisset infra dictum terminum comparere. Demum cùm ipso Concilio multa gravia & horribilia fuissent à multis tam Archiepiscopis, quàm Episcopis proposita contra eum, super destructione videlicet Ecclesiarum, Monasteriorum, & Hospitalium, & invasione bono-

(5) Odor. Raynald. an. 1246. §. 32. & seqq.
(6) Odor. Raynald. an. 1246. §. 28. & seqq.
(7) Odor. Raynald. an. 1243. §. 32.
(8) Odor. Raynald. an. 1245. §... 0.
(9) Odor. Raynald. an. 1247. §. 28. an. 1249. §. 15.
(10) Odor. Raynald. an. 1245. §. 1.
(11) Odor. Raynald. an. 1245. §. 3.

Digitized by Google

bonorum ipsorum, incarceratione quoque, & occisione Episcoporum, & religiosorum, ac sæcularium personarum, & multis, quæ etiam hæresim sapiebant, & crudelitatem animi ipsius erga cultum christiani nominis indicabant, prædicti ipsius nuntii, datâ sibi pro voto audientiâ, excusare ipsum multipliciter conabantur. Sed à frivolis suis procurationibus decidentes, devicti fuerunt publicè, & à Summo Pontifice vivis rationibus confutati. Quare super præmissis, & quampluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus suis, & Sacro Concilio, idem Summus Pontifex deliberatione præhabita diligenti, memoratum Principem Fredericum, qui se imperio, & regnis reddidit tam indignum, ab omni honore, & dignitate sententiando privavit. Omnes autem, qui ei juramento fidelitatis tenebantur astricti, absolvit perpetuò ab hujusmodi juramento, auctoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quis de cætero ei tanquam Imperatori, aut Regi obediat, vel intendat, decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori, seu Regi consilium, auxilium præstiterint, vel favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illis autem, ad quos Imperatoris spectabat electio, eligendi alium Imperatorem contulit potestatem. De regno verò Siciliæ provisurum se statuit, prout sibi & fratribus videretur suis temporibus expedire. Notissimum namque & indubitatum est, quòd multi Romanorum Pontificum, etiam pro minoribus causis, nonnullos Imperatores, & Reges non tantùm excommunicarunt, sed à regno deposuerunt, & in eorum locis alios subrogarunt (12). Innocentius siquidem Papa primus Imperatorem Arcadium magni Theodosii filium, pro eo quòd Johannis Chrysostomi depositioni interfuit, quam Theophilus Alexandrinus, unà cum aliis orientalibus Patriarchis, cum consensu aliorum Episcoporum, sinè assensu Romani Pontificis dictaverat, excommunicavit, & eorum depositionem cassavit. Mitissimus verò Imperator, mox ut factum cognovit, non rebellis extitit, sed veniam humiliter petiit, & impetravit. Constantinus Papa Justinum Imperatorem Justiniani filium propter non decentem Legatorum suorum susceptionem excommunicavit. Qui postea in Constantinopolitanæ urbis platea pedibus ejus cum regno prostratus tam diu veniam petiit, donec impetravit. Anastasius Papa II. Anastasium Imperatorem non solùm excommunicavit, sed etiam regno privavit. Stephanus Papa Karolum Pipini Regis fratrem à regno deposuit, & Pipinum in ejus loco substituit. Nicolaus quoque Romanus Pontifex duos Imperatores uno eodemque tempore excommunicavit, Michaëlem videlicet orientalem propter Ignatium Constantinopolitanum Episcopum sinè judicio Papæ à Sede sua ejectum, & Lotharium occidentalem propter Gualdradæ pellicis suæ societatem. Beatus quoque Ambrosius, non Romanus, sed Mediolanensis Pontifex maximum tyrannum Theodosium Imperatorem ab Ecclesia pulsum excommunicasse non est ambiguum. Alexander III. excommunicavit Fredericum primum Imperatorem, donec apud Venetias venit ad satisfactionem condignam. Innocentius III. quasi nostris temporibus, & diebus excommunicavit, & deposuit Ottonem IV. Imperatorem pro eo, quòd fidem ipsi Ecclesiæ non servavit. Quis ergo, nisi mente captus, ignorat potestatem Imperatoris, & Regum Pontificibus esse subjectam? Et quis credit à subjectione Romani Pontificis se esse alienum, nisi qui peccatis suis exigentibus inter oves Christi Pastorum Principis non meruit numerari. Sed jam rei ordinem, quem incepimus, prosequamur. Sententiam verò ipsam depositionis sæpefati Frederici protulit Summus Pontifex in majori Ecclesia Lugdunensi, in pleno Concilio, anno Dom. MCCXLIV. XV. Kal. Augusti, pontificatus sui anno tertio (13), quæ fuit ab universis Ecclesiarum Prælatis in eodem Concilio residentibus approbata, sicut liquere potest omnibus tam præsentibus, quàm futuris per subscriptiones ipsorum, & eorundem sigilla pendentia in eadem.

De Rege Portugalliæ.

XX. Et quia plerumque plerique delirant, & multiformiter secundùm superiorum exempla, Rex Portugalliæ Sancius (14), qui erat circa regni sui regimen multiplici negligentia & ignavia jam dejectus, propter quòd pupillo non judicabat, causa viduæ ad ipsum non ingrediens deperibat, Ecclesiæ destruebantur & monasteria, ipsum regnum & multipliciter quassabatur, meritis ipsius accusatis & examinatis in ipso Concilio, ad petitionem & instantiam Prælatorum ipsius regni venientium ad Concilium sæpedictum, fratrem ipsius Regis Alfusum coadjutorem & conservatorem regni, Dominus Papa de fratrum suorum consilio coadjunxit, prout in literis apostolicis super hoc editis pleniùs continetur. Tunc temporis misit magistrum Bernardum Neapolitanum, virum utique magnæ probitatis & sapientiæ, Subdiaconum & Capellanum suum in Hispaniam ad reformandam pacem inter Regem Navarræ & Episcopum Pampilonensem, inter quos tunc discordia magna erat.

De Electione Regis Langravii, & morte ipsius.

XXI. Consequenter dictus Summus Pontifex (15) Dominum Philippum tunc Ferrariensem Electum ad novi Regis electionem, qui Frederico succederet, faciendam, in Alamaniam destinavit. Qui cùm illuc, Duce Domino, pervenisset, congregatis Principibus & Prælatis, qui debebant electionem hujusmodi celebrare, & ad quos specialiter ipsa electio pertinebat, non sinè magnis sumptibus, & expensis Ecclesiæ, invocatâ Sancti Spiritus gratiâ, unanimiter, & concorditer in Romanorum Regem Langravium illustrem virum & prudentem de (16) Lothoringia elegerunt. Qui tanquam vir catholicus, & magnæ fidei plenus illos, qui sanctam matrem Ecclesiam impugnabant, cœpit constanter & viriliter expugnare. Nam congregato exercitu contra Corradum (17) dicti Frederici depositi filium pugnaturus accessit; & inito bello cum ipso, divina faciente gratia, dictus Langravius de exercitu dicti Corradi sexcentos Milites &

XLII.

(12) Vide gesta Gregorii VII. MSS.
(13) Odor. Raynald. an. 1245. §. 33.
(14) Odor. Raynald. an. 1245. §. 5. 68. an. 1247. §. 18.
(15) Odor. Raynald. an. 1246. §. 1.
(16) Thuringia.
(17) Odor. Raynald. an. 1247. §. 1.

Digitized by Google

XLII. Comites captivavit. Ex quibus mandata dicti Regis Langravii quamplurimi juraverunt. Tunc temporis Dominus Papa per religiosum virũ fratrem Bonvicinum Cubicularium suum XV. millia marcarum argenti dicto Regi transmisit. Qui postmodum infirmitate præventus, tanquam vir catholicus, contritus pariter & confessus, ac alia devotissimè suscipiens ecclesiastica sacramenta, infra electionis suæ annum, vocante Domino, in terra sua expiravit, debitum carnis exolvens. Interim dictus Pontifex post Concilium anno secundo Cluniacum ivit cum Rege Franciæ, & ipsius fratribus locuturus; ubi Domini Cardinales primò capellos rubeos receperunt, sicut in ipso Concilio fuerat ordinatum.

De Electione Regis Guillelmi, & coronatione ipsius.

XXII. Mortuo Langravio, Dominus Papa, habito consilio cum fratribus suis, disposuit in Alamaniam transmittere pro creando alio novo Rege, & diligenti deliberatione præhabita, venerabilem virum, utique providum & discretum, apostolicæ sedis Legatum ad hoc agendum transmittit (18). Qui cum ingenti studio Prælatos & Principes coadunari fecit, prout moris est, ad electionem hujusmodi faciendam. Congregatis itaque Principibus, & Prælatis, Christi nomine invocato, nobilem & prudentem virum Guillelmum Comitem Ollandiæ in Romanorum Regem IV. Nonas Octobris elegerunt, sub anno Domini MCCXLVI. pontificatus ipsius Domini Innocentii Papæ IV. anno sexto. Qui civitates & castra dicti Frederici in manu forti viriliter sunt aggressi, & præcipuè Aquisgranum, ubi Reges coronantur, & corona regni conservatur. Facta itaque per eosdem longi temporis spatio obsidione, ibidem dictam terram adeò coartaverunt, donec mandata eorum plenariè juraverunt. Idem verò Legatus, præsente Domino Guillelmo Episcopo Sabinensi, qui tunc de Norwegia revertebatur, ubi functus fuerat officio legationis, necnon & pluribus Principibus, & Prælatis, ac personis aliis infinitis, Kalendis Novembris Guillelmum secundùm antiquorum modum honorificè coronavit anno Domini MCCXLVII. cui Dominus Papa, cùm Rex ipse dives non esset, quamquam præclarus genere, triginta millia marcarum argenti, ut fortiùs Ecclesiæ ageret negotium, in regni adjutorium transmisit, continuans & retribuens semper nihilominus expensas cotidianas, & cuncta necessaria tam in exercitibus, quàm singulis aliis regni negotiis ipsi Regi.

De legatione Domini Octaviani in Lombardiam.

XXIII. Tunc Summus Pontifex in Lombardiam Legatum destinavit Dominum Octavianum Sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem cum electis militibus strenuis atque probis; pro quorum stipendiis XIV. millia marcarum argenti contulerat ipse Papa. Qui veniens usque radices Alpium, occurrit sibi, exposito nomine, Amatus Comes Sabaudiæ, qui Frederici amicitiâ junctus erat, occultas tendens insidias ne transiret. Ubi propter resistentiam Comitis memorati ferè trium mensium spatio ipse Legatus cum dictis militibus perstiterunt. Et amissâ Ecclesiæ pecuniâ & subsidio militum, ipsi milites ad propria remearunt. Tandem per diversarum viarum anfractus vix ipse Legatus solus cum sua familia devênit in provinciam Lombardiæ. Eodem verò tempore Taurinum venerat Fredericus, ubi cum Comite Sabaudiæ, & aliis quibusdam Baronibus sibi adhærentibus nequiter machinans contra Summum Pontificem, ipsum Lugdunum circumvenire fraudulentissimè procurabat.

De devotione Regis Franciæ.

XXIV. Quo percepto & intellecto, Rex Franciæ Lodoicus filius devotus Ecclesiæ, unà cum fratribus suis, & matre sua Regina Blanca, ac aliis sui regni Baronibus, & Dominus Arcimbaldus de Borbona præcipuè totis suis viribus, & potentiis ad resistendum fraudulentiæ Frederici se ad mandata Summi Pontificis obtulerunt. Sed qui reprobat Deus consilia Principum iniquorum, infatuavit tam citò nefarium propositum Frederici, ut non possent manus ejus implere quod cœperant.

Quòd civitas Parmensis versa est ad mandata Ecclesiæ.

XXV. Nam cives quidam Parmenses potentiores, & nobiliores, nepotes & consanguinei Domini Papæ, & quamplures alii, qui quidem expoliati omnibus bonis suis de civitate prædicta exiverant propter tyrannidem Frederici, in manu potenti, & forti, fide ipsius Ecclesiæ animati & zelo justitiæ, accingentes se quoque arma bellica, ut alteri Machabæi, eandem aggressi sunt civitatem, & inde recepto gladio, potestate, quæ ibi per Fredericum fuerat posita, cum gloria multa fidei Ecclesiæ ipsa civitas est reducta.

De obsidione Parmæ, & destructione Victoriæ, & constantia Parmensium.

XXVI. Ut hoc igitur innotuit Frederico, tactus gravi dolore cordis intrinsecùs, & iniquo primo proposito annullato, in obsidionem dictæ civitatis venit gressu celeri & festino, prævidens quoque quòd eam sibi subjugare non poterat in temporis brevitate, civitatem ex opposito per milliare propè fecit constitui, quæ Victoria vocabatur, in qua cùm per sex menses in obsidione dictæ civitatis Parmæ stetisset, Parmenses quoque in patrocinio Beatæ Virginis confidentes, in cujus nomine pugnaverunt, dicta civitas Victoriæ XIII. Kal. Martii anno Domini MCCXLVIII. subitò extitit à Parmensibus dictis capta, ubi dictus Fredericus regale sceptrum, & pallam & alia regalia, necnon aurum, & argentum infinitum, & alia cuncta bona, quæ ibi tam ipse, quàm alii congregarant integraliter amiserunt, capto nihilominus carrochio Cremonensium cum vexillo, papilionibus, equis, & armis, peditibus quoque, & militibus captivatis, ultra tria millia, & plusquam mille quingentis aliis gladio interemptis, præter conculcatos equorum pedibus, & ruinâ, qui non potuerunt in tanta strage præ multitudine numerari. Ipsa quoque terra dicta Victoria victa pariter & confusa, & cibus ignis facta, fuit

(18) Odor. Raynald. an. 1247. §. 2.

fuit funditus dissipata. Vixque ipse Fridericus cum paucis evadens, fugatus horribiliter cum confusione multa & erubescentia, Cremonam defectus viribus se recepit. Et quamquam ipsa Parmensis civitas postmodum fuisset tam à Cremonensibus, quàm ab aliis inimicis variis & diversis perturbationibus, & adversitatibus lacessita, continens & roborans ipsam Deus ministerio, & favore consanguineorum Domini Papæ virorum nobilium, & potentium constanter semper perstitit, & retrorsum nullatenus est conversa.

De regressione Frederici in regnum Apuliæ.

XXVII. Post hæc, non post multum temporis in regnum Apuliæ regressus est Fridericus; ubi tanquam ursa catulis raptis frendens deſæviit graviter in sæculares clericos, & Prælatos, sed gravissimè in religiosos. Nam fratres Minores, & Prædicatores de ipso regno expulit & ejecit, ex quibus aliqui ludibria, & verbera experti, insuper vincula & carceres, suspensi sunt, decorticati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Et ut urgentiori stimulo posset ipsam Ecclesiam impugnare, cum infidelibus pertractans connubia, & se ipsis catenâ sanguinis socians, Baocario suam misit filiam in uxorem. Sarracenis quoque amicitiæ fœdere copulatus, Soldano plura, & magnifica sæpesæpius encenia destinabat, inter quem, tanquam execrator Christianæ religionis & ritus, Christianas virgines juvenculas transmittebat ad captandam benivolentiam eorundem, ut tandem fultus ipsorum potentiâ Ecclesiam impeteret postmodum, & tyrannide acriori. Nec mirum, cum ipsis namque totum suum erat commercium, totum consortium, & convictus. Eis etiam in meditullio terræ Apuliæ copiosam & amplissimam ædificaverat civitatem, quæ usque hodie Nocerium nuncupatur. Ex quibus aliquos palatiis & cameris suarum puellarum, potiùs suarum meretricum, ad custodiam deputabat.

De transitu Regis Franciæ in subsidium terræ sanctæ.

XXVIII. Ipso namque tempore, anno Domini MCCXLVIII. Rex Franciæ Lodoicus, unà cum fratribus suis viris potentibus, & robustis, & innumera multitudine militum electorum regni sui, ac alio exercitu copioso transfretavit mare, vadens in subsidium terræ sanctæ, cum quo Dominus Papa misit Legatum venerabilem Dominum Ottonem Episcopum Tusculanum. Et prosperum iter faciens Deus salutarium nostrorum, cepit postmodum Damiatam. Cui Fridericus detestans opera bonitatis præcluserat vias regni, ne inde transitus esset sibi, vias quoque maris, & semitas, atque portus faciens custodiri, ne illuc victualia portarentur. Interea filius Friderici Rex Encius, qui adversùs Ecclesiam Lombardiæ dominium tunc habebat, & qui ibidem remanserat loco patris, à Bononiensibus apud Mutinam cum CCC. militibus XIII. Kal. Januarii, anno, quo capta est Victoria, Domino cooperante, fuit & ipse captus, & Bononiæ carceri mancipatus.

De morte pessima Frederici.

XXIX. Demum prospectans Dominus de excelso solio sancto suo, & videns Petri naviculam undarum anfractibus, pressuris variis, & adversitatibus conquassatam, sæpe fatum tyrannum Fridericum subtractionis, & perditionis filium, anno Domini MCCL. festo beatæ Luciæ, Pontificatus Domini Innocentii Papæ IV. anno VIII. subtraxit de medio ipse Deus, (19) qui in Apulia castro Florentini laborans gravibus dissenteriis, frendens dentibus spumans, & se discerpens, ac rugiens immensis clamoribus excommunicatus, & depositus miserabiliter expiravit; ut sic meritò attestaretur suæ vitæ nequissimæ mors hæc tam acerrima, & crudelis mors. (Mors enim peccatorum pessima, & finis eorum interitus) terminatur. Vixit autem in imperio XXXVIIII. annis. Mansit autem in excommunicatione duodecim, post depositionem verò quatuor annis vixit. Hic tyrannus monasteria Monachorum, domos Hospitaliorum, & Templariorum, aliorumque religiosorum multipliciter afflixit. Hic fidem catholicam non tenebat, hæreticos publicè fovebat, Episcopos, fratres Minores, ac sæculares clericos in opprobrium Jesu Christi, & Ecclesiæ impiissimè occidit. Alios quoque Presbyteros suum cogebat jurare mandatum, & eos celebrare divina, excommunicatis & interdictis præsentibus, faciebat. Beneventum, ac plures terras, & castra Ecclesiæ usque ad solum redigens, destruxit. In civitate Ameliæ majorem Ecclesiam funditus diruit, ubi & castrum suum construi fecit. In Apulia, in villa quæ Calseburgum vocatur, altare Domino consecratum fecit dirui, & in eodem loco latrinas ædificari. In pluribus autem terris regni Apuliæ, ubi fuerant Ecclesiæ Deo dicatæ, suarum meretricularum loca construxit. Et non contentus juvenculis mulieribus, & puellis, tanquam scelestus, infami vitio laborabat; quod quidem turpe est cogitare, turpius dicere, turpissimum exercere. Nam ipsum peccatum quasi Sodoma apertè prædicabat, nec penitùs occultabat. Quid ultra recensere per singula nefandissima ejus acta? Conflata namque in ipso fuit nequitia consummata. Et cùm temporis dicti spatio dictus Summus Pontifex Innocentius cum fratribus suis Lugduni cum curia resideret, dans locum iræ, & cedens furori, & vesaniæ Friderici, quæ tanta fuit, quòd coactus est expendere ipse Dominus Papa, sicut pius pater, pro defensione, & conservatione fidelium filiorum infra septem annorum spatium ultra ducenta millia marcarum argenti tam in Alamania, quàm Lombardia, Marchia Anconitana, patrimonio beati Petri, aliis terris, & provinciis, atque locis. Faciebat etiam in Lugdunensi civitate magnas eleemosinas, præter cotidianas, per manus fratrum Minorum, qui cum eo in camera morabantur, quærendo pauperes, & infirmos per domos, & hospitalia civitatis. Sunt interim Lugduni mortui quinque venerabiles Cardinales, utpote Domnus Otto Portuensis Episcopus, Domnus Guillelmus Episcopus Sabinensis, Domnus Wilelmus tituli XII. Apostolorum Presbyter, Domnus Raynerius Viterbiensis Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus, Domnus Goffredus de Franco Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.

De

(19) Odor. Raynald. an. 1250. §. 23. & seqq. vid. lib. 1. Miscell. Baluzii pag. 476. & seqq.

Digitized by Google

De multitudine populorum venientium ad Papam.

XXX. Postquam verò persecutore dicto sublato de medio voluit Deus benignitate solita tranquillam reddere pacem Ecclesiæ suæ sanctæ, ne jam adversitatibus ulteriùs premeretur, decrevit Dominus Papa ad suam sedem propriam, à qua diu exulaverat, remeare. Et cùm hoc divulgaretur per circumadjacentes provincias, & remotas, tanta confluxit ad ipsum circa majorem hebdomadam frequentia populorum, ut non posset eos Lugdunensis civitas aliquatenus continere. Cùmque flagitarent Summi Pontificis præsentiam intueri, ut ab ipso indulgentias reciperent peccatorum, & benedictionis apostolicæ munere signarentur, oportuit Dominum Papam die Jovis sancti extra in campum egredi civitatem, quod & fecit, clementer annuens votis, & desideriis populorum. Venerat proinde illuc inter omnes Principes, & magnates Rex Alamaniæ christianissimus Guillelmus, filius devotus Ecclesiæ, ut & ipse gauderet aspectu, & præsentia tanti patris, &, ut moris est Regum, tenuit staffam ejus, & ipsum pariter adextravit. Sermone igitur ibidem cum multa devotione, & sapientia proposito verbi Dei, ac ipsis benedicens omnibus, & tribuens amplas indulgentias peccatorum, & eis vale facto, in locum castri Sancti Justi, ubi manserat, est regressus; & ea die celebratis Missarum solemniis in cœna, unà cum dicto Rege Guillelmo, & fratribus, ac multis Prælatis aliis, manducavit. Adveniente autem quarta feria post Resurrectionem Dominicam, ipsa die ipse Summus Pontifex, & Rex Guillelmus egressi sunt de Lugduno, cum quo Rege Legatum destinavit in Alamania Dominum Hugonem tituli Sanctæ Sabinæ venerabilem Presbyterum Cardinalem. Ipse verò carpens itinera versùs Romam, ut ad Sedem propriam jam rediret, prima die Viennam deveniens, receptus est cum gaudio, & honore. Secunda verò die ascendens naviculas, transivit per Rhodanum fluvium usque Oringiam civitatem, declinans nihilominus in ipso transitu per Valentiam, & Vivarium civitates. Deinde per terram venit Marsiliam, ubi multâ magnificentiâ est susceptus à civibus civitatis. Et tam Burgundi, quàm Provinciales, undecumque transitus erat ipsius Summi Pontificis, occurrebant undique de civitatibus, & viculis, atque villis. Multitudo quoque clericorum, religiosorum, laicorum, mulierum pariter, & puerorum cursitabant inruentes in ipsum, & anhelantes multo fervoris desiderio, si quo modo possent contingere aspectum ipsius Domini, & cum hymnis, & laudibus suscipiebant eundem. At ubi ad Januensium notitiam est deventum, quòd per eos esset Summus Pontifex transiturus, per totam maritimam stratas ipsi præparari fecerunt, vias planari, & pontes pariter resarciri non sinè magnis sumptibus, & expensis. Cùm jam verò transiens per Suciam, & Viginti-miliam civitates, Januam devenisset, ordinatis processionibus accuratis, & solemnibus laudibus, coopertis quoque plateis, & viis civitatis, pictis tapetibus, purpureis vestibus, & aliis variis indumentis diversimodè variatis, aliisque pluribus ornatum, & decorem præstantibus, occurrentes ei extra civitatem cum tripudio, & exultationis gloria susceperunt. Fecerant quoque sibi in ipso suo adventu contra Solis æstum quoddam umbraculum, innectentes capitibus quatuor perticarum pecias de serico artificiosè insitas, & insertas. Quod quidem umbraculum plena devotione ferentes ipsi milites, & majores de terra, sub illo veniebat Dominus ipse Papa. Hoc utique sibi fiebat ubique in aliis civitatibus, communitatibus, atque castris. Et cùm in ipsa Januensi civitate, vocatis ad se Ambaxatoribus de societate fidelium Ecclesiæ, omnium civitatum Lombardorum, & Mediolanensium, illuc usque in Festo Ascensionis gressu devoto, & celeri pervenerunt ad tractandum de pace, & bono statu provinciæ, & concordia eorundem. Cùmque jam sui esset propositi concordiâ versùs Romam dirigere gressus ejus, ut ibidem de Regni Apuliæ negotiis ordinaret, ad urgentem tamen, & multorum instantiam Legatorum Domni Octaviani Diaconi, & Domni Gregorii de Monte-longo ipsius Domini Papæ Notarii, postmodum Patriarchæ Aquilegensis, & Ambaxatorum qui de Lombardia venerant, inductus est per Lombardiam pariter declinare. Et circa festum Beati Johannis Domini Præcursoris egressus de Janua, & versùs Lombardiam iter arripiens, in festo Apostolorum Petri & Pauli Alexandriam pervênit. Deinde per terram Montisferrati transeuntis ad pontem devênit. Ibi enim Dominus Thomas de Sabaudia Comes, qui fuerat pro parte Frederici, venit ad mandata Ecclesiæ, & per Alsinatensem Episcopum extitit ab excommunicationis vinculo absolutus. Ubi etiam occurrit ipsi Domino Papæ Mediolanensis, & Novariensis militia, ut per Vercellensem civitatem, quæ adhuc se tenebat pro parte Frederici, securus, & pacificus transitus esset sibi. Factum est autem, cùm appropinquaret civitati Mediolanensi ultra milliare, extendentes papiliones in pratis ad fatigatorum ex itineris labore refrigerium, & solamen, ipsum Dominum cum tanta exultatione, ac tripudio susceperunt, quòd nunquam esset dictu facile, vel notare. Nam fecerunt sibi quoddam artificium in modum quadratæ cabiæ, miro modo excogitatum, contextum, & connexum à lateribus perticis, & lignis aliis politis pariter & ornatis, coopertum quoque superiùs contra Solis æstum de scarleto, & serico, quod quidem ferebant nobiles milites civitatis, & infra, quod veniebat ipse Summus Pontifex super equum ne à circumvenientibus, & frequentiâ populorum, ob plenam devotionem irruentium, & eidem occurrentium pressuris aliquibus læderetur. Et seorsum Clericis civitatis processionaliter ordinatis, seorsum popularibus viris, seorsum mulieribus, seorsum pariter parvulis resonantibus Deo & Christo ejus, lætati sunt lætitia inenarrabili in aspectu, & præsentia tanti patris. Erat enim ipsorum talis & tanta processio, quòd nunquam talis à sæculis audita fuit, vel visa. Nam religiosorum, & aliarum Ecclesiasticarum personarum usque ad XV. millia ascendebat. Aliorum namque tanta erat populi multitudo, quòd decem milliarium spatium occupabat. Dum autem ipse Papa ibi persisteret, ipsius favore Mediolanenses Laudam civitatem ceperunt, quæ pro parte dicti Frederici erat cum Cremonen-

nensibus, & Papiensibus fœderata. Descendens postmodum de Mediolano, venit Brixiam, post Mantuam, semper associatus solemni harum militiâ civitatum. Inde transivit per Padum fluvium usque Ferrariam, quam intravit festo Beati Francisci; ubi tam per terram, quàm per aquam ei pariter occurrentes susceperunt ipsum in multitudine gaudiorum. Cùmque jam appropinquaret Bononiæ, ipsi Bononienses in multa solemnitate cum vexillis, & laudibus ei obviam exeuntes, multo quoque decore ipsorum militiâ ordinatâ, traxerunt extra civitatem ultra milliare carrochium de scarleto decentissimè coopertum. Vexilla quoque, quæ superiùs in castro erant carrochii, cùm Dominus Papa ipsi adjungeretur carrochio, sunt usque ad sacros ipsius pedes subitò inclinata. Quod quidem fuerat miro artificio ordinatum ad ejusdem reverentiam, atque laudem. Et cùm de Bononia post XVII. dies recederet, & vellet ire Perusium, transiens per Romaniolam, in civitate Favensi, festum omnium Sanctorum die Mercurii celebravit, ubi Ecclesiam Sancti Paterniani ordinis Sancti Benedicti pariter consecravit. Die verò sequentis Dominicæ venit Perusium, ubi honorificè est susceptus. Dum autem ibi persisteret, & illuc curiam ordinaret, cùm jam ibidem per annum & dimidium resideret, tres Cardinales in Ecclesia ordinavit, Dominum Episcopum Portuensem, Dominum Episcopum Penestinum quondam Strigoniensem Archiepiscopum, & Dominum Ottobonum Sancti Adriani Diaconum Cardinalem. Dominum autem Penestrinum de Barro tituli Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem consecravit in Episcopum Sabinensem, ubi quidem non post multum temporis à Domino ad vitam aliam est vocatus, qui se fecit in Ecclesia Sancti Francisci de Asisio tumulari. Tunc verò temporis, cùm à Bathasio Imperatore Græcorum solemnes nuntii, utpote Archiepiscopi, Episcopi, quidam nobiles milites ad Romanam curiam mitterentur, prima facie in regnum Apuliæ pervenerunt; ubi per adversarium dictæ Ecclesiæ Fredericum, ne posset concordia provenire inter Græcorum Ecclesiam, & Latinam, per annum & dimidium sunt detenti. Tandem intercedente morte ipsius tyranni ad præsentiam Summi Pontificis apud Perusium pervenerunt. Qui quidem honorificè ab ipso Domino sunt suscepti. Habitis quoque collationibus super diversis inter ipsos, & Summum Pontificem, ad deliberandum super præfatis cum dicto Battacio domino eorundem ad propria remearunt.

De adventu Corradi in regnum.

XXXI. Interea Corradus filius sæpefati depositi Frederici venit de Alamania, transiens per mare Venetiarum & Adriaticum, invasit & occupavit regnum Apuliæ, & Siciliæ in jacturam, & dispendium Ecclesiæ, cùm esset de jure ipsum regnum ad manus Ecclesiæ devolutum. Propter quod ipsum, & omnes sibi pariter adhærentes Dominus Papa excommunicationis vinculo innodavit. Qui pallians se simulationis, & versutiæ pallio, cùm sub ovina pelle lupum nequitiæ occultaret, ad ipsum Summum Pontificem solemnes nuntios destinavit, utpote viros sagacissimos, & astutiæ magnæ, Bartholomæum Marchionem de Hohemburch, Archiepiscopum Tranensem, Gualterium de Ocra Cancellarium suum, & alios quoque plures, per quos se dicebat velle mandatis Ecclesiæ humiliter obedire. Qui benignè recepti sunt à Summo Pontifice, ne unquam in ipso nisi benignitatis, & mansuetudinis vestigia invenirentur. Cùmque per ipsum Corradum ipsi nuntii peterent, ut tam in imperio, quàm regno succederet loco patris, nequivit per eos, cùm omnino indebita peterent, & solùm causâ palliationis, & deceptionis venissent, concordia provenire. Quibus postmodum reversis ad dicti Corradi præsentiam, cœpit ex tunc ipse Corradus tantam sævitiam exercere, ut jam quasi tota terra sileret in conspectu ejus, & respectu tyrannidis, & malignitatis ipsius tegerentur, nec haberentur in memoria acta nequissima patris sui. Talia quidem se facere minabatur, ut pater ejus sanctus ab omnibus haberetur, & quòd si pater arctavit subjectos sibi flagellis, per ipsum scorpionibus cæderentur. Tunc verò temporis obsedit primò Capuam, deinde Neapolim, cùm essent Ecclesiæ fidelissimæ & devotæ, & tamdiu eis victualia subtrahendo donec coëgit eas stare mandatis suis, destruens omnes muros circumpositos ipsis terris. Nam de radice colubri, scilicet Frederico, egressus regulus, Corradus egressus est natus ejus. Ipse verò Summus Pontifex prædictam reguli cum suis fratribus videns potentiam in dicto regno invalescere, necnon ipsum in devotos Ecclesiæ desævire, patris vestigia imitando, magistrum Albertum de Parma notarium suum, de cujus longo tempore expertus fuerat bonitate, ad nobilem virum Ricardum Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ destinavit, resumendo tractatum cum ipso magistro, quo tamen nescitur consilio, illum valuit consummare. Audito verò hoc à nobili viro, & strenuo Karolo Andegaviæ, & Provinciæ Comite, Christianissimi Regis Francorum germano, statim idem Comes suos nuntios solemnes ad Sedem Apostolicam destinavit, offerendo personam, terram, & omnia sua bona servitio Romanæ Ecclesiæ, & specialiter ad prosecutionem negotii supradicti. Qui nuntii à Summo Pontifice, & suis curialibus honorificè fuerunt recepti, sicut sui moris erat recipere à tali Principe nuntios destinatos. Paucis verò diebus elapsis, ipsorum legatione audita, cum suis fratribus deliberato consilio, prædicto magistro A. in Francia tunc degenti per suas literas fratrum suorum subscriptione firmatas cum omni affectione mandavit, ut dictum Siciliæ regnum præfato Comiti, sub quibusdam conditionibus sibi satis levibus, & multùm regno, & Ecclesiæ opportunis concederet, & de ipso ipsum vice Romanæ Ecclesiæ investiret. Qui magister de commissis sibi omnibus nihil obmittens, quod sibi mandatum fuerat voluit adimplere, sed malignorum interveniente nequitia, post multos, & longos tractatus, licèt ipse Comes hoc multùm in corde gestaret, collateralium tamen suorum devictus consilio hoc donum sibi tam magnificum destinatum recipere non tentavit. Tempore postea modico procedente, Deus, qui Ecclesiam suam non permittit fluctibus diutiùs agitari, devotissimi, & Christianissimi filii Ecclesiæ Regis Anglorum, procurante aliquo de ipsius Pontificis Summi genere, animum excitavit, & adeò, quòd Romano Pontifici

Digitized by Google

tifici devotissimè supplicavit, ut Eamundo nato suo prædictum regnum ab aliis refutatum concederet sub conditionibus, quibus vellet. Paratus enim erat personam suam, filios, atque terram exponere Ecclesiæ servitiis, & mandatis, dummodo votum crucis sibi prosecutione dicti negotii cõmutaret. Quibus Summus Pontifex exauditis, repletus lætitia supra modum, eidem magistro adhuc in Franciæ finibus existenti per nuntios suos, & literas demandavit, ut dictum regnum sub illis conditionibus, quas postmodum dicerent Dominus O. Sancti Adriani Diaconus Cardinalis ejusdem Domini nepos, prædictus magister Albertus Notarius, Archiepiscopus Cantuariensis, Episcopus Herefordensis, Lugdunensis electus, & P. Comes Sabaudiæ, & quidam alii, in feudum concederet nomine Romanæ Ecclesiæ matris suæ. Quod & fecit cum magno gaudio, & amore, videns, quòd per eum Ecclesia à suis relevaretur angustiis, & pressuris. Iis igitur postmodum per Romanum Pontificem confirmatis, prædictus Rex ad ea, quæ sunt armorum se tradens, cogitare cum suis non destitit de prosecutionis negotio, sicut scivit. Romanus autem Pontifex ex opposito intendebat operibus sanctitatis.

De canonizatione Sancti Petri ordinis Prædicatorum.

XXXII. Ipso namque tempore fratrem Petrum ordinis Prædicatorum, qui zelo ferventi, & toto mentis studio persequebatur hæreticos, & qui in provincia Mediolanensi III. Kal. Maji ab ipsis hæreticis extitit interfectus, de fratrum suorum consilio, & aliorum plurium Prælatorum, sanctorum catalogo annotavit. Recedens postmodum de Perusio ipse Papa dominica die octavarum resurrectionis Domini, anno Domini MCCLIII. pontificatus sui anno X. venit Asisium, ubi cives civitatis illius ipsum cum tanto gaudio susceperunt, quòd in ipsius tanti patris aspectu præ ingenti, & superabundanti lætitia nullo modo se poterant à multis lacrymis continere. Et moratus est tota illa æstate cum omni sua familia in loco beati confessoris Sancti Francisci, in quo loco corpus ejus sanctissimum requiescit; qui de consilio fratrum suorum consecrationem ipsius Ecclesiæ faciendam prædixit in dominica præcedente festum Ascensionis Domini.

De consecratione Ecclesiæ Sancti Francisci de Asisio.

XXXIII. Adveniente quoque termino præfinito consecrata est ipsa Ecclesia, & altaria in eadem per Dominum memoratum, & Episcopos quoque plures. Ubi, propter loci devotionem, & reverentiam Summi Pontificis dictam Ecclesiam consecrantis, tanta fluxit frequentia populorum, Prælatorum, religiosorum, clericorum, virorum, mulierum, & parvulorum, etiam tam de remotis provinciis, quàm longinquis, ut nullus unquam posset eos præ multitudine numerare. Nam valles, & colles, planities, & ipsa civitas Asisinas ex iis multipliciter replebatur. Contulit autem ipse Dominus Papa illuc omnibus devotè accedentibus amplas remissiones, & indulgentias peccatorum. Statuit enim ipse Dominus Papa, ut singulis annis in tali die dominico ante festum ascensionis Domini festum consecrationis ipsius celebretur. Majorem quoque Ecclesiam ipsius civitatis, Sanctum Rufinum, & Ecclesias Sancti Petri & Sancti Pauli, Monasteria de Asisio ordinis Sancti Benedicti ibidem etiam consecravit. Tunc etiam stante ipso Papa ibidem Beatum (20). Translam Episcopum miraculis multis clarissimum, qui, ut alter Johannes Baptista, Ducem Poloniæ super nefandissimis immunditiis arguebat, propter quod ab ipso Duce in civitate Cracovia capitis truncationem sustinuit, de fratrum suorum consilio, & aliorum Prælatorum in catalogo sanctorum martyrum ascripsit. Dominam autem Claram vita claram, & nomine, primam Abbatissam Dominarum monialium inclusarum ordinis Sancti Damiani in infirmitatis suæ lectulo decubantem, bis tanquam pius pater, & multæ compassionis, & mansuetudinis visitavit. Quæpostmodum die festi Beati Rufini à Domino feliciter ad vitam aliam est vocata. Fratribus verò Minoribus, cum quibus in eorum loco ipse Summus Pontifex morabatur, multa humanitatis, & benignitatis beneficia conferebat. Nam, tanquam qui præpollebat humanitatis virtute, fratrem se gerebat cum ipsis fratribus, humilem cum humilibus, mansuetum cum mansuetis, ad cujus gremium dicti fratres securâ fiduciâ, nedum tanquam ad patrem, sed sicut ad matris ubera recurrebant. Qui quidem fovebat ipsos dulci ejus alloquio, & sermone, & faciebat eis alimoniam, & cuncta necessaria in tunicis, & aliis ministrari, tanquam suis dilectissimis uterinis.

De reversione Papæ ad Urbem.

XXXIV. Celebrato postmodum ibi solemniter festo Beati Francisci die Sabbati, die Lunæ sequenti egrediens de Asisio cum tota curia, ad urbem Romam per Narniam & Sabinam est reversus. Ubi occurit ei Senator cum populo Romano extra civitatem, & ordinatis processionibus solemnibus religiosorum, clericorum, virorum, & mulierum, eundem Dominum cum ingenti lætitia susceperunt. Qui cùm in Lateranensi palatio resideret, intendens piis, & sanctis operibus, confessionem, & altare majus Ecclesiæ Sancti Laurentii extra muros, in qua requiescit corpus ipsius martyris gloriosi, cui devotissimus semper, sicut nunc est, reparari, & innovari fecit opere sumptuoso. Similiter apud Sanctum Petrum palatium, cameras, & turrim pulcherrimas ædificari, & vineas ibi emi fecit. Præterea nutriebat, & fovebat omnes Prælatos, & clericos, nobiles, & alios expulsos, & exules de regno, dando eis sæpesæpius largas subventiones & eleemosinas. Illo verò tempore Romani quemdam Militem Bononiensem, Brancaleonem nomine, pro triennio in Senatorem urbis elegerant, quia in Lombardia fuerat pro parte Frederici depositi, & junctus amicitiâ Ezelino tyranno hæretico omnimode adversario Ecclesiæ, & etiam tyranno alteri, nomine Pelvicino, latenter machinabatur contra Summum Pontificem, cum privato consilio Romanorum, si quo modo posset negotia Ecclesiæ impedire, cùm sicut publicè dicebatur, corruptus esset pecuniâ

(20) Stanislaum.

Corradi nati sæpefati Frederici, qui jam occupaverat ipsum regnum, cujus quidem nuntios recipiebat, & in urbe secum publicè retinebat. Hic namque multùm laboraverat, ne ipse Pontifex ad urbem Romam sedem suam propriam remearet. Sed laxati sunt suæ iniquitatis funiculi, & prævalere in aliquo nullatenus potuerunt, Deo ipsum Pontificem, & Ecclesiam feliciter adducente.

De Secundis nuntiis Corradi ad Papam.

XXXV. Ipso postmodum Papa residente in Urbe, dictus Corradus pro concordia, & pace iterum fictitiè & simulatoriè ad Summum Pontificem solemnes ambaxiatores, & nuntios destinavit, utpote Comitem Montisfortis avunculum suum, & alios quoque plures, occultè ponens insidias, & pertractans cum senatore prædicto, ac expendens in ipsis Romanis multam pecuniæ quantitatem, & eis multa alia promittendo, si fortè sibi contra Ecclesiam amicitiâ jungerentur. Sed mentita est iniquitas sibi, cùm & ipsam pecuniam amisisset, & nulla ei ex hoc utilitas provenisset. Et cùm semper viâ versutissimâ graderetur, ipsius intercedente obstinata nequitia, nulla potuit inter ipsos concordia provenire.

De nuntiis Græcorum ad Papam.

XXXVI. Isto namque tempore solemnes Græcorum nuntii, utpote Archiepiscopi, Episcopi, & alii nobiles Milites ex parte Bathacii super primis eorum tractatibus iteratò ad Romanam curiam pervenerunt. Qui quidem per ipsum per plures menses in ipso regno Apuliæ detenti fuerant, ne venirent. Adveniente postmodum die Jovis sancti, quo solet fieri reconciliatio pœnitentium & anathematizatio protervorum, ac infidelium omnium, ipse Dominus Papa in platea Lateranensi, ut moris est Pontificum Romanorum, sermone proposito verbi Dei, excommunicavit dictum Corradum, ipsum regnum Apuliæ adhuc in sua protervia detinentem. Ezelinum autem præfatum crudelem tyrannum, propter suam infidelissimam perfidiam & errorem, cujus publicè infamia laborabat, sui patris imitator effectus, qui ut hæreticus ipse fuit, cùm pluries fuisset citatus, & requisitus, ut se purgaret à suis erroribus, quod quidem contempsit, & facere recusavit, adjudicavit hæreticum, & à communione fidelium separavit. Præter hoc autem, quòd erat obstinatus in hæretica pravitate, qui quidem fovebat etiam, & defendebat hæreticos alios, & tantam exercebat tyrannidem, quòd putabatur excedere crudelitatem Neronis, vel etiam Pharaonis. Nam fratrem in fratrem, patrem in filios, filios in parentes faciebat insurgere, & ipsos in ejus oculis gladio jugulare, partus faciebat extrahi de prægnantibus ventriculis, & matriculas discerpi de corporibus puellarum. Inexcogitatas etiam pœnas alias, & crudelissimas exercebat, quibus non est opus diutiùs immorari.

De exercitu Romanorum supra Tyburtum.

XXXVII. Interea anno Domini MCCLIV. pontificatus ipsius Innocentii Papæ quarti anno XI. Romani egressi sunt infra octavam resurrectionis Dominicæ in universali eorum exercitu contra Tybur, & ipsam civitatem arctissimè cum machinis, & lignis aliis obsederunt. Tunc temporis misit Papa magistrum Bernardum Electum Neapolitanum ad reformandam pacem inter Regem Ungariæ, & Regem Boëmiæ, inter quos durissima guerra erat. Et quia moris est Pontificis in æstate egredi extra urbem, circa festum Beati Marci egrediens inde per Sabinam, & Narniam direxit versùs Assisium gressus suos, ut ibidem ipsa æstate proxima æstivaret, & ut ipsius Domini residentiâ in eadem, ipsa civitas Assisinas resarciretur & repararetur, vel in modico in suis dispendiis, quæ inter omnes circumadjacentes alias civitates plus fuerat per Fredericum tyrannum, & suos satellites afflictionibus, & damnificationibus lacessita. Inde verò ipse Pontifex Dominum Petrum Capucii venerabilem Cardinalem Sancti Georgii ad velum aureum misit Legatum in Alamaniam pro negotiis Ecclesiæ, & ad reformandam pacem, & concordiam inter illustrem virum Guillelmum Regem Alamaniæ, & Comitissam Flandriæ.

De pessima morte Corradi.

XXXVIII. Ipso verò Pontifice stante Assisii, ab eo, qui transfert montes de loco suo, & baltheum Regum dissolvit, sæpefatus Corradus circa festum Ascensionis præventus morte crudeli, dum adhuc juvenis ordiretur in annis, & telam suæ nequitiæ texeret, est præcisus. Hoc audiens Dominus Papa, quia prudentis, & sapientis est mutare consilium, festo Pentecostes celebrato, ipse cum fratribus suis, & tota curia inde recessit, transiens per Spoletum, & Interamnam, quæ in maxima erat discordia, eam pacificavit, & per Ortam, ac civitatem Castellanam ad Ecclesiam Beati Petri de urbe pervênit, ubi solemniter celebravit, ac prædicavit, ac negotium Ecclesiæ recommendavit Romanis humiliter, & devotè. Deinde venit castrum Molariæ, ubi Dominus Ricardus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis valde honorificè eum recepit, & splendidè ipsum, ac totam curiam procuravit. Inde recedens venit Anagniam civitatem Campaniæ, ut & ibi commodiùs de negotiis regni Apuliæ ordinaret. Inde verò Græcorum nuntii, qui de urbe Roma secuti sunt Dominum Papam usque Assisium, & de Assisio usque ad dictam civitatem Anagniæ, petitâ licentiâ, & obtentâ ipsius Summi Pontificis, ad ipsorum Dominum Bacthacium cum responsivis Domini Papæ literis sunt reversi.

De nuntiis Regis Tartarorum.

XXXIX. Quibus inde recedentibus, ecce quidam Armenus clericus, nuntius Regis Tartarorum, qui cum ornata comitiva hominum, & equorum ad Sedem Apostolicam veniebat, & qui expoliatus omnibus bonis suis per Corradum in regno Apuliæ fuit tentus, donec ipse, intercedente morte ipsius teneretur à principe tenebrarum. Unde vix ipse solus evadens, ad sacros pedes ipsius Papæ pervênit. Privatus tamen literis ipsius tandem Tartarorum Regis, quibus petebat formam, & regulam christianæ religionis, & ritus, ut iis informaretur, cùm Christianus esset effectus, & sacri baptismatis receperit Sacramentum, tractus miraculo maximo illius, qui facit mirabilia magna solus, quod tale est. Filius namque ipsius Regis infirmabatur ægritudine valida, & omnino incurabili judicio medicorum, & vocatis ad se Armenis, & aliis Christianis, eos est taliter allocutus, quòd nisi Deus ipsorum precibus illorum

Digitized by Google

lorum ejus filium redderet pristinæ sanitati, omnes capitali judicio subjacerent, quòd si verò restitueretur sanitati optatæ, ad fidem ipsorum continuò se transferret. Indicto igitur inter ipsos Christianos triduano jejunio, & signo crucis facto super infirmo, ac invocato Christi nomine, subitò ab eo, qui sanat languidos, & allegat contritiones eorum, extitit liberatus; propter quod baptizatus est ipse, & domus ejus tota, ac ultra quinquaginta millia Tartarorum. Ipsum verò Armenum nuntium Regis dicti satis Summus Pontifex honoravit. Cui fecit in cunctis ejus opportunitatibus, in vestimentis, & alimoniis provideri. Qui reportans literas à Domino Papa, regressus est unde venerat ad dominum suum. Quia verò non est iis diutiùs immorandum, ad inceptum, & propositum eloquium redeamus. Et quia ipsum Apuliæ regnum adhuc remanserat occupatum per Dominum Bertholdum Marchionem de Hohemburch, quem, ut dicebatur, Balium suum Corradus in eo reliquerat, & per Manfredum fratrem ipsius Corradi, filium Frederici, qui se dicebat relictum à patre Principem Tarentinum, & Fredericum de Antiochia filium similiter Frederici, ac alios quoque plures solemnes Dominos curiæ patris, & suæ, Comites videlicet, & Barones, ipsos citavit Summus Pontifex, ut parendo mandatis ipsius ipsum regnum manibus Dominæ Ecclesiæ resignarent. Tunc Manfredus dictus Princeps Tarentinus, dictus Comes, Gualterus de Manuplello, Gualterus de Ocra, Cancellarius, Bursarius, Capitaneus Theutonicorum, & alii quoque, tam pro se, quàm pro parte Marchionis, & aliorum de regno nobilium ad pacem componendam, & concordiam reformandam ad ipsum Dominum Papam apud Anagniam devenerunt. Cùmque per quindecim dierum spatium hinc inde collationibus habitis, tractatus pacis, & concordiæ haberetur, cùm esset jam pax scripta, & concorditer ordinata, penultima die, cùm ipsi fraudulentiâ multâ incederent, & timor Dei non esset ante oculos eorum, ipsam pacem non cognoverunt, sed regressi sunt apud Sanctum Germanum, ubi dictus Balius morabatur. Et mittentes ipsi ad Sarracenos de Nucerio, & ad dispersos per regnum Theutonicos, congregaverunt ibidem Theutonicorum, & Sarracenorum, & aliorum multitudinem copiosam. Dominus autem Richardus de Montenigro potens, & munitus in terris, & castris, qui fuerat magister Justitiarius in regno Apuliæ, & qui primò in occulto redierat ad mandata Ecclesiæ, ipsis diebus se ad favorem Ecclesiæ publicavit. Quo debilitata est multipliciter pars ipsorum.

Quòd Papa convocavit exercitum.

XL. Intuens autem Dominus Papa multiplices illorum nequitias, rebellionem, atque versutias, cùm primò requisivisset, & sollicitasset in diversis partibus fideles Ecclesiæ, misit celeriter pro eisdem ad diversas provincias, Lombardiam, Januam, Tusciam, Marchiam Anconitanam, patrimonium, & ducatum, ut contra rebelles Ecclesiæ festinarent. Interea ipse Summus Pontifex festo Beatæ Virginis iteratò peremptoriè citavit eosdem, ut usque ad festum Nativitatis ejusdem Virginis mandatis Ecclesiæ obedirent. Qui obfirmantes in malitia, & pertinacia mentem suam, facere recusarunt. Congregato igitur exercitu copioso apud Ceperanum prudentum, & electorum militum, exquisitorumve peditum, missus ei Legatus à Domino Papa, de fratrum suorum consilio, Dominus Guillelmus Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis, vitæ maturitate præclarus, scientia dives, titulo præpollens multæ prudentiæ, in cujus manus direxit Altissimus opus Ecclesiæ adeò in ipsius ingressu in Regnum, & stante ipso in obsidione Sancti Germani, Barones Regni ex diversis partibus, modò ad Summum Pontificem, modò ad ipsum Legatum, pro faciendo fidelitatem Ecclesiæ suos nuntios destinabant, ita quòd præfati rebelles, etsi non voluntarii, vel inviti ad mandata Ecclesiæ devenirent, & missis suis Ambaxiatoribus apud Anagniam Domino Talbangio, & Domino Ricardo Filialgerii, ac aliis quoque pluribus, ante sacros pedes Summi Pontificis, præsentibus fratribus venerabilibus Cardinalibus, populoque pleno astante, in palatio Domini Mathiæ mandata ipsius Pontificis & Ecclesiæ, necessariis cunctis adjectis conditionibus ad hæc, per eos plenariè jurarunt. Ipso namque tempore, cùm jam Romani affecti essent multiplici tædio in Tyburtina obsidione, miserunt suos nuntios ad Dominum Papam, ut inter ipsos, & Tyburtinos pacem, ad honorem urbis dignaretur, & concordiam reformare. Qui tanquam benignus Pater, & Dominus, oblitus injuriæ illorum, qua vias supradictus urbis Senator Brancaleo, ne apud Anagniam victualia portarentur, & ne darentur mutuum ipsi Papæ ad negotium Ecclesiæ prosequendum, ac ne milites, seu alii pedites in exercitu Papæ irent, misit prudentem virum magistrum Arlotum curiæ suæ Notarium, qui eos, divina gratia prosequente, ad pacem, & concordiam revocavit.

De introitu Papæ in Regnum.

XLI. Post hæc verò Dominus Papa circa festum Beati Michaëlis generale parlamentum indixit Capuæ in octava Beati Martini, vel ubicunque curia esset, vel de toto Regno fiendum. Et die Jovis infra octavam Beati Francisci egrediens de Anagnia, processus est versùs ipsam Capuam civitatem anno Domini MCCLIV. mensis Octobris die VIII. intrante, veniens Ceperanum. In crastinum, videlicet Dominica die in octava Beati Francisci, cùm per pontem Ceperani dirigeret gressus suos, Manfredus filius quondam Frederici dictum Dominum per totum pontem Ceperani cum pluribus aliis nobilibus adestravit. Tandem cùm primum apud Aquinum, deinde apud Sanctum Germanum applicuisset, dictorum locorum homines ipsum magnificè receperunt. Et in crastinum, in die Martis, ad Monasterium Sancti Benedicti de Monte Cassino cum cœtu venerabilium fratrum suorum, causâ devotionis, & orationis accedens, ibidem divina mysteria solemniter celebravit. Postmodum verò in sequenti sexta feria Theanum venit; sequenti manè diei Dominicæ Burellus de Agone, vir nobilis, ac Ecclesiæ Romanæ fidelis, jussu dicti Manfredi Principis, immo impiissimi potiùs, à suis satellitibus extitit interemptus. De cujus nece, ob ipsius fidelitatem eximiam erga Romanam Ecclesiam, non tam Summus Pontifex cum curialibus universis, quàm alii Nobiles, & Magnates de Regno

Digitized by Google

gno plurimum doluerunt. Quo facto, ipse Manfredus aufûgit, & junxit se Sarracenis de Nucerio, cum quibus in omnibus persecutus est, qnantum potuit Ecclesiam, & fideles. Et cùm postmodum die Lunę sequenti applicuisset Capuæ, ab ipsius terræ incolis magnificè est receptus. Ubi Dominus Bertoldus Marchio de Hohemburch cum fratribus suis, & pluribus aliis nobilibus cum devotione, & reverentia venerunt ad mandata Summi Pontificis, à quo benignè sunt recepti. Et cùm in vigilia Apostolorum Simonis, & Judæ Neapolim accessisset, cùm ipsa sit gloriosa civitas, gloriosè ab omnibus est receptus; ubi generale studium theologiæ, decretalium, decretorum, atque legum in palatio suo, sicut ubique fecerat, ordinavit.

De obitu Domini Papæ.

XLII. Et cùm Ecclesia Dei, eo præsidente, spiritualibus, & temporalibus proficeret incrementis, repentè extitit febrium languore arreptus. Et dum in suo lecto infirmitatis jaceret, idem Manfredus Ecclesiæ persecutor contra fidelitatem, & juramenta propria venire non metuens, in Romanæ Ecclesiæ partem exercitus apud Fogiam existentis, fraudulenter, dum cum illis per suos pacis, & reconciliationis fœdera tractarent, insultum cum Sarracenis fidei inimicis fecit cum Oddonis de Hohemburch Marchionis consilio, ut creditur, de quo Ecclesia plurimùm confidebat, & ipsum exercitum, post pugnam habitam durissimam inter eos, cùm idem Oddo proditionaliter sinè ictu terga vertisset in fugam. & ipsius semitam secuti fuissent de exercitu quasi omnes, exceptis Nicolao Comite Lavaniæ cum sua, & Domini Jacobi sui consanguinei Lavaniæ Comitis familia, necnon Episcopo Bononiensi, & quibusdam de Parma nobilibus, qui dictis Comitibus Domini Papæ nepotibus viriliter astiterunt, & præ multitudine, quam habebat, durante à manè ad vesperam artavit in tantum, quòd diversis mœniis civitatis ipsos regale ibidem palatium intrare oportuit. Quo audito à Legato, & militia apud Trojam secum stante, idem Legatus infidelium, & aliorum debilium ductus consilio, contra votum, in nocte rebus concessis omnibus occupanti, apud Arianum devotam Ecclesiæ civitatem gressus suos cum sua militia præparavit. Quo audito ab illis, qui in castris Fogiæ remanserant, & de ipsorum adjutorio desperassent, eodem die ordinata acie, ipso Manfredo vidente, & suis dimissis Fogiæ rebus omnibus, præter arma, transeuntes per Trojam, apud Arianum in noctis crepusculo pervenerunt, expectando ibi cum Legato, & aliis Summi Pontificis voluntatem. Dum autem ipse Summus Pontifex diebus aliquot languisset, Sacramentis Ecclesiasticis postmodum præmunitus, pœnitentia, Eucharistia, & sacra Unctione receptis, cum devotione, & lacrymarum effusione per Dominum R. tunc Ostiensem Episcopum, qui per ordinationem divinam successit ei in Pontificatu, de carnis ergastulo exiens in festo Sancti Ambrosii, circa horam vespertinam, ad cœlestem patriam emigravit. Tandem fratres Minores, Prædicatores, & alii religiosi quamplurimi, necnon & clerici sæculares circa ipsius patris feretrum pernoctantes, ac divinis etiam laudibus, & orationibus assistentes, manè sequenti Domini Cardinales, & Prælati pariter universi, cum magno cleri, & populi comitatu, cum reverentia, & honore, non tamen doloris expertes, & effusione multimoda lacrymarum, ipsum detulerunt ad majorem Ecclesiam tumulandum, apud quam elegerat sepulturam. Et eo ibidem sepulto in speciosa, & celebri sepultura (21), obsessi à morbis validis, & languoribus variis per divinam operationis clementiam liberantur, & omnes, qui ibidem puro corde implorant auxilium, salubrem suæ petitionis effectum.

XLIII. Defunctus est Dominus Innocentius Papa IV. Neapoli in palatio olim Domini Petri de Vineis, anno Domini MCCLIV. mensis Decembris die septima intrante. Hic sedit annis XI. mensibus V. diebus X. & cessavit Episcopatus diebus quinque. Actum per manus illius, qui cum ipso Pontifice, non solùm ab exordio ipsius Apostolatus, sed etiam in Cardinalatu ejus Capellanus, & Confessor assiduè extitit, & usque ad ipsius obitum familiariter secum mansit, qui propter tædium legentium de multis, quæ vidit, hæc pauca sub simplici stilo scripsit. Nuntiata verò Domino Guillelmo Cardinali, & aliis nepotibus Domini Papæ existentibus Ariani à quibusdam Cardinalibus morte ejusdem Domini, cum dolore, ac eidem suggerentibus Cardinalibus, ut ad electionem Summi futuri Pontificis festinaret, statim idem Cardinalis cum suis omnibus civitatem munitam relinquens, Neapolim properavit ad ejusdem sui patroni sepulturam, ubi cùm aliquandiu oravisset, Neapolitani cives eum, cum dolore tamen & lacrymis, ad domum ubi Papa decesserat, ubi etiam alios concluserunt Cardinales, curialiter deduxerunt. Ipso namque cum lacrymis recepto ab aliis, statim in diei manè Veneris subsequentis, Sancti Spiritus Missâ cantatâ de electione cœperunt tractare Romani Pontificis Et cùm illa die per formas varias procedentes, nihil penitùs complevissent, die Sabbati post multos, & varios tractatus convenientes in unum, horâ quasi tertiâ, Dominum R. Ostiensem Episcopum in Summum elegerunt Pontificem, quem statim, *Te Deum laudamus* decantando, ad majoris Ecclesiæ Episcopium adduxerunt, ac est ibidem à clero, & populo civitatis receptus, ac præstita omnibus solemni benedictione papali, ad domum, ubi fuerat creatus Episcopus, sub nomine rediit Alexandri IV.

VITA
ALEXANDRI PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

ALexander IV. natione Campanus, de Anagnia civitate, cœpit anno Dñi MCCLIV. Sedit annis VI. & dimidio; In quibusdam verò Chronicis scribitur annis VII. Vacavit Sedes mensibus III. diebus IV. Tempore hujus Papæ quia Matfredus filius quondam, sed illegitimus, Frederici Imperatoris, gerens se pro pædagogo Conradini nepotis prædicti Frederici, ipso Conradino mendaciter publicato mortuo, sibi ipsi coronam Regni Siciliæ in præjudicium Ecclesiæ imposuit, & assumpsit, excommunicatur primò, postmodum verò contra ipsum mittitur exercitus magnus; sed in nullo proficiens revertitur.

Hujus Papæ temporibus Principes Alamannię Imperatoris Electores in duo se dividentes, quidam

(21) Odor. Raynald. an. 1245. §. 74.

Digitized by Google

dam Alphonsum Regem Castellæ, quidam Ricardum Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ ad Imperium elegerunt, quod schisma multis annis postea perduravit.

Hic Alexander Papa reprobavit, & dampnavit duos pestiferos libellos, quorum unus dicebat, quòd omnes Religiosi prædicantes verbum Dei salvari non poterant, vivendo de eleemosynis, & alia multa impia & erronea contra statum paupertatis dogmatizabat. Cujus actor extitit Guillelmus de sancto amore, qui fuit pariter cum opere, & falso dogmate condempnatus. Alter verò asserebat inter cætera erronea & insana, quòd Evangelium Christi, & doctrina novi Testamenti, neminem ad perfectum perduxit, & evacuanda erat, post MCCLX. annos, & in anno Domini MCCLX. inchoari doctrina Joachim, quam cõditor libri illius æterni Evangelium nominavit, totam perfectionem salvandorum illi attribuendo; Dicebatur etenim ibi, quòd Sacramenta novæ legis in illo anno MCCLX. evacuarentur. Quæ omnia & auctoritas Apostolica, & prædicta temporis experientia penitus exuflavit,] hujus libri confector & auctor fuisse asseritur quidam Johannes de Prima cognomine & origine, fuitque publicè combustus liber ille anno Domini MCCLV.

Anno Domini MCCLVIII. die sexta introitus mensis Septembris requisitum & inventum est sanctissimum corpus Beati Saturnini Martyris & Proto-Præsulis Tholosanæ Sedis in suo Monasterio, in Tholosa videlicet, multis miraculis, Deo operante, claret. Anno Domini MCCLIX. Constantinopolis, quæ olim per Gallicos & Venetos capta fuerat per Pariologum Græcorum VI. præliis recuperata fuit.

Eodem anno in Tuscia Italiæ Florentini & Lucani casum miserabile habuerunt; Nam confisi de suorum multitudine & fortitudine, cùm Comitatum Senensem intrassent, & Senenses freti auxilio Marfredi tunc Regis Siciliæ ipsis ad bellum obviam exivissent, Florentini & Lucani fraude suorum sunt circumventi: Nam in inchoatione conflictus, qui primi & præcipui inter Florentinos erant ad hostes accedentes, in suos cum Senensibus sunt quamplurimum debaccati. Dicuntur autem de Florentinis & Lucanis tunc inter mortuos & captivos plusquam sex millia hominum corruisse.

Anno Domini MCCLX. Rex Ungariæ pro terris Regem Boemiæ bello aggreditur habens in exercitu suo diversarum Orientalium nationum, & Paganorum circiter XL. millia Equitum, cui Rex Boemiæ cum C. mill. Equitum, inter quos dicitur habuisse circa VII. millia Equorum ferro coopertorum, ad resistendum occurrit, cùmque in confiniis Regnorum bellum inchoatum fuisset, ex collusione Equorum, & armatorum tantus pulvis de terra surrexit, ut media & clara die vix homo hominem agnoscere potuisset. Tandem Ungari, Rege ipsorum graviter vulnerato, terga vertentes cum sequentes se festinanter effugere, in quodam fluvio profundo, quem transire debuerant, præter alios occisos circiter XIV. millia hominum subversa dicuntur. Sed Rege Boemiæ, victoriâ habitâ, Ungariam intrante, Rex Ungariæ per Legatos pacem quęrit, terras, quę discordiæ causa fuerant, restituit & in futurum amicitiam, mediante matrimonio, confirmavit. Alexander Papa IV. obiit in Viterbio in festo Urbani Papæ scilicet octavo Kalendas Julii, in Ecclesia Sancti Laurentii tumulatur anno Domini MCCLXI. aliqui verò malè scribunt MCCLX. (1)

VITA
URBANI PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

URbanus IV. natione Gallicus, ex civitate Trecensi, fuit electus in Papam in festo decollationis Sancti Johannis Baptistæ, fuitque coronatus in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Viterbii Dominicâ primâ Septembris anno Domini MCCLXI. Erat autem tunc Patriarcha Jerosolimitanus, seditque annis III. mensibus I. diebus IV. Vacavit Sedes mens IV. diebus V.

Hic duas Ordinationes fecit Cardinalium, fecitque Cardinalem Basilicæ XII. Apostolorum Fratrem Ambaldum Romanum Magistrum in Theologia de Ordine Prædicatorum. Hic exercitum Sarracenorum, quem Matfredus in Patrimonium Ecclesiæ miserat, per Cruce-signatos effugavit.

Anno verò Domini MCCLXIII. Urbanus Papa Regnum Siciliæ, quod Matfredus violenter detinebat, contulit sub certis pactis Illustri Karolo Comiti Provinciæ, & Andegaviæ fratri Sancti Regis Franciæ Ludovici. Anno Domini MCCLXIV Comes Symon Montis-fortis & Barones Angliæ, & Villa Londoniarum, & multæ aliæ insurrexerunt contra hæreticum Regem Angliæ, & uxorem ejus, & contra Eduardum Primogenitum eorundem, Londonienses quoque Helyonoram Reginam Angliæ de Villa sua ejecerunt, ceperuntque Regem, & Ricardum Regem Alamanniæ fratrem ejus, & multos Barones, & multa strages hominum facta est in illo Regno.

Urbanus autem Papa ne Matfredi spuria vitulamina ampliùs firmas darent radices, sed magis præciderentur omnino omni sollicitudine quam-

---

ALEXANDER.
Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) ALexander natione ...... sedit annis VII. mensibus .... & cessavit Episcopatus mensibus III. diebus IV. Hic moritur Viterbii, & in Ecclesia Sancti Laurentii tumulatur. Hujus tempore Manfredus filius naturalis quondam Frederici Imperatoris gerens se pro pædagogo Conradini prædicti Frederici nepotis ipso Conradino mendaciter publicato mortuo sibi ipsi Coronam assumpsit, quod factum, quia in præjuditium Domini Papæ fuit, primò excommunicatur, post magnus exercitus contra ipsum, sed in nullo proficiens, mittitur. Hic Canonizavit Sanctam Claram, quæ fuit Ordinis Sancti Damiani. Hujus temporibus Principes Alamanniæ Electores in duo se dividentes, quidam Regem Castellę, & quidam Richardum Comitem Connubiæ ad Imperium elegerunt, quòd Schisma duravit multis annis. Hic reprobavit duos pestiferos libellos, quia unus dicebat: quòd omnes Religiosi etiam verbum Dei prædicantes de collectis viventes, salvari non possent. Alter verò asserebat inter cætera erronea, quod Evangelium Christi, & doctrina Novi Testamenti neminem ad perfectum deduxit, & evacuanda erat post mille ducentos sexaginta annos, & in quadragesimo anno debet inchoari doctrina Joachim, quam conditor libri Evangelium æternum nominat, totam perfectionem salvandorum hominum illi attribuendo, dicebatur etiam ibi quòd Sacramenta novæ Legis in LX. anno evacuarentur, quæ omnia & auctoritas Apostolica, & præteriti temporis experientia exufflavit.

Digitized by Google

quamdiu vixit, ac omni studio procuravit contra dictum Matfredum in sua malitia gloriantem extollere adversarium, ut affligeret inimicum. Ipse siquidem procuravit, invitavit, & induxit Illustrem virum Karolum Andegaviæ, & Provinciæ Comitem memoratum, ut more Antecessorum suorum de quorum benedicto semine descendebat, in hostem Ecclesiæ insurgeret debellandum, videlicet supradictum, qui capa erat, & refugium quorumlibet infidelium, & malignantium, qui ad ejus terras vellent civitates & opida declinare.

Mutationem verò, & ordinem præcedentium malorum in bona sequentia præcucurrit Cometæ visio, quia anno Domini MCCLXIV. circa medium mensis Julii cœpit ab Occidente in noctis principio apparere, & post dies aliquot circa finem noctium apparuit ab Oriente plurimos extendens radios versùs plagam Occidentalem, fuitque cursus ejus usque ad finem mensis Septembris. In quadam verò Chronica sic descriptum legi: Erat autem similitudo illius quasi stellæ obscuræ, & egrediebatur ab ea flamma dispansa, cujus magnitudo, & forma erat sicut velum navis, singulis verò noctibus paulò seriùs exurgebat, & flamma descrescens in latitudine crescebat in longum, ita quod X. Kalendas Octobris ante auroram visa fuit in meridionali parte, & flamma videbatur cubitalis latitudinis, longitudo verò protendebatur ferè in Occasum, & ita paulatim attenuata evanuit; & quamvis forsitan in diversis partibus Mundi multa significaverit, hoc tamen unum pro certo compertum est, quòd dicta Cometa primò apparente, Urbanus Papa infirmari cœpit, & eadem nocte, qua Papa obiit, Cometa disparuit. ultima die Septembris in festo Sancti Hieronymi apud Perusium anno Domini prætaxato MCCLXIV. Unde versus de Cometa, & anno, quo apparuit sunt sequentes.

M. bis C. L. & XI. quatenus Christus adest Rex
Noviter est nata quæ fertur Stella Cometa,
Per cujus signa monstrantur multa maligna;
Nam morbi, pestis, belli, famis est ea testis.

In anno Domini MCCLXIV. post decursum Cometæ, quo mortuus est Urbanus Papa IV. oritur discordia inter Henricum Regem Angliæ, & maximam partem Baronum Regni, inter quos erat de præcipuis unus Symon de Monte-forti Comes Laicestriæ Sororius Regis, vir strenuus, providus bellicosus. eo quòd quædam statuta, & quasdam consuetudines, & alia, quæ pro bono statu Regni ab antiquis temporibus fuerant observata, ibidem Rex infringeret, & minimè observaret. Super quo hincinde ad arma concurritur, & conserto conflictu pars Regis subcubuit, qui ejusque frater Ricardus Rex Alamanniæ, & Eduardus Regis Primogenitus capiuntur. Ita scribitur in hoc libro in Chronica Magistri Guillelmi de Podio Laurentii, etiam & in Chronica Girardi; videtur tamen ex aliis, quòd ante mortem prædicti Urbani Papæ, prædicta discordia, vel alia in Regno Franciæ excitata fuerit, & exorta: maximè quòd idem Urbanus Papa Legatum illuc transmiserat adhuc vivens pro sedanda discordia, & pace reformanda, Dominum Guidonem Fulcodii Cardinalem Episcopum Sabinensem. Verumptamen tunc Mare non transiit Anglicanum, sed cùm pervenisset apud Bononiam super Mare ibidem substitit, & inde bona, quæ potuit, ex incumbenti Legationis suæ officio, per literas, & Nuncios expedivit, & in Legatione consistens, defuncto Urbano Papa, eligitur ad Papatum, & vocatus est Papa Clemens. (1)

VITA
CLEMENTIS PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

CLemens IV. natione Provincialis de Villa Sancti Ægidii oriundus, Cardinalis Episcopus Sabinensis electus est in Papam Perusii in festo S. Agathæ anno Domini MCCLXIV. secundùm illos, qui annos Dominicæ Incarnationis in Annunciatione Domini incipiunt computare, prout in præsenti opere observatur; secundùm verò illos, qui in Natali Domini incipiunt computare, dicitur MCCLXV. sedit annis III. mensibus IX. diebus XXI. vacavit Sedes annis II. mensibus IX. Hic priùs vocabatur Guido Fulcodii miles, qui uxorem habens, & liberos, primò fuit famosus Advocatus, & Sancti Regis Ludovici Consiliarius: deinde præmortua uxore, propter vitam bonam, & scientiam laudabilem, primò Aniciensis, seu Podiensis Episcopus, postea Narbonensis Archiepiscopus, tandem efficitur Cardinalis Episcopus Sabinensis; sed cùm post in Angliam propter pacis reformationem ab Urbano Papa IV. Legatus Missus fuisset: interim Urbano Papa defuncto, absens à Cardinalibus Perusii in Papam est electus; sicque vigiliis, jejuniis, & orationibus, ac aliis bonis intentus fuit operibus, quòd multas, quas tunc Ecclesia sustinebat tribulationes, Deus ipsius meritis creditur extinxisse. Hic Papa Clemens canonizavit Viterbii in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Sanctam Edingam, quondam Ducissam Poloniæ, miræ Sanctitatis viduam, quæ inter alia commendabilia quæ gessit, cum Canonizatio ejus per plures annos differretur, ipsa procuratori in Curia super eodem negotio, cùm esset in tristitia, per visum apparuit, ac eum de expeditione negotii, & de die certificavit. Anno Domini MCCLXV. Eduvardus primogenitus Regis Angliæ in libera consistens custodia, dum foris cum custodibus vagaretur, equum sibi seriò paratum ascendit, cujus velocitate de captione, & custodia tunc evasit, fracto juramento, & pacto de contrario Symoni Montis-fortis Comiti Laicestriæ; & post dies aliquos contra supradictum Comitem, & Barones alios fecit bellum, eumdemque Comitem captorem suum, & filium ejus Henricum, militem strenuum in conflictu cum pluribus aliis interfecit. Fertur autem quòd pro dicto Symone Comite Deus miracula operatur.

Anno Domini MCCLXV. Jacobus Rex Aragonum Murciam civitatem Sarracenorum, olim Regis Castellæ tributariam, expugnavit & cepit. Eodem anno illustris Rex Franciæ Ludovicus

URBANUS.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) URbanus, natione Gallicus, ex civitate Trecensi, sedit annis III. & mensibus I. diebus IV. & cessavit Episcopatus mensibus V. Hic duas Ordinationes fecit, & exercitum Sarracenorum, quem Manfredus in patrimonium Ecclesiæ miserat, per Cruce-signatos fugavit Comiti Provinciæ Carolo fratri Regis Franciæ Regnum Siciliæ, ut à Manfredo detentore recuperaret tradidit, moritur Perusii, & in Ecclesia Sancti Laurentii sepelitur.

Digitized by Google

vicus secunda vice Crucesignatur contra Sarracenos, & multi Principes, & milites, & plebes plurimæ cum eodem. Anno Domini MCCLXV. quinto nonas Octobris inventa fuerunt in Ecclesia Sancti Saturnini Tholosæ quatuor sepulcra Sanctorum, scilicet Silvii, Hylarii, Honorati, & Pauli Martyris, juxta sepulcrum Sancti Prothopræsulis, & Martyris Saturnini. Tempore verò Clementis Papæ ea, quæ ab Urbano Papa contra Matfredum pertractata fuerant, executioni mandantur: Nam Karolus Comes Andegaviæ, & Provinciæ frater Sancti Ludovici Regis Franciæ sicut verus filius obediens, zelans injurias Ecclesiasticæ libertatis, & dignitatis, accinctus Divinâ potentiâ, & fortitudine, in nomine Domini nostri Jesu Christi, in cujus manu sunt omnia jura Regnorum, sub anno ejusdem Domini MCCLXV. non veritus insidias in mari sibi positas, verno tempore navigando pervênit Romam in vigilia Pentecostes, & accepta in Urbe Senatoria dignitate fuit ibi toto æstivo tempore, relicto interim in mandatis ex gratia illustris Regis Franciæ Ludovici fratris sui, ut de Francia, & Provincia cum bellatorum exercitu sequeretur. Coronatus est igitur in Regem Siciliæ, & inunctus cum Domina Beatrice Consorte sua per sex Cardinales, scilicet per Episcopum Albanensem, & duos Presbyteros Cardinales, scilicet S. Praxedis, & Basilicæ XII. Apostolorum, & tres Diacones Cardin., scilicet Sancti Angeli, Sancti Georgii ad velum aureum, & Sanctæ Mariæ in porticu à Summo Pontifice ad hoc missos in festo Epiphaniæ. Deinde venientibus per Italiam auxiliatoribus asperitate hyemis, & quarumdam civitatum Lombardiæ, ac Pelavesini resistentiâ, non obstantibus, ad propositum certamen exiit contra hostem suum, & Ecclesiæ bellaturus, & expugnato priùs & capto Castro Sancti Germani, olim inexpugnabili, virtute miraculi, hostem suum Matfredum callidè trahentem eum intra viscera terræ suæ, ut fatigatum ejus exercitum inediâ, & labore securiùs bello invaderet circumventum, ante Beneventum Civitatem invênit in prœlio præparatum, quem idem Rex nihil dilato in crastinum, sciens quòd frequenter nocuit differre paratis, instructis contra instructas acies aciebus, invocato nomine Salvatoris conserto prælio, & brevi confecto spatio, consumpto hostili exercitu, exercitum in ore gladii superavit, & ipse hostis ejus, & Ecclesiæ Matfredus in ipsius belli pressura, licèt incognitus fuit cum aliis interfectus, cujus corpus quæsitum biduò, & inventum inter cadavera occisorum cognitum fuit. Æstimatus autem fuit numerus occisorum de exercitu Matfredi duo millia, de exercitu verò Regis Karoli est, & Ecclesiæ inventus tantùm unus; quod prœlium factum fuit IV. Kalendas Martii feriâ VI. in campo ante civitatem Beneventanam, anno Domini prætaxato MCCLXV. secundùm illos, qui annos Incarnationis Dominicæ incipiunt in Annunciatione Domini computare; secundùm illos autem, qui in Nativitate Domini incipiunt computare dicitur MCCLXVI. unde versus facti sunt sequentes:

Karolus Athleta Christi prout ante cometa
Hoc præsignavit Matfredum subpeditavit.
Plus decies centum quater juxta Beneventum
Victor prostravit, huic Ecclesia relevavit.
Sunt anni Christi, victoria cùm datur isti
Mille ducentenus sexagenus quoque senus:
Belli finis fit februi lux tertia fuit.

Optentâ igitur victoriâ sinè cujusquam defensionis obstaculo, ipsam Beneventanam occupant civitatem.

Anno Domini MCCLXVI. quamplurima multitudo Sarracenorum ex Africa per angustum mare transiens in Hispaniam venit, & adjunctis Sarracenis in Hispania magnam plagam in Christianos exercuerunt, intendentes, quam olim perdiderant, recuperare Hispaniam; sed illarum partium Christiani adunati, crucesignatorum ex diversis partibus mundi auxilio adjuti, licèt cum multo Christianorum sanguine de Sarracenis triumphaverunt.

Anno Domini MCCLXVII. Soldanus Babyloniæ Armeniâ vastatâ Antiochiam unam de famosioribus civitatibus orbis cepit, & tam viris, quàm mulieribus occisis, & captis, ipsam in solitudinem redegit. Verùm ne qua radix amaritudinis remaneret secundùm Dei judicium inprecisa, electo sibi à Romanis in Senatorem Henrico Regis Castellæ germano, processu temporis Colradinis filius quondam Colradi, qui fuit filius Friderici, persuasus forsitan ab æmulis novi Regni insuspicatus prodiit ab Alamannia ex occulto, sperans, quòd tota terra assurgeret venienti, & eum populus sequeretur, veniensque Romam, à Senatore, & multis Magnatibus honorificè est receptus, ejurantibus Senatore, & magna multitudine Romanorum egreditur Regnum Siciliæ ingressurus, & Karolum Regem Siciliæ invasurus, excommunicationem Summi Pontificis parvipendens, cùm plures factum Regis Karoli pro desperato haberent, cùm propter Colradini exercitus multitudinem, tum etiam propter Regni Siciliæ penè totius rebellionem, Dominus Papa Clemens, cujus cor erat fiduciam habens in Domino in publico Sermone tanquam certificatus à Deo prædixit factum Colradini tanquam fumum transiturum, & ipsum tanquam ad victimam Apuliam intraturum, quod & rei postmodum incontinenti comprobavit eventus: Nam in Campi Palentini planitie suis instructis aciebus, hinc inde occurrentes pugnam conferunt valde gravem, sed Domino desuper adjuvante semen in fugam vertitur pessimorum, & elapsi de prœlio equorum velocitate, Senator, & Colradinus, & alii multi Magnates in devia dispergutur. Nec tamen latuerunt, quin Domino tradente impios, ad Regis carcerem sunt adducti, factaque fuit ibi strages major inimicorum, Ecclesiæ, quàm in prœlio Beneventi; fuit autem hæc secunda commissio post Matfredum cum Colradino facta, in vigilia Beati Bartholomæi Apostoli anno Domini MCCLXVIII. quem Colradinum Austriæ cum aliis eorũ complicibus, non absque legis sententiâ, effêcit Rex Karolus truncatione capitum consummari; sicque factum Colradini in paucis diebus evanuit tanquam fumus, & ex tunc terra siluit coram eo, facta est in terra illa mutatio excelsi dextræ, ut ad illam currant ditando, quò solebant in fomentum nequitiæ suæ confugere infideles.

Clemens Papa IV. vir totius providentiæ præ cunctis generationis hujus, obiit Viterbii in vigilia Beati Andreæ Apostoli cum pace Ecclesiæ concessa ex uno latere, fuitque sepultus in Ecclesia Fratrum Prædicatorum in Viterbio anno Domini MCCLXVIII. vacavitque sedes annis II. mensibus IX.

Anno Domini MCCLXIX. VI. Kalendas Augusti populus Lucheriæ infidelis, qui in rebellionem contra Karolum Siciliæ exarserat post multas molestias, quas intulerat, & passa erat, ad pedes Regis veniens solo prostratus vitam solam, quam implorabat à clementia Regis optinuit, præferens signa corrigiis ad collum pen-

Digitized by Google

pendentibus servitutis, & alio genere reverentiæ, eosque in Sclavos recepit Rex, aliasque castri, & civitatis, omniumque rerum occupatione potitus, ad suæ libitum voluntatis. Traditis etiam ab illo carceri ejus falsis, ac proditoribus Christianis, qui in recidivum rebellionis consenserunt cum eisdem pœnam pro meritis recepturis. Eodemque anno Domini MCCLXIX. Jacobus Rex Aragonum cum Regio apparatu, & multitudine pugnatorum mare ingreditur in subsidium Terræ Sanctæ, & præmissa parte suorum ipse revertitur, ut dictum fuit, consilio mulieris, quem revera Dominus in suum noluit holocaustum. Sic fecit Jupiter, qui juxta fabulam cœlum deseruit sequendo vitulam, si vera fuere quæ publicæ dicebantur.

Anno verò Domini subsequenti MCCLXX. Illustris Rex Franciæ Ludovicus non territus præteritis laboribus, & expensis, quas olim fecerat ultra mare, ejusque tres liberi Philippus, & Johannes Comes Nivernensis, & Petrus de Alansone, & Dominus Alphonsus frater Regis Comes Pictaviæ, & Tholosæ, item & Atrebatensis, & Britanniæ, & plures alii Comites, & Principes, & Theobaldus Rex Navarræ gener Regis, & milites, & plebes, advocati, & accincti, & quamplures Ecclesiarum Prælati ad mare veniunt apud Aquas mortuas VI. Kalendas Julii, & collecto de maritimis navigio, in plaga, quæ dicitur Aquæ mortuæ in principio Julii incipiunt navigare. Inciditque eis Concilium, ut Regnum Tunicii, quod in medio consistens non parum dabat transfretantibus impedimentum, primitus Christianorum subjicerent potestati. Eodemque mense circa festum Beatæ Mariæ Magdalenæ ad portum Carthaginis juxta Tunicium civitatem, repulsis à litore Sarracenis terram tueuntibus, applicatur, & ascendentes bellatores obtinuerunt Carthaginem in instanti, & Castra circa Tunicium posuerunt, quò accurrens Sarracenorum plurima multitudo, componuntur extra mœnia Castra sua, fiuntque aggressiones frequentes undique inter partes, cùmque per mensem vel circa stetisset ibi exercitus, occulto Domini Judicio, infirmitas magna invaluit; Et primò quidem de Regis filiis unum scilicet Johannem Comitem Nivernensem, & postea Legatum Domini Papæ Dominum Radulphum Cardinalem Episcopum Albanensem de medio sustulit, dehinc servus Dei Benedictus Ludovicus Rex Franciæ in vigilia Beati Bartholomæi subtrahitur ab hac luce, sicut in Chronica Magistri Guillelmi de Podio Laurentii continetur. Verumptamen felix ejus transitus recolitur, & in Kalendariis scribitur, nec non in litera Canonizationis ipsius describitur in crastino Beati Bartholomæi Apostoli evenisse; delatumque fuit inde in Franciam corpus Regis.

Quàm devotè autem, & quàm feliciter transierit ex hoc mundo ad patrem Deum, in gestis ejusdem Regis postmodum Canonizati, & Sancti per Ecclesiam declarati, pleniùs continetur: Quo vix defuncto venit in exercitum Karolus Rex Siciliæ frater ejus cum militia magna valde, pro quo ut veniret Sanctus Ludovicus mandaverat adhuc vivens, de cujus adventu gaudium magnum Christianis accrevit, & mæstitia Sarracenis, fuitque ibi exercitus usque circiter finem mensis Novembris, & fuit deliberatum inter Reges, & Principes quid agi pro tempore expediret; Et licèt capi per pugnam civitas cominus videretur, quod fieri non poterat sinè magno periculo personarum, quod de capta civitate fieret, tractabatur; nam si retineretur, quoniam non minor est virtus quàm quærere parca tueri, non poterat ibi exercitus remanere; nam unde sustentarentur, si victualia non haberentur, quoniam, ut fertur, non posset hyeme navigari, si relinquerent ibi munitionem, post recessum exercitus obsideretur à Sarracenis terræ indigenis, & esse possent prioribus novissima graviora: si verò non retineretur, sed destrueretur, esset in mora destruendi periculum, ut haberet exercitus recessum liberum per mare tempore hyemali; Inciditque illis sanius consilium, aurum à barbaris extorquere, factis sumptibus refundendum, Regemque Tunicii tributarium fieri Regi Siciliæ, & sub quibusdam aliis pactis, & conditionibus sic manere, inter quæ hæc præcipua referuntur, ut omnes in Regno illo captivi dimitterentur liberi, & quòd Monasteriis ad honorem Christi in omnibus civitatibus Regni illius constructis Fides Christi per Fratres Prædicatores, & Minores, & per alios quoscumque liberè prædicetur, & volentes baptizari liberi baptizarentur, pluraque alia pacta fuerunt, quæ scribere longum esset. Advenerat autem Eduvardus Rex Angliæ, ac Frizonum, aliorumque peregrinorum maxima multitudo, & ita sumptis treugis recessit inde Christianus exercitus, & in Siciliam apud Trapenam remeavit, factaque est clades non modica, cùm venissent naves ad portum Trapenensem, nam violentiâ ventorum naves plurimæ sunt confractæ, & vulgus non modicum est submersum, & in regressu Rex Navarræ Theobaldus, qui infirmus de Africa recesserat, ac postmodum Isabelis uxor ejusdem, filia Sancti Ludovici Regis, nec non altera Isabelis uxor Philippi Regis novi Franciæ moriuntur. De Sicilia verò recedens Philippus Rex Franciæ novus, & Karolus Rex Siciliæ patruus ejus, ac Henricus filius Richardi Regis Alamanniæ, & fratris Regis Angliæ quondam Henrici cum multis aliis Magnatibus, apud Viterbium devenerunt, ubi in quadragesima tunc sequenti Henricus prædictus filius Richardi Regis Alamanniæ, Comitisque Cornubiæ occiditur in Ecclesia Viterbiense à filiis quondam Symonis de Monte-forti Comitis Laicestriæ in ultionem patris sui, quem antea ab Eduvardo primogenito Regis Angliæ captum superiùs retulimus, & occisum.

Anno Domini MCCLXX. XIV. Kalendas Novembris obiit Dominus Frater Raimundus Episcopus Tholosanus Episcopatus sui an. XXXIX. quo sepulto apud Prædicatores Tholosæ, cujus Ordinis ipse fuit, eligitur in crastino Dominus Bertrandus de Insula, Præpositus ejusdem Ecclesiæ in Episcopum Tholosanum in concordia totius Capituli, confirmatusque mox Narbonæ, dehinc in Ecclesia sua Tholosæ in vigilia Sancti Thomæ Apostoli in Sabbato promotus est in Sacerdotem, & in ejus festo die Dominico in Episcopo consecratur, & in primo sequenti die Natalis Domini primam Missam Sacerdos novus & Episcopus celebravit.

Anno Domini MCCLXXI. apud Saynam civitatem maritimam Dominus Alphonsus frater quondam Sancti Regis Ludovici Comes Pictaviæ & Tholosæ, & ejus uxor Domina Johanna filia quondam Raimundi ultimi Comitis Tholosani brevi dierum spatio sinè liberis moriuntur, & si qua spes esse poterat de futuro hærede in Comitatu Tholosano, tunc penitùs est oblata, ut videatur deleta tota illa linea abrasa,

&

Digitized by Google

& fuit totum Comitatus jus, & dominium ad manum Illustris Regis Franciæ, qui directum habebat dominium devolutum. Anno Domini MCCLXXI. pridie Kalendas Septembris secundùm Chronicam Magistri Guillelmi de Podio Laurentii; in Chronica verò Gerardi scribitur, quòd in crastino Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Philippus Sancti Ludovici filius reversus in Franciam de Castris Tunicii Remis civitate in Regem Franciæ per Suessionensem Episcopum inungitur, & coronatur in lætitia gentis suæ. (1)

VITA
GREGORII PAPÆ X.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Gregorius X. natione Lombardus, de Placentia civitate fuit electus in Papam post vacationem Sedis duorum annorum & novem mensium, prima die Septembris anno Domini MCCLXXI. secundùm Chronicam Magistri Guillelmi de Podio Laurentii, quamvis in quibusdam Chronicis scribatur anno Domini MCCLXXII. sed primum tenendum est proculdubio tanquam verum. Sedit autem à die, qua Papatum cepit annis IV. diebus IV. vel X., à die verò creationis suæ usque in diem sui transitus de hoc mundo fuerunt anni IV. menses IV. vacavit Sedes diebus XI.

Hic priùs vocabatur Thedaldus, eratque Archidiaconus Leodiensis, quia cùm ivisset causâ devotionis ultra mare, ibidem existens cum Domino Odoardo Regis Angliæ primogenito à Cardinalibus in Papam est electus in Palatio Viterbii prima die Septembris in festo Sancti Ægidii, missisque ad eum Nunciis ultra mare, recedens inde mense Decembri & Januario navigando applicuit Brundusium, veniensque per Regnum Siciliæ, Rege Karolo comitante, per Capuam pervênit Viterbium videlicet IV. Idus Februarii. Accepto Papatu Gregorius X. est appellatus, & in Romam vadens VI. Kalendas Aprilis est coronatus. De quo sequentes versus composuit Dominus Johannes Episcopus Portuensis.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus
Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

Hic Dominus Johannes Cardinalis, tempore, quo Cardinales inclusi pro electione Summi Pontificis tenebantur, dicebat ludendo cæteris Cardinalibus, discooperiamus hanc domum, quia Spiritus Sanctus non potest ad nos per tot coopercula pertransire.

Hic Gregorius Papa fecit unam Ordinationem quinque Cardinalium quamplurimum laudabilem, quia honestas & valentes personas assumpsit, inter quos fuit unus frater Petrus de Tarantasia de Ordine Prædicatorum Magister in Theologia tunc Archiepiscopus Lugdunensis, alter verò frater Bonaventura Minister Gen. Fratrum Minorum, Magister in Theologia.

Anno Domini MCCLXXII. accidit conflictum fieri inter Arnaldum Bernardi, fratrem Domini Amanevi Archiepiscopi Auxitani, & Domini Geraldi Comitis Armaniaci ex una parte; & Geraldum de Casali bono Dominum castri Summi Podii ex altera. In quo conflictu Arnaldus Bernardi & quidam ejus socii milites sunt occisi; post cujus viri mortem sciens Geraldus de Casali bono imminere sibi mala & suis à multitudine amicorum & consanguineorum dicti Arnaldi Bernardi, semetipsum reddidit prisioni, seu carceri Senescalli Domini Regis Franciæ, & in manu ejus posuit terram suam, ut de ipso Rex faceret debitum suum, si accusator aliquis appareret, nisi ipse posset de morte prædicti viri cognitione Curiæ rationabiliter se tueri, & terra sua veniret Regi pariter in commissum; quo ita recepto in prisione Regis & terra ejus in custodia, & Ducatu ejusdem Regis, ejusque vexillo castri Summi Podii pro securitate tradito, contigit iis non obstantibus contra inhibitionem Regalium, Comitem Fuxi Rotgerium Bernardi unà cum Geraldo de Armaniaco cum gentium multitudine armata currere contra castrum Summi Podii, & expugnatum capere, destruere cum strage populi copiosa. Quod cùm Regi Philippo, jam non ob hoc, sed ut terram Pictaviæ, & Tholosæ à Deo sibi traditam visitaret venienti innotuisset, citatus Comes Fuxi ut quia injuriam Regi fecerat emendaturus, judicio ejusdem compareret, & de pluribus aliis offensis sibi impositis faceret quod deberet, reatu comprimente non duxit ut debuerat comparendum; sed sinistro usus consilio, munire opposuit terram suam ponens fortitudinem carnem brachii sui, eo quòd habe-ret,

CLEMENS.
Ex altero MS Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) Clemens, natione Provincialis, de Villa Sancti Ægidii, sedit annis III. mensibus IX. diebus XXI. mortuus est Viterbii, & sepultus in Ecclesia Fratrum Prædicatorum. Hic uxorem, & liberos habens primùm fuit Advocatus famosus, & Regis Franciæ Consiliarius, demum, mortua uxore, propter vitam bonam, & scientiam laudabilem primò Podiensis Episcopus, & post Narbonensis Archiepiscopus, tandem Sabinensis Episcopus & Cardinalis efficitur. Sed cùm post in Angliam propter pacis reformationem à Papa Urbano IV. Legatus missus fuisset, absens à Cardinalibus Perusii in Papam electus fuit, vigiliis, jejuniis, & orationibus, & aliis bonis operibus intentus, quidem multas, quas Ecclesia tunc sustinebat tribulationes, Deus suis meritis creditur extinxisse. Hic cùm Conradinus nepos Frederici Imperatoris Regem Carolum, cui priùs (*Papeb. leg.* Pontifex) Regnum Siciliæ contulerat, debellaturus intraret, & plerique factum Regis Caroli pro desperato haberent, tum propter Conradini exercitus multitudinem, & propter Regni Siciliæ penè totius rebellionem; prædixit in publico sermone factum Conradini tanquam fumum transiturum, (*Papeb. addit;* ipsum tanquam ad victimam Apuliam intraturum), quod & postmodum probavit rei eventus. Nam Conradinus post fugam captus fuit & decollatus, & factum ejus paucis diebus post tanquam fumus evanuit. Hic etiam Papa canonizavit Viterbii Sanctam Edvirigam, (*Papeb.* Edvvigam) quondam Ducissam Poloniæ miræ sanctitatis viduam, quæ inter alia commendabilia: cùm canonizatio ejus per plures annos differretur, ipsa procuratori in Curia Romana super eodem negotio, cùm esset in tristitia, per visum apparuit, & eum de expeditione negotii, & etiam de die expeditionis certificavit.

(A Clemente prædicto præsens Chronica stilum operis commutavit; nam cùm à principio per annos Domini cucurrerit, & quilibet Pontifex anno introitus sui positus fuerit: quia (*Papeb. pro* quia *leg.* nisi) plures Pontifices uno & eodem anno defuncti fuerint, & in eadem linea poni non potuerint; prædictus modus servari non potuit. Sed per annos Domini non continuando sicut priùs: sed distinctum ponendo statum cujuslibet Pontificatus declaravit, sicut patet in Clemente, & consequenter.)

Notam hanc, quam Papebrochius in margine sui MS. legisse asserit, nostri eodem Vitarum contextu includunt.

Digitized by Google

ret, ut videbatur sibi, castra inexpugnabilia super rupes, & ad cumulum amplioris iræ, Senescallum Regis nomine Eustachium, transeuntem per terram sibi nihil moventem fugavit cum armis, quibusdam sociis ejus captis, ut saumariis retentis, quod Domini & Burgensis castri Savarduni detestantes, castri sui illi introitum interdicunt; Senescallus verò hanc Regis injuriam non dissimulans, magno de terris exercitu advocato, ingreditur in manu valida terram ejus, & obtinuit usque ad passum Barræ, muniens oppida fortiora, qui nisi quorundam consilio abstinuisset ultra procedere, pro majori parte obtinere residuam potuisset, quibus auditis Rex, & perceptis quòd dictus Comes de montanis castris confideret, de ultra portas Cathaloniæ forsan auxilia quæsiturus, egit providè, & consultè ne contempni posset super audacia circa Regni sui primordia attemptatâ, unde & vocatis Regni sui viribus Tholosam venit, & intravit V. Kalendas Junii receptus cum gaudio magno valde, ubi diebus VII. moratus, donec interim venisset exercitus, & complanaretur viarum asperitas, & stricta amplificarent, exivit VIII. die cum quadrigarum, & machinarum, ac copiarum maximo apparatu; cui versùs Appamiam venienti occurrit Rex Aragonum socer ejus cum Gascone de Bearnio socero prædicti Comitis, & miscentur colloquia inter eos, quorum finis fuit, quòd Comes Fuxi videns quòd non posset Regi resistere, se & terram suam in Regis posuit voluntate. Quem sic susceptum, Rex præcepit custodiri, & terram ejus posuit ad manum suam; Tentus autem Comes diu in pressione Regis Franciæ tandem ad instantiam Regis Aragonum ejusdem Regis soceri liberatur.

Anno Domini MCCLXXIII. Radulphus Comes Hanesburæ circa partes Basilææ electus fuit in Regem Alamanniæ & Romanorum, quia Ricardus Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ, qui in discordiam cum Alphonso Rege Castellæ fuerat electus jam tunc obierat. Quam Radulphi electionem Gregorius Papa postmodum approbavit, & confirmavit in favorem Terræ Sanctæ, ad quam plurimùm anhelabat.

Anno Domini MCCLXXIV. in mense Maji, Gregorius Papa Pontificatus sui anno III. apud Lugdunum generale Concilium convocavit, in quo multa bona constituit in subsidium Terræ Sanctæ, quam intendebat & ipse personaliter visitare, & pro electione Summi Pontificis, & pro totius statu Ecclesiæ universalis; in quo Concilio Græcorum, & Tartarorum sollempnes affuerunt, Græci ad unitatem Romanæ Ecclesiæ redire promittentes, in cujus signum Spiritum Sanctum confessi sunt à Patre, & Filio procedere; Symbolum quoque fidei in Concilio in Græca lingua sollempniter decantarunt. Nuncii verò Tartarorum in Concilio baptizati ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum qui interfuerunt in Concilio fuit, quingenti Episcopi mitrati, ac Abbates LXX. & Prælati alii circiter mille; affuit & Jacobus Rex Aragonum. Ad prædictum Concilium vocatus fuerat Frater Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum Doctor insignis & famosus, qui cùm venisset de Neapoli apud Ortandum & Caponia ægrotare cœpit, reclinavitque in Fossam novam Monasterium Cisterciensis Ordinis, ubi sui consanguinei erant patroni, ibique cum multa devotione migravit ad Dominum Nonis Martii, anno Domini MCCLXXIII. ætatis suæ anno quinquagesimo tunc currente; qui cùm morti appropinquaret primò Symbolum fidei est confessus, dehinc doctrinam suam exposuit in manu Ecclesiæ, & in his verbis, susceptis priùs devotè Ecclesiasticis Sacramentis transiit ex hac luce; fertur autem ibidem miraculis claruisse.

Idem autem Gregorius Papa de Lugduno ivit Bellicadrum, ubi venit ad eum Alphonsus Rex Castellæ, qui sicut cum Ricardo Comite Cornubiæ, dum vixerit contenderat, sic & cum præfato Radulpho de Imperio contendebat; sed ad instantiam ipsius Gregorii Papæ omni juri, si quod sibi competebat in Imperio, per literas suas cessit; Gregorius verò Papa Viennam rediens unam magnam consecrationem Prælatorum fecit ibidem, pervênitque Losannam, ubi dictus Radulphus Rex cum Regina uxore sua, filiisque, & filiabus suis veniens juramentum solitum eidem Papæ fecit, & Romaniolam cum Exarchatu Ravennæ restituit.

Tempore hujus Gregorii Papæ Rex Romanorum Radulphus, & Rex Franciæ Philippus cum multis Baronibus Cruce-signati sunt pro subsidio Terræ Sanctæ, petente Papa, qui cum eisdem Terram Sanctam intendebat visitare, & ibi vitam finire.

Hic Gregorius Papa fuit vir magnæ experientiæ, nec intendebat pecuniarum lucris, sed pauperum eleemosynis.

Gregorius Papa in Italiam rediens cùm apud Arecium Civitatem Tusciæ pervenisset, infirmatus ibidem obiit IV. Idus Januarii anno Domini MCCLXXV. ubi fertur multis miraculis coruscare. Vacavit autem Sedes diebus XI.

GREGORIUS.

Ex altero MS Bibliotheca Ambrosiana.

(1) GRegorius Decimus, natione Lombardus, de civitate Placentiæ sedit anno Domini MCCLXXII. ab electione sua annis IV. & diebus IV. & cessavit Episcopatus diebus X. Hic cùm Archidiaconus esset Leodiensis, & devotionis causâ ivisset ultra Mare, ibidem existens in Palatio Viterbiensi in Papam à Cardinalibus est electus. Hic fecit unam Ordinationem, quinque Episcoporum Cardinalium quamplurimum laudabilem, quia honestas, & valentes personas assumpsit. Hic tertio Pontificatus sui anno pro utilitate Terræ Sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, Lugduni solemne celebravit Concilium, in quo & Græcorum, & Tartarorum solemnes Nuntii interfuerunt, Græci ad unitatem Ecclesiæ redire promittentes, in signum cujus Spiritum Sanctum confessi sunt à Patre Filioque procedere, Symbolum in Concilio solemniter decantando; Nuntii verò Tartarorum infra Concilium baptizati ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui fuerunt in Concilio, sunt quingenti, Episcopi sexaginta, Abbates, & alii Prælati circa mille. Hic in Concilio multa bona instituit, videlicet pro subsidio Terræ Sanctæ, pro electione Summi Pontificis, & pro statu Ecclesiæ. Hujus tempore Rex Romanorum, & Rex Francorum cum multis Baronibus pro subsidio Terræ Sanctæ, Cruce-signati fuerunt. Hic Papa fuit experientiæ miræ in sæcularibus: nec intendebat pecuniarum lucris, sed pauperum eleemosynis. Mortuus est Aretii, & sepultus ibidem.

Digitized by Google

VITA EJUSDEM
GREGORII PAPÆ X.

Ab antiquissimo Anonymo Auctore scripta, & à Petro Maria Campo Historiæ Placentinæ Tomo II. relata.

PIO LECTORI.

Brevis hic de vita, & rebus gestis Beatissimi Gregorii X. commentarius ab antiquissimo exemplari membraneo, quod in Archivio Canonicorum Cathedralis Placentinæ existit, auctoritate Apostolica descriptus ad verbum est, atque jussu Delegatorum Sedis Pontificiæ regestus in acta publica per ipsos Placentiæ condita anno 1625. pro gloriosi Pontificis Canonizatione. Nullæ autem in eo notulæ, quæ hic ad levandum legentis laborem in margine apponuntur (*). *Libellum verò ab Auctore prædicto circitèr ann. 1290. fuisse conscriptum, inde potissimùm conjicitur, quòd Scriptor ille dum meminit de Galliarum Rege Ludovico, & de ejusdem erga Tedaldum (qui mox Gregorius X.) tunc temporis Archidiaconum Leodiensem veneratione, non* Sanctum *Regem ipsum appellat, sed* virtutum vas, fidei speculum &c. *ut qui inter cælites ab Ecclesia nondum fuerat relatus, quod factum postea anno 1297. Paucula hæc, quæ te breviter monerem, Amice Lector, habui. Tu boni Consule, ac vale in Domino.*

Gesta virorum fortium, quos decor virtutis exornat, perpetuæ sunt commendanda memoriæ: Et, quia labilis est ipsa memoria, & non diu conservat depositum, necessarium fuit adhibere Scripturam, ut ejus adjuta suffragio, oblivionis dispendium non incurrat.

Sanè fuit adolescens, Tedaldus nomine, Placentinus natione, nobilis quidem genere, sed moribus nobilior. Hic, quam ex Vicecomitibus Placentinis originem traxerat, vitæ mundicia, & venustis moribus decorasse dignoscitur. Hic quem virum esset producturus in posterum, in primævo suæ juventutis flore monstravit, quia ex tunc ita virtutis insigne in eo renituit, ut morum norma, & speculum existeret quampluribus honestatis.

Sed quia se ipsam meliorem fieri, & augeri in meritis mens bona desiderat; ipse, ex quo in liberalibus artibus, & jure Canonico fuit sufficienter instructus: audito de sanctitate Jacobi de Pecoraria Prænestini Episcopi, claræ famæ præconio; ad ejus præsentiam protinus est profectus, seque humiliter ipsius deputavit. Grandi proinde concepta ab ipso lætitia, quia ampliùs in eo sanctitatis reperiit, quàm ipsa fama veridica suis etiam relatibus divulgavit.

Invalescente namque gravi, & infesta persequtione contra Romanam Ecclesiam, quam ei Fredericus Imperator acriùs inferebat, necessitate cogente, ad Franciæ, & Germaniæ regna per Gregorium Papam Nonum idem Episcopus commisso sibi legationis offitio, ut à suæ legationis Prælatis ad ejusdem Frederici reprimendam malitiam imploraret subsidium, destinatur. Ipse tamen Legatus secum Tedaldum ducens eundem, curam, & sollicitudinem domus suæ ejus duxit providentiæ committendam. Et nihilominus procedente tempore, ne homo meritis tot insignis, gratus Deo, & acceptus hominibus, Ecclesiasticæ careret titulo dignitatis, Archidiaconatum tunc in Ecclesia Leodiensi vacantem sibi liberaliter contulit, ipsumque de eo investire curavit.

Ipso demum Legato ad eum qui ipsum miserat, tamquam Columba ad arcam, cum multis Ecclesiarum Prælatis ad celebrandum in Urbe Concilium redeunte, dictus Archidiaconus in Regno Franciæ, non absque munere divinæ dispensationis, remansit infirmus.

Cùmque prædictus Fredericus Imperator omnia faceret custodiri itinera, ut nulli ad ipsam Urbem securus pateret accessus; iidem Legatus, & Prælati, urgente superioris mandato, ne de inobedientia redderentur notabiles, maris periculo se exponunt: sed inter ipsorum nautas, & ejusdem Imperatoris Satellites flebili pugna commissa, nescitur, quo Dei Judicio, quibusve infelicitatis eventibus, in manus Cæsaris inciderunt. Ipse verò Imperator, asserens, quòd pro sui diminutione honoris, & in præjuditium fastigii Imperialis ad Urbem accederent, eos inhonoratos ad partes transmittit Apuliæ, ubi diri carceris angustias per biennium ferè degustarunt.

Verùm in hujusmodi temporis intervallo tam dicto Papa Gregorio, quàm sibi substituto Cœlestino, de medio sorte naturali ademptis; tanta inter Cardinales, hominis inimico seminante zizania, dissensio est exorta, ut post diuturnam vacationem Ecclesiæ, Communis hominum teneret opinio, quòd nisi dictus Episcopus præsens esset, nequaquam Ecclesiæ eidem de Antistite poterat provideri: propter quod Cardinales ipsi ad eundem Imperatorem solennes nuncios pro ipsius liberatione Episcopi transmiserunt, Imperatorem ipsum reddentes attentum, quòd ex detentione ejusdem Episcopi incurrat infamiam; ex ejus verò liberatione favorem acquirebat Ecclesiæ, Deo præstabat obsequium, & hujusmodi infamiam poterat abolere.

Favente itaque illo, in cujus sunt manibus corda Regum, & quò voluerit, cor Regis inclinat; dictus Imperator eorumdem Cardinalium supplicationibus annuit, & eorum justis exortationibus acquievit, edicto nihilominus Imperiali proposito, ut dictus Episcopus, & sui familiares educerentur de carcere, & restituerentur pristinæ libertati: ipsum verò Episcopum talitèr liberatum multâ honorificentiâ Imperator ipse prosequitur, suppliciter ab eo deposcens, ut sibi vellet impostèrum fœdere dilectionis conjungi. Cui tale fertur exhibuisse responsum: *D. Imperator, si vos tanquam Catholicus Princeps benè gesseritis, invenietis me vestri zellantem honoris, & imperialis culminis promotorem: &, si (quod absit) secus egeritis, qua conscientia vobis favere valeam, non adverto.*

Postquam verò idem Episcopus ad confratres suos Cardinales liberatus pervênit, à quibus cum ingenti gaudio est susceptus, confestim in Romanum Pontificem quartus Innocentius promovetur: Sicque ipsa Ecclesia lugubria viduitatis indumenta deponens, honoris, & gloriæ ornamenta resumpsit, integrèque sponsum prudentem, Clementem, infaticabilem, & expertum, prout illius conditio temporis exigebat, erat adepta.

Quia animã vero languore afficit amor, donec in rem perveniatur amatam; idem Archidiaconus personam ejusdem Episcopi super omnia videre desiderans, ante liberationem ejus ad Curiam Romanam venerat, quærens, & investi-

(*) Notulas has nos omittimus, utpote nullius commodi, & minoris utilitatis.

stigans, tanquam sedulus explorator, modos, & vias, quibus ad ejus præsentiam perveniret; Cardinales nihilominus prout studiosiùs poterat, ad ipsius liberationem Episcopi inducendo. Quanto verò gaudio, liberato viso ipso Episcopo exhilaratus extiterit, quia hominis lingua in expressione non sufficit, dignum fuit, quod silentio committatur.

Procedente namque tempore idem Pontifex Episcopatum Placentinum, per amotionem cujusdam Religiosi in eo minùs canonicè instituti, vacantem, ipsius contemplatione Episcopi, eidem Archidiacono liberalitèr obtulit: sed ipse eum recipere, illa potissimum ratione, recusavit, ne in aliquorum cordibus illa suspicio nasceretur, quòd, ut assequeretur Episcopatum eundem, illum Religiosum, aliàs amicum suum, procuraverit amoveri in perpetuum.

Ordinatione tandem de Cardinalibus facta, ipse Pontifex de Urbe recessit, Lugdunum, ubi Generale Concilium celebrandum indixerat, profecturus. Ipse tamen Episcopus in ipsa Urbe remansit, in festo Sancti Petri, quod tunc instabat, celebraturus Romanis, qui ipsum celebrantem, & prædicantem, non aliter, quàm missum è Cœlo Angelum audiebant. Sed, quæ nemini parcit, amara mors interim humanis profectibus subtraxit eumdem, de quo penè mœror tantus Romanorum cordibus inhæsit, ac si eorum quilibet proprio fuisset genitore privatus.

Postquam verò ab exequiis funeris memorati Patris sui, ipse Archidiaconus ingenti cum dolore reversus est, à quampluribus de Cardinalibus, ut cum eis vellet morari, & eorum socius fieri, instantiùs invitatur: Sed ipse in corde suo cum nullo morari in Curia deinceps disponens, invitationes hujusmodi, & quasi violenta precamina super hoc non admisit: imò rebus suis compositis ad partes Regni Franciæ satagit se transferre, interdum Parisius, ut Divinæ legis talentum acquireret, & interdum in Archidiaconatu suo, ut exhortationi, & prædicationi verbi Dei insisteret, moraturus.

Cùmque pervenisset Lugdunum, ad Philippum Electum Lugdunensem, quem sinceris diligebat affectibus, ut de ipsius statu certitudinem obtineret, festinus accedit. Sed, ex quo ab eodem Electo, exhilarata facie, ac mutuis amplexibus alacritèr est susceptus, ex ejusdem Electi ore confestim hic sermo progreditur: *O bone Jesu, gratias tibi ago, quia misisti ad me virum secundùm cor meum, per cujus providentiam, qualiter cum Papa, & Cardinalibus ad celebrandum Concilium hìc venturis, me gerere debeam, potero informari*. Rogat itaque dictum Archidiaconum, ut illo tempore ipsum nequaquam desereret; sed moraretur cum eo, non tanquam socius, imò tanquam domus suæ dominus, ac magister. At ipse Archidiaconus super hoc multipliciter se excusat, sed quanto major ejus erat excusatio, tanto ejusdem Electi, & amplior erat precum instantia; & rationabilior etiam videbatur. Sicque idem Archidiaconus Deum semper habens præoculis, cùm apud ipsum Deum crederet in hoc facto posse mereri, tantis flectitur precibus, & ejusdem Electi desideriis condescendit, & quidem in hoc ejusdem Electi non erravit judicium, quia sibi talem virum elegit, per cujus directionis consilium tota Curia, tam in capite, quàm in membris statum pacificum, & quietum obtinuit. Quamobrem ipsi Electus, & Archidiaconus tam Papæ, quàm Cardinalium favorem, & gratiam non immeritò sunt adepti.

Adveniente denique termino Concilii; quod ei Concilio præsidente ipso Innocentio PP. quarto in majori Ecclesia est solennitèr celebratum; Ipse Pontifex, eodem approbante Concilio, quantum ad Imperiale fastigium, & gubernacula Regni Siciliæ ipsum Fredericum deposuit, atque omni honore privavit: & nihilominus decrevit Principes Alamanniæ eligendi sibi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, ex tunc habere liberam potestatem. Tandem post aliquorum curricula, ejusdem Frederici morte audita, & super hoc ad plenum veritate comperta; ipse Papa de Fratrum suorum consilio, acceleratis gressibus partes Italiæ repetit, devotis Ecclesiæ filiis graviter per ejusdem tyrannidem Frederici afflictis impensurus ex sua præsentia gratæ consolationis remedium, votivique gaudii acceptabile condimentum.

Completo itaque laudabiliter officio, propter quod idem Electus Archidiaconum ipsum secum duxerat retinendum, & non absque difficultate licentiâ ab eodem priùs Electo obtentâ; quod jamdudum propositum mente conceperat, duxit salubritèr in effectum. Nam circa correctionem, & reformationem tam Clericorum, quàm Laicorum, malos pœna plectendo, & congruis bonos honoribus attollendo, in Archidiaconatu suo ita prudenter se gessit, quòd quandiu illorum durabit memoria, suæ probitatis fama nequaquam delebitur, & ejus sanctitatis lucerna inextinguibilis remanebit. Et, ut ex aliqua sui parte inexpletum non remaneret, quod (ut præmissum est) tam piè conceperat, legis Divinæ, legisque immaculatæ animas convertentis ad Deum; Parisiis se studio deputans, quod Magister docebat in Cathedra sacro recondebat in pectore, & illud ampliùs exequebatur in opere, sciens virtutem præferendam scientiæ, & quæ aliàs mortua est, fidem charitatis operibus informari.

Illo quoque tempore Lodoycus Rex Francorum Princeps Christianissimus, virtutum vas, Fidei speculum, & elegans totius bonæ operationis exemplar, ipsum Archidiaconum adeò diligebat, ac venerabatur eundem, ut mirarentur quamplures, quòd tam Excellentissimus Rex uni clerico, in magna non posito dignitate, tantum honorem impenderet, tantamque reverentiam exhiberet. Ipse tamen Rex sciebat, quid faciebat: nam tot audierat, & certitudinaliter visu perceperat de eodem, quòd ipsum esse Templum Dei, & habitaculum Spiritus Sancti pro firmo tenebat: Sicque per ipsum, & ipso reverebatur illum, qui quod uni fit ex minimis suis, sibi asserit esse factum.

Tandem ipse Rex piè considerans, & non indignè advertens, quòd terra, in qua Dei Filius natus est, & ubi Redemptionis nostræ Sacramenta patraverat, à Sarracenis teneretur sub compede servitutis, & eorum contaminaretur spurcitiis incessanter; quòdque ibi colitur Macometus, ubi Dei Filius à suis esset cultoribus præcipuè adorandus: tactus proinde dolore cordis intrinsecus, ut terra ipsa de eorumdem Sarracenorum eripiatur manibus, & restituatur, eisdem eliminatis spurcitiis, cultui Christiano; velut pius Dei cultor, & fidei Christianæ zelator, tam ipse cum filiis suis, quàm Rex Navarræ, & multi alii Barones, & milites, ejus inducti exemplo, Crucis sunt charactere insigniti.

At ipse Archidiaconus, non immeritò arbitratus indecens esse, Clericos, & Prælatos ibi

tepe-

Digitized by Google

tepeſcere, ubi ipſi Laicos fervore fidei conſpiciunt ſic accenſos; tamquam ſectator bonorum operum Crucem devotè recipit. & humeris ſuis reverenter apponit, in proximo tunc inſtanti paſſagio in ejuſdem terræ ſubſidium acceſſurus.

Et quidem Regnum Angliæ tunc erat vicinum excidio, quodque Schiſma in eo contra Romanam pullularet Eccleſiam, vehemens ſuſpicio habebatur: nam Comes Simon de Monteforti, cognatus Regius, ad extinguendum Regis Henrici titulum, ut ipſe ſolus regnaret, adjunctis ſibi tam multis Eccleſiarum Prælatis, quàm etiam ejuſdem Regni Baronibus armaverat manus ſuas, & ſpiritu nequitiæ concitatus, contra id quod ſcriptum eſt per Prophetam: *Nolite tangere Chriſtos meos*; Regem ipſum benefactorem ſuum capere, ac in carcere, non abſque indeteſtabilis, imò deteſtandæ ingratitudinis nota detinere præſumpſit; nam idem Rex Angliæ ipſum exulem, & de Regno Franciæ ex cauſa proditionis bannitum, in Regno ſuo collegit, honoribuſque provexit, & tandem ſororem ſuam ſibi tradidit in uxorem.

Clemens itaque Papa Quartus tam Regi, quàm Regno eiſdem piè compatiens, & prout ad ſuum ſpectabat officium, imminentibus volens periculis obviare; Octobonum S. Adriani Diaconum Cardinalem ad ipſum Regnum taliter diſſipatum, commiſso ſibi legationis officio, tranſmittere procuravit. ſibi nihilominus ſuadendo, ut dictum Archidiaconum, virum utique ſani conſilii, & eiſdem Regi, & Comiti, nec non Prælatis, atque Baronibus ejuſdem Regni dilectum, cujuſque verbis fides ſuæ merito probitatis non dubia fuerat adhibenda, ſecum haberet, ejuſque conſiliis uteretur. Quam quidem perſuaſionem aure ſurda legatus ipſe nequaquam pertranſiens, ipſum Archidiaconum affectuoſis precibus pro reformatione Regni Angliæ ad ſuam vocat præſentiam, & gratulanti animo ſuſcipit venientem. In tantum enim erat Archidiaconus ipſe pacis amator, & concordiæ promotor, ut ſi inter diſſides, & diſcordes ſperabat poſſe proficere, non invitatus, nec etiam requiſitus. pro bono quietis, & pacis, ſe ultroneus offerebat.

Verùm Deus. juſtus Judex, tantam perfidiam, tantamque nequitiam, nollens ampliùs per tollerantiam ſubſtinere, inter Odoardum Regis ejuſdem primogenitum, & dictum Comitem lethiferum bellum permiſit committi: in quo quidem prælio cum uno ex filiis ſuis miſerabiliter corruit ipſe Comes: ſicque rebellionis, atque factionis nefariæ auctore taliter interempto, ipſo Rege liberato de carcere, tam propter ipſius Legati auctoritatem. quàm etiam ejuſdem Archidiaconi providentiam, favente Deo, proviſum eſt, ac inſuper ordinatum, quòd omnes illi, qui adhærendo eidem Comiti, fuerant ipſi Regi rebelles, recognoſcentes in ipſum Dominum ſuum ſe graviter deliquiſſe, ac ſibi propter hoc ignoſci petentes, ad ejus imperium humiliter ſunt reverſi: ſicque tam Regi, quàm Regno prædictis pacis illuxit ſerenitas, quos paulò ante diſſenſionis nubiloſitas graviter obfuſcarat.

Denique, inſtante ultramarini paſſagii termino, cùm dictus Rex Franciæ jam ſe paraſſet ad iter, ipſe Archidiaconus per Italiam pervênit Brunduſium; & cùm ex itinere fatigatus moram quietis ibi contraheret, de morte ejuſdem Regis, in obſidione tunc civitatis Tunicii perſiſtentis certitudine habita, & veritate comperta; infremuit ſpiritu, & vehementer turbatus eſt in ſe ipſo. Ne tamen propter hoc divinis ſubduceretur obſequiis, & votum ejus exiſteret non completum; diſcedens de Brunduſio, & maris periculis intrepidus ſe exponens, cum omni proſperitate, & gaudio Achon applicuit, ubi tam dictus Odoardus, quàm ſoror ejus Beatrix, Commitiſſa Britanniæ, de ipſius deſiderato adventu non modicùm ſunt gaviſi. Glorioſa enim, & efficax ejus fuit præſentia in eiſdem partibus tranſmarinis, quia ibi animos labentes erexit, diſſidiis obſtitit, & quamplures in ſancto ſuis ſanis conſiliis, propoſito ſolidavit, itaut nonnulli tamquam præſcii futurorum, ſeu potiùs ex conjecturis veriſimilibus informati, quæ in ejus, quoad ſucceſſum, poſtmodum contigerunt perſona, præſago quodammodo ſpiritu prædixerunt.

Verùm, cùm per ejuſdem Clementis Papæ Quarti obitum ipſa tunc vacaret Eccleſia, & ferè per triennium Cardinalibus nequeuntibus in aliquam convenire perſonam, Paſtoris fuerit ſolatio deſtituta: ipſi tandem Divino flamine inſpirati, dictum Archidiaconum in Summum Pontificem concorditer elegerunt, electionis decreto per ſolemnes ſibi Nuncios, prout tantum deſiderabat negotium deſtinato. De quo obſtupuerunt quamplures, quòd hominem peregrinum, hominem quibuſdam ex ipſis Cardinalibus prorſus ignotum, & de cujus morte, vel vita veritas erat incerta, taliter elegiſſent, non attendentes, quod *Spiritus, ubi vult, ſpirat, & neſcitur, unde veniat, aut quò vadat*.

Poſtquam verò de ſua promotione ſibi ad plenum innotuit, ne ſuam quietem publicis profectibus videretur præferre, neve ipſa Eccleſia in grande ſui diſpendium, ejus diutiùs præſentiâ privaretur; periculoſo navigantibus tempore, hiemali videlicet, in fortitudine ſpiritus, maris diſcrimini ſe exponit, & de illo, qui imperat ventis, & mari, confiſus cum omni incolumitate, & gaudio in Kalendis Januarii Brunduſii portum ingreditur, ubi ab ejuſdem civitatis hominibus, tamquam Dei in terris Vicarius, tam alacriter ſuſcipitur, quàm devotè; & ibi pro equis, & aliis rebus ſibi, & familiæ ſuæ opportunis ad iter, aliquantulâ morâ contractâ, diſcedens inde Beneventum pervênit, ubi Carolus Rex Siciliæ, ut ipſum proſequeretur honorificentia Regia, ſibi feſtinus occurrit, ei per loca inſignia Regni ſui, per quæ ipſum contingebat tranſire, ad extractoris officium exhibens reverenter.

Cùmque Cepparanum veniſſet, plures ex Cardinalibus, qui ſibi occurrerant, ibidem invênit: quibus ipſum concomitantibus acceſſit Viterbium, ubi continuò manto Papali veſtitus, ex ejus arbitrio prodiit, quòd vocaretur Gregorius, tum quia ad ipſum mentis devotionem habuerat, tum quia ipſius ſolemnitas tunc inſtabat. Ab ipſis denique Cardinalibus requiſitus, ubi vellet coronam recipere, Viterbii, ſive Romæ? ipſe ſic eis reſpondit: *Scitis fratres chariſſimi, quòd Imperator Conſtantinus, Mundi Monarcha, ex Imperiali vertice coronam depoſuit, & eam ex ſua munificentia contulit Beato Silveſtro, tunc Romano Pontifici, in ſignum decoris, Regii, & dominii temporalis, & quia iſtud in Urbe factum eſſe dignoſcitur, ſuadet ratio, monet æquitas, & requirit honeſtas, quòd ibi ipſa Eccleſia in noſtra perſona, licèt indigna, hujuſmodi debeat diademate inſigniri*.

Poſt hæc ad ipſam Urbem accelerat, & in Principis Apoſtolorum Baſilica, illa celebritate, qua decuit, coronatur: & inde per Urbem, ut

ut sponsa aureis ornata monilibus, & pannis sericis refulgens, usque ad Palatium Lateranense, prædicto diademate coronatus incedit; ubi, prout moris est, fuit solemne celebratum convivium; in quo idem Rex, sicut ipsum Pontificem adextrarat per Urbem, ei more prudentis dapiferi, duxit in mensa primum ferculum apponendum.

Completis itaque coronationis solemniis, & ab eodem Rege fidelitatis, & hominii, quibus propter Regnum Siciliæ Ecclesiæ Romanæ tenetur, præstito juramento: ipse B. Papa, quem Terræ Sanctæ zelus comederat, Cardinales omnes habuit in Conclavi, & ejusdem Terræ miserabilem statum, non absque lacrymarum profluvio, ipsis diligenter exponens; protestatus est coram eis, quòd si Terram ipsam eis negligentibus, imò etiam dissimulantibus, amitti contingeret, non essent immunes à culpa, ac per consequens severi Judicis, qui in die vindictæ nec flectitur precibus, nec pro redemptione cujusquam munera recipit, possent pœnam non immeritò formidare. Hortatur itaque eos per aspersionem Sanguinis Jesu Christi in remissionem peccatorum injungens eisdem, quòd ad id eorum studia dirigantur, & opera, ut perdita recuperari, & perditioni ipsa Terra exposita, conservari valeat, & à Christianis incolis securiùs habitari.

Deliberatione quoque inter eos super hoc habita diligenti, nullo contradicente, conditum est, & firmatum, ut indicatur generale Concilium, ubi præmissis expositis, ab Ecclesiasticis viris pro ipsa Terra subsidium imploretur; cùm dignum sit, ut de bonis suis portionem aliquam conferant, ubi laici res, & personas exponere non verentur. De loco tamen, in quo deberet fieri, convenientia consilia non fuerunt, consulentibus quibusdam, quòd in Urbe fieret, & quibusdam aliis, quòd in partibus transmontanis.

Præmissis verò auditis consiliis, quantùm ad determinationem loci, in quo Concilium fieret, nihil omninò definiens, sed illud retinens in suspenso; cum tota Curia sua ad civitatem Urbevetanam se transtulit, & tunc Lugduni fore celebrandum Concilium, voce dilucida publicavit. Advertebat enim homines ultramarinos infirmi esse animi, ac demissi, ita quòd de facili ditioni Sarracenorum se subderent, nisi in spe magni, & accelerati subsidii tenerentur, quòdque si in Urbe, seu Italia ipsum Concilium audirent esse tenendum, ad illud venire non crederent, nisi Lombardos, Tuscos, & Apulos, de quorum subsidio non confidunt. Si verò percipiant, illud in partibus Franciæ celebrandum, extimantes ibi esse Gallicos, qui ad ejusdem Terræ subsidium potenter, atque viriliter se accingunt, in spe resurgent subsidii, & eò à fidei hostibus se defendent viriliùs, quo ex labore assumpti itineris Ecclesiam ampliùs cordi ejusdem Terræ habere negotium recognoscent.

Mittuntur itaque literæ, per quas universi Prælati, & per Procuratores Capitula ad ipsum vocantur Concilium, in eisdem literis insertis Capitulis, de quibus in ipso Concilio est agendum, videlicet de Græcorum reconciliatione; reformatione morum, & præcipuè subsidio dictæ Terræ. Et nihilominus eisdem mandatur Prælatis, ut per suas literas, qui in eorum Provinciis, seu diœcesibus committuntur excessus, ante Concilii terminum pleniùs rescribentes, remedia, seu consilia inferant, quibus sit eisdem excessibus occurrendum.

Post hæc, ordinatis priùs quinque Sedibus Episcopalibus, quæ Cardinalatus honorificentiâ decorantur; de ipsa Urbevetana civitate, iturus Lugdunum, recedens pervênit Florentiam, ubi inter partes discordes non sinè multo labore, & diligenti sollicitudine, pacis fœdera reformavit, & ipsam pacem voluit continuò solemniter publicari. Sed pars, quæ civitatem tenebat, de temporis tunc prosperitate confisa, non attendens quòd volubilis est rota fortunæ, ipsa pacis fœdera temerè violare præsumpsit.

Cùmque idem Pontifex ad partes Lombardiæ descenderet, videns ipsam Provinciam dissidiis laceram, & guerris afflictam, quòdque in ea in tantum excreverant simultates, & odia, quòd frater fratrem venebatur ad mortem; flevit super illam; & cùm non admitterent, imò prorsus repellerent verbum pacis, inde confestim discedens, & per juga transiens montium, Lugdunum pervênit, de cujus adventu non aliter ipsa civitas exultasse dignoscitur, quàm quis gauderet, si thesaurum, arridente fortunæ suffragio, reperiret subitò pretiosum, aut quàm capta præda lætarentur victores, quando cariora hostium spolia æquo libramine partiuntur.

Porrò Concilium ipsum, quo ista ætate nullum recolitur fuisse celebrius, ex quo terminus ejus advênit, præsidente ei ipso glorioso Pontifice Gregorio Papa Decimo, in ipsa majori Lugdunensi Ecclesia cum omni fuit decentia celebratum: ubi tam Imperatoris Græcorum, quàm Prælatorum Græciæ solemnes Procuratores præsentes, eorum nomine cognoverunt, & confessi sunt, Latinam, & Græcam Ecclesias unum esse ovile; cui tamquam Pastor debet Romanus Pontifex Successor Petri, ac Jesu Christi Vicarius, præsidere. Recognoverunt insuper, ac etiam sunt confessi Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere; & sub hac expressione verborum tam in ipso Concilio, quàm in missis ejusdem Papæ solemnibus Symbolum sæpiùs decantarunt.

In ipso quoque Concilio, quòd decima per sex annos redditum Ecclesiasticorum solvatur fideliter, & colligatur prudenter, in ipsius Terræ convertenda subsidium est laudabiliter ordinatum.

Et nihilominus pro causis decidendis, expediendis negotiis, & moribus reformandis, quædam constitutiones sunt editæ, & ab ipso Concilio expressiùs approbatæ. Inter quas illa de celeri provisione Pontificis Romanæ Ecclesiæ, velut in auro gemma carbunculis, constitutio refulget.

His itaque secundùm Deum tam decenter, quàm laudabiliter expeditis, idem Pontifex nollens ipsi Concilio esse incognitum desiderium quo fragrabat; non velatis, sed claris sermonibus, eis tandem aperuit, quòd omnino Terram ipsam conceperat denuò visitare, cupiens ibi dissolvi, & esse cum illo, qui morte pro nobis sponte suscepta, in eisdem factus est partibus salus nostra. De quo audientium commota sunt viscera, & in tantum, quòd se cohibere non poterant, quin ex eorum oculis, tamquam de fontibus Salvatoris, fœcundiores erumperent rivuli lacrymarum. Sicque post hæc omnibus, qui occasione ipsius Concilii illuc accesserant, datur licentia ad propria revertendi.

Verùm, quia fortis, & ingenuus animus aggreditur ardua, inerti se nesciens otio deputare; idem Pontifex de Lugduno recedens, & suæ non parcens personæ, occasione reformandi Im-

Digitized by Google

Imperii. Belicadrum est protectus, ubi Alphonso Regi Castellæ ex condito venienti ad ipsum, in tantum exhortationibus, persuasionibus, nec non & precibus institit, quòd idem Rex prudenter attendens, quòd *non prodest homini, si totum Mundum lucretur, animæ verò suæ dispendium patiatur*, ac per hoc ejus beneplacitis, tanquam devotionis filius humiliter se coaptans; juri, quod in Imperio se habere dicebat, renunciavit omninò, & literas Regiâ Bullâ signatas eidem Pontifici tradidit, in quibus renuntiationis hujusmodi series continetur. De quo idem Pontifex non modicum fuit gavisus, sperans utilitatem publicam propter hoc commodiùs promovendam. Advertebat enim, quòd Rodulpho Rege Alamanniæ talem, ac tantum adversarium non habente, faciliùs poterat reformari Imperium, de cujus reformatione Terra Sancta grandiùs erat habitura subsidium, & tota Italia guerrarum sentibus extirpatis radicitùs, statum perceptura pacificum, & quietum.

Post hæc, inde recedens, Lausanam accessit, ubi ex quo cum ipso Rege Alamanniæ de reformatione Imperii, & Terræ Sanctæ succursu tractatum habuit diligentem; à Domino factum esse dignoscitur, quòd tam ipse, quàm Comites, & milites, qui cum eò venerant, de ipsius Pontificis manu ultramarinæ Crucis insignia receperunt, & inter ejus filiam, & Siciliæ Regis nepotem, pro mundi quiete affinitate tractata, eidem Regi Alamanniæ præfixus est terminus, & acceptatus ab eo, quo ad coronam veniat per manum Summi Pontificis suo vertici apponendam.

Demum de Lausana Pontifex ipse recedens, & discriminosis Montis Brigiæ pontibus se exponens, necnon per Lombardiam, & Tusciam faciens transitum; nescitur, quibus auspiciis civitatem Aretinam intravit, & (quod recolendo non caret mysterio) in Ecclesia ejusdem Sancti Gregorii, ubi Episcopi Aretini palatium est, & constructum, & ubi Capella ipsius Sancti est insignita vocabulo: Dominus ejus laboribus volens finem imponere, ipsum anno Domini MCCLXXV. quarto Idus Januarii; ad cœlestem de valle præsentis miseriæ, prout hominum indubitata tenet credulitas, patriam evocavit; sicque tamquam mundi, carnis, Diaboli triumphator magnificus, factus consors, ac socius Angelorum.

Ibi quidem fuit summoperè optimum eum videre, quando delibari incœperat, & tempus suæ resolutionis instabat; quia tantum profuisse vivæ vocis non potuisset oraculo, quantum tunc Sanctæ profuisse dinoscitur operationis exemplo. Nam Dominicam Crucem desideranter expetens, & reverenter amplectens, Salvatoris pedibus quos crebra lachrymarum rigabat effusio, devotissimè oscula imprimebat, & ejus Angelico more Genitricem salutans, ex quo spiritum suum pavido corde, Patri spirituum suppliciter commendavit, ex tunc spiritum ipsum Redemptori eidem sic suaviter reddidit, quòd soporis quietem percipere potiùs creditur, quàm de corpore mortis hujus eundem spiritum emisisse.

O Beatum Pontificem, cujus vita clauditur termino tam felici: O gloriosum Antistitem, cujus vita, magisterium, & obitus se se nobis offerunt utiliter in exemplum.

Ne igitur in terris congruo destitueretur honore, quem Cœlestis Rex adeò donis charismatum sublimarat, præter id, quod magna est ad eum devotio populi, multusque ad ejus tumulum peregrinorum concursus; ipsum pro exaltatione Fidei, & confundenda hæretica pravitate, in militanti Ecclesia, voluit variis coruscare miraculis.

Nam quamplures, quibus ope medicinæ subveniri non poterat, ab infirmitatibus, morbis, & languoribus, ejus implorato suffragio, sunt curati. Etenim illis, quos involvit perplexitas, & quos adversitas deprimit, ex sua pietate exoratus succurrit, porrigens dexteram erectionis depressis, & directionis consilium exhibens taliter involutis. Illi etiam; quos tenet carcer infestus inclusos, ejus nomine suppliciter invocato, ruptis miraculosè compedibus, à carceris liberantur angustiis. Et postquam suspensus in fulcarum patibulo, humiliter se devovit eidem, nequaquam mortis incurrit periculum; sed piis transeuntium manibus de patibulo ipso depositus, nullum vitæ dispendium, nullamque corporis incurrisse læsionem se asseruit.

Accessit insuper homo jam provectæ ætatis, cujus ad inferiorem corporis regionem, proprio loco dimisso, intestina defluxerant, & in pelle protensa triste sibi receptaculum faciebant. Sed, ex quo se devovit eidem ad locum sibi debitum, carne consolidata, reddierunt hujusmodi intestina, in signum infirmitatis præteritæ ipsa pelle dumtaxat remanente callosa: sicque ejusdem Pontificis meritis ab hujusmodi passione curatus, ad propria sanus revertitur, & jucundus.

Quædam etiam mulier puellam septennem, sibi consanguinitate conjunctam, ad flumen Arni secum adduxerat, ubi ab impetu fluminis ipsa puella miserabiliter rapitur, & tamdiu detinetur sub undis, quòd, quin esset submersa, nemini in dubium verteretur. Cùmque mulier ipsa domum mœroris telo percussa rediret, à casu retro aspiciens vidit ipsam puellam, eam celeri gressu sequentem, de quo eidem Pontifici gratias retulit, quem in ejusdem puellæ taliter periclitantis subsidium sæpius advocarat; ejus non dubitans meritis ipsam puellam vitæ, qua privata extiterat, restitutam fuisse.

Fuit insuper Rector cujusdam Ecclesiæ, morbo lepræ percussus, quem etiam artetica gutta graviter affligebat, sed, ex quo se devovit eidem, hujusmodi guttæ non sensit molestias, & ab ipsa lepra non sine grandi miraculo est mundatus. Erat etiam mulier, quæ resolutis nervis paralitica fuerat; sed postquam ad ejus tumulum fuit delata, restituitur membrorum officio, quo per plures annos fuerat destituta. Fuit etiam alia mulier, cui gibbi infirmitas exuberarat in tantum, quòd illam corporis incurrerat curvitatem, ut jam ei sine suffragio baculi non erat incedendi facultas. Sed, postquam ad ejus tumulum devotè accessit, protinus gibbo evanescente hujusmodi, adeò fuit erecta, ut sine substentationis alicujus præsidio liberè posset ire. Quidam verò, quos apoplesiæ morbus invaserat, ut mortis prætendentes effigiem, anhelitus spiraculum non haberent: ex quo per illos, quos eis carnis necessitudo conjunxerat, vota ad ipsum Beatum Pontificem sunt emissa; statim, quasi de somno surgentes, nullam sunt passi corporis læsionem. Et quædam fuit mulier, cui cruri tibia, & calcaneum nati carnis fuerant nexibus alligata: cùmque non eundo, sed reptando, ad ejusdem Pontificis tumulum pervenisset, carnis protinus resoluto ligamine, ac ipsa tibia fortitudinem resumente, ad propria, in altera tamen natium calcanei ad-

Digitized by Google

adhuc apparente vestigio, suis pedibus remeavit. Fuit etiam homo, qui sagittæ in capite ictum pertulerat; & cùm ipsa extraheretur sagitta, exivit hasta, ferro dumtaxat in ejus per plures annos capite remanente. Hic, cùm nullis medicinæ juvaretur remediis, eidem Pontifici humilitèr se devovit, per cujus quidem suffragium ipsum ferrum statim de ejus capite decidit: sicque cessantibus hujusmodi ferri molestiis, ad statum perductus est sanitatis.

Ecce insuper mulier, quæ in mammilla adeò graviter torquebatur, quòd noctes ducebat insomnes, & Cœlum replebat clamoribus, & de sua, nullo sibi suffragante medicorum consilio, convalentia desperabat. Cùmque in Aretina Ecclesia per quendam virum sublimem in visione habuerit se curandam; ipsa intellecto, quòd idem Pontifex venisset Aretium, illuc tamquam de sua salute sollicita, festinanter accessit, & stans ad ejus sepulcrum, cessantibus prorsus mammillæ doloribus, se per eum, prout in visione perceperat, liberatam pleniùs recognoscit.

Rursus venit homo, cui hactenus febrem patienti continuam, spiritus immundi adeò fuerant infesti, quòd quæ fecerat peccata, improperabant eidem, & ipsa faciebant aliis eum visitantibus manifesta, sibi nihilominus ostendentes pœnas Infernales, quarum ipsum tradendum per eos cruciatibus minabantur. Cùmque uxor ejus ipsum prædicto devovisset Pontifici, cessavit ipsorum spirituum pugna tam horribilis, quàm molesta; & continuò sibi Cœlo aperto vidit dictum Pontificem illis stipatum fulgoribus, ut multò plus Sole lucidior appareret. Adjecit insuper idem homo, quòd si tot haberet capita, quot capillos, omnia spontè decollationi exponeret, ut illius, quam prospexerat gloriæ particeps fieri mereretur.

Apparuit etiam alius homo, qui per plures annos illum defectum vocis incurrerat, ut auditus verba ejus nequaquàm perciperet, quantumcumque vocem attollere niteretur. Sed, postquàm Pontifici se devovit eidem, mox vocem, claram, sonoram, & expeditam ex ejus munere est adeptus. Quædam verò nobilis mulier manuum, & capitis adeò vehementer est tremorem perpessa, quòd ore, ac manu concurrere nequaquam valentibus, cibandi se manibus propriis ei possibilitas non dabatur. Cùmque nullis medicorum curaretur remediis, ad tumulum ipsum desideranter accedens, statim ibi obtinuit, quòd tremula membra sibi fortificata fuerunt.

Ad hæc infantulus quidam in cuna jacebat, incautæ matris præsentiâ destitutus: sed coluber caloris suavitate attractus, & in perniciem pueri in cunam ipsam irrepens, effuso veneno mortifero, fecit tabescere corpus ejus. Cùmque domum Mater reversa, respiciens, quòd puer tumuerat, & livebat, quòdque vitalis in eo spiritus videbatur extinctus, omnes vicinos, & vicinas non verbo advocat, sed clamoribus potiùs excitat, & lamentis. At ipsi quàm citiùs ad ipsam currentes, & super tam lacrimabili casu valde compatientes, eidem non insipiens sibi dedere consilium, videlicet, quòd ipsum puerum prædicto Pontifici devoveret. Quod utique factum est; & ex illa hora restitutus est ipse puer sanus, & incolumis matri suæ.

Malignis quoque spiritibus est adeò terribile nomen ejus, quòd eo fideliter invocato, eorum corpora confestim coguntur deserere, ac dimittere in pace, quos ipsi priùs nequiter tenebant obsessos.

Ad tumulum namque ejus, cœcis lumen, claudis gressus, mutis verbum, & surdis auditus miraculosè redduntur, prout veritas tantorum miraculorum conscia pleniùs attestatur.

Quòd autem in conspectu militantis Ecclesiæ, cui dignè, ac laudabiliter præfuit, tam stupenda, tamque miranda jugiter operetur; hoc quibus cœlestibus, ut firmiter creditur, est aggregatus spiritibus, ejus præclara merita exigunt, & exposcunt. Nam in ipsius pectore in tantum resplenduit pietas, & diffudit se charitas, quòd viscera ex toto mentis affectu aperiebat pauperibus, & aliquorum ex eis pedes quotidiè adeò accuratiùs abluebat, quòd adamantini lapidis superaret duritiem, quem tam humile, tamque devotum ejus obsequium ad compunctionis lacrymas non duxisset. Erat enim choris Angelicis amœna suavitas, & suavis amœnitas, dum Pontificem Summum aspicerent exinanire seipsum, servique formam suscipere, ut de ipsorum sordes abstergeret pedibus egenorum. Erat nempe viris Deum timentibus internæ mentis dulcis jucunditas, & jucunda dulcedo, dum dicatas Deo manus talibus cernerent occupari ministeriis, ubi summæ humilitatis exemplum tribuitur, & præceptum Dominicum perfectiùs adimpletur.

Nec his quoque erat vir Dei contentus, quinimo eleemosyna per officiales ad hoc specialiter deputatos eisdem ministraretur pauperibus, impellente nimirum ipsius pietatis officio, velut indagator sollicitus sæpiùs disquirebat; advertens, quòd secundùm Apostolum, etsi exercitatio corporalis sit ad modicum utilis, ipsa tamen pietas valet ad omnia vitæ, quæ nunc est, & futuræ gratissimam obtinens sponsionem. Sermo namque ejus, ædificationis ut plurimum fuerat, & interdum honesti solatii ad tædium removendum. In quocumque casu fuisset, semper erat in gratia, sale discretionis. In cibo, & potu frugalitate usus esse dignoscitur, quòd nullo tempore, nisi semel in die cibum sumebat, & tunc, ut carnis reficeretur infirmitas, non ut serviretur corporis voluptati. Et in tantum erat Sacræ lectioni, ac Divinæ meditationi interdum intentus, quòd postquam surrexisset ab ea, nescivisset dicere, quid sumpsisset. Fuit insuper circumspectus, & prudens ne dum in spiritualibus, imò in temporalibus disponendi: in judiciis discretivam vim obtinens, & in consiliis, ubi ipsorum occurrebat diversitas, electivam.

Quòd autem ad Summi Pontificatus apicem est promotus, hoc ejus profectò fecit humilitas, quæ in eo præcipuè viguit, & quæ Scholam habere dignoscitur, per quam ascenditur descendendo.

In carne quoque sua servavit munditiam, nulla unquam (ut creditur) criminis contagione polluta.

Et ab omni munere excutiens manus suas, si datum ei fuisset diutiùs vivere, Curiam suam sanctam, & immaculatam reddere disponebat, ut de munerum perceptione illicita nullatenus potuisset notari. Fortitudinis namque inexpugnabilibus armis accinctus, nullis prorsus deprimebatur adversis: imò, quò magis invaluerant, eò fortior, atque robustior reddebatur. Sciebat enim Deum illos diligere, quos otio marcere non patitur; sed in camino examinis, tribulationis igne supposito, eorum patientiam experitur, ut auro, quod per ignem materialem probatur, ejus conspectui se offerant puriores.

Quan-

Digitized by Google

Quando verò urgentium negotiorum turba permiserat, Orationi se deputabat devotiùs, & tunc pro incolatu præsentis miseriæ suspiria, & gemitus emittebat. Cùmque temporis opportunitate captata, contemplationi se daret, tanquam de cœlestis Patriæ prægustasset dulcedine, rapi, & deduci in extasim quodammodo videbatur. Quantæ verò efficaciæ, virtutis, & gratiæ ipsa ejus Oratio fuerit, id celebre, atque solemne declarat miraculum, quod Lugduni, dum ibi existeret, ejus devotis precibus dignoscitur esse factum. Nam tempore illo, quo imbrium inundatio fluvio Saonæ ingens aquarum accumulat incrementum, ecce mulier quædam, quam sors infelix ad ipsius fluminis, ut aquam hauriret, ripam adduxit; ubi dum ipsa staret, in illud, pedis utriusque lubricante vestigio, flumen dilabitur, ejusque in undis involvitur ipsa, ac demum sub eis tam diutiùs detinetur, quòd nautæ, quos in ejus succursum summæ pietatis opus attraxerat; ipsam, tanquam de ejus desperati salute pro derelicta habentes, ad loca, unde venerant, queruli revertuntur. Verùm illorum Pontifex ipse, quorum tam triste spectaculum se oculis ingerebat, valido priùs excitatus clamore, & ex fenestra Lugdunensis Palatii contemplatus præmissa, statim divinam implorat Clementiam; ut quæ *Beatum Petrum Apostolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & Coapostolum ejus Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberavit*; sic eidem mulieri dexteram adjutricem porrigeret, quòd incolumitatis pristinæ statui restituta, hujusmodi mortis periculum tam miserabiliter non subiret. Postquam verò ab ipso Deo (sicut affectus ipsius indicat manifestus) ejus accepta Oratio finem acceperat; mox mulier ipsa aspectibus hominum se obtulit super undas. & licet ipsi nautæ ex re summopere admiranda fuissent in stuporem adducti; nihilominus tamen inter rapidos aquarum decursus remos expeditis lacertis vehementiùs agitantes ad mulierem ipsam, prospero vento flante, quantotiùs pervenerunt, ac in navi collegerunt eandem ferè non aliter se habentem, quàm si oblectabilis lavacri commoda cepisset. Ipse quoque Pontifex meritò cupiens tanti miraculi causam agnoscere, ad ipsam mulierem unum ex suis cubiculariis illicò destinavit; quo facto, cubicularius ipse ivit, & diligentiùs veritate perquisita, retulit prædicto Pontifici, dictam mulierem sibi narrasse, ipsam fuisse liberatam à quodam viro summæ perfectionis, quem ipsa ignorat.

Hic enim Pontifex, sicut justitiæ zelator præcipuus, non declinans ad dexteram, vel sinistram, regiâ viâ perseveranter incessit. Hic auxit dignitatem ingenio, terruit majestate superbos, & virtute potuit iniquitates irrumpere perversorum. Ipse extremorum vitiis penitus evitatis, medium tenuit, ejusque se cultui obnoxius dedicavit, in ipso sedem virtutis consistere pleniùs recognoscens. Hic de universis beneficiis sibi à Deo collatis non ingratus, nec immemor totum in ejus propter hoc laudibus se effudit; in corde suo nihil ducens molestius, quàm cùm de perceptis gratiarum muneribus hominem invenisset ingratum.

Gaudeat itaque pia Mater Ecclesia, quæ talem meruit habere Pastorem, cujus gratis miraculorum splendoribus illustratur. Exultet Aretina Ecclesia, quæ omni thesauro acceptius habet reconditum corpus ejus. Lætetur & Placentia, ex ejus horto productus est talis fructus, de quo spiritualis homo reficitur, & ejus suavi fragrantia recreatur. Grates ergo Deo referamus alacriùs, de cujus munificentiæ dextera tam salutiferum munus percepisse cognoscimus, ac fatemur. Amen.

VITA
INNOCENTII PAPÆ V.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

INnocentius V. natione Burgundus, de Tarantasia Sabaudiæ fuit electus in Papam apud Arezium Tusciæ civitatem in festo Sanctæ Agnetis anno Domini MCCLXXV. secundùm illos, qui annos Dominicæ Incarnationis in Annunciatione Dominica incipiunt computare, secundùm morem verò illorum, qui annos Dominicæ Incarnationis in Natale Domini incipiunt computare, scribitur anno Domini MCCLXXVI. Seditque in Papatu mensibus V. diebus II. Vacavit Sedes diebus XVIII.

Hic priùs nominatus est Frater Petrus de Tarantasia, qui à Provincia sua in Ordine Fratrum Prædicatorum optimæ indolis conversatus, Doctor & Magister Parisius in Sacra Theologia efficitur, & inde Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum Franciæ, deinde in Archiepiscopum Lugdunensem assumitur, & de Archiepiscopatu eodem anno in Cardinalem Episcopum Ostiensem. Tandemque in Summum Pontificem est electus, atque elevatus in Arezio civitate. Veniens autem in Romam coronam accepit in Sancto Petro, & inde cessit in Lateranum.

Hic præfecit Episcopum Ecclesiæ Albiensem Venerabilem Dominum Bernardum de Castaneto de Montepesulano: tunc Sacri Palatii Auditorem Nonis Martii Pontificatus sui anno primo. Hic licèt multa facere proposuisset, morte præventus non potuit adimplere, sed proh dolor! mox in suo hortu exaruit flos decorus, citò namque tulit eum Deus. Obiit autem Romæ, sepultus in Ecclesia Lateranensi anno Domini MCCLXXVI. XXII. die mensis Junii, scilicet X. Kalendas Julii. (1)

VITA
ADRIANI PAPÆ V.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

ADrianus V. natione Januensis, fuit electus in Papam Romæ in Palatio Lateranense in mense Julii anno Domini MCCLXXVI. Seditque à die creationis suæ, usque in diem obitus,

---

INNOCENTIUS.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) INnocentius Quintus, natione Burgundus, de Tarantasio, sedit anno Domini MCCXXVI. cessavit Episcopatus dies XVIII. Hic à pueritia in Ordine Fratrum Prædicatorum, Doctor in Sacra Scriptura eximius efficitur: demum in Archiepiscopum Lugdunensem, & post in Episcopum Hostiensem; tandem in Summum Pontificem assumitur. Hic licèt multa facienda proposuisset, morte præventus, nihil notabile fecit. Mortuus est Romæ, & in Lateranensi Ecclesia sepultus.

Digitized by Google

tus, menſibus I. diebus IX. Vacavit Sedes diebus XXVIII.

Iſte priùs dictus eſt Othobonus, nepos Innocentii Papæ IV. à quo fuerat promotus in Diaconum Cardinalem Sancti Adriani. Hic à Domino Clemente Papa IV. fuit tranſmiſſus Legatus in Angliam pro ſedanda guerra, quæ inter Regem, & Barones commota fuerat & exorta. Hic quoque Papa factus, Conſtitutionem, quam Gregorius Denus in Concilio Lugdunenſe de reſtrictione Cardinalium propter electionem Summi Pontificis accelerandam ediderat, mox ſuſpendit, proponens eam aliter ordinare, ſed morte præventus ſic ſuſpenſam reliquit. Hic de Roma Viterbium veniens XL. diebus à creatione ſua non expletis, nondumque promotus in Sacerdotem, nec coronatus, nec conſecratus, Viterbii moritur XVIII. die menſe Auguſti, & in Eccleſia Fratrum Minorum ſepelitur anno Domini MCCLXXVI. (1)

VITA
JOHANNIS PAPÆ XXI.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Johannes XXI. natione Hiſpanus Portugalenſis, electus fuit in Papam XIII die introitus menſis Septembris in Viterbio anno Domini MCCLXXVI. ſeditque menſibus VIII. diebus VIII. In quadam verò Chronica ſcribitur menſibus IX. Vacavitque Sedes menſibus circiter VI. ſcilicet ab hebdomada Pentecoſtes, quæ fuit in menſe Maji, uſque ad feſtum Sanctæ Katerinæ.

Hic priùs vocabatur Magiſter Petrus Juliani, fuitque Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus. Hic miſit Legatos ad Pariologum Græcorum, ſi vellet obedire mandatis Eccleſiæ Romanæ cum gente ſua. fueruntque miſſi duo Epiſcopi, & frater Salvus de Barga cum eis, qui optimè recepti ſunt ab eodem, & obtulit ſe ad omnia, quæ Nuncii ſui in Concilio Lugdunenſi promiſerant obſervanda.

Hic Johannes Papa in diverſis ſcientiis famoſus primò Tuſculanus Epiſcopus, deinde Romanus Pontifex ſcientiarum florem, & Pontificalem dignitatem morum quadam ſtoliditate deformabat, adeò ut carere naturali induſtria videretur. In hoc tamen, quamplurimum laudabilis fuit, quòd ſe tam pauperibus, quàm divitibus communem exhibens, multos egentes, literarum ſtudium, & ſcientiam amplectentes, fovit, & in beneficiis Eccleſiaſticis promovit. Et cùm ſibi vitæ ſpatium in plures annos extendi crederet, & hoc etiam coram aliis aſſereret, ſubitò cum camera nova, quam pro ſe Viterbii circa Palatium fieri fecerat, ſolus corruit, & inter ligna, & lapides colliſus ſexto die poſt caſum, Sacramentis omnibus Eccleſiaſticis receptis, expiravit, infra Octabam Pentecoſtes menſe Maji, ſepultuſque eſt Viterbii in Eccleſia Sancti Laurentii Cathedralis anno Domini MCCLXXVII. (1)

Huc uſque Chronica Fratris Martini Polonii Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarii Domini Papæ, de Romanis Pontificibus protenditur, & finitur.

Verba hæc minio conſcripta in noſtro MS. leguntur, deinde ſequitur:

VITA
NICOLAI PAPÆ III.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Nicolaus III. natione Romanus de domo Urſinorum electus fuit in Papam in Viterbio in feſto Sanctæ Katerinæ, fuitque Romæ in Baſilica S. Petri in feſto S. Stephani in die Dominica coronatus anno Dom. MCCLXXVII. ſedit annis II. menſibus VIII. minus IV. diebus, vacavit Sedes menſibus VI. à ſuo obitu in Auguſto, uſque ad ſequens feſtum Cathedræ Sancti Petri.

Hic priùs vocabatur Johannes Gaitanus, eratque Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tulliano. Hic primo anno Pontificatus ſui fecit unam ordinationem IX. Cardinalium, inter quos fuerunt Frater Robertus Anglicus Ordinis Prædicatorum, Magiſter in Theologia, Archiepiſcopus Cantuarienſis, quem eſſe voluit Epiſcopum Portuenſem, & Frater Latinus ejuſdem Ordinis, quem fecit Epiſcopum Oſtienſem. De Ordine verò Fratrum Minorum fuerunt Frater Hieronymus Miniſter generalis, & Frater Bentevenga, quia mortuus erat Frater Bonaventura. Hic Papa ex ſua prudenti ſollicitudine novit optinere patentes literas Radulphi Regis Romanorum, & omnium Principum Alamanniæ ſuper reſtitutione, & confirmatione factis Romanæ Eccleſiæ de Romaniola, & Exarchatu Ravennæ. Hic quoque regulam Ordinis Fratrum Minorum declaravit, cujus declaratio-

---

ADRIANUS.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambroſianæ.

(1) ADrianus, natione Januenſis, anno Domini MCCLXXVI. Sedit menſibus I. & diebus IX. Romæ eligitur in Lateranenſi Palatio, & Viterbii moritur, & ſepelitur, & ceſſavit Epiſcopatus diebus XXVIII. Iſte Adrianus fuit nepos Innocentii IV., & ab ipſo in Cardinalem Sancti Adriani promotus à Domino Clemente IV. Legatus in Anglia pro guerra, quæ ibi inter Regem, & Barones exorta fuerat, ſedanda miſſus fuit. Hic Papa factus ſtatim Conſtitutionem, quam Papa Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi de Conſtitutione, (*Papeb.* conſtrictione) Cardinalium propter electionem Summi Pontificis accelerandam ediderat, ſuſpendit: proponens eam aliter ordinare; ſed morte præventus Conſtitutionem ſic ſuſpenſam reliquit.

JOHANNES.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambroſianæ.

(1) JOhannes Vigeſimus primus, natione Hiſpanus, anno Domini MCCLXXVI. Sedit menſ. VIII. die I., & ceſſavit Epiſcopatus poſt mortem ejus menſibus VI. diebus VII. Hic Pontifex Johannes Petrus ante dictus in diverſis ſcientiis famoſus, primò Tuſculanus Epiſcopus; tandem Romanus efficitur Pontifex, qui ſcientiarum florem, & Pontificalem dignitatem, morum quadam ſtoliditate deformabat, adeò ut naturali induſtria pro parte, (*Papeb.* *n* pro parte *non leg.*) carere videretur. In hoc tamen quamplurimùm laudabilis fuit, quòd ſe tam pauperibus, quàm divitibus communem exhibens, multos egentes ſtudium literarum amplectentes fovit; & in beneficiis Eccleſiaſticis promovit, & cùm ſibi vitæ ſpatium in annos plurimos extendi crederet: & hæc coram aliis aſſereret, cum camera nova, quam pro ſe Viterbii juxta Palatium conſtruxerat ſolus corruit, & inter ligna & lapides colliſus ſexta die poſt caſum Sacramentis omnibus Eccleſiaſticis perceptis, expiravit & ibidem in Eccleſia Sancti Laurentii ſepultus extitit.

Digitized by Google

rationis tenor incipit: *Exiit qui seminat &c.*

Anno Domini MCCLXXVIII. Petrus de Brustia, qui inter aulicos, & curiales Regis Francorum Philippi, cujus etiam compater erat, nimiùm supra se, & cæteros fuerat elevatus, multis mirantibus suspendio condempnatur, cujus causa paucis nota fuit minimè publicata.

Anno gratiæ Jesu Christi MCCLXXIX. die IX. mensis Decembris Karolus Princeps filius Karoli Regis Siciliæ, Comes Provinciæ, postmodum verò Rex Siciliæ corpus Sanctæ Mariæ perquisivit tam sollicitè, quàm devotè, etiam illo Sancto Oratorio, in quo Sanctus Maximinus unus ex LXXII. Discipulis Domini Jesu Christi Venerandus Prothopræsul Aquensis olim tradiderat sepulturæ, sicut in antiquis, & autenticis gestis utriusque latiùs continetur, in villa, quæ ab ipso denominata Pontifice, nunc Sanctus dicitur Maximinus, apertisque omnibus tumulis, qui erant in utroque latere hinc & inde, nec non effossa humo, quæ erat in medio solo in Oratorio memorato, inventum est corpus Sanctissimæ Magdalenæ, non quidem in tumulo de Alabaustro, in quo primò conditum fuerat, qui adhuc ibi cernitur cum Historiis, & Sculpturis, sed in alio tumulo marmoreo ibidem in regione ad dexteram introëuntibus collocato, cum ingenti odoris fragrantia, tanquam si aperta fuisset suavium aromatum apotheca, consequentibus signis, & multis miraculis gloriosis; ex ejus lingua sacratissima adhuc suo capiti, & gutturi inhærente radix quædam cum ramusculo quasi funiculi exibat, & exteriùs prominebat in longum, quam qui præsentes aderant admirantes, suis oculis clariùs conspexerunt, & ab ipsorum aliquibus relatione fideli, & devota ego ipse, qui hæc scribo, sæpiùs hæc audivi, quæ radix cum ramusculo divisa postmodum in particulas adhuc in diversis locis pro reliquiis conservatur. In eodem quoque tumulo juxta sacrum Corpus ad assertionem, & in testimonium perspicuæ veritatis cartellus quidam vetustissimus conclusus in ligno quodam disposito pro conservatione à putrefactione repertus fuit, continens hanc Scripturam: *Anno Nativitatis Dominicæ septingentesimo decimo sexto die mensis Decembris in nocte, secretissimè, Regnante Odoyno piissimo Rege Francorum tempore infestationis gentis perfidæ Sarracenorum translatum fuit corpus hoc Sanctissimæ, ac Venerandæ Beatæ Mariæ Magdalenæ de sepulcro suo Alabaustri in hoc marmoreo, timore gentis dictæ perfidæ, & quod secretiùs hìc amoto corpore Sedonii.* Hunc cartellum vetustissimum legi ego ipse qui hæc scribo, & vidi ibidem in Sacrario reservari in testimonium veritatis.

Memoratus autem Princeps, & Comes Karolus, postmodum verò Rex Siciliæ, præmissis omnibus perscrutatis diligentiis, & inventis, convocatisque postmodum, & præsentibus Narbonense, Arelatense, & Aquense Archiepiscopis, & pluribus aliis Episcopis, Abbatibus, & Religiosis, ac nobilibus suis cum Clero, & Populo congregato, die ad hoc statuta, videlicet III. Nonas Maji anno Domini MCCLXXX. levavit inde sacrum Corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ, & in capsa pretiosa ex auro, & argento, & lapidibus pretiosis primitus præparatâ digno cum honore locavit; caput verò ipsius postmodum in theca pretiosissima, & auro puro, & lapidibus pretiosissimis, ac decoro artificio fabrefactâ interclusit; unde devotè corpus, & caput conservantur, & venerantur, & miraculis evidentibus declarantur. Tunc etiam reperta fuit per eundem Karolum cum Prælatis in tumulo memorato Scriptura alia vetustissima in quodam cartello in cera exteriùs undique cooperto, quæ præ vetustate vix legi potuit, qui talis erat: *hìc requiescit Corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ*: Liquet ergo ex præmissis sine contentione, & æmulatione, ac invidia indicanti, ubi nam corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ veraciter sit in terris, cujus anima beata in Cœlis cum Sanctis omnibus æterna Dei perfruitur visione. Quod autem fertur & scribitur in multis locis, & chronicis corpus sacrum Beatæ Mariæ Magdalenæ à Geraldo Comite Burgundiæ apud Verzeliacum Cœnobium à se constructum fuisse translatum temporibus Constantini V. Imperatoris filii Leonis tertii, ac Zachariæ Papæ sub anno Domini DCCXLV., liquidiùs apparet ex Scriptura superiùs posita, quæ juxta corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ fuit inventa, si fides debita ei debebat adhiberi, quia per XXXV. annos antea mutatum fuerat corpus ipsum de sepulcro suo alabaustri, & transpositum in sepulcro alio marmoreo, amoto priùs corpore Sedonii ex eodem. Salva igitur veritate, quæ infallibiliter nota est ipsi Deo, res postmodum gesta, sicut præmittitur per Karolum Principem memoratum, & sic aperta veritas, & comperta cum signis tam evidentibus clarè indicant, & fideliter manifestant translatio corporis Magdalenæ apud Verzeliacum vulgata communiter, & conscripta, non potest veraciter accipi de corpore Magdalenæ, cùm in sepulcro, ubi primùm positum fuerat, tunc non esset: de aliquo alio corpore, vel de aliqua forsitan ejus parte. Celebrata fuit præfata revelatio, repertio, & translatio Sacrosancti Corporis Beatæ Mariæ Magdalenæ in Villa Sancti Maximini Aquense Diœcesi III. Nonas Maji anno Domini prætaxato MCCLXXX. Pontificatus Nicolai Papæ III. anno III. & ultimo. Eodemque die ibidem statuta festivitas futuris temporibus celebranda.

Quo in loco postmodum, tempore succedente, memoratus Karolus Rex Siciliæ jam effectus, Conventum Fratrum Prædicatorum poni, & institui procuravit, translatis inde Monachis Sancti Victoris Massiliensis per Bonifacium Papam VIII. anno Domini MCCXC. ubi Ecclesiam in honore Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & multorum aliorum Sanctorum in dicto Oratorio quiescientium, scilicet Sancti Maximini, Sedonii cœci nati, & à Christo illuminati, & Marcellæ ancillæ Sanctæ Marthæ, quæ dixit Christo Domino: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. Idem Rex pulcram, & magnam fecit fieri sumptibus Regiis, locumque dotavit tam in libris, quàm jocalibus, ac pretiosissimis ornamentis ad Dei cultum celebrandum juxta magnificentiam principalem.

Nicolaus Papa III. in castro Suriano existens, subitò factus apopleticus, sine loquela moritur in octabis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, cùm tamen secundùm habitudinem complexionis bonæ, & temperatum modum vivendi, quem habebat, diutiùs vivere meritò crederetur; fuit autem sepultus in Capella Sancti Nicolai in Basilica Sancti Petri die Dominica tunc sequenti anno Domini MCCLXXX.

Eodem anno infra octabam Sancti Martini Frater Albertus de Ordine Prædicatorum Theutonicus, de Suevia oriundus, magnus Philosophus, in Conventu Coloniensi in camera sua in Ca-

Digitized by Google

Cathedra residens coram positis Fratribus orantibus in Domino obdormivit. (1)

VITA
MARTINI PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

MArtinus IV. natione Gallicus de Bria Campaniæ Turonis præbendatus, electus fuit in Viterbio ad Pontificalem Cathedram in festo Cathedræ Sancti Petri VIII. Kalendas Martii, fuitque coronatus in Urbe-veteri X. Kalendis Aprilis, anno Domini MCCLXXX. secundùm morem verò illorum, qui annos Dominicæ Incarnationis computare incipiunt in Natali, scribitur MCCLXXXI.

Sedit in Cathedra Pontificali annis IV. diebus XXIV. vacavit Sedes diebus IV.

Hic priùs vocabatur Symon, eratque tituli Sanctæ Cœciliæ Presbyter Cardinalis, fueratque Legatus in Francia annis multis. Hic electus in Viterbio noluit ibidem coronari, sed se transtulit ad Urbem-veterem, ubi coronatus fuit X. Kalendas Aprilis, ibique in proxima vigilia Resurrectionis Dominicæ post suam coronationem fecit unam ordinationem V. Cardinalium, instituens quatuor Presbyteros Cardinales Hugonem Anglicum tituli Sancti Laurentii in Lucina, Gervasium tituli Sancti Martini in Monte, Gaufridum Burgundum tituli Sanctæ Susannæ, Johannem Chauleti tituli Sanctæ Cœciliæ, item Benedictum Gaytam de Anagnia Diaconem Cardinalem tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano, qui fuit postmodum Bonifacius Papa VIII. Anno Domini MCCLXXXI. in vigilia Ascensionis Domini, XI. die exitus Maji cecidit una pars pontis veteris Tholosæ postquam processio transivisset per aquam cum cruce ex more, cecideruntque, & mortuæ sunt in casu pontis ducentæ personæ utriusque sexus, & submersæ in Garona, inter quas erant XV. Clerici studentes, personæ nobiles, & honoratæ.

A

Eodem anno Petrus Rex Aragonum fecit non modicum apparatum, quem Martinus Papa, & Karolus Rex Siciliæ suspectum non immerito habuerunt, sicut rei eventus postmodum comprobavit. Anno Domini MCCLXXXI. in Regno Siciliæ Panormitani, succensa rabie, Gallicos, qui morantur ibidem, tam mares, quàm fœminas, ac senes, & juvenes in contemptum Regis Karoli occiderunt. Et quod detestabile valde fuit latus mulierum suarum prægnantium, quòd dicebantur à Gallicis concepisse, partus occidebant, antequam ex utero nascerentur. Deinde Regi Karolo tota Sicilia fit rebellans, & supra se Petrum Regem Aragoniæ in suum defensorem, & Dominum vocaverunt. Habebat autem idem Petrus Rex Aragonum filiam quondam Matfredi ab eodem Karolo dudum devicti in prœlio, & occisi, nomine Constantia in uxorem, propter quam dicebat ad se Regnum Siciliæ pertinere. Eodemque anno Rex Karolus cum magno exercitu vadit in Siciliam, Messanam obsidet, & vastat in circuitu, sed non capit.

B

Eodem tempore Rex Aragonum de Sardinia transit in Siciliam, applicuitque cum sua militia in Messanam. Quod audiens Rex Karolus consilio habito ab obsidione discedit, & redit in Calabriam, timens ne gens sua perderet victualia, & ne eo existente in Sicilia Regio rebellaret.

C

Anno Domini MCCLXXXII. Karolus Rex Siciliæ, & Petrus de Aragonia antedictus, qui jam Regnum Siciliæ occupaverat, & contra inhibitionem Papæ se in Regem Siciliæ fecerat coronari, propter quod fuit excommunicatus à Martino Papa, & privatus, ac depositus à Regno Aragoniæ, & omni eo, quod ab Ecclesia tenebat, belli, atque duelli pactum taliter inierunt: quòd ipsorum quilibet centum milites, quos mallet, & posset habere in plano Burdegalensi paratos ad pugnandum ad invicem, centum contra centum. Inter quos ipsi duo, Karolus, & Petrus computari debebant, prima die Junii, anno Domini MCCLXXXIII. Et qui foret

D

NICOLAUS.
Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) NIcolaus III. natione Romanus, de domo Ursinorum anno Domini MCCLXXVII. electus fuit, sedit annis II mensibus VIII. diebus XXII. & cessavit Episcopatus mens. V. d. XXII. in die Sanctæ Catherinæ. Parùm ante sui promotionem per aliquot dies flumen Tiberis Romanum in circuitu, (*Papeb. pro in circuitum l. tantùm*) excrevit suos transcendens alveos, quod cunctis cernentibus erat formidini; nam super Altare Beatæ Mariæ Rotundæ per quatuor pedes & ampliùs transibat. Hic Nicolaus unam Ordinationem fecit, videlicet quinque Episcopos Penestrinum, Tusculanum, Hostiensem, Portuensem, & Albanensem, quorum Penestrinus, & Tusculanus fuerunt sæculares, Hostiensis, & Portuensis Prædicatores, Albanensis verò Minorum: Item duos Presbyteros, videlicet Dominum Girardum tit. XII. Apostolorum, & Dominum Hieronymum de Ordine Fratrum Minorum tit. Ecclesiæ Sanctæ Potentianæ, (*Papeb. Sanctæ Praxedis*), item duos Diaconos Magistrum Jordanum fratrem suum tit. Sancti Eustachii, & Jacobum de Columna tit. Sanctæ Mariæ in Via lata. Hic Palatium Sancti Petri multùm augmentavit; & quamplurima ædificia fieri faciens, juxta illud Parcellum, (*Papeb. Pratellum*) inclusit, & fontem ibidem fieri paravit, mœnibus, & turribus jardinum magnum diversis arboribus decoratum includendo. Hic & Carolum Regem Siciliæ nobilem Ecclesiæ pugilem à Vicaria Tusciæ certis de causis, quas prætendebat, amovit: ac se in Senatorem ad vitam, ut dicitur, eligi procuravit, ac constitutiones faciens: tam de electionibus Prælatorum, quàm de electione Senatorum Urbis, (*Papeb. Senatoris semper*), & Senatum ferè per duos annos regi faciens. Mortuus est in Suriano Castro propè Viterbium. Ibi Cardinales & Curiales in Viterbio morantes ad suum conspectum evocabat; celerique hora mortis præventus anno Domini MCCLXXX. Kal. Septembris decessit, & vacavit Sedes V. mensibus, diebus XXII. (*Papeb. XXIX.*) Post ejus mortem, Anibaldenses, qui citò ejus mortem sciverunt, convocata parte sua Capitolii, & totarum urbium existentium sub custodia Vicariorum, quos idem Nicolaus constituerat, partem dominii, invitis Ursinis, habuerunt, itaque ex pacto inter eos habito pro parte Hannibaldensium, unus pro parte Ursinorum, alius in Capitolio Senatorum officium exercentes, fuerunt constituti, sub quorum regimine, multa homicidia, plurimæque dissensiones, & alia quamplurima mala habita tam in Urbe, quàm in ejus districtu fuerunt perpetrata, & etiam impunita. Viterbienses tunc post obitum ipsius Papæ Dominum Ursum nepotem ipsius Papæ ab Officio Potestariæ turpiter amoverunt, licèt absentem, & post hoc in obsessione Castri Valeriani existentes à Domino Bertoldo fratre Domini Ursi cum adjutorio Tudertinorum fuerunt imbecilles debellati; Ita, quòd quasi fine bello deffensionis, campum relinquentes, & tentoria, multi fugientes ex eis capti sunt, & aliqui interfecti. Eo tempore parabat navigium Petrus de Aragonia, de quo plenius dicetur.

E

Digitized by Google

ret victus esset infamis perpetuò, & privatus omni honore, ac nomine Regio, unoque servo contentus deinceps solus incederet. Qui verò non veniret ad diem, & locum condictum sic paratus, pœnas similes, ac etiam perjurium incurrebat. Ad quam diem & locum Karolus Rex venit cum sua nobili militia, ut decebat, multis præsentibus, unà cum Legato Sedis Apostolicæ, & Philippo Rege Franciæ Nepote suo. Petrus verò Rex Aragoniæ sicut promiserat secretiori usus Concilio non advênit. Dictum tamen fuit & communiter divulgatum, quòd nocte præcedente diem statutam occultè cum duobus sociis illuc advenerit, & recesserit. Et quòd cum Domino Johanne de Grilhi Senescallo Vasconiæ pro Rege Angliæ ibidem, vel potiùs in alio loco vicino colloquium habuerit, prætendens quòd propter timorem Regis Franciæ, qui præsens erat, servare pacta, quæ promiserat non audebat.

Et eodem anno Domini MCCLXXXIII. Martinus Papa contra ipsum Regem Aragonum processum facit, ipsumque à Regno deposuit, & ab omni Regia dignitate, omniaque ejus exponit Regi Franciæ occupanda; Regnum verò Aragoniæ idem Papa contulit Domino Karolo filio Regis Franciæ Philippi. Eodemque anno Karolus Rex Siciliæ ivit Parisius ad Regem Franciæ Philippum Nepotem suum pro succursu, & inde veniens in Provinciam: magnum fecit apparatum de navigio, & gente.

Eodem anno Domini MCCLXXXIII., vel sicut ab aliquibus scribitur. MCCLXXXIV., filius memorati Karoli Regis Siciliæ, Karolus nomine, Princeps, Comesque Provinciæ captus fuit in mari prope Neapolim à Rogerio de Loria cum multis Gallicis, & galeis, fueruntque plures ex suis trucidati. Ipse verò servatus adductus apud Messanam, & inde perductus ad Regem Aragonum, à quo in quodam castro captus, & detentus fuit in custodia annis multis, & tandem postmodum expeditus, duobus ex filiis suis positis obsidibus loco sui. Anno Domini MCCLXXXIV. Karolus Rex Siciliæ de Provincia iter arripuit cum navali exercitu versùs Siciliam. Cùmque ad portum Pisanorum applicuisset ibidem rumores recepit, quòd Karolus filius suus Princeps, Comesque Provinciæ memoratus, à Rogerio de Loria captus erat. Interea verò Rex Karolus proficiscens pervênit in Apuliam, ubi post paucos dies infirmatur, & moritur in die Epiphaniæ anno Domini prætaxato MCCLXXXIV. Regni verò sui anno XX. vir strenuissimus, & animosus. Cui tandem successit in Regno filius suus Karolus II. qui tunc captus in Aragonia tenebatur. Martinus verò Papa obiit in Perusio die Mercurii infra octabam Paschæ, scilicet V. Kalendas Aprilis. Sepultusque fuit in Ecclesia Cathedrali anno Domini MCCLXXXV. Fertur à quibusdam post mortem miraculis claruisse. (1)

MARTINUS.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) MArtinus Quartus, natione Gallicus, eligitur anno Domini MCCLXXXI. in die Cathedræ Sancti Petri. Hic vocabatur Symon tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, fuitque per Urbanum Papam Quartum promotus ad Cardinalatum, & per eundem Urbanum primò, & secundò per Gregorium Papam X. in Francia missus Legatus, & per plures annos ibidem Legatus extitit. Hic IV. annos, mensem I. dies XI. sedit. Hic post ejus promotionem à Viterbio discedens, noluit ibidem consecrari, sed se transtulit ad Urbem veterem, & ibi consecratus fuit X. Kal. Aprilis, & Ordinationem in Vigilia Resurrectionis Dominicæ proximè sequentis, faciens Dominum Gerardum tit. duodecim Apostolorum in Sabinensi, ac Dominum Hieronymum Sanctæ Potentianæ Presbyteros, (*Papeb* Presbyteros in [Prænestinum D. Bernardum, Gallicum Arelatensem Archiep. in Portuensem] Episcopos ; &c.) Cardinales, & Episcopos, & Dominum Hugonem Anglicum tit. Sancti Laurentii in Lucina, Dominum Gervasium tit. Sancti Martini, Dominum Gaufredum Burgundum tit. Sanctæ Susannæ, & Dominum Johannem Cholet tit. Sanctæ Cæciliæ, & Dominum Comitem Mediolanensem tit. Sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri, Dominum Benedictum tit. Sancti N.colai in carcere Tulliano in Diaconum, (*Papeb.* in Presbyteros Card.) promovit.

Hic Clericus in Senatorem Urbis ad vitam loco sui Carolum instituit Regem Siciliæ in Senatorem & de domo, seu familia, (*Papeb.* hic electus in Senatorem de domo, seu familia, &c. *superioribus omissis*) ipsius Regis existentem in Urbe veteri, sumpsit milites, (*Papeb. pro* milites *l.* multos) ad regendum tam patrimonium, quàm Campaniam Marchiam, & Ducatum [Spoletanum]; in Romandiolam verò destinavit Comitem Dominum Johannem de Apia cum Soldariis Francigenis ferè octingentis contra Guidonem Montisferetri, qui terram Ecclesiæ in illis partibus occupatam detinebat; qui Guido de civitate in civitatem se transferens maliti osè intra fortalitia se tuebatur, interdum prædam rapiens, ut ex ea sequaces sui pascerentur. Eo tempore quadam die Dominica per quendam Latinum de familia Regis, & alium Urbevetanum fuit exorta dissensio magna inter gentem Regis, & Urbevetanos, & ut multi referunt, Renerus tunc Capitanus Urbevetanus ad id satis videbatur præbere assensum, ut Rex & Gallici vituperium sustinerent & dampnum. Nam cùm tumultus magnus haberetur per terram, & clamores validos emitterent Urbevetani, mortem ad Gallicos exclamantes, Renerus sæpè vocatus ut gentem suam refrenaret, se fingebat infirmum, sed cùm cessavit dissensio aliquibus hinc & inde vulneratis, & pluribus Urbevetanis interfecti de familia Regis, uno tantùm garzione moriente, cùm de plurium morte nil sciretur.

Deinde æstate & hyeme completis, in mense Februario primo anno Pontificatus Domini Papæ prædicti, eodem anno ipso Papa in Urbe veteri residente, Piscis Marinus captus fuit iu effigie leonis in illa plaga maris, quæ sita est versùs Montem-Altum, & portatur apud Urbem veterem: multitudo Curialium illuc ad videndum hujusmodi monstrum accedebat, quia pellis pillosa, pedes breves, cauda leonina, caput leoninum, (*Papeb.* aures, os, & infra dentes quasi leo referebatur) os, & infra dentes linguam habebat, quod leo referebatur, ita quòd in ejus captione planctus horribiles emiserat, sicque multi prænostica futurorum exinde prædicebant. Et ecce quòd parùm post in Regno Siciliæ Panormitani, succensi rabie Gallicos, qui morabantur ibidem, omnes tam mares, quàm fœminas, ac senes, & juvenes in prædicti Regis contemptum occiderunt; & quod detestabilius est latus aperientes mulierum latinarum prægnantium, quæ dicebantur à Gallicis concepisse: partus occidebant, antequam nascerentur; deinde tota Sicilia sic rebellans Petrum Regem Aragoniæ in suum defensorem, & Dominum vocaverunt. Eodemque concursu temporis inter Romanos fuit dissensio maxima, & paratis hinc inde aciebus suis, pars Ursinorum se transtulit in Penestrium, Hanibaldenses verò credentes se contra eos bellum habere campestre, illuc se transtulerunt cum Vicario Urbis: qui certis de causis eos fovebat, & ab eis tuebatur, & vastaverunt totam contratam usque ad muros Penestræ non sine multorum occisione in fortalitio se tenentes.

Itaque die Jovis secundo Kal. Maji præfatus Dominus Johannes de Apia contra Guidonem de Mon-

Digitized by Google

Monteferetri progrediens Burgum civitatis Forlivii cepit hostiliter, & per hanc diem, & noctem sequentem ibi cum sua comitiva remanens; die crastina prima die Maji, congregatis aciebus, ordinavit tres turmas militum, & unam peditum stabiliens in Burgo in facie civitatis Forlivii. Sed pars adversa tam per ipsam portam, quàm per alias diversimodè suos emisit bellatores, ut plus astutiâ, quàm virtute belli possent Dominum Johannem debellare, sicque factus est hujusmodi conflictus, in quo cecidit Comes nobilis pugil Ecclesiæ ferè cum quingentis Gallicis, ex adverso verò quamplures nobiles, & ignobiles ferè mille quingenti. Tandem nocte superveniente superstites ad suam partem se retro traxerunt nulli Gallicorum victoriâ, (*Papeb.* vitâ) cum capitositate attributâ. Eodem concursu inter Anglicos, & Gallenses durissimum bellum fuit. Tunc etiam in Tunitio magna Paganorum multitudo per ipsius Regis Aragoniæ astutiam inter fauces montium destructa fuit & depressa, & ibi occiderunt Pagani quamplurima millia, partis adversæ fortè tria millia. Tunc etiam Soldanus Babiloniæ à Tartaris fugatus esse dicitur per VIII. diætas, & occisi sunt Pagani ultra quinquaginta millia. Sed viribus ac animis resumptis Soldanus dictos Tartaros Orientales fugans, circa triginta millia Tartarorum in hujus fuga dicitur occidisse.

Tunc temporis circa festum Beati Johannis Baptistæ, Dominus Papa se transtulit apud Montem-Flasconem. Sed Romani parvipendentes eundem exercitu congregato circa Cornetum eo vidente vineas, hortos, & bladas vastaverunt, & exinde alias parùm fugientes, (*Papeb.* alias prædam faciens, recesserunt) recesserunt. Perusini tunc contra inhibitionem Domini Papæ, subvagum, (*Papeb. pro* subvagum *legit* super Fulginates) exercitum facientes quidquid erat extra muros civitatis undique devastaverunt excommunicationis sententiam in eos proinde promulgatam incurrentes. Parùm post Princeps filius Domini Caroli Regis Hierusalem & Siciliæ rediens de Francia in Apuliam, magna Comitum comitiva secuta est eundem, in quos Comes Alaiconensis, (*Papeb.* Alanzonensis) frater Regis Franciæ, Comes Atrebatensis, Comes Burgundiæ, Comes Boloniæ, & Comes Domini Martini venerunt cum multis nobilibus, eodem Rege Carolo de Siciliæ partibus, ubi fuerat in obsidione Messinæ, & parùm profecerat, jam reverso in Calabriam, & eo existente in plano Sancti Martini. Post hoc idem Rex Carolus, & Petrus de Aragonia, qui jam Siciliam occupaverat, & se fecerat in Regem Siciliæ coronari, contra Domini Papæ inhibitionem, & propter hoc erat excommunicatus, & Regno Aragoniæ, & omni eo, quod ab Ecclesia tenebat, privatus, belli pactum taliter inierunt: quòd eorum quilibet haberet centum milites, quos vellet & posset in plano Burdegalensi paratos ad pugnandum ad invicem centum & centum, (*Papeb.* centum contra centum) inter quos ipsi duo K. & P. computari debeant, prima die Junii anno Dñi MCCLXXXIII. & qui victus esset, perpetuò infamis, privatus honore, & nomine Regio, & quòd de cætero contentus esset uno solo serviente, cum quo solus incederet; & non veniens ad dictam diem sic ratus pœnas similes, ac etiam perjurium incurrebat: Ad quam diem cùm dictus Rex Carolus fuisset, ut debebat, multis præsentibus, unà cum Legato Sedis Apostolicæ, Dominus Petrus non venit, ut promiserat, quidam tamen dicunt eum fuisse locutum in nocte præcedenti diem statutam associatum duobus sociis Senescalco Burdegalensi in loco privato, & remoto, prætendens quòd propter Regis Franciæ potentiam (*Papeb.* timorem) ibidem præsentis, pactum servare non audebat.

Papebrochius hoc loco habet sequentia, quæ in nostro non leguntur.

Hic iste Collector sequentem parenthesin interserit. Auctor iste partialiter loquens super isto negotio non est credendus. Nam verum fuit quòd propter Regem Franciæ ibi præsentem in defensionem Caroli suo casu, & in offensionem Petri cum duobus sociis tantùm affuit ter per campum currendo, semper clamando: Arago, & in præsentia Notarii publici infinitis circumstantibus præsentibus, eum videntibus dixit: Ego sum Petrus Rex Aragonum comparens ut promisi, neminem contrariorum inveniens, petens à vobis fieri publica instrumenta. Hæc est veritas, & nulla alia. *Ita ille, de quo alii viderint. Jordanus verò Historiam cœptam prosequitur.*

Dum hæc agerentur, Domnus Papa destinavit Dominum Guidonem de Monteforti virum strenuum in Normandiolam ut ejus præsentia confortarentur stipendiarii Domini Papæ, quo Guidone illuc veniente, Guido Montisferetri statim terram occupatam, & civitates occupatas per eum, ut præscribitur eidem G. nomine Ecclesiæ restituit, jurans mandatis Ecclesiæ se pariturum, & ad locum per G. de Monteforti sibi statutum se transtulit, ibique ad mandatum Papæ mansurum se promisit, sicque per terram Normandiolæ ad ipsius D. PP. nuncia & præcepta, excepta civitate Urbinate, quam dictus Guido de Monte-forti post hoc aggrediens hostiliter, quidquid extra muros fuit, devastavit; & in ejus adventu quinque castra cœpit dictorum Urbinatium fortia, & habitantes in eis ad mandatum suum venire sunt compulsi. Eo tempore Regnum Aragoniæ per milites, & stipendiarios Regis Franciæ cum auxilio cujusdam nobilis de Aragonia, qui vocabatur Johannes Longi, invaditur & multa castra occupata fuerunt, & multi de Aragonia occisi fuerunt, Petro prædicto absente, & procurante sibi subsidium, qualiter posset, Regnũ ipsum, quo jam privatus erat, defendere. His sic concurrentibus, Romani more eis innato à regimine Urbis quemdam nobilem de Apulia Vicarium Urbis officium Senatoriæ Regentem expellentes de Officio, eum custodiæ mancipatum carceri detinere præsumpserunt. Succedenteque rumore populari, per aliquorum Urbis nobilium instigationes, ut præfertur, quemdam Romanum nomine Johannem Cinthi, (*adest varia lectio* Cincii *Papeb.* Turchi) fratrem Domini Latini tunc Hostiensem Episcopum in Capitaneum Urbis, & Reipublicæ defensorem invocaverunt, qui licèt parùm rexerit, multos Romanos offendit, & domos Romanorum in pede mercati non solùm spoliatione domorum vicinarum dirui fecit. Sed Romani ad mandatum Domini Papæ reversi susceperunt vice Domini Papæ duos Vicarios Senatoriæ, videlicet Hanibaldum Petri Hanibaldi, & Pandulfum de Sabello. Sub quorum regimine quieti fuerunt Romani, quorum multi credebant præfato Petro de Aragonia confœderationem iniisse. Post hoc præfato Rege Siciliæ de Franciæ partibus descendente per mare, se transtulit versùs Apuliam. Cujus adventum scientes Siculi in Messinen. partibus per mare habentes fortia cum XXVII. galleis armatis, & munitis venerunt propè Neapolim, ut sua sagacitate possent ibidem aliquos offendere ante Regis adventum, & tandem per septem milliaria propè portum Neapolitanum existentes, multos proferebant clamores: & inditia faciebant: quibus moverunt Gallicos ibidem existentes ad pugnandum. Tandem Princeps Salernitanus filius Regis Siciliæ primogenitus, qui dimisso certis de causis Comite Atrebatense à Calabria illuc ivit motis excitatus, & è laudibus hujus animositatis, (*Papeb.* incitatus clamoribus hujusmodi animositatis damnosæ sumens &c.) sumens insolitam audaciam cum suis bellatoribus galleas intravit, & præfatos inimicos aggrediens contra eos pugnavit viriliter cum paucis galleis, XVII. galleis de suis per fraudem nautarum revertentibus Neapolim, in quibus nobiles erant, & strenui pugnatores. Verùm Princeps cum suis secum remanentibus debellatus fuit, & captus non sine magna occisione suorum inimicorum.

Hic finem facit vitæ Martini IV. Codex Ambrosianus, alter Papebrochii sequitur ut infra.

Sed quia viles erant Galeotti, & nullius nominis, non fuit æquale damnum ad Gallicos, qui fuerunt ibidem interfecti, & aliqui capti: qui velut ignari prœliorum maris experti sunt, quod non est ludus in mari. Sicque Princeps ductus fuit

Digitized by Google

VITA
HONORII PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

HOnorius Papa IV. natione Romanus, dictus priùs Jacobus de Sabello Diaconus Cardinalis, fuit electus in Papam in Perusio V. die à transitu prædecessoris sui Martini Papæ die lunæ post octabam Paschæ, scilicet IV. nonas Aprilis. Qui statim inde Romam veniens coronatus, & consecratus fuit Romæ anno Domini MCCLXXXV., seditque annis II. Vacavit autem Sedes à die Cœnæ Domini in hebdomada Sancta usque ad sequens festum Cathedræ Sancti Petri. Hic Honorius Papa nullam ordinationem Cardinalium fecit.

Anno MCCLXXXV. eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, Rex Franciæ Philippus cum Philippo primogenito suo Rege Navarræ, postmodum verò Rege Franciæ, necnon cum Karolo filio suo tunc Rege Aragoniæ nominato, cum Domino Johanne Calveti Cardinali Legato, collecto exercitu magno valde, & prædicata Cruce in toto Regno Franciæ, & concessâ à Papa crucesignatis plenâ indulgentiâ peccatorum, vadit contra Petrum Aragonum accipere sibi Regnum. Transivitque per Tholosam, & Carcassonam, & per Pirpinianum, & Montes Pireneos Cathaloniæ, pervênitque usque Gironam, eamque obsedit & cepit tempore æstivo. Volensque Rex inde ulteriùs procedere contra Barchinonam epidimia gravis exorta in exercitu impedivit. Interim dum hæc geruntur quædam pars exercitus Regis Franciæ obvium habuit Petrum de Aragonia, qui bellum campestre semper declinans, & in lateribus Gallicos oppugnabat.

Et dum hinc inde pugnatur idem Petrus fuit in Bello-oppido vulneratus, & post paucos dies lecto decumbens obiit ex vulnere jam inflicto. Rex autem Franciæ videns exercitum tanta ægritudine laborantem redire cępit cum gente sua, & in reditu infirmatus obiit in Pirpiniano, pridie nonas Octobris anno Domini prætaxato MCCLXXXV. Regni sui anno XV. ætatis suæ anno XLII. Delatumque de Pirpiniano Parisius corpus Regis, & in Sancto Dionysio tumulatum. Cor verò ipsius, prout ipse ordinaverat, in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Parisius est sepultum. Karolus verò præfatus Regnum Aragoniæ non potuit adipisci, fuitque tandem processu temporis inter Romanam Ecclesiam, ac filium, & hæredem memorati Petri de Aragonia

fuit cum suis Messanæ, & carceris custodiæ mancipatus: & quarta die sequenti patre suo veniente Neapolim, Neapolitanos, qui jam post captionem Principis spiritum rebellionis assumpserant, & fugarant Gallicos, qui ibi aderant, & spoliaverant, castigavit; & cum eos tuentibus Ecclesiasticis quasi insçius à suis cruciari fecit. Tandem post multos eventus, qui pleniùs inferiùs describentur D. Rex peracto exercitu in Calabriam ivit, ubi domnus Comes Atrebatensis viriliter se gesserat, ut Pharum transiret, cupiens Messanam civitatem obsidere. Sed quod conceperat tunc adimplere nequiens multa vasa sua in portu Brandi, ne per flatus hyemales vastarentur, aut caperentur ab inimicis, postmodum recludens; reliqua per mare ut passagia custodirent destinavit.

Interea eo tempore Comes Rubeus pater uxoris præfati Guidonis de Monteforti diem clausit extremum. Quo audito ipse Guido de licentia Domni Papæ exercitum Ecclesiæ in obsidione relinquens Urbinate, se transtulit in Tusciam, ut terram quæ sibi spectabat ex morte dicti Comitis, quam impetebat Comes S. Floræ, defensaret. Sicque eodem Guidone in præfata terra manente cum paucis sequacibus, comitiva Comitis Anguillariæ terram ipsam hostiliter invasit, ut ipsum D. Guidonem offenderet. Quod cum sciret idem Guido cum paucis occurrere non tardavit: & quadam die fecit in prœlio contra gentem ipsius Comitis Anguillariæ, sicut testatur eventus: nam ibi sagaciores Tusciæ, & de amicitia ipsius Comitis Anguillariæ ceciderunt, quorum capti fuerunt aliqui, & aliqui interfecti, ipso D. Guidone graviter vulnerato.

Eodem tempore præfatus Domnus Papa malitiam, & nequitiam Reneri Capitanei Urbevetani ultra sustinere non valens exinde discessit die Martis post festum S. Joannis Baptistæ, & secundo die castrum Bledis intravit: deinde gravitate coproris detentus ibidem remansit usque ad diem Dominicam propter festum S. Michaëlis. Tunc exiens dictum castrum in die S. Francisci Perusium intravit: ubi cum ingenti gaudio & honore à Perusinis, qui jam venerant absolvi à sententia excommunicationis supradicta, fuit receptus.

Eodem tempore Comes Toni (*an* Todi?) qui remanserat in obsidione Urbinatum in tantam dementis pravitatis prorupit audaciam, ut Guelfos de Urbeveteri nobiliores, & potentiores suppeditare totaliter videretur. Sed Guelfi sumptis viribus, & invocato D. Guidone de Monteforti, qui eis adhærebat ipsum Renerum cum filiis suis, & tandem omnes Ghibellinos sibi adhærentes ab Urbeveteri turpiter, antequam dictus Guido festinans veniret, ejecerunt. His undique sic occurrentibus parum post Rex Carolus infirmitate gravi concussus est; licèt se quasi non patientem pro viribus suis ostenderet, ut animati fortiùs, & exanimes sagaciùs animarentur, & (non deficerent) ne quidem si Caroli infirmitas nota fieret, quam evadere citò sperabat. Ordinato deinde statu Regni primitus, communicatoque suorum prudentium consilio, salutarique corpore Christi cum unctione extrema susceptis in fideli ipsius Christi Nominis invocatione die Dominica VII. die mensis Januarii in Domino requievit.

Post hunc idem Summus Pontifex audita præfati Regis morte damnosa lugubres voces cum Cardinalibus, & Perusinis, ut decuit, celebrans, ad celerem succursum præscripto Principi, suisque hæredibus, necnon & Comiti Atrebatensi strenuissimo (per cujus industriam inclytæ probitatis animositate decoratam Regnicolæ quamplures potiùs timore, quàm fidelitate præstabant Gallicis obsequium) impendendum, quamdam pecuniæ summam, ferè centum millia librarum Turonensium eidem Comiti destinavit. Et post parum, videlicet die Resurrectionis Domini, quæ fuit dies Annunciationis Virginis glor. postquam celebrasset, solitamque refectionem cum suis Capellanis sumpsisset, arripuit eum infirmitas occulta: ex qua licèt se graviter pati diceret, ejus Physici morbum ignorantes, & tamen asserentes in eo nullum esse mortis indicium, die Mercurii proximè sequenti, circa noctis horam quintam debitum exolvens conditionis humanæ ad Dominum (ut certis opinatur indiciis) migravit. Nam diversarum afflicti (morbis) passionum, & specialiter visus, auditus, & loquelæ, ac ingressus, prostrati circa feretrum, in quo corpus ejus extitit sepultum infra paucos dies, videntibus & adstantibus Clericis, & Laicis quampluribus, multi sanati sunt: nec adhuc quando fuit hæc scriptura compilata XII. Mensis Maji, cessabant ibi miracula. Vacavit Sedes XI. diebus.

MS. Ambrosiani babent & alteram vitam ejusdem Martini IV. sed quia ea est eadem, paucis omissis, quæ legitur in Bernardo Guidonis à nobis superiùs data, opportunum duximus ipsam omittere.

Digitized by Google

nia cum consensu Regis Franciæ Philippi, & memorati Karoli concordatum, & aliter ordinatum.

Anno Domini verò sequenti MCCLXXXVI. in Tholosano Caturcino, & circumvicinis locis, & Regione, fuit magna epidimia, atque mortalitas hominum subsecuta.

Tempore Honorii Papæ IV. Fratres Carmelitæ mantellos barratos ex albo & nigro, seu griseo variatos, quos antea portaverant, & tunc portabant, & cappas albas commutaverunt. Anno Domini MCCLXXXVI. Rex Angliæ Eduvardus venit in Gasconiam, & inde in Cathaloniam pro liberatione Karoli filii quondam alterius Karoli primi Regis Siciliæ, ipsum visitaturus, & cum Alphonso tunc Rege Aragonum de concordia tractaturus.

Hic Honorius Papa obiit Romæ in Cœna Domini, fuitque sepultus in die Parasceve Sancta juxta Nicolaum Papam III. in Ecclesia Sancti Petri anno Domini MCCLXXXVI. in fine scilicet illius anni, vacavitque Sedes usque ad sequens festum Cathedræ Sancti Petri. (1)

VITA
NICOLAI PAPÆ IV.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Nicolaus IV. natione Lombardus de Esculo civitate de Marchia Anconitana electus ad Pontificalem Cathedram eamdem ascendit in festo Cathedræ Sancti Petri anno Domini MCCLXXXVII. secundùm illos verò qui annos Dominicæ Incarnationis computare incipiunt in Natali, scribitur MCCLXXXVIII. seditque annis IV., & tantum ampliùs quantum est à festo Cathedræ Sancti Petri usque ad hebdomadam Sanctam in Parasceve Sancta. Vacavit autem Sedes annis II. mensibus quasi tribus.

Hic priùs vocabatur Frater Hieronymus de Ordine Fratrum Minorum quorum Minister fuerat Generalis, & exinde Presbyter Cardinalis.

Hic Nicolaus Papa fecit Presbyterum Cardinalem Fratrem Hugonem de Bilonno Ordinis Prædicatorum, Magistrum in Theologia, & Magistrum Mathæum de Aqua-Sparta Ministrum generalem Ordinis Fratrum Minorum Episcopum Portuensem, Pontificatus sui anno primo.

Anno Domini MCCLXXXIX. alii verò malè scribunt MCCLXXXVIII. in fine mensis Aprilis dum litaniæ fierent Sancti Marci, Tripolis civitas capitur à Soldano, & Sarracenis, fueruntque capti ibidem & occisi, & aliter captivati plures Christiani, & Christianitatis nomen & cultus deletum est ex eadem. Eodemque anno Domini MCCLXXXIX. oritur discordia inter Regem Franciæ Philippum, & Angliæ Odoardum, pro qua sedanda mittuntur duo Cardinales à latere Papæ, scilicet Benedictus Gaytani, & Gerardus de Parma; sed modicum profecerunt.

Eodemque anno memorato Karolus Princeps Rexque Siciliæ futurus de carcere liberatur, dimissis ibidem duobus filiis suis obsidibus pro pactis habitis observandis. Anno Domini MCCXCI. à captione civitatis Tripolitanæ ferè biennio jam elapso in festo Sanctæ Potentianæ Virginis XIV. Kalendas Junii Achon civitas capitur à Sarracenis, & occisis ibidem plusquam XXX. millibus personarum utriusque sexus.

Causa autem perditionis ejusdem fuisse fertur multitudo Dominorum, & diversitas nationum ibidem, quæ faciebant contrarietatem voluntatum. Tradunt etiam causam aliam extitisse transfretationem quorumdam fatuorum, quibus Nicolaus Papa crucem fecerat prædicari. Et euntes in Achon injuriabantur Sarracenis, qui cum mercimoniis in Achon veniebant; unde provocatus Soldanus venit cum magno exercitu & cepit violenter, ac destruxit civitatem, & extirpavit omnes Christianos de terra. Anno Domini MCCXCI. Radulphus Rex Alamanniæ moritur sine benedictione Imperiali, & apud Spirram civitatem Alsassiæ sepelitur, Regni sui anno XVIII. Hic fuit in armis strenuus, & Princeps providus.

Hic Nicolaus Papa obiit Romæ in Parasceve Sancta. Sepultusque fuit in Sancta Maria Majori terminante anno Domini MCCXCII., vel inchoante anno Domini MCCXCIII.

Anno Domini MCCXCII. Electores Imperatoris

HONORIUS.

Ex altero MS. Bibliothecæ Ambrosianæ.

(1) Honorius Quartus, natione Romanus, dictus priùs Jacobus de Sabello Diaconus Cardinalis, electus fuit in Papam in Perusio IV. Non. Aprilis, qui statim inde Romam veniens coronatus, ac consecratus fuit Romæ, seditque II. annis, & vacavit Sedes à Cœna Domini in Hebdomada Sancta, usque ad sequens festum Cathedræ Sancti Petri. Eodem anno Domini MCCLXXXV. tempore, quo solent Reges ad bella procedere, Rex Philippus Franciæ cum filio suo Philippo Rege Navarræ postea verò Rege Franciæ, nec non & cum Carolo filio suo tunc Rege Aragonum nominato, & cum Domino Johanne Gauleti Cardinali Legato, collecto exercitu magno valde, & prædicata Cruce in toto Regno Franciæ, & concessâ Cruce-signatis, plenâ Indulgentiâ peccatorum, vadit contra Petrum Aragonensem accipere sibi Regnum, pervenitque usque ad Gironam: eam obsedit, & cepit tempore æstivo, volensque exinde procedere contra Barchinonam, epydemia gravis exorta in exercitu impedivit. Interim dum hæc geruntur quædam pars exercitus Regis Franciæ obvium habuit Petrum de Aragonia, qui bellum campestre semper declinans, in insidiis & lateribus Gallicos oppugnabat, & dum hinc inde pugnatur idem Petrus fuit in bello vulneratus: & post paucos dies lecto decumbens obiit ex vulnere jam inflicto. Rex autem Franciæ videns exercitum tanta ægritudine laborantem, redire cœpit cum gente sua: & in reditu infirmatus obiit in Pirpiniano, pridie Nonas Octobris, anno prædicto Regni sui decimo quinto, ætatis suæ anno XLII. delatumque fuit corpus ejus Parisius, & in Sancto Dionysio tumulatum; cor verò ipsius, prout ordinaverat, in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Parisius est sepultum. Carolus verò præfatus Regnum Aragoniæ non potuit obtinere, fuitque tandem processu temporis per Romanam Ecclesiam, & filium, & hæredem memorati Regis Petri de Aragonia cum consensu Regis Franciæ Philippi, & memorati Caroli concordatum, & aliter ordinatum. Tempore Honorii Papæ IV. Fratres Carmelitæ Mantellos barratos ex albo, & nigro, seu griseo variatos, quos antea portabant, & tunc portaverant, in Cappas albas mutaverunt. Eodem anno Rex Angliæ Eduardus venit in Vasconiam, & in Cathaloniam pro liberatione Caroli, filii quondam alterius Caroli Primi Regis Siciliæ ipsum visitaturus, & cum Alfonso tunc Rege Aragonum de concordia tractaturus. Hic Honorius Papa obiit Romæ in die Cœnæ Domini, fuitque sepultus in die Parasceve Sancta juxta Nicolaum Papam III. in Ecclesia Sancti Petri anno prætaxato. (*Papeb. addit* & vacavit Sedes à die Cœnæ Domini in Hebdomada Sancta, usque ad festum Cathedræ S. Petri.)

Digitized by Google

toris tam Principes, quàm Prælati congregati elegerunt in Regem Alamanniæ Radulphum Comitem de Anaxone, virum in armis strenuum, sed in potentia non multum. (1)

VITA COELESTINI PAPÆ V.

OPUS METRICUM (1)

Jacobi Cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum, coævi & in Papatu familiaris.

Ex duobus Codicibus MSS. cum notis Danielis Papebrochii.

EPISTOLA DEDICATORIA.

RELigiosis viris, amicis cariſſimis, Abbati & Conventui Monaſterii Sancti Spiritus de Sulmone, Ordinis S. Benedicti, Valvenſis Diœceſis, Jacobus, miſeratione divina S. Gregorii ad (2) Velum-aureum Diaconus Cardinalis, ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.

G*Randem nobis admodum, mirandamque cunctis hiſtoriam, quam dudum per nos heroico metro inchoatam proximæ vacationis* (3) *præteritæ tempore devotione perfecimus, Vitam* [*ſcilicet*] *mores, regulas, electionem ad Papatum, geſta in eo; renuntiationem, obitum, canonizationem; poſtremò quoque miracula Sancti Confeſſoriſque mirifici, Fratris Petri de Murrone, quondam Cœleſtini Papæ Quinti, Ordinis veſtri ac Obſervantiæ præcipui ſub B. Benedicti Regula Fundatoris, nec non eiſdem interjectam felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi coronationem, ipſiuſque ſolennia, ardua (ni fallimur) Rhetoricâ, veridicâque deſcriptione ſuffultam, ſuccinctamque proſam, ejuſdem hiſtoriæ materiam enodantem, unà cum Vobis dudum* (4) *deſtinatis Reſponſoriis tribus, Alleluja, Verſibus, in litera cantuque, ac Orationibus tribus per nos de ipſo Confeſſore compoſitis, nunc vobis primum ac Ordini veſtro lætâ animi jucunditate tranſmittimus; etſi non apprime, utcumque tamen, ceu negotiorum ingruentia fuit, aliquali diſcuſſione correctam. Hanc igitur gratè miſſam, grata, quæſumus, familiaritate ſuſcipite; tantòque illius fidentiùs vacate ſermonibus, quantò eadem, non ex præcedentium Scriptura pulchrè, velut ex imaginibus fictis, depingitur; ſed ex geſtorum potiùs forma certè, ac ſi ex veritatis radiis, deſignatur: eoque interdum deficientes nos ſupportare benigniùs, quo non in illa novum ex veteri cudimus, ſed ex novo novum in opere metrum, ubi gnarus negligit formam. Et idcirco ſtudentis ingenium vigilet; manus tamen abſtineat, lingua dometur; ne fortaſſis incautus id corrigat, quod in illo velox ignorat; præſertim cùm nec correctores tot exigat quot idem lectores expoſcit: & nos, ſi tempus adfuerit, repetita ipſum lectione recurrere, recurſum diſcutere, diſcuſſumque corrigere properemus. Cæterùm præſentem librum, præfatam metri proſæque continentem hiſtoriam, quem per Religioſum virum amicum noſtrum cariſſimum, Fratrem Antonium de Yſernia, Monaſterii veſtri Priorem, Sancto devotum & Ordini, ipſiuſque libri à nobis aliqualem introductionem habentem, duximus deſtinandum; cujus originalem* (5) *penes*

NICOLAUS.
Ex altero MS. Bibliotheca Ambroſiana.

(1) NIcolaus IV. natione Lombardus, de Eſcula civitate de Marchia Anconitana electus ad Cathedram Pontificalem, eam aſcendit in feſto Cathedræ Sancti Petri anno Domini MCCLXXXVIII. feditque annis IV. & tantum ampliùs, ſicut fuit de feſto Cathedræ Sancti Petri, uſque ad Septimanam Sanctam, vacavitque Sedes annis II. & menſibus quaſi tribus. Hic priùs vocabatur Frater Hieronymus de Ordine Fratrum Minorum, quorum Miniſter fuerat Generalis, & exinde Presbyter Cardinalis. (*Papeb. addit* Sanctæ Pudentianæ, ac deinde Epiſcopus Peneſtrinus; poſtea Papa ad Cardinalatum promovit D. Neapolionem, D. Petrum de Columna, Generalem Minorum Fratrem Matthæum de Aqua Sparta, Fratrem Hugonem Magiſtrum in Theologia Ordinis Prædicatorum. D. autem Hieronymus, dum eſſet Cardinalis, imminente electione Summi Pontificis, clauſis Cardin. in S. Sabina, cæteris propter infirmitatem locum fugientibus, ſolus ibi remanſit, & ſanus.) Hic Nicolaus, (*Papeb. addit*) [cùm Pontifex eſſet] Papa anno Domini MCCLXXXIX. in fine menſis Aprilis, dum Lætaniæ fierent Sancti Marci, Tripolis civitas capitur à Soldano & Sarracenis, fueruntque capti ibidem, & occiſi, & alias captivati plures Chriſtiani, & Chriſtianitatis nomen, & cultus deletum eſt ex eadem. Eodem anno à captione civitatis Tripolis, ferè biennio jam elapſo, in feſto Sanctæ Potentianæ virginis Achon civitas capitur à Sarracenis, & capiuntur, & occiduntur pluſquam triginta millia perſonarum utriuſque ſexus; cauſa autem hujus perditionis fuiſſe dicitur multitudo Dominorum, & diverſitas nationum, quæ ibidem faciebant diverſitatem voluntatum. Anno Domini MCCXCI. Radulphus Rex Alamanniæ moritur ſine benedictione Imperiali, & apud Spiram civitatem ſepelitur Regni ſui an. XVIII. (*Papeb.* expleto.) Hic fuit in armis ſtrenuus, Princeps providus. Nicolaus Papa obiit Romæ in Paraſceve Sancta, ſepultuſque fuit in Sancta Maria Majore, terminante anno prædicto XCI. Anno ſequenti Electores Imperii, tam Prælati, quàm Principes congregati elegerunt in Regem Alamanniæ Radulphum quemdam Comitem de Enaxone, virum quidem in armis ſtrenuum, ſed in potentia (, *Papeb. pro* potentia *legit* patientia) non multum.

COELESTINUS.

(1) Codex Vaticanus, neſcio an etiam Sulmonenſis, veluti communi totius operis titulo inſcribitur, *Vita S. Cœleſtini V.*

(2) Ita MS. Vaticanum. Ecgraphum Sulmonenſe ubique ſcribit *Vellus-aureum*: nec abludit ab ingenio auctoris, infra clariùs noſcendo, ut quod antiquis *Velabrum* erat, Tibullo notum & uſque hodie (admirabili conſtantia & in ſimilibus rariſſima) *Velabro* dicitur; ipſe pari jure putaverit à ſe dici poſſe *Vellus-aureum*, quo medii ævi auctores, Latinitatem minimè Latinam affectantes, ipſum dixerunt *Velum-aureum*. Veroſimile eſt fuiſſe forum minutarum mercium, quando venditores *Velabros* appellatos teſtatur Papias apud Cangium.

(3) Vacavit Sedes Pontificia ab obitu Clementis V. anno 1314. 18. Aprilis, ad electionem Joannis XXII. an. 1316. 5. Setembris: & hæc epiſtola infra notatur data 1319. 28. Januarii.

(4) Veroſimiliter primo anno poſt totius operis abſolutionem: quod tamen tunc pariter non miſit, quia volebat illud per otium corrigere: ipſa autem ad calcem libri denuo deſcribenda curavit, cum eâdem cum qua fuerat miſſa Epiſtola, ubi & nos ea dabimus.

(5) *Originalem* vocat, non quaſi autographum, ſed ex autographis ſchedis ordinatè & charactere pulchro deſcriptum à librario; ſed (ut infra apparebit) non ubique aſſecuto mentem ſui auctoris: qui utinam otium habuiſſet ſingula relegendi ad ſuas ipſius Schedas! inveniſſet enim præcipitem librarium, ſæpe interlineationibus lituriſque deceptum, mutato ordine verborum, quandoque & linearum, ſenſum non raro reddidiſſe vix intelligibilem per conjecturam, præſertim in proſa; nam in carmine ipſa ratio metri vacillantem ſcriptorem dirigere poterat. Eatenus etiam Sulmonenſe MS. dici *Originale* poteſt, quod Vaticanum, & ſi qua alia alicubi extant, inde accepta ſunt.

Digitized by Google

nes Monasterium vestrum Sancti Spiritus de Murrone propè Sulmonem perpetuò manere decrevimus. Cujus interim Fratribus & Conventibus Ordinis vestri, maximè ubi studium vigeat, sæcularibus etiam dari permittimus: proviso quod liber hic, quasi originalis, de Monasterio ipso non transeat, quodque ipsius extracta copia veraciter, punctatim, cum interlinearibus sive glossulis (6) *ibi positis concedatur. Alioquin quod veremur accideret, ut ignotus liber redderetur ignotior, criminaretur absque culpa compositor; & quod quàm maximè vitandum est, ut futura ex præsentis operis inspectione ad Sanctum devotio decresceret, quam speramus. Valeat Charitas vestra in Christo Jesu, apud quem Sanctum pro me peccatore adhibere propitium, vestrarum orationum suffragiis exoratum. Datum Avenione, die vigesima octava mensis Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono.*

P R O S A.

In hujus totius triplicis operis metrici præcognitionem.

PARS I.

Præfatio Auctoris de seipso; operisque sequentis forma, materia, causa, utilitate.

I. QUoniam id versatur in animo cujusque, cudentis exordium novi rerum gestarum operis, sic fata prosandaque in illo, præsertim metri cælata coloribus, venustis declarare præambulis (1), *ut styli gravitas suis floribus radians perseveret in culmine, & scriptitatæ rei pateat veritas velata carminibus; idcirco, juxta doctrinam Analyticorum Philosophi, dicentis, omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiva ex præexistenti fit cognitione; quædam nobis operæpretium est præcognoscenda præmittere; quibus* [*in decursu*] *hujus operis doctrina docentis eniteat, & dicentis disciplina coalescat; quod efficitur, si materia operis, auctoris* (2) *intentio, forma voluminis, ac ejus efficiens causa, gestæque rei utilitas, proferantur.*

II. Materia quippe nobis duplex ingeritur; una brevis succinctaque, nondum stylo manu apposita, sed voto præconcepta; metro videlicet, cujusvis Romani Pontificis consecrationis mysteria, coronationis insignia, processionisque Cleri solennia, veteresque ritus in illis intexere, quod versibus trecentis vel circiter expedire futurorum insciis spes pollicebatur; altera longior prolixiorque, Deo nobis opitulante; reipsa quoque, & successione temporum (ut infra pandetur apertiùs) ministrante materiam stupendam; quod est Fratris Petri de Murrone Eremitæ ad Papatum electionem, arduam vitam, succinctam Aquilæ coronationem, aliaque ejus Papatus gesta depromere; mirandam quoque Papatus ejusdem cessionem non præterire, illiusque præviæ longæque, nec quietæ vacationis acta reserare; nec non Bonifacii Octavi consecrationis coronationisque insignem Romæ triumphum exornare; postremò (licet post annorum quindecim versificandi desuetudinem) insertum polo Eremitam canonizationis laudibus extollere, quòd millibus metrorum tribus vel fermè complexi sumus [*pro rerum varietate.*]

III. Intentio liquet in opere, ut [*eo*] *perfecto juvenilis inexpertique tunc ardor ingenii exercitatione proficeret, ac indescriptus dudum Pontificis Summi triumphus florida metri venustate coruscaret; nec non, quin imò præcipuum, Dei laus, honor & gloria, Sancti Sanctorumque Dei præconium, ardor proximi, rerum cognitio; consulere posteris, prodesse præsentibus; mereri in via, præmiari in patria.*

IV. Forma voluminis est partita bifariam: una quidem est forma tractandi, quæ agendi modum complectitur, qui & narrativus, historicus, descriptivus, & demonstrativus existit demonstratione Rhetorica; quæ dicto Tullii est, cùm ita res nobis exponitur, ut geri negotium, & res ante oculos esse videatur; exclamativus insuper, prolocutivus, suasivus, dissuasivus, metricus, hexameter, heroicus, idemque dactylicus; & ut sit ad unum ducens, narrativus, veridicus, totusque rhetoricus, varia siquidem vernans florum colorataque redunitione. Altera [*est*] *forma tractatus, quæ operis in libros, ipsorumque in partes sectionem sortita est.*

V. Sed & operis movens efficiensque hujus causa est multiplex. Prima per se sufficiens, dirigens, effectiva; ipsa finis, ipsa principium, ipsaque perficiens Deus: cujus ope freti donoque nixi, [*ipsum*] *suscepimus complevimusque. Secunda, coadjuvans, assistens, finiensque suffragio; scilicet post Dei Genitricem almam, Matrem & Virginem Mariam; postque Apostolorum Principes, bases Ecclesiæ, Petrum & Paulum; Confessor almificus, Frater Petrus de Murrone, Eremita tunc, futurus vivens Cœlestinus, quandoque præteritus, nunc cœlestis, idemque perpetuus, cujus hoc præcipua laus versatur in opere. Tertia, ministerialis instrumentalisque causa labentis metro dictaminis: hunc scito, qui noscere desideras, hunc quidem* [*esse*], *qui ex veridica re, veluti præsens, videns, ministrans, palpans, & audiens, notusque Pontifici, quin Pontificibus carus, impactam compegit metrisque refudit historiam; Dominum Jacobum nomine, cognomento Cajetanum,* [*Diaconum Cardinalem*] *S. Georgii* (3) *ad Velum-aureum;* [*natum*] *juxta Venerabilem Dei Genitricis Ecclesiam, quondam dictam Tabernam* (4) *meritoriam, utroque parente antiqua nobilitate conspicuum.*

VI. Nam Petro Stephani, patre; matre verò, Per-

---

(6) Omnes istæ glossulæ in ecgrapho nostro accuratè transcriptæ habentur; eas tamen solas in Annotatis dabimus quæ magis ad rem facere videbuntur, addito * ut appareat Auctoris esse, non nostras.

(1) Ipso in principio adeo distorta erant omnia, ut vitandæ offensionis causa coactus fuerim transponere verba; quæ sic inveni ordinata, seu veriùs perturbata: *Quoniam id cujusque novi rerum gestarum operis cudentis exordium versatur in animo, sic facta profandaque venustisque in illo præsertim metro celata coloribus declarare præambulis.* Post hac opus nusquam erit tanta licentia uti, sed modica unius alteriusve verbi transpositione licebit sensum integrare in hac Prosa: nec tamen scrupulosè notabo singula, cùm id non videro ad fidem historiæ pertinere: quæ autem [ ] inclusa invenies, scias sensus supplendi causa à me esse adjecta.

(2) Qui *Actorum* dixerit pro *Auctore* hactenus non inveni: ne autem mysterium aliquod latere hic putet quisquam observo quòd lib. 3. v. 358. & postea sæpius Deus dicatur *Actor humani generis*: quare, licet fere semper sic scriptum inveniam, incunctanter ubique ponetur *Auctor*, cùm ex mente ipsius Auctoris idem sit.

(3) Ecclesia *S. Georgii in Velabro*, seu *Velum-aureum* in IX. Regione Urbis, Ripæ dicta, sub Monte-Palatino.

(4) *Taberna meritoria*, secundùm nostrum Alexandrum Donatum, accuratissimè cuncta scrutatum, eo loco fuit ubi nunc est Ecclesia S. Mariæ trans-Tiberim. Cùm autem infra se

Digitized by Google

Perna (5); altero de Stephani filiis, seu Stephanen sium, altera de filiabus Ursi, seu Ursinorum domo progenitis, cujus utriusque utcùmque commeminit in metro: patre, tam armorum strenuitate, quàm justitiæ rectitudine, & propinquorum amicorumque constanti dilectione clarè noto; matre autem, charitate pia, sanctitate præcipua; ambobus prole ditatis. Altera juventa, alter (6) senecta piè Christianèque præsente luce subtracti, occubuere. Hic igitur post rudimenta grammaticæ, adolescentiæ, pubertatisque primordiis scientiarum fonte [potatus], Parisius (7) liberalibus Philosophiæ disciplinis traditus, adeò Dei munere profecit, ut nondum triennio elapso, scholarum tantùm illarum libris aliquibus cursim prælectis, in facultate, quam liberalium Artium vocant, magno favore magnaque sui decentia, meruerit obtinere licentiam, ac magna è vestigio solennitate, laudeque non minima Cathedram Magistralem ascendere, qua eum profecisse, erudiisse, & docuisse constat.

VII. Dehinc inibi (invitus tamen, cùm totus Philosophiæ, Sacræque Paginæ speraret insistere) majorum suorum jussu, Canonico; rediensque in partes Italiæ, Civili juri legumque apicibus, sub magnæ profunditatis præceptoribus, modico tempore, adeò non minus eruditione & ingenio in iisdem coaluit, ut nedum auditos difficiliores ex illis libros sensu caperet, sed memoriâ teneret; quin & alios idem instrueret. Ac interdum, absque instructore nisi seipso, Lucani vacans acumini Virgiliique rhetoricæ suavitatis profluo, unius gestæ arduitatem, alterius fictæ rei subtilitatem, ac amborum styli gravitatem altitudinemque circumspectans; horum ut præfati sumus brevem librorum, succinctamque materiam (quarto scilicet Nicolai Papæ Quarti anno, tunc existens Subdiaconus) exorsus (8) propè est; eoque Ordinis manens gradu, primum prolixiorem Cœlestinum quondam; deinde in Romanæ Ecclesiæ Levitam Cardinalem per Bonifacium Octavum, Pontificatus ejus anno (9) secundo, gloriosissimi invictique Martyris Christi Georgii ad Velum-aureum, dono Dei, ejusdemque Martyris præsidio, ejusdem Bonifacii secundum perfecit opus: cujus nunc Prosam hanc (vacationis tempore, scilicet post Clementis Quinti obitum, anno secundo, Cardinalatus vigesimo labente) Valentiæ Viennensis Provinciæ commorans, canonizationisque hujusmodi metrum, favente ipso [Petro] Sanctorum Catalogo adscripto, inexcogitato, laudabili, præclaroque fine terminavit.

VIII. Narratæ verò rei gestæ utilitas ex multis irradiat. Nam eâ notâ datur temporum curricula noscere, illorum varietates meditari, illincque cautiores reddi; altisonis patrum modis assuescere, disertè loqui, discrimina fugere, mores imitari; nec minus consecrationis, coronationis, processionisque in illis Romanorum Pontificum, postremò quoque Sanctorum Canonizationis observantias celebres ceremoniasque sacras non obliturari negligique; sed in eis scripturâ renovare memoriam, exercitationem, habitum; ut cùm iis opus fuerit, facilè [sit] inspectione nota, facere applicationem facti; eoque ampliùs Confessorem Eremitamque Petrum revereri, ejus imitari vitam, vestigia subsequi, flagitare suffragium datur; nec non exemplo etiam ejus ad se ab ipso summo gradu redire, vires metiri, illius non ambire accessum cacuminis, cujus Eremitam Petrum formido titillabat: ut sic [castigatâ] quorumdam inexperientiâ (qua, veluti contemplatione sic perfectos actione [se] autumant) quiescant altiora actu se quærere, qui inferiora ea esse contemplationis visu cernebant: præsertim cùm nec scientiarum cumulus, ubi desit vita, eademque [etsi] adsit interdum, aliquos [bene in] regimine attollat, si actionis mater relegetur exercitatio: quinimo actus exercitus probataque scientia, status preaminentiâ persæpe [&] opum luxusque tentationibus vacillet: quod B. Gregorius, contemplatione sublimis ac actione præcipuus, summo culmine præsidens, (10) Cap. IX. Pastoralis nos instruit, inquiens: Quamvis plerumque in occupatione regiminis ipse quoque boni operis usus perdatur, qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari, rectè navim etsi imperitus nauta dirigit; turbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus se nauta confundit.

PARS II.

Historiæ in hoc opere tractandæ synopsis.

IX. Ut [autem] metro comprehensæ prolixioris, longiorisque materiæ series ordinata reluceat; scito, quòd anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo [secundo] Nicolaus Papa Quartus, Pontificatus sui (1) quintum annum agens, ipsiusque quinti principio, senio Romæ confectus obiit: Cardinales verò numero duodecim, Romani sex, Italici quatuor, duo Gallici erant. Qui Pontifici

se dicat. Auctor natum *Fluvii trans tiberis amnem*, & prope S. Georgii Ecclesiam nulla sit *Dei Genitricis* titulo nota; apparet necessitas interponendi vocem, *natum*, in contextu alioqui non intelligibili.

(5) Fallor, nisi nomen *Perna* fit à nomine *Petrina*, dimunitivo feminino à Masculino *Petrus*: ex eo autem quod Romanum se atque ex Stephanensibus natum ipse auctor testetur, rectè Ciacconium correxit Oldoinus, arbitratum post alios, hunc quoque fuisse Bonifacii VIII. nepotem, sicut fuerunt Franciscus & Benedictus Cajetani, alter à Cœlestino alter à Bonifacio promoti, sed Anagnini. Quare si inter istos & Auctorem nostrum fuit aliqua consanguinitas, ea debuit tam remota fuisse, ut nequiverit venire in considerationem.

(6) MS. iterum, *altera* sed adjectivum plurale masculinum *subtracti*, & res ipsa indicat de utroque parente agi, adeoque necessariam fuisse correctionem.

(7) MS. *Parvulus*: sed legi debere *Parisius*, ubi studuerit auctor, declarat mox sequens particula *inibi*, utique referenda ad nomen loci, quod sub mendo lateat: cùm autem post Artium studia consequenter dicat redivisse se *in partes Italiæ*; appatet illa trans montes absolvisse, nec erat ea ætate famosius ullum quam Parisiense studium.

(8) Nihil enim defacto scripsit, sed solum cogitavit scribere, ut supra dixit.

(9) Errasset igitur Ciacconius ejusque Continuatores, cùm primæ Cardinalium Creationi, factæ Pontificatus anno 1. 17. Decembris assumtum Jacobum scribunt, nec aliam post hanc agnoscunt creationem ante an. 1298. 14. Decembris. Non potest tamen diu differri creatio Jacobi & aliorum fortassis nonullorum primæ Creationis attributorum à Ciacconio & aliis: sed facta esse debuit in quatuor Temporibus proximè sequentis Quadragesimæ, puta 14. Februarii (siquidem Pascha anni. 296. actum est 25. Martii) quia ipse Jacobus mox ait annum Cardinalatus vigesimum sibi labi anno 1315. mense 15. Sedis vacantis, id est mense Septembris.

(10) Numerus Capitis scriptus erat per zyfram 9. itaque etiam infra Capita operis hujus per zyfras notantur, quas si ipsemet auctor usurpavit, sequetur usum earum anno primum 1240. ostensum Europæ, citò dispersum fuisse per omnes Provincias.

(1) Ordinatus enim Nicolaus IV. fuit an. 1288. 25. Febr. die S. Matthiæ (utpote anno bissextili) & obiit an. 1292. die 18. Aprilis.

Digitized by Google

tifici persolutis obsequiis, propositoque clausim inter vos [*seclusis extraneis*] *per Latinum tunc Ostiensem Episcopum, Romana stirpe clarum exhortationis verbo perlucido; adeo haud concordes* [*fuerunt*], *ut nec loco eodem consistere convenirent, nec ante secundum annum tertiique partem tertiam vacationis hujusmodi, Antistitem summum crearent; sed nunc uno, nunc alio urbis loco vicibusque interceptis pro electionis ministerio conveniebant. Intestina Romæ interea, proh dolor! exorta bella, affligensque ultra solitum æstas morbis ingruebat: unoque è Patribus Gallo febribus deficiente* (2); *Campanus ex illis unus, idemque post hæc Bonifacius Octavus, gravi longa, chronicaque concussus infirmitate, ita ut de ejusdem diffideretur curatione, Dei tamen nutu ad majora reservatus, ad patrium solum Anagniam discessit. At alter Ugo Alvernus, unicus superstes Gallus, tresque alii è Patribus Italici, timore perculsi, Româ digressi, Reate æstivavere; Romani verò sex Patres, consanguinitate juncti, sed volitis discreti, urbe consistere præcipua. Septembri autem transactis æstatis caumatibus, Campanus, Portuensis quoque Tudertinus, Sabinensis;* & *in Paschate è Patribus* [*Italicis unus*] *Parmensis natu, Romam reversi, nec adhuc consensu unanimes reperiuntur fore.*

X. *Hæc inter, in Romani Senatus regiminisque renovatione perniciosa, execranda nec nobis scriptis referanda sex mensium spatio increbuere: qua tumultuatione tres è Romanis Patribus minus validi, Tudertinusque Parmensisque prædicti, æstivare Reate reaccedunt. Campanus Viterbii secum agebat solus: reliqui tres Romani Romæ persistere moliebantur, nec eorum morâ intestini discrimina belli* [*sunt*] *profugata. His ita* [*se habentibus*] *schismatis incessit timor; ne vel Romani tres, tunc* [*in*] *Urbe commorantes, loci ut fatebantur Privilegio* (*ut qui alios non Romanos scriptis præsolicitaverant*) *vel etiam alii Romani tres cæterique Patres Reate, longè numero plures, in electionem prorumperent. Sed nolens suam, quam pretioso unigeniti redemit cruore, perire Deus Ecclesiam, schismatis pericula ademit. Nam Patres, ex compromissi vi, in exteros communiter collata, pro electionis instantis negotio, electo per arbitros Perusii loco, perque eosdem festo B. Lucæ Evangelistæ, tunc satis proximo, secundo scilicet vacationis anno, termino assignato, convenerunt. Eoque quo Perusii Cardinales convenere tempore, Romæ sub quadam pacis umbra quies apparebat, dum partium concordia ad gubernacula Urbis, in Senatores generis nobilitate clari duo assumpti, Petrus scilicet Stephani, Auctoris genitor, de quo supra disseruimus,* & *Oddo de S. Eustachio alter. Transacto ferme biberno tempore, Carolus Secundus Siciliæ* [*Rex*] *de Gallicis rediens, Carolusque Martellus Ungariæ hujus major natu filius, de Apuliæ partibus patri occurrens, Perusii visere cœtum convenerunt: hortatusque Rex pater de celeri provisione Collegium, responso sibi per Latinum ejusdem cœtus jussu directo, dictoque infra paucos dies Valete, in sui Regni partem Apuliam profectus est.*

XI. *Lapsis ex tunc confestim vacationis hujusmodi annis duobus, quartaque tertii parte, mensis Julii principio, infra Apostolorum scilicet Octavam, nata mirificè* [*mentione*] *Fratris Petri de Murrone Eremitæ, visionis cujusdam occasione; eodem Latino, inter Fratres Patresve Cœtus visionis ipsius ex inopinato verbum movente; subito Dei nutu, idem religiosæ* & *miræ sanctitatis vir Frater Petrus de Murrone Ordinis S. Benedicti, cellâ in Monte de Murrone super Sulmonem sitâ manens, in summum unanimi voto unanimique consensu Patrum electus est Pontificem: qui suscepto decreto electionis ad se* [*misso*] *per Lugdunensem Archiepiscopum, Episcopos duos, duosque Apostolicæ Sedis Notarios, à Cœtu ad id destinatos, inductus consensit; eumdemque ad se Aquilam Aprutii Provinciæ accivit invitum,* & *literis precibusque reluctantem. Sed tandem, Fratrum animis devictis, præsertim tribus è Patribus huc* [*non*] *missis eum adeuntibus, sanctæque memoriæ Latino tunc recenter obeunte, Petri nomine in Cœlestinum commutato, Papalibusque susceptis insigniis, venire ubi morabatur Aquilam adegit: ac consecrationis suæ sacræ mysteria, ab Ugone unico superstite Gallo, in Ostiensem festivè à reliquis Patribus promoto, ac Matthæo Rubeo Levitarum primo, jam præsente Cœtu, Pallii Coronationisque insignia in eadem urbe Aquila suscepit. Quæ festinè describere, principale Auctoris intentum præcurrit: nam quo tempore Cœlestini Aquilæ peractam Coronationem scriptitaturus* [*fuerat*], *eo jam Romæ Bonifacius Octavus, ejus successor, servatis priscis majorum cæremoniis, coronatus celeberrimè erat. Qua de re etiam, heroico versibusque composito grandique metro, ipsi* (3) *Bonifacio nescienter Regni diadema destinavit, inquiens;*

Scripsimus hæc properè, nostras laxare camenas
In successoris sacri vestigia proni.

XII. *Regredimur. Hic Cœlestinus Papatu manens, multa* [*fecit*] *ne dixerim inepta, sed utinam sic notâ indigna laudeque digna perfectaque forent, veluti ejus sancta eremo transacta flagitabat vita. Celebrata deinde mense Septembris Cardinalium duodecim ordinatione, cùm Romam, revolutis æstivi fervoris mensibus, migraturus putaretur; pacis Siculæ causâ ductus, seductusve eâ, illoque allectus colore, Parthenopem deflexit iter: inibique commorans, mirares! grande sanctitatis supernæque complexus est vacationis signum. Invitis profectò dissuadentibusque nonnullis, sui præsertim dogmatis* (4) *Fratribus, renitentibusque, ubi se didicit posse, velle se renuntiare, facilè ostendit. Siquidem mense Decembris festo B. Luciæ Virginis, ubi de ipso jam cedendi præscita exulabat opinio, in sacri Cœtus manibus Supremi Papatus culminis honori onerique cessit. Quam renuntiationem Patrum Senatus, miris tantis stupens, fusis hinc inde lacrymis, magna veneratione acceptam suscepit; sancita prius, ad omnem profligrandum perniciosæ ambiguitatis scrupulum, Patrum assensu lege, quòd possit Romanus Pontifex, maximè si insufficientiæ subsit causa, Apostolatus Summo supremoque culmini cedere.*

XIII. *Extemplo, post hujusmodi Cœlestini cessionem die undecima, vigilia scilicet Natalis Domini, quæ labentis tunc millesimi, ducentesimi nonagesimi*

(2) *Joannes Cholet* hic fuisse videtur, qui corpus suum in Gallias transferri fecerit, ad S. Luciani Belluacensis Ecclesiam magnificentissimè sepultus, positâ etiam supra tumbam argenteâ ejus statuâ, & epitaphio quod sic finitur:
Annus depromens octo de mille trecentis,
Augusti Nonas quarto, lux est morientis.

(3) MS. *Qua de re ejus ipso nec sciente Bonifacio:* ex quibus verbis nullum sensum facientibus, leviter mutatis, hoc videmus dici, quòd, dum scripsit se ista servare, in tempus successoris futuri, licèt de Bonifacio tunc adhuc nihil cogitans, designaverit tamen ejus Pontificatum grandi metro describendum; sicut postea fecit: & hinc porrò sequeretur prius opus de Cœlestino ante electionem Bonifacii compositum fuisse.

(4) *Dogma* etiam infra aliquoties occurret pro *Ordine*, *Instituto*.

Digitized by Google

mi quarti anni ultimo decurrebat (5) die, Bonifacius Octavus, tunc Benedictus Caietanus nomine, Anagnia ortus, profundæ Juris utriusque scientiæ, longique in illis exercitii doctæque experientiæ, in Romanæ Ecclesiæ moribus veteranus, Cardine etiam insignis, in Summum Pontificem scrutinio accessioneque eligitur. Qui humanè cedentem tractans, eum secum ad Romanas vel Campaniæ partes ducere tentabat, cavens ne sibi, Ecclesiæve, aliquorum calliditate, periculosum aliquid viro simplici suaderetur: Sed tamen sua in tempus frustratur opinione. Nam die festi Circumcisionis ejusve crastino, Neapoli Romam aggressurus iter, præmissum, suas celantem vias, Murronem, ejus insciis custodibus, divertisse comperit. His Bonifacius cautè anxius, nec cœptum iter prosequi, nec latitantem, ac si ejus rei nil advertisset, [investigare] destitit.

XIV. Romæ itaque Bonifacius Frigii (6) Regnive corona festivè redimitus (cujus solemnitatis triumphum, polliciti debitum exolvens Auctor, metro diffusius dare promisit) post aliquid spatii, eumdem quondam Cœlestinum, ad Græciæ remotas tendentem plagas, ut littoribus Vestiæ civitatis maris Adriatici inventum fortè comperit (quatenus orbis sui Ecclesiæque discrimina vitaret) solennioribus à se Siciliæque Carolo Secundo Rege transmissis [nuntiis] consentientem, Anagniam meare facit; blandè suscipit, laudemque exhibuit (7) acquiescenti Præsulis monitis Castro Fumonis Campaniæ provinciæ morari. Ubi assuetam sicut prius vitam agens Eremiticam, nolens laxioribus quibus poterat uti, anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, decima quarta Kal. Junii catholice, sancte, religioseque defunctus, terram cœlo, calamitatem felicitate, mortem vita commutavit; Ferentini, loco sui Ordinis Fratrum, reverenter sepultus.

XV. At Bonifacius, ex hoc tutior factus, multa magnaque annis octo, mensibus novem, diebus unde viginti (8) quibus Papatui præfuit, peregit. Siculos suo tempore, post viginti annorum curricula, anfractusque bellorum varios, ad Ecclesiæ Matris devotionem inter cætera reduxit: Federicoque, nato quondam Petri Regis Aragonum, Siculas terras occupatas detinente, restituit; pacemque composuit cum Siciliæ Rege Carolo Secundo, data Federici ejusdem Caroli Regis in conjugium (9) filia; redeunte quoque centesimo seu Jubilæo, qui tunc millesimus tricentesimus occurrebat annus, nec non cuicumque futuro centesimo, confirmavit concedens omnium peccatorum plenam, pleniorem, plenissimam remissionem, Apostolorum scilicet limina ipsorumque Basilicas Romæ, quolibet centesimo visitantibus, vereque pœnitentibus, vere quoque sua peccamina fassis, exteris quindecim, Romanis triginta diebus, prout seriosius bullatis ipsius patet literis; nosterque, quem super hac prosa versuque complexi sumus, Centesimus, seu Jubilæus enodat (10). Nec minus idem Bonifacius Papa, cùm aliquibus favori, aliquibus (ut existimabant) oneri foret; noni fine anni, injuriose, nefarie, sacrilegeque per nonnullos suarumque partium fortassis (genere tamen nobiles ex Columna prosapia) captus Anagniæ, infra triduum mirabili suffragio à Beato Petro est liberatus. Pœnitentibus siquidem civibus de commisso eorum in civitate crimine, atque ex hoc in tantorum patratores flagitiorum vigorose insurgentibus, illosque urbe Anagnia fugantibus, nonnullis eorum trucidatis, hic captivitatis periculo exutus, inter terrores adbuc Romam rediens, armis coruscantibus militum armatoque Clero magnifice susceptus, & infra sui adventus mensem infirmitate oppressus, fidem professus Catholicam, in Principis Apostolorum Basilica, sepulcro quod sibi extruxerat, (11) vivens, quievit; ejus obitu magnis fluctuante Roma dissidiis. Decima die post illum Benedictus XI. Nicolaus nomine tunc Ostiensis Episcopus, vir religione clarus, in Romanum est electus Pontificem: qui infra annum lecto decumbens, disenteria Perusii lapsus, defecit.

XVI. Illic rursum undecim mensium terroris, inediæ, suspicionis quoque afflictiva vacatio, quam experti sumus, decurrit: quinta verò intrantis mensis Junii die, vigilia tunc Pentecostes, anni Domini millesimi tricentesimi quinti, Bertrandus Delgot, natione Gasco, dictus Burdegalensis, ipsius Civitatis Archiepiscopus absens sua Provincia detentus, electus [fuit] à Patribus, quòd legali maxime canonicaque scientia ac rerum experientia doctus [esset]: delatoque sibi ubi tunc degebat Decreto consensit; Papatusque insignia, nomen proprium in Clementem commutans, Cœtu adhuc absente suscepit: nec minus Cœtum, Perusii existentem, literisque ipsum obnixe deprecantem, prædecessorum more prius videre filios pater accederet, suis (ut fatebatur) causis velatis, ne dixerim quæsitis occasionibus, venire omittens, ad partes Italicos ultramontanas vocavit; quodque sanè mentis auribus non gratum, sensibus minus placidum, exemplo verò perniciosum foret, toto suo Pontificatu, octo scilicet annis, mensibus decem, diebus quindecim à suæ electionis die, nec Principis Apostolorum Petri, cujus se successorem fatebatur; nec illius Doctorisque gentium, quorum unius auctoritatis, alterius verò doctrinæ honorabatur Privilegiis, Romana visitaturus ingressus est limina. Sed dum quasi noni anni fine in Comitatu Venaysini, Romanæ Ecclesiæ patrimonio, aliquamdiu moram traxisset, ac infirmitate circumventus Burdegalas recuperandæ sanitatis causâ properaret, transacto juxta

(5) Juxta Stylum Curiæ Romanæ annus novus inchoabatur à Nativitate Domini, quod multi etiam in Germania & Italia tenuerunt: qua de re auctores apud Cangium videre licet: resque patet ex quam plurimis Martyrologiis MSS inde incipientibus. Ita Joannes Hocsemius Leodiensis, scribens circa ann. 1348. cap. 7. *Anno*, inquit *Domini 1272. parum ante Nativitatem Domini, vel 1273. paulo post Nativitatem, prout tunc Data mutatur in Curia Romana*.

(6) *Frigium* propriè limbus seu corona est, quæ tiaræ Pontificiæ circumducta usque ad hæc tempora simplex, duplex, facta à Bonifacio VIII. ab Urbano V. denique annis adhinc 320. triplicata fuit: quæ eadem tiara etiam Regnum vocatur, & apud Nicolaum Alemannum tractatu de Parietinis Lateranensibus pag. 129. *Phrigium* describitur ex Sugerio, *capitis ornamentum Imperiale, instar galeæ, circulo aureo concinnatum*.

(7) MS. *Laudeque exhibuit acquiescentem*. Hæc autem & alia in ipso metro distinctiùs dicenda facile diluunt, quę duriùs contra Bonifacium scribit Alliacensis.

(8) Habentur hi à 24. Decembris, quo electus est, ad 11. Octobris, quo obiit Bonifacius: alioqui à 16. Januarii, quo consecratus est, numerantibus, secundum stylum Pontificarum Bullarum, solum essent menses 8. dies 27. Interim corrigendus fuit error zyfræ quo scribebatur, *diebus* 21.

(9) *Aleonora* vel *Elionora* hæc fuit: extant autem conditiones Pacis apud Raynaldum in Annalibus ad ann. 1303. quo facta est, num. 24.

(10) Extat liber MS. in Bibliotheca Vaticana, & nunc impressus Tom. 25. novæ Bibliothecæ Patrum, Lugdunensis editionis ultimæ.

(11) Hujus sepulcri, propter Basilicæ Vaticanæ innovationem destructi, accuratam imaginem habes in nova Ciacconii editione, per nostrum Oldoinum curata.

uxta quem morabatur Rhodano, in fluvii scilicet altera objectæ partis ripa, loco cui Rocca-Mauri nomen, defecit: sicque Deo permittente factum est, ut post ejus obitum ferè mensibus quindecim vacationis in qua sumus, computatis, quam [plurima] execranda, (quibus nec intentione reserandis festinamus) commissa extiterint. A suæ electionis Perusii celebratæ tempore annus undecimus labitur, quo dispersi adhuc [proh dolor !] Valentiæ Italici, Galli verò, Vascones, Provincialesque Avinioni, aliisque locis commorantur, incerti (juxta poëticum dictum) quò fata trabant (12), *ubi sistere detur.*

XVII. Hic itaque Lugduni, Saona Rodanoque circumsepti, Cœtu Francorum Philippoque Rege illustri præsentibus, eodemque Rege officium stratoris ea sibi festivitate impendente; vetusta Romanorum Pontificum corona, à Neapoleone tunc Priore Levitarum existente vertici imposita, claruit. Sed ea celebritate fuit subiti casus formido (13) *incognita. Quippe Pontificalibus indutum diademaque ferentem, dum processionaliter ad Palatium rediret, sedentem sessumque equum, [in quadam] viæ arctitudine muri casus cùm caderet oppressit, Magnatibus nonnullis palefridi Pontificis fræna tenentibus ruinâ læsis, horumque aliquibus, leto ab hoc in non multos dies dilato, palefridoque morti datis. Cùmque Regis in longum inibi mora tenderetur; inter magna quæ tunc multa volutabantur, coram Cœtu Pontificis, Rex piam unam Deoque acceptam postulationem flagitavit; mirificæ nempe sanctitatis viri, fragrantisque odoris suavitate fama respersi, ac miraculorum prodigiorumque (ut dicebat) signis coruscantis Cœlestini, quondam Fratris Petri de Murrone Eremitæ canonizationem, Sanctorumque Catalogo ejusdem ascriptionem.*

XVIII. Nota Papæ Cœtuique viri Sancti puritas, facilè tantæ rei inchoationem impetravit. Commissa igitur est, de Fratrum consilio, Archiepiscopo Neapolitano & Valvensi Episcopo vitæ miraculorumque ejusdem Eremitæ fidelis & discreta percunctatio. Quam ii laborum defatigatione, sollicitudinumque anxietate, prudenter fideliterque prosequuntur: ac post alterius Collegæ defunctionem, idem Papa monumentis publicis, suo illis ceræ sigillo insignitis, eamdem Neapolitano inquisitionem destinavit. Hanc crebro videndam, hanc exactè examinandam Pontifex multis ex Fratribus, multisque locis (prout tunc diviso ferebamur cœlo) multisque modis commisit. Tandemque ipse idem Clemens, post etiam octo fere mensium Viennense Concilium, Consistorio Avenionensi reversus, pio accuratiùs operi suâ præsentiâ insistens, non absque sui Fratrumque caumatis æstivi anxietatisque caloribus, vacabat: eòque sancti perduxit finem negotii, ut illic matura, fida, digestaque meditatione deliberationeque habitis; primo inter Fratres eorum Consilio secrete, deinde tertio nonas Maji, anni millesimi tricentesimi decimi tertii, Pontificatus ejusdem Clementis anno octavo, priscis servatis sacris cerimoniis, Avenione Cathedrali Ecclesia, nobis sibi Levitæ officio ministrantibus, publicè ejusdem Fratris Petri Eremitæ tam vitam sanctam, quàm in Papatu, ante & post ipsum, postremoque post ejusdem mortem peracta sanctis meritis miracula, testibus probata definiret: ac ut ipsius diem obitus decerneret debere ut Sacri Confessoris festum venerari, ac à fidelium Cœtu universalique Ecclesia, cui ut Christi Vicarius Petrique successor præsidebat, coli; largam annis singulis, Confessoris ejusdem obitus revoluta die octavamque infra devotè ad locum sepulturæ accedentibus, Indulgentiam largitus; Missarumque solennia more solito in eadem ipsa Avenionensi Ecclesia, luminaribus tota resplendente, in Dei laudem novellique Sancti commemorationem, exolvens. Quæ singula, veluti totius concepti materiam operis, nostra copiosius cerimoniis, seriosius rebus, exornationibus redimitius, metra prosequuntur (14).

DIVISIO CAPITUM.

Incipiunt Capitula Libri Primi.

(12) Duravit autem pertinacia Cardinalium, ad electionem procedere nolentium, ultra 26. menses, tandemque anno 1316. 5. Septembris nominatus est Papa Joannes 22.

(13) *Incognita*, id est, *insolita*.

(14) Sequebatur in MS. hic titulus *Jacobus S. Georgii ad vellum aureum Diaconi Cardinalis. Incipiunt Capitula libri primi de stupenda electione ad Papatum Fr. Petri de Murrone Eremitæ, & qualiter idem Papatui ad eremum rediens cesserit; facti ante Cardinalatum:* & idem titulus deinceps repetitur ante Capitula librorum duorum sequentium; hìc verò additur, *sed ante omnia de seipso succincta metri descriptio*. In Margine porro hæc Glossa legitur: *Notandum quod Rubricæ*, id est tituli capitum, totius libri in principio cujusque *libri bene positæ sunt; sparsim per librum non sunt ad plenum positæ, nec bene respondent Rubricis positis in principio librorum: quia, propter festinantiam nuntii deferentis librum, non potuerunt corrigi cum eisdem: sed Deo auctore, cum vacare poterimus, corrigentur*. Vixit quidem postea Jacobus usque ad ann. 1343. octavum supra quadragesimum numerans in Cardinalitia dignitate: sed gravissimis semper occupatus curis, ad hæc aliaquæ magis necessario corrigenda vacare non potuit. Post syllabum Capitum sequitur promissa sui descriptio his versibus:

Urbs mihi principium generis, Jacobus mihi nomen
Gajetanus erat; fluvii trans Tiberis amnem
Stephanidum de stirpe satus producor ab ursa.
Murronem cecini repetentem claustra Monarcham
Insertumque polo; Bonifacius utque triumphet
Urbe sacra diadema ferens, quo Cardine fultus
Hunc panxi; cœloque Patrem metroque refudi
Centeno, fudique prosa. Deus hinc tibi laus est.

Placet autem numeris Capitum in margine notatis, ad faciliorem eorum qui fortè opus hoc citare voluerint usum, in eodem margine apponere numerum versuum per quinarios, uti à plerisque usurpatum videmus, qui Poëtas veteres elucidarunt hoc sæculo.

Digitized by Google

Incipiunt Capitula Libri Secundi.

Incipiunt Capitula Tertii Libri.

Digitized by Google

VITÆ SANCTI COELESTINI V.

LIBRI I.

CAPUT PRIMUM.

Turbæ post mortem Nicolai IV. tam inter Cardinales, quàm inter cives: illorumque dispersio cum periculo Schismatis.

ALma Petri Sedes, jam dudum languida vultu,
Invidia * (1) superante * Patrum, quem munere divo
Accepit, moresque suos, dogma insuper arctum,
* Eloquimur: clamoque levi depromere signa,
5. Illuxisse Deum tenebris, radiasse corusco
Lumine, concipimus; sacroque infusa liquore
Sphærica (2) cervicis; lucentia tempora Regno
Pontificis; quo læta gradu processio Cleri
Provehitur. Clemens squallentem complue terram,
10. O Pater Omnipotens: jactatum crescere semen
Efficias, herbamque novam (3) dilucidet aurum.

CAP. I.

Ergo ubi confectum senio mors æqua recepit
In sua jura Patrem Nicolaum, nomine quartum,
Romanæ sponsum Ecclesiæ; de more solutis
15. Exequiis (4), dignum reputans veneranda Senatus.
Congeries tractare novo de Præside, sacras
Indixit libare preces: quas ipse Latinus,
Ordine Pontificum primus, virtute coruscans,
Et generis titulis radiatus, fudit ad aram
20. Virgineam, psallente choro. Mox omnibus una
Seclusis Patribus, succenso pectore fatur:
Quis poterit stellas fulgentes jungere Cœlo
Plejadas? Deus, ipse potes sic corda potentum
Concordi vincire jugo: gliscitque futurum
25. Pollicitus (5) Uati, quòd se donante Ministrum
Suscipient populi. Ne Cœlo lumina recta
Deflexisse juvet; præstò est, qui cognita cordis
Inspicit, & (6) pensas justo libramine damnat
Degeneres, * gemmis interlucentia serta
30. Imperitans cingi meritos: ô quanta potestas!
Namque datum (7) paucis, ad summi culminis arcem
Sublimare virum, qui Christi nomine præsit
Succedatque Petro, * necnon cœlestia claudat,
Dum ligat in terris; reseret convexa Polorum,
35. Vincula dum solvit: tantò depellere culpam
Præstat. Sed votis celsæ fastigia molis
Quis capiat, nisi mente vagus? quis dignus haberi
His queat? At Patres, quos excellentia præfert,
Desperare nefas; nam sacris inclyta virtus
40. Christus adest volitis, complens optata piorum,
Quos optare facit. Si quis, tendamus in unum,
In quo fundatis * nixa radicibus arbor
Virtutum patulis ramis succreverit altum
In culmen, vario florum distincta * colore,
45. Præcipuè roseo mentis fervore micanti,
Atque pudicitiæ niveo candore coæquans
Fructus justitiæ; cujus prudentia ramos
Duxerit in rectum: nostro quia tempore clades
Invaluit, peccata premunt, virtusque recessit.
60. Tendimus in (8) latium, Proh! claram funditus Accon
Obruit (9) & Tripolim vincens Babylonicus hostis:
Instant Aragones, gens effera, plurima terræ
Cis mare concutiens, Siculas quæ (10) possidet urbes.
Nec minus Aragona proles Petrejaque Regnum
65. Occupat, in Gallos collatum; dedecus illis
Et nobis, qui Regna damus. Nos undique turbant
Subjecti! Vigiles plebi succurrite, Patres:
Casibus his tantis, vestrum succurrere, vestrum est.
Dixit, & haud aliter diffusum vocibus ignem
70. Frigida corda premunt, possit ne erumpere flammis,
Quam tellus prohibet nova semina ducere germen,
Quò fuerint matura loco: tamen agnita dudum
Commemorant veteris moris, discuntque (11) minores,
Talibus hic paucis decursis rite diebus;
75. Montis Aventini (12) rursus fastigia poscunt.
(Per bis quinque dies Nicolai Præsulis haud dum De-

(1) *Discordia*] sub nomine invidiæ itelligenda est, juxta glossulam marginalem Auctoris, cujus similes post hac alias glossulas simili asterisco * distinguemus hìc à nostris observationibus: sic autem infra ℣. 88. etiam dicitur *livida mens* pro discordi. Dico hìc, id est, in his Annotatis: nam in Carmine positus * asteriscus remittit Lectorem ad varias ipsius MS. Lectiones, quæ Annotatis subjungentur.

(2) *Sphærica cervicis* intellige, rotundam verticis Pontificalis rasuram, vulgo *Coronam*, quam Sacro Chrismate inungi præcipiunt ritus consecrandi Pontificis. Sic infra in lib. 2. de Coronatione Bonifacii ℣. 59. *Sphærica cervix*, dicitur, eadem Corona.

(3) Hunc versum allegat Auctor, & quadamtenus explicat in Præfatiuncula post syllabum Capitulorum postremi operis de Canonizatione: *aurum* autem intelligit flavescentem frugis ipsius spicam: idque clarè patet ibidem lib. 1. ℣. 14. dum petit Poëta, ut sub umbra Sancti *Rutilet flavum producti seminis aurum*.

(4) Nicolai IV. Exequiæ in Basilica Liberiana, seu S. Mariæ Majoris celebratæ fuerint, in qua humiliter sepulti ossa elevavit anno 1574. Felix Perettus Card. de Monte-alto, & marmoreo monumento cohonestavit; cujus monumenti iconismum exhibet Oldoinus noster in suo novo Ciacconio.

(5) * *Propheta dicit: Suscitabo in eis Pastorem unum* (Ezech. 34. 23.) *& istud Thema fuit D. Latini*, Ostiensis Episcopi, & Cardinalium Decani.

(6) *Pensæ degeneres*, libræ seu pondera injusta, idest, suffragia.

(7) * *Quia duodecim Cardinales tantum*.

(8) * *Lusit hic Auctor accipiens Latium, idest in latum*, seu viam latam idest laxitatem morum: quam innuit esse causam acceptarum, quas mox enumerat, cladium.

(9) *Accone* à Sultano Melec-feraf anno 1291. 19. Maji capta, quidquid Christianis reliquum erat in Syria in potestatem hostium venit: Tripolis autem à Soldano Melec-Messor capta fuerat anno 1289. 26. Aprilis.

(10) *Petrus* Aragoniæ Rex expulsis Gallis, quibus Siciliæ Regnum contulerat Apostolica Sedes, ipsam invaserat anno 1281. in eoque habuit successores filios secundo & tertio genitum, Jacobum scilicet, & (hoc per mortem fratris Alphonsi in Hispaniam regresso) Fredericum: qui etiam Siciliam cis Pharum, idest Neapolitanum Regnum nitebatur sibi vindicare.

(11) * *Idest, docent*,] inquit Glossula.

(12) Ibi enim mortuo Honorio fuerat etiam celebrata ipsius Nicolai electio.

Digitized by Google

Deseruere domos, erectas circiter Aram
Virgineam, * Patrum quas nec reverentia struxit
Digna sequi, nec causa potens, nec * utile mundo,
80. Exemplum (13); nam quisque suas ducet in altum
Ædes, & capitis Pètri delubra (14) relinquet,
Ac Lateranenses aulas (15) regalia dona
Despiciet, gaudens proprios habitare Penates)
Hic primum manifesta fides, quam dissona corda:
Namque ferunt numerum quartum conscendere nullum,
Dum sua scrutantur per clausa silentia vota.
Post alium petiere locum: nec profuit ipsis
Permutasse solum, quibus & tunc livida mens est.
Tunc adeunt (16) capti falsæ (17) mutata Minervæ
90. Nomina, * ne quidquam: quia dum firmasse putarent.
Hæc loca, jam sathanas aderat, vertique malignus
Concordes animos, fecitque reposcere Fratres,
Concilium peterent alia statione manere.
Ut varium pennas oculis, formidine prolis,
95. Femina pavonem metuens, per devia clausa
Cælat, & in patulo non linquit callida * fœtus
Ova sui; Patrum sic turba sedilia mutat,
Anxia ne Fratres turbent concepta vicissim.

CAP. II.

Interea præcelsa dies celeberrima Romæ,
100. Annua jam colitur; festo sacrata duorum,
Ætherei Petri, Pauli quoque gentibus almi
Doctoris. Gemitus heu! nec non tristia bella
Insurgunt populo, fato turbante quietem:
Corpora concussit de Cœlo languida pestis
105. Demissa in terram, faciens ex ordine Patrum
Nonnullos timuisse mori: nec fallitur (18) unus.
Spe (19) mortis: novitate gravi, consistere vitant.
At tamen è Cœtu tantis terroribus acti
Quatuor, (20) undatum lymphis placidumque (21) Reate
110. Deveniunt; æstate manent, sanoque fruuntur.
Aëre: bis * terni (22) Romani mœnia Romæ,
Disjuncti votis, habitant, exterque (23) revidit
Campanus patriam, morbo stimulante fugatus.
Hic fuerat numerus Gallo moriente superstes.
115. Sic igitur quassata malis languoribus æstas,
Dispulit errantes? haud una sistere norunt,
Ante reluctrantem solem quam mensibus annum
Scorpion acciperet (24) medius: hinc redditur urbe
Campanus, Tuder, Portus qui mœnia servat
120. Diruta, jam pridem mercis (25) ditissima ponti.
Convenere simul distantes mente (26) Minervæ
Hi proceres (numero nec * junctus tempore (27) Paschæ
Parmensis) servare (28) Dei suprema loquentis
Verba, (29) sed affectus promit non apta voluntas
* Quos memorasse piget. Circum hæc quia circulus (30) Anguis.

CAP. III.

Exhaustus regnare novum de more Senatum
* Flagitat, Assumpti (31) populi Capitolia jussu
Ascendunt: sed morte Ducis vis (32) annua mense
Clauditur Ursini, timidoque (33) furentis in arma
130. Descensu, dum scripta petit, dum (34) fossa sigilla.
Quo gradior? quid plura sequar, quæ texere longum?
Hoc dixisse sat est; Romam caruisse Senatu
Mensibus exactis heu! sex belloque vocatum
In scelus, in socios, fraternaque vulnera, Patres.
135. Tormentis jecisse viros immania saxa,
Perfodisse domos trabibus, fecisse ruinas
Ignibus, incensas turres, obscuraque fumo
Limina vicino, * quo sit spoliata suppellex:
Confixisse manu, superatos vindice Christo
Inve-

(13) Ad S. Sabinam in Monte Aventino ædes sibi struxerat Honorius IV., & hujus exemplo Nicolaus IV. ad S. Mariam Majorem: quod ne in morem transeat, formidat Auctor, & repræhendit.

(14) *Basilicam Vaticanam* intelligit, eique conjunctum Pontificale Palatium.

(15) * *Quia Constantinus Imperator donavit Palatium Lateranense.*

(16) * *Idest, decepti*] vana scilicet spe causa istic peragendæ commodiùs.

(17) * *Nam vocatur bodie S. Maria*] seu *S. Maria supra Minervam*, ubi æquè ac in Aventino ad S. Sabinam Fratres Prædicatores degebant ab anno 1275.

(18) * *Idest, timore*] per antiphrasim Italis satìs communem, qua *sperate* dicunt pro expectare, timere.

(19) *Joannes Choles* Gallus, uti jam dictum, mortuus ann. 1291. 2. Augusti.

(20) Scilicet *Gerardus Parmensis, Card. Sabinus; Matthæus de Aquasparta Tudertinus, Card. Portuensis; Hugo, Card. S. Sabinæ, Gallus; Petrus, Card. S. Marci, Mediolanensis.*

(21) Reatinæ urbis agrique irrigui undique amœnitatem videre qui volet adeat Athanasii KircKeri Latium parte 3. cap. 3. ubi multa de Velino flumine, qui ipsam perfluit, & cognomine ei lacu: sed Sabinæ cujus ipsum Metropolis est, tabulam corrige, non exprimentem qualiter Velinus per urbèm fluat: per quam tamen eum fluere Ughellus in Episcopis Reatinis, & Pompejus Angelotti in propria ipsius Descriptione testantur.

(22) *Latinus Card. Ostiensis, Joannes Card. Tusculanus, Matthæus Rubeus, Jacobus Columna, Neapoleo Ursinus, Petrus Columna, Diaconi Cardinales*, omnes Romani.

(23) *Exter* idest *extraneus*, scilicet *Benedictus Cajetanus*, Anagniæ in Campania natus.

(24) Idest, medius Septembr., cujus signum *Scorpion*, seu *Scorpius*.

(25) * *Quia civitas Portuensis est juxta mare & merces ferebantur illuc*]

(26) *Minervæ*, idest, *ad S. Mariæ supra Minervam.*

(27) Pascha anni 1292. celebratum fuit 6. Aprilis, quando necdum advenerat Cardinalis Parmensis.

(28) *Servare* * *Servavere.*]

(29) * *Dixit* scilicet Christus valedicens suis, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.*] Joannis 14 27.

(30) *Circulus anguis exhaustus* * .*i. Circulus anni decursus*]

(31) *Assumpti*, * *sunt Senatores*]: Senatores autem hìc dicuntur, ut olim *Consules*, duo scilicet totius Senatus Præsides: Consulum namque ut potestas summa, sic & nomen abrogatum Romæ pridem erat: quod & alibi etiam in Belgio apud Gandavenses hodieque obtinet, ubi pro Consule adempto est Primus-Scabinus, ut vocant: Πρωτοσύμβολον Græci dicerent.

(32) *Potestas* * quæ debuisset durare per annum.]

(33) * *Alterius socii*, idest Senatoris, *Agapiti* descensus, abdicationem mihi significat ultroneam, timentis venire ad arma, propter sigillum, & alia potestatis insignia, quæ vel penes defuncti hæredes detinebantur, vel populus ad se retraxerat; ipse autem prætendebat, non posse eo anno conferri alteri, sed sibi debere consignari. Quæ turbarum civilium initia, & causæ nusquam alibi explicantur, quod sciam.

(34) *Fossa* * idest *sculpta.*]

Digitized by Google

140. Aggressos, (35) dum firma datur constantia paucis.
Hæc inter dum Roma fremit, dum fluctuat undis
Inveterata novis, socios æstate revisunt,
Ordine prosiliunt, gustant & amœna (36) Reate
Solliciti curis: namque (37) illis urbe relicta,
145. Pergama servabant, capitis discrimine, Rubri, (38)
Tres, quibus augeri poterat sufflantibus ignis
Robore suggesto: multis hæc causa timoris.
At procul (39) à Cœtu secum Campanus agebat.
Corpore sejunctis Patribus, discordia Cœtu
150. Panditur in lucem, quæ diu patefacta per annum
Exteterat, dederatque malis extollere cornu
Subjectis contra socios. Heu Narnia, (40) more
Gallica, Strunconi (41) Castrum vallaverat * arcta
Obsidione foris, spernens insignia matris
155. Ecclesiæ, tutumque putans hoc tempore belli
Lascivire palam. Cecidit sed capta furoris
Consilio: nam lecta manus, fulgentibus armis,
Aprutii, Rubeo (42) Gallo duce, mittitur ardens
A Carolo (43) domitare malos, domitare rebelles
160. Ecclesiæ, jussu Patrum qui tecta Reate
Servabant; populusque ruit dilapsus ab urbe,
Urbe Reatina: prædux tamen omnibus idem
Cardine sublimis Tuder Portusque minister
Mittitur. Egressi placidum Interamne (44) subintrant,
165. Plenum armisque, solens irrumpere fines
Illorum, motusque pati, cùm Narnia bellum
Commovet: en modicum distinguit mœnia planum.
Audito properare viros & quærere pugnam,
Audenter tentare Ducem de fœdere pacis
170. Narnia præsumit; refugit Dux Cardo Matthæus
Talibus astringi pactis, nisi jussa subire
Ecclesiæ se velle ferant, factisque sequantur
Pollicitum, redeantque domum, tutumque relinquant
Obsidione locum. Mandantis jussa capessunt
Illicet, edocti, galeis armisque coruscis,
Qui, fore vindictæ tempus * non temnere, pridem
Peccatis monstrare suis. Dehinc Cardo subactis
Hostibus; & fusa validis impulsibus * arce,
Quam propè fundarat Strunconi Narnia Castrum,
180. Regreditur victor, populo comitante regressum.

CAP. V.

Horrida præterea dumis, jactata per agros
Prava seges, dubitanda bonam ne suffocet herbam,
Pullulat, & varios casus educta minatur,
In longum pacemque sacram discernere mundo
185. Schismate: nam rubros gestantes urbe Galeros
Tres (45) Romà geniti, quorum duo stirpe suborti
Unâ, atque alterius stirpis se jungere passus
Illis, insinuant scriptis ex ordine verbis
Urbe [non] genitis (46) paucis, vel fortè duobus
190. Cardinibus, se posse * Petri præponere quemvis
Principis in Sedem; Romæ dum mœnia servent,
Dum distant alii; * mallent tamen ista quietè
Cum sociis tractare suis; ea propter ad urbem
* Accelerent gressum, cupiunt si ponere finem
195. Ecclesiæ lacrymis. Confestim [hi] cognita pandunt
Fratribus, * inque vicem collecti turba Senatus
Urbe Reatina confert, quid talibus ausis
Conveniat, quid stricta velit discretio juris.
Hæc propter visum est cunctos adscire peritos.
200. Consiliis aderant multi; vox prima loquendi.
Est data Levitæ, sacro de fonte Mathæus
Cui nomen, Rubeusque color cognomen (47) avitum
Quod sibi dant homines, genuit quem nobilis Ursæ
Progenies; Romana Domus, veterataque magnis
205. Fascibus in Clero, pompasque * experta Senatus
Bellorumque, * manu grandi stipata parentum;
Cardineos Apices, nec non fastigia dudum
Papatus (48) iterata tenens; nunc lumine divi
Levitæ radiat, ceu sideris inclyta proles,
210. In delubra Dei: cujus describere grandes

Vir-

(35) *Aggressos* * . *i*. *Aggressores*]: sed quinam hi fuerint, qui verò pauci, quorum constantia superarit, aliunde necdum scimus. Quia tamen defunctus Senator, Ursinus erat, suspicari possumus inter Ursinos & Columnenses, potentes jam pridem in urbe factiones, disceptatum fuisse, populo propter eos in partes distracto. Spectant autem hæc omnia ad primum semestre anni 1293.

(36) * *Nam omnes Cardinales Romani*. *i*. qui Romam convenerant, *invenerunt se Reate, exceptis tribus*]: hi autem tres infra ad Versum 185. indicantur per Glossulam.

(37) *Illis* * . *i*. *ab illis*.]

(38) *Rubri tres* . *i*. tres Cardinales; hi enim cœperant purpura uti in Concilio Lugdunensi anno 1245. *Pergama* autem hìc sumuntur pro urbe Roma, sicuti olim pro urbe Troja.

(39) * .*i*. *Viterbii*], quod expressè indicatur in Prosa.

(40) *Narnia*, de qua multis ad Acta S. Juvenalis 3. Maji, urbs Umbriæ, 40. milliaribus Româ distans. Dicitur autem *Gallica* *: *nam more Gallico ibi succedebat primogenitus*] in omnia bona parentum, cum solo onere sustentandi congruè minores natu.

(41) *Stronconium* distat Narniâ in Orientem circiter 8. *p*. *m*. de quo plura vide 7. Febr. ante Vitam B. Antonii de Stroncone.

(42) * *Proprium nomen*] ipsius Ducis hòc esse opportunè indicat addita glossula.

(43) * *Scilicet Martello*] filio Caroli Regis Neapolitani.

(44) * *Interamne* * *neutrius generis*, *tamen aliqui declinant*, *hac Interamnis*]. vulgo *Terni*, & solùm 5. *p* *m*. Stronconio distat, nec ampliùs Narniâ, solitum ab hac diffidere, pro more vicinarum, & æmularum urbium.

(45) * *Scilicet D Jacobus & Petrus de Columna*, *tertius dictus Joannes de Boccamaziis*, *qui erat Episcopus Tusculanus*.]

(46) * *Scilicet D. Petro de Mediolano*, *& D. Ugoni de Alvernia*.

(47) * *Nam avus vocatus est D. Matthæus Rubeus*] Ursinus.

(48) * *Nam multi domo Ursina valde frequenter fuerunt Senatores*, *multi Cardinales*: *eademque domus habuit duos Papas diversis temporibus*, *scilicet Cœlestinum III. & Nicolaum III.*] primum anno 1191., secundum anno 1277. creatos. De Cœlestino tamen id fuerat ignoratum usque ad hoc sæculum; & Ciacconius *de Bubona* familia eum fecerat: sed Ughellus in suis ad illum Additionibus allegat *antiqua monumenta Ursinæ familiæ*, *quæ in Archivo Brachianensi*, *& Vaticanæ Ecclesiæ in Innocentii III. Vita extant*, *& ipsum Petri Bubonis de Ursinis filium fuisse ostendunt*: Cœlestini autem istius successor *Innocentius* hic fuit, eisque suffragatur hic, uno solùm sæculo posterior Auctor.

Digitized by Google

Virtutis titulos sermo ne longior erret,
Et ne mendosis finxisse poëmata metris
Arguar (ex Ursa matrem tantique sororem
Stephanides (49) capiens) sistam, licèt illa per orbem
215. Ampliùs eniteant; referam quæ protulit ore,
Ore sonans placido senior Levitaque primus:
Non ea mens animo versatur (50) quærere votis
Dissidium languentis (51) eræ, seu scandala dira
Exire in mundum. Patres Dominique sedentes
220. Sedibus his vigilant, possint ut vellere crimen,
Non dare materiam bellis (nam sufficit, inquit,
Singula quæque dies, propriis erroribus instans.)
Sed quia tentamur primi, dictisque fatemur
Ardua, civilis plenam discriminis urbem
225. Quòd Proceres habitare legunt, & posse vacantem
Desponsare viro Ecclesiam; vos jure peritos
Acciri placuit, vestrumque requirere sensum.
Et quid jura velint (opus est non levibus ausis)
Consilio pensate diu, pensate fideles;
230. Et date consilium rectum. Non deviet ullus,
Non declinet amor * quemquam, non vera timore
Subticeat titubans animus; sed pandite quidnam
Conscia mens statuat super his, quid jura loquantur
Quidve illis nobisve datum, decreta parentum
235. Quid sacra decernant. Divum * testamur adesse
Judicium, timeatque sibi quicumque periclis
Subdere contendit falsis * effatibus almam
Ecclesiam, sentitque aliud quàm voce sonora
Exprimat. Haud laudes petimus non dissona vero:
240. Sed quid, suspiciens claris obtutibus astra,
Arbitra mens censet vestrum cujuslibet. * Istis
Postquam facta quies monitis & se stitit heros;
Abdita consultant librorum, & luce sequenti,
Axibus Eois radios cùm funderet orbi
245. Flammigeros Titan, edocti pandere leges
Incipiunt: nec sola (52) dies per singula quemq;
* Auscultat; sed fanda viros per tempora scindunt
Illustres. Nam prima dies (53) audire vocarat,
Quos privata domi docuit prudentia patrum
250. Talibus attentos fieri: dehinc proxima quosdam
Ex aliis: vicina (54) suos subnixa secundæ.
Auscultat, vicibusque modos hos pluribus explent.
* Errantes fixere pedes ubi pondera libræ
Declinant; pariterque ferunt, quod Cardine fulti
255. Urbe Reatina major pars, dum strepit armis
Roma vetus, valeant * aliis edicere tempus
Quo veniant celeres mundo præponere Culmen.
Sederat hæc animo cunctis sententia, binis
Exceptis. Geminus * (55) qui non confuderit ordo?
260. Et duplices Patres non posse vocare fatentur
Distantes (quod lege (56) probant) si Roma citatos
Præcipuè teneat: fuerant hi namque secuti
Te ducti (57) Ligure, qui languens urbe Reatè
Cœtibus his deeras, vinctus sed amore (58) Columnæ es.
265. Fluctibus illisam post hæc qui surrigit undis
Sæpe ratem Petri, * devitans cuspide (59) ferri.
Ne ruerent Proceres, pacis spiravit odorem;
Dum datur externis, toto mandante Senatu
In sumendo locum quem valet arbitra virtus,
270. Circumscripta (60) modo. Quo cœpto protinus usi
Hi Perusinorum * legerunt quærere sedes.
Sic tumidis liquidi propulsa ubi flatibus Austri
Irruit in scopulos navis, distensa rudentes
Flecti vela jubet, prorasque advertere ponto
275. Nauta bonus pelago, fugiens contendere saxo;
Sic etiam validas ne quasset machina turres,
Objiciunt lento textas de * vimine crates.
Terminus est Lucæ festum: quem ritè * tenentes,
Conveniunt inibi Proceres. Memorabile semper,
280. Nec laus hæc modica est, populo sed tempore longo
Dignus honor reddi Perusino, turbine in ipso
Cardineos meruisse Duces admittere tectis
Unanimes, proprioque solo cœpisse maritum
Lugentem Ecclesiam, non vi, sed sponte, morando
285. Quemque suo (61) theatro, nisi dum se subrogat hora
Ut matutino confidant sidere Patres.

CA-

(49) * Scilicet Auctor operis: nam ex parte patris fuit Stephanides, ex matre Ursinus] hæc autem mater fuisse Matthęi Cardinalis soror, hic etiam indicatur.

(50) *Querere*, pro queri, conqueri, lamentari.

(51) *Era* pro *anno* hic usurpatur, phrasi Hispanica; sed tunc tantùm usurpanda, quando numerandus est annus ab Epocha Augusti, annis 38. vulgarem Eram prævertens. Nomen inde ductum putant, quod sic loquentes Hispani dicerent, *Erat* subintelligendo *annus*: alii vero, scribunt *Æra*, quasi ex *A Era* Annus erat.

(52) *Sola dies .i. unica dies.*

(53) * *Prima die audierunt Cardinales singuli suos domesticos Cappellanos.*]

(54) * *Id est, tertia dies*] confert suos cum externis, die secunda auditis.

(55) Subintelligo *dicentes*, seu *interrogantes*, qui fieri possit ut duorum hinc inde Electorum ordinatio non induceret Ecclesiæ confusionem?

(56) *Id est, nituntur probare leges adducendo.*

(57) *Ligurem* vocat Petrum Cardinalem Mediolanensem: quia Mediolanum Liguriæ caput est, quatenus sub Liguriæ nomine etiam Insubria comprehenditur, uti in Antonini Imperatoris Itinerario aliisque auctoribus fieri notat Philippus Ferrarius in suo Lexico Geographico.

(58) Id est, Cardinalibus Columnensibus Romæ manentibus favet.

(59) Scilicet, conto navim aliorsum flectens.

(60) *Nam quædam conditiones fuerunt appositæ in compromisso*] quas nescio an uspiam explicatas simus inventuri, sicut nec facile inveniemus in quos factum sit compromissum; *Externi* autem intelligi possunt Cardinales non Romani.

(61) *Theatrum* Græcæ θέατρ, & ideo secundam, alioqui naturâ longam, Auctor corripit: uti olim passim *Idola*, mediâ brevi dicebantur ἴδωλα Erat autem Græcis non solum spectaculorum, sed concionum habendarum locus. Hic vero videtur sumi pro proprio cujusque hospitio: infra vero ✝ 281. sumitur pro loco Conclavis.

Post

Digitized by Google

CAPUT II.

Rebus utcumque in Urbe compositis pergunt Perusii discordare Cardinales: ibique excipiunt Reges Siciliæ, & Hungariæ.

CAP. VI.

PRotinus ut subeunt Perusina cacumina, ventis
Materiam belli secum quasi pellere certent;
Romani Proceres, Umbræ sub fœdere pacis,
290. Abstinuere armis, geminis ad regna Senatus
Assumptis, de * patre tamen, generisque favore
* Conspicuis. Ætate gravis, sed promptus in arma
Stephanides Petrus, miles laudatus ab olim
Dum gereret pugnis animosum pectus, & Urbes
295. Accitus regeret, fuit unus; & alter ab illo,
Eustachii cognomen habens de stipite Sancti,
Militiæ nondum sumens sibi nomina, cautus
Moribus, & gressu lentus, partisque sequela
Oddo: sed juvenis sævum est postponere famam.
300. Hi rexere simul, magno non tempore, Romam,
Concordes: quandoque tamen, proh! segnius illam
Exponunt rixis mediocrum, dum sibi dictant. (1)
Vox erat, & majus nomen quin credita virtus
(Promeruit laudata viri constantia tantùm)
305. Stephanidæ: regimen populus si redderet uni,
Solus sufficiens foret ut regnare per ævum:
Sed faciles animi sibimet ditare potentum,
In commune regunt plebem dum partibus actam.
Sic ea pax fuerat varians, ut Paschate cuncti
310. Spem (2) jejunandi seponimus illicò, sæva
Nec regredi tardat post Tempora quatuor æstas.

CAP. VII.

Hæc avidè pacis sitiens bellumque perosus.
Dum Romæ peragit populus, non absque favore
Auspiciisque Patrum, quibus hæc sperantibus apta
315. Pax foret, & gratum sibimet pars utraque gliscens
Obsequium fortasse daret, * quia sanguinis usus
Dulcis in affines; redeunt disquirere mentes
Urbe nova positi; mens estque simillima (3) menti
Nam potius captant aliqui, pietate remota,
320. Officium turbare sacrum, (4) quo crimina fœda
Abluimus, cordis maculas in luce professi;
Pontificem dum tædet * eo. Præstare regentem
Muneribus divis quem fungi jusserat illis
Papa sacer, mortemque suam post Ordo * sacratus,
325. Ut solitum est: causamque malis assumere cœptis
Quod Præsul, veniente simul consistere Cœtu,
Dixerat in (5) Fratres, Quem me servare voletis
Talibus officiis cursum? quod ponere tempus?
O utinam vindicta nocens, mentita colorem,
330. Non feriat jaculis! quia Narnia Præsule misso
Territa pervertit, sociat quam fœdus amoris
His Patribus: (6) pluresque dies ea propter ad alma
Limina qui veniunt, veniam plorare gementes,
Sæpe Patrum pulsare moras, ac sæpe manentes
335. Ecclesiæ miserantis opem deposcere (7) proni.
Tandem, paulisper pausam dum quæreret ira,
Ecclesiis residere jubent concorditer omnes
Ptesbyteros, (8) fassosque suis absolvere culpis,
Imponendo graves levesque ob crimina pœnas.
340. Ut delicta petunt: namque hi terrore coacti
Destiterant. Non ille modus, servatus in uno
Præsule (9) cui dicti suberant, sed luctibus illum
Vexabant; * multisque novis rumoribus inde
Atque istinc * procusa fovent. Contendere vitans
345. Cessit in arbitrium Præsul festinus, & * omnes
Præ-

*Post tam copiosa Annotata patere, lector hic tibi nihilominus exhiberi syllabum earum vocum, quas præter mentem Auctoris alteratas existimamus; quasque ne identidem interpellareris ad illas hæsitando, præsumsi ex conjectura mutare. Exhibeo autem illum, non ad ostentationem diligentiæ; sed ne tibi subtrahatur facultas judicandi per te ipsum de singulis, aut etiam meliores conjecturas si suppetunt adducendi. Locum indicabit numerus versuum, ipsum verbum præfixus eodem in contextu asteriscus *, sunt ergo.*

℣. 2 Patrem, *lego*, Patrum.
4 Alloquimur, *l.* Eloquimur.
29 geminis, *l.* gemmis.
42 nexis. *l.* nixa.
44 colorem, *l.* colore.
78 Patres, *l.* Patrum.
79 vix tale, *l.* utile
90 Nec quidquam. *l.* nequidquam.
96 fœta, *l.* fœtus.
111 tantum, *l.* terni.
122 juncto, *l.* junctus.
125 Commemorasse, *l.* Quos memorasse, quæ, *l.* quia.
128 Flagitent, *l.* Flagitat.
138 quod, *l.* quò.
145 discrimina, *l,* discrimine.
153 arte *l.* arcta.
155 tritumque, *l.* tutumque.
176 contemnere, *l.* non temnere.
178 arte, *l.* arce.
190 petit, *l.* Petri.
192 Mallet, *l.* mallent.
194 Accelerant, *l.* Accelerent.
196 hincque, *l.* inque.
205 ex parte, *l.* experta.
206 manum, *l.* manu.
231 quemque, *l.* quemquam.
235 testanter, *l.* testamur.
237 affatibus, *l.* effatibus.
241 Istic, *l.* Istis.
248 Auscultant, *l.* Auscultat.
253 Narrantes, *l.* Errantes.
256 alii, *l.* aliis.
259 geminus qui non veri fuderit, *l.* Geminus qui non confuderit.
263 docti, *l.* ducti.
266 devitas, *l.* devitans.
271 legissent, *l.* legerunt.
277 crimine *l.* vimine.
278 timentes, *l.* tenentes.

NOTÆ AD CAPUT II.

(1) Ideſt, dum sibi mutuo volunt legem præscribere.
(2) *Id est, timorem.*]
(3) *Nam modo sicut prius discordabant.*]
(4) * *Scilicet magni Pœnitentiarii.*]
(5) * *Id est, inter Fratres.*]
(6) *Qui impediebant officium Pœnitentiariæ*] à Nicolao IV. commissum, & à Collegio Cardinalium Sede vacante confirmatum Card. Portuensi, cui Narnienses ab eo coërciti malevolebant.
(7) * *Id est deposcebant*] uti supra * *pulsabant* * *plorabant.*
(8) * *Omnes Pœnitentiarios minores.*]
(9) * *Qui erat magnus Pœnitentiarius*]

Digitized by Google

Præteriit socios; quò reddita prima (10) potestas,
Limitibus constricta novis, quibus utitur heros.
Non ausi damnare Patris sine crimine votum,
Dum sacrum officium refugit, discrimine grandi
350. Se propter causâque sui fortasse suborto.
Sed modus accelerans, sociis incognitus, urget.
Jam propè transactis hibernis mensibus absque

CAP. VIII.

Votivo fructu, naturâ gressibus impar,
Regali de stirpe satus Regisque vetusti
355. Francorum, Siculique maris terræque secundus.
Rex (11) Carolus, toties adversis flatibus actus
Fortunæ, fatique simul memorabile signum
Instabilis (dum gesta Patris, dum (12) lilia bellis
Jam pridem vicisse (13) Duces memoramus, & armis
360. Insignem, sed morte gravem, (14) mœstumque dolore
Conspicimus, bello navali en fusus ab hoste,
Carcere spectatus * Siculo, servatur in oris
Filius amissis, luctus, cordisque superbi
Lancea) * nunc iterum, triplici sub carcere (15) prole,
365. Mensus iter rediit, Perusina per ardua, sponsum
Dum petit Alma (16) suum, veniens à sedibus idem
Gallorum, comitante patrem jam Principe (17) duro
Militibus paucis: comes sit super igneus olli
Marchio (18) Ferrati Montis, puerilibus annis
370. Majorem * ostentans animum, placidusque citusque,
Nec non & Carolus proles firmatior ævo,
Martelli cognomen habens, regnique vocatus,
Ungariæ Rex, ille puer, formâque venustus,
Humanum gestans potius quam militis acrem
375. Aspectum: qui nempe sciens properare parentem,
Obvius, Apuliæ stipatus milite regni,
Digressus Capuâ venit, Romamque peragrans
Etruscamque plagam, donec sibi jungeret alas.
Fortè juvat scripsisse modum, quum Cardine fulti
380. Servarint. Nam clara dies ubi lampade solis
Illuxit, theatrum subeuntes turba Senatus,
Levitas geminos mittunt non longiùs Urbe
Regis in occursum. Series diffusa (19) caparum
Hos sequitur, ceu turba Duces, mandante [Senatu.]
385. Præcedunt Laici; crescit distensa sequela.
Elistæa (20) suas variatis vestibus hastas
Cursibus in festis Equites effringere jussit:
Cætera Communis (21) complere Palatia Patrum
Turba, moram firmans: decet hanc servare quietem,
390. Dum vacat heu! Sedes: (22) Papæ nam pondera gestant
Hos siquidem (23) viridi susceptos gramine fulci.
En duo Levitæ (24) sortiti corpora Regum,
Alterutro comitante suum, majore parentem,
Atque minore satum illo, passim mœnibus Urbis
395. Deducunt; quoad alta domus (25) plateasque subintrant.
Ast sacer internâ præstolans parte theatri
Hinc Cœtus processit iter, longamque per aulam
Egreditur, qua parte domus fastigia parvum
Extendunt scalæ spatium, quod sedibus instat.
400. Tunc inibi veteri stantes ex ordine Patres
Oscula * condonant Regi Regique minori,
Cui primum vidisse datum est [id] temporis omnes
Cardineos proceres: aulæque sedilibus ambos
Constituunt, dextraque patrem, lævaque minorem;
405.

(10) * *Nam Cardinales, ubi Portuensis cessit, reddiderant ei officium Sanctæ Pœnitentiariæ: limitatè tamen*] dicitur autem quòd ille *præteriit socios*, id est *superavit* sua discretione.

(11) *Carolus II.* cognomento *Claudus*. Ita Albizius Florentinus in Stemmatis Principum Christianorum folio XVII.

(12) * *Caroli primi, qui fuit Rex Siciliæ.*]

(13) * *Nam vicit Manfredum & postea Corradinum*,] hunc Friderici II. ex filio Conrado Siciliæ Rege nepotem, jure paterno Siciliam repetentem; istum ejusdem Frederici notum, qui à fratre moriente tutor filiolo relictus, regnum tyrannide occupaverat: fuit certè utriusque diversissima causa, ideoque victoria de Manfredo successum optimum, de Conradino verò, crudeli innocentis supplicio cumulata, ipsius victoris ruinam post se traxit: exinde enim ipsius ac posterorum fortuna retro collapsa est, ut mox sequitur.

(14) * *Nam Carolus I. capto filio mortuus est*] captus est autem filius Carolus II. à Rogerio Laurea Aragonicæ pro Alphonso Rege classis Præfecto, ann. 1284. & primùm detenpus in Sicilia, post mortem verò patris, abductus in Aragoniam est.

(15) Subintellige, *relicta*: * *Nam tres filii istius Caroli tenebantur in carcere*] id est obsides pro patre dati anno 1288. qua de re vide Rainaldum dicto anno num. 17. & seqq. manseruntque in Aragonia illi usque ad annum 1295.

(16) Subintellige, *mater Ecclesia*.

(17) * *Filio ejus primogenito:*] atqui hic Carolus Martellus erat, de quo mox infra ad versum 371. similis Glossula * *qui major inter filios*. Cur autem hic *Durus* appellatur? an potius legendum *Divo*, propter titulum Regis Ungariæ.

(18) * *Qui vocabatur Joannes*,] fuitque duodecimus & ultimus suæ stirpis; quia, & sine liberis mortuo, Marchionatus transiit ad Palæologos, & ab his porrò per matrimonium ad Gonzagas Duces Mantuanos anno 1533.

(19) Clerum haud dubiè intelligit, cappis choralibus (Pluvialia vocant) indutum.

(20) *Elistæa*, * *idest, Perusia*,] unde aut ex quo capite sit dicta non divino. Idem nomen recurrit lib. 1. de Canoniz. S. Petri ỷ. 227. ubi Oldoinus ad Ciacconium tom. 2. col. 265. *Clistæcam* legit: quod ibi quidem, hic autem sufficere nullo modo potest. Equites autem variatis vestibus, sic ut geminam turmam geminus color & habitus diversus distinguat in certamen committere, ad cæteras publicæ lætitiæ pompas ea ætate pertinebat.

(21) * *Communis palatia*, * *id est Communitatis palatium*] seu Curiam.

(22) * *Nam in Collegio, Sede vacante, residet potestas Papæ*,] & ideo decebat ipsum se non commovere.

(23) * *Duos Reges prædictos, scilicet Carolum II. Regem Siciliæ & Carolum Martellum Regem Hungariæ filium ejus.*]

(24) * *Scilicet D. Neapoleo de Ursinis, & D. Petrus de Columna, Diaconi Cardinales.*

(25) *Domus*, .1. Ecclesia Cathedralis vulgò Italicè *il Domo*, Teutonicè *der. Dom.* Dubites an à lingua Latina, qua *Domus-Dei* Ecclesia dicitur: an à Longobardica potius, in qua particula *Dom.* Principalitatem denotasse potuit, sicut hodieque in Teutonicis compositis *Paus-dom*, *Prins-dom* &c. Papatus, Principatus.

Digitized by Google

405. Pontificum patrem medium, mediumque secundum
Inter Levitas primos: paulumque morati,
Applausere jocis, vultu, risuque, loquela,
Et nutu sibimet Reges Patresque, fideli
Assistente manu, cupientum visere morem.
410. Inde domum Reges comites habuere (26) Priores
Levitas. Non longa dies, & tendere cursum
Parthenopem decrevit (27) Herus: sed primitus omnem
Alloquitur Cœtum, (28) Sparagi sermone profatus,
Rex Pater: & precibus rogitans spiramine sacro
415. * Afflari, populoque Dei Pastore (29) quietem
Imponi. Responsa Duci digesta Latinus
Attulit, & placido diffudit verba lepore.
Post, lapso celeri spatio, Rex mane secuto
Visere supremum Cœtum: dictoque, Valete,
420. Corripuit gressum, comitatus ab ordine Patrum
Usque foras Urbem: rediere in tecta Parentes,
Mens quibus (30) adversa est: quamvis per plura sequendum
Consilium visum est varias requirere formas,
Ut sibi concordes, animo factisque placerent.

LIBRI II.

CAPUT PRIMUM.

Subita & insperata electio Fr. Petri de Murrone ad Pontificatum.

CAP. I.

Sic igitur Phœbi diffundens orbita lumen
Quaque die, motu proprio provecta sub orbe
Sideris (1) obliqui, quod acta reviderit (2) anguem
5. Cursibus expleri; geminum perfecerat ardens
Continuum gyrum, solitoque recurrere motu
Cœperat, & quartam tertî lustraverat anni (3),
Parte sui Phœbum gestans quæ subdita Cancro est:
Nec tamen assensus omnis convenerat aptus
10. Pontifici tantoque Duci. Tunc mira voluntas,
Inspirante Deo facta est (4), patiente vel illo.
Congruit, ô juvenes, aggressi pandere metro
Hæc nova, carminibus divum * rogitemus (5) amorem.
Solverat obscuras pellentes æthere noctes
15. Sol radios, egressus equis, roseisque quadrigis
Invectus; cùm turba Patrum de more sedentum
Convênit: dextrumque latus (namque ordine primi)
Pontifices tenuere sacri (6), Levitaque lævum:
At latus objectum subductæ hoc tempore (7) Sedi
20. Presbyteri, rubris quos lustrat Cardo galeris:
Queis deerat, languore gravis, fluidusque podagrâ,
Unus; & alter Apex juvenis, stans ordine lævo
Neapoleo; quem dira sui compassio fratris
Urgebat; quia lora puer laxaverat (8) arctum,
25. Exanimis superante malo. Heu! mors nescia legem
Tollere! Nec gazis parcis, nec parcis honori:
Nobilitas ignota tibi; discrimina sexus
Negligis: an vigilem reddit te cura potentum?
Falce tua juvenes resecas & comprimis annos:
30. Et senibus vicina quies odiosa juventæ,
Improvisa venis stultis; nec fallere quisquam
Te poterit sapiens, quamvis lustraverit omnem
Doctrinam; pensare (9) necem medicina malorum est.
Namque Patres casum mortis dum concita fata
35. Alterno sermone ferunt; Cur protinus, inquit
Unus (10) mente gemens Procerum, caligine tetra
Differimus lacrymas mœstæ detergere Matris?
Curque Sacerdotem summum præponere mundo
Negligimus? Cur tanta, Patres, discordia nobis?
40. Hæc cùm dicta forent, letique novissima sermo
Longior exprimeret; præsumpta relinquere verba
Incipiunt. Sed corde vigil, succensus amore,
Et domitus terrore Dei, dimissa Latinus
Assumpsit, referens. Ferventi (11) lampade visa.
45. Res mihi comperta est, Fratres (quos Patris honore
Attollo) memoranda metu, quam dicere fas est.
Spiritus omnipotens, devotis clausa revelans
Et pandens ventura suis, hoc tempore visu
Ostendit, dixitque viro, qui consonat actu
50.

(26) * *Scilicet Dominos Neapoleonem & Petrum.*]
(27) * *Rex Siciliæ.*] *Parthenopem* autem * *Neapolim* dici notius est quàm moneri debeat.
(28) * *Proprium nomen.*] Regii fortassis Secretarii.
(29) * *Per Pastorem*] id est, per Pontificem citò creandum.
(30) Idest, *inter se discordes.*

Etiam in hoc Capite errata quædam per conjecturam emendanda fuerunt, videlicet:

℣. 288. quam pellere certant. *lego*, quasi pellere certent.
291 parte, *l.* patre.
292 Conspicuus, *l.* Conspicuis.
316 quin sanguinis usum, *l.* quia sanguinis usus.
322 eos, *l.* eo. 324. servatus *l.* sacratus.
343 cum multis, *l.* multisque.
344 provisa forent, *l.* procusa fovent.
345 omnis, *l.* omnes. 360. dolorem *l.* dolore.
362 Siculis, *l.* Siculo. 364. nec. *l.* nunc.
370 ostentas omnium, *l.* ostentans animum.
401 condonat, *l.* condonant.
415. Affari, *l.* Afflari.

NOTÆ AD CAPUT I.

(1) id est *Zodiaci*, qui obliquo orbe inter tropicos Cancri & Capricorni ducitur.
(2) Ad Solstitium hibernum, Capricorni signum percurrens sol, proximè *Serpentem* respicit, ad illam Tropici hujus partem locatum; sicut ad alterius Tropici partem ob versam, cernitur *Hydra*.
(3) * *Nam Vacatio duravit duobus annis & quarta parte tertii.*]
(4) * *Curialiter Auctor devitat respondere quæstioni, an electio Fr. Petri de Murrone fuerit ex inspiratione, vel Dei tolerantia.*] Ita ipse auctor.
(5) Idest, Spiritum Sanctum.
(6) * *Nam stant à parte dextra Episcopi, à sinistra Diaconi.*]
(7) *Nam Sedes modo vacabat,*] ideoque nulla posita erat sedes in capite Consistorii seu Conclavis, ubi aliàs locus Pontificis erat.
(8) * *Idest, per arctum.*] Videtur ergo indicari, quod juvenis per arctam viam effusis habenis equitans, alicubi collisus fuerit, indeque mortuus.
(9) *Pensare* id est, *cogitare*, Italis, Francis, Hispanis communis vox, uti & communis origo cum Teutonico *Peinsen*.
(10) * *Tusculanus*] Joannes Buccamatius.
(11) Nocturna visa intelligi clarius patet infra ℣. 67.

Digitized by Google

50. Et volitis cum lege Dei, quòd, ni properemus
Sumere Pontificem mundo qui præsit & Urbi,
Ira Dei graviter desæviet, iraque fervens
Justitiâ mandante furet. Nec tempora longa:
Nam neque vindictæ monitus protenditur ultra
55. Bis geminum mensem, cùm festa celebria cives
Agglomerant superi plausu, Sanctisque colenda
Redditur (12) una dies. Fratres, hæc dicta cavendum
Admoneant, reddantque Deo per sæcula caros.
Tunc quasi subridens (13) alius; * Num visio fratris
60. Ista Petri referat, quem de Murrone vocatum
Fama docet? Cautè, Præsul * cui Ostia servit
Quæsitis responsa dedit, sunt ista tenenda;
Sed patulas, petimus, clausasque loquaris ad aures.
Nempe Pater, * summi prærupta cacumina montis
65. Speluncasque habitare solens, devotus eidem
Scripserat, insinuans, quòd cùm sublimia cœli
Contemplando, Deum noctu ante Altaria flexus
Cerneret; irradians ardenti lumine mentes
Spiritus æthereus fuit in præcordia fusus,
70. Ipsi præcipiens, ne grandis culmine Cardo
Territet, ac veluti sint (14) Fratres jussa loquatur
Cardinibus; pernix referans, quòd ni properarent
Sumere Pontificem, mundo qui præsit & urbi,
Ira Dei graviter desæviet, iraque fervens
75. Justitia mandante furet, nec tempora longa.

CAP. II.

Talibus exciti collatio plurima sacri
Fit Patris in Cœtu, vitæque beata retexunt:
Hic memorat mores, hic vitam; miraque gesta
Extollunt alii: numquid sit dignus honore
80. Papatus, secum tractant, diversa loquuntur.
Vidit ut infusas sacra dulcedine mentes
Ille Pater, qui visa viri sermone ferebat,
Prosiliit, primusque dedit sua vota, professus
Urbis ut eximiæ dignè sit Præsul & orbis
85. Murro: quem sequitur, * rogitantem vota gradatim,
Bis numerus trinus: duplex Levita (15) Senatûs
Distulit assensum parum præstare, quousque
Consulat adsentem (16) pressum languore podagræ.
Mittitur interea pro Neapoleone, fuitque
90. Præsens, & placidè laudavit vota priorum.
Ventum erat ad primum magna pietate refertum
Levitam, quem longa quidem prudentia tardum
Fecerat: hic cernens jam crescere concita (17) Christi,
Infremuit, lacrymasque gemens de corde profudit
95. Sincero, genibusque ruit curvantibus, (18) æther
Suspiciens, ac mente pia nec dispare voto
Assensit Patribus. Dumque arduus ille Matthæus
Hæc peragit, socii tumida ad suspiria moti
Perfudere genas lacrymis, & pectora guttis,
100. Et secum læti numerum complesse fateatur
Qui deerat: sed scita tacent, & corde sigillant.
Tunc missi rediere, duces (19) absentis amici,
Et sua prodentes conformia vota creato,
Non suspensa (20) tamen, sensum sed habentia purum.
115. His ita succinctè cusis, molimina tarda
Qui nescit, stimulante Deo (* namque abditus Urbi,
Omnibus ignotus facie, sed cognitus alto
Æternoque Patri fuerat: nec tempora prisca
Contulerant præferre virum deserta colentem.
120. Nec digesta quidem suberat, sed cruda voluntas:
Ipsis nec relevans * depressos ardua mentem
Spes dederat; vulgata diu nam bella parabant,
Ut pressi domitique viri sub jura redirent
Ecclesiæ, terras Veteris (21), prænominis urbis
125. Vastantes. Ah! dira lues! insurgere cives
In Dominam, dum mœsta gemit solatia Sponsi.)
Hunc iterum legere, Patrum prodente Senatu
Unanimem sensum vocemque per ora Latini,
Et Patris, & Geniti, Sancti quoque Flaminis unam
130. Interpellantis Deitatem cuncti-potentem,
Auxilio dum tuta Crucis Signacula dextrâ
Assumit. Sic iste Petrus, cognomine Murro,
Eligitur. Proceres pariter dehinc laude resultant,
Hincque simul psallunt: dum primus in ordine lævo (22)
135. * Pandit eum populo, quem clausa silentia notant.
Jam resonat divis Clerus sua classica templis,
Undique concurrunt cœtus, ac undique turbæ
Fit strepitus; quæruntque simul quis noverit illum.
Non secus exultant homines, cursuque moventur,
140. Depressosque animos torpore ad murmura figunt
Attoniti; quàm tecta domus sublimia muris
Arte vagi solitâ venantes tendere gaudent,
Cùm pedibùs celerem ac ramosa fronte superbum,
Gramina tondentem campis vel fortè jacentem
145. Insiliunt cervum, [&] latratu surgere cogunt
Olfantes (23) catuli, cùm forsan lumina Phœbus
Conderet in noctem, languensque gravantia membra
Vespe-

(12) Festum Omnium Sanctorum, 1. Novembris: agebantur autem hæc exeunte Junio: inter quem, & Novembrim quatuor menses intercedunt.
(13) *Campanus, qui vocabatur. Benedictus, & postea fuit Bonifacius VIII.*]
(14) Hoc Auctor in fine operis ℣. 196. accipit in argumentum Spiritus prophetici in Petro, qui per hoc intellexerit fore, ut Cardinales aliquando appellaret Fratres factus Papa.
(15) Jacobus & Petrus Columnæ.
(16) Petrum Card. Præsbyterum S. Marci.
(17) *Conscita.* I. decreta: Sed qua licentia corripiatur penultima, ignoro: idem rursus occurrit ℣. 391. Sed *consita* scribitur: uti etiam in fine operis ℣. 273.
(18) *Æther* neutro genere usurpari à Mario, Victore, Ennodio, Fortunato, Aldelmo, & aliis notat Cangius.
(19) Qualia scilicet fuerant vota duorum Columnarum.
(20) Idest, absentis personam repræsentantes, & sic eum quasi in conclave adducentes.
(21) Idest, *Veteris Romæ*, qui autem ejus terras vastabant, & ad quos compescendas intentio Cardinalium ferebatur, Aragones erant: est porro hæc valde longa parenthesis.
(22) Idest, primus Diaconorum, ad quem spectat electum populo indicare.
(23) *Olfantes*, idest, *Olfacientes*, mirabili sane contractione. Quanto elegantius Virgilio dicitur, *Odora canum vis?*

Digitized by Google

Vespere venator deferret in hospita tecta.
Nam subito prædæ visu, mœstissima vultus
150. Læta redit facies, rubro calcaria guttant
Sanguine, veloces nec non in bella molossi
Lassantur proni, distendunt illia cursu
Pectora conjuncti terris, & colla profusi
In profugam prædam; sequitur quos non propè gressu
155. Hispida turba canum latrans, & fessa requirens
Siccâ nare pedum vestigia: nec minus omnes
Per loca distantes, donant clamoribus aures,
Et duce latratu properant attingere prædam.

CAPUT II.

Electio nuntiata Petro à Legatis in Murronem missis, & ab eodem acceptata.

CAP. III.

O Bona temperies, Cœlo & delapsa profundo,
160. Squallida corda rigans, siccasque ligamine partes
Associans, quàm tarda venis! quàm concita nostram
* Deflectunt nocitura viam! Nam linquere dulcem
Incipiunt pacem Proceres, monstrantque dolere
Hunc legisse virum: namque ipsi mittere, de se
165. Qui referant decreta Patrum suffulta sigillis,
Post varios tractus, & verbis vota retusa,
Dimittunt (1) errore gravi, discordia claret,
Quam durum celare fuit per tempora retro.
Nam * mediæ (2) per signa viæ Sol egerat ardens
170. Bis repetens cursum, * quartamque volubilis anni
Alterius partem, cùm mœsta vacatio, Sedis
* Afflictiva moram traheret; turbantibus ipsis
Ecclesiæ pacem. Mandant ea propter, ut acta
Quinque ferant properè: quorum tres ordine vecti
175. Pontificum sumpsere gradum, duo munia Scribæ
Papalis, deerant tamen his (3) Scarletta Galeri.
Cùmque super strictas (4) Fauces montanaque claustra
Transissent, Populique (5) domos, ubi pinguior amnis
Ingreditur gelidas vallis Sulmonis in undas;
180. Qua poterant vidisse locum, quò tendere cursum
Optabant, flexere viam: dextrumque secuti
Sunt latus, ingressi Sulmonis mœnia primum.

CAP. IV.

Mons (6) erat excelsus, directis rupibus asper,
Qui situs in medium radios defendit ab urbe,
185. Ne feriant surgente die per plana jacentem
Sulmonem; cui nomen erat de tempore multo
Ursa, & per longum vallis diffusus agebat
Limitis officium, verso quia lumine zonam
Clauserat ardentem; qui ne qua parte reclusum
190. Panderet ingressum vallis, sibi junxerat aptè
Rajani montes (6), velantes cardine occasum
Solis, & objectas rupes Aquilonibus altas.
Hujus summa situs Murronum nomine clamant
Pone (7) laborantes depresso vomere terram.
195. Hinc sibi cognomen dederat (nam primitus illic
Manserat) angustâ cupiens pertingere vitâ
Cœlica Regna Pater: sed cùm jam crescere famâ
Cœpisset niveis Majellæ montibus Heros,
Duraque per canos esset transvectio colles;
200. Compatiens populis quos pura vocatio traxit,
Hunc habitare locum rediit. Sed cellula ripa
Saxea, qua facies medio non culta rigebat
Erigitur, depressa tamen, plus carceris usum
* Quàm placidi præstare solens spectacula visus.
205. At nova radici montis subfixa relucent
Templa (8) Sacerdoti; cujus sub dogmate vita
Illic arcta viget Fratrum memoranda (9) per orbem.
Huc igitur venere Duces, quos ipse Senatus
Miserat, & rapidum mandant conscendere collem
210. Abbatem (10) qui templa regit; cum vespere Phœbus
Umbrarum signat vacuas ad mane (11) figuras.
Paretur dictis: petitur quo tempore possint
Jussa referre viri: defertur copia Missis,
Ut libet. Ast illi terras cùm instare tenebras
215. Perciperent noctis, posuere in mœnia somnum.
Sulmonis: nam grande fuit conscendere montem.
Ast ubi clara dies illis advecta refulsit,
Speluncam petiere Patris: quò (12) fusa per artus
Unda fluit gravitate viæ. Procedere bini
220. Vix poterant: consurgit opus, dum proxima cellæ
Adveniunt, * servando gruum per summa volatum.
Jungere se his comitem, non missus ab ordine * toto,

Ve-

Nunc quæ corrigenda putavimus accipe, & si quid in his ipsis erratum videatur, ignosce.

℣. 13 Rogitamus, *l.* rogitemus.
59 Non, *l.* Num.
61 Præsularique, *l.* Præsul cui.
64 Summus, *l.* Summi.
66 sub limina, *l.* sublimia.
85 votum rogitante, *l.* rogitantem vota.
116 nam præditus, *l.* namque abditus.
121 depressas ardua mentes, *l.* depressos, ardua mentem.
135 Panditur in populum, *l.* Pandit eum populo.
136 Cleri, *l.* Clerus.
142 soliti, *l.* solitâ.

NOTÆ AD CAPUT II.

(1) *Dimittunt*, idest, Omittunt.
(2) *Mediæ viæ*, idest, Zodiaci.
(3) *Scarlettum*. i. purpura, aliis *Scarlata*, *scarlatum*, quam nonnullos ab Arabico *Yxquerlat*, idem significante accersere, indicat Cangius.
(4) *Fauces* Apennini in Piceno vulgo *Foce*, haud longè ab ingressu Aprutii, distant Perusio 50. *p. m.* versùs Orientem, istinc unde duo in contrarias partes fluvii nascuntur; Nera, in Tiberim percursâ Umbriâ immergendus; & Aso, ad mare Adriaticum properans.
(5) *Populus*, vulgo *Popolo*, oppidum Sulmona distans 9. *p.m.* ubi aquæ, vallem Sulmonensem irrigantes, Aterno flumini miscentur.
(6) * *Nam montes Rajani sunt ad occidentem, & juxta sunt quadam rupes altæ, quæ ad Aquilonem stant*] atque ita ex tribus partibus monte clauditur vallis Sulmonensis.
(7) * *Juxta*] arantes.
(8) * *Abbatia Sancti Spiritus*].
(9) * *Quantum ad asperitatem*].
(10) * *Qui erat Fr. Onuphrius de Cornu, Aquilanus*].
(11) * *Idest*, *Contra : nam horâ vespertinâ umbræ cadunt contra Orientem.*
(12) * *Idest*, *Propter quod*] copiose sudarunt.

Digitized by Google

Venerat, & cautus properabat ut omnia tentet,
Ipſe Petrus Levita Sacer Cardoque, Columnæ
225. Stirpe ſatus (gratumque ſibi (13); haud ſic laude refertum,
Poſt data Legatis conſenſu nuntia Fratrum,
Maturare viam quemquam niſi primitus illi
Juſſa ferant) en teſtis adeſt, dum curritur altis.

CAP. V.

Ventum erat ad ſpatium, duro (14) ſub tegmine, clauſum
230. Oſtiolo muroque brevi, quo tendere longe
* Lumina proſpectus poterat: poſtque ordine recto
Parva domus fundata jacet, vicinaque cellæ:
Nam paries medius, limes communis, utramque
Partitur; geminas reddens ſcindendo caſellas.
235. Illic & (15) luſtrum, ferri quod retia claudunt
Imminet; unde Pater reſidens admittere gentes
Alloquiis fuerat ſolitus, cùm vincula linguæ
Solvebat: ſiquidem nulli contingere Fratrum
Fas erat ambitam muris: nec pervia greſſu
240. Arcta ſpecus, Chriſti ſervans ſub carcere ſervum.
Protinus ingreſſi Proceres, adſtante Columna,
Grandævum videre ſenem per ſecta feneſtræ,
Attonitum tantave ſuper novitate morantem,
Hirſutum barbâ, mœſtum pallore figura,
245. Atque genis maciem jejunaque membra ferentem;
Sed * tumidas lacrymis, oculi * velamina (16) nigri,
Palpebras; rigidumque toga, vultuque verendum.
Nam domus, & facies, habitus geſtuſque beatum
Demonſtrant. Nudare caput, genibuſque proſuſi
250. In facies cecidere ſuas: quibus hic viceverſa
Procubuit terra. Tunc Lugdunenſis adorſus
His ſuper incepit verbis, concepta recludens.
Summa Dei pietas, populi miſerata dolorem,
Cùm multum diſtare viâ diverſa ſequentes
255. Cerneret, inſtabilis ſub quorum cardine mundus
Vertitur, ac validis navim quaſſarier undis
Eccleſiæ, lugentis (17) Herum; te, ſumme Sacerdos,
Elegit populi Rectorem, ſanguine Nati,
O quanto pretio! ſalvati; teque vocatum
260. Eſſe Deo, monſtrat deſveta potentia Fratrum
Tendere concordem curſum, quæ commoda * vitæ (18)
Celare inſtituit communia: eiſque relato
Nomine, tunc primum junxit diſtantia corda:
Spe ſine, te ſumunt ſubitò. Nec ſcriberis ulla
265. Membrana (19) clauſus, quoad uſque patentia fiant
Vota Patrum: (20) nec poſſe ſuum tam grande Senatus
Contulit in paucos: ſed concors ſpiritus illis
Panditur effatu, quem nos ex ordine ſcriptum
Portamus, fultum cera, fultumque ſigillis,
270. A Patribus miſſi, quos uvea (21) grana * cruentat
Cardinis in ſignum; celebris juſſuque Senatus
Offerimus tantoſque Patres Cœtumque volentem:
Submiſſique genu te poſcimus. Annue cœptis:
Annue devoto plebis languentis * amori,
275. Et releves quæ preſſa jacent, * ſub morte ſuperbâ.
Ne * valeant errare freto, tu navita doctus
Vela dabis prenſata manu, clavumque tenebis
In rectum; frænabis equos aurigaque currus.
Orantis ſteterat ſermo, paucisque relatis
280. A ſociis motuque (22) Petri, ſic incipit heros.

CAP. VI.

Attonitor ô Proceres, tantis novitatibus impar
Auditu; tantumque movent, quod neſcius ipſe
Efficior dubiis, quid ſit conſultius inde
Aſſumi. Sed mente Deum ſubmiſſiùs altum
285. Accedam rogitare: Patrem vos inſuper illum
Poſcite * devotis precibus, quo viſere, Fratres,
Vos * redeam. Capta inde manu decreta locello
Intulit; & celſum poſcens ſibi Numen adeſſe,
Oravit proſtratus humi, quo carpere divum
290. Chriſti poſſet iter, gratumque fidelibus orbis
Poſt morulam Senior: Miſſis ſermonibus, inquit,
Fert Auguſtini nobis ſententia Sacri,
Sufficiens (23) paucis auditum tangere verbis
Prudentis, quo pauca feram virtutibus * amplè
295. Ornatis, magniſque ſtatu, * verboque diſertis.
Papatus accepto gradum: vocique Senatus,
Qua legimur, Proceres, ſupremi ad culminis arcem,
Annuo, conſenſum præſtans; ac primitus illam
Robore confirmo ſtabili; ſubmittere promptus
300. Colla jugo, regnante Deo: nam conſcia mens hic
Judicium trepidat regnantis in omnia ſecla,
Et pavet Eccleſiæ caſum, * amfractibus arctis
Implicitæ, ſi pace (24) ſui diſcrimine tanto
Deſereret Sedem Romani Præſulis almam.
305. Illicò ſubmiſſi chiffonibus (25) oſcula figunt
Villoſis: dedit ora Pater, dedit oſcula blanda,
Ut ſolitum eſt: laudes reſonant: concordia vocum

Ad

---

(13) Ideſt; ſic quippe ei placuit, licèt non ſatis decorum eſſet, quemquam &c.

(14) * *Dicit, Duro, quia non erat coopertum ſpatium niſi cœlo & terra*].

(15) * *Ideſt feneſtra*].

(16) * *Nam habebat oculos nigros, & palpebras tumidas*].

(17) Ideſt, Dominum & ſponſum amiſſum, ſcilicet Nicolaum Papam.

(18) Ideſt, quæ ſolet diſſimulare ut ſtudeat privato.

(19) * *Sicut in ſcrutinio*] per ſecreta ſuffragia facto.

(20) *Sicut fit in compromiſſo*] quæ ſunt duæ magis ordinariæ formæ electionis, quam quæ fit per conclamationem, uti factum in Petro.

(21) * *Qui portant capellos de Scarletto*]. i. galeros rubros: eſt autem *Grana* purpura, de qua etiam infra.

(22) * *Quia à ſe, non ex parte Collegii loquebatur*] Petrus Cardinalis Columna.

(23) * *Scilicet eſſe*].

(24) * *Ideſt, propter pacem ſuam*.

(25) * *Nam habebat chiffones in pedibus*]. Apparet calceamenti genus, Aprutiis uſitatum, ſed perquam vile, id eſſe: interroganti verò Roma reſcribitur *calopodia* videri ſeu *calceos ligneos*, & à *cippo* ſeu trunco vocem forſitan derivari: nec diſplicet: oportet tamen non integrè ex ligno fuiſſe, ſed ligneis ad plantas ſocculis ſubinductam habuiſſe villoſam pellem, qua pes contineretur.

Digitized by Google

Ad pia deflexit suspiria. Visere cuncti
Optabant audita (26) Patris. Festinus euntûm
310. Aëris attractum cursus spissabat (27) amœni.
Hos inter medius cursu conscendere montem
Gliscebam Vates, membris vultuque resudans,
Et cupiens gelidum crebris attractibus oris
Aëra diffundi placido per guttura cordi.
315. Is neque solus eram: sed magnæ copia gentis.
Astabat, sperando Patrem jam cernere visu,
Celatum pridem multis venientibus illuc.
Pontifices, Clerus, Fratres, Comites, Proceresque,
Nobilibus clari titulis, virtute * corusci,
320. Hic magni parvique simul: quorum inclytus Heros
Tu Carolus, Regni Siculi successor (28) avitus,
Unus eras; juvenis, parvâ crescente per albas
Pube genas, clarus faciem, flavusque retortam
Cæsariem, Regemque vocant te sanguine (29) matris
325. Ungariæ; licèt illa jugo * nunc pareat ora
Andreæ (30), quem jura volunt præponere Regno.
Non nostrum est metro disquirere sceptra potentum;
Sed potiùs, dum vita placet, dum spirat odorem
Fama Patris vulgata bonum, nec miscuit actus
330. Ille suos tenebris, vicinus culmine Cœlo,
Texere Pontificis decrevimus ardua vitæ (31).

CAPUT III.

De prima vita Fr. Petri, & singulari exercitationis Eremiticæ rigore.

CAP. VII.

§. I.

Est locus Aprutii, cui profert accola nomen
Molisium, patria * huic quondam, vel parte laboris
Terræ! Et, quamquam humilis generis, pietate referti
335. Dicuntur rectique Deum temuisse Parentes
Hujus, & hospitio promptè recludere nudos.
His puris data magna, Jacob veluti Patriarchæ,
Est Soboles duodena virûm de munere divo.
Cùmque * pios gererent animos, precibusque rogarent
340. Sæpe, Dei verum natorum crescere quemquam
Cultorem; dehinc morte patris, senisque (1) relictis
Pignoribus, completa senum sunt vota parentum.
Nam puer hic sacris, quinquennis palmula, libris
Traditur undenus; matrem (2) ut per omnia lætam
345. Efficiat: quæ mente gemit dum viscera partu
Jam sentit defecta, sinu nec * suscipit ullum
Relligione sacrum, præsertim funere nati (3)
Alterius. Sed fraude nocens, * diràque superbus
* Invidiâ, magnis parvum subducere dæmon
350. Tentat, ut abscedat cœptis: tentatque ministros
Ille suos, pueri fratres; matrique suadent,
Otia ne cupiat puero, quia sufficit alter
* Ædibus, & satis est, desit quibus ampla supellex,
Nec minùs interea hunc opibus succedere dives,
355. Hæredemque sibi spondens blanditur amatum.
Hæc super & matrem dæmon velatiùs (4) illum *,
Tentat, ut avertat studiis: quia doctus in arte,
Arte futurorum, matri substare periclum
Cernat, & ingratum Christo, letoque dolentem
360. Facturum profectò suam (5); potiusque minorem

§. II.

Instruat. At mulier memorans nascentis alumni
Prodigium (nam vestis eum velarat (6) euntem
Relligiosa tegens) nato haud præbere favorem
Destitit; ac volvens persæpe in pectore jussum
365. Commatris, dare dona suo, dare dona magistro,
Imbuat ut puerum; siquidem [patrem] illa monentem
Audierat, dum somnus erat * patæque tenebræ
Post

(26) Idest, ea quæ de Patre audiverant.

(27) Dum scilicet pulverea nubes ascendit à pedibus festinantium.

(28) * *Prout sperabatur (nam erat primogenitus) sed postea mortuus fuit ante Carolum II. Regem Siciliæ, patrem suum: ita quòd iste Carolus Martellus, Se quo fit mentio, non fuit Rex Siciliæ*].

(29) *Maria*, Stephani IV. Hungariæ Regis filia & soror Ladislai III. absque liberis mortui anno 1290.

(30) *Andreas III.*, Andreæ II. ex Stephano postumo nepos, Venetus cognominatus à matre Tomasina Maurocena: huic autem, exclusâ Mariâ, tamquam feminâ, prætendebatur potius deberi Regnum, deficiente in Ladislao III. linea masculina, ab Andrea II. per ejus primogenitum Bellam IV. ducta.

(31) Post hæc * *incipit Vita Fr. Petri sententiosa*, sive (ut in syllabo Capitum, & sæpius deinde legitur) *seriosa*. Interim accipe quæ in textu visa mihi sint mutanda.

℣. 162 Defectis, *lego*, Deflectunt.
196 mediam per signa viam, *l* mediæ per signa viæ.
170 quantamque, *l.* quartamque.
172 Afflictura morem, *l.* Afflictiva moram.
204 Qua, *l.* Quam.
221 servanda, *l.* servando.
222 tanto, *l.* toto.
231 Tendere, *l.* Lumina.
246 tumidum, *l.* tumidas, velamine, *l.* vel animo.
261 vitans, *l.* vitæ.
268 affatum, *l.* effatu.
270 cruentant, *l.* cruentat.
274 amari, *l.* amori.
275 sub mitte, *l.* sub morte.
276 valeas, *l.* valeant.
286 devotum &, *l.* devotis.
287 reddam, *l.* redeam.
289 quod, *l.* quò.
294 amplis, *l.* ample.
295 verbisque, *l.* verboque.
303 an fratribus artis, *l.* amfractibus arctis.
319 coruscis, *l.* corusci.
325 nec, *l.* nunc.
327 vestrum, *l.* nostrum.

NOTÆ AD CAPUT III.

(1) Ipse quidem Sanctus *septem* numerat: sed vel hinc apparet, istud ejus scriptum ad manus Auctoris non pervenisse cùm scriberet: quod & ipse infra num. 549. confirmat quæ narrat de vita Sancti audivisse se profitens, non legisse.

(2) * *Mater vocabatur Maria.*]

(3) * *Quia alter filius fuerat Clericus, & fuit mortuus.*

(4) * *Nam dæmon assumpto corpore fingebat se divinum, & dicebat matri, video subesse periculum*]

(5) * *Scilicet matrem.*]

(6) *Euntem*, i. prodeuntem.

Digitized by Google

Post lucem, * Qua scire meat (7), dic ergo jugali
Sponsæ, quod placitum est nobis procedere parvum.

§. III.

370. Sic * erit ut Cleri crescat sub dogmate noster
Filius; & nobis, matri, multisque valebit
Proficiens: incepta tamen non deserat, inquit,
Si nostri memorem teneat, si firmat amorem.

§. IV.

Ast infans, supero perfusus rore, decorem
375. Induit, ut parvo nosset producere Psalmos
Qui sibi solamen, requies, tutelaque cursus
Ad meritum vitamque forent, dum labitur ævum.

§. V.

Cùmque puer denum, binumque peragerct annum
Hunc mulier niveas pascentem pascua (8) tonsas
380. Aspicit imberbem, dubiamque preambula terrent,
Dum sopor est, dum somnus abest, dum mente revolvit
Visa: sed introrsum meditans discussiùs, infit,
Collætare, puer, niveum fortitus ovile,
Pasturusque gregem purgatis mentibus album.
385. Nam Pastor bonus ille Petro commisit oviclas,
Si tamen interius vincitur nexibus olli.

§. VI.

Ergo futurorum cui sic præludia certant,
Illecebras sæclique vagas conquirere pompas
Vitat, perque dies crescit virtutibus, ipso
390. Se melior, servire Deo magis atque laborat,
Præsertimque eremo. Retrahit pia consita (9) pubis;
Formidasse domi noctis phantasmata solùm,
Et * nescire specu posse & concordia quemque
Sumere cum sociis: ejus vecordia (10) nullo
395. Tollitur, & deerat Fratrum experientia doctùm.
Inde moræ tractus, quò denus citciter annus
Bis fluat in gyrum: tandem concepta sodali
Detegit, ac svadet, vitæ quid dulcia nobis
Perdimus, & mundo consistimus, atque fugacem
400. Subsequimur? Fluidis labetur fluctibus hærens.
Unde age, perfectam vitam servire Supremo,
Regnandique modum patriam si linquimus omnem,
* Tentemus, Romamque viâ succinctiùs almam,
Ut dentur consulta sacris primordia votis.
405. Consensit, vaduntque simul: sed tendere fessum
Una dies vacuum socium remeare coëgit.

§. VII.

Iste tamen processit iter: sed turbine tentus
* Substitit: ac eremo, famâ prodente, cacumen
Comperiens habitare virum, sub Sanguine (11) castro;
410. Hunc adiit: nec cuncta refert, dimotus Olympo.
Fortè malus simulare bonum (12), cellamque relinquit;
Qua Petrus hic juvenis * pavidus sub nocte moratur,
Usque quoad fessos languens sopor accipit artus,
Divinisque timens visis hilarescit, & inde

§. VIII.

415. Securus, tutusque fuit. Nutuque superno
Pone locum, rigidum subit per tempora (13) collem:
Perfodiensque solùm, * immani sub pondere saxi
Sic modicè subtraxit humum, quòd corpore parvus
Vix rectus, longusque jacens consistere posset.
420. Et tribus ille annis, tunicâ vestitus acerbâ,
Quæ caput ambibat, strato super horrida nudo,
Hîc fuit, hîc jacuit. Serpentibus atque lacertis
Hic locus est: rospi (14) comites recubantibus adsunt.
Illic sæpe malis tentatus, sæpe refectus
425. Mellifluis magnisque datis: unumque retexam.

§. IX.

Nam grandis campana soni, sub tempore noctis,
Illic clara quidem semotis rupibus, horis (15)
Auditur. Vigilem fecit vigilare quietum
Hæc diu: ast alius sibi missus nuntius, inquit;
430. Cur, Petre, saxosis habitans in collibus hospes,
Cantantem refugis noctis per tempora gallum,
Quem Frater tibi carus habet? Matronaque præsens
Addidit, En pulchrum referam tibi: suscipe gratum,
Quod placidum, vir Sancte, putem. Consensit eidem
435. Vir simplex Christumque timens: sed protinus ille
Subticuit, vocemque negat, cantumque recusat
Gallus: & audiri refugit campana metalli,
Vel potius cæleste datum; dum terrea virtus
Suscipitur scissura horas, & cristeus (16) ales.
440. Tunc opus artificis divinaque munera noscens
Simplicitas, gallumque (17) dedit; certoque sonante
Haud discrevit, humi recubans, in noctibus horas
Ut priùs. Inniti solique incumbere Christo
Maxima laus hominis: fruitur tamen inclitus ille,

§. X.

445. Proficiensque Deo, multis svadentibus, urbe
Presbyteri suscepit onus: Româque reversus
Murroni non culta sacer mansurus adivit. (18)
Cujus in adventu maculoso ventre per antrum
450. Progreditur serpens, diffisus habere cubile
[*Commune. Hic parva vives, Pater inclyte Cellâ.*] (19)
* Angustâque specu, spatioque morabere lustri,
Hinc-

(7) * *Addiscere vadit.*]
(8) *Tonsas* *, *idest, oves.*]
(9) Idest, pia consilia adolescentis, supra 93. *conscita* scribitur, idque magis legitimum est à verbo *conscire*, sed difficultas est in quantitate penultimæ.
(10) *Vecordia.* i. pusillanimitas, hæsitatio, *nullo tollitur.* i. à nemine sublevatur, vel resolvitur.
(11) * Castrum Sangri.]
(12) Vereor ne hîc exciderit aliquid, malè conjunctis diversorum duorum versuum hemystichiis.
(13) * *In jugo montis Pelignorum : hodie dicitur Ecclesia S. Mariæ de altari.*]
(14) *Rospi* *, *secundùm vulgarem illarum partium literaliter Bufones dicuntur.*]
(15) *Horis*: i. statis horis.
(16) *Cristeus.* i. cristatus.
(17) *Dedit.* i. reddidit.
(18) *In Ecclesia S. Mariæ de Murrone; quæ est paulùlum inferius eremo S. Onuphrii.*
(19) Deest, haud dubiè hic unus alterve versus: unum ex conjectura suppono.

Digitized by Google

Hincque tibi nomen; decus hinc Papale * resurget,

§. XI.

Si redeas. Tunc culta finit discedere silva,
Et canos habitare situs desertaque montis
455. Majellæ: placet * arctâ istic consistere cryptâ.
Sed fraudis commenta probans, incendia noctu
Injicit, ac oculis flammabat pabula torvis,
Ut fugeret linquatque locum; cui protinus obstat,
Dum mandat, celerent, properent, cedantque sequestrent
460. Res modicas. Faciunt jussi, nam cella cremari:
Murmura sed timidi ructant, discrimine tristes;
Nam reputant cecidisse globos de vertice flammæ
Fratres. Hicque sciens conjecta pericula sævo [ab]
Hoste, manet; dictisque refert, non inde revelli,
465. Ignea si rabies membratim torreat artus.
* Quâ deleta fide, ceu fumus, flammula cessit:
Sicque simul mansere, quibus succrescere curæ est.

§. XII.

Hicque * suum deinceps paulatim fervida Patrem,
(Sive moras (20) verbi traheret, vel proxima tellus
470. Hunc caperet, sive interdum dimota teneret)
Est complexa cohors, Benedicti dogmata spondens,
Cujus & hic habitusque fuit moresque professus, (21)
His neque contentus juvenis (nam strictius ipse
Vincebat mores, vitam pertingere gliscens
475. Ægypti Patrum) soli sibi carpere cellam
Mos erat, & clausam muris, ut nullus haberet
Ingressum: solique Deo servire paratus,
Continuò parvo celebrabat carcere Missam,

§. XIII.

Astabatque foris manibus per lustra ministrans
480. Frater. Et affectans fluidam restringere linguam,
Temporibus certis penitus discedere verbis

§. XIV.

Jusserat alloquii: stratum cui lignea lectum
Præbebat series, scalâ tabulis sibi nexis;
Seu tellus, non culta jacens, sed pulvere versa;
485. Cuique catenarum ferri dant pondera zonam
Succinctis lumbis, ne carnis pullulet ardor:
Et lapis, aut durum, firmumque resistere lignum,
* Cervical; vel uter nodosis crinibus asper,
Retibus innexus, fœno paleisque repletus.
490. Hæc eadem nudis præbebant tegmina membris
Hispida; quæ ut gravius stimularent morsibus, artus
Ferrea loricæ moles contexta premebat.

§. XV.

Desuper hoc variis peragebat mensibus annum.
Ille die nulla capiebat carnibus esum,
495. Sed feriis jejunus erat cunctisque diebus,
Sola dies Domini dabat huic bis sumere pastum.
At Veneris Martisque die jejunia pane
Solvebat, calidamque sitim labentibus undis:
Huncque modum servare jubet qui dogmate Patris
500. Arcentur (22). Vir, semper aquam; vir, limpida puri
Gurgitis hauribat, vitans applaudere Baccho:

§. XVI.

Sexque Quaterdenas (23) addens, quo fortius omnem
Ingluviem superare queat, carnemque refrænet,
Compellatque ipsam menti per singula subdi,
505. Illarum tribus panem lymphamque fine ullo
Condimento alio gustans, plerumque refutans
Cocta manu, Phœbe motu quo cingeret orbem.
Non cicer atque fabas lymphis liquidantibus * unquam
* Contenerans (24), crudasve rapas, aliudve legumen,
510. Castaneas, seu poma, sibi dulcentia succo:
* Sed tribus illarum solitus conjungere mistum
Insipidumque cibum, fructusque modestius auctos.

§. XVII.

Quin vigiles peragendo dies noctesque quietas,
Versibus (25) orabat Psalmos: manibusque genuque
515. Sæpe solo flexus, callosam pelle ferebat
Carnem. Nec dubium quin claro proximus orbi
Contemplando Deum fieret, Christique saporem
Melliflui, vicibus speculando, lamberet ardens:

§. XVIII.

Neve mora obtusum, segnem, vel fortè periclis
520. Redderet expostum; manibus munuscula doctis
Ciliciumque eremi texebat, opuscula (26) Fratrum
Insuper. Et varios quamvis (27) religaret habenis;
Attamen & parvo sese submittere norat,
Abbati famosus Herus, quem fama fugacem
525. Insequitur, populusque volens hunc cernere clausum.
Post hæc tempestum (28) reputamus scribere metro
Vix credenda viris, quæ dudum tempore prisco
Novimus. En decies quadrato (29) subdere corpus
Menti * jussit amor, divino fonte relabens,
530. Taliter ut spretis, quæ gustus organa mulcent
Omnibus, ipse cibum viridis plantagine caulis
Sumeret, haud coctis foliis, sed stipite crudis,
Proserit ut palmes crispatis undique nervis;
Inque sitim vivi torrentis gurgite lympham
535. Hauriret. Num plura feram? Vir ille supernus
Cilicio est pro veste usus, soloque tegente
Corpus, & interdum Loricæ pondere fractum.
Mira

(20) Ideſt, silentium servaret.
(21) * *Quia fuit Monachus Sanctissimi Patris Benedicti.*
(22) *Arcentur*. i. constringuntur.
(23) *Sex quaterdenas*. i. sex Quadragesimas.
(24) Ideſt, macerans, elixans. Ita mihi ad aliquem sensum adduxisse videor, quod in MS. legitur, undas *non teneras*.
(25) *Versibus*. i. versiculatim.
(26) Intelligit opuscula spiritualia S. Petri, de quibus alibi.
(27) Ideſt, quamvis multos regeret.
(28) *Tempestum*. i. tempestivum, opportunum.
(29) *Decies quadrato*. i. totâ unâ Quadragesimâ.

Digitized by Google

Mira senis, sed mira viri sic septa voluntas;
Admiranda tamen virtutis gloria præstans:
540. Quæ potuit parcè servare ad tempora vitam
Gratia, languentes firmabat nexibus artus.
Quis titulos castæ laudis, quis fortia grandis
Virtutis, quis septa gulæ tam lubrica, quisve
In lacrymis gemituque modum præscribere promptus?
545. Quis tua longanimis perquirere singula tentet?
Sunt qui te variis referant micuisse sub æthre.
Miraclis (30), quod fama loquax non occulit, urbes
Sæpè novis tantis agitans. Hæc sæpiùs ipse
Audieram, dederamque fidem: nunc limite metri
550. Sufficiat narrasse Patrem, fulgoribus illis
Intendisse animum, decies tribus ampliùs annis,
Fortè decem geminis (31), vero sic conscia fama est.

LIBRI III.

CAPUT PRIMUM.

De accessu Cardinalium Aquilam, & Cœlestini coronatione.

CAP. I.

HActenus hæc famâ fuerant vulgata per urbes,
Dum sibi virtutem fereret, dum vivere clausus
Flagitat, at secli strepitus mundumque fugacem
Linquere, nec aliud: quod quamvis posse tacere
5. Hac serie versus mallem, quia strictus amore
Ante viro, placidumque mihi se præbuit inde
Papatu; reserabo tamen, quæ culmine tanto
Gesserit. Et pulchrum est generi narrare futuro
Et sibi votivum, nec non exempla timendi
10. Tam varios casus hominum, sic celsa sub imo,
Sic mutata gradu summo, vel fortè retecta.
Sed neque credendum, fraudem vestisse columbam
Tempore sic longo: multis nam semita vitæ
Paupertas, cultusque sui postponere curam:
15. Multorum regnare malum, præcellere cunctos
Mortiferum quibus est. Promptè parvumque sedemus
Nos equulum, modicasque manu transcurrimus undas;
Fluminis intrepidi submersi fortè profundo,
Cornipedisque solo collisi saltibus acris.
20. Incipiens igitur sociatus (1) Cardine Murro,
Nocte sub ingressa, Fratres ubi (2) templa levabant,
Descendit mansitque dies: inibique futuri
Pontificis magni dextrum latus, ordine verso,
Excepit Carolum Regem, qui præsidet arvis,
25. Apuliæ; laicæque manus subrepere passim
Consiliis tentant divi in præcordia Patris
Ecclesiæ. Nam gnarus opes, & jurgia mundi
Temnere, pomposam Juris vitaverat artem;
Nec scripturarum clausos recludere nodos
30. Decrevit, Fratrumque cohors, sub dogmate Patris
Degentûm, non culta satis, sed rustica turba,
* Montibus altisonis: quo factum est, ut sibi magni
Crederet hic laicos, quos Juris in arte peritos
Prudentesve ratus. Serpit sic nescia ritus
35. Gens (3) nova, dum metuit Pater almus fraudibus arctum
Ingenium * vinci Procerum, dubiique sodales
Redduntur Fratres, proprium ne forte Senatus
Compellat mutare gradum; si gloria mundi
Cesserit, ut pridem, rubra in Collegia Patrum.
40. Inde gravis, decreta quidem, processit herilis
Litera (4) Pontificis, qua se non pergere longe
Posse fatebatur, Cœlo dum ferveat æstas
Frigoribus solitum montanis: quò neque Cœtum
Turbari voluit, fragilis si tendere gressus
45. Usque Aquilam properet; senii nam torpida virtus
Non finit, æstivo segetes torrente calore,
Difficili accessu Perusinum scandere saxum.
Hæc voluit pensare Patres, & quærere quidnam
Congruat Ecclesiæ, votumque (5) retexere verbis.
50. Ipse tamen vastam (6) colloso cespite terram
Ingrediens Aquilam, non plenam civibus urbem (7),
Sed

(30) * *Nota quod Auctor hic non loquitur, quòd Fr. Petrus fecisset miracula; quia tempore quo versus præsentes composuit, nondum canonizatus fuit per Papam Clementem V. Avenione; cujus miracula Auctor hujus operis descripsit in libro tertio hujus sui metrici operis, quod incipit, Jam cœli convexa tenens ...... ut infra loquitur.*]

(31) * *Et sic fuerunt quinquaginta anni*] vitæ scilicet in eremo actæ. Porro quæ nobis vilamenda & corrigenda, hæc sunt:

℣. 333 hic, *lego*, huic.
339 pie gererent animo, *l.* pios gererent animos.
346 suspicit, *l.* suscipit.
348 direque, *l.* diraque.
349 Invidiosa manu, *l.* Invidia, magnis.
353 Et satis est ede, *l.* Ædibus & satis est.
356 Illam, *l.* illum.
367 patteque tenebris, *l.* pactæque tenebræ.
368 quam, *l.* quâ.
370 erat &, *l.* erit ut.
403 vestire, *l.* nescire.
403 Tendemus, *l.* Tentemus.
408 Subsistit, *l.* Substitit.
412 pavidum, *l.* pavidus.
417 mani, *l.* immani.
452 Magnus teque, *l.* Angustaque.
453 resurgit, *l.* resurget.
455 quibus atra placet, *l.* placet arcta istic.
466 Quoque fide lato, *l.* Quâ deleta fide.
467 duo, *l.* suum.
484 multa, *l.* culta.
488 Cervicalve rudens, *l.* Cervical vel uter.
508 undas, *l.* unquam.
509 Non teneras, *l.* Contenerans.
511 Sat, *l.* Sed.
529 vixit, *l.* jussit.

NOTÆ AD CAPUT I.

(1) * *Petro de Columna, qui eum sociavit in descendendo.*]
(2) * *Abbatia S. Spiritus.*]
(3) * *Scilicet laici,*] ritum & jurium Ecclesiastorum ignari, sic irrepunt.
(4) * *Missa ad Cardinales Perusium.*]
(5) * *Ut Scilicet Cardinales sibi rescriberent super bis.*]
(6) * *Magnificam & spatiosam; non tamen planam, sed ad modum collium.*]
(7) * *Nam nondum est tota habitata: sed Aquilani diviserunt terram in partes, sperantes eam impleri.*]

Sed ſpatiis certis ſignatam ob ſpemque futuram,
Intumidus vilem Murro conſcendit Aſellum,
55. Regum fræna manu dextra lævaque regente.

CAP. II.

Pontificis viſu plures ſtupuere, videntes,
Sic humilem, memorando Deum, * cui præbuit omnis
Obſequium natura placens, ſediſſe quietum
Hoc animal, dum Juda, (8) ſuis * effuſa colonis,
60. Obvia proſtravit veſtes, ramoſque reciſos
Detulit in laudem Chriſto viridantis olivæ.
Aſt alii mitem potiùs geſtare ſilenter
Commendare (9) animum, * largiſque ſedere coruſcum
Cornipedem phaleris, ubi celſa potentia morem
65. Hunc ſibi depoſcit. Quid ni? ſed credimus (10) inde
Exemplum potuiſſe capi, quo lapſa voluptas
Exceſſiſſe modum Cleri cognoſceret umquam,
Si ventura Pater, ceu pridem (11), florida ſignis
Providus oſtentet: populus * nunc captus in iſto eſt.
70. Quædam facta, licet virtutis imagine fulta,
Deſpicimus quandoque ſequi; ſi caſus & amens
Simplicitas, non cauta manus ſe fudit in illa.
Aſt remanens Aquilæ, nondum veniente Senatu,
Officiis variis præfecit Murro novellos
75. Aprutios, laicumque ſibi non more vetuſto
Aſſumpſit (12) Scribam (deerat fiducia Cleri)
Samnitumque (13) Pater (forſan cui plurima culpa
Adſcribi potuit) Vicecancellarius Almo
En datur. At fraudis vicina pericula purus
80. Quis caveat, letale malum? cùm dogmata ſacra
Tam legis quàm * ſcita Patrum noviſſet: * at idem
Haud radiat, lucere datus; Cœlique Joannem
De Caſtro dixere virum, terrena colentem.

CAP. III.

Interea ſublimis (14) Apex in ſingula Cœtus
85. Ambigui, ne fortè moras illectus amaret,
Scripta recenſebat rogitantis, ut ipſe Priorum
Affectetur iter, veniatque videre cupitus
Cardineos Proceres, quos nec ſuadentibus ullis
Advocet abſentes. Ne præbeat ergo nefandum
90. Exemplum, procedat Herus, ſi fortè remoto
Sidere contingat Romanæ ad culmina Sedis
Aſſumi quemquam; penſetque pericula morbi
Et ſumptus, fervente die ſi tempore meſſis
Curia, diſtantem, non aptam moribus, urbem
95. Quærere cogatur: juſto libramine moti,
Non minus his validas cauſas reticere fatentur.
Primitus hæc ſcripſere Patres rumore tremendo
Peruſii; ſuſcepta tamen poſt (15) litera Summi
Pontificis, ſubduxit eos reſcribere blandè
100. Hæc eadem, firmando magis, quin (16) clauſa revelant:
O Pater alme Patrum, quæ jam tacuiſſe videmur
Pandimus. En durum eſt nobis accirier intra
Apuliæ Regnum: nam non oblivia carpunt
Martini conſulta Patris, ſumptumque viritim
105. Conſilium, dum magna precum ſubmiſſio Gallum
Adventare Ducem Regno depoſceret armis,
* Inſultante manu, Siculi per clauſtra Pachini,
Aragonum; fremeretque novis ſuſpenſa futuris
Parthenope. Nam Papa ſacer, ſuccurrere diſcens
110. Caſibus Obſedis (17) meliùs Regnoque citati,
Subſtitit, & propriis legit non cedere terris;
Quamquam animus vallare ſuos hoſteſque fugare,
Promptior, & dubio quibus illa petita placerent
Nec * Fratres deerant; melior ſententia (18) vicit.
115. Nec tamen optandum eſt Proceres quocumque vocari
In longum, licèt illa jugo (19) ſit ſubdita tellus
Romanæ Sedis. Subeant, quæ ſcripſimus olim
Exemplum, mores, grave damnum, murmur, (20) egeſtas.
Haud veſtri non cura movet feſſæque ſenectæ (21)
120. Eſt gravis Auguſto longè procedere motus:
Sed faciente Deo (pro cujus amore fideli
Atque timore, Pater [*tanti grave pondus honoris Excipies humeris*]) plenum ſumſiſſe laborem
Poſſitis: pluresque modos non deeſſe putamus
Auxilio, ſi fortè placet variare quietem.
125. Namque potes provectus equo conſcendere clauſam
Lecticam: nec longa dies ſeu tempora ſacrum
Nos facient ſpectare Patrem, quem cernere lætum eſt.
Ne veſtras turbare velis diſcrimine mentes
Culminis auſpiciis: ne tantùm ſubdola poſſit
130. Lingua malum ſuadens, Chriſti non commoda quærens
Sed propriis inhians, iterum te iterumque rogamus,
Illuſtris pietate Pater, precibuſque moramur.

CAP. IV.

His viſis Murro, geminos ex ordine Fratres,
Non miſſos gravitate Patrum, ſed ſponte ruentes,
135. Cùm veniens Aquilam Senior viſiſſet, Hugonem
Scilicet Alvernum, ac Urſino ſtipite natum (22)
Levitam; rubris juſſit (23) depromere miſſos
Car-

(8) * *Juda*. i. Judæa.
(9) *Ideſt*, *commendabant*] tamquam convenientius ſtatui.
(10) * *Approbat Auctor, quòd melius fuiſſet equitare equum cum humilitate: ſed ex eo quòd D. Petrus equitavit aſinum, dicit potuiſſe capi exemplum*.]
(11) * *Si ita bene ſe habuiſſet in Papatu, ut prius ſe habuit ante Papatum*.]
(12) * *Bartholomæum de Capua*.]
(13) * *Archiepiſcopus*] Beneventanus.
(14) Ideſt, Pontifex ſingulariter Sublimis.
(15) * *De qua ſupra facta eſt mentio*.]
(16) * *Nam prius dixerant, quòd aliis rationibus, non minus gravibus hoc ſcribebant, quas tamen celabant*.
(17) *Obſedis* * *ideſt*, *Regni Siciliæ*,] *citati ideſt*, *commoti*.] Ita gloſſulæ: ſed non intelligo quomodo Sicilia vocetur Obſedes.
(18) * *Ut non iret in Regnum Martinus*] etiam * *in dubio amiſſionis Regni*.]
(19) * *Nam Regnum Siciliæ* (quo & Neapolis comprehenditur cum Calabria) eſt feudum Eccleſiæ;]
(20) * *Scilicet Curialium*.]
(21) * Reſpondet Collegium ad rationem, quam fecit Fr. Petrus & allegabat in ſua littera, quare non poſſet ire.]
(22) * *Scilicet Neapolionem*.]
(23) *Depromere*. i. exponere Cardinalibus.

Digitized by Google

Cardinibus fenium, morulæque retexere caufas,
Dum calet æftivum tempus. Recipitque fecundo,
140. Præfule tranfmiffo Veteri qui præfidet Urbi,
Vota Ducum, faltem proprias accedere terras
Inftantum, fi fortè negat Perufina per arva
Tendere iter; precibufque rogant affiftere Regem;
Cui memorant collata Patri, collataque nuper
145. Ecclefiâ donante fibi, vult dum Ethna rebellis
Aragones; variofque canunt non deeffe pericli
Eventus, & grande malum ftimulare Parentes.
Perftitit immotus precibus, legitque Coronæ
Murro Aquilam: Carolufque, volens, ne dixero pompas
150. Sed Regnum monftrare fuum, Procerefque novellos
Et rubros augere Duces, rogitare Potentem,
Diffimulet monitis. * Contemni heu! verba Senatus
Vifum erat haud dubium. Utinam non caufa morandi
Tu fueris, dum poffe putas te tollere culmen!

CAP. V.

155. Hæc inter, Cœlum * repetiffe infignia Præful,
Chrifmate facrandus (quamvis non venerit ardens
Ordo Patrum) fertur: ftimulos fic addere norunt.
Sed cafum patiente Deo (dum fuftulit altum
Pontificem nobis, delatum ad celfa Latinum)
160. Eft modus inventus magnæ novitatis, & urgens
Spernere confilium promptum; quo Præfulis almi
Funere vix gelido Cœtu diftante, facrari
* Mandaret Murro, poft hæc facrandus (24), Hugonem
A Patre Samnitum; nec non infignia rubra
165. Sumeret, & mantum (25), mitram cinctamque lapillis
Obrizoque auro, fuerant hæc danda Perufi
Levitæque manu rubri: fed tanta (26) Vetufto
Confert Neapoleo. Transfert tunc nomina Petrus
In Cœleftinum, quod vulgat plebibus idem
170. Neapoleo. Subjecta pedum dant ofcula proni
Pontifices, Reges, Clerus, Comites, Procerefque:
Ipfe tamen populo dextra, profpectus ab alto,
Exhibuit fublimis Apex fignacula Chrifti.
Hæc poftquam novere Rubri, feu morte Latini
175. Fracti animos, celerant ad tanta pericula curfim.

CAP. VI.

Cùmque dies Sacræ (27) celebris veniffet in orbem,
Veftibus ornati byffis auroque decoris
Infiftunt operi Proceres, Præfulque novellus
Velletrenfis (28) Hugo liquidam fundebat olivam
180. In caput Electi, cui Pallia candida lanæ,
Infuper altari, grandis Levita Mathæus
Obtulit: & frigium gemmis auroque corufcum,
Poft celebrata Deo Miffæ folennia, Papæ
Impofuit capiti, * populi fpectante coronâ.
185. Deforis & thalamus campo (29) fublimis aperto
Structus erat, juxta templum; quo turba fedentem
Cerneret hunc Apicem, nimium * copulata pedeftris.
Hinc albo provectus equo, proceffit in urbem
Quam dixere Aquilam. Servat proceffio ritum,
190. Ante Ducem tendens, longis clamoribus actum:
Difcubuitque fuis cum Fratribus ordine Præful,
Ut docet antiquus Regni mos, fefta peragrans.

CAP. VII.

Scripfimus hæc propere, noftras laxare Camenas,
In fucceffloris facri veftigia proni.
195. Non quia fit votum nobis captare favoris
Prœmia, feu laudes operis: fed novimus illum
Urbe (30) facra fumpfiffe gradus infignia; Patrem
Deforis: & melius fpectacula noftra (31) relucent.

CAPUT II.

Acta Cœleftini in Pontificatu minùs probata Cardinalibus.

Regredimur. Sic ille fciens, non nefcius (1) omnis,
200. Non etiam ignarus fenfus, & congrua fandi;
Sed titubans, aliofve timens, reverenfque Senatum:
Ut Proceres, foliti verbis intingere fucos,
Ante

(24) * *Nam D. Hugo Cardinalis, effectus eft Epifcopus Oftienfis ab Archiepifcopo Beneventano, & poftea confecratus eft Fr. Petrus ab ifto D. Hugone.*]

(25) In actis Gregorij VII. per Centium Camerarium defcriptis 25. Maji, legimus quòd mox ab electione *indutus* fuit *rubea chlamyde & Papali mitra infignitus* hæc autem chlamis in Ceremoniali Centii Camerarii apud Cangium vocatur Pluviale, cùm dicitur quòd *Electum Prior Diaconorum de Pluviali rubeo immantat.*

(26) * *Petro jam feni.*

(27) Ideft, Dominica in qua moris eft Pontifices confecrari: *Sacra* autem fubftantiva hìc dicitur Confecratio, ficuti in Francica lingua eadem appellatur *le Saçre* fortaffis, etiam Italis *il Sacro*; fed utrifque mafculinè, hìc verò ufurpatur femininè.

(28) * *Nam qui eft Epifcopus Oftienfis, eft etiam Velitrenfis: fed tantùm ratione Epifcopatus Oftienfis fibi debetur confecratio Papæ, ex privilegio dato* Ecclefiæ Oftienfi.

(29) * *In quo fuit conftructa Ecclefia Collis-madij.*]

(30) *Urbe Sacra*, * *ideft*, *Roma*.

(31) *Noftra* 1. Urbana.

In hujus Capitis contextu quæ mutavimus funt ifta.

ỳ. 9. timenda, *lego*, timendi.
32 Moribus, *l.* Montibus.
36 Vineis, *l.* Vinci.
57 qui, *l.* cui.
59 fuas... coronas, *l* fuis colonis.
63 largumque, *l.* largisque.
69 ni, *l.* nunc.
81 ftila, *l.* fcita: & *l.* ait.
88 illis, *l.* ullis.
107 Infultare, *l.* Infultante.
114 Fratrum deerat, *l.* Fratres deerant.
117 Sedi fuberant, *l.* Sedis fubeant.
126 Sed, *l.* Seu.
137 miffis, *l.* miffos.
151 temni, *l.* contemni.
155 repetens, *l.* repetiffe.
163 Mandat, *l.* Mandaret.
165 Sumpferat, *l.* fumeret.
184 populo fpectante coronam, *l.* populi fpectante corona.
187 populata, *l.* copulata.

NOTÆ AD CAPUT II.

(1) *Omnis* *, *ideft*, *totaliter*.]

Digitized by Google

Ante Ducem levi matrum sermone referrent,
Consultum, * Hesperii interdum dum plura scientem
205. Non reputant: quem pænè modum, vulgaria semper
Pauca loquens, servabat Herus: nam publica numquam
Hic responsa dedit. Magnis committere (2) causis,
Ut vice regnantis nunc hic, nunc alter adesset
Verba sonans, veluti Papæ transfusa per ora,
210. Seu ductus (3) seu spontè levis, nec crede superbum.
Et licèt indoctus libris ac nescius (4) ævi
Cœlestinus Apex, quosdam Cathedralibus altis
Imposuit, tituloque dedit; Patriarchaque nomen,
Accipit, & varii Abbates, & fortè coactè,
215. Vel (5) quasi, syderei collis montisque Casini,
Compulit heu! Monachos habitus assumere Fratrum,
Degentum sub lege Petri: nonnullus ab inde,
Dum parêre negat, Monachus tunc exulat (O quam
Deciperis! quamvis * alios (6) infamia fœdat)
220. Sic solus tu plura facis. Decet ista Senatum
Ut lateant, quæ scire solet? Formandus ab illo es
Consilio: nam nulla quidem consulta sequendi
Vis te constringit, oculos aperire valebunt.

CAP. VIII.

Venerat ecce dies, ignota (7) ad culmina tollens,
225. Qua Cœlestinus Proceres augere Senatus
Flagitat, & votum complet: nam bis repetitos
Sex creat, & Gallos septem, paucosque Latinos;
Quinque tamen: binos Fratres sub lege morantes
Instituit propria; nullum, quem subdita, Sedi
230. Immediata parit tellus, ex ordine Patrum
Murro dedit. Quæ causa fuit, quæ forma creandi
Hos Proceres, si nosse cupis, depromere gratum est.
Fertur, & annuimus, Carolum scripsisse futuros
Pænè omnes Proceres, Regique placere volentem
235. Hos Gallos statuisse viros splendere Galeris
Murronem, reliquosque. Duces celasse rubentes
Hoc; tribus exceptis, quos jussit operata tenere;
Scilicet Alverno, qui longè præscius horum
Extiterat cum Rege patre, Ducibusque duobus (8)
240. Romanis. Alios Proceres non certus habebat
Rumor ad usque diem Veneris, quæ proxima cursu
Sabbata (9) præcessit. Tunc omnes advocat unà
Pastor: &, ut structus fuerat suadente ministro (10)
Astuto, processit Herus, dans nomina scriptis
245. Certa sibi Procerum, votumque requirit in illis
Consiliumque Patrum semotum. Gaudet ab inde
Se fecisse duos Rex: * mirè turbidus autem
Redditur Alvernus (11), dum sperat ad ardua certum
Assumi, nec scripta legi, proh! nomina cernit.

CAP. IX.

250. Addidit errato diris processibus (12) asper
Insuper hoc Murro, quòd cùm sibi Roma dedisset
Sceptra sui, dudumque viam succinctus ad Urbem
Tenderet eximiam Petri Paulique dicatam
Sanguine, subductus Carolo Cœtuque (13) sequente
255. Parthenopen deflexit iter. Sed primitus arctam
Gregorii legem statuit, qua Claustra (14) subire
Cardineos Apices jussit, Pastore vacante
Ecclesia. Quondam lex illa timenda (15) recessit
Concilii, suspensa priùs, renovata per istum.
260. Quam licet * assiduò laudent vulgaria plausu;
Certa tamen verum docet experientia, casus
Hinc substare Orbi, Cleroque pericula (16), grandes
Urgentesque * metus, infandaque crimina, nondum
Antiquis congesta malis, incumbere Sponsæ
265.

(2) * *Idest, committebant.*]
(3) *Ductus.* i. inductus ab aliis.
(4) * *Inexpertus in agibilibus.*]
(5) Rem habeo clarius in margine: *Quomodo quasi compulit Monachos Montis-Casini ut sumerent habitum suum.*
(6) Alias * *qui scilicet habitum Cœlestinorum sumebant. viliter.*]
(7) * *Quia plures fecit Cardinales, quos non cognoscebat.*]
(8) * *Matthæo Rubeo, & Jacobo de Columna.*] Vides autem Auctori huic familiare esse nomen *Ducis* in appellando tam Pontificem quam Cardinales, aut etiam Principes seculares.
(9) *In quibus fuit facta ordinatio*] scilicet 18. Septembris in Quatuor Temporibus: erat enim anno 1294. litt. Dominicalis. *C.*
(10) * *Bartholomæo de Capua.*]
(11) * *Nam iste Hugo fecerat inscribi unum amicum suum, inter alios qui futuri erant Cardinales: & subito, cùm facta esset publicatio aliorum Cardinalium, non audivit suum nominari: de quo fuit dictus Hugo Cardinalis valde stupefactus.*]
(12) * *Propter vitæ asperitatem, vel quia in hoc se durum & asperum ostendit.*]
(13) * *Nam Cardinales consenserunt.*]
(14) *In Concilio Lugdunensi de arctatione Cardinalium.*] Est autem hæc Gregorii X. Constitutio 2. *de Electione*: in qua præscribitur forma Conclavis ejusque leges; sed ea numquam deinde fuerat reducta in praxim, & Cœlestini innovatio etiam irrita fuisset, si eam successor Bonifacius non confirmasset, sic autem ea hodieque observatur.
(15) * *Nam illa Decretalis fuit valde arcta.*]
(16) * *Loquitur hic Auctor de incendio quod fuit Carpentorate, tempore vacationis Ecclesiæ post mortem Clementis V.*] anno. 1314. quando *Cardinales 23. intrantes conclave, cùm ibidem aliquamdiu perstitissent, non valentes concordare... concorditer exierunt*, ut loquitur Bernardus Guidonis in Chronico Rom. Pontif. apud Raynaldum; casum tamen incendii (quem hinc indubitanter discimus ab eo qui interfuit) non expressit, sed ait id factum, *suborta gravi & grandi turbatione inter familias ipsorum Cardinalium.*

Digitized by Google

265. Heu dolor, heu lacrymæ! Patimur (17) sine murmure ſævum,
Quod loquimur, vulnus; vulnus, miſerabile vulnus.

CAP. X.

O quàm multiplices indocta potentia formas
Edidit, indulgens, donans, facienſque (18) receſſu,
Atque vacaturas concedens atque vacantes; (19)
270. Aſſumens precibus nonnullum, ad culmina Sedum
Pontificum, varioſque gradus, abſente Senatu,
* Abſque viâ. Sed fortè morans, exire paratus,
Urbe Aquila; Samnita Pater (quia doctior ille
* Et ſimulare ſciens) confert erroribus unum
275. Dictu præcipuum. Nam cùm mors atra ſepultum
Alterutrum Procerum (20), Paſtoris dogma profeſſum
Acciperet; Monachi dimiſſis veſtibus atris,
Præſulis induitur (21) habitum, pertingere ſperans
Irrubrare caput: ſerpenſne oblita veneni eſt?
280. Sic ſuadent, mediique monent, quibus ille tenetur
Strictus amore gravi. Qui, quamvis longius eſſent
Diſperſi Proceres, nollentque videre ſodalem
Hunc ſibi præſentes, hiemis nec tempora ſacra
Quatuor (22) ingruerent; cœnam poſt, ordine (23) Præſul,
285. Presbyter efficitur Cardo, rubrante Galero
Cervicem, infra clauſtra domus aſſumptus ab illo.
Nubila nec deerant: pluvias reſolutus habebat
Imber, & intonuit cœlum grave murmur. Eodem
Tempore * conveniunt acciti adſcire Rubentes
290. Hunc Patribus, ſeu fortè velint, ſeu fortè recuſent:
Namque ſequebantur plures ex Crdine Papam,
Qui faciunt mandata Patris, volitumque ſequuntur.
Non ſic applaudunt facto, nec vota ſecundant
Cardine ſublimes, qui jam adventare priores (24)
295. Parthenopem; ſed corde ſtupent, & turbida mittunt
Verba Duci, legantque duos, qui & Cardine præſunt,
Atque negant talem ſic factum ſidere (25) ſecum;
Ocius erratum rogitantque ut corrigat Heros
Flexilis, & Cœtum ne perturbare ſerenus
300. Flagitet; & fortis reddit patientia magnum
Pontificem, dum facta velit limare quietus.
Cùm jam multa forent variis ſermonibus acta
Et ſpes Presbyteri pectus ſtimularet anheli;
Tandem conſilio facta eſt concordia Fratrum
305. Huncce modum: (26) Herus quod * ceſſit portare Galerum
Cardinis, ac juri pridem diſtantibus illis
Quæſito. Tunc ſacra Ducum fit ſeſſio juxta
Pontificem, moriſque ſenis diſcuſſio quondam
Servatur, pro parte tamen: nam tempora deſunt
310. Talibus. Omnipotens! Curnam ſic protinus omnes,
Sic properant rehabere virum concorditer; inquam.
Quam cauſam ſubſtare putem, non dixero * tuto.
Sed timor urgebat; tacitè ſpes addita Cœtum
Impulit, ut renuens (27), iterum reſideret in ampla
315. Sede Patrum. Nec laudo Ducem his, nec laudo ſedentem.
Principio ſed pauca lues & parvulus error
Creſcit in augmentum: patet hoc errore viarum.
Quid prodeſt productus honor, quid concita ſecli
Gloria? Dum moreris, neque luſtras mentibus (28) annum.
320. Sed tamen ipſa docent nos, pervia (29) tempora faſtus.

CA-

---

(17) Nam à prædicta diſceſſione poſt biennium tandem, convenire conſentientes Cardinales, ann. 1316. *congregati ſunt in Lugduno, pactis præviis quòd non includerentur, & quòd poſſent de Lugduno recedere quando vellent: quæ tamen eis non fuerunt obſervata, quatenus pro majori bono reipublicæ, quæ præfertur privatæ, compellerentur Eccleſiæ providere*: ita idem Bernardus. Et quidquid hic quiritetur Auctor, conſtat utiliſſimam fuiſſe obſervationem illius Conſtitutionis, nec ea unquam inde proceſſiſſe incommoda, quæ ipſe pro ſuo animi dolentis affectu ominatur, ſi unicam illam vicem excipias.

(18) Ideſt, *per reſignationem* quantum conjecturâ aſſequor.

(19) Subintellige, Eccleſias & beneficia.

(20) * *Statim poſt ſuam promotionem ad Cardinalatum mortuus fuit Frater P.* (Petrus) *qui erat de Ordine Papæ Cæleſtini*.]
Creatus enim 18. Septembris obiit 11. vel 12. Octobr. Errarunt porrò qui Abbatem Caſſinenſem fuiſſe ſcripſerunt, aut ex Monacho Caſſinenſi primò Abbatem S. Sophiæ Beneventanum, deinde Archiepiſcopum: nec minus erravit eos corrigens Oldoinus noſter, quando non indicat ſtatim mortuum fuiſſe Petrum, ſed Electoribus Benedicti VIII. eum adnumerat.

(21) Quem ſcilicet depoſuerat, gratiam Cæleſtini captans aſſumptione monaſtici habitus.

(22) * *Nam non erant quatuor Tempora*] * quibus moris dumtaxat erat Cardinales creare, quod jam pridem in Ordinationibus ſacris per Romanos Pontifices ſervatum, diu etiam poſt hæc tempora in viridi obſervantia manſit.

(23) * *Nam poſt comeſtionem*] id factum æquè præter morem, quam quod qui * *erat Archiepiſcopus, factus fuit Presbyter Cardinalis*.

(24) * *Nam aliqui Cardinales Papam præceſſerant*] Neapolim, & hi factum improbarunt. Oldoinus autem ex MS. Sueſſion. Chronico addit, quòd *die 24. Octobris D. Papa Cæleſtinus venit Theanum*, & *ibi ſubſtitit octo dies, & ibi exiſtentibus ſex Cardinalibus promovit Fr. Joannem de Caſtro-Cœli*.

(25) * *Ideſt, conſiſtere*] aut potius conſidere.

(26) * *Ideſt, per hunc modum*.]

(27) *Renuens*, ideſt, cedens, abdicans.

(28) Obiit enim Joannes die 22. Februarii anni 1295. ut ſcribit Oldoinus: in hoc tamen errans, quòd ei ſuffectum velit Petrum de Aquila ſupra memoratum; cùm ille, ut jam dictum, haud ultra dies 38. in Cardinalatu vixerit: rectius autem Ughellus immediatè ſufficit Joannem alterum, ex familia Capuana, Conertenſem antea in Hibernia Epiſcopum, 6. Non Octobris 1295. uti ex Regiſtro Bonifacii VIII. habetur.

(29) *Pervia .i.* tranſitoria eſſe faſtus humani.
Pauciora hoc Capite occurrerunt corrigenda, hæc videlicet.

℣. 204 experii, *lego*, Heſperie.
219 illos, *l.* alios.
247 Murro, *l.* mirè.
260 & duro, *l.* aſſiduo.
263 ſinus, *l.* metus.
272 Sine, *l.* Abſque.
274 Diſſimulare, *l.* Et ſimulare.
289 cum veniunt, *l.* conveniunt.
300 en. *l.* &.
305 ceſſat, *l.* ceſſit.
306 atque, *l.* ac.
307 Quæſtio, *l.* Quæro.
312 tutum, *l.* tutò.

Digitized by Google

CAPUT III.

Consilium de renuntiatione quomodo sumptum, & executioni mandatum à Cœlestino sit.

CAP. XI.

JAm facer instabat Domini recolendus in orbem
Adventus, celebresque dies, quibus ille supremi
Æternique Patris, non tactæ Virginis alvo,
Filius, ut sponsus thalamo cùm expectat eburno,
325. Humanum salvare genus procedere * dictus.
Et meminit sublimis Apex, * quòd tempore sacro
Illecebras carnis fit mos vincire caverna ;
Quamque procul degat, strepitu nunc tentus inani,
Præsul. Et ob causam (1) legit se condere cellâ
330. Nunc etiam sub parte (2) domus, cœlumque videre
Semotum: nam posse tribus nunc Cardine fultis
Contulerat, dederatque suo quasi nomine cuncta
Ut facerent; celare putans, se carcere, raro
Obtutu revidendus Apex. Silvester ut ales
335. Cùm caput abscondit (3) gallus, lacrymabile visu,
Corpore se toto venantibus abdere credens
Decipitur, capiturque manu. Sed littera nondum
Pontificis bullam meruit, * licèt acta figuris
Scripta foret; Romana means cùm pergama gressum
340. Ursinâ de stirpe satus Levitaque primus
Regreditur. Miratur Herus sic cuncta perire,
Optabat reducem fieri, ne Sponsa maritis
Credatur nupsisse tribus. Suspenditur ergo
Littera (4), dum varias pensant adhibere medelas
345. Pontifici Proceres: pepulitque molestia major

CAP. XII.

Hanc, licèt ingentem: parvus majore fugatur
Motus, & ardenti tenebratur tædula Sole.
Namque Pater titubans, quondam vicinus Olympo
Nunc (5) profugus se posse capi captumque teneri
350. Fraudibus Eumenidum, summo provectus honore,
Cesserat angustum Regalis culminis aulæ
In latus, & meditans sibimet lacrymabilis inquit,
(Ut nos (6) viva Patris docuit vox) Si mihi posse
Quod volui quodcumque datum sub sidere Cœli
355. In fragiles animas fertur; cur quærere pacem
Possumus, & stabilem vitæ curare salutem
Subjectis, nostrique mali dimittere curas
Cogimur invalidi? Numquid sic imperat Auctor
Humani generis? sic jus, sic lucidus ordo
360. Naturæ, voluitque Deus? Sub culmine casum
En patimur. Nescire viam regnare volentem
Præcipitare jubet. Distat concordia Fratrum:
Distat, & arguimur multis sermonibus illinc
Atque isthinc. Adversa videns mutando vagatur
365. Sic animus dubiis: Numquid præcidere funem
Est opus, & meliùs Romanam linquere Sedem
Pontifici, qui sceptra tenens in pace gubernet
Ecclesiam, si posse datur fastigia nobis
* Reddere Papatus, primumq; reposcere cursum
370. Ad eremum, vitamque specus sub sidere puram?
Hæc inter consedit Apex, parvusque libellus
Occurrit, quem Murro suæ solamen habebat
Inscitiæ, montana colens, servatus ab olim
Et juris nonnulla docens, excepta labore
375. Arteve prudentum. Digitis Pater ergo volumen
Vertit, & intuitus discit per singula cautum
Cedere concessum (7) Clero, manibusque Priori
Abbatis: quem si qua movet discreta cupido
Cedendi, placitum Prælati supplice voto
380. Imploret: similique modo procedat ad Urbis
Pontificem Præsul. Subigit si causa recessum
Sufficiens, neque causa levis, religare (8) ligatum
Hunc poterit passim: clauduntur nexibus alæ,
Ut nequeat volitare volens, injussus ab illo (9)
385. Hæc secum volvens modici cudebat acumen
Ingenii suadens sibimet, quòd cedere fas est.
* Ilicet edictis grandis sed subiit obex,

CAP. XIII.

Talia dum pensat Murro: nam proxima (10) turba
Majorum cessisse manu spectatur, ut omnis
390. Ordo docet: sed Papa preest, quo celsior alter
Nescitur quis-nam ergo modus, si cessio primum (11)
Exposcit? Trepidans nusquam vestigia firmat;
Sed jubet acciri coram, cui fatur, amicum:
Disjice fuscantem nebulam, quo lumine verum
395. Cernamus, dubiisque pedem firmare labantem
Incipias. Solio numquid decedere nobis
Est licitum, cui paret honos & subditur orbis?
Dic age, perque Deum, perque omnia sidera (12) testor.
Ille tamen cautus mentem simulare coëgit:
400. Cur, Pater, his opus est? Quænam cunctatio curam
Ingerit? Optatis absiste gravare quietem:
Hæc præter * fundata Pater, curanda per orbem.
At vigil instabat, quoad incipit (13) ore soluto:
Subsit

NOTÆ AD CAPUT III.

(1) * *Supradictam*] scilicet.
(2) * *Nam fecit sibi cellulam quamdam in parte aulæ domus Regis*]
(3) * *Phasianus*] Aldrovandus Ornithologiæ lib. 13. cap. 5. id confirmat ex Tertulliano; causamque refert in illius animalis stupiditatem.
(4) * *Per quam dabatur potestas tribus*] scripta quidem, sed necdum bullata.
(5) * *Nam nec sibi videbatur esse in illa perfectione, in qua fuerat in minore statu.*]
(6) * *Scilicet, Auctorem operis: nam oretenus sibi dixit quæ sequuntur: post cessionem tamen.*]
(7) * *Nam quilibet communiter potest cedere, & prosequitur Auctor in speciali qualiter singuli possunt cedere.*]
(8) *Religare .i. solvere.*
(9) * *Scilicet Papa*] cui soli talis est circa Episcopum potestas.
(10) * *Prior, Abbas, Episcopus*]
(11) * *Idest, Superiorem*]
(12) * *Idest, omnes Sanctos.*]
(13) * *Amicus ille, quem Cœlestinus consulebat.*]

Digitized by Google

Subsit causa, potes; potes (indubitabile, causa
405. Subsit ut asserimus) colli religare catenam,
Et ibi vivendi solitum deposcere cursum.
Ilicet hoc placuit. Nostrum est disquirere causam,
Inquit Apex; nec causa deest, sed quæque (14) laborat
Nos stimulans. Vocat inde alium, quo certius esset
410. Consilium. Firmabat idem. Gaudebat anhelus
Presbyter altipotens, statuens in corde relatum.
Sic avis è nido tentans volitare novello,
Si trepidat fulcare viam, firmatur & audet,
Dum videt allabi matrem persæpe * volatu,
415. Insidendo locum voluit quo adducere prolem.
Et licèt edoctus partem delegerit anceps
Alterutram, remeare volens (ceu blanda * columba,
Aucupis ad rivos, ubi fallit retia casu,
Pectora seu leviter fugit percussa sagittis,
420. Tendit ad excisæ rupis fastigia pennis)
Attamen absconsi pandit secreta cubilis.
Nonnullis Procerum, quorum consulta reposcit
His super; an siquidem, cocco quæ Purpura * vestit,
Expediat sibimet regimen postponere Sedis
425. Romanæ, cui tanta quies abrupta labore est
Non benè proficuò; cui sic, heu! damna * minatur
In mortem non multa dies. Sed verba latenter
Subrepunt aures hominum, mentesque levantur
Auditu: sed magna stupet pars rustica (15) Fratrum
430. Hæc noscens amplexa Petrum (quis (16) fallere servum
Possit in obsequio jugem) quin cautius illum
Vertere nituntur voto, lamentaque produnt.
Cur abigis crudelis oves? cur morsibus agnos
Exponis, natosque, Pater? Nos turba fidelis,
435. Nos famuli, nos dogma tuum per cuncta secuti:
Nos alium, nos præter te non novimus ullum,
Non etiam sperare placet: nos plantula Patris
Culta manu; semenque satum pietate colebas.
Progeniem, quam falce necas, sic deseris atrox?
440. Numquid & (immunem casus te credimus) ausint
Ardentes (17) fidei dudum * jactare procellis
Nos, genus indoctum? Pavidi terrebimur ausis.

CAP. XIV.

Sæpiùs hæc lacrymis: furtim tamen ocyus omnem
Parthenopen subigunt fractis irrumpere portis
445. In loca Castelli, quibus ille moratur in antris.
Sic (18) agitur: tabulasque ferunt, cellamque recludunt
Nobilium pars magna ruens: quæ voce petebant
Præsulis aspectum, securos reddere promptum,
Quòd malit * perstare gradu, quàm cedere Divus.
450. Dum ruerent querendo domum, videre repostam
Litterulam, qua doctus erat, si credere dignum
Æstimat. O quanta passa est divisa figuras!
Nam Fratres (19) te errare viam sine lumine credunt.
At Pater attonitus senior, non sponte videndus
460. Turbidus exibat, faciem demissus (20), & * arcem,
Per mediam stolidum tentans placare tumultum,
Atque gemens; Animo majus quàm (21) verba sed, inquit,
Cordis in Archivo gerimus: civesque fatemur
Sic dare prævisis, Christo donante quietem;
465. Quòd laus digna sibi, vobis pax, nostra salusque
Proveniat meritò precibus diffundite corda,
Ut faveat pietate sua, qui secula condit.

CAP. XV.

Post ternos binosque dies, coëunte Senatu,
Commemorat vitæ discursum primitus acti
470. Temporis, & grandes Christi miserantis Olympo
Virtutes, & dona Dei, tranquillaque fructus
Otia: quos mores paupertas nacta quieta est,
Attulit in laudes fulgentis in omnia Christi,
Nec sibi cum fastu tribuit; dehinc flebilis infert:
475. Defectus, senium, mores, inculta loquela,
Non prudens animus, non mens experta, nec altum
Ingenium, trepidare monent in Sede periclum.
Quare humilis petiit blandè suffragia Patrum,
Consiliumque pium; numquid sit cedere tutum,
480. Ecclesiamque juvet, fugiat si nescius artem.
Finierat * lassatus Apex, matura (22) * cubantum
Expectans responsa Ducum: cui, plurima docti,
Postque moras & verba diu pensata labore,
Sic fantur; Nunc, alme Pater, licèt alta senectus
485 * Præcipitet stupeatque novis; tamen insita cordi
Et librata * fovet; postquam consulta benignè
Nostra petis; visum est, ut quodam tempore vires
Paulisper tentare velis in Sede Monarchæ,
Non renuens Apicem divini culminis, Orbi
490. Proficuum, celebrisque loci tibi præmia dantem,
Si libet (ut petimus) pravis avertere mentem
Consiliis, quibus omne malum, damnosaque mundo
Procedit novitas; placet desistere tantis
Ac non auditis, quibus & maculare * videris
495. Pontificis famam; vos met recreare serenum.
Orantes speramus Herum sic auspice Christo
(* Si, Pater, assistant sacri suffragia Cœtus)
Quod sponsam Deus ipse suam, cui vulnera nexus
Tersit Amor, tersitque cruor, divinaque tersit
500. Vulnera Serpentis pietas, sub Principe tanto

Pro-

(14) * *Nam sunt plures causæ cedendi: scilicet senium & desiderium humilis ac privatę vitę.*]

(15) * *Qui erant de Ordine Fr. Petri.*]

(16) * *Auctor loquitur*] Idem infra aliquoties notatur ad similem parenthesim.

(17) * *Idest, ferventes contra nos, ut scilicet nos dicant esse hæreticos.*]

(18) * *Nam Neapolitani subitò irruperunt in castellum, & portas fregerunt.*]

(19) * *Credebant quòd Cœlestinus nesciebat per se renunciare, nisi haberet schedulam, quæ quasi sibi erat tamen.*]

(20) * *Nam talis erat suus mos.*]

(21) * *Plus portabat in corde quàm verbo ostenderet.*]

(22) * *Cubantum* .i. confidentium.

Digitized by Google

Proteget, ac placidam faciet reddetque quietam.
Nec celare juvat jam jam, quod viſcera cordis
Obſequio geſtant; quod (ni prudentia mores
Hos aliò vertat) durum eſt in culmine poſtum
505. Diſcrimen neſcire ſuum, navimque tumentes
Evitare ſinus, quæ ſæpè laborat in undis.
Quapropter jubeas Cleri procedere turmas,
Ordine ſolenni voces in templa ſonantes,
Tuque roges Divum, cui lumina clara ſubaſtant.
510. Ut priùs inſpiret ſacro liquefactus amore,
Quid melius, quid Sponſa velit, quidve utile mundo eſt,
Juxta dicta Patrum proceſsit in ordine Clerus,
Cantica depromens, * tenſiſque licentia fibris
Panditur in voces, Miſſæque celebria Cardo
515. Quiſque (23) jubet dicenda domi. Deus ipſe rogatus
Sæpè venit: ſic corda jacent affuſa petentum
Ut vox (24) applaudens reſonat; nec fallere verum
Inſcius attentat, quiſquis verſatur in urbe.

CAP. XVI.

Interea Murro poſt tot conſulta virorum
520. Atque repugnantes animos, avertere verba
Cedendi, longeque ſuas protendere curas
Diſſimulans, ceu vera loquens, aliiſque vacare
Sollicitus, quo ad illa (25) domus ſecreta Patreſque
Crediderint, hunc nolle gradum dimittere primum.
525. Cumque foret generata fides, omneſque putarent,
Rex etiam, miri cœpiſſe oblivia facti
Immemorem variumque Petrum, clarente per ortum
Sole, die feſto Luciæ virginis almæ,
Coccineam chlamydem veſtitus, ſignaque geſtans
530. Cœleſtinus Herus Papæ, conſcendit in unum
Cum Patribus * thalamum pallens; doctuſque latenter
Portabat clauſum ſcriptum (nec defuit ejus
Auctor) (26) & incipientes vetuit (27) ne Cardo loquenti
Obſtaret, de hinc clauſa legens edixit amicis:
535. Defectus, ſenium, mores, inculta loquela,
Non prudens animus, non mens experta, nec altum
Ingenium, curâ ſolerti cognita nobis,
Cedendi cauſas ſubigunt, quo caſibus orbis
In * præſens obſtare volens, animæque ſalutem
540. Quærere, Papatus oneri cedoque favori [&]
Faſcibus, in Cœtu Procerum manibuſque videntum,
Ecce libens & ſponte, Patres: ſed parvula quædam
Presbytero celebri Miſſæ opportuna (28) tenemus
Ornamenta. Duces, prono ſuccurrite mundo,
545. Et date Paſtorem, viridantia paſcua dantem
Præbentemque gregi, rectum, doctumque perennis
Pandere iter vitæ, noſtroſque ut corrigat actus,
Obnixè petimus, cùm devius impulit error:
Nam multis variiſque modis erraſſe fatemur.

CAP. XVII.

550. Audito ſermone Patris, ſuſpiria dulces
Accipiunt animos Procerum, lacrymæque per ora
Decurrunt. Quis mira videns non flectitur, inquam,
Quamvis duruerit? Refugis * quod poſtulat omnis,
Indoctus prudenſque ſimul. Sic ergo gementi
555. Reſpondit Levita (29) prior, mandante Senatu.
Alme Pater, ſi tanta tuis conſtantia votis
Certa manet, veluti * dicto ſermone patenter
Oſtendis, nec poſſe datur diſcedere, quin hunc
Sumamus calicem; placeat quod pura voluntas
560. Nil ſibi contineat: cupit hanc deceſſio legem,
Faſcibus ut cedas; nec conditione fruendum
Credit: & hoc Juris teſtatur docta facultas.
Inſuper (ut dubium procul omne loquentibus abſit)
Conſtituas, ut quiſque volens pro tempore Præſul
565. Romanus ſubſtare gradu, decedere Fratrum
In manibus poſſit, nec non Collegia ſacra
Cardine fulgentum, valeant ceptare (30) receſſum
Pontificis. Conceſſit Herus, ſtatuitque licere
Singula, ceu Rubeus dictans ex ordine prompſit,
570. Et referunt Decreta novis (31) jam condita libris.

CAP. XVIII.

Tunc abeunte foras Petro, Collegia penſant
His ſuper: & viſo quòd ceſſio digna volentis
Aſſumi, referunt placidos admittere Cœtum
Diſceſſus: ipſumque rogant, ut ſtare ſerenus
575. Eligat, implorans humili ſuffragia voto
Divina in plebem. populo ſine Præſule mœſto.
Non deerant lacrymæ verbis: nam languidus ille
Secedens * illinc, habitus mutaverat omnes
Papatus, chlamydem veſtitus terpa piloſam.

CAP. XIX.

580. Fit Monachus, qui Papa fuit; ſimplexque Sacerdos,
Præſul; & inclinans aliis, cui Regia Sceptra
Imperii Diadema ſacrum, Mitræque bicornes,
Illuſtris ſpectandus Herus, Clariſſima turba,
Religionis amor, Clerus, Mileſque, pedeſter,
585. Agricolæ duri, profugus mercator, & orbis
Paruerant, ſi jura colunt, Chriſtumque ſalutis
Aucto-

(23) * *Nam quilibet Cardinalis fecit dici Miſſam in domo propria.*]
(24) * *Si ita Deum corde rogamus ut ore.*]
(25) * *Domeſtici ſui familiares.*]
(26) Non eſt facile divinare, quiſnam ſcripti illius *Auctor* hic indicetur. Erit forte qui Card. Gajetanum ſuſpicetur: ſed ſuſpicionem hanc diluit Stephanus, antea teſtatus hunc diſſuaſiſſe renunciationem.
(27) * *Nam prohibuit, ne alii Cardinales impedirent eum loquentem.*]

(28) * *Volebat namque Cœleſtinus retinere quædam ornamenta ad commodum Miſſæ.*]
(29) * *Matthæus Rubeus.*]
(30) * *Ideſt, acceptare.*]
(31) Librum 7. Decretalium intelligit, quas Clementinas vocant, in Concilio Viennenſi an. 1313. ordinatum. Hic ergo verſus operi jam pridem compoſito additus intelligitur, ſicut alii fortaſſis. plures, de quibus id non æquè facile certòque ſtatui poteſt: quare nec curavimus eos ex noſtra conjectura notare.

Digitized by Google

Auctorem novere suum. Proh! deviat amens
Gentilis Parthus, nec non sibi nomina Sarræ
Quique volunt, gens * cassa fide, gens perfida cœlo,
590. Penè Oriens totus, tota Africa, parsque sub Arcto
Ignorans servire Deo, de jure (32) subacti
Præsulis Imperio, Christi vice cuncta gerentis,
Musa, licèt tempus foret ut pausare Poëta
Posset ab incœptis, qui longa per æquora vectus
595. Nunc portu recubare potest: tamen excitat ardor
Ingenii, juvenem (33) dubiis intendere mentem
Quattuor: An potuit? Potuit quia cedere, nunquid
Expediens? Cur Murro senex, cur sumpsit honoris
Papatus insigne priùs? Quid majus habendum,
600. Hunccine dimissum, vel tunc fugisse (34) relatum
Cùm dederant Proceres? Cur demum summa potestas
Permisit variare Petrum, qui tempore grandi

CAP. XX.

Obsequio placuit? Sed ne diffusiùs ultra
Quàm deceat curramus, equum subsistimus, unum
605. Summopere * aggressi metris narrare, coronam
Præsulis, & Cleri pompas per mœnia claras,
Dum novus insigni Pastor diademate Romæ
Urbe sacra fulget: nam Regni texere fastus
Hos, quasi præcipuum lassantibus organa * metris.

EJUSDEM JACOBI CARDIN.

De Electione, & Coronatione S. D. Bonifacii Papæ VIII.

Libri duo.

PRÆFATIUNCULA.

AD prælibandam utcumque hujus libelli materiam, sciendum est, quòd Auctoris dudum intentio fuerat, Coronationem Romani Pontificis texere metro, ad aliqualem exercitationem ingenii; & quia nullus penè Auctor, stylo prosaico, vel carmine, alicujus triumphum Principis referasse conspicitur. Itaque cùm hoc gestiret in voto, & hoc ipsum fuerat pollicitus (prout alter libellus, quem de promotione cessioneque Cœlestini composuit, evidenter insinuat) fortassis non absque Divinis auspiciis factum est, ut Sanctissimi nostri Patris, & Domini Bonifacii, Divinâ providentiâ Papæ Octavi, qui ipsum ad Cardinalatus honorem provexit, Coronatio mirabilis describenda occurreret, quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebratam solenniter, heroico carmine dictaret: nam in hoc, voto celebritas, pollicitationi debitum, & labori fructus accommodus respondebat. Hanc ergo materiam, gradu provectus Auctor describendam aggreditur: hanc & Divino favente præsidio perficit inchoatam. Sic igitur Coronationis triumphus prædicti Sanctissimi Patris, gestorum servatâ substantiâ, more poëtico phaleris insignitur: nam à longis retroactis temporibus, nullius Romanæ Urbis Antistitis sic celebris, sic præclara Coronatio memoratur. Facta itaque Propositione & Invocatione, ut moris est Vatibus, ad Narrationem acceditur, quæ in duos distinguuntur libros. Primus namque narrat, qualiter idem Sanctissimus Pater electus Neapoli, revocatis quæ per Cœlestinum ineptè transierant, profunda hieme, de servitute quodammodo Romanam Ecclesiam eripiens, Romam accessit coronandus. Secundus verò describit solennitatem consecrationis, Coronæ fastigia, ac Processionis solennia, prout antiquitas hæc servanda decrevit. Et ut prædicta limpidiùs clareant, utriusque Libri Capitula subnectuntur.

Incipiunt Capitula Libri Primi.

Incipiunt Capitula Libri Secundi.

De

(32) * *Nam secundùm veritatem sunt Papa.*]
(33) * *Nam Pœta erat juvenis.*]
(34) * *Datum Papatum.*]
Syllabum nunc habe mutatorum in hujus Capitis contextu.

✝ 325 divus, *lego*, dictus.
326 quis, *l.* quod.
338 nec dicta, *l.* licet acta.
369 Addere, *l.* Reddere.
387 Ut licet, *l.* Ilicet
402 funda, *l.* fundata.
414 velata, *l.* volatu.
417 columna, *l.* columba.
423 nescit, *l.* vestit.
426 minantur, *l.* minatur.
441 jaculare, *l.* jactare.
449 præstare, *l.* perstare.
460 armum, *l.* arcem.
481 laceratus, *l.* lassatus. cibantum, *l.* cubantum.
485 Præcipiat *l.* Præcipitet.
486 foret. *l.* fovet.
494 videntur, *l.* videns.
497 Sic, *l.* si.
513 templisque, *l.* tensisque.
531 thalamo, *l.* thalamum.
539 preces, *l.* Præsens.
542 Pater, *l.* Patres.
553 quos, *l.* quod.
557 dato, *l.* dicto.
578 ille, *l.* illinc.
588 cara, *l.* cassa.
605 egressi, *l.* aggressi.
608 metro, *l.* metris.

Digitized by Google

De arcubus factis à Romanis, & hastiludiis, & Clericis occurrentibus. Cap. 11.

De Judæis, & oratione ad eos. Cap. 12.

De via quam servat Papa in processione, & adventu ad Lateranum, & laudibus quæ fiunt à Priore Presbyterorum, & pecunia argentea, quam dat Papa Cardinalibus & Prelatis & aliis finita Processione, & aliis Solennitatibus. Cap. 13.

De Solennitatibus quæ servari debent in Sede stercoraria. Cap. 14.

De Comestione in aula solenni, & regressu ejus ad Cameram. Cap. 15.

Finis operis istius, cum recognitione Divini præsidii, & alterius facti de Cœlestino. Cap. 16.

LIBER PRIMUS.

De Electione Bonifacii Papæ VIII., & reditu in Urbem.

QUamvis vecta gradu teneant vestigia Vatem
Immeritum, titulisque datum * sit crescere nomen;
Dum Levitarum numerum, dum sanguinis * ostro
Ingredimur fasces; quæ vasta licentia pridem,
5. Angitur in metris: nam publica munia tempus
In commune rogant expendi: ea vita Senatus.
Attamen infecti memores, operisque futuri
Polliciti, diadema sacrum Bonifacius Heros
Invitat referare suum. Nec voce rogamur,
10. Aut nutu: sed verus amor, reverentia tanti
Pontificis suadet. Nescis, Pater inclite, nescis,
Suppetat ingenium nobis, seu cura loquendi
Hæc fuerit. Dabiturne modus, quo gesta coronæ
Possimus reticere tuæ, quos Cardine vestis,
15. Majorumque locas solio; qui gesta Prioris
Scripsimus? Idcirco nostris furabimur horis
Tempora, nec prorsus deerit tunc auspice cœlo
Obsequium, Christoque datum multisque salubre,
Præcipue si facta canat sublimia Musa.
20. Sed quia deficimus, tecum confidimus ausum
In plenum perferre diem, Deus ipse: rogatus
Omnipotens det posse Pater, det scire supernus
Filius, inceptis det fluida pectora Flamen.

CAP. I.

Jam veneranda Ducum, Cleri stipata catervis
25. Turba, novum lectura Patrem, convenerat aulâ
Regis: & excusso bis quino lumine Phœbi,
Lege dato, Proceres obstructis marmore valvis
Carcere clauduntur: nec non servata priorum
Tempora sunt morumque senum, Missæque celebres
30. A Patribus, vocesque Ducum resonare per hymnos,
Sermoque diffusus. Post hæc procedere visum est:
Scrutantesque suum per clausa silentia votum
Mox referant, patuitque viris haud spiritus idem,
Sed quasi conformis. Nam plurima nomina Fratrum
35. In te conveniunt (alii licèt altera fassi)
O Cardo Benedicte Sacer Levitaque quondam,
Eligeris: nam digna quidem concordia vocum
Accessit, Pater alme (Patrum nec promptior ausit
His aliud) * culpam celansque fuisse rubentem
40. Quisque tuo submissa pedi dedit oscula supplex.

CAP. II.

Sic igitur lacrymans, ac molis pondera librans,
Assensit gestare jugum; jam doctus ab ante
Quis labor & meritum cruciet, quàm publica cura
Pontificem. Roseis spinas substare cruentam
45. Floribus haud dubitat, * ceu Pastor conscius ævi.
Cumque foret Benedictus ei de fonte perenni
Nomen, ut excrescens fieret, majorque secundis
Rebus hic, atque adeo laudem converteret Heros
Gestorum in laudes, Præsul Bonifacius inde
50. Dicitur. In voces modularis spiritus almas
Concrepat: at populus festinat: currere Miles
Tentat in auditum; Caroli spes (1) cepta precando
Defecit, miserante Deo. Sunt ista relatu
Digna, quod & Patri, nec non sibi præstita noscens
55. Munera ab Ecclesia, vultus avertit (2) & ora.
Nec Matrem violare licet, quin libera possit
Desponsare virum. Caveant quicumque * sinistris
Fraudibus injectant oculos, ac ipsa Potentum
Formidet subjecta manus: sic gloria præstat.

CAP. III.

60. Forsitan acceptum est præludi * carmine famam
Præsulis: ut radient (3) prævisa poëmata sensus
Fortius, ignoto * gustentur gesta triumpho.
Clara domus genuit, quam nutrit Anagnia (4) * colle,
Gajetana virum. Dives, ceu carmina (5) Vatum
65. Insinuant, urbs illa fuit, dictoque vetusta: Sed

NOTÆ AD LIBRUM I.

(1) *Spes cepta* .i. concepta, quæ scilicet aliquem suæ factionis eligendum speraverat

(2) Scilicet non valens dissimulare rancorem: quomodo igitur subsistere poteſt dictum Ptolomæi Lucensis in Annalibus? quòd Bonifacius, *licèt Regem Carolum multum exasperasset Perusiii*, tamen *suis ministeriis & astutiis factus est* non solùm *Dominus Curiæ*, sed etiam *amicus Regis*, Platina eumdem culpat, ut qui *non sine ambitionis crimine* ad Pontificatum pervenerit. Apertiùs etiam Ciacconius ait, noctu ad Regem accessisse: spemque ei fecisse recuperandæ Siciliæ, si ejus operâ Pontifex efficeretur, itaque cum Cardinalibus Regem egisse ut non alium eligerent. Sed putamus hæc omnia ab ejus æmulis fuisse conficta. Tandem tamen collegit se Carolus, & Electo, cujus favore plurimum egebat, genus omne obsequii detulit, Coronationi cum filio præsens, ut infra lib. 2. ℣. 215. legetur.

(3) *Radient* .i. irradient, illustrent.

(4) In colle enim sita *Anagnia* est, Hernicorum veterum caput.

(5) Virgilius lib. 7. Æneados.
Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascit. & Silvius Italicus (de quo sibi lectè eque ac de Virgilio gloriatur Auctor in Præfatione)
Frugiferis Cerealis Anagnia glebis.

Digitized by Google

Sed longè majore gradu prælata refertur
Florida, cui triplices nostro producere plantas
Tempore concessum est, quæ Petri (6) Sede Monarchæ
Imperio cunctas subigunt de jure Cathedras.
70. Quos inter prælucet Herus, cui scandere fasces
Jus erat. Et Legum (7) titulum sortitus ab olim
Sæpe tulit leges causis, & perculit hostem
Sæpe, repercussit contundens spicula victor
Sæpe. Fuit mens alta viro, fœcunda juventus
75. Et docile ingenium. Solers astutia, promptum
Obsequium, secura palam prudentia fari
Præsulibus, fecere viam, qua tractus in altum
Cresceret. Hinc Scribæ munus Papalis adeptus,
Omnia pertractans, clarus dictamine, quondam
80. Cardine præfulsit rubeo, Levita (8) Sacerdos,
Cardo manens Benedictus Herus, nunc culmine summo
Imperat. O pietas miserantis in omnia Christi
Ecclesiæ! cujus lacrymis & vulnere diro
Sanamur, gens cœca malo, cœcata parentum
85. Delictis; dum tantus Apex, qui sæcula, mores,
Pontifices, Clerum, Reges, Proceresque, Ducesque,
Et Gallos Anglosque procul, fraudesque minasque,
Terrarumque plagas, orbemque reviderat omnem,
Romanæque Sedis statum; veteranus in illa
90. Eligitur; pensata quidem medicina, coæquans
Languores; tibi, Christe Deus, si proxima nobis
Tempora prospicimus, successit in ardua prudens
Fluctibus in mediis. Hortus (9) Campania talem
Edidit, ac tantam produxit Anagnia prolem.

CAP. IV.

95. Protinus auspiciis, roseo velamine fulgens
Aurato in thalamo, Fratrum circumdatus orbe,
Orsus Præsul ait: Laceratæ vulnera Matris
Proh dolor! aspicimus, casusque pavere futuros
Cogimur. Heu! nostrûm quis tanta pericula, tantas
100. Ignoret fraudes? Quisnam sub Principe (10) puro
Ambigat, effrontes maculis fœdare colorem
Ecclesiæ tentasse dolos? quæ Sponsa marito
Servabit placitura thorum frontisque pudorem,
Assistente Jesu: Deus est qui, sponsus & auctor
105. Et caput, & virtus, merces quoque digna salutis.
Ecclesiæ siquidem passus * nutare carinam [est]
Demeritis nostris. Vobis nam cognita virtus
Simplicis inscitiæ Murronis; quamque patenter
Inscius, effrænis, captus, seductus, & expers,
110. Pronus in omne datum (11), mores confuderit omnes.
Nil gravitas pensi, nil lenta modestia curæ,
* Spectatrixve rei fuerat: quin clausa latebat
Verborum virtus. Numquid sibi cognita, Fratres,
Quæ dederat bullâ, quibus & jam mente coacta
115. Annuimus? Quamvis oblata reposcere dona
Judicium * dictare animi; nec credimus, inquit,
Quod liceat passim concessis absque reatu
Quosque frui. Quærenda via est, qua rite mederi
Posse datur morbis, ne blandè serpere virus
120. Incipiat. Siquidem, cùm nobis quærere longum
Singula quæ latitant, similis medicina venenum
Educat; carboque, vomens (12) sua lumina, fœdum
Omne superpositum consumat; quodque sub antris,
Devoret in cineres. Igitur vacuata jubemus
125. Viribus indulta, & quæ temnens Murro Senatus
Cardineos Apices tunc summus contulit Heros,
Largitusque dedit; series ceu cassa notabat
Limpida (13) Scripturæ, cui plumbi lamina filo
* Hæserit. Haud vestrum voto deposcere casu
130. Consilium, Proceres, cura est, seu quærere votum:
En patet excessus, plebisque piacula clarent.
Numine forte Dei sacri, tunc festa Joannis
Orbita (14) conduxit, quibus hæc sunt gesta, novata:
Ut Romam (15) fecisse legunt, cùm sævus & ardens
135. Christicolum mortes, animam transmisit averno
Domitianus Herus, gladiis extinctus iniquis.
Sic cupiens steriles Cererem producere terras
Ignibus exurit silices, aut scindit aratro
Undosis cultor factis ex ordine sulcis;
140. Saucia (16) multiplices jactat post semina fructus.

CAP. V.

Et licèt hibernos cœlum diffunderet imbres,
Mosque foret gelidas potiùs refovere medullas
Ignibus accensis, quàm carpere moribus agros.
Attamen ut Petri Sedes, compressa dolore,
145. Libertate frui Sponsumque revisere posset;
Admonitis sermone gravi dictoque salubri
Regnicolis, laudando fidem; Caroloque Secundo,
Ut

(6) * *Nam fuerunt tres de Anagnia*] Romani Pontifices, videlicet *Innocentius III. Gregorius IX.* & *Alexander IV.* omnes intra proximè elapsos centum annos electi, videlicet an. 1198. 1227. & 1254.

(7) *Titulum*, scilicet Doctoralem, uti id intelligit Ciacconius aliique.

(8) *A Martino IV. factus Diaconus Card. S. Nicolai in carcere Tulliano, & à Nicolao IV. Presbyter SS. Silvestri & Martini in montibus tit. Equitii*, ut idem Ciacconius.

(9) * *Quia Campania est hortus B. Petri*] aliis *Felix* cognominata, hodie *Terra di lavoro*, quod in ea colenda utilissimè labor impendatur.

(10) * *Cœlestino*] puro criminis, sed fraudibus decepto.

(11) Idest, preces ad quidvis largiendum.

(12) Idest, ardens carbo.

(13) *Membrana vacua, sed bullata*, inquit Ptolomæus Lucensis.

(14) *Orbita* .i. circumvolutio anni, *novata*, jam enim novus annus ex stylo Romanæ Curiæ inchoatus erat à festo Nativitatis.

(15) Post cædem Domitiani, acta ejus rescidit Senatus.

(16) *Saucia*, subintellige, tellus.

Ut pia subjectos pascat clementia Regno,
Attritos bello vastisque laboribus actos;
150. Cœpit iter Præsul Capuam, montemque Casinum;
Inde Ceperani (17) transvexit flumina ponte.
Cùmque per effusos peteretur Anagnia campos,
Obvia multiplici discurrit milite pompa:
Excipiensque Patrem rupes nativa, pedestres
155. Effudit choreas, jussas occurrere palmis.
Illuc Nobilium Procerum pars magna vetustæ (18)
Urbis in adventum Papæ deferre Senatum (19)
Venerat: at sumpto (20) Romana attingere Præsul
Mœnia festinans, patriam civesque relinquens,
160. Continuavit iter, quod altam cerneret Urbem.
Nec labor, aut [algor] fessos, sumptusve (21) gravare:
Tanta quies animis, libertas reddita cùm sit.
Roma, velut sponsum remeantem carcere ab hostis
Exceptura foret, frontem vestita coronas
165. Vadit in occursum, * ludensque excurrit in arvis
Miles, Eques: Clerusque canens suâ thura ministrat
Pontifici. Primum Laterani templa novellum
Suscipiunt Patrem, confestim Principis aula
Clavigeri Petri gaudens suscepit euntem.
170. Hic locus, hic thalamus, sedes quoque festa * sacrando.

LIBER II.

De Coronatione Bonifacii VIII.

QUoniam quæ hoc Libro describuntur ab Auctore nostro satis intelligi nequeunt, absque exacta cœremoniarum in hujusmodi actibus usitatarum cognitione, præter earum declarationem inferiùs subjungendam, juxta Pontificale Venetiis excusum anno MDLXI., placet ex Centio Camerario (qui centum dumtaxat annis ante Bonifacium vivebat scribebatque, factus deinde Cardinalis, ac denique anno MCXVI. Romanus Pontifex sub nomine Honorii III.) ordinem electionis Ordinationisque Pontificalis transcribere, ex Annalibus Cardinalis Baronii ad annum 1191. sic autem habet:

I. Mortuo Romano Pontifice & sepulto, omnes Cardinales ad propria revertuntur secundùm antiquam consuetudinem. Secunda verò die conveniunt in Ecclesia, & Missâ mortuorum cantatâ, omnes similiter secundùm consuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterum omnes in Ecclesia congregati, & Missa Sancti Spiritus ibidem primitus celebrata, tractant de electione. Et perscrutata Cardinalium voluntate ab aliquibus de ipsis, in quem major & melior pars convenerit Cardinalium, Prior Diaconorum ipsum de Pluviali rubeo ammantat, & idem Electo nomen imponit; ipsumque deinde duo de majoribus Cardinalibus addextrant usque ad Altare, ubi prostratus adorat, Primicerio cum schola Cantorum & Cardinalium cantantibus, Te Deum laudamus.

II. Quo facto ab Episcopis Cardinalibus ad Sedem ducitur post Altare, & in ea (ut dignum est) collocatur: in qua dum sedet Electus, recipit omnes Episcopos Cardinales, & quos sibi placuerit ad pedes, postmodum ad osculum pacis. Surgensque de Sede, ducitur à Cardinalibus ad sedem lapideam per porticum, quæ sedes dicitur Stercoraria, quæ est ante porticum Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranensis; & in eumdem Electum ipsi Cardinales honorificè ponunt, ut verè dicatur, Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat. Post aliquantulam moram, stans juxta eamdem sedem Electus, accipit de gremio Camerarii tres pugillatas denariorum, & projicit dicens; Argentum & aurum non est mibi, quod autem habeo, tibi do.

III. Tunc autem accipit ipsum Electum Prior Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranensis, cum uno de Cardinalibus, vel uno de Fratribus suis. Venientibus autem per eamdem porticum, juxta ipsam Basilicam Salvatoris, acclamatur: Domnum Cœlestinum (eum scilicet de quo hæc scribebat Centius, *Tertium* ejus nominis) *Sanctus Petrus elegit. Sicque ducitur ab illis usque ad gradus portæ, quæ videlicet porta est in introitu Palatii venientibus de Ecclesia ad Palatium ipsum: ibique Judices, eumdem Electum accipientes, ducunt eum per Palatium usque ad Basilicam Sancti Silvestri. Ubi verò ventum est ante Basilicam ipsam (super cujus arcum, qui sustentatur de duabus columnis porphyreticis, est imago quædam Salvatoris, quæ à quodam Judæo percussa olim in fronte sanguinem emisit, sicut hodie cernitur) idem Electus sedet ad dexteram in sede porphyretica: ubi Prior Basilicæ S. Laurentii de Palatio dat ei ferulam, quæ est signum regiminis & correctionis, & claves ipsius Basilicæ & sacri Lateranensis Palatii: quia specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi & aperiendi, & ligandi atque solvendi, & per ipsum Apostolum omnibus Romanis Pontificibus.*

IV. Et cum ipsa ferula & clavibus accedit ad alteram sedem, similem & ejusdem lapidis: & tunc reddit eidem Priori tam ferulam, quàm ipsas claves. In qua dum aliquantulà morà quievit, cingitur ab eodem Priore zona rubea de serico, in qua dependet bursa purpurea, in qua sunt duodecim sigilla pretiosorum lapidum & muscus. Qui quidem Electus in istis duabus sedibus sic sedere debeat,

(17) *Ceperanum* castrum, Pontificiæ ditionis limes ad Garilianum flumen, olim Lirim, distat Monte Cassino 9. circiter milliaribus: & hinc Anagniam duplo ferè abest spatio.

(18) Veteris scilicet Romæ.

(19) Idest, arbitrium eligendi duos Senatores, Magistratum Kalendis Januarii proximè inituros.

(20) *Sumpto .i. electo * scilicet Senatu.*

(21) In MS. sic legebatur hic versus.
Nec labor aut fessos sumptusve gravâre labores
& in margine notabatur. .i. * *gravavere*. Verùm ultimum verbum, defectu verbi, *algor*, quod exciderat, fuisse substitutum à librario, versum utcumque supplere volente omnino credo: mallem etiam, *gravârunt*, legere. Cætera quæ correxi sunt hæc.

ỷ. 2. sic, *lego*, sit.
3 ortu, *l.* ostro.
4 quo, *l.* quæ.
39 culpans, *l.* culpam.
45 sic, *l.* ceu.
57 senili, *l.* sinistris.
60 carmina, *l.* carmine.
62 gustantur *l.* gustentur.
92 ortus, *l,* Hortus.
93 collem, *l.* colle.
102 dolis, *l.* dolos.
106 mutare, *l.* nutare.
112 Spectatrix veri, *l.* Spectatrixve rei.
116 distare, *l.* dictare.
129 Hæserit, *l.* Hæserat.
165 laudensque, *l.* ludensque *vel*, plaudensque.
170 sacrandus, *l,* sacrando.

Digitized by Google

beat, ac si videatur inter duos lectulos jacere, id est, ut accumbat inter Petri Principis Apostolorum primatum, & Pauli Doctoris Gentium prædicationem. In zona notatur, continentia castitatis; in bursa, gazophylacium, quo pauperes Christi nutriantur & viduæ; in duodecim sigillis, duodecim Apostolorum potestas designatur; muscus includitur, ad percipiendum odorem, ut ait Apostolus, Christi bonus odor sumus Deo. In qua secunda sede dum sedet Electus, recipit omnes Officiales Palatii ad pedes, & postea ad osculum: & deinde sedens ibidem recipit de manu Camerarii denarios argenteos valoris decem solidorum, & projicit eos super populum: hoc facit tertiò dicendo, Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Istis peractis ducitur per ipsam porticum ad iconas Apostolorum, quæ per mare Romam venerunt nullo ductore, & intrat Basilicam Sancti Laurentii: in qua postquam peregerit prolixam ante proprium & speciale Altare orationem, pergit ad Papalem cameram; ubi cùm pro sua voluntate pausaverit, pergit ad mensam.

V. Post hæc autem in proxima die Dominica, Electus, cum omnibus Ordinibus Sacri Palatii & Nobilibus Romanis, vadit ad Ecclesiam B. Petri; & ante Altare Majus, pro ut in Ordine continetur, ab Episcopo Ostiensi specialiter, & ab aliis Episcopis de Curia consecratur; hoc addito, quòd si fortè Episcopus Ostiensis præsens non fuerit, Archipresbyter Portuensis, seu Velitrensis interesse debeat consecrationi. Qua consecratione finita, Prior Sancti Laurentii sacri Palatii ponit Pallium super Altari: quod ipse Prior propria manu debet parare: & statim Archidiaconus cum secundo Diacono dat in manu Pontificis, & solus Archidiaconus dicit Pontifici: Accipe Pallium, plenitudinem scilicet Pontificalis officii, ad honorem Omnipotentis Dei, & Gloriosissimæ Virginis ejus Genitricis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: & nihil aliud. Statimque ipse Archidiaconus, cum Priore Basilicario aptat Pallium prædictum super Pontificem, intromissis spinulis aureis tribus ante & retro, & in sinistro latere, in capite quarum sunt innexi tres hyacinthini lapides: & sic ornatus accedit Pontifex ad Altare, & ibi celebrat honorificè Missam. Et notandum quòd laudes ab Archidiacono cum Cardinalibus, Subdiaconis & Scriniariis dicuntur, Epistola Latina cum Græca, Evangelium Latinum cum Græco, & omnes aliæ solemnitates tunc fiunt sicut in secunda feria post Pascha.

VI. Missá autem celebratá, revertitur ad Palatium coronatus, cum processione & honore arcuum, repræsentatione Legis à Judæis, & thuribulorum à Clericis Romanis, & jactibus totidem, & tanta quantitate factis, sicut in secunda feria post Pascha. Sciendumque quòd Cardinales omnes, Græci, Primicerius cum schola Cantorum, Præfectus, Senatores, Judices & Advocati, Scriniarii, Præfecti navales, schola Crucium, & Capellani, tale Presbyterium & taliter datum accipiunt, quale in die Paschæ superiùs nominatum recipiunt: Subdiaconi autem singuli singulos meloquinos habent, quod tamen non fit in aliqua prædictarum solennitatum: nam non dantur eis, sicut ibidem scriptum invenitur, etiamsi triginta vel ampliùs essent, nisi duodecim meloquini. Universæ etiam scholæ Palatii, Clerici Romani pro thuribulo, & Judæi pro repræsentatione Legis & structura arcus, tale Presbyterium recipiunt & taliter, quale datur in coronationibus aliis Domini Papæ. Pincerna insuper & Marescalcus, tam de comestione, quàm aliis donariis, remunerantur similiter, excepto quòd capita porcorum aptata non habeant, nec de clareto: Familia quoque & Curiales Presbyterium habent juxta Camerarii voluntatem.

VII. Si verò electio facta est in Ecclesia Sancti Petri, post nominationem ducitur Electus à duobus Cardinalibus, cantando Te Deum laudamus, ad Altare: ubi prostratus postquam adoravit, ponitur in sede post Altare: & ibi Episcopos & Cardinales, & quos sibi placuerit recipit ad pedes, & postea ad osculum pacis: & proxima die Dominica consecratus, ibidem cantatá Missá cum solemnitatibus superiùs nominatis, & coronatus, revertitur ad Palatium, factis omnibus aliis sicut est superiùs per ordinem enarratum. Antequam autem intret in Palatium, descendit ad sedem stercorariam: ibique sedens sicut moris est, & faciens jactum ter replicatum sicut superiùs dictum est, accipitur à Cardinalibus, & ducitur per porticum ipsam ad Ecclesiam Basilicæ Lateranensis: & ascendens sedem post Altare, recipit Canonicos ejusdem Ecclesiæ ad pedes, & deinde ad osculum pacis: quo facto pergit per Palatium usque ad sedem Sancti Silvestri, ibique sedet, & facit omnia in eodem loco & in antea, sicut dictum est superiùs ordinatum.

VIII. Si autem extra Urbem fuerit electus & consecratus, omnia fiunt ordine supradicto, sive fiat descensio & consecratio ejusdem Electi in Ecclesia Sancti Petri, seu in Ecclesia Lateranensi idem Electus descendat. Quòd si electus & consecratus fuerit extra Urbem, & à parte Lateranensi venerit ad Urbem, omnes Clerici Romani occurrunt ei extra Urbem induti, cum Crucibus & thuribulis in processione; & sic intrat Ecclesiam Lateranensem, & fiunt alia omnia sicut superiùs est narratum hoc excepto, quòd cùm descenderit ad sedem stercorariam, & per porticum vadens Ecclesiam Lateranensem intraverit; non statim ascendit ad Altare, seu ad sedem, sed veniens inferiùs in Choro majori ante Cruces, finito Te Deum laudamus, dicit: Adjutorium nostrum in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini benedictum &c. hoc facto ducitur ad Altare, & prostratus orat. Qui postquam oraverit sedem majorem ascendit, & ibi Canonicos ejusdem Ecclesiæ ad pedes recipit, & ad osculum pacis. Si verò descenderit ad Ecclesiam S. Petri consecratus, omnia fiunt sicut in Ecclesia Lateranensi, hoc excepto, quòd ibi non est sedes stercoraria: & proxima die sequenti celebratá Missá non coronatus revertitur ad Palatium: antequam intret Ecclesiam descendat ad sedem stercorariam, ibique sedens prout moris est, & faciens jactum (sicut superiùs est enarratum) accipitur à Priore Lateranensi, & cum uno Cardinali ducitur per porticum ad Ecclesiam, & omnia facit sicut superiùs est denotatum.

CAPUT PRIMUM.

De cœremoniis coronationis Papalis ante Vaticanam Basilicam factæ.

CAP. I.

Jamque dies (1) sacro Papæ celebranda triumpho
Exoritur. Titan Cœlum purgare serenus
Cœperat, atque jubar Phœbi clarentis ab ortu
* Fortibus agnorat devictus (2) Aquarius æstu.
5. Et Pater, auroræ roseo velamine fulgens,
Ingreditur sacra templa Petri: Mantoque relicto,
In-

NOTÆ AD CAPUT I.

(1) *Die Dominica XVII. Kalend. Februarii uti* habet Ciacconius.

(2) * *Nam sol tunc erat in Aquario.*]

Induitur, niveum zonâ fuccinctus (3) Amictum;
Velaturque caput texto radiante monili (4),
Haud faciem, folito colli circumdare nuda
10. Pontificis: fulvo micat & carbunculus auro
Infitus (5), & variæ fulgent in pectore gemmæ,
Et ftola demiffis pendet (6) conjecta lacertis.
Nec deerat byffus tunicæ (7), manicataque vestis
Levitæ; Cafulæque capax à * fornice forma,
15. Poft longas habitura plicas, contracta miniftris.
Cornua (8) fronte gerit, duplicem fignantia legem:
Legem quippe novam Chrifti, veteremque figuram
Alterius, quas noffe fuum (9), quas condidit idem
Omnipotens. Chirotheca manus, digitofque venuftat.
20. Annulus, & cubitum lævum cingitque Maniplus.
Nec non Cardinei Proceres, diftinctus ut ordo
Cuique dabat, fumpfere habitus difcrimine (10) fuci
Nullo, namque color tingens in findone veftem.
Confimilis. Sic ergo dies ornata refulfit:
25. Sic & Pontifices vicinæ plebis, in urbem
Acciti, feftis aderant: fic turba bicornis (11)
Seu cafu feu fponte foret, vifura regentis
Imperium: fic parva cohors Romana (12) * fubadftans,
* Levitis incincta ruit, tunicataque (13) Regno.

CAP. II.

30. His comptus fublimis Apex, fandalia geftans
Ornamenta pedum, dextra lævaque refedit
In Procerum (14) armillis: mediufque acceffit ad altum
Egregiumque decus fidei, venerabile donum
Chrifticolis, Altare Petri, de marmore cæfum,
35. Porphyriifque gerens fulvis à celte (15) columnis
Quattuor argenti (16) Cœlum, quod tempus in atrum
Verterat; ac fubterfufi fub tegmine cupri
Corpora facra tenens, totum veneranda per orbem,
Ætherei Petri, Pauli (17) quoque Gentibus almi
40. Doctoris: quo folus Apex folufque Sacerdos
Chrifma capit flagrans: decet hæc nam gloria Primum.
Cumque genu flexo fedi proftratus, & (18) auro
Procubuiffet Herus (fimul omnis & infula circum
Pontificum fupplex in faldiftoria (19) pectus
45. Fuderat) & læto refonaffet murmure, (20) Vices,
Atque Duci * preffent (21) facras in vertice palmas,
Sufpenfufque liber capiti non claufus in altum
Præforet (22); is Præful cui fubditur Oftia, Tibrim
In mare deducens, faciem converfus in illum
50. Qui facrandus erat, præftanfque altaribus idem,
Incipit ampullæ liquidum perfundere chrifma
In caput, atque brevi digito complere (23) coronam,
Et complere manus. Quid ni? fi balfama fignant
Non falfis commixta dolis, fed fponte virentem.
55. Mixta oleo cur ifta? Notant in Præfule famam
Balfamus, infpirans citri recalentis odorem,
Atque oleum, clarere Dei fub lumine mentem:
Quippe * docet, famam populo Chriftoque celebrem

Con-

(3) * *Ideft, Camiffum: nam Papa non utitur Amictu propriè, fed Humerali, quod vulgariter dicitur Fano*]
(4) Ideft, mitra gemmata, ex quo retro per collum defluunt infulæ.
(5) Latum-clavum intelligerem, feu fibulam auream gemmis interftinctam, qua Cappa adftringitur, nifi mox diceretur, Cafulam feu Planetam indutus Pontifex proceffiffe: igitur Crucem pectoralem, fimilibus gemmis fulgentem, intelligas licet.
(6) * *Stola ad talos demiffa* *] per humeros & brachia.
(7) * *Tunicella*] vulgo dicta, & * *Dalmatica*.
(8) *Cornua* ipfius mitræ intellige.
(9) Subintellige, *officium eft*, feu *ad ipfum pertinet*.
(10) Ideft, paramenta alba, pro fuo cujufque gradu.
(11) Multitudo externorum Epifcoporum, tunc fortè præfentium vel fpectandi caufa advectorum.
(12) Hæreo nec definio quos hìc intelligere debeam, an cuftodię Pontificię deputatos equites, an turbam Clericorum, Levitis feu Diaconibus permixtorum.
(13) Nec hoc capio, nec conjectura occurrit quæ placeat fatis.
(14) In corona feu circulo multiplici Procerum.
(15) * *Albo maculante*] fed quomodo hoc *à celte*? An vult indicare columnas non fimpliciter porphyreticas, fed immiffis cadentis marmoris celaturis diftinctas?
(16) *Argenteum cœlum*. Hoc eft *Ciborium* quod toties in Vitis Pontificum apud Anaftafium Bibliothecarium legitur, ac nominatim in S. Gregorio, *Hic fecit ciborium B. Petro Apoftolo, cum columnis fuis quatuor ex argento puro*.
(17) * *Nam faltem pars offium parvorum S. Pauli fuerunt pofita in altari B. Petri*.
(18) Ideft, fuper tapete, cui aurum intextum: quod in Pontificali Romano, ubi defcribuntur ritus in ordinatione Pontificis adhibendi, fic legitur: *Omnibus paratis Electus accedat ad altare: & depofitâ mitrâ procumbat fuper faldiftorium, & oret*. Eft autem *Faldiftorium* fella plicatilis humilifque, de cujus etymo varii varia. Mihi vox Longobardica effe videtur, à *Falden* plicare, & *ftoul* fedes, in qua euphoniæ caufa *l*. mutetur in *r*, ut *Faldeftorium* fit pro *Faldeftolio*. *Falden* autem media quædam dialectus eft inter *falten* Germanicum, & *Vauden* Belgicum: & ita habetur etymon ipfi rei accomodum, nec longè quæfitum.
(19) Aft nunc Pontificale, folum *fcabella* cæteris concedit, fuper quæ inclinati orent.
(20) Ita lego, ubi fcriptum erat *Vias*, & intelligo non folum *Kyrie eleifon*, quod viciffim five alternis dicitur: fed etiam *Letanias*, quæ poft Kyrie eleifon præfcribuntur, fi illas tunc non cantaverit Chorus, fed ipfe cum cæteris recitaverit.
(21) Ideft, *Preffiffent*: nam fedente poft Litanias fine mitra Electo; *Confecrator & Affiftentes cæterique Epifcopi ponunt ambas palmas fuper caput, dicentes, Accipe Spiritum S*.
(22) Priùs tamen idem Confecrator *imponit librum Evangeliorum fuper cervicem Electi*.
(23) *Intincto pollice dextræ manus in facrum Chrifma, ungit caput Electi, formans primo fignum Crucis, quo Coronam totam amplectatur: deinde ungit reliquum Coronæ*. Poft varias autem, quas Pontificale habet, preces, etiam *ungit manus*.

Digitized by Google

Conservare domum. Curnam uda est sphærica cervix?
60. Cur manu? En facies operum signata per artus,
Quæ pia, dum blandâ palmæ sacrantur olivâ.
At capitis summum signans rationis acumen
Balsamus * obliniat, faciens incendia sacri
Flaminis. Hæc præter, quàm sit veneranda potestas
65. Illius, frons uncta docet: testatur & actum
Officii linita manus. Jam claudere cœptum
Maturabat opus sacrans, ubi mystica (24) fucis
Verba micant, sensusque patent gravitate referti.

CAP. III.

Pallia (25) tunc humeris, Crucibus candentia nigris,
70. Imposuit Levita rubens, quibus aurea puros
Saphyros defixit acus: laudansque (26) monile,
Fert sublime datum: certo non * limite septum
Posse (27), sed effusas ubertim suscipe vires
In genus omne virûm, nullo discrimine sexus;
75. Ad Patris ingeniti, Geniti quoque Flaminis almi,
Virginis intactæ Matris nascentis ab ortu,
Et Petri Paulique Ducum renovatus honorem,
Ecclesiæ titulo Romanæ, suscipe signum
Hoc tantæ virtutis, Apex (28), de corpore sumptum
80. Principis ætherei. Posthac sacratus adaucto (29)
Insidens thalamo summus Bonifacius Heros,
Cruribus affusum demisso poplite Cœtum,
Atque alios Patres suscepit, & oscula passim
Cornibus (30) exhibuit; Digno clementia vultu
85. Panditur, atque genu supremum posse reflexo:
Namque decet fasces parvis radiare serenum,
* Et magnis monstrare virum, si natibus (31) efflant.

CAP. IV.

His ita consurgens, nascentis cantica Christi
Inchoat, (32) Angelicam vocem sonitumque tubalem
90. Effert, & celebris Missæ solennia complet.
Haud alii Procerum: nam delibuta Coronas
Non priùs in festis quàm dictet Epistola sensus
Turba silet; Princepsve canit, sed libat (33) eodem
Tiro novus varias impulso gutture voces:
95. Concrepat inde chorus, duplicat sua vulnera pason: (34)
Hic petit unisonum, stabili firmatus in unco,
Et liquidas errore vago modulamine voces
Per medium, perque omne solum, perque ardua firmat.
Ille tonus Romanus avet; clarum Diapente
100. Ille canit; ferit ille gravem quartam (35) Diatesron
Lubricus in vocem; nescit consistere pernix
Italus, ipse notas refricans, ceu nubila guttas:
At flatu melior vox Gallica, lege morosum
Præcinit, & guerblis (36) geminans retinacula punctis
105. Instar habet duris percussi incudibus æris.
Nec tantùm Clerus, sed divis vestibus usi
Causarum Patroni aderant; magnoque tumultu,
Dum Levita canit summo præconia Papæ,
Exclamare pio Laudes de more celebres. (37)

CAP. V.

110. Interea titulis redimiti, sanguine & armis
Illustresque viri, Romana à stirpe trahentes
Nomen, in emeritos tantæ virtutis honores,
Intulerant sese medios, festumque colebant,
Aurata fulgente toga, sociante caterva.
115.

(24) *Fucis* .i. Figuris, Præfatio enim quæ mox subjungitur, ut habetur in Pontificali, prolixè meminit habitus Pontificalis, Moysi à Deo olim præscripti, *ut intelligentię sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ ulli deesset ætati, cùm & apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum quàm ænigmata figurarum &c.* plura huc spectantia.

(25) * *Pallium est de lana alba, quo Papa super alia paramenta utitur.*]

(26) *Monile* figuratè dicit ipsum Pallium, quod Pontifici pro torque seu monili ad collum appenso est.

(27) Verba Prioris Diaconorum, Pallium Pontifici imponentis, hæc sunt: *Accipe Pallium, Sanctam plenitudinem Pontificalis Officii, ad honorem omnipotentis Dei, & gloriosissimæ Virginis Mariæ ejus matris, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

(28) *Apex* .i. ô Præsul seu Papa: in hoc enim sensu voce illa identidem utitur Auctor.

(29) *Cathedram eminentem* appellat Pontificale solium.

(30) *Cornibus*, ideft, mitratis Episcopis; non solum ad pedis ac manus sed etiam ad oris osculum eos recipiens, quæ gratia nunc solum Cardinalibus, & quidem omnibus fit, etiam non Episcopis.

(31) Idest, si superbiam spirent.

(32) *Gloria in excelsis Deo.*

(33) * *Cum eodem*:] verum neque sic capio sensum tam hujus, quàm pręcedentium versuum, quos sagaciori conjectatori explicandos relinquo: videtur tamen aliquid à Bonifacio hìc factum dici præter morem aliorum Episcoporum.

(34) *Nam diapason se habet in dupla proportione sicut duo ad unum.*] Sed & hæc aliaque sequentia Antiquarium Musices peritum exigunt, ab inexpertis, quantumvis Notæ accumulentur, non facile intelligenda.

(35) *Diatesron.* contractè pro *Diatessaron.*

(36) *Guerblæ* videntur esse plurium notarum conjugationes (*uncos* nostri vocant) licet *Querulis* scribatur in echrapho Codicis Sulmonensis. *Gu.* pro VV. supponi notissimum est, *gyrus* autem Germanis *Wirbel*, Belgis *VVervel* dicitur, quod optimè quadrat ei figuræ musicæ, quæ plures simul notas quasi in gyrum torquet.

(37) Res intelligetur si Pontificale consulas: ibi enim leges: *Dictis orationibus sedet Pontifex, & Prior Diaconorum cum ferula descendit ad confessionem B. Petri cum Subdiaconis, Auditoribus, Scriniariis, idest, cum Secretariis & Advocatis: quibus in duas acies distributis, sic ut in qualibet acie sint ex omni ordine faciunt Laudes Pontificis, stantes capitibus detectis, Papa & omnibus aliis sedentibus in loco suo. Prior Diaconorum incipit solus alta voce quasi legendo: Exaudi Christe. Subdiaconi, Auditores, Scriniarii, & Advocati respondent, Domino nostro N. à Deo decreto summo Pontifici & universali Papæ, Vita. Et sic ter dicitur per Priorem, & toties per alios respondetur.* Et hæ Laudes clauduntur per breves Litanias hoc modo *Salvator mundi*, & subjungendo, *Tu illum adiuva*, idque ter; tum his, *Sancta Maria* & *Tu illum adjuva*: ac denique semel *S. Michael* &c. nominando ex unoquoque Sanctorum ordine unum alterumve, & subjungendo *Tu illum*. Nota autem, Advocatos ipsos quoque *divis vestibus usos*, ideft, Pluvialibus indutos fuisse, ut infra magis apparebit.

Digitized by Google

115. Ex ipsis devota domus præstantis (38) ab Ursa
Ecclesiæ, vultumque gerens dimissius altum
Festa Columna jocis, nec non Sabellia mitis,
Stephanides senior, Comites , Anibalica proles,
Præfectusque urbis, magnum sine viribus (39) omen,
120. Atque alii Proceres, super hoc Campanus, & omnis
Nobilitas, Clerus, populus, plebs, doctus, & infans,
Ac matrona gravis, juvenis, confractus ab annis,
Advena, seu civis, turmis (40) spectare triumphum
Porticibus sacrum, partimque invisere templum
125. Atque audire tubas, vocum confundere pulsus.

CAP. VI.

Jam dudum officii juvat explicuisse labores,
Missarumque pium templi intra septa triumphum,
Descripsisse metro: dehinc Regnum (41) texere * menti est,
Atque * animo [&] ritus, Clerus quos servat ab olim
130. Extra progrediens, populo plaudente Coronæ.

CAP. VII.

Est gradibus præstans spatium (42), de marmore stratum
Undique sub divo, cui subjacet infima tellus,
In plateam, meliusque (43) viam fortassis in amplam,
Quod magnum latumque patet, quod & eminet altis
135. Porticibus, patulisque domus ad lumina lustris.
Hinc facile est Diadema Ducis spectare, togatûm
Cernere diffusas series: hoc sistitur aptum
Et solium thalamusque loco : quod protinus Heros,
Ut prius, insignis casula variante colorem,
140. Insedit, sacris pedibus subsellia calcans.
Tunc senior Levita manu Diadema, vetustum
Imperii signum, Pavonis cortice (44) candens
Pennarum, intexto gemmis radiantibus auro
Vallatum in gyrum, cui summo in vertice Carbo (45)
145. Evomit & subtus gemmarum maxima flammas,
Imposuit (46) capiti: Sphæræ subjitque figuram,
Accipiens frigium, lapidum fulgoris inane
Quondam, sed nivei plenum candoris, acutè
Vertice contextum, gemmâ nunc temporis (47) auctum.
150. Hoc Romana tenens quondam fastigia Cæsar,
Imperitans mundo, magnus pietate Monarcha,
Constantinus Apex statuit, dum primus in orbe
Fonte sacro purgatus Herus, proprium sibi Regnum (48)
Seu Phrygium manibus Silvestri in vertice pressit,
155. Officiumque humilis gessit (49) stratoris, ab ipso
Mundatus (50) lepra, monitus per somnia Princeps.
Qui, licèt in terris Petri successor apertum
Et clausum retinere queat procul obice Cœlum,
Confessor tamen ipse sacer latitabat in antris,
160. Martyrii palmam devoto pectore zelans:
Usquequo advectus coram stetit ; atque profantem
Audiit Augustum. Petri Paulique ducatu,
Post scelus exosum, postisque in crimine metis,

Ad

(38) Ideſt, familia Ursiana, Ecclesiæ præstanti cœteris, ideſt, Romanæ devota; tum iis temporibus famosiores *Colonna*, *Savelli*, *Stephanesci*, *Conti*, *Annibaldi*.

(39) Quippe qui, ut nunc, sic & tunc totus pendebat à nutu Papæ, ab eo lectus: nunc autem *Gubernator dicitur*: olim autem erat dignitas post Imperatoriam prima, etiam quando Consules adhuc nomine tenus stabant.

(40) *Turmis*, ideſt, turmatim confluebant spectare &c.

(41) Ideſt, Coronationi faciendæ per impositionem *Regni*, .i. tiaræ.

(42) Pontificale; *Finitis laudibus, dicitur Epistola Latinè & Græcè, & proceditur in Missa ut aliàs usque ad finem... Pontifex... cum omnibus, ut in Missa paratis, procedit ad suggestum super gradus Basilicæ Appstolorum Principis*.

(43) Non enim tam *Platea*, quam *Via* dici poterat, quæ ante Vaticanam Basilicam tendebatur olim, nunc autem in amplissimam aream & porticibus circumdatam extensa est, disjectis utrimque ædificiis plurimis.

(44) Pontificias Tiaras ex albis pavonum pennis contextas olim fuisse hinc fortassis primum disces.

(45) *Carbo* .i. Carbunculus, Pyropus.

(46) Formula cum qua Tiara (quæ nunc est triplex, olim simplex erat) jam datur, hæc est. *Accipe Tiaram [tribus coronis ornatam,] ut scias te esse Patrem Principum & Regum, Rectorem orbis, in terra Vicarium Salvatoris Nostri Jesu Christi, cui est bonor & gloria, in secula seculorum. Amen*.

(47) Indicatur quòd Tiara hæc olim fuerit simpliciter candida absque gemmis.

(48) Gemmato diademate usum *Constantinum* etiam ex aliquibus ejus nummis habemus: quod autem Pontificiæ Tiaræ infernè circumducta Corona ejusmodi originem habeat, velim certiùs probatum legere. Interim video Imagines Pontificum, ut nunc habentur, *Silvestri* antecessores omnes nudo vertice exprimere, ipsumque primum inter eos pileatum, seu Tiarâ (quæ formam veteris pilei Romani habet) tectum conspici: neque displicet conjectura pridem animo meo observans, quòd scilicet *Silvester*, vel proprio motu, vel *Constantini* iussu, istud libertatis notissimum signum assumere voluerit, quia Ecclesia catenus sub Imperatorum gentilium servitute gemens, per Constantinum Christianum emancipata quodammodo fuit, & sui juris facta est, plurimisque libertatibus ab eodem Imperatore donata.

(49) Difficile est, dicere quis Imperatorum primus hoc officium honoris detulerit Romano Pontifici, non ideo tamen minus hujus ritus initium gratis ad *Constantinum* refertur.

(50) Quæ de lepra & baptismo *Constantini* Romæ celebrato per S. Silvestrum, ex hujus Actis etiam Baronii judicio fabulosis, passim credita hic assumuntur, expensa dabimus ad diem quo *Constantinus* ut Sanctus colitur 21. Maji.

Præter notata sat multa: pauca mutata indico:

℣. 4 Portior, *lego* Fortius.
14 forsice, *l.* fornice.
28 subestans, *l.* subadstans.
46 presset, *l.* prêssent.
58 decet, *l.* docet.
63 oblimat, *l.* obliniat.
72 limine *l.* limite.
87 Est, *l.* Et.
90 complet, *l.* complent.
128 mihi, *l.* menti.
129 animi, *l.* animo.
145 cubito, *l.* subtus.
165 venturum, *l.* venturo.

Digitized by Google

Ad Christum veramque fidem sanctum quoque dogma
165. * Venturo Baptisma datur, miracula clarent.
O pietas immensa Dei, spatiosa per omnes!
O virtus! o digna salus! cui parcere pulchrum est
His, quibus inspirans miserando noscere casus,
Atque pati miseris, homines se credere magnos,
170. Fortunamque brevem, subjectis pandere dextram
Innocuam; ut sese credunt trivisse superba,
Dum proprios superant animos, jam cæde cruentos.

CAPUT II.

De ordine Processionis à Vaticano ad Lateranum.

Ordo Processionis talis consuevit hactenus observari. Primò Crux; secundò equus faleratus ad dextram; tertiò portantes duodecim vexilla parva; quartò duo Præfecti navales, Pluvialibus induti; quintò Archiepiscopi & Episcopi forenses; sextò Abbates Urbis; septimo Episcopi Cardinales; octavò Presbyteri Cardinales; nonò Scriniarii & Advocati sericis induti; decimò tam Subdiaconi Regionarii, quàm schola Cantorum cum Græcis; undecimò Subdiaconi Basilicarum, & Domini Papæ, duodecimò Diaconi Cardinales proximi Papæ, bini incedunt. Ante Pontificem aliquantulum sequestratus incedit Prior Subdiaconorum regionariorum cum tobalea; Decimotertiò Dominus Papa coronatus incedit: post Dominum Papam Præfectus Urbis, indutus manto pretioso, & calceatus una Zanca aurea, altera rubea; & circa eum Judices pluvialibus induti. Archidiaconus verò, si esset, inter Dominum Papam & inter Cardinales Diaconos deberet incedere, cujus Archidiaconi, & Prioris Basilicæ Lateranensis Palatii, portantium ferulas, est ordinare Processionem; sed nunc loco Archidiaconi istud officium facit Prior Diaconorum. Prior Basilicæ, juxta Primicerium inter Diaconos Cardinales & Subdiaconos debet incedere Dominus Jacobus Gajetanus &c.

ORDO PROCESSIONIS

Ex Pontificali Romano Venetiis excuso MDLXI.

*Primò incedunt Valisarii Cardinalium suo ordine, & deinde eorum familiæ, & omnes laici mistim ut eis placuerit. Tum per ordinem isti sequentur: Tonsor & Sartor Papæ cum valisiis rubeis, in quibus sunt vestes, quæ pertinent ad Sanctissimum Dominum nostrum: Familiares & Scutiferi Papæ: Nobiles Curiæ minores & Nepotes Dominorum Cardinalium: Scala Papæ, panno rubeo cooperta, quam portat equus albus, ductus per unum ex Parafrenariis, purpurea veste indutum: qui postquam Papa ascendit equum cum ista scala, vadit in ordine suo, dexterâ equi habenas, sinistrâ rubrum ferens baculum. * Hunc sequuntur duodecim Cursores Papæ, etiam rubris vestibus induti, equestres, portantes duodecim vexilla rubra, bini & bini: inde tredecim Vexilliferi Regionum Urbis, cum suis Vexillis: duo alii, cum duobus Cherubim super lanceis, in vestibus rubris & omnes equestres sint. Tum Vexillifer Populi Romani: deinde Vexillum album cum Cruce nigra, quod portat Procurator Ordinis B. Mariæ Theutonicorum: Vexillum cum armis Papæ, quod aliquis magnus Nobilis portat: & demum Vexillum Ordinis Hierosolymitani rubrum cum alba Cruce, quod Procurator ejus portat. Isti quinque Vexilliferi habebunt equos cataphractos sive bardatos, & coopertos tela sericea usque ad talos equorum cum insigniis suis: ipsi autem erunt armati, acsi ad prælium essent ingressuri, demptâ galeâ, cum lacernis ex tela etiam sericea cum insigni: & singuli Vexilliferi habebunt quatuor pedites cum lacernis boccasinis, cum insignibus Dominorum suorum.*

Post Vexilla procedunt duodecim equi albi sine sessoribus, phaleris aurei ornati, instrati carmesinis, quos duodecim Parafrænarii ducunt, rubra veste induti, & baculum rubrum in sinistra portantes. Hos sequuntur quatuor Nobiles, pilea quatuor carmesina supra baculos quosdam deferentes, qui Scutiferi honorarii vocantur. Cubicularii deinde sequuntur, equitantes in suo habitu: Oratores laici & non Prælati, simul cum Baronibus, & majoribus Nobilibus. Tum Subdiaconus Apostolicus, cum Cruce Papali & suis Collegis, parati omnes ut in Missa, & apud Crucem duo Magistri Ostiarii cum suis virgis. Post hos duodecim familiares Papæ, rubra veste induti, portantes duodecim intortitia accensa ante Sacramentum Corporis Christi, pedites. Inde duo familiares Sacristæ equestres, etiam rubro induti, portantes laternas argenteas cum lumine ante Sacramentum. Et post eos ducitur per familiarem Sacristæ, rubro etiam indutum, & baculum in sinistra habentem, equus albus, mansuetus, ornatus ut illi duodecim, portans Sacramentum, habens ad collum tintinnabulum bene tinniens: & supra portatur Baldachinum cum insignibus Papæ & Sacramenti, per cives Romanos, qui inter se mutantur terdecies, ut unaquæque Regio habeat suam partem. Post Sacramentum equitat immediatè Sacrista, qui, ut cæteri Prælati, habet equum totum coopertum boccasino; & ipse & omnes alii parati sunt ut in Missa, cum Paramentis & Mitris.

Sequuntur deinde duo Præfecti navales, & in eorum absentia duo Nobiles, induti ut Advocati & Secretarii præter almutiam: & post eos ipsi Advocati & Secretarii cum almutiis. Cantores deinde equitant cum superpelliceis: tum Acolythi, Clerici Cameræ, & Auditores, cum superpelliceis supra rocchetum: Subdiaconus Græcus & Latinus, & Diaconus Græcus [& Latinus] ut in Missa. Sequuntur dehinc Prælati cum equis coopertis, & ipsi cum Mitra & Pluviali; Abbates Forenses, Episcopi, Archiepiscopi: Abbates Urbis: Episcopi assistentes Papæ; Patriarchæ & Diaconi [Cardinales] cum Dalmaticis, Presbyteri [Cardinales] cum Planetis, Episcopi Cardinales cum Pluvialibus. Procedunt duo Diaconi assistentes Papæ, & inter eos medius Prior Diaconorum, si ipse dixit Evangelium. Prior Diaconorum ferulam in manu portare debet, & totam Processionem ordinare, & illâ ordinatâ equitare in loco suo.

Procedit tandem Summus Pontifex, super equum album,

(*) Hic editor ex suo judicio longa parenthesi jubet mutari ordinem Vexillorum, & Vexillum Ordinis Hierosolymitani cum alba Cruce in rubro, jubet sequi Vexillum Theutonicorum in quo est Crux nigra in albo: si autem adesset Vexillum Cruciatæ Crux rubra in albo (quia est universale omnium Christianorum) illud jure optimo ponendum esset in loco digniori, idest postremo.

album, phaleratum, coopertum à parte posteriori stragiola carmesina, sub Baldachino, quod octo magni Nobiles sive Oratores portant. Cùm Papa per scalam, quam superiùs dixi, ascendit equum, major Princeps qui præsens adest, etiamsi Rex esset aut Imperator, stapham equi Papalis tenet, & deinde ducit equum per frænum aliquantulum. Si Imperator aut Rex soli essent, idest non esset alius Rex, soli equum ducerent cum dextra manu: sin verò esset alius Rex, dignior à dextra, alius à sinistra frænum teneret: si non sint Reges, digniores ducant equum: & postquam Imperator, Rex, vel alius magnus Princeps aliquantulum equum duxerit, substituantur alii duo magni Nobiles eorum loco; & mutentur. Si verò Pontifex non equo, sed sella veheretur; quatuor majores Principes, etiamsi inter eos Imperator, & quivis maximus Princeps adesset, in honorem Salvatoris Jesu Christi, sellam ipsam cum Pontifice humeris suis aliquantulum portare debent: sed aderunt etiam quatuor validi Pontificis familiares, qui pondus sustineant; ita ut Principes ipsi, in signum piæ religionis ac reverentiæ, magis quàm ad onus subeundum, manus apposuisse videantur; qui etiam mutabuntur, pro hominum & itineris dispositione. Similiter & octo Nobiles, qui Baldachinum super caput Pontificis ferunt, mutabuntur post aliquod spatium, & equos suos ascendentes in ordine suo equitabunt; & eorum loco nobiles Cives Romani usque ad Lateranum Baldachinum portabunt, mutabunturque per vices, sicut de Baldachino Sacramenti diximus.

Ante Pontificem Conservatores, Capita-regionum, & alii Magistratus ac Nobiles Urbis pedites præibunt; & Prætoriani milites cum eis, accincti gladiis circiter centum, & baculum in manibus portantes, ad custodiam corporis Pontificis. Circa Pontificem, aliquando ante, aliquando post equitabit Marescallus sive Soldanus Curiæ, cum duobus sacculis pecuniarum ante sellam, & ipsas pecunias projiciet super populum, ad pressuram dimovendam. Primum jactum pecuniarum faciet cùm Pontifex incipiet se movere, alium apud Pontem Adriani, tum in area apud Montem-Jordanum, inde in area Parionis, deinde alium apud S. Marcum, postea apud S. Adrianum, & demum ubicumque magnam pressuram apud Pontificem viderit: & ut faciliùs possit transire, ad partem transversam jaciet pecunias.

Post Pontificem immediatè sequuntur duo Cubicularii secreti, medium tenentes Auditorem Rotæ Decanum, qui servit de Mitra; & deinde duo Medici cum Secretario principali in medio, si ille non est Prælatus. Subsequitur deinde umbella rubri coloris, quam unus Serviens armorum, præter galeam totus armatus, eques portat. Postremò equitant, Vicecamerarius si non est paratus, & omnes Prælati non parati, Protonotarii, Auditor contradictorum si non est paratus, & similiter Corrector literarum (qui si sint parati, equitant in loco suæ promotionis) & omnes Togati. Vicecamerarius baculum in manu portat: & pertinet ad eum curare, ut ordo à Priore Diaconorum datus servetur in Processione. Et secundùm antiquas consuetudines, Camerarius Papæ non portat ferulam, si est Cardinalis, sed ejus Vicarius & Vicecamerarius: quia non ad Cardinalem, sed ad Camerarium pertinet. Hoc igitur ordine ad Lateranum procedunt. Hactenus ordo iste: in cujus descriptione occurrit minùs notæ significationis vocabulum barbarum *Boccasinus*, de quo interrogati Romani respondent, linei panni speciem esse subtilitate præstantis, quemadmodum Belgis est quem Cameracensem appellant; ideoque laternis formandis servire, adferri autem ex Oriente, unde & censeo nominis rationem petendam inde: quo etiam se offert *Bochar* urbs Asiæ ad Oxum flumen: sed nolo hìc divinare.

METRUM JACOBI CARDINALIS.

CAP. VIII.

ERgo ubi post (1) morulam Patribus procedere visum est.
Principio, Crux celsa Dei suffectaque celsis,
175: * Ingenti rutilans hastili, fertur in altum.
Post ipsam * phaleratus equus, derectus ab ante,
Velatusque rubro Scarleti tergora (2) nacto,
Cigneus ad dextrum vehitur. Vexilla sequuntur
Ordine bis seno tenus: & pluvialibus ambo
180. Navales Præfecti adeunt; quos protinus omnis
Infula Pontificum sacrato vertice candens
Subsequitur: numerum veniens Romanus, & Abbas
Aggerat: hos retro lento procedere passu
Pontificum veneranda cohors, pars una Senatus,
185. Aggreditur: clausis pars altera septa planetis
Presbyterûm gravitate sua succedere dignûm.
* Disputat at longo protensa sub ordine turba
Scribarum, Doctûmque simul, legumque Professûm
Hos tantos sectare Patres; cœtusque canentum
190. Cum Græcis aliisque viris, qui psallere doctum (3)
Ensiferum * posuere Ducem, post terga priorum
Incedunt: similisque manus, tunicata per artus,
Pontifici Romanæ Urbis postrema ferebat
Agmina, quà filum rectæ servavimus alæ
195. Nos Levitarum cuneus, nos illa Senatus,
Dalmaticas vestita togas, pars nobilis una.
Ilicet assequitur, scandens mantilibus albis
Tectos undique equos legio, sed juncta (4) bicornix,
Ut

NOTÆ AD METRUM.

(1) *De hac* morula *sic Pontificale.* Quoniam *plerumque, antequam hæc completa sint, hora est satis tarda, & longa ad Lateranum restat via, multaque ibi adhuc sunt peragenda, consueverunt aliquando Pontifices & Patres sustentationis gratia aliquantulum cibi sumere. Paratur refectio in atrio domus Archipresbyteri Basilicæ pro Pontifice & Cardinalibus, pro aliis Prælatis in vicinis domibus Canonicorum. Coronato Pontifice veniunt ad refectionem, & interim parantur quæ ad Processionem opportuna sunt.* Ita olim: nunc autem per novæ Basilicæ extructionem domibus illis dejectis, omnia in vicino Palatio Vaticano fieri necesse est.

(2) Nactum *pro Natto Scribi juxta illius ævi morem, facile capio: sed* nattum pro Natta (*quod stoream significat*) *necdum reperi: quidquid sit apparet ephippium seu equi stragulum dorsuale intelligi: iterumque repetitur* ÿ. 209. sub tegmine nacti.

(3) * Idest, Paulum] *Apostolum, qui de se dicit,* 1. *Cor.* 14. Psallam Spiritu psallam & mente.

(4) *MS* seu juncta, *correxi* sed juncta: Juncta *autem* bicornix *mihi videntur dici* bini cornicines, *additi equestri huic legioni, quam guardia Pontificia fuisse licet existimare.*

Digitized by Google

Ut festo clarere die possetque triumphis
200. Fecerat. Hac serie Proceres incedere ritus
Edocet: hoc etiam (ne fors abolescat in ævum)
In scriptis monumenta tenent; sed vadere recto
Tramite quis poterat? Durum est servare (5) maniplos
Indoctos doctosque viros, ubi plurimus urget
205. Impetus, & varii lætis se cœtibus addunt.

C A P. IX.

Dumque moras piget esse viâ, finemque laboris
Poscimus, hinc est Summus Apex, cui tanta relucet
Gloria, sublimi frigio vestitus & auro,
Cornipedemque sedens niveum, sub tegmine nacti,
210. Mandentemque genis, ibat quò lætior aura.
Adventabat equo candens ad bemata (6), bellâ
Aurataque super pallâ; nam (7) cuspide plumâ
Cyprensi consuta nitet. Tunc lora tenebant
Illustres Gallique Duces, Carolusque Secundus
215. Rex Siculus, Carolusque puer prolesque juventam
Floridus, Ungariæ materno à stipite nomen
Regis habens: dextram Pater accipit, atque sinistram
Filius; ardentes habitu, quos uvea tinxit
Grana (8) rubens; siquidem Terræ per rura Laboris
220. Hi Reges sociare Patrem venere volentes:
Jure tamen: nam sceptra tenet vassallus ab ipso
In feudum Siculus. Nec non de more (9) vicissim,
Divisum sortita locum, Romana (10) Senectus
Id peragit Procerum terræ Cœlique Ministro.
225. Dum pergit sacratus Apex quem circuit amplus
Miles eques, post terga ruens festumque decorans,
Apulus & Gallus, Romanus & inclitus, omnis
Nobilitas Campana, sequens vestigia Summi
Principis, an numerum poterit quis pandere metro?
230. Deficimus, vincique juvat: succumbere rebus
Verba placet; voliti est (mentem ne oblivia captent)
Quod rubeis, croceisque (11) rigis umbracula velent
Mixta Ducem, fari radius ne verberet illum
Objectus; laterisque Comes paulumque sequester
235. Quod ferat obsequium, pretiosum gausape (12) nari.
Sublevita Prior; manto (13) quod splendidus, unâ
Auri succinctus caligâ (14), succinctus & unâ
Scarleti, ponendus erat Præfectus & almæ
Urbis Apostolicum juxta, comitantibus illum
240. Judicibus, * tectis Pluviali corpora (15) scisso (16).

CAPUT

---

(5) Maniplos .1. *ordinem manipulorum*.

(6) *Ita puto ex mente Auctoris posse restitui hunc versum, qui omni sensu carens in MSS. Sic legitur*.

Adventabat equo candens diademata palla.

Vestigia enim Græcis βήματα, *à* βάω *vado: ut sensus sit, quod equo instrata pall alba veniebat usque ad pedes, eaque pulcra & pretiosior quàm si fuisset auro texta, quia consuta ex plumis Cyprijs vel opere Cyprio, cujus infra meminit Glossula ad* ℣. *87. lib. 2. de Canoniz.*

(7) Cuspide .1. *acu*.

(8) Grana, *Italis est bacca cujusdam arboris, similis hederæ cujus usus est ad tincturam ejus quod vocant scarlatum*.

(9) *Sic enim præcipit Pontificale, ut* postquam Rex, aut alius *magnus* Princeps, *qui* forte adfuerit; equum aliquantulum duxerit, substituantur duo magni Nobiles eorum loco, & mutentur, *utique ad certas stationes*.

(10) *Romanorum Senatorum primores intelligo*.

(11) Riga .1. *linea, Teutonibu RyKe, ut appareat vocem Lombardicam esse*.

(12) *In Margine sic legitur*. De subdiacono portante gausape pro naso tergendo, *quod obsequium paulo post desiit, ut appareat ex sequenti Prosa: ubi* Gausape, *quod antiquis vestem militarem ac villosam, aut etiam tapetium villosum significabat, appellatur* tobalia, *idest*, Mappa *seu* mantile; *unde in MSS. Consuetudinibus Cataloniæ apud Cangium, ad* gausape alicujus sedere, *idem est, quod* ad mensam, *seu conviva alicujus esse*.

(13) *Per* mantum *investiri Præfectum Urbis ex Actis Innocentii III. docet Cangius in glossario, & ipsum in Ceremoniali* Romano *describitur* aureo limbo circumtextum apertum à parte dextra: *in quo distinguitur à Pluviali, seu Manto Pontificali: idemque etiam inter Regia paramenta numeratur*.

(14) *Infra in Prosa pro* Caliga *dicitur* Zanca, *quod Academici Cruscani interpretantur* tibiam, *sed apparet hic pro tibiæ operimento aut ocrea accipi: eadem collorum varietas notatur in umbella Pontificia*.

(15) *Idest, anteriùs aperto; cùm Casulæ antiquæ seu Planetæ undique clausæ essent unde oportebat in sacris ipsam ad latera sublevari per ministros, & super brachia complicari ad eorum liberum usum: quod quia difficile erat, paulatim invaluit usus latus casulæ utrimque succingendi ac denique aperiendi usque ad humeros, ut nunc fit: non desunt tamen variis locis hujusmodi rotundarum casularum exempla, non solum picta sed vera & ad memoriam antiquitatis vel etiam Sancti alicujus servata, ut illa S. Bernardi ad Scaldim prope Antverpiam. Atque ita intelligitur quid supra* ℣. *14. sit*... Casulæ à fornice forma.. Post longas habitura, plicas, *cum fuerit scilicet* contracta *à ministris*.

(16) *Quia in Coronatione successoris Benedicti XI. facta anno 1303. 27. Octobri nonnihil mutatum fuit, & ipse Auctor eidem ut Cardinalis Diaconus interfuit, placuit ei hanc Prosam interponere, quam ecgraphum nostrum habet post versum 185. ego initio Capitis aptiùs referri puto: & quia in* Pontificali Romano, *quod ad totius Ecclesiæ Catholicæ usum typis Plantinianis excusum circumfertur, desunt ea quæ ad Ordinationem, & Coronationem ipsius Summi Pontificis pertinent, non gravatus sum etiam curioso talium rerum Lectori Processionis Pontificiæ ordinem legendum exhibere, ex Pontificali Venetiis apud Junctas excuso anno 1561, ubi fortassis etiam ipsi Romani haud pauca invenient, ab hodierna observatione diversa; sicut hic inveniuntur multa, antiquitus non observata*.

Pauca in hoc Capite correcta exhibeo.

℣. 175 Ingenito, *lego*. Ingenti.
176 quadratus, *l*. phaleratus,
187 His putat, *l*. Disputat.
191 potuere, *l*. posuere.
193 Pontificis, Pontifici.
201 Et docet, *l*. Edocet,
240 textus, *l*. tectis.

Digitized by Google

CAPUT III.

Reliqua dictæ Processionis & solemnitatis ceremoniæ.

CAP. X.

Sic igitur vadens, redimitus tempora Regno,
Summus Apex, propriam signabat acumine dextræ
Devotamque sibi cupidamque invisere plebem;
Quæ laudes exclamat Hero, quæ & vivere longum
245. Optat. At incluso sibimet condicere Præsul
Posset, dum metuit summæ fastigia molis,
Causa laboris honos, timor intus, gloria pulsans
Deforis: ac thalamo sublimis in æthera Petri
Quisque preest, paveat; * vix tam sub turbine vita
250. Expedit. O quàm orbis durum est disponere habenas!
Hæc dum Pastor agit; Senior Levita Priorque,
[*Et conjunctus ei Proto-camerarius*, *istic* (1)]
Effigies ubi sacra manet (2), protractaque tandem
Cernitur, aspectu rutilans à numine divo
255. Effigies; vacuas gestantes pollice (3) ferlas,
Diffusas repetunt acies, illasque recursant
Sæpius; & legem statuunt, ne fortè vagentur
Immemores, redeuntque suâ consistere (4) scalâ.

CAP. XI.

Hoc illi: verùm populus (5) lustraverat Urbem
260. Arcubus, in morem veterem, quæ tendere mos est,
Atque frequens Patrem currens stipabat euntem:
In quem jactus erat validæ (6) per cuncta monetæ.
Sive auri, seu fortè nitens argentea stridat,
Consulibus quondam licuit dispergere passim
265. Quodque genus nummi, vetitum nunc temporis aurum
Jactari in vulgus: tenet hæc insignia Princeps.
Instaurat populus varios ad lucida ludos,
Atque secans animos studia in contraria plebes
Pascitur obtutu. Juvenum pars pascitur amplas
270. Excerpsisse manu faleras, pars altera pubes
Infremit alispedum nudari vestibus (7) ancas,
Purpureasque dolet fronti decedere vittas:
Pars laudes, pars gliscit opes, pars ludere campo
Certat, & obliquas effringere cursibus hastas.
275. Pars stupet insuetas (8) senii succrescere pompas
Spem præter: sic fracta dies, mirata vetustam
Tempus, ut extollat (9) compellitur invida præsens.
Occurrunt ad festa viri, vexilla ferentes
Ecclesiæ, de sorte (10) Dei * qui nomine Clerus
Dicitur, in partes varias redolentia thura
280. Obtulit: oblata (11) suscepit, sumptaque in ignes
Intulit, atque focis signatis pectore fumum
Accepit; psallente choro, dum flexilis unda
* Arrigitur fumi, spiratque vaporibus ignis.

CAP. XII.

285. Ecce super Tibrim positum de marmore Pontem
Transierat, provectus equo; turrique relicta
De (12) Campo, Judæa canens, quæ cæcula (13) corda est,
Occurrit væsana Duci, Parione (14) sub ipso
Quæ Christo gravidam legem plenamque sub umbra
290. Exhibuit Moysi. Veneratus & ille figuram,
Hanc post terga dedit, cauto sermone locutus:
Ignotus Judæa Deus, tibi cognitus olim;
Qui quondam populus, nunc hostis; quis Deus & Rex
Obnubi patitur, præsentem temnere mavis,
295. Quem fragilem reputas hominem speras que futurum;
Et latet ipse Deus. Gentes accedere norunt,
Tu fugis: in propria venientem pellere sæva
Non metuis: roseum pro te pius ecce cruorem
Fudit humi, quem dira necas, & credere stulta
300. Detrectas: moritura ruis, quia nescia sensus:
Sed redeas, miserante Deo, dum Christus in ara,
Filius & Verbum Patris, de Lumine Lumen,
Nostra salus, tensis manibus sub stipite pendet:
Tempus erit quo justa dabit, meritumque laboris
305.

NOTÆ AD CAPUT III.

(1) Versum hunc, qui ad complendum sensum exigebatur, de nostro adjecimus, conformiter eis quæ legimus in Pontificali, quòd ad Priorem Diaconorum, & Camerarium pertinet curare ut ordo Processionis servetur.

(2) Supra molem Adriani, qua transeundus ponte Tiberis est, erectam spectari effigiem Sancti Angeli, unde & arci, & ponti jam vulgò nomen, notissimum est: huc usque ergo cum processisset pompa, ad instaurandos ordines procurrerint Diaconorum Prior & Camerarius, quos dixi, priùs quàm illa pontem transire inciperet.

(3) *Vacuas ferlas*, .i. ferulas puras, nulla cuspide præmunitas.

(4) *Scala* .i. ordo cujusque.

(5) *Lustraverat* .i. illustraverat, ornaverat.

(6) *Validæ per cuncta* .i. probæ, legitimæ.

(7) *Ancæ* i. coxendices seu clunes equorum.

(8) *Senii* .i. Veteris temporis.

(9) *Extollat* .i. elevet, contemnat.

(10) *Clerus* enim Græce, Latinè *Sors* vertitur; unde nomen *Clericis*, Deo quasi in sortem & peculium proprium datis.

(11) Scilicet Pontifex: sed de hac ceremonia nihil Pontificale: unde nec definire licet quo loco ea facta sit; conjectare tamen possumus in ipsa area S. Petri, cùm jam Pontifex inciperet progredi, id factum fuisse, idque à Clero ipsius Apostolicæ Basilicæ.

(12) Inter Ghettum (ita vicus Judæorum appellatur) & Parionem, ubi illi occurrerunt Pontifici, medius jacet Campus-Martius (*meliùs* Campus Floræ) in quo pervetus turris instructa horologio, & nunc intra Piorum ædes comprehensa, ad quam illi convenerant obviam ituri.

(13) *Cæcula*, diminutivum à *Cæca*, cæcutiens.

(14) Parionis platea, uni ex 13. Urbis Regionibus nomen tribuens, ab area Montis Jordani, (in quam à ponte venitur recta trapezitarum via, vulgò Bancorum) paulatim se laxans, pro basi habet ædes Ursinorum, ubi publicis dicteriis famosa informis Pasquini statua consistit.

Digitized by Google

305 Judicio reddet, Judex super æthera vivus (15).

CAP. XIII.

Hos linquens, qua & Sacra (16) via est, qua templa coluntur
Marci, quaque ferox juvenisque Adrianus in armis (17),
Romulei qua templa jacent, celsusque Colossus,
Quaque * pius colitur Clemens, qui dexter (18) eunti est,
310. Progrediens Princeps, Lateranum Summus in Orbe
Appulit; haud frigium, Mitram sed vertice gestans,
Pondere confectus nimio. Tunc Cœtus ovantum
Ac si festa Patris caperent exordia, pompas
Ostentant, ludosque novant, clanguntque tubarum
315 Æra, repercusso laterum per concava flatu
At litui stridere vices, & cymbala strident:
Tympana congeminant sonitum, nec verbere tunsa
Discunt ferre gradum, tibi sed cornubia (19) substant
Quæ digitis commota canis. Ciet ergo juventam
320. Cornipedumque animos extollit buccina clangens
In stadium: clypeos, hastas, vexilla, togasque,
Et faleras jam vulgus habet, velitantia jactu
Plaudentum, quasi fine dato currentibus armis.
At Lateranensis gaudens domus inclita templi
325 Concrepat in laudes, campanas solvit, & omnes
Concentu resonant; contusaque dura metalla
Fune tamen contracta tremunt. Sic templa per urbem
Pone viam fecere Duci (20) Primusque Sacerdos
Cardineus, sacram Princeps dum tendit ad aulam,
330. Ut Levita prius cecinit, præconia, septus
Judicibus, declamat hero, laudesque perorat
Olli (21). Quin residens Silvestri in * limine Divi,

Munera

(15) Rem totam sic notat vetus Pontificale. *Cum Pontifex venerit ad Montem-Jordani, Judæi illi obviam veniunt, genuflexi Legem Pontifici offerunt, lingua Hæbraica legem laudant, & hortantur Pontificem ut illam veneretur. Pontifex verò illis auditis in hanc sententiam respondet: Sanctam Legem, viri Hebræi, & laudamus & veneramur, utpote quæ ab omnipotenti Deo per manus Moysi patribus vestris tradita est: observantiam verò vestram, & vanam interpretationem damnamus atque improbamus, quia Salvatorem, quem adhuc frustra expectatis, Apostolica fides jam pridem advenisse docet & prædicat, D. N. Jesum Christum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Sed quia non numquam accidit ut Judæi populi multitudine opprimantur, solent aliquando obtinere pro eorum securitate, ut id faciant super antemurale arcis S. Angeli, in angulo, ad viam, qua itur ad Palatium.* Dicunt autem qui viderunt offerre ipsos Legem, non descriptam in libris foliatim percurrendis, sed in continuis unius membranæ voluminibus, antiquo veterum more, qualia etiam nonnulla videre est in Bibliotheca Vaticana.

(16) De *Sacra Via*, antiquis celeberrima, multa eruditè differit Alexander Donatus lib. 2. cap. 12. ut autem ea hic sumitur, apparet ipsam ex parte esse quæ vulgo dicitur *il Corso*, & versùs Lateranum flectenti pompæ offert se ad dextram, juxta ædes & palatium S. Marci.

(17) Circumito ex parte Capitolino monte, occurrit forum Romanum, nunc Campus Vaccinus: in eo consequenter ad sinistram Ecclesia *S. Adriani*, qui pingi solet ut Miles, & SS. Cosmæ & Damiani olim *Romuli* (*Romuleum* appellat Auctor ut versui serviat) atque *Colossæum* seu Amphitheatrum Titi, à Colosso Nerronis juxta olim sito nuncupatum.

(18) A Colisseo in Lateranum via recta euntibus Ecclesia *S. Clementis* nunc ad sinistram est: sed constat his posterioribus seculis multas vias cura Romanorum Pontificum planè mutatas esse.

(19) *Cornubia* quidem nomen est civitatis in Anglia, sed Auctor per quamdam allusionem eo est usus, aut quia Cornubiorum inventum esse credidit, tympanorum pulsum ad fistulam regere, aut quia significatam voluit fistulam, non ilam rectam instar tubi, quali utuntur Germani; sed cornu instar reflexam, quæ vulgò *Cornetta* appellatur.

(20) Pontificale vetus hic interponit sequentia. *Cùm Pontifex ad Ecclesiam Lateranensem pervenerit, descendit in porticum Ecclesiæ, & à Canonicis illius honorificè paratis excipitur cum Cruce. Descendit Pontifex ex equo, & Prior Canonicorum Lateranensium offert Crucem osculandam Pontifici, quam Diaconus Cardinalis accipit, & ad Pontificis, cui prius Tiaram extraxit, os ponit. Osculata Cruce Pontifici ponitur Mitra, & Regnum datur in manibus Auditoris.* Tum sequitur de Sede stercorea, ut hic infra, & pergit Pontificale. *Pons ligneus recta linea, à porta Ecclesiæ principali ad altare majus excitatur, cum pluteis hinc inde pectoribus tenus (altitudo circiter quinque pedum, latitudo sex aut septem) qui alteri ponti jungitur, simili modo constructo, à porta qua ascenditur per Ecclesiam ad Sancta-Sanctorum venienti, quod fit, ut Pontifex à populi multitudine non opprimatur. Circa altare, à gradibus & supra, omnia circumcirca tabulis clausa esse debent, ut per pontem tantū capellam intrent. Præcedentibus igitur Canonicis, & cantantibus* Te Deum laudamus, *Pontifex cum Cardinalibus intrat Ecclesiam, & ante altare majus, supra faldistorium procumbens sine mitra, aliquantulum orat, deinde surgens benedicit populo: inde cum mitra ascendens & sedens, recipit ad osculum pedis Canonicos Lateranenses. Deinde Pontifex per ipsum pontem adscendit ad palatium Lateranum, per portam, quæ est in Ecclesia. Et cùm perventum fuerit in primam aulam, quæ aula Concilii appellatur; Sedet Pontifex in Sede sibi parata apud tabulam lapideam in capite aulæ, quæ dicitur Mensura Christi, & hinc inde apud eum stant Domini Cardinales.*

(21) *Prior verò Presbyterorum Cardinalium, stans ante Papam convenienti intervallo, cum Subdiaconis, Auditoribus, Advocatis, & Scriniariis, facit Laudes Domino nostro, ut fecerat Prior Diaconorum in S. Petro: Prior Presbyterorum, & alii qui faciunt Laudes stant detecto capite. Pontifex verò sedet cum mitra, alii Cardinales stant cum mitra. Hoc tamen fieri solebat in introitu ipsius portæ, in primo plano, antequam ad aulam prædictam veniatur: commode tamen in hunc locum translatus est hic actus, propter illius loci angustiam. Finitis Laudibus Papa procedit ad capellam S. Silvestri.* Ea autem capella extra templum fuit, alio quàm nunc loco.

Digitized by Google

Munera divisim largitur (22) Cardine fultis,
Præsulibusque aliis, Clero, Laicisque Ministris
335. Summus Apex, humeros roseum vestitus amictum.

CAP. XIV.

Hæc ita, ne immemores videamur quærere fastus,
Ac humilem tempsisse domum, solennia Cleri
Pandimus: en Sedes capiens de stercore nomen
In platea est circa templum, despecta parumper
340. Visa novis, quia fœda loco: qua maximus Heros
Hoc fortasse die recubans, ubi primitus illic
Non foret (23) adventus positus, ter missile jactat
In populum, faturque docens; Non aurea nobis,
Argentumque nitens vobis ad gaudia non sunt:
345. Quod tamen est, hoc prompta manus dispergere tentat (24).
Ergo potest, sine fraude, piè de stercore sumptus
Credi summa tenens, solium & de pulvere nactus
Principibus recolendus Apex, à Numine divo
Compositus. Talique die perducitur inde
350. Ante fores templi, binas ubi purpura Sedes
Porphyreas nativa tenet: super accubat illas,
Et dextrâ ferulam sanctæ Pater accipit ædis,
Sanctorum [&] claves, ad sacra palatia vectes
Insuper; & læva positus, servanda redonat,
355. Illa viro: Zonâque Pater succingitur illic,
Ad quam purpurea bursa est appensa, lapillos
Bis senos referens pretiosos, sculpta sigilla,
Et muscum, quæ magna notant præsagia; magna,
Si sensus gravitate suâ cernatur (25). Ab inde
360. Poplite submisso, Papalis culmina tecti,
Imperiique * domum vigiles (26) qui ex munere servant,
[*Ante pedes sternuntur Heri: quibus ore benigno*]
Susceptis, effusa manus ter spargere nummos
Inchoat, ac fatur: Justus dispersit abundè,
365. Pauperibusque dedit: manet hæc in sæcula sæcli
Justitiæ virtus (27). Post hæc sub imagine (28) ductus,
Quæ mare per liquidum nullo ductore sub Urbem
Pervênit, sublimis Apex (29) Laurentia templa
Ingreditur, quæ jure sibi meruere Capellæ
370. Præcipuum nomen, Cleri, populique relatu:
Sancta Sanctorum, quid ni? Sandalia (30) Christi
Et caput ætherei Petri (31) Paulique celebris,
Christiferæque Crucis maculas ubi sanguine tersit
Et scelus humani generis Salvator & auctor,
375. Reliquiæque aliæ, celebri conduntur in * arca, (32)

Hac

(22) Hæc largitio vocatur *Presbyterium*, & in Pontificali præscribitur facienda post adita Sancta-Sanctorum hoc modo. *Inde surgens cum mitra revertitur ad capellam S. Silvestri, in quam intrans sedet super Sedem ibi paratam. Tum deponit mitram, chirothecas, pallium, planetam, & assumit pluviale, & mitram simplicem, & sedens dat Presbyterium hoc modo. Cardinalibus duos aureos, & duos grossos argenteos. Veniunt Cardinales, & profundè caput inclinant antè Pontificem, porriguntque ei mitram apertam, in quam Pontifex immittit pecuniam: illi autem accepta pecunia manum Pontifici osculantur. Pecunias capit Pontifex è gremio Camerarii. Alii Prælati genuflectunt ante Pontificem, & accipiunt in mitra unum aureum, & unum grossum, & osculantur dextrum genu Papæ. Alii verò Prælati, & Officiales accipiunt in manu tantumdem, & osculantur pedem.*

(23) Idest, nisi fortè in primo suo ad Palatium Lateranense adventu, statim ab electione istic positus fuerit: quod enim moris fuerit Electos statim ad possessionem Palatii Lateranensis inducere ex Anastasio notissimum est.

(24) Ceremoniam hanc ita explicat Pontificale: *Pontifex à Priore & Canonicis Lateranensibus ducitur ad marmoream Sedem ante portam principalem à sinistra stantem, quæ Stercoraria appellatur, & ibi eum sedere faciunt: qui ita tamen sedet, ut magis jacere videatur. Ad quem mox accedentes Cardinales elevant eum honorificè, dicentes: Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Surgens Pontifex accipit de gremio Camerarii, sibi assistentis, quantum pugno potest complecti pecuniarum, ubi tamen nihil prorsus sit auri & argenti, & spargit inter populum dicens, argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do.*

(25) De his ita Pontificale. *Finitis Laudibus Papa procedit ad capellam S. Silvestri: ibi ante portam capellæ sunt duæ Sedes porphyreticæ perforatæ, & ibi sedet Pontifex super primam. Ad quem Prior Ecclesiæ Lateranensis accedit, & genuflexus dat Pontifici ferulam in manu, in signum correctionis, & regiminis; & claves ipsius Basilicæ ac palatii Lateranensis, in signum potestatis claudendi, & aperiendi, ligandi & solvendi*: Ubi Poëta noster *vectes* Palatii à *clavibus* Ecclesiæ videtur sejungere. *Surgit deinde Papa cum ferula & clavibus, & sedet in altera Sede porphyretica ad aliam partem: & ibi restituit eidem Priori ferulam & claves: & ab eodem præcingitur super planetam, sedens, cum cingulo quodam serico rubro, cum bursa etiam sericea & rubra, in qua sunt duodecim lapides pretiosi cum musco*: quorum mysteria supra vidimus explicata à Centio Camerario.

(26) De his quia nihil habet Pontificale, & sensus imperfectus hærebat, ex conjectura supplemus versum deficientem.

(27) *Tunc Pontifex præcinctus & sedens, è gremio Camerarii capit denarios argenteos omnifariam, quotquot potest manu continere & super populum spargit dicens: Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et hoc ter facit. In istis duabus Sedibus Pontifex sedet ut in prima stercoraria*: an recumbens potius quam sedens? Ita videtur: alioqui enim id frustra hìc adderetur.

(28) Ea est imago Salvatoris, olim à Judæo percussa uti supra ex Centio legimus; & sub oculo dextro atque ad barbam adhuc servans vibices inde relictas, teste Raspano in descriptione Basilicæ Lateranensis: Sed de miraculosa ejus transvectione alibi nil legitur: dicitur autem, & ἀχειροποίητος, & Salvatorem repræsentare ætate duodennem, ut fusè Pancirolius.

(29) *Oratorium S. Laurentii*, idem quod *Sancta-Sanctorum*, nunc unà cum *Scalis Sanctis* alio loco positum, olim palatio Lateranensi inhærebat.

(30) *Sandalia* dicuntur calcei Pontificales.

(31) *Capita SS. Petri, & Pauli* inde ad ipsam Basilicam Lateranensem postea transtulit Urbanus V. an. 1370. uti rursum dicemus 31. Maji, ad Vitam B. Jacobi Veneti.

(32) *Arca* hæc *cypressima* est, inquit Pancirolius, *multis seris clausa, intra se continens plurimas capsellas & lipsanothecas*: eamque ibi reposuit, qui locum instauraret, Leo III.

Digitized by Google

Hæc ig tur coram lacrymas in pectore (33) fudit
Dulcis amor pietasque viri, ceu credere fas est.

CAP. XV.

Exurgensque iterum, modicam pausansque per horam
Discubuit thalamo Princeps, qua Regia sese
380. Protendit: magnique Duces totusque Senatus,
Et Reges, Proceresque aliis discumbere mensis.
Quique suo sedere loco: fulgebat ab auro
Tecta domus. Reticere juvat velamina muri,
Et vestes, mensæque situs, fulgentia Bacchi
385. Pocula, gemmatos Calices, & fercula; quonam
Ordine servitum est; quemnam diademata (34) Reges
Cùm ferrent gessere modum; sedereque sacros
Inter Pontificum Levitarumque Priores,
Post primum exhibitum, tantis astantibus, aurum:
390. Utque Patres mensâ surgentes fundere lymphas
Cœpissent, summoque Duci, sibimetque reversis
Ad mensas: iterum festumque (35) reducere Patrem
Nos etiam sub clausa juvat fastigia tecto:
* Multus enim magnusque labor venturus adibit
395. Pontificem, vincetque malos, subdetque superbos.

CAP. XVI.

In longum defluxit iter, quod sumpsimus arcto
Scribere, dum placidos infert novitate labores
Res invisa prius: variat defixa futuris
Lux animi, quòd nulla queat depromere certum,
400. Ni * teneat stabilem præsto firmata colorem.
Sed satis est, si gesta quidem, si cognita vates
Exprimat: hinc celso residens sublimis Olympo,
Qui parvos regnare jubes, depressa superbis
Colla ligans, dirum jaculatus ab æthere telum;
405. Te petimus, succide metum (ne fortè per agros
Effusis, non prompta quies, sed turbida sedes
Occurrat) carmenque velis succedere nostris
Temporibus. Nec nostra quidem, sed Gloria Divo
Ingenito, Genitoque simul præstetur, & Almo
410. Spiritui, qui posse dedit, finemque laboris. Amen.

EJUSDEM GEORGII CARDIN.

De Canonizatione Sancti Petri Cœlestini

Libri tres.

PRÆFATIUNCULA.

JAm dudum hujus Operis Auctor de Religioso, ac Sanctitatis eximiæ viro, Fratre Petro de Murrone Eremita, dum adhuc corporales carperet auras, quoddam metricum solenne Opus perfecerat, quod in tres libros seriosiùs est distinctum; continens ejus ad Papatum electionem, assumptionem, & vitam; ejus in Papatu gubernationem & regimen; ac ipsius miram & insolitam Papatus, & summi fastigii cessionem. Putabat siquidem in iis, quantùm ad ea quæ præfatum Fratrem Petrum videbantur contingere, finem assumpto imposuisse negotio. Sed humana præcedens divini altitudo consilii, cognita Sancti merita longè excellentiore fine composuit: nam & eum polo cœlestibus collocavit agminibus, & terris Canonizatione celebri per Ecclesiæ ministerium colendum indixit, quibus & gloriosior metrico labori meta daretur. Profectò anno Domini millesimo trecentesimo decimo tertio, tertio Nonas Maji, per Clementem Papam Quintum, Pontificatus ejus anno octavo, Avenione existentem, examinatione ac deliberatione præhabitis, ejus exigentibus meritis, dictus Frater Petrus Sanctorum Catalogo celebriter est adscriptus; à cessione Papatus ejusdem Fratris Petri decimo nono, obitus verò ipsius anno [decimo tertio.] Hæc Auctor diligenti meditatione revolvens, & Divinæ Majestatis convenire præconiis, & Sancti meritorum congruere laudibus, nec non propriæ devotioni cor-

(33) Scilicet per internam compunctionem: non enim de externis lacrymis agit Auctor & quia de internis nihil potest nisi ex præsumptione affirmari, prudenter addidit, *ut credere fas est*. Pontificale solum dicit, quòd ductus Pontifex ad Sancta-Sanctorum, *super faldistorium sine mitra genuflexus orat*.

(34) * *Nam cum coronis aureis servierunt*] uterque scilicet Carolus, pater & filius.

(35) Refertur hoc ad supra positum *reticere juvat .... festumque reducere*: interim ex Pontificali ritum hujus accubitus accipe. *Dato Presbyterio*, de quo supra ad versum 333. *Pontifex cum Cardinalibus ascendit ad palatium Lateranense, & ducitur ad mensam solenniter paratam, & ibi sedet; Episcopo Ostiensi dante sibi aquam ad lavandum manus, duobus Diaconis tenentibus tobaleam: & eo loto, factaque benedictione mensæ, omnes sedent. Papa autem sedet solus in una mensa eminenti, diversis magnis vasis aureis & argenteis super eam positis. In mensa verò quæ est ad dexteram mensæ Papæ, sedent Episcopi, & post eos Presbyteri Cardinales: & in mensa quæ est ad sinistram Diaconi Cardinales: & ab utraque parte successive erunt mensæ omnium Prælatorum & aliorum Dominorum & magnorum Nobilium. Et stabit Papa, ut dictum est, indutus & calceatus, & mitram habebit in capite: Cardinales verò habebunt superpellicia cum camisiis & mantellis & mitris albis simplicibus, & ita comedent, & omnes Prælati similiter. Coram Papa serviant Laici majores & nobiliores, etiamsi essent Reges; coram Cardinalibus, & aliis omnibus familiares eorum digniores. Comestione finita Papa lavabit manus ut prius, & quilibet Cardinalis similiter sedendo, serviente fundente sibi aquam. Cardinales autem qui assistunt teneant tobaleam, unus ex una parte, & alius ex alia, & sic sibi invicem mutuò serviant: quibus omnibus lotis surgunt, & gratias agunt Deo. Deinde Papa à duobus Cardinalibus reducitur ad cameram, ubi sacris vestibus exutus, & discalceatus, quiescit: Cardinales autem, & Prælati redeunt ad hospitia sua, equè cum mitris, sicut in comestione steterunt.*

Hactenus Pontificale, circa quæ multa hodie mutata esse oportet, tum aliis de causis, tum quia ab illo tempore omnia ferè ædificia sacra & profana circa Lateranensem Basilicam (quorum ichnographiam licebit apud Rasponum videre) mutata sunt: eorumque loco nunc nihil stat nisi palatium, à Sixto V. post hujus Pontificalis editionem ædificatum, ante annos circiter centum, cum Sanctis-Sanctorum etiam novis.

Mutata à nobis correctionis causâ in textu hæc sunt.

℣. 249 victam, *lego*, vix tam.
278 quo, *l.* qui.
283 Argenti fumis, *l.* Arrigitur fumi.
309 prius, *l.* pius.
332 lumina doctus, *l.* limine divi.
338 fednes, *l.* fedes.
361 domus, *l.* domum.
375 ara, *l.* arca.
394 Magnus, *l.* multus.
400 timeant, *l.* teneant.
404 cœlum, *l.* telum.
406 pompa, *l.* prompta.

Digitized by Google

correspondere propriè satis æstimans, ut rursus eumdem nunc almificum Confessorem versibus præcinat, præfatam Canonizationem, gestorum servata fide, hoc Opere metri florida modulatione depromit, quod in tres libros absolvit. Primo namque eorum in ejusdem Fratris Petri, quondam Cœlestini, Papatus cessione, & Bonifacii Octavi assumptione, ubi antiquum Opus finierat; reassumens prosequitur, qualiter pro animi sui quiete, ac Ecclesiæ tranquillitate, vir sanctus ad remotas regiones properabat accedere; qualiter inventus, nolens ducitur; qualiter, & quantâ idem à Bonifacio benignitate susceptus, & sedulitate exhibitus; qualiter autem piè, & sanctè, Castro-fumonis in Campania sito, migravit vir ille sanctus ad Dominum; ac insuper qualiter Ferentini, in quodam sui Ordinis Cœnobio, decenter, religiosè, & honorificè fuerit Ecclesiastica sepultura reconditus. Et quia narrationis ordo continuationem requirebat historiæ, de ipsius Bonifacii Papæ VIII. obitu, ac Benedicti Papæ Undecimi ad Papatum assumptione, ipsiusque defunctione Perusii, ac vacatione ibidem post obitum succinctè percurrit; nec non demum de Papæ Clementis V. ad Papatum promotione (qui Archiepiscopus Burdegalensis existens, absens in Burdegalensi Provincia, electus tamen Perusii, Collegium ad partes Gallicanas accivit; quique Fratrem Petrum Sanctorum Catalogo adscribi decreverat) opportunam interserit mentionem. Secundo autem horum libro, inquisitionis vitæ & miraculorum remissionem, ejusque discussionem, approbationem, definitionem, seu viri sancti Canonizationem, illiusque celebris, ritusque vetustos, magnaque maturitate digestos (tamquam qui prædictis interfuit, & ut Cardinalis Levita ministravit in illis) faceto, veridico, rhetoricoque sermone prosequitur. Tertio verò libro, Miraculorum ejusdem sancti viri narrationem, tam floridè, quàm verè retexens; & si ejusdem sancti vitæ meminerit, eam nunc tamquam in præcedenti opere prolixè prosecutus, nequaquam in formulas exarat; sed se illam venusto & fideli metro scriptitasse congaudet. Ac denique ad se Auctor humiliter rediens, beneficia totis sibi tribus operibus collata à Deo, ejusdem Sancti Petri meritis, ne supra se inaniter efferatur, recognoscit; & ad cœleste consortium, in illo Regis Regum Christi exuberanti æternoque convivio epulaturum, unà cum Confessore almifico, se obnixè postulat introduci. Sed ut prædicta limpidiùs clareant, ipsorum trium librorum Capitula subnectuntur.

CAPITULA LIBRI PRIMI.

CAPITULA LIBRI II.

CAPITULA LIBRI III.

Digitized by Google

raculo fœminæ, quæ visum recuperavit. Cap. 2.

De miraculo curati à inania, vel furore. Cap. 3.

De miraculo puellæ, curatæ à fistula pedis. Cap. 4.

De miraculo mulieris, curatæ ab hectica. Cap. 5

De miraculo curati à scrofula. Cap. 6.

De miraculis factis in Papatu: & primò de miraculo mulieris contractæ liberatæ. Cap. 7.

De miraculo fœminæ, ex infirmitate factæ croceæ, curatæ. Cap. 8.

De miraculis factis post renuntiationem: & primò de eo, qui recuperavit visum. Cap. 9.

De miraculo Crucis, quæ apparuit in ejus morte, de qua supra facta est mentio. Cap. 10.

De miraculis post mortem: & primò de paralytico curato. Cap. 11.

De eo, qui nec stare, nec ambulare poterat, curato. Cap. 12.

De duabus mulieribus contractis, miraculo curatis. Cap. 13.

Incipiunt miracula, quæ non fuerunt posita in litera Clementis Papæ Canonizationis, & primò continuatio dicendorum ad dicta. Cap. 14.

Miraculum pulchrum de saltu rupis. Cap. 15.

De miraculo pulcherrimo Angeli, in specie militis apparentis. Cap. 16.

De Spiritu Prophetiæ, quem ante, & post Papatum habuit. Cap. 17.

Quomodo omnia peccata sua fuit confessus Bonifacio post renuntiationem suam. Cap. 18.

Brevis, sed rhetorica, & quasi totius vitæ S. Petri & morum commendatio, ubi Auctor loquitur. Cap. 19.

Miraculum seu mirabile donum concessum Auctori in versificando, dum præsens Canonizationis opus describeret. Cap. 20.

Finis operis, in quo Auctor narrat mirum & improvisum totius operis processum, & finem, & gratias Deo & Sancto agit, petens Sancti juvari meritis. Cap. 21.

Præmittit itaq; Auctor narrationi Procemium, quod, ad Sanctum veluti Cœlo præsentem audientemque sermone directo, quadrifariam dividit. Primò namque Sanctum metrici operis, jam pridem de vivente ab ipso Auctore compositi, memorare; secundò sui Canonizationem eumdem jubere describere; tertiò, se ipsum Auctor tantis describendis imparem fore; ac demum quartò Canonizationis insigne se jussum, Sancti fultum præsidio, aggressum denuntiat. Denique ejusdem Sancti patrocinium flagitans, juvaminis ejus præsidio operis finem se consecutum sperat; ut sic aureo opus fine diluceat, quod seminis prajacti principio latuit, quodque medio herbeo colore concreverat viridante: quo fit ut totius summæ alludatur exordio, ubi dictum extiterat.

.... Jactatum crescere semen efficiat;
Herbamque novam dilucidet aurum.

LIBER PRIMUS.

De gestis à cessione Petri usque ad Canonizationem.

Jam Cœli convexa tenens, fidusque supernis
Sedibus admissum, memoras narrasse profundum
Et (1) mirum texisse metrum, dum terrea mentem
Celabat (2) natura tuam, dum fervida seclo
5. Diva fides, spes diva foret, dumque ignea tecum
Est virtus (3) mansura tibi: at nunc proderé mundo
Summa jubes, recolende Pater, * prædulcibus auris
Dum frueris. Licèt ergo parem me haud talibus ausis
Nec dubitem, tentabo tamen, munimine tanti
10. Fisus, ut aggrediar repetentem claustra Monarcham,
Te rursus laudare Patrem, jam morte repostum
Sideribus, scriptumque Polo. Tu respice nostros
Affectus, illosque juvat: tua proderit umbra,
Ut rutilet flavum producti seminis aurum.

CAP. I.

15. Cesserat æthereis, Cœlo pascendus & astris,
Exigui deserta loci secreta reposcens,
(Ut pedibus subfixa Dei mens inclita dulces
Limpidiùs gustaret aquas, ignara laboris
* Curis solicitæ Marthæ, comitata sororem)
20 Cœlestinus Apex; cunctis mirandus, & orbis
Insolitus (4) temptor; cautus tamen ipse recusat,
Ingenii (5) metitus opes, cùm pascua dudum
Florida virgultis meliùs (6) sibi cognita poscit.

CAP. II.

At summum sortitus erat Bonifacius inde
25. Culmen Apostolicum, celebri provectus honore
Assensuque Patrum, sacram & sacrandus ad Urbem
Accelerabat iter; monitis hunc ducere tentans,
Quem purum sanctumque putat. Sed callida purum
Ne capiat fraus docta timens, successibus (7) ardens
30. Efficitur: nam mane volens discedere Præsul
Parthenope, petiisse fugam præcedere jussum
Comperit. En Senior, titubans discrimina secli
Et rursum violare specum, sub nocte quietos
Fallit & immersos somno, sociosque labori
35. Custodesve sui, magnis anfractibus actus:
Et secum comitante uno, qui dogmate Patris
Atque

NOTÆ AD LIBRUM I.

(1) *Mirum, * non ratione metri seu styli, quia hæc esset vana: sed ratione materiæ, quæ fuit mira: sicut electio ejus qui fuit Eremita, & renuntiatio Papatus.*]

(2) * *Bene dicit, terrea natura: unde in Job, qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum.*]

(3) Caritas, quæ sola manet in cœlo, cessantibus Fide & Spe.

(4) * *Nam pauci sunt similes, qui Papatui renuntiarent.*]

(5) * *Quia non erat tanta capacitatis, ut fuisset expediens.*]

(6) * *Et magis habebat notam in eremo vitam contemplativam.*]

(7) *Successibus*, scilicet improvisis & inexpectatis, *ardens* .i. æstuans præ solicitudine; nisi malis legere *Secessibus*.

Digitized by Google

Atque animi virtute viget, roburque (8) juventæ
Cinctus erat, celebris tendebat ad ardua cellæ
Sulmonis, remeare putans folitisque potiri.
40. Sic dulces modulata sonos sub carcere docta
Picta (9) avis, invasa jaculis, ubi libera Cœlo est,
Remigat in caveam: res mira videntibus hæc est.

CAP. III.

Sed Præsul procedit iter, solersque per omnes
Nuntia transmittit cautè (10) celatque recessus,
45. Quodve velit * durum: primamque ingressus in Urbem,
Pontificum sublime opus, ac liquidare permacto
Chrismare cervicem, Regni diademate pressam,
Et veteres ritusque sacros Romanaque complet
Festa, per effusam Clero plaudentia Romam.

CAP. IV.

50. Interea vigiles noscunt, discursibus apti,
Ad cellam redire virum, clausumque requirunt
Illic: nec licuit tantum comprendere Patrem,
Seu aberat, seu tectus erat, seu mira paventem
Gratia velavit, veluti devotio Fratrum
55. Certa tenet. Tandem multo defessa labore
Solicitudo, vagum discit sub littore (11) Vestæ
Hunc fore, diffisum pelago: nam sanctior ille
Murro senex tacitos properabat adire recessus,
Occultasque plagas, Græcamque invisere terram;
60. Ut lateat, sibimetque vacet, caveatque futuris
Schismatibus ne causa foret tantisque periclis.
Sed mare silvestrem (12) fugiens Cœlumque perosum,
Ipsiusque Dei parens obtutibus, almum
Ter reicit, ter fudit humo, ter * turbine venti
65. Dispulit, & siccis navim detrusit arenis.
Qua nautæ novitate stupent, mirantur, & hærent
Inspiciuntque Patrem: quis sit, quò tendat, & unde
Digressus rogitant. Quid ni? Miracula terrent,
Et facies veneranda senis, suffultaque barba,
70. Florida canities, vestis villosa, relucens
Simplicitas indocta plicas, vulgataque fama
Cedentem latitare Patrem, Regisque sonorum
Edictum: quibus exciti condiscere tentant,
Conjiciuntque hunc esse Petrum, clausimque revelant.
75. Sed quis tanta queat, tantumque obducere nomen?
Indubiè viget igniculus sensimque patescit,
* Plebisque arrectos trahit ad spectacula vultus.
Undique visendi causâ concurritur, & quâ
Perrecturus erat subsistunt, hancque verentes
80. Inclinant flectuntque genu, velluntque pilosum
Quadrupedem sessoris equum, ac asinumque (13) rudentem,
Præciduntque togam; morum fiducia tanta est.
Nam justi meritis tergi sua crimina vulgus
Sperat, & incolumes reddi languoribus ægros.

CAP. V.

85. Sic * fugiens mundum, mundo reducitur. O quam
Mundi crescit honos, laudisque insignia clarent,
Dum redit ad caulam, * lactis dum congerit urnam,
Pastoremque (14) sequi mavult, ubi dulcia sumpsit
Pascua, montanis Murro nutritus in herbis,
90. Solaturque suo desertos dogmate Fratres.
Hic (15) humilem comitans, vallatumque undique turmis
Adscitisque aliis clara virtute modestis,
Quos sublimis Apex Bonifacius atque Secundus
Rex Carolus misere illi, deduxit euntem
95. Murronem, gratè susceptum, plurima * dando
Si cuperet. Primaque domo formosius apta
Collocat hunc Præsul, blandèque amplectitur Almum,
Alloquiturque senem placidis sermonibus Heros:
In tantumque pium movet, ut consistere promptus
100. Arce velit Castri Fumonis (sicque resedit)
Quæ vehitur celso sublimis ad æthera colle,
Non facilis gressu, nec bello pervia & armis:
Sic munita situ est: inibique fluenter [eidem]
Exhibitis sociisque datis, sed cœlica spirans
105. Parce usus, parceque * cibis, moremque priorem
Observare studet, memorans in pectore Cœlum.

CAP. VI.

Jamque aderat tempus, quo sors humana senectam
Expeteret, Cœlumque senex, patriamque manentem
Advena, contemptor mundi, civesque superni
110. Concivem, servumque Deus, sua præmia præstans
E merito, gemmis crasso vernantibus auro
Serta caput cingi (16). Siccis humoribus ardens
Febris adest, stimulatque senem, sacrisque potitum
Exhalare piam cogit ad sidera mentem.
115. O felix! Papale decus supremaque calcans
Quæque, supergressus vincensque per omnia luxum,

Ingre-

(8) * *Nam erat juvenis socius quem secum assumpsit.*]
(9) Psittacum intelligit.
(10) * *Ad quærendum Fr. Petrum: non enim manifestabat Bonifacius*; quòd scilicet Petrum vellet apud se custodire.
(11) *Vestiam* passim alii nominant, uti etiam hodie dicitur: sed affectatione quadam veteris etymi, quasi à *Vesta* Dea sumpti, videtur Auctor *Vestam* dicere.
(12) Idest, Eremitam luci publicæ subducere se cupientem.
(13) Excusat auctor *superabundanter* addi, *que*:
(14) * *Papam Bonifacium*] Laudat ergo Petrum Auctor, quòd post regustatas eremi delicias, secutus sit Pastorem inde avocantem
(15) *Hic*, scilicet, *mundi honor*.
(16) Hemistichia duo *frangi perfectius Austris, seque Deo gelidum* hic intercurrebant: quæ quia nullum faciebant sensum, & hic videbatur absque illis clarus; malui ipsa loco eximere, quàm in iis fatigare me lectoremque.

Digitized by Google

Ingrederis cœleſte ſolum, terraſque ſupernis
Commutas, fineque probas (17) te attingere
palmam.

CAP. VII.

Cujus in abſceſſu, * rutilanti in lumine * parvis,
120. Crux micat * in tignis. Viſa eſt vertigine verſa;
Parva tamen, quia parvus erat, nam mente ſubextans
Ut magis eniteat; juſſique in ſingula ſubdi,
Huncque Cruci fixum mundo, mundumque viciſſim
* Huic doceas, memorumque crucis memoremque laborum (18).

CAP. VIII.

125. Inde Ferentinum delatum corpus, honeſto
Ingeritur tumulo manibus ſub dogmate Fratrum.
Inque loco * ſtanti dignè ſolenniter actis
Exequiis, dum Cardo præeſt à Præſule miſſus;
Et, Celebrem, ſublimis Apex Bonifacius Heros
130. Miſſam (19), doctus ait Romæ, Reverentia, quid ni?
Promeruit Patris: quondam diademate fulſit
Papali, miruſque fuit virtutibus orbi.

CAP. IX.

Poſt hæc grata ſuis ſuccedunt ſecula votis,
Et redeunt proni, ſubmotis niſibus illi,
135. Aggreſſi Siculas longo jam tempore terras,
Aragones (20); vallantque piam dulcedine pacem
Conjugiis, pelagi bellorum turbida paſſi
Fluctibus; & rident magno huic agitata per orbem
Pontifici, ac variis replentur tempora miris.

CAP. X.

140. Quorum uno celebri fama, ſecliſque ſalubri
Centeno largitur opes, ceu carmina dudum
Noſtra (21) canunt, reſeratque proſæ diffuſio * noſtræ;
Diſcite centeno detergi crimina Phœbo;
Diſcite, ſi latebras ſcabroſi criminis ora
145. Depromant contrita ſinu, dum circulus anni
Gyrat, perque dies quindenos exter, & urbis
Incola tricenos, delubra patentia Patrum
Ætherei Petri Pauli quoque gentibus almi
Doctoris ſubeant, ubi congerit urna ſepultos.

CAP. XI.

150. Multa facit, multoſque juvat, multique gravatos
Se reputant. Nonus (22) dum ſic elabitur annus,
Heu! gravis alluvies, funeſta & morbida, noſtris
Nec ſeclis audita lues prorumpit, & audens
Ingruit. En capitur reſidens ſublimis in alta
155. Sede Petri, ſumma Chriſtique Vicarius Urbe,
Urbe ſua, tectiſque ſuis, manibuſque ſuorum,
Quaque ſatus, raptis congeſtis undique gazis:
Qui ſcelerum auctores, quæ (23) cauſa eſt, * quidve (24) repenſum
Quid loquimur? Radiante die trinaque labante,
160. Irruit in ſtolidos plebs docta furentibus armis:
Hos cerebro, quoſdamque manu, quoſdamque reciſis
Naribus evertit: capitur qui maximus horum (25)
Extiterat; Summuſque Pater, jam carcere liber,
Protinus hunc ſolvit; rediens feſtinus in almam
165. Urbem, quippe ſacram, miro circumdatus orbe,
Vallatuſque armis. O mira potentia, tantis
Enodata malis! Numquam ſic glorius armis,
Sic feſtos ſuſceptus eſt, Cleroque decorus
In-

(17) * *Aliàs, Finiſque probat, ſine licentia.*] Ita auctor in margine, alibi minime ſcrupoloſus, quare hìc retinui quod erat liquidius.

(18) Hunc verſum, loco non ſuo deſcriptum repe-ri, ante ultimum verſum Capitis 8.

(19) Rem clariùs explicat titulus, in marg ne poſitus, diverſus ab eo qui ſupra notatur in principio his verbis: *Quomodo Bonifacius Papa, audita ejus morte, celebravit Miſſam pro eo:* quod alius nemo annotare curavit.

(20) Scilicet Fredericus Arragonius, Regnum Trinacriæ ab Eccleſia ſe tenere profeſſus, & Carolo Regi Siciliæ cis Pharum, ideſt Neapolitani Regni, pace inita reconciliatus anno 1303.

(21) * *Noſtra ſcilicet Carmina, quæ ſequuntur: Diſcite &c. poſita in centeſimo, ſeu Jubileo, libro facto per auctorem bujus operis.*

(22) *Anno 1303. in Vigilia Nativitatis B. Mariæ, dum Bonifacius in patrio ſolo, & civitate propriæ originis ſuæ, cum ſua Curia reſideret, ubi tutus eſſe ampliùs merito crederetur in gente ſua & populo & natione, ibidem, conſciis aliquibus domeſticis ſuis, proditus fuit.* Ita Bernardus Guidonis apud Raynaldum num. 41. addens, quòd ejus *captionis & ſceleris Vexillifer fuit Guilielmus de Nogareto de S. Felice, Diœceſis Tboloſanæ, complicibus, & conſentaneis Columnenſibus, ex quibus duos olim decapellaverat Cardinales*, ſcilicet Jacobum, & Petrum ſupra ſæpe nominatos, poſtquam illi, ut ait Ptolomæus Lucenſis, ad an. 1297. *occaſione Stephani de Columna, qui theſaurum Papæ fuerat deprædatus, famoſum contra eum libellum ſparſerant, aſſerentes ipſum non eſſe Papam, ſed ſolum Cœleſtinum: unde citati quòd compa-*

rerent factique contumaces, in Conſiſtorio publico, tamquam Schiſmatici, & Hæretici deputati, capellis rubeis Cardinalatus privati, bona etiam ipſorum, & filiorum D. Joannis, videlicet Agapiti, Stephani, & Sciarræ, fuerunt confiſcata &c. Fuerunt illi poſtea, in gratiam Regis, à Clemente V. reſtituti loco ſuo.

(23) Cauſa fuit, diſcordia inter Bonifacium, & Philippum Pulchrum Regem Franciæ, quem ille gravibus perſtrinxerat ſententiis, graviora etiam meditans: quare *Guilielmus*, qui (ut S. Antoninus ait) *pro Rege Franciæ tractatum duxerat capturæ Pontificis, minatus eſt, quòd ligatum ipſum duceret Lugdunum, ut in Generali Concilio ſolenniter deponeretur.* Sed & hunc inſigniter confudit Bonifacius, & intrepidum ſe hoc in caſu oſtendit, habitum omnem Pontificium indutus, itaque præſtolans quid de ſe ferocientes ſtatuerent.

(24) Intelligo vindictam ſecutam; videturque ſpectari mors infelix Philippi, anno 1314. obita in venatione: cui poſt hæc ſcripta acceſſit infelicitas trium filiorum, conſequenter Regum, qui omnes abſque liberis obierunt ante annum 1329. Regno in Valeſios tranſeunte. Anagnina quoque civitas ex eo tempore ferè ad nihilum decidit, uti pulcherrimè deſcribit Papyrus Maſſonius in Bonifacio VIII. addens quòd cives id agnoſcentes Clementem VII. exorarint, ut, miſſo ad ſe Epiſcopo, populum ab illa majorum noxa eatenus inexpiatâ liberaret, ſicut & factum eſt an. 1524.

(25) An Guilielmus? an verò Sciarta? De hoc ſolùm Antoninus ait, quòd urbe *cum complicibus ejectus* fuerit, *pluribus ex eis captis & aliis occiſis.*

Digitized by Google

Insignisve fuit (26)............
170. Prima Patrem Sedes Laterani suscipit, inde
Ætherei Petri, cujus miracula seclo
Clara patent; siquidem primum defendere servum
Tutarique Patrem curæ est, devotius illi
Obnixum: tumuloque suo procumbere (27) templo
175. Claviger imperitat. Pauco nam tempore fluxo
Decursoque die, lecto prostratus anhelus
Procubuit: fassusque fidem, veramque professus
Romanæ Ecclesiæ, Christo tunc redditur almus
Spiritus, & sævi nescit jam Judicis iram (28),
180. Sed mitem placidamque Patris, ceu credere fas est.

CAP. XII.

Roma novis concussa fremit. sævumque minatur
* Martis opus, ceptas (29) timor est prorumpere flammas
Et clarere palàm, stipulas seu conditus ignis
Incendit facilis; Christi at clementia tantis
185. Occurrit, lymphasque jacit. Benedictus eodem
Tempore (30) suscipitur, vir clarus: cùmque Coronam
Cœpisset Frigiique decus, dum curreret annus,
[*Eripitur nostro Nonis Quintilibus orbi*]
Et Sedes Romana vacat, Perusina per alta.

CAP. XIII.

190. Undenusque fluens magno sub turbine mensis
Bertrandum (31) elegit, cujus nec tempora nobis
Prodere dat volitum, dictum cognomine del Got.
Unum flere libet: nono jam præfuit anno
195. Urbe procul, gradibus Roma provectus ab ipsa.
Germanusque suus (32) qui Lugdunensis & inde
Cardo fuit Romanus Apex, de stipite Vasco,
Clemens dictus erat, distansque ad culmina vectus.

CAP. XIV.

Quo Cœtum mandante Alpes transire, vel omnem,
200. Vel partem; Levita Prior (33), procedere promptus,
Decubuit moriens, toto præsente Senatu
Exequiis; laus digna viro: memorandaque pandam
Ipsius, sermone (34) brevi si hunc claudere metro est.
Si pietas, si recta fides, si candida quemquam
205. Ornavit titulis Clero laudanda venustas,
Te tulit ante Patrem; tecum puerilibus annis
Concrevit, cunctosque tibi virtutis amictus
Induit. En fortem monstrant adversa, modestum
Prospera, prudentem finis, mensura refertum;
210. Devotumque Deo lacrymæ, justumque fatentur
Munda manus, sincerus amor, zelusque calescens
Ecclesiæ; quamque esse caput, quamque esse magistram
Credideras, servasque fidem: nam Cardine vexit
Te juvenem, te natum Ursâ, teque Urbe coruscum,
215. Pollentemque genus: multis ornaris, & ornas
Eloquium sermone gravi, fervesque disertus
Ingenio studioque simul, quo doctus utroque
Efficeris: meritò magnos conscendis honores
Magnus, & his aucto fulget sub nomine virtus.
220. Fulget & Ursa domus, dum sis Levita Mathæe,
Cui Rubei cognomen erat Cardoque juventa;
Et senio confractus abis, pandisque futuris
Te moriente mori. Non sic datur omnibus unum
Vivere, quo cauti vigilemus, & inscia fortis
225. Atque horæ, mens ipsa vacet rogitare salutem:
Quam te promeritum miseratio pauperis effert,
Quæque sacro (35) Elistæa dedit, corpusque refossum
Illæsum mirata, tuam reffudit in Urbem,
Membra genis, unguesque manu, firmosque capillos
230. Vertice, quosque (36) artus nono (37) redolentia Phœbo,

Quæ

(26) Alterum hemistichium, *cunctos ubi ferrea texunt.*, omisi, quia sensum non habet, donec vera lectio inveniatur.

(27) Ideſt, in eodem templo sibi contumulari.

(28) Bonifacii, famam multis calumniis, non solum à Francis olim, sed etiam hoc sæculo ab ejus gentis scriptoribus laceratam, videtur vindicare voluisse Deus, detectione integri ejus corporis, post annos ferè 300. facta anno 1605., eodem quo obierat die 11. Octobris: cujus inventionis Acta vide apud Raynaldum ad an. 1303. n 44. Credibile est ab eo moriente iteratam fidei formulam, quam Bzovius ex eoque Oldoinus ad Ciacconium recitant.

(29) *Ceptas*, * *Ideſt*, *conceptas*.]

(30) Electus est Benedictus XI. ex Ordine Prædicatorum, Episcopus Ostiensis 21. Oct. decimo post decessoris obitum die, ipso quo Conclave ingressi sunt Cardinales, primo scrutinio.

(31) Electus absens in Gallia 5. Junii anno 1305.

(32) *Beraldus del Got*, Francis hodie *de Gout*, ex Archiepiscopo Lugdunensi creatus Cardinalis Albanus an. 1294. à S. Petro Cœlestino, defunctus an. 1297.

(33) * *D. Matthæus Rubeus*] Nicolai Papæ III. Nepos.

(34) *Epitaphium* appellat Auctor in titulo; fecerat illum Cardinalem Urbanus IV. an. 1261. adeo ut 43. annis in eo gradu steterit.

(35) *Sacro* .1.. * *Sepulcro*, utpote in terra Sacra Christianorum ritu: *Elistæam* autem non *Clistæam* dici Perusium, jam diximus in primo opere ad ℣. 386. lib. 1.

(36) *Quosque artus* .1. per omnes artus.

(37) Ideſt, anno 1315. anno autem sequenti creatus est Cardinalis, Neapolionis Ursini ex fratre nepos, Matthæus Ursinus, mortuus Avenione an. 1340. hujus verò corpus Romam relatum dicitur, ac primùm in sacello S. Catharinæ Senensis, mox in Sacrario, nunc in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam cum ossibus Latini Card. Ursini conditum haberi in arca marmorea; quem & Patres Prædicatores, quorum Ordinem professus fuerat, inter Beatos referunt, & miraculis claruisse dicunt juxta Bzovium; cum Bzovius Ciacconium alleget, qui in suo gemino opere anni 1599. solius meminit translationis (allegato nescio quo Chronico Prædicatorum) tamquam factæ *in sacellum S. Catharinæ ab se constructo*. Ubi si intelligatur S. Catharina Senensis, gravis est anachronismus; cùm illa solùm obierit anno 1381. ann. 41. post hunc ultimum Matthæum. Omnibus itaque expensis, vehementer suspicor, *Matthæum* quidem Juniorem Avenione sepultum mansisse; eum verò qui Romam translatus est, esse seniorem; translatum autem esse agente illius fratre, ibidem Theologo Ordinis celeberrimo, & S Thomæ familiari, nomine Romano; in cujus fortasse gratiam sacellum S. Catharinæ Virg., & Mart. ab ipsomet Matthæo conditum fuerit; sed quia communiter hic *Rubeus* cognominabatur, confusus à posteris sit cum suo synonimo juniore, noto sub solo cognomine Ursini: sicut confusa est utraque Catharina.

Digitized by Google

Quæ stabili allusere animo niveoque pudori.

CAP. XV.

Convenere Patres trans Alpes, parteque in ipsa
Qua fluit in Rhodanum pallens mitisque Saona,
Lugdunumque suo reddunt munimine septum.
235. Hic fræni diadema ferens, * dextratur (38) habenis
Francorum à Rege illustri: signumque verendum
Occurrit, diadema cadens (39): nam pressus in arcto [est.]
Atque * ruinosi cecidit sub pondere muri,
Oppressique fuere (40) alii, dum fræna tenerent
240. Magnanimes. Quid tanta velint, disquirere vanum est
Auguriis, novitque Deus monstrare futurum.

CAP. XVI.

Hoc (41) residens, Rex grande (42) movet sumpsitque vereter
Summus Apex, veneranda Petri committere gesta
Inquirenda procul, Patribus suadentibus unum
245. Illud idem. Variis consistimus inde sub oris,
Oceani pelago confinibus; ante Coronam
Burdegalis (43), * positi Pictavis (44), flumine parvo,
Ambitâ; Rhodani plenum * mox cernimus alveum,
Avenione siti; sacrum recipitque Vienna
Concilium (45) octavi mensis; paulumque moramur
Avenione (46) iterum. Datur illic debita nostro
Gloria, diffusè quam nobis texere voti est.

(38) *Dextrarius* equus ille appellatur ab Italis ac Francis, qui ad manum ducitur: & sic. *dextrari* hìc significat, deduci ab aliquo habenas tenente.

(39) *De capite Papæ*.]

(40) Qui Scilicet Regi in eodem obsequio successerant viri primarii.

(41) Nominativus est absolutus pro ablativo, ætati isti nimis quam frequens: *Hoc* ergo, idest. Clemente sedente. Sic infra rursum lib. 2. ℣. 83.

(42) *Rex grande movet*, subintellige, negotium.

(43) Idest Burdegalensis, * *scilicet Clementis*] ex illa Metropoli ad Cardinalatum assumpti, unde etiam vulgo dicebatur *Cardinalis Burdegalensis*.

(44) Pictavensis enim civitas posita est ad Clarum, exiguum flumen: quod deinde in Vigennam atque cum hoc postea in Ligerim immersum primum secundumque nomen amittit.

(45) *Quia duravit ferè per octo menses*] à Kalen. Octobris anni 1311. usque ad sequentis anni Majum eosdem octo menses habemus in Prosa proœmiali, & consentit Bernardus Guidonis, ultimam sessionem habitam asserens *mense Majo pridie Nonas*, uti annotavit Gabriel Cossartius Tom. XI. Concil. col. 1596. ita modestè corrigens decessorem suum Philippum Labbe, qui in Synopsi Conciliorum prius vulgata *ad sesquiennium*, *vel* (*ut alii*) *biennium* tenuisse Concilium dixerat. Errori fortassis causam præbuit, quod indictum fuerit anno 1307. in proximum biennium, rursumque non comparentibus ex condicto Patribus, dilatum ad alterum biennium, atque ita solum cœptum anno 1311.

(46) Nam Lugduni coronatus *Clemens* varias Urbes circuivit, Burdegalam, Pictavim, Avenionem, ubi fuit anno suo 4. 5., & 6., donec inde egressus est, proximior ut esset Viennæ, & ad Concilium futurum commodius omnia præpararet.

Loca judicio nostro mendosa, & ideo mutata hæc sunt:

℣. 7 quæ dulcius, *lego*. prædulcibus.
19 Curæ soliciti, *l.* Curis solicitæ.
44 divum, *l.* durum.
63 turbata vento, *l.* turbine venti.
77 Et thrait avectet plebes, *l.* Plebisque arrectos trahit.
85 fugiunt, *l.* fugiens.
87 latio, *l.* lactis.
95 dantem, *l.* dando.
105 tulit, *l.* cibis.
moresque priores, *l.* morem usque priorem.
119 rutilans in lumine parva, *l.* rutilanti in lumine parvis.
120 insignis, *l.* in tignis.
124 Hunc, *l.* Huic.
127 stantem, *l.* stanti.
142 nostra, *l.* nostræ.
158 qualeve pensum, *l.* quidve repensum.
182 Matris, *l.* Martis.
184 Incendit, *l.* Incendi.
227 repostum, *l.* refossum.
228 miranda, *l.* mirata. res fudit, *l.* reffudit.
235 destratus, *l.* dextratur.
238 minoso, *l.* minosi.
247 positam, *l.* positi.
248 concernimus alvum, *l.* mox cernimus alveum.
252 diffusis, *l.* diffusè.

LIBER II.

De discussione causæ ipsaque canonizatione solenniter Avenione celebrata.

CAP. I.

ERgo ubi (1) commissum magnarum indagine rerum
Perfecere viri, longisque laboribus acta
Sollicitudo (2) cliens; gestorum scripta figuris
Publica transmittunt, propriis monumentaque signant
5. Sculpturis, ceræ impressis; mittuntque loquacem
Literulam, quæ gesta ferat, summamque fatetur.
At Clemens transmissa volens disquirere (3), certum
Commisit; variisque modis, multosque lacessit
E Patribus, dum plura petit, dum fortè vagatur,
10. Nec semper quæ vera patent. Sudavimus illic.
Sudavere alii, sudor nec defuit [ulli.]
Nemo Patri Patrum residet, dum singula tentet.
*Hæc multis (4), multisque locis, multisque diebus
Cura fuit. Fragilem (5) tanti est proferre repostum
15. Quemque polo: Sedes Petri nec fallitur istis,
Nec fallit: cui posse datur decernere soli
Judicium tanti (6). Non passim prodigit amplum
Immensumque datum, licèt esset pluribus idem
Spi-

NOTÆ AD LIBRUM II.

(1) * *Idest, inquisitionem commissam per Papam super vita & miraculis: de qua commissione supra facta est mentio*,] videlicet in Prosa ad totum opus præliminari num. 18.

(2) * *Idest, serviens*] seu subserviens examini.

(3) *Aliquem committere* Italica & Gallica phrasi dicitur, quod Latini *alicui aliquid comittere* dicerent; & *Comissarii* designantur ad testes audiendos: fortassis autem legendum pluraliter *Certos*, ut intelligantur plures Comissarii in hanc causam nominati.

(4) *Nam ista examinatio facta fuit in multis locis, & apud Mediolanum & Viennam, per aliquos Prælatos; & Avenione per Papam & Cardinales*.]

(5) *Fragilem*, idest, hominem, *referre* .i. pronuntiare ac definire Sanctum.

(6) *Tanti*, subintellige, *Viri* vel *momenti*.

Digitized by Google

Spiritus, * & mores credi meruere Beatum
20. Murronem, finisque facer, mirandaque vitæ.

CAP. II.

Quid moror ardentes animos, quod carpere (7) promptos?
Dona Dei radiant, jam jam miracula clarent
Illius discussa palàm, cœtuque vicissim,
Vitaque collucet, firmantque probantia testes (8)
25. Consiliumque Patrum. Nec defuit inde, probatis
Tutus Apex: capiti deponens vertice mitram,
Atque genuflectens, vitam virtutibus almam,
Magnaque sanandis profert miracula morbis
Impendisse virum: nec non complexus utrumque,
30. Intulit hunc celebrem mundo terrisque colendum
Esse Patrem, sacrum Confessoremque vocari
Decrevit, prudenter agens, cautèque recensens
Præteritum. Clausim sunt hæc (9) decreta. Deinceps
Advocat in mediam, qua se protendit in aulam
35. Regia, Pontifices varios, cunctosque ministros

CAP. III.

Romanæ Sedis, nec non præsente Senatu
Fatur, Et immensos suscepimus ecce labores,
Et Fratres * nostri (10) pariter, quod nosse putamus
Vos etiam. Quæsita prius depromimus ecce,
40. Et vitam, moresque sacros, firmataque scimus
Testibus indubiè Petri miracula quondam
Murronis; quæ scita palàm, nec clausa tenemus,
Ad fidei incrementa sacræ, vestramque salutem.
Pauca tamen reclusit Apex: quin cautiùs idem,
45. Neve magis vel fortè minùs dicendo labaret,
Singula diffuso promi dictamine jussit.
Illicet ardentes, positi sub limite (11) sedum,
Pontifices laudanda canunt, mirandaque pandunt;
Quisque loco residens, alternatimque resurgens
50. Quisque loco, & rogitant. Pensum (12) procedere rectum
Judicium Ecclesiæ, cunctis gaudentibus una,
Ructavere (13) omnes, dignum [&] conscendere Divum.
At Pater auditis placidis (14) rumoribus, inquit:
Nec Sedi (15) voti est, soli cui dicere (16) festum
55. Competit, aut nostro tantis (17) subducere honori,
Sed volumus summis (18) Fratrum concernere dictis:
Quodque pius nobis dignabitur atque refundet
Ipse Deus, promptè complebimus: huncque profusis
Flectite vos animis: * facere [hoc] præcordia poscunt.

CAP. IV.

60. Postquam cuncta suis sunt elimata figuris,
Et faciles (19) habitura moras digesta; parumper
Substitit. Et sacris posito jam limite rebus,
Læta dies oritur; festi prænuntia, guttis
Solis cauma rigans pluviisque recentibus æstus,
65. Grata Patri, Cleroque placens, segetesque refundens,
Expectata diu, Tauri (20) sub limine Phœbum
* Ante ferens; roseo manti qua tectus amictu,
Albentemque pilis equitans de more venustum
Cornipedem, Clero preeunte sub (21) ordine templum
70. Ingreditur, festis Clemensque celebrior instat.
Surgit in effusis fortisque cacumine rupis
Sacra domus veneranda Dei Genitricis & almæ
Virginis, haud magno fundatum schemate templum
Urbe quasi media, spectans sic undique Cives
75. Avinione locus; cujus pars diruta quondam
Castrum erat, * sacrum rediit nunc omnibus usum.
Hæc domus ardentes apiumque liquamina ceras,
Undique transjectas trabibus, faculasque liquentes
Læta dabat, foribusque suas funalia flammas
80. Fundebant variisque locis, quæ (22) lumine verum
Monstravere jubar Cœli, fulgoribus huncque
Esse polo meritis divino munere fultum.

CAP. V.

Ingressusque sacram Genitricis Virginis aulam,
Festus adest thalamus; pennarum gloria (23) candet,
85. Aurea (24) * latescit capiti, vestitur & auro
Coccus acu mantique decor, variatque rigentem
Serica vestitum byssus sub imagine (25) Patrum.
Conseditque throno, thalamo sublimior arcto:
Con-

(7) *Carpere* .1. * *discere*.]
(8) * *Nam modus maximè accomodus, ad probandam alicujus vitam & miracula, est probatio per idoneos testes*,]
(9) In Consistorio, ut vocant, secreto.
(10) MS. *nostrique simul* & in margine dicitur * *Superabundat conjunctio, Quæ, causâ versus*.] Sed malui aliam vocem synonymam substituere in gratiam lectoris, per quam non esset opus licentiâ, sensum obscurante.
(11) Idest, intra spatium quod sedilia occupabant.
(12) *Pensum* .1. * *pensatum & libratum*.]
(13) Infra lib. 3. ℣. 99. *Ructare* pro *dicere* poni notatur.
(14) * *Quia placuit sibi, quod Prælati volebant & supplicabant pro ejus canonizatione*.]
(15) Sic libro præcedenti versu ult. dicitur *nobis voti est*: fortasis, tamen & hic & ibi meliùs legeretut, *votum*.
(16) *Dicere* .1. * *indicere*.]
(17) * *Tantis* .1. * *in tam grandi negotio*.]
(18) *Summis* .1. extremum auditis.
(19) Idest, sic digesta, quod * *de facili perfici poterant*.]
(20) * *Nam sol tunc erat in Tauro*] utpote 5. Maji: ingreditur autem sol Tauri signum circa 20. Aprilis.
(21) * *More consueto præcedentibus Papam ad Ecclesiam Cardinalibus Prælatis & ceteris Curialibus: non tamen ibant parati, sed in pannis laneis*.]
(22) * *Nam faculæ & intortitia repræsentant Christum Dominum, qui est verum lumen*.]
(23) Ita supra lib. 2. de Coronat. ℣. 142. describitur Tiara, *Pavonis cortice candens pennarum*.
(24) *Aurea*, scilicet *corona*, ipsi tiaræ prętexta, eaq; lata.
(25) * *Quia in pluviali Papæ erant imagines Sanctorum Patrum, de serico & auro laborata & acu, operis Cyprensis seu Anglicani*.

Digitized by Google

Consedere Patres (26) bassis sub sedibus (27) albi,
90. Prælatique omnes: strato sub (28) pulvere vulgus.
Hincque ait: Exulta (29) laudaque Sion, quia magnus,
Magnus, & exulta; medioque tui, quia Sanctus
Israel. * Haud prisca fit nobilitate refulgens
Murro genus, * pectusve sciens doctrinave magnum
95. Hunc facit: in silvis verùm experientia cautum
Longa facit. Siquidem fecli suffragia Justo
* Huic deerant: sed magnus erat, grandisque beatum
Vita dedit, zelusque calens fervere per omnes,
Et pietas, humilisque modus, vincensque superba
100. Simplicitas, mentisque nitor, subtractaque mundo
Paupertas, miranda fui districtio virtus;
Hæc magnum fecere virum Cœloque sacrandum,
Si Deus (30) annuerit. Nobis miracula clarent,
Et Fratres (31) novere palàm, * discussit & illa
105. Longa dies magnusque labor. Vos * ergo rogate,
Nosque oraturos cognoscite, quod Deus * adsit
Omne bonum tribuens, perfectum quodque rependens,
Nec tantis errare finat Sponsamque (32) redemptam
Sanguine, sed nostros miseratus dirigat actus.
110. Dixerat, & surgens nobis astantibus, inquit
Proclamatque, Veni replens pia corda Creator
Spiritus, & genibus stravit se in * pulvere flexis
* Quoque aliis; surgitque iterum: cui vertice mitram
Imposui * dextrâ minimus Levita, sed ordo
115. Quippe dabat. Stetit inde, Chorus quoad cantica (33) complet,
Post jubet ut referet * contexta labantia (34) scriptor,
Et vero sermone legat tam (35) culmine gesta,
Quàm post, quàmque priùs. Doctus dictamina pandit
Quæ Bullæ scriptura tenet, reserantia vitam,
120. Quæ metris radiat nostris. Miracula * quin &
Bulla tenet: pangemus ea & diffusiùs infra,
Ejus in augmentum nostro modulamine laudis,
Si pius assistat dictans sua carmina Murro.

CAP. VI.

Hæc ubi perfectum sumpsere exordia finem,
125. Afflavitque Deus volitis, firmumque petitis
Judicium; sublimis Apex depromere votum
Inchoat. Æterni ad Patris, Natique coævi,
Flaminis æterni (quibus una potentia, * summa
Omnipotens) laudem, Mariæ Virginis almæ,
130. Et Petri, Paulique Ducum, Michaëlis & omnis
Militiæ cœlestis opem; fideique salubris
Incrementa sacræ, divo munimine fulti,
Sanctorum Petri Pauli, nostro quoque fulti,
Consilioque Patrum, vestrisque suasibus, inquit;

CAP. VII.

135. Nos Fratrem Petrum, quem de Murrone vocatum
Fama docet, celebrisque ciet super æthera tolli
Sanctorum thalamo, meritis suadentibus altis,
Sancimus dignum adscerbi, Justumque piorum
Scribimus hunc numero, statuentes undique (36) plebem
140. Huic obitus celebrare diem, & devotius omnem
Confessoris ei festum persolvere cœtum,
Nos, quibus hæc solis Petro est concessa facultas:
Insuper attritis necnon peccamina fassis,
Annua quos sacrum dederit spectare sepulcrum
145. Quæque dies leti, quinque annos quinque (37) quadrages;
Octavamque infra denos quater (38) insuper unum
Laxamus, si quidem positum (39) pro crimine pondus.

CAP VIII.

Dixit, & inde Pater jubilans in cantica surgit,
Teque Deum laudamus, ait, vocisque sonoræ
150. Haud decor emulcet (40) pavonis imagine: cuncti
Id peragunt, lætique canunt, versumque sequentem (41)
Levita (42) ad lævam residens, Clerusque vicissim
Respondet (43). Tunc Summus Apex Collectam & in alto
Fudit, & expleto nostrum sibi funditur, Amen.
Confiteor (44) Levita dehinc, thalamisque verenter

[Com-

(26) Glossula * *magnis bassis*: ut licet humiliores Pontificia sede, magnæ tamen fuisse intelligantur.
(27) *Albi* .i. Superpelliceis, ut æstimo, induti.
(28 * *Quia in terra sedebat*.
(29) * *Quia thema Papæ fuit: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in te Sanctus Israel*.] Isajæ 12. 6.
(30) * *Quia Papa utebatur his verbis, Fr. Petrum de Murrone canonizandum, si Deo placuerit, ante canonizationem*.]
(31) * *In omni sermone & literis Papa vocat Cardinales, Fratres. Si tamen in speciali aliquos vocat*, [solos Episcopos vocat] *Venerabiles Fratres nostros; Presbyteros & Diaconos Cardinales vocat in literis &c. dilectos filios*.]
(32) Hic rursum abundat explendi versus causa conjunctio, *que*.
(33) * *Papa, postquam surrexit stetit, quo usque chorus complevit Hymnum, quem Papa inceperat, Veni Creator*.]
(34) *Labantia* .i. * *currentia: nam labant & currunt dictamina, licèt non sic, nec ea lege ut metra*:] intelligit autem Bullam prosâ descriptam.
(35) *Culmine* .i. * *in Papatu*.
(36) * *Idest, universalem Ecclesiam: nam universalis Ecclesia illi subest: & ea propter Papa mandare potest, quòd in obitu alicujus Sancti festum faciat*.]
(37) *Quadrages* .i. * *Quadragenas*.]
(38) * *Idest quadraginta quinque*] scilicet dies.
(39) * *De injunctis sibi pœnitentiis*.
(40) * *Nam Papa non habebat vocem canoram nec placidam: imo malè cantabat, ad modum pavonis, qui malè cantat*.]
(41) * *Ora pro nobis Beate Petre, Alleluya*.]
(42) *Diaconus serviens Papæ ex parte sinistra*.]
(43) * *Ut digni efficiamur promissionibus Christi Alleluya*.
(44) In ordine scilicet ad Benedictionem, cum Indulgentia Papali recipiendam, Diaconus nomine totius populi Confessionem facit.

Digitized by Google

[*Compono excelsis Apicem ; nomenque beatum*]
Militis ascripti memorant. Sua tempora servans
At Præsul largitur opes, largitur & illas
Ut libet indulgens, precibus Sanctumque novellum
160. Invocat, & tivro veteranis jungitur illi.

CAP. IX.

Signatâque manu turbâ (45), prædicit * aperte
Se Petri memorem, celebris solennia Missæ
Festa impleturum, verbis & facta * repensat.
Nam celebrat solennis Apex, & canduit (46) albis.
165. Hincque albis albere omnes: hinc cerea flammis
Illuxere, vagis tremulisque hinc lumina fumum
Consumpsere focis mirum, sua pabula pastis.
Fundamenta etiam dant hìc pia cantica, voces
Laudibus hinc resonant, explentur cœlica divis
Officiis : remeant ex tunc ob gaudia læti
170. Quique domum ; gaudere pium, sperare salubre est.

LIBER III.

De Miraculis S. Petri, tam in Bulla propositis quàm aliunde Auctori certis.

CAP. I.

HActenus effusè magni præconia festi,
Quò pius empyreo, fulgentique agmine sursum
Inseritur cœlo, celebris Confessor & almus,
Panximus, & vitæ meritum, ac (1) agrestia dudum,
5. Post certis firmata modis : nunc dicere fas est
Mira viri, solidis seclo radiantia signis,
Naturamque super : quibus est patefacta duobus
Certa fides, hunc esse Polo. Miracula nondum
Sufficiunt (quia sæpe malis ostendere verum
10. His datur) at nomen tantum propensius illis
Confertur, quibus ipsa deest natura, vel artis
Docta manus, vel fortè modus : nam tempora firmant
Quidquid agunt ; nostrum sed mirum perficit instans (2)
Vita etiam non sola probat, quia cognita solum
15. Soli hominis fit vita Deo, quo quodque peractum
Est opus intento, finis perfectior illi
Cognitus, unde Poli fidus conscendimus amplum:
Nec cupimus reserare vagum, sed pandere certum
Deficimus ; creditque fides persæpe, quod arctum
20. Non probat ingenium : stabili subsistere gratum est,
Quodve Petri sacrata docet sententia Sedis.

CAP. II.

Fœmina lipposis affecta laboribus, & jam
Cæca oculis, visuque carens, cui nulla mederi
Ars potuit ; confisa Petri de munere labem
25. Tergi posse oculis, eremi sublimia ducta est:
Cùmque Crucem parvam, Sancti de munere missam,
Luminibus vacuis posuisset, & anxia sese
Signasset Crucis auxilio, portante marito ;
Confestim miserante Deo sua lumina visum
30. Accipiunt, gaudetque videns, gaudentque videntes.

CAP. III.

Cùm furor immanis tantum vexasset anhelam
Alterius mentem, quod cordis sæpe ligatus,
Atque catenarum stringentibus undique nodis
Ille foret, ne fortè sibi, vel fortè sodali
35. Officeret ; ductus Petri ad spectacula demens,
Exhibito se pane cibat, quem Sanctus eidem
Contulerat: rediitque quies, per singula compos
Efficitur, nulloque puer post tempore palpat,
Illius immanis cursus sentitve furoris.

CAP. IV.

40. Ecce puella gravi, dum putrida fistula buccas
Inveterata facit, trepidat confixa dolore,
Neve pedem fluidum, vel cæsum parvula perdat:
Namque pavens medicus cogit trepidare parentes,
Tantus amor natis, pietas, compassio tanta est.
45. Quid Pater ipse? gemit : quid Mater? murmura pandit:
Fœmina quid? lacrymas retinet, sed turbida fundit.
Ventum erat ad Petrum, portata puellula coram:
Inde pius patitur afflictus, inde medetur,
Nam faciens tria signa Crucis super ulcera sanam
50. Reddidit, ut modico vestigia nulla subessent
Ulceris : haud dubium quin clara piacula (3) curant.

CAP. V.

Altera quam febris consumens (4) Ethica * lecto
De-

(45) * *More solito dicendo, * Benidictio Dei omnipotentis &c*]
(46) Quia de Confessore facturus alba sumpsit paramenta.

Sequuntur correctiones à nobis huic libro factæ:
℣. 1 Magnis, *l.* Magnarum.
13 His, *l.* Hæc.
19 en, *l.* &c.
38 nostrique simul. *l.* nostri pariter.
59 dictum *l.* dictis.
facile *l.* facere.
67 Acta feres, *l.* Anteferens.
76 spatium *l.* sacrum.
85 lactescit, *l.* latescit.
93 An, *l* Haud.
94 Pertusve, *l.* pectusve.
97 Hæc, *l.* Huic.
104 decessique, *l.* discussit &c.
105 ergo, *l.* idque.
106 omne, *l.* adsit.
112 pectore, *l.* pulvere.
113 Quique, *l.* Quoque.
114 dextris, *l.* dextra.
116 contecta, *l.* contexta.
119 quidni, *l.* quin &c.
128 summus, *l.* summa.
161 apertum, *l.* aperte.
163 repensant, *l.* repensat.

NOTÆ AD LIBRUM III.

(1) * *Nam ejus vita fuit nimis agrestis & aspera, quam Auctor in primo libro descripsit seriosè, in illo Capitulo. Est locus Aprutiti.*]
(2) *Mirum* .i. miraculum, ex eo probatur quod instantanee fiat.
(3) Idest, * *miracula*.]
(4) *Hecticam* medici appellant, idest, habitualem & difficilem solvi, vulgaris tamen usus *Ethicam* mavult pronuntiare, absque ullo ad ἦθος (quo mos & consuetudo notatur respectu) quo aliàs posset haud omnino ineptè referri.

Digitized by Google

Defectam recubare facit, nec surgere quamvis
* Illa velit, patitur * sibi vita; favore ministri
55. Sub panno recubans (5) horâ, quem Murro jacenti
Miserat; exurgens, medico diffisa, parentem
Lætificat, gaudetque pium, reveretur & almum.

CAP. VI.

Deformisque manu scrofulâ, signatus ab illo
Sanus abit, curatus eo: tumor ille superstans
60. Detulit morulâ, gallique simillimus ovo.

CAP. VII.

Murro sed assumptus supremi ad culmina fastus,
Destitit haud signis. Mulier contracta per artus
Nec se ferre valens, portata juvamine patris
65. Unde viam facturus erat; signacula dextrâ
Excipiens devota Patris, curatur in hora:
Fœta fides, & fœtus honos, fœtissima merces
Illius incumbens meritis à numine divo.

CAP. VIII.

Curaturque modo simili, perfusa colore
70. Fœmina subcroceo, non fidens gressibus ægra.

CAP. IX.

Postquam etiam solio Papatus culminis Heros
Se posuit, læsum restaurat lumine visum
Crux Patris, linita oculis manibusque potentis.

CAP. X.

Crux pretiosa viro, mortis sub tempore signum
75. Emicuit, sed parva, nitens, vertigine versa
Ostioli medio; non postibus indita, vano
Aëre sed volitans, corpus * quoad inde remotum est.

CAP. XI.

Post obitum secreta * tenens cœlestia pauper,
Dives (6) opum, fidusque potens, donisque refertum,
80. Signa novat. Nam voce carens, linguaque tremiscens,
Quoque actu tremulus, nec firmus gressibus, hærens
Lecticulo (quia membra fluunt, nec pacta (7) resistunt)
Ad loca reductus, miram quibus ille peregit
Vitam eremi, zonamque Patris per singula cinctus
85. Membra, jacens surrexit ovans, laudesque rependit
Sanus, & ex toto morbi discrimina nescit.

CAP. XII.

Sicque alius standi ac gradiendi commoda sensus
Perdiderat, celerisque manus (& tristius) usum:
Ecclesiâ recubans noctu, qua corpus humatum
90. Almifici Murronis erat, de mane resurgens
Se sanum reperit extemplo, seque fatetur.

CAP. XIII.

At brachiis (8) geminæ, noctis phantasmate, tractæ (9),
Perdiderant dextrumque latus: tumuloque jacentes
Ilicet, & meritis Sancti precibusque juvantur.

CAP. XIV.

95. Hæc Clemens decreta dare, * hæc & Bulla sonoris
Pandere (10) literulis. Christi clementia fandi
Quod volitum, * det posse; sciens sic clangere verum,
Ut cupimus fidum. Nam visa fidelibus ex nunc,
Nec suspecta oculis ructabimus (11), agnita dudum
100. His, quibus hæc coram fuerant digesta, quibusve
Hæc impensa, suis nobisque per omnia caris.

CAP. XV.

Quodam quippe die, plenus dulcedine Murro
Ardentisque animi, properabat cedere terris,
Ut fata conspiceret, coleret, perfunderet imbre
105. Mellifluo, vel fortè locum perquireret arctis
Fratribus, aut eremi sese concluderet antro:
Haud aliud quidquam se dignum crederet * unquam,
Montibus in solitis * non pronus (12) currere passim.
Dum juga, saxosis canentibus undique silvis,
110. Pergreditur, bino secum comitante sodali;
Ecce nives celare viam, cœlumque tenebrat
Nix tenebrosa (13) cadens, occurruntque invia fessis
Dum collis se scindit (14) Apex. Procedere Murro
Non valet: at fisus Christique juvamine fultus
115. Transiliit, versusque stetit; sociosque paternè
Ut transire velint hortatur, & ociùs ambos
Sollicitat pavidos, stupidosque videre novellum
Mirandumque Patris: * & ad hæc cunctantibus, inquit,
120. Filius obnixè jam pareat ilicet istic,
Igne calens fidei, baculo subvectus & orans,
Virtutis merito; proprium * quæ subdere mavult
Jussibus alterius volitum. Confidite: tutum
Est iter; & dubios firmabit subdita (15) calles.
His fisi juvenes præcisa pericula transnant,
125. Miranturque virum, nec saltus organa (16) norunt.
Magna animi virtus & magna potentia: liber
Efficeris, si servus eris; servus quoque liber
Erigitur, si libra cadens, sic corruit imis,
Sic latus elatum ventosa per aëra tollat (17).

CAP.

(5) * *Per horam tantùm.*]
(6) * *Dives in futuro, in hoc autem seculo quantum ad divitias temporales pauper: vel etiam Dives nunc, quantum ad divitias spirituales.*]
(7) *Pacta* .i. * *compacta.*]
(8) .i. *Mulieres duæ, * positæ super tumulum statim sanatæ sunt.*]
(9) * *Tractæ* .i. *contractæ.*]
(10) * *Nam in canonizatione Petri, quæ Papæ Clementis Bullâ continetur, hæc miracula posita sunt.*]
(11) *Ructabimus* .i. * *dicemus*] Ita cùm hìc ipse se explicet Auctor, patet quid voluerit eodem verbo utens præcedenti libro ỷ. 52. item l. 2. Actorum ỷ. 461. *murmura ructant.* Nota autem non *ructare*, sed *ruptare* ubique scribi.
(12) Idest, non solitus absque causa vagari per ipsos illos montes, in quibus degebat.
(13) * *Nam licèt nix sit in se alba: tamen cadens facit tempus tenebrosum.*]
(14) Qua enim parte fissus collis aliàs transibatur, nunc via deerat, nive implente hiatum illum.
(15) * *Scilicet virtus humilitatis & obedientiæ*]
(16) * *Quia non viderunt quibus instrumentis, vel quo modo transierint.*]
(17) Miraculum præcedens ab alio nullo auctore indicatum invenitur: sequens etiam habent Alliacus & Maffæus lib. 2. num. 6.

CAP. XVI.

130. Temporibus, quibus ille senex deductus (18) Eoo
Gregorius sublime decus conscendit, & ardens
Concilium venerandum egit Rhodanoque Saonaque
Circumfusa (19) Urbe; hic (20), completis undique votis,
Ad cellam remeare parat, per rura reversus
135. Tam Lucanæ Urbis quamque & Pistorica circum
Culta. Viro juvenis, facie redimitus, & albo
Albus equo residens, crispis rutilantibus auro
Crinibus, & teretis munitus acumine dextra
Hastilis, quod sæpe manu vibrabat & armo,
140. Huic comitem se fecit iens, faturque. Quamobrem
Per loca suspectis, nec pervia gressibus, ultra
Tenditis in mortem, vel magna pericula rerum?
At Petrus & Fratres (nam tres sociantur euntes)
Dixit, & adjuti Christo duce tendimus istac,
145. Quà tutum speramus iter: sit formula nobis
Tutamenque fidele suis. Tunc protinus ille
Obsequium spondens, lætus discessit: euntes
Hortatur. Dum Murro viam procedere tentat,
Tres, quibus incertam dubium (21) committere vitam,
150. Conjunxere sibi. Pavidi comitantur, & illos
Suspectos habuere viros. Proceditur: arctam
Invenere viam. Tunc visa sequentibus apta
Arcta loci species: invadunt quisque Sodalem:
Quos tres famosi (22) tetris thoracibus * angues,
155. Torvi oculos, linguasque vagi, quinore reciso
Invadunt tremulos, illosque * vorare laborant.
Tunc Murro pietate favet, Fratresque vicissim
Orant, quisque suum nec non protexit (23) amicum:
Latronesque viis gradiuntur. At inde citatis
160. Cursibus, & * segni moti pietate, nocendi
Dum se præbet iter concluso limite dirum,
Invadunt iterum pura dulcedine tutos:
Quos etiam divina pios custodia texit
Sic iterum (24). Tunc Murro suos præcedere conans
165. (Nam bullam (25) servare studet, qua vota secutus
Sancta foret validam) sociis subducitur, * ægrè
Consilium (26) ut caperent, pravis quia credere mors est.

Ecce sequens juvenis (27), gestu facieque venustus
Atque hilaris rediens, occurrit, & abdita pandens;
170. An timor invasit? Numquid sociare recessu
Malueram? Nunc ergo viam tendamus, & ecce
Me comitem: tutabor iter, quod nulla timoris
Causa erit: & plexus verborum dulcia, Fratres
Alloquitur, lætusque means, complexus habenas
175. Cornipedis, jaciensque in longum hastile per amplum
Aëra, ceu doctus, nullo conamine dextrâ
Suscipit, atque pedum * stapis (28) calcaria firmat,
Pulcher equus, gestusque placens, formosaque vultus
Est facies, & dulce loqui, sinceraque morum
180. Planities: positosque loco dimittit amicos.
Jam tutis vos stare locis cognoscite, Fratres,
Dixit, & aversus disparuit. Inde serenus,
Protinus hunc Summi Regis laudare Ministrum,
Murro ait, ô quàm mira Dei protectio servis!
185. Angelus altipotens, Cœlo demissus ab alto,
Venit, & afflictos solatus tempore casus
Hic fuit; occurrens non cognitus, * usque supremus
Christus adest dubiis tendentibus ocius Emaus.
Et terræ prostratus Herus suspiria fundit:
190 Fundit, & oppressos ex tunc sacra visa (29) remulcent.
Ergo Deo fidus sis, sperans; ille coërcet,
Ille tegit; firmatque suos, nec deserit Auctor.

CAP. XVII.

Num norat ventura Pater? Sibi conscia puri est
Mens, arcana Dei referans prædicta Latino;
195. Sive Patris letum vicinæ mortis, ut ille
Se potiùs cinerem credat, quàm Cardine fultum;
Sive quod & jussus, ceu Fratribus, ardua cunctis
Scribere Cardinibus fuerat, proponere sacrum
Sedi Pontificem celerent; quòd ni properarent,
200. Ira Dei graviter desæviet, iraque fervens.
Utque (30) illi mors citò venit, sic gloria parvo
Post etiam. Quin Papa manens ventura prophetat
Successori almo, quem Papam jamque futurum
Innuit, ac aliis expressiùs idque revelat.

CAP. XVIII.

205. Pontificis sic ore (31) meat, aliique fatentur O se-

(18) Cur *Gregorium IX.* (de hoc agitur) qui origine Capuanus fuit, *Eoo deductum* dicat Auctor, non caperem, nisi infra ŷ. 236. *Eoos* ipse Auctor marginali glossula interpretetur *Cælestes*. De cœlo ergo datum Gregorium innuit.
(19) Ideft, Lugduni.
(20) Scilicet * *Fr. Petrus*.]
(21) * *Nam erant latrones vel mali homines*.]
(23) *Famosi* videntur his dici, *famelici*, licèt primæ syllabæ quantitas brevis obstet: nam in his non ubiquequaque scrupulosus hic Poeta est, uti non uno exemplo apparuit.
(24) * *Nam Fr. Petrus & socii juvabant illos latrones, ut amicos*.]
(25) * *Quia tertiò latrones eos invaserunt*.]
(25) * *Privilegium Papale quod in Concilio obtinuit*.]
(27) Ita ut hærerent dubii quid esset sibi agendum.
(28) * *Scilicet Angelus qui se primò illis obtulerat*.]
(29) *Stapiæ*, *stapides*, *stapha*, ut re sic nomine veteribus Romanis ignotæ, apud purioris Latinitatis scriptores non inveniuntur: origo vocis videtur esse à teutonico *stap*. vestigium, passus, unde *stappen* gressum figere, passus formare: *opstappen* & *afstappen* ascendere & descendere.
(30) * *Nam semper fuerunt gaudentes de gratia illis facta*.]
(31) * *Nam prophetia verificata est: quia D. Latinus mortuus fuit, & ipse F. Petrus fuit electus in Papam: & videbatur consonare cùm dictum fuit, quòd scriberet Cardinalibus omnibus, tamquam Fratribus*.]

Digitized by Google

O felix! tibi grande datur, tibi grande cupitum:
Præstat Elisæo munus jam verus Elias (32),
Spiritus ut geminus tibi sit, donumque profandi,
Atque ministrandi nobis miracula donum.
210. At tua (33) simplicitas, perfectio, puraque mentis
Religio, devota fides, spes firma salutis
Illo se referant, quòd dulcis, in omnia verax,
Cuncta ævi commissa tui peccamina pandis
Summo Apici: quæ causa senem (34) remanere coëgit,
215. Post cessum Papale decus discedere promptum.

CAP. XIX.

Si majora velis forsan cognoscere, vitam
Inspice: si vitam, veterataque (35) tempora lustra:
Tempora si prudens complecteris, accipe famam:
Si famam respexit odor, tu suscipe Fratres:
220. Si Fratres, & dogma legas: eremi quoque dogma
Si capias, perames: si jam dulcedine tractus
Alliceris, metire tuas per singula vires:
Si vires, exempla legis, sectare: perennis
Tunc pudor, & candor, laxæque modestia linguæ,
225. Paupertas, victusque arctus, frænantia luxum;
Et pietas, modus ac humilis, fraternaque mentis
Integritas, imitanda tibi, veneranda tibique
Occurrent. Ne siste gradum: sed respice cautus,
Quòd lectus sit Summus Apex post (36) tempora, quòdque
230. Tam subitò, tam pauca sciens, tam multa scientum
Auxilio; mundique regens se noverit orbem,
Abjiciens culmen: quòd Fratribus abdita fassus:
[*Nec minus encomio, dignum nec laude minori*]
Censeo, quòd profugus, profugi quòd florida causa:
236. Quòdque volens, nolensque fugam longare vocatus,
Huc (37) rediit, sprevitque nefas; vitavit ineptam
Desidiam; moresque senex complexus Eoos,
Prosequitur; priscamque petens per tempora vitam,
Qua functus Cœlo fruitur, cernitque regentem
240. Cuncta Deum, Christumque Ducem. Non ille (38) rependit
Judicium, quod sæpè datum est, purgavit & auctor
Quod Solii fortasse fuit: limavit & idem (39),
Quæque volens errata comi, dum spirat in alta.

CAP. XX.

Cumque aliis Petri meritis collata retexo,
245. Compellor texendo datum diffundere donum;
Ne velut ingratus sileam, vel forte superbus
Ascribam, vel forte vagus, quæ * munera cepi,
Cum meritis majora suis attingere spes est.
Ecce ego desvetus longo jam tempore Musis,
250. Post quasi quindenum multis currentibus annum,
Assumpsi narrare sacrum super æthera Petrum.
Mira juvans nostris accessit gratia parvis
Versibus. En dudum versus persæpe revolvens,
Quindenos fecisse die lætabar; & auctos
255. Vicenos, rarove magis: nunc orbita nobis
Quadraginta (40) Seni duxit sæpe citato
Scribere, ceu (41) poteram, vel lentus scriberet alter,
Vicenos: puresque pedes quandoque sub hora
Improvisus ego, decies quater orbe volutos,
260. Fundere, ceu lentus * signabam metra figuris.
Materies nec culta priùs, nec carmina dudum
Versa manu: dedimusque dies super omnia quinque
Vicenosque super. Non nobis gloria, nobis,
Sitque Deo Petroque. Viris qui magna capescunt,
265. Hæc modicum fortasse forent: nos dona putamus.
His læti Cœlo positum laudemus: & inde
Cælicolæ fasces, Clerus, populusque sequentes
Dogma Patris, mundique situs, Terræque laboris
Unde ortus, tantique viri primordia surgunt.
Multa quidem, & præclara miracula fecit Cœlestinus Quintus, quæ non sunt in hoc libro, aut non pervenerunt ad aures Auctoris, aut scribere noluit.

ANACEPHALEOSIS.

270. Nunc mihi jam redeo, videorque videre quid egit
Summa Dei pietas, quid gratia, quidve superni
Consilii altiquetudo manens, dum * prendere * Sancti
Tanti fecit opus. Siquidem, qui nescius horum,
Quidve agerem, cœpi, cecini pia consita Petri;
275. Ignarus, quis * tanti Apicis diadema * reportet
Papa sacer, cui pompa sacris alluderet Urbi,
Quisve etiam finis clarescceret undique seclo
Murronis, nosterque Sabas quò tenderet usque;
Quo (42) juvenisque * morarer, avens consumere cœptum,
280.

(32) * *Nam ab ore D. Bonifacii audivit Auctor, quòd Cœlestinus existens Papa innuit sibi quòd esset futurus Papa post eum: & etiam idem expressiùs audivit Auctor ab aliis:*] quæ mirum est, ab aliis scriptoribus non esse observata.

(33) * *Scilicet Christus.*] Hoc verò nisi sic poneretur in margine, merito *Elias* intelligeretur *Cœlestinus*, relinquens *Bonifacio*, tamquam Elisæo spiritum duplicem, docendi & miracula faciendi.

(34) Cœlestinum alloquitur Auctor.

(35) Idest, Cœlestino causa remanendi Neapoli post abdicationem fuit voluntas confitendi novo, cùm esset electus, Pontifici.

(36) Iterum superabundat, *que*.

(37) Idest, post diuturnam Sedis vacationem.

(38) *Huc* .i. in ditionem Pontificiam, imo ad Curiam Bonifacii.

(39) *Deus*] non severè judicavit Petrum, sed purgavit quidquid fortè in Papatu deliquit.

(40) * *Fr. Petrus*] etiam ipse se castigavit, volens expiare omnia sua errata.

(41) * *Fr. Petro.*]

(42) *Morarer* Idest, Quamdiu tardarem consummare cœpta.

Digitized by Google

280. Quove (43) loci: nam (vera loquar) suscepimus, inquam,
Hoc opus, & geminos Nicolao Præside Quarto
Bis (44) tulimus, versusque suo versavimus orbe:
Et quia pomposis phaleris redimire triumphum
Summum animi intentum, tercentum scandere versus
285. Haud spes ulla fuit: tantis moderatio frænat.
Inde more luctus Romanæ Sedis: & illas
Scripsimus, ut lentum poscebat in ordine fatum:
Occurritque Petri miranda creatio, mira:
Mira sed ejusdem Patris decessio nostris
290. Explanata modis: licuit nec carpere (45) pausam,
Carpere, jam dudum nobis ad culmina vectis
Cardinis. Hinc noster Bonifacius ipse triumphans,
Urbe sacra reseratus Apex, post (46) tempora, quidni?
Impatiens novitate sua discurrere metris.
295. Ipse stratus (47) pausare dehinc finemque libello
Ponere nec licuit: post tempus namque repostus
Sideribus sacer ille senex, cognomine Murro,
Extitit, exactis ter quinque labantibus (48) annis.
Occurrit, quàm celsa dies, quàm grata volenti
300. Scribere: nec placidum fuerat dimittere terris,
Quem Cœlo insertum fecit super æthera scribi
Ecclesiæ manibus Deus ipse, potentior omni.
Inde Petri quondam Murronis carmina rarfum
Dum licuit, dum mœsta suum suspectat amicum
305. Sponsa vacans afflicta dolis, solatia casus
Panximus, & Cœlo positum terrisque colendum
Almificum. Nunc ergo pium rogitare (49) Supernum:
Possumus, & divam nobis inflectere mentem
* Præcipuè, ut meritis fulgentia Regna quietis
310. Eius, Omnipotens tribuat Pater, idque coævus
Filius, inspirans nobis det Spiritus almus.
Laudis honos, laudisque decus, laudisque * sonorum
Sit Tribus impensum; sit Petro gloria laudis
Confessori almo, mirè sua carmina danti,
315. Cum quo Cœlicolis juncti regnemus in ævum. Amen. (50)

OFFICIUM DE SANCTO
AB EODEM
JACOBO CARDINALI
COMPOSITUM. (1)

Religiosis viris, amicis carissimis, Priori Generali, Definitoribus Capituli Generalis Ordinis S. Petri de Murrone, Jacobus, miseratione divina S. Georgii ad Velum-aureum Diaconus Cardinalis, salutem & sinceræ dilectionis affectum.

Historiam, quam dudum per nos heroico metro inchoatam, hoc vacationis præteritæ tem-

(43) * *Nam incepit Romæ, & finivit Valentiæ.*]
(44) Idest, quatuor annos quibus sedit Nicolaus Papa IV. impendimus studio Poëtico, intendendo cœremonias Coronationis Pontificalis cujuscumque versibus circiter trecentis complecti.
(45) *Pausam carpere* .i. cessare ab opere: explendi autem versus causâ repetitur verbum *Carpere*.
(46) * *Quia non statim postquam fuit Cardinalis fecit opus Bonifacii, sed plures post annos*, puta sub annum 1300.
(47) *Status* * scilicet *Cardinalitius*.]
(48) Postquam scilicet scripserat opus de Bonifacio.
(49) *Supernum* .i. Sanctum Petrum.
(50) Sequitur consueta clausula: *De celebri S. Petri de Murrone Eremitæ, qui sponte Papatui cedens rediit ad eremum, Canonizatione, liber explicit. Deo gratias Amen.* & additur versus, pluribus scriptoribus claustralibus usitatus post absolutionem alicujus codicis: *Qui scripsit scribat, semper in Domino vivat*: ac denique: *D. Cœlestinus ab Aquila fecit primum*, idest, *scripsit*, haud dubium quin Ordinis ipsius monachus.

Quæ autem in hoc tertio Libro corrigenda putavimus, hæc erant.

℣. 25 lentum, *lego*, lecto.
54 Ille, *l.* Illa.
nisi, *l.* sibi.
77 quid, *l.* quoad.
78 tenent, *l.* tenens.
91 te templo, *l.* extemplo.
95 his, *l.* hæc.
97 dat, *l.* det.
107 inquam, *l.* unquam.
108 ne, *l.* non.
118 nec nec, *l.* & ad hæc.
122 quod, *l.* quæ.
149 sed mittere, *l.* committere.
155 vocare, *l.* vorare.
160 sævi natu, *l.* segni motu.
166 inquam, *l.* ægre.
177 scapiti, *l.* stapiis.
187 atque, *l.* usque.
210 perfecto, *l.* perfectio.
219 suscipe, *l.* suspice.
238 senes complevit, *l.* senex complexus.
247 munere, *l.* munera.
260 signabat, *l.* singulam.
272 pendere, *l.* prendere.
Sanctum tantum, *l.* Sancti tanti.
275 tantus apex diadema reportat, *l.* tanti apicis diadema reportet.
279 moratur, *l.* moraret.
309 Præcipuam, *l.* Præcipuè.
312 sonorus, *l.* sonorum.

Hactenus illa: in quibus fortasse nonnulla inveniet Lector, quæ vel mutata nolit, vel aliter velit in meliusque mutari: quare de interpunctionibus quoque monitum eum velim, nostro arbitrio omnes esse formatas, sæpeque diversissimas ab eis quas egraphum habebat, omni sano sensui contrarias: adeo ut nihil obstet quo minus aliter quidpiam legere vel corrigere quis volens, liberè id agat, absque ullo ad nostras interpunctiones respectu; iis mutatis subinde repertururs quidpiam melioris sensus, quod nos latuit.

NOTÆ AD OFFICIUM.

(1) Ultimo huic opusculo titulum talem Auctor scribit: *Incipit Legenda B. Petri Confessoris atque Pontificis de Murrone*: & Legendam quidem destinaverat sibi dividendam in Lectiones ad Matutinum, sed cur id factum non sit ratio mox redditur in Epistola, quæ in MS. vocatur, *Prologus*, inscriptus, non *Abbati*, sed *Priori Generali & definitoribus Capituli generalis*, idque post electionem Joannis XXII. factam anno 1316. 5. Septembris: meminit enim Auctor *Vacationis præteritæ*. Quis autem ille *Prior Generalis*? Lelius Marinus lib. 4. cap. 11 in fine *Matthæum de Comena nominat*, quasi is Ordinem rexerit *Generalis Abbas* toto sexennio ab anno 1314. ad 1320. Viderint Patres Cœlestini, utrum *Generales* sui, quatenus toti Ordini præerant, non fuerint initio dicti *Priores*: vix enim fieri potest, ut in titulo erraverit Cardinalis, stylo Curiæ assuetus, adeoque pro more Romanorum Curialium in titulis definiendis accuratissimus.

Digitized by Google

tempore devotione perfecimus; vitam, mores, regulam, electionem ad Papatum, gesta in eo, renuntiationem, obitum, canonizationem; postremò quoque miracula Sancti Patris, Confessoris atque Pontificis, Fratris Petri de Murrone, quondam Cœlestini Papæ V. Ordinis vestri ac observantiæ præcipui sub B. Benedicti regula Fundatoris, ardua (ni fallimur) rhetorica, veridicaque descriptione suffultam; succinctamque prosam, ejusdem historiæ materiam enodantem, Vobis primò ac Ordini vestro destinare decrevimus. Sed negotiorum occupatio multiplex, dum præfati correctioni operis nos ad plenum non permisit intendere; fuit causa, ne nunc Vobis ac Ordini vestro correctum idem mitteretur opusculum narrativum. Verùm ne interim nostræ devotionis modulus sileat, quin imò sub dulcis harmoniæ musica ipse vesterque chorus eidem egregio Confessori laudibus jubilet; Responsoria tria, unà cum Versibus, Alleluja in litera cantuque, & Orationes tres per nos compositas de ipso Confessore, per Fratrem Petrum de Romano, (2) Priorem Monasterii S. Mariæ de Collemadio, Ordinis vestri, latorem præsentium, qui nuper pro negotiis ejusdem Ordinis ad Romanam Curiam venerat, destinamus. In ejusdem igitur Sancti laudem & gloriam, quæ mittimus, gratè suscipite, illaque ipsius festivo applicetis (3) Officio decantanda; non devotionem ex munere, sed (ut quæsumus) utcumque munus ex nostra devotione pensantes; illumque mihi apud Deum vestris precibus intercessorem adhibete propitium, quem & se rogari pro me peccatore, quemq; pro me se intercedere dignari confidimus exoratum. Datum &c.

Responsorium I.

Te cultorem eremi, sponsionis nostræ veneramur exordium: cujus veritatis flagrans simplicitas, seu nubes cœli fontibus referta, * mellea defluebat & rorida. Alleluja. (4) ℣. Nam mira tibi in peccatorum reductione suavitas, vitâ trahens, & morte (5) retrahens; verbo regens, exemplo erigens. Mellea defluebat &c.

Responsorium II.

Fit Monachus, qui Papa fuit; simplexque Sacerdos, Præsul; & inclinans aliis. * cui Regia Sceptra paruerant. Alleluja. ℣. Imperii diadema sacrum mitræque bicornes: Cui &c.

Responsorium III.

Nos tuis, Pater, laudibus impares, tua juvari prece deposcimus: ut quem adeptum cœlestia pangimus * Te virtutis humilitate sectemur. Alleluja. ℣ Nam omnis, qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. * Te virtutis &c. Gloria Patri.

Alleluja.

O felix! Papale decus supremaque calcans,
Quæque supergressus, vincensque per omnia luxum
Ingrederis cœleste solum, terrasque supernis
Commutas, & fine probas te attingere palmam.

Oratio.

Grata tibi quæsumus, Domine, B. Petri Confessoris tui, atque Pontificis, pro nobis apud te intercedat oratio, quæ & nos humilitatis ejus imitatores efficiat, & ad ipsius consortium felicitatis adducat. Per Dominum nostrum &c.

Secreta.

Nostræ devotionis obsequium, Deus, miseratus admitte, quod intercedente B. Petto Confessore tuo atque Pontifice, tanto Majestati tuæ reddatur acceptius, quanto majoris patrocinii interpellatione fulcitur. Per Dominum nostrum &c.

Post-communio.

Sumpta, misericors Deus, Cœlestia nos Sacramenta purificent, quæ hodierna die, pro honore tuo, in B. Petri Confessoris tui atque Pontificis sanctificatione percepimus reverenter. Per Dominum nostrum &c.

Antiph. ad Magnificat. (6)

Alme Pater, natos memora, quos sacra profudit
Relligio, memoransque doce, doctosque reserva,
Ne pereant, sed eant, in Cœlum dirige calles. Alleluja.

Antiph. ad Benedictus.

Te Cœlo insertum nobis assistere terris
Poscimus, ut celebrem sectemur in ardua Patrem. Alleluja, Alleluja. (7)

VITA EJUSDEM

COELESTINI PAPÆ V.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

COElestinus V. conversatione Heremita Natione de terra laboris Oriundus propè Sulmonam, inopinatè sanè eligitur ad Papatum VII. Kal. mensis Julii anno Domini MCCXCIV. in Perusio civitate, ubi Cardinales se transtulerunt de Roma post mortem Nicolai Papæ IV. Fuit coronatus in Aquila civitate in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Collo Madio, Festo decollationis Sancti Johannis Baptistæ, seditque anno quasi dimidio. Vacavit autem Sedes diebus XI. Ipse siquidem in vigilia Sanctæ Luciæ, scilicet pridie Idus Decembris, cessit Papatus oneri & honori, & in sequenti vigilia Natalis Domini Benedictus Cardinalis in Papam eligitur, & Bonifacius appellatur, Anno Domini prætaxato MCCXCIV.

Hic Cœlestinus priùs vocabatur Frater Petrus de Murrone de Ordine, qui à plerisque dicitur Sancti Damiani, sub Regula Sancti Benedicti Abbatis, qui quasi Heremita degebat in magna austeritate, multos habens discipulos in illis circumvicinis partibus, quibus ipse præerat tanquam pater.

Hujus

(2) Licèt sub ditione Veneta duo sint loca, dicta *Romanum*; item *Romanium* alius, vulgo *Romagno*: tamen patriam, unde hic *Petrus* nomen habet, potius crediderim in Regno Neapolitano quærendam.

(3) Opto discere an hæc fuerint umquam ad usum chori recepta à Patribus Cœlestinis: diu certè est quòd in usu non fuerunt.

(4) Additur *Alleluja*: quia fere semper in tempus Pascale incidit festum S. Petri.

(5) * *Idest, à morte.*]

(6) MS. sic habet: *Sequentes duas Antiphonas idem Jacobus Cardinalis, Diaconus S. Georgii ad Velum-aureum composuit, post confectam primam Epistolam positam in principio libri*: hinc fit quòd in Prologo præmisso non fiat mentio Antiphonarum.

(7) Denique in calce libri eadem illa Epistola sub eodem quo primum titulo retexitur, nescio qua de causa, nisi ad denuo testandum affectum Auctoris erga Ordinem, occasione prædictarum Antiphonarum, anno forsan 1320. aut seriùs missarum.

Digitized by Google

Hujus electio fuit tam miranda, quàm inopinata. Perstiterant enim duobus annis & ampliùs Cardinales sic fixi, atque divisi in voluntatibus, & in votis, quòd in unum non poterant convenire. Tandem in hunc Fratrem Petrum de Murrone, cujus famam sanctitatis, & odorem bonæ opinionis aliqui ex ipsis audiverant, tanquam in lapidem angularem suos oculos dirigentes, ex improviso priùs in ipso pariter convenerunt, ipsumque comiter elegerunt in Perusio, miseruntque inde electionis suæ decretum ad ipsum, quia tunc erat in partibus Apuliæ, seu Abrucii in suo habitaculo colens Deum. Postmodum venerunt ad ipsum, fuitque in civitate Aquila consecratus. Deinde venit Neapolim, ubi cum Cardinalibus suis sedit. Fecitque ibidem Ordinationem unam Cardinalium XII. satis magnam. Inter quos ex suo ordine fratres duos elegit, & constituit Cardinales.

Hic homo Dei in rebus sæcularibus minùs expertus, Theoriæ ac orationi magis deditus fuit; eligitque ipse abjectus esse in domo Domini, & habitare secum. Unde edita à se priùs constitutione, quòd Papa Romanus posset Papatui resignare, ipse in conspectu Fratrum Cardinalium in vigilia Sanctæ Cœciliæ in Neapoli resignavit Papatus oneri & honori, deponens insignia, & se exuens Papalibus ornamentis. Exemplum tantæ humilitatis & abjectionis voluntariæ relinquens posteris, à nullis ut reor, aut paucissimis imitandus, cunctis verò plurimùm admirandus. Unde non tam suam electionem, quàm resignationem admirati sunt universi. Quòd si dicatur miraculum, quia rarum est & insolitum evenire, miraculosa ejus resignatio orbi proponitur in exemplum.

Hic post cessionem suam fugere voluit & latêre, & redire ad heremum sicut priùs; sed per missos à Bonifacio successore suo comprehensus in fuga reducitur, & in custodia ponitur, & tenetur. Cautiùs siquidem in hoc Bonifacius præcavendo quod sibi & Ecclesiæ accidere potærat scandalum, si memoratus Domnus Cœlestinus ab aliquibus pro Papa deinceps haberetur. Quod ex pluribus quæ tempore ipsius Bonifacij Papæ facta fuerunt in depositione duorum Cardinalium de Columpna quæ per ipsum in Regno Franciæ fuerunt attemptata verisimiliter timebatur. Maximè quia aliquibus dubium videbatur vtrum Papa potuerit Papatui resignare. Ex quo poterat Schisma in Ecclesia generari præsertim quòd ipse (1) erat pluribus odiosus. Supervixit autem anno uno Mensibus IIII. & XXVIII. diebus. Hic itaque Cœlestinus Papa Frater Petrus de Murrone priùs & posteriùs nominatus tentus in custodia, non quidem libera successoris, in castro Fumonis moritur, Sabbato infra Octabam Pentecostes, scilicet XIIII. Kalendas Junii, & in quodam Monasterio sui ordinis, quod dicitur Sancti Anthorii de Ferentino juxta majus Altare in Ecclesia sepelitur Anno Domini MCCXCVI.

Iste vir Sanctus fertur, & creditur in vita sua, & post mortem miraculis claruisse. De cujus Canonizatione facienda postmodum apud magnos viros in Curia fuit sermo habitus & tractatus, fuitque propositus aliquotiens in consistorio coram Papa publicè, & privatim tempore Clementis Papæ V. Fuerunt, conscripta miracula multa & oblata examini ad hoc ipsum, fuitque postmodum Canonizatus, & sub nomine Sancti Petri Confessoris Sanctorum Confessorum Catalogo annotatus per Clementem Papam V. apud Avinionem III. nonas Maji in Sabbato, Anno Domini MCCCXIII. à transitus verò sui anno XVI. (2) Fuitque instituta ejus festivitas celebranda XIII. (3) Kalendas Junii qua die transiverat de hoc Mundo.

Anno Domini MCCXCIV. oritur guerra & discordia inter Regem Franciæ Philippum & Angliæ Odoardum in partibus juxta (4)..... Vasconiæ in qua plurimi perierunt. (5)

Eodem Anno Obiit Frater Latinus Ordinis Prædicatorum Cardinalis Episcopus Ostiensis paulo ante resignationem Cœlestini Papæ. Cujus electionis ipse post Deum fuerat motor primus

VITA
BONIFACII PAPÆ VIII

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Bonifacius VIII., natione Campanus de Anagnia Civitate fuit electus in Papam in Civitate Neapoli, in Vigilia Natalis Domini, anno ejusdem Domini MCCXCIV., suo prædecessore vivente. Sedit annis VIII. mensibus quasi novem. Vacavit Sedes diebus X. Hic nominatus est Benedictus Gaetani, qui fuerat priùs Diaconus Cardinalis, & demum tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis, fuitque Bonifacii nomine alteratus (1). Incœpit autem quadam singulari via suam potentiam, & Papalem magnificentiam dilatare: Cujus Prædecessor Cœlestinus miracula operatus est in vita sua, & post mortem. Ipse verò Bonifacius fecit mirabilia multa in vita sua. Sed ejus mirabilia in fine mirabiliter defecerunt.

Hic Bonifacius Papa Pontificatus sui anno primo, Anno Domini MCCXCV. statuit festa Apostolorum, & quatuor Evangelistarum, ac quatuor Doctorum, scilicet Gregorii, Augustini, Antonii, ac Hieronymi sub honore festi duplicis ab omnibus universaliter celebrari. Eodem anno Adulphus Rex Alamanniæ Vicarium suum in Tuscia constituit, & transmisit Dominum Johannem de Cabilione, (2) quem Bonifacius Papa favorabiliter recepit.

Anno Domini MCCXCVI. Idem Bonifacius fecit, & erexit Villam Apamiensem in novam Civitatem, constituitque ibidem in Abbatia Sancti Antonini Canonicorum Regularium esse in perpetuum Ecclesiam Cathedralem, Dominum Bernardum Sayssèti Abbatem instituens primum Episcopum in eadem. (3)

Anno Domini MCCXCVI. Bonifacius Papa cœpit processum facere contra Columpnenses occasione & causa, quia Stephanus de Columpna thesaurum ejusdem Papæ fuerat deprædatus. Deinde Domini Jacobus, & Petrus de

COELESTINUS.

(1) *Papebroch. addit.* Bonifacius.
(2) *Papebroch.* an. XVII.
(3) *Papebroch.* XIV.
(4) *Papebroch. rem clariùs explicat* in partibus maximè Vasconiæ.
(5) *Cætera quæ sequuntur desunt in Papebroch.*

BONIFACIUS.

(1) *Papebroch.* appellatus.
(2) *Papebroch.* de Cabillone.
(3) *Papebroch. notat. Institutionis hujus Bullam, datam* Anagniæ XVI. Kal. Octobris Pontificatus anno I. *videre licet apud Sanmarthanos Tom. II. Galliæ Christianæ.*

Digitized by Google

de Columpna patruus, & nepos Cardinales, videntes contra se motum Papam, libellum famosum conficiunt contra ipsum, quem ad multas partes dirigunt, asserentes in eodem ipsum non esse Papam, sed solummodo Cœlestinum. Unde citati à Bonifacio Papa non duxerunt comparendum, & facti sunt contumaces; Ob quam causam tandem per eundem fuerunt in consistorio tanquam Schismatici condempnati, & privati capellis rubeis, & omnibus beneficiis Ecclesiasticis, & præbendis, & omni Cardinalatus titulo, commodo, & honore. Insuper bona ipsorum, & filiorum Johannis de Columpna, videlicet Agapiti, & Stephani, & Syarræ fuerunt pariter confiscata in die Ascensionis Domini Anno ejusdem Domini MCCXCVII. Et super hoc idem Bonifacius Papa constitutionem edidit decretalem extra (4) de Schismaticis lib. VI. *ad succindendos* (5).

Prædicti verò Jacobus & Petrus de Columpna fugientes à facie Bonifacii persequentis, multo tempore latuerunt, donec idem Bonifacius fuit mortuus, & sepultus.

Eodem Anno Domini MCCXCVII. III. Idus Augusti in Dominica die in Urbe-veteri idem Bonifacius Papa Pontificatus sui anno III. canonizavit Sanctum Ludovicum Regem Francorum, & Sanctorum Confessorum Cathalogo annotavit (6). [Eodemque Anno Domini MCCXCVII. III. Kalendas Januarii Bonifacius Papa Pontificatus sui anno III. Instituit in Ecclesia Cathedrali Sanctæ Cæciliæ Albiensi ut essent ibi deinceps Canonici Sæculares, qui antea Regulares Canonici vocabantur, & fuerant annis multis Domino Bernardo de Castaneto tunc Episcopo Albiensi id ipsum sollicitè procurante]. Eodemq; Anno Domini MCCXCVII. in fine ejus anni, scilicet V. nonas Martii Pontificatus sui anno IV. Idem Bonifacius Papa fecit publicari sextum librum Decretalium, quem per tres (7) viros fecerat compilari, plura nova constituens in eodem.

Anno Domini MCCXCVIII. Adulphus Rex Alamanniæ, & Romanorum exercitum aggregat contra Albertum Ducem Austriæ, & ejus sequaces, qui fuit filius quondam Radulphi Regis Alamanniæ, pugnaveruntque simul, in qua pugna Adulphus occiditur, & sui in fugam convertuntur. Eodemque anno congregati Electores Imperatoris Aquis Grani (8) elegerunt in Regem Alamanniæ, & Romanorum Albertum prædictum Ducem Austriæ (9). Eodem anno Bonifacius Papa reconciliavit sibi, & Ecclesiæ Alphonsum Regem Aragonum, & absolvit eum à Sententia excommunicationis, & Regnum Aragonum sibi restituit, Regnumque Sardiniæ sibi concessit sub certis conditionibus, & pactis. Anno Domini MCCXCVIII. Bonifacius Papa Reate cum sua Curia residente Dominicâ primâ Adventus Domini, in Festo Sancti Andreæ Apostoli incœpit Reate, & vicinis partibus vehemens terræmotus, qualem & quantum nullus tunc vivens viderat prius, diruitque multa ædificia in plerisque locis, multosque peremit, multisque diebus & noctibus perduravit, non quidem continuè, sed per plures vices in die pariter & in nocte, timoremque non modicum incussit Papæ, & Cardinalibus, & toti Curiæ; confugitque Papa ad Claustrum Fratrum Prædicatorum Reatæ, qui in altiori, & solidiori loco positi erant, ubi in prato Claustri facto tentoriolo festinanter de subtilibus asseribus quievit. Homines verò de nocte ibant & fugiebant ad campos sub dio manentes, ædificia ne super se corruerent formidantes, in timore magno expectantes, cadebantque passim homines & jumenta, cùm terra tremeret, & motibus nutaret insolitis. In illis autem diebus, eademque hebdomada prima Adventus Domini, pridie Nonas mensis Decembris Bonifacius Papa assumpsit IV. ad Cardinalatum, Archiepiscopum Tholetanum, Dominum Ricardum de Senis, Dominum Theodericum Viterbiensem, & Fratrem Nicholaum de Trivisio Magistrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, quem fecit primò tunc Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & postmodum verò aliter fecit Fratrem Johannem de Murto Generalem Ministrum Fratrum Minorum Cardinalem Episcopum Portuensem, & Petrum Hispani Cardinalem Episcopum Sabinensem.

Anno Domini MCCXCIX. Albertus Rex prædictus Theutoniæ Solempnes mittit ad Curiam pro confirmatione electionis suæ, quam Bonifacius Papa multis tunc rationibus (10) repulit, & ipsam dixit penitus nullam esse.

Anno Domini MCCC. Bonifacius Papa concessit Plenam indulgentiam omnium peccatorum omnibus visitantibus limina Apostolorum Petri, & Pauli Romæ, & facientibus ibidem quindenam infra annum ipsum. statuitque eandem indulgentiam inposterum in omni anno centenario ab omnibus visitantibus eadem Sacra Limina sic haberi, factusque fuit concursus maximus populorum Romæ de toto orbe de omni conditione, sexu, & ordine ad indulgentiam supradictam. (11)

Anno Domini MCCCI. tempore apparuit cometa in Occidentali parte in signo Scorpionis, quæ aliquando ad Orientem, aliquando verò ad Meridem suos radios emittebat, duravitque per mensem.

Eodem anno MCCCI. in vigilia Beatæ Mariæ Virginis vel secunda die introitus mensis Martii obiit Rogerius Bernardi Comes Fuxi apud Tarasconem in Savertesio, fuitque sepultus in Abbatia de Balbona Ordinis Cisterciensis. Eodemque anno Domini MCCCI. Bonifacius, qui contra Regem Franciæ Philippum plura conceperat, provocatus transmisit literas cum Bulla sua eidem Regi ad perpetuam rei memoriam, in quibus mandabat eidem quòd cùm ipse Papa esset Dominus in temporalibus, & Spiritualibus in universo mundo, volebat quòd recognosceret Regnum Franciæ ab eodem, & contrarium tenere & sentire hæreticum judicabat, fueruntque literæ hujusmodi in Ecclesia Dominæ nostræ Parisius coram pluribus Prælatis & Baronibus concrematæ & sine honore remissi vacui Nuncii qui portaverant. Ex tunc Rex arctari fecit omnes vias & exitus Regni sui.

Eodemque anno Papa excomunicavit omnes, qui impediebant illos, qui veniebant ad Curiam Romanam, eodemque anno cujusdam corpus Armanni, quod annis XXXI. tanquam Sanctum

(4) *Papebroch.* ex tunc.
(5) *Papebroch* Ad sustinendos &c.
(6) *his signis* [ ] *inclusa verba* Papebroch. *non habet*.
(7) *Papebroch.* per tres magnos, & solennes viros &c.
(8) *Papebroch. addit.* Leodiensis Diœcesis.
(9) *Quæ reliqua sunt in hoc capite usque ad initium alterius Papebroch non habet*.
(10 *Papebroch. pro* rationibus, *leg* compulsus.
(11) *Post* supradictam *statim Papeb. leg.* Papa excommunicavit omnes &c. *interposita omittens*.

Digitized by Google

ctum in Ecclesia Ferrariense extiterat veneratùm, fuit studio, & mandato Inquisitorum hæreticæ pravitatis in aliis partibus exhumatum pariter & combustum, tanquam hæretici & codempnati & ejus ara pretiosa satis fracta fuit publicè & destructa. Inquisitor, autem, qui erat illo tempore Frater Guido de Ordine Prædicatorum factus fuit postmodum Episcopus Ferrariensis.

Anno verò Domini MCCCI. in fine scilicet Quadragesimæ Philippus Rex Franciæ considerans quod prævisa jacula minus feriunt, minus ledunt, convocavit omnes Prælatos & Barones personaliter, omnesque Communitates (12) Regni sui per procuratores idoneos, & ad se Parisius venire coëgit, & auxilium ab eisdem contra omnem hominem petiturus, specialiter autem contra Papam Bonifacium intentio ferebatur, fuitque rumor magnus in toto Regno, turbatio cordium, & confusio rerum, fueruntque ipsi Bonifacio Papæ objecta crimina, & titulus hæresis, suoque prædecessore vivente intrusio, & ingressus illegitimus ad Papatum & quòd ei non erat parendum; fitque contra ipsum Papam provocatio ad Concilium Generale. (13) Anno Domini MCCCII. Mense Junii prope Cameracum contractum campale bellum Gallicorum pro parte Regis Franciæ contra Flandrenses, qui diu ante rebellaverant (14). Cessitque ibi fortuna inopinata Flandriensibus, & casus, ac ruina Gallicis tam mirabiliter, quàm miserabiliter, cùm flos militiæ Gallicanæ ceciderit, non tam virtute hostium, quàm incautela pugnantium Gallicorum, irruentium inconsultè, ibique mortuus est Robertus Comes Attrebacensis & Radulphus de Vigella Conestabulus Franciæ, aliique plurimi nobiles, milites, & Barones in foveis & fossatis, unde cùm ceciderant surgere minimè prævalebant. Mortuique fuerunt plurimi in exercitu Gallicorum.

Eodemque anno D. prætaxato MCCII. (15) in Kalendas Novembris Romæ Bonifacius Papa celebravit Concilium, quod ante annum & ampliùs convocaverat in præsentia Prælatorum Regni Franciæ, omniumque Doctorum, (16) tam in Theologia, quàm in utroque jure Canonico, & Civili contra Philippum Regem Franciæ memoratum. Coruscationibusque Papæ multis præviis contra Regem, nulla pluvia apparuit subsequuta, defeceruntque sibi (17) Prælati aliqui magni in Regno quærentes quæ sua sunt, & sibi ipsis ad tempus tantummodo consulentes.

Anno Domini MCCIII. Bonifacius Papa Regi Franciæ movit litem, ipsumque excommunicat indirectè quòd non permittebat aliquem exire de Regno versùs Romanam Curiam liberè, nec pecuniam asportari; ob quam causam idem Bonifacius Albertum quondam Radulphi Ducem Austriæ Regemque Alamanniæ, cujus electionem (18) antea repulerat, in Imperatorem confirmat, eidem subjiciens Regnum Franciæ, sicut & alia Regna; eodemque anno Domini MCCCIII. in vigilia Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis in Septembri dum Bonifacius Papa Anagniæ in patrio solo, ac civitate propriæ originis cum sua Curia resideret, ubi tutus esse ampliùs meritò crederetur in gente sua, & populo, & natione, ibidem, consciis aliquibus domesticis suis, proditus fuit, captus fuit, atque detentus, & thesaurus suus, & Ecclesiæ deprædatus, & asportatus, non sine ignominia Ecclesiæ, & dedecore grandi. Cardinales verò sibi timentes, relicto eo, fugerunt, duobus exceptis, scilicet Domino Petro Hyspani Sabinensi, & Domino Nicholao Ostiense Episcopis. Hujus captionis, & sceleris vexillifer fuit Guillelmus de Nogareto de Sancto Felice Diœcesis Tholosanæ, complicibus (19) & consentaneis Columpnensibus, ex quibus duos olim decapellaverat Cardinales; super ipsum itaque Bonifacium, qui Reges & Pontifices, & Religiosos, Clerumque, & Populum.... (20) tremere fecerat & pavere, repentè timor, & tremor, ac dolor una die pariter irruerunt, aurumque nimis sitiens aurum perdidit & thesaurum, ut ejus exemplo discant Superiores Prælati non superbè dominari in Clero, & Populo, sed formâ facti gregis, ex animo curam gerentes subditorum, plus amari appetunt, quàm timeri.

De Anagnia verò ereptus de manibus capientium Romam perductus XXXV. die à captione sua, in lecto doloris & amaritudinis positus, inter angustias spiritus, cùm esset corde magnanimus, obiit Romæ V. Idus Octobris; sequenti verò die fuit in tumulo, quem sibi vivens præparari fecerat tumulatus in Ecclesia Sancti Petri anno Domini MCCCIII. Pontificatus sui anno nono.

VITA
BENEDICTI PAPÆ XI.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Benedictus XI. natione Lombardus, de Trivisio civitate, fuit electus in Papam Romæ XI. Kalendas Novembris, & coronatus ex more die Dominica subsequenti, quæ fuit in vigilia Apostolorum Symonis & Judæ, anno Domini MCCCIII. sedit mensibus VIII. diebus XVII. vacavit Sedes mensibus X. diebus XXIX.

Hic priùs vocabatur Frater Nicholaus de Ordine Fratrum Prædicatorum (1), in quo à primævo juventutis suæ anno XIV. ætatis suæ religiosè enutritus & conversatus, Lector extitit annis multis, & Prior Provincialis postmodum Lombardiæ, & inde Magister ejusdem Ordinis effectus, ac de Magisterio ad Cardinalatum assumptus existens, Cardinalis Episcopus Ostiensis assumitur ad Papatum.

Hic Benedictus Papa Pontificatus sui anno primo fecerat Cardinalem Episcopum Ostiensem Fratrem Nicholaum de Prato Ordinis Prædicatorum, tunc Episcopum Spoletanum, in jejuniis IV. Temporum in Adventu Domini, & Fratrem Guillelmum Anglicum Magistrum in Theologia, quem viventem tunc esse credebat in Anglia, ubi tamen obierat in præcedente æstate. In quo attende rem novam aliàs inauditam nostris temporibus accidisse, ut quis mortuus efficeretur Cardinalis Romanus.

Postea in sequentibus jejuniis IV. Temporum post

(12) *Papebroch.* Comitatus.
(13) *Hinc Papebrochius non habet usque ad initium cap. seq.*
(14) *Adest varia lectio:* qui Regi & adhuc rebellabant.
(15) *Papebroch.* MCCCIII.
(16) *Papebroch. addit.* Regnicolarum.
(17) *Papebroch.* ibi.
(18) *Papebroch.* confirmationem.
(19) *Papebroch.* compluribus civibus, &c.
(20) *Papebroch. supplet* horrendè.

BENEDICTUS.

(1) *Papebroch. à verbo* Prædicatorum *usque ad illa.* Hic B. P. excommunicavit publicè &c. *nihil habet.*

Digitized by Google

post cineres loco præfati Fratris Guillelmi fecit Cardinalem Presbyterum Fratrem Galterum Anglicum de Ordine Prædicatorum Eduardi Regis Angliæ Confessorem.

Anno Domini MCCCIII. in Natali Domini Philippus Rex Franciæ cum uxore sua Johanna & tribus filiis suis, scilicet Ludovico Primogenito, Philippo, & Karolo, fuit Tholosæ, ubi stetit per unum mensem. Inde verò per Carcassonam, Narbonam, Bitturim, & Montem-Pesulanum, & Nemausum in Franciam est reversus.

Hic Benedictus Papa denuntiavit excommunicatos publicè & in scriptis auctores sceleris, & captionis prædecessoris sui Bonifacii Papæ VIII. nominatim, & expressè Guillelmum de Nogareto, Scyarram de Columpna, & quosdam alios nominatim, & generaliter omnes alios complices captionis, & facinoris cum eisdem, quos ipse Benedictus Papa tunc Cardinalis existens fide viderat oculata. Hic Papa reconciliavit ad Ecclesiasticam unitatem, non tamen ad Cardinalatum restituit Jacobum & Petrum de Columpna, restituens eis illa, quæ ipsorum fuerant, quæ Ecclesia tunc tenebat.

Anno Domini MCCCIV. post Pascha Benedictus Papa recedit de Roma & vadit Perusium cum Curia sua. Hic quoque Benedictus simultatem & diffidium, quæ suborta fuerant inter Regem Franciæ Philippum, & Bonifacium Papam sedavit, & privilegia, ac libertates, quibus Regem privaverat Bonifacius prædecessor, eidem Regi restituit, & concessit sicut antiquitus, in hebdomada Pentecostes, præsentibus Regis Nunciis, Perusii in Consistorio, anno Domini prætaxato MCCCIV. Item idem (2) edidit quamdam Constitutionem, quæ incipit. *Quidam olim &c.*, qua restrinxit pœnam Constitutionis Bonifacii Prædecessoris sui, (3) [quæ incipit *Clericis laycos* lib. VI. decernentem, nunc in solventibus pœna dictæ Constitutionis Bonifacii] non vendicet sibi locum.

Hic Benedictus obiit in Perusio Nonis (4) Julii, Pontificatus sui anno primo, sepultusque fuit in domo Prædicatorum Perusii ante Altare, anno Domini MCCCIV. ubi Divina virtus, & bonitas ejusdem, gratiâ Benedicti & nomine merita, cœpit evidentibus miraculis declarari, maximè in dæmonibus expellendis de corporibus obsessorum, & in multis infirmitatibus, & languoribus propulsandis, quorum quædam non pauca evidentia & probata, alibi scripturæ memoriæ sunt mandata. Vacavit autem Sedes à prædicta die per illum annum sequentem usque ad V. diem mensis Junii, Cardinalibus stantibus inclusis, non valentibus illo tempore concordare, quamvis à Perusinis pluries restricti fuerint & arctati.

VITA
CLEMENTIS PAPÆ V.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Clemens V. natione Vasco de loco, qui Vinhandraum (1) dicitur Burdegalensis Diœcesis oriundus, ex patre Bernardo (2) milite, fuit electus in Papam in Perusio in vigilia Pentecostes, quæ fuit Nonis Junii, anno Domini MCCCV.

Hic priùs vocabatur Bertrandus Del-Got, seu de Gotho. Hic fuit primò Episcopus Convenarum factus per provisionem Bonifacii VIII. anno Domini MCCXCV. fuitque Convenarum Episcopus annis V et exinde transtulit ipsum idem Bonifacius Papa in Burdegalensem Archiepiscopum, paulò ante Natale Domini, anno ejusdem Domini MCCXCIX. ubi jam sederat Archiepiscopus annis quasi VI., & tunc temporis suam provinciam in Pictavia visitabat.

Cùmque Cardinales pro electione Summi Pontificis in Perusio inclusi stetissent mensibus XI. & arctati, divisi in partes æquales, non est inventus in eis lapis aliquis angularis, qui utrumque parietem conjungeret, unumque faceret ex eisdem. Tandem versùs Occidentem dirigentes contuitum, in istum Burdegalensem Archiepiscopum suos oculos erexerunt, & Summum Pontificem elegerunt. Rediit autem de Pictavia Burdegalam Idibus Mensis Julii subsequentis, receptusque Burdegalis processionalitèr à toto Clero, & Populo cum ingenti gaudio, & honore totius Civitatis, ac patriæ, undique concurrentibus Baronibus, & Prælatis, adhùc tamen more tantùm Archiepiscopi se gerebat, ut priùs, electionis suæ decreto nondum recepto, quod postea missum sibi à Cardinalibus de Perusio recepit in Burdegala in crastino Sanctæ Mariæ Magdalenæ secretè. Sed palàm & publicè sequenti die, scilicet XI. Kalendas Augusti in præsentia Prælatorum, & Magnatum in Burdegalensi Ecclesia Cathedrali, ubi sedens in Cathedra vocari Clemens voluit, & elegit, & ex tunc agere, & gerere cœpit sicut Papa. De Burdegala verò recessit in fine sequentis mensis Augusti, versùs Lugdunum dirigens gressus suos, pertransiens per Agennum, & Tholosam, ac Montepesulanum, Cardinalesque ad se vocavit; fuit autem coronatus solempniter in Lugduno in Ecclesia Sancti Justi, Dominicâ infra Octabas Sancti Martini, in crastino Sancti Bricii, in XVIII. Kalendas Decembris, literâ Dominicâ E. tunc currente: Ubi Philippus Rex Franciæ fuit præsens cum sua nobili comitiva. Cùmque de loco coronationis ut Pontifex procederet coronatus cum comitiva Papali pariter & Regali, concurrentibus, & comprimentibus se turbis, ut viderent tanquam Regem Salomonem in suo diademate coronatum, depulsa materia (3) cujusdam muri non magni corruit prope Papam, ac etiam circumstantes occidit, ceciditque ibi corona de capite ejus: in casu avulsus fuit carbunculus pretiosus, cujus pretium dicebatur sex millia florenorum. Et ipse Papa depositus est de equo, sed minimè fuit læsus; fuerunt tamen de circumstantibus usque ad XII. sic collisi, quòd infra paucos dies obierunt, inter quos unus fuit major, & præcipuus Dux Britanniæ Johannes, qui sic collisus paucis diebus supervivens, diem clausit extremum; Frater verò Regis Franciæ Dominus Carolus fuit graviter, sed non lethaliter concussatus, ex quibus mirati sunt universi, & more vulgi multi plurima præsagabant.

Hic

(2) *Papebroch.* pro idem legit ibidem.
(3) *Verba his signis* [ ] *interposita Papebroch. non habet.*
(4) *Papebroch.* II. Nonas.

CLEMENS.
(1) *Papebroch.* Villendraut.
(2) *Papebroch.* Bertrando.
(3) *Papebroch.* maceria.

Digitized by Google

Hic eodem anno Domini, Pontificatus quoque sui anno primo, in Adventu Domini subsequenti, XVIII. Kalendas Januarii, in Lugduno fecit decem novem Cardinales, (4) inter quos fuerunt Petrus de Capella Episcopus Tholosanus, postmodum Penestrinus, Berengarius Fredoli Biturensis Episcopus, postmodum Tusculanus, Arnaldus de Cantalupo electus Burdegalensis, Frater Thomas Anglicus Magister in Theologia Tituli Sanctæ Sabinæ, Frater Nicholaus Confessor Regis Franciæ Tituli Sancti Eusebii, ambo de Ordine Prædicatorum Presbyteri Cardinales, Stephanus Archidiaconus Burgensis Cancellarius Regis Franciæ, Guillelmus Arruffati, Arnaldus de Relignia, Raimundus Del-Got, seu de Gotho nepos Papæ, Petrus Arnaldi Bearnensis Abbas Sanctæ Crucis Burdegalensis, cui non fuerunt anni attributi in Cardinalatu, sed obiit infra annum. Item duos veteres renovando, quos olim Bonifacius Papa deposuerat, ipse reposuit in Cardinalatu, Jacobum, & Petrum de Columpna patruum, & nepotem.

Eodem anno in Kalendis Februarii Clemens Papa renovavit II. Constitutiones Bonifacii quondam Papæ, unam quam direxerat Regi, in qua scribebat eidem ipsum Regem esse subjectum Romanæ Ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus; Aliam verò quæ in VI. lib. Decretalium est inserta, quæ incipit: *Clericis Laicos &c.* Revocavit etiam omnia, quæ ex ipsis sunt secuta. Anno Domini MCCCV. mense Martii Clemens Papa confirmavit Regem Aragonum in Regno Sardiniæ, dictusque Rex juravit Papæ fidelitatem pro dicto Regno, promittens sub juramento ascendere dictam insulam in mense Septembri tunc proximo venienti; Eodemque anno mutata tamen Incarnatione, scilicet MCCCVI. Papa de Lugduno recedens, rediens Burdegalam, transiens per Bituricam, & Lemonicas, ubi fuit in Festo Sancti Georgii, & per Petragoram, seditque in Burdegala cum sua Curia illo anno.

Anno Domini MCCCVI. in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ, de mandato, & ordinatione Regis Franciæ fuerunt capti omnes Judæi ubique in Regno Franciæ quasi inperceptibiliter una die, & confiscata sunt bona ipsorum quæcumque potuerunt inveniri, fueruntque à Regno expulsi, ulteriùs minimè reversuri. Anno Domini MCCCVI. Hospitalarii cum exercitu Christianorum oppugnare cœperunt insulam Rodi cum circumadjacentibus insulis circiter V. quæ ab infidelibus Turchis inhabitabantur sub dominio Imperatoris Constantinopolitani. Ceperunt autem statim ab initio aliquas insulas, & castella. Steterunt & conflictu obsidentes pariter & obsessi annis IV. contra Turchos, & optinuerunt finaliter Christiani. Anno Domini MCCCVII. Clemens Papa cum Curia de Burdegala vadit Pictaviam magna ex parte pro tractanda & consumanda concordia inter Regem Franciæ Philippum, & Regem Angliæ Eduardum, stetitque in Pictavia Curia anno I. & ampliùs. Eodem anno, mense Julii obiit Rex Angliæ Eduardus, vir in omni probitate famosus, cui successit in Regno filius ejus nomine similiter Eduardus, qui eodem anno in sequenti mense Februarii duxit in uxorem filiam Regis Franciæ Philippi nomine Ysabellem.

Anno Domini prætaxato MCCCVII. res mira & magna nostris accidit temporibus, quæ futuris scribitur memoranda; In festo S. Eduardi Confessoris tertiò Idus Octobris feriâ VI. fuerunt capti primò Templarii ubique in Regno Franciæ ex ordinatione Regis, & Concilii inopinatè; Sanè mirantibus cunctis audientibus antiquam Templi militiam ab Ecclesia Romana nimis privilegiatam una die subitò captivari tam repentinè, exceptis paucis Secretariis & Juratis, quæ causa tandem detecta fuit & publicè infamata. Prophana videlicet professio eorumdem cum abnegatione Christi, & expuitione supra Crucem in opprobrium Crucifixi, fueruntque plures ex eis, etiam de majoribus illius Ordinis, confessi suæ nephandæ professionis ritum, tam abhominabilem, quàm execrabilem, quàm nephandum; quia antea à nemine potuerat umquam sciri; plurimi autem ipsorum confiteri minimè voluerunt, quamvis nonnullis subjecti fuerint quæstionibus, & tormentis: demum Sedes Romana, cui priùs factum incredibile videbatur, & captionem prædictam ægreferebat effecta est certior in Pictavi, ubi tunc Curia morabatur, Templariisque nonnullis perductis coram Papa, & aliquibus Cardinalibus, ibidem denuò confitentibus, & confessiones factas à se ante cognoscentibus esse veras, ipsorum confessionibus intellectis, consequenter extitit ordinatum, ut ubique Templarii caperentur, & veritas prodiret in lucem.

Eodem anno in Quadragesima subsequenti, Inquisitores hæreticæ pravitatis in partibus Lombardiæ Superioris de Ordine Prædicatorum cum Episcopo Vercellensi Cruce cum plena peccatorum Indulgentia prædicata congregaverunt exercitum magnum contra Dulcinum Novarienses hæresiarcham, imitatorem non tam veterum, quàm novorum errorum, & perversorum dogmatum inventorem, quia multos infecerat, multosque traxerat, & habebat multos discipulos & sequentes, morabaturque cum suis in montanis Novariensibus; Accidit autem quòd propter intensa frigora multi, qui erant in dictis montibus fame & frigore deficientes à viribus & à vita in suis erroribus perierunt; Ascendentes autem fideles de exercitu ceperunt ibidem Dulcinum, & cum eo circa centum quinquaginta personas, mortui verò fame, & frigore cum interfectis gladio quadringenti & ampliùs sunt inventi. Cum eodem quoque Dulcino fuit capta Margareta non tam malefica, quàm hæretica consors ejus in scelere, & errore, quæ fuisse fertur de Diœcesi Tridentina. Prædicta verò captio fuit facta in Hebdomada Sancta, in die Sancto Cœnæ, Anno Incarnationis Domini inchoato MCCCVIII. Contra prædictum Dulcinum de mandato Apostolico fuerat antea Crux cum Indulgentia prædicata, & Inquisitores pluries moverant exercitum contra ipsum, sed non poterant prævalere, quia sequaces, & fautores, ac defensores ejus multiplicati erant super numerum in partibus Lombardiæ. Tandem facta fuit debita executio justitiæ de eisdem per Curiam Sæcularem cui per sententiam, & judicium Ecclesiæ tanquam hæretici fuerant traditi, & relicti; fuitque dicta Margareta ante Dulcini oculos membratim concisa, dehinc & ipse Dulcinus membratim inciditur, & amborum ossa & membra omnia pariter comburuntur cum quibusdam aliis complicibus suis, prout eorum scelera merebantur.

(4) Lectio *Papebroch.* non habet sequentia nomina Cardinalium uti nec alia plura, quæ in nostro leguntur, ut conferenti patebit.

Digitized by Google

tur. Non tamen perversum dogma Dulcini, ipso extincto, penitùs est extinctum.

Anno Domini MCCCVIII. fuit occisus Albertus Rex Alamanniæ à nepote suo filio fratris sui, cujus causa fertur, quòd omnia dabat filiis, & de ipso parum curabat, quamvis ipse esset filius primogeniti.

Eodem anno in Festo Sancti Johannis ante Portam Latinam combusta est Ecclesia Sancti Johannis de Laterano Romæ, unde in Urbe magna lamentatio facta fuit, quasi hoc super se ipsos Divinum judicium reputantes, feceruntque Clerus, & populus processiones ad Dei misericordiam & gratiam implorandam; Hincque in Urbe sedantur discordiæ, paces fiunt, viri quoque timorati, ac mulieres devotæ Romanorum assumunt lamenti insignia pœnitentiam demonstrantes; ad reparationem verò Ecclesiæ omnes sollicitè dant operam, & mutuò se hortantur; Summusque Pontifex, his auditis, voluit, & ad reparationem manum posuit adjutricem. Anno Domini prætaxato MCCCVIII. mittuntur Nuncii & Legati à Papa Frater Ægidius de Ordine Prædicatorum Patriarcha Grandensis, & Procurator Fratrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum in Curia ad Regem (5), qui priùs ad Papam suos Nuncios destinaverat, innuens quòd volebat fidei & obedientiæ Romanæ Ecclesiæ se submittere, & subesse, & Regnum suum pertrahere ad hoc ipsum, fueruntque præfati Nuntii Papæ recepti à Rege debito cum honore, finis tamen intentùs nullus fuit, aut modicus subsecutus, quia ipse matris suæ, & fratris metu retractus penitùs nihil egit.

Eodem anno Domini prætaxato MCCCVIII. in mense Augusti Papa Clemens ad universæ Christianitatis, tam regna, quàm climata literas Apostolicas destinavit, ut ubique Templarii caperentur, & contra singulares personas illius Ordinis per Diœcesanos cum adjunctis sibi personis Religiosis sic inquisitio fieret supra articulis redditis contra (6) ipsos, & judicarentur in singulis Provinciis in Metropolitano Concilio, æqua lance. Fuerunt insuper per Papam delegati viri spectabiles & insignes in diversis partibus Christianitatis superintendentes, qui de toto Ordine inquirerent, ut posset illius Ordinis reformatio debita, vel totalis dejectio fieri in proximo futuro Concilio Generali.

Anno Domini MCCCVIII. in Festo Sanctæ Katerinæ Electores Alamanniæ convenerunt in Francheburg, & elegerunt in concordia Comitem Lucemburgensem Henricum nomine in Regem Alamanniæ, & Romanorum. Fuitque coronatus in Regem Alamanniæ Aquis-grani in Festo Epiphaniæ Domini subsequenti. Eodemque anno circa finem præcedentis mensis Augusti Clemens Papa cum Curia recesserat de Pictavi, transivitque per Burdegalesium & Agenesium, & Tholosam, fuitque Tholosæ à Festo Natalis Domini, usque ad Epiphaniam, recedensque de Tholosa declinavit ad Sedem Sancti Bertrandi Confessoris, Diœcesis, quæ dicitur Convenarum, qui in Festo Sancti Marcelli Papæ, scilicet XVII. Kal. Februarii Corpus Sacrum Beati Bertrandi Episcopi & Confessoris, cujus ipse fuit consors in nomine, & successor in Sede, de loco, in quo priùs erat, in capsam transtulit pretiosam, quam idem Papa Clemens priùs fecerat suis sumptibus fabricari. Magnam quoque concessit Indulgentiam visitantibus ibidem Sacras Confessoris Reliquias annuatim.

Anno Domini MCCCIX. In Cœna Domini, in Avinione Clemens Papa magnum processum fecit contra Venetos, eosdemque anathematizavit, & privavit consortio & commercio aliarum Civitatum, & personas, ac res ipsorum exposuit volentibus, & valentibus occupare; Omnesque Religiosos mandavit exire de Venetiis, & quibuscumque locis, aliis eorum ditioni subjectis, quòd Veneti Ferrariam Civitatem contra Ecclesiam indebitè occupaverant; Fuitque missus Legatus à Latere Domini Papæ Dominus Arnaldus de Pelagrua Diaconus Cardinalis in Italiam festinanter, & subsecuta est hominum magna strages, fuitque capta, & reparata Ferraria per Legatum in sequenti mense Augusti, in festo Sancti Augustini, non sinè multo effuso sanguine Ferrariensium, & Venetorum in prœlium juxta Padum: Captis & expulsis Venetis de Castro Tebaldi, quod conjungitur Civitati, unde ipsi Civitatem graviter expugnabant, ipsumque Castrum cum burgo, ac turri. quæ est in capite pontis, ac pontem priùs Veneti occupaverant, & tenebant; fertur autem numerus occisorum hominum quinque millia, exceptis mortibus plurimorum, quæ præcesserant, & postmodum, & alibi sunt secutæ.

Anno Domini MCCCIX. quinta die introitus Maji obiit Karolus II. Rex Siciliæ Comesque Provinciæ, filius quondam primi Karoli Regis Siciliæ, anno Regni sui, computando ab obitu patris sui. XXV. cui successit in Regno & Comitatu Robertus filius ejus, qui fuit coronatus & unctus in Regem per Clementem Papam V. apud Avinionem Dominicâ primâ sequentis Augusti, anno Domini prætaxato.

Anno quoque Domini MCCCIX. venerunt Nuncii solempnes, & Ambaxiatores Regis Alamanniæ Henrici ad Papam apud Avinionem, scilicet tres Comites, & duo Episcopi petentes confirmationem electionis. & coronationem Imperii ab ipso Papa sibi dari; Papa verò ejus electionem admisit, & confirmavit in Avinione mense Julii subsequenti, volens ipsum nominari ulteriùs Regem Alamanniæ, & Romanorum, & quòd posset agere quæ Regis (7) erant, & coronationem Imperii promisit. tempus eidem assignans, ut à Festo Purificationis ad duos annos Romam veniret coronam ibidem Imperii recepturus. Sequenti verò mense Septembris transfretat Episcopus Ruthenensis Legatus in Terram Sanctam ad partes transmarinas, cùm Magistro Hospitalis, & alia multitudine hominum copiosa, pro quodam præparatorio ad futurum passagium generale, concessâ à Papa transeuntibus Indulgentiâ plenâ peccatorum; Sed ventis in mari contrariis per sequentem hyemem cum multo personarum, & rerum incommodo & jactura fuit navigatio impedita: Pervenientes apud Brundusium multo tempore in illa vicinia substiterunt vernum tempus ad navigandum prosperum expectantes.

Eodem anno Domini MCCCIX. Idibus Septembris apud Avinionem Clemens Papa ad instantiam Regis Franciæ, & suorum in publico con-

(5) *Papebroch.* ad Regem Raciæ.
(6) *Papebroch.* per.

(7) *Papebroch.* Cæsaris.

Consistorio pronunciavit, ut liceret prosequi contra memoriam Bonifacii Papæ VIII. defuncti, quia ab eisdem jamdudum de crimine hæresis extiterat infamatus. Eodemque anno Domini MCCCIX. ultima die Januarii, circa meridiem fuit eclypsis Solis, non tamen tanta, quòd dies notabiliter fuerit obscurata, quæ priùs à plerisque futura major fuerat publicata.

Anno Domini MCCCX. fuerunt pluviæ multæ, & inundationes magnæ in partibus Tholosanis, & Albigensibus, & Carcassonensibus in toto ferè tempore verno, & æstatis, & secuta magna sterilitas bladi & vini, tantaque fuit in ipso anno subsecuta victualium caristia, quanta nulla tunc ætas meminit se vidisse, nec etiam audivisse in illis partibus, ac ferè in toto Regno Franciæ, & in multis aliis regionibus, ita quòd carto frumenti vendebatur Tholosæ XIII. libras Turonens. & quod gravius fuit, non inveniebatur bladum ad vendendum, nec panes in foro, & pauperes herbas sicut bestiæ comedebant, & de Tholosa propter inediam discesserunt.

Anno Domini MCCCX. (8) V. Idus Maji feriâ II. per Archiepiscopum Senonensem cum suis Suffraganeis in Concilio Provinciali Parisius coadunato fuerunt sententiati, & judicati ex propriis confessionibus quinquaginta quatuor Templarii, & relicti Curiæ Sæculari tanquam inpœnitentes super nephanda & prophana professione sua, & sequenti die Martis, scilicet quarto Idus Maji, in Festo Sanctorum Nerei & Achillæi fuerunt per Sæcularem Curiam Domini Regis igni traditi & combusti. Et post paucos dies fuerunt ibidem quatuor alii similiter judicati. Item paulò post infra mensem in alio Concilio Provinciali celebrato in Silvaneto per Archiepiscopum Remensem cum suis Suffraganeis fuerunt novem (9) Templarii eâdem causâ & modo consimili pariter sententiati, & consequenter per Sæcularem Curiam concremati. Unum autem mirandum fuit, quòd omnes & singuli sigillatim confessiones suas priùs fecerant in judicio, & jurati confessi fuerant dicere veritatem, penitùs retractarunt, dicentes se falsa dixisse priùs, & se fuisse mentitos, nullam super hoc reddentes causam aliam, nisi vim, vel metum tormentorum, quòd de se talia faterentur.

Anno Domini MCCCX. in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis exercitus Christianorum cum Hospitalariis optinuerunt civitatem Rodi, quæ est caput & Metropolis totius regionis, & vicinarum Insularum, & ex tunc Insula Rodi, & aliæ Insulæ circumvicinæ redactæ sunt sub potestate, & dominio Christianorum, Turchis penitùs subjugatis. Sunt autem ibi multi portus, & proinde apertus transitus Christianis in Terram Sanctam, in Achon, & in Cyprum.

Eodem anno Domini MCCCX. filius Henrici Regis Alamanniæ accepit in uxorem filiam Regis Boœmiæ, quæ erat hæres Regni; Unde & ipse factus est Rex Boœmiæ cum eadem. Eodemque anno tempore Autumpnali Henricus prædictus Rex Alamanniæ & Romanorum intravit Italiam jura Imperii percepturus, & primò venit Taurinum, deinde in civitatem Hastensem, deinde Vercellas, postea Mediolanum ubi in Epiphania Domini recepit Coronam ferream, quam eidem Archiepiscopus Mediolanensis imposuit. Quam tamen accipere debebat in Modoëtia ex more antiquo, sed ex causa hoc fecit in Mediolano, & in festo illius Coronationis fecit milites, & (10) de diversis nationibus. Deinde requirit civitates alias Lombardiæ de homagio faciendo; Cremonenses verò, & Laudenses subesse à principio noluerunt, sed paulò post non valentes resistere consenserunt; Brixienses verò diu plurimùm usque ad sanguinem & stragem hominum restiterunt, sed postmodum voluntati ejus se submiserunt & civitatem reddiderunt, de quo finaliter doluerunt.

Anno Domini MCCCX. Clemens Papa Pontificatus anno VI. in Sabbato IV. Temporum, in Adventu, scilicet XIV. Kalendas Januarii, in Avenione fecit secundam Ordinationem V. Cardinalium, fueruntque tunc assumpti in Cardinales Arnaldus de Felgueriis Archiepiscopus Arelatensis in Episcopum Sabinensem, Bertrandus de Bordis Episcopus Albiensis, & Camerarius Papæ, qui obiit intra annum sequentem mense Septembris, Arnaldus Novelli Abbas Fontis-Frigidi Cisterciensis Ordinis Vicecancellarius in Presbyteros Cardinales, Raimundus verò de Fargis nepos Papæ ex sorore, & Bernardus de Garno de Sancta Liberata nepos Papæ ex consanguinea germana in Diaconos Cardinales, qui nondum erant Subdiaconi ordinati.

Anno Domini MCCCXI IV. die exitus mensis Aprilis, scilicet V Kalendas Maji, in Avinione per Clementem Papam fuit in Consistorio publicè excusatus Philippus Rex Franciæ de his, quæ egerat contra memoriam Bonifacii quondam Papæ, & pronunciatum ad excusationem Regis, quòd ea egerat bona intentione, & bono animo, atque zelo præsentibus ibidem Regis Nunciis, & hæc fuerunt consequenter, ut dictum fuit, Bullæ Papalis testimonio confirmata.

Fuitque ibidem Clementi Papæ commissum, totum negotium, totusque processus habitus Bonifacii memorati ab utraque parte, scilicet accusante & defendente, & renunciatum atque conclusum per viam pacis tractatæ. Papa verò suscepit super se negotium examinandum, & finaliter terminandum. Item ibidem Papa Clemens absolvit Guillelmum de Negareto præsentem, & petentem absolvi à sententia excommunicationis, qua tenebatur propter Bonifacii Papæ captionem. Fueruntque sibi ibidem per Papam impositæ & injunctæ in pœnitentiam certæ peregrinationes aliquæ faciendæ Et insuper quòd in primo generali passagio transmarino transeat ipse mare, ibidem quamdiu viveret moraturus, nisi secum per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

Anno Domini MCCCXI. fuit epidimia magna ac tanta mortalitas hominum, ne dum pauperum, sed divitum subsecuta in partibus Tholosanis, & maximè in Tholosa, ac circumvicinis regionibus, quòd vix inveniebatur domus Tholosæ in qua non plangeretur defunctus, aut non doleret plangens infirmus. Fuitque etiam non modica caristia bladi & vini, sed ad aliam præcedentem non pervenit. Itaque carto frumenti VI. libras Turonenses vendebatur. Tempore verno subsequenti quoniam magna feratura, vel futura major ex communiter accidentibus verisimiliter timebatur, cœpit bladum in Quadragesima & in Paschali tempore abundantiùs inveniri, & pretium bladi viluit plusquam duplo.

Anno

(8) *Papebroch.* an. MCCCIX.
(9) *Papebroch.* viginti.

(10) *Papebroch.* Milites ducentos de diversis.

Anno Domini MCCCXI. in Kalendis Octobris fuit per Clementem Papam V. apud Viennam super Rodanum generale Prælatorum Concilium convocatum. Fuitque prima Sessio Concilii inchoata XVII. Kal. Novembris, Sabbato ante Festum Beati Lucæ, ubi Concilio residente Summus Pontifex proposuit de agendis videlicet de statu Ordinis militiæ Templi, qui de infanda professione graviter culpabatur. De passagio etiam transmarino ad recuperationem Terræ Sanctæ, ac generaliter de formatione Ecclesiasticæ libertatis, ut Prælati recogitarent super prædictis salubriter ordinandis, & circumspectione provida terminandis.

Post prædictam verò Sessionem inter colloquia & tractatus deductum est tempus per totam hyemem subsequentem. Eodemque anno in Festo Agnetis, scilicet V. Idus Februarii nata est filia primogenita nomine Johanna Ludovico Regi Navarræ primogenito filio Regis Franciæ Philippi.

Sequenti verò mense Martii feriâ IV. in hebdomada Sancta, XI. Kalendas Aprilis Summus Pontifex multis Prælatis cum Cardinalibus coram se in privato Consistorio convocatis, per provisionis potiùs quàm condempnationis viam, Ordinem Templariorum cassavit & penitùs anullavit, personis ac bonis ejusdem Ordinis ordinationi suæ & Ecclesiæ reservatis.

In sequenti verò mense Aprilis, tertia die introitus ejusdem mensis, anno Incarnationis Dominicæ jam mutato, scilicet MCCCXII. fuit secunda Sessio Concilii celebrata, in qua prædicta cassatio Ordinis Templariorum extitit per Summum Pontificem Concilio radiante (11) publicè promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo, cui negotium erat cordi, ac Domino Karolo fratre suo, & tribus liberis ejusdem Regis, scilicet Ludovico Primogenito Rege Navarræ, & Philippo & Karolo. Sicque adnichilatus est Ordo Templi. Post annos circiter CLXXXIV. quibus militaverat inpinguatus ac dilatatus nimis multis libertatibus & privilegiis Sedis Apostolicæ communitus.

Res est exempli destructa superbia Templi.

In sequenti verò mense Maji, pridie Nonas ejusdem mensis, in festo Sancti Johannis ante Portam Latinam, quod fuit in Sabbato infra Octabam Ascensionis Domini, tertia, & ultima fuit Generalis Concilii Sessio celebrata. Fuitque Concilium, quod septem fere mensibus pertractum fuerat terminatum, Anno Domini prætaxato Præsidente in Concilio Clemente Papa V. Pontificatus sui anno VII. in Vienna numerus autem Prælatorum qui fuerunt in Concilio....

In quo Concilio bona quondam Templariorum fuerunt applicata, & concessa cum certis conditionibus & pactis Ordini Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Sicut ea priùs Templarii possidebant ubique terrarum, exceptis Regnis Hispaniæ, seu Castellæ, Portugalliæ, & Aragoniæ & Majoricarum, pro eo quod propter bona, quæ in dictis Regnis habebant Templarii, tenebantur ipsi contra fronterias Sarracenorum, & Granatæ in illis partibus militare, defendere, & tueri. Sicut ibidem fuit in Concilio propositum. Verùm non diu post in præfatis Regnis bona Ordinis quondam Templi Hospitalarii, sicut & alibi similiter habuerunt. De personis verò Templariorum sic extitit ordinatum, ut quibusdam nominatim expressis dispositioni Sedis Apostolicæ reservatis, ceteri omnes judicio, & dispositioni Conciliorum Provincialium in singulis Provinciis sunt relicti, quatenus juxta diversitatem condemnationum ipsorum cum eis per eadem Concilia procedatur, ita videlicet quòd illis, qui super erroribus exigente justitia fuerunt absoluti, de bonis præfati quondam Ordinis unde juxta status sui decenciam sustentari valeant ministretur.

Circa eos autem qui de præfatis erroribus fuerunt confessi, consideratis eorum conditionibus, meritoque confessionis pensato, rigor justitiæ cum affluenti misericordia mitigetur.

Circa inpœnitentes verò & relapsos, si qui inventi fuerint, justitia aut censura canonica observetur. Quo ad illos verò, qui etiam suppositi quæstionibus sæpedictis, esse involutos erroribus negaverunt, per eadem Concilia reservaretur, & fieret quod justum foret, & æquitas Canonum suaderet, & collocarentur singuli in domibus ipsius quondam Ordinis Templi, aut in Religiosorum aliorum Monasteriis ad expensas Ordinis quondam Templi; ita tamen quòd in una domo, uno verò Monasterio multi simul nullatenus ponerentur.

Illi autem cum quibus nondum fuerat inquisitum, & qui sub potestate Ecclesiæ minimè tenebantur, & qui erant fugitivi, fuerunt citati cum edicto publico in Concilio Generali, ut præcisè & peremptoriè intra annum coram Diœcesanis suis personaliter comparerent, & secundùm Conciliorum judicium pro meritis recepturi. Qui verò infra annum minimè comparerent, ipso facto, quasi per annum sustinerent animo pertinaci, ex tunc velut hæretici dampnarentur. In prædicto quoque Concilio fuerunt multæ constitutiones editæ, inter quas fuit una quæ incipit. *Exivi de Paradiso*, super declaratione, seu interpretatione Regulæ Fratrum Minorum, super qua & ejus observatione pars una Fratrum Minorum, qui spirituales dicebantur contra alteram tumultuans, & altercans privatim, & publicè contendebat, & judicium Sedis Apostolicæ postulabat. Eodemque anno MCCCXII. tempore Concilii Philippus Rex Franciæ quintus habuit Lugdunum integraliter, data reconpensatione in redditibus Archiepiscopo Lugdunensi pro jure, quod sibi in Lugduno Ecclesia vendicabat. Super quo priùs Clemens Papa per Archiepiscopum consultus consensum non præbuit, nec dissensum, sed reliquit Archiepiscopum in manu Concilii. Ipse verò Papa tunc in Vienna Concilium celebrabat. Et sic deinceps Lugdunum ad Regem, & Regnum Franciæ pertinet tali jure.

Post celebrationem Concilii Generalis Papa cum Curia versùs Avinionem revertitur de Vienna.

Eodem anno MCCCXII. XII. Kal. Augusti obiit Bertrandus Comes Convenarum apud Buzetum in Diœcesi Tholosana, indeque delatum est corpus ejus sepeliendum in Abbatia de Bonofonte Cisterciensis Ordinis in sepulcro parentum. Eodem anno Sabbato in jejuniis IV. temporum Adventus, quod fuit X. Kalendis Januarii, apud Avinionem Clemens Papa V. fecit tertiam Ordinationem IX. Cardinalium quos assumpsit. Qui fuerunt Archiepiscopus Aquensis Guillelmus de Mandagoto, Episcopus Avinionensis Jacobus de Oza, & Berengarius Bitturensis, ac Arnaldus de Auxilio Pictaviæ Episcopus.

(11) *Papebroch.* approbante.

pus. Item Frater Guillelmus de Godino Bajonensis, Magister in Theologia, Lector Curiæ, de Ordine Prædicatorum. Et Frater Vitalis de Furno Vasatensis, Magister in Theologia de Ordine Minorum Fratrum. Item Michaël de Beto Gallicus, Decanus Sancti Quintini. Item Abbas Sancti Severii, & Guillelmus Testa Condomiensis.

Anno Domini MCCCXIII. quinta die Maji in Sabbato apud Avinionem, ubi tunc Curia residebat, fuit Frater Petrus de Morrone quondam Cœlestinus Papa V. canonizatus, & sub nomine Sancti Petri Confessoris, Sanctorum Confessorum catalogo annotatus per Clementem Papam V. Pontificatus sui anno VIII., à transitu verò præfati Sancti Petri anno XVII., & ejus Festivitas fuit instituta XIV. Kalendas Julii celebranda, qua die exiverat de hoc mundo. anno Domini MCCCXIII. in Festo Pentecostes, quæ fuit III. nonas Junii Rex Franciæ Philippus tenuit Parisius Curiam valde magnam Comitum & Baronum, & Militum Regni sui, in qua interfuit Rex Angliæ Eduardus gener ejus cum sua conjuge Ysabelle filia ejusdem Regis Franciæ Philippi.

In quo Festo idem Philippus Rex Ludovicum filium suum Primogenitum Regem Navarræ, ac alios duos filios suos Philippum, & Karolum accinxit baltheo militari. Fueruntque in dicto festo facti novi milites, & accinti circiter quadringenti, sicut fuit talis numerus divulgatus.

Item in eadem Hebdomada Pentecostes, tres præfati Reges, scilicet Philippus Franciæ, Eduardus Angliæ, & Ludovicus Navarræ, cum præfatis duobus filiis Regis Franciæ Philippo, & Karolo, ac etiam cum duobus Fratribus præfati Regis Philippi, videlicet Karolo Comite Valesii, & Ludovico Comite Ebroycensi, cum multis aliis nobilibus Regni Franciæ Crucem suscipiunt transmarinam de manu Domini Nicholai Tituli Sancti Eusebii Presbyteri Cardinalis. Qui pro prædicanda cruce, & promovendo negotio passagii transmarini per Clementem Papam ad Regnum Franciæ fuerat destinatus. Cœpitque exinde Crux pro prædicto passagio in Regno Franciæ publicè prædicari.

Anno Domini MCCCXIII. in vigilia Beati Gregorii Papæ, in die Lunæ, fuit combustus Parisius Magister Ordinis quondam Templi cum quodam alio magno ejusdem quondam Ordinis Præceptore. Qui tamen fuerunt priùs cum Peritorum, & Prælatorum Concilio judicati ad agendum aliam pœnitentiam. Sed audiens Rex Philippus, & Curiales Concilii sui, quòd dicti Templarii confessiones suas revocabant, dicentes se falsa fuisse confessos, eosdem Templarios indilatè perduci fecerunt ad locum supplicii, & comburi, nullo judicio alio Ecclesiastico super hoc expectato, quamvis essent Parisius præsentes tunc duo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales.

Anno Domini MCCCXIII. in Festo Beati Benedicti Abbatis, scilicet XII. Kalend. Aprilis, in Castro de Montiliis prope Carpentoratem, ubi tunc Curia morabatur, Clemens Papa fecit coram se in Consistorio publicari constitutiones quas priùs fecerat ordinari. Ex quibus decreverat fieri librum vnum, quem sicut vulgatum fuit, volebat S. .... (*Supplemus ex Papebrochio*) septimum Decretalium appellari, sicut fecerat sextum Bonifacius antecessor ejus. Cœpitque Clemens Papa exinde ægrotare unde post obiit XXXI. die, scilicet XII. Kalendas Maji, & sic liber ille non fuit missus ad studia generalia, ut est moris, nec expositus communiter ad habendum. Sed remanserunt constitutiones illæ sic ferè quadriennio in suspenso, donec postmodum per ejus successorem fuerunt publicatæ, & sub bulla ad studia generalia destinatæ.

Hic Clemens Papa sedit annis VIII. mensibus X. diebus XV. (12) à die creationis suæ, usque in diem sui obitus computando. Obiit autem in nocte præcedenti die Sabbati subsequentis, quæ fuit XII. Kalendas Maji, Pontificatus sui anno IX. anno Domini MCCCXIV. apud Rocamauram, quod est Castrum Regis Franciæ supra Rodanum in finibus Regni sui; fuitque inde deportatum corpus ejus ultra Rodanum extra Regnum Franciæ apud Carpentoratem civitatem, ubi Cardinales cum alia Curia residebant. Sequenti verò mense Augusti de Carpentorate transvectum fuit corpus ejus in Vasconiam Patriam suam. Fuitque sepultum sicut elegerat in Ecclesia, quæ appellatur Beatæ Mariæ de Uzesca Diœcesis Vasatensis, ubi paulò priùs Canonicos instituerat sæculares, in villula minùs insigni satis sterili, & exili. Vacavit autem Sedes annis duobus, mensibus etiam tribus diebus XVII. Defuncto Clemente Papa Cardinales numero XXIII., qui apud Carpentoratem civitatem cum alia Curia residebant, intrantes Conclave in Episcopali Palatio pro electione Summi Pontificis facienda, cùm ibidem aliquamdiu perstitissent, non valentes concordare, suborta gravi & grandi turbatione exteriùs inter familias eorumdem, ipsum Conclave circa Festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ concorditer exiverunt. Statuentes tempus infra quod redire deberent ad eumdem locum ad electionem Summi Pontificis celebrandam. Sed subortis variis quæstionibus in invicem, quæ silentio magis relinquendæ sunt quàm scribendæ, illuc minimè redierunt; sed in diversis Civitatibus, & Villis dispersi sunt. Steteruntque sic divisi loco, & proposito annis amplius quàm duobus, fueruntque tractatus plures habiti per personas medias inter eos, quorum finis tandem fuit, mediante Domino Philippo tunc Comite Pictaviæ, postmodum verò Rege Franciæ, quòd congregati sunt in Lugduno liberè recedere quando vellent, quæ tamen eisdem fuerunt minimè observata, quatinus pro majori bono Reipublicæ, quæ præfertur privatæ, compellerentur universali Ecclesiæ providere.

Anno Domini MCCCXIX. feriâ VI. in vigilia Beati Andreæ Apostoli. Sede Romana vacante obiit Philippus Rex Franciæ anno currente XXX. Regni sui in Castro de Fontebliandi, ubi natus fuerat in hunc mundum. Fuitque sepultum corpus ejus apud Sanctum Dionysium: Cor verò ipsius apud Pussiacum in Monasterium Sanctimonialium, quod ipse fundaverat dum ipse vivebat. Cui successit in Regno suo filius ejus Primogenitus Ludovicus, qui tunc erat etiam Rex Navarræ. In sequenti verò mense Aprilis anno Domini MCCCXV. inchoante obiit uxor prima Domini Ludovici Regis Franciæ filia Ducis Burgundiæ, quæ ob crimen adulterii in privata tunc custodia tenebatur.

Eodem quoque anno ultima die mensis Aprilis in quam concurrit vigilia Dominicæ Ascensionis.

(12) *Papebroch.* XVI.

Digitized by Google

sonis. Engelrandus de Marniche, miles natione Normannus, fuit ex multis contra ipsum accusationibus factis suspendio elevatus, qui tempore Domini Philippi Regis Majordomus non tam merito, quàm de facto fuerat nominatus in Regno, ita ut secundus Regulus videretur, ad cujus nutum Regni negotia gerebantur. Quos ipse volebat exaltabat, & quos volebat deprimebat, & quod volebat fieri factum erat. In modico tempore fuit similiter exaltatus & elevatus nimis, & post paululum audivimus eum tali exitu defecisse, ita quòd exemplo ejus & alterius qui præcessit Petri de Brusia, qui elapsis jam tunc annis fermè XXXVII olim tempore alterius Domini Philippi Regis avi alterius Domini Ludovici, postquam supermagnus effectus fuerat, post similem fortunæ gloriam ignominiam est perpressus. Videlicet sub anno Domini MCCLXXVIII. Discant & pertimescant, tam præsentes, quàm futuri posteri, in gradu consimiles & fortuna, sobriè, & justè, ac piè vivere in hoc sæculo, præcaventes ne casum consimilem meritò patiantur.

Eodemque anno ultima die mensis Julii præfatus Ludovicus Rex desponsavit sibi in facie Ecclesiæ in uxorem Clementiam filiam quondam Karoli Martelli, qui fuit filius primogenitus Karoli Secundi Regis Siciliæ. Sequenti verò Dominica prima Augusti in Festo Inventionis Sancti Stephani fuit inunctus in Regem Francorum Remis civitate per Archiepiscopum Remensem cum memorata Domina Clementia sponsa sua. Et inde mox processit Rex versùs Flandriam rebellantem cum exercitu magno valde, collectis viribus Regni sui, non quidem electo uno tempore opportuno, quo solent Reges ad bella procedere, sicut rei eventus postmodum comprobavit. Venitque Rex cum suo exercitu contra Castrum de Cortracto ubi castrametati fixere tentoria. Ex adverso enim erat Comes Flandriæ cum magno exercitu Flammingorum in Castro de Cortracto, & in circuitu ejus in tentoriis, præparati ad resistendum ne transirent ulterius Gallici ultra aquam fluvii, qui vocatur Lys, qui utrorumque exercitus suspectis passibus & paludibus dividebat. Descenderuntque de Cœlo pluviæ magnæ nimis, factaque sunt luta grandia, & profunda in terra illa, in quibus, & ex quibus equi & equites. totusque exercitus nimium gravabantur, nec fuit consilium ulteriùs procedendi, nec ibi diutiùs subsistendi. Unde circa finem sequentis mensis Septembris Rex cum suo exercitu inde recessit, non absque multo rerum incommodo & dedecore aliquali; Erant enim in exercitu Regis circiter XV. millia equitum armatorum. Peditum erat numerus magnus, qui non posset tunc faciliter numerari. Et nunc Reges & Principes intelligant, & erudiantur qui judicant terram sic agere, sicque disponere justum bellum, ut summopere præcaveant, ne cum exactionibus pecuniarum indebitis, & subjectorum violentiis bella parent. Quia

Non habet eventus sordida præda bonos,

& cùm bellandi causa ingruerit, tempus noverint eligere congruum ad bellandum. Eodemque anno Judæi permittuntur redire ad Regnum Franciæ pecunia mediante, à quo dudum repulsi fuerant bonis suis omnibus confiscatis. Et æstimabantur nunquam ulteriùs reversuri. Eodem anno in Festo Sanctæ Luciæ in Sabbato obiit apud Pontisaram Comes Fuxi: & Dominus de Bearnio in juvenili ætate. Fuitque sepultus Parisius in Ecclesia Fratrum Prædicatorum tres post se filios, totidem filias derelinquens. Quorum primogenitus erat septem annorum. Eodemque anno circa Natale Domini Stella Cometa apparuit, cursum suum per noctem faciens circa polum, comamque suam longam nunc versùs Orientem, & aliquando ad partes alias protendebat, duravitque usque ad finem mensis Februarii.

Paulò post apparuit secunda Stella Cometa alia in parte Orientali. Sed minor quàm alia videbatur.

Anno Domini MCCCXVI. Sabbato infra Octabam Pentecostes Nonis Julii obiit Rex Franciæ Ludovicus Regni sui anno II. Fuitque enim corpus ejus cum honore Regio in Monasterio S. Dionysii tumulatum. Unicam filiam suam relinquens ex prima uxore; secunda verò Domina Clementia remanente gravida & prægnante. Gubernacula verò utriusque Regni, Franciæ scilicet, & Navarræ, sub nomine, non Regis, sed Regentis tenenda suscepit Philippus germanus ejus Comes Pictaviensis, si puer masculus nasceretur usque quò ad intelligibilem ætatem annorum quatuordecim pervenisset. Si verò filia nasceretur ipse Philippus Rex Francorum fieret & regnaret, & duæ filiæ Ludovici haberent, & sibi dividerent Regnum Navarræ & Campaniæ Comitatum, & hæc dicuntur fuisse pacta primò inita & firmata, quamvis postmodum fuerit aliter ordinatum.

Post hoc verò XIV. die sequentis mensis Novembris, Dominica die sub nocte media præcedente, memorata Domina Clementia peperit filium suum Primogenitum Parisius, & Johannes vocatum est nomen ejus, & multi in nativitate ejus gavisi sunt; sed gaudium citò pertransiit; Nam septima die à nativitate sua infans obiit, & abiit Regnum sibi accipere sempiternum, Regnumque Francorum præfato Domino Philippo remansit.

VITA
JOANNIS PAPÆ XXII.

Ex MS. Bernardi Guidonis.

Johannes XXII. de Caturco Civitate oriundus, ex patre Arnaldo de Oza (1) fuit electus in Summum Pontificem VII. Idus Augusti, in Sabbato, anno Domini MCCCXVI. in Conventu Fratrum Prædicatorum Lugdunensi, ubi Cardinales XXIII. numero, postquam à Carpentorate Civitate ob gravem, & grandem turbationem commotam à Conclavi, quod priùs intraverant exeuntes discesserant, & dispersi in diversis Civitatibus, & Villis steterant annis ampliùs quàm duobus. Tandem congregati fuerunt pariter, & inclusi diligentia, arte, & ingenio Domini Philippi tunc Comitis Pictaviensis germani Regis Franciæ Ludovici, cui successit in Regno Francorum, qui ad hoc antea anno ferè dimidio laboraverat multis modis, cùm non potuissent in unum locum aliter congregari, & XL. die ab inclusione ipsorum. quæ facta fuit in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, ipsis tamen quòd tunc deberent includi penitùs nescientibus pariter & invitis.

Tandem tractatu præhabito in præfatum Dominum Johannem omnes pariter consenserunt. Erat.

JOANNES. (1) *Papebroch. non legit* de Oza.

Erat autem Cardinalis Episcopus Portuensis, & Jacobus vocabatur, sed Johannes exinde vocatum est nomen ejus, fuitque coronatus more Pontificum Romanorum cum honore solempni Nonis Septembris, Dominicâ primâ ejusdem mensis, Lugduni in Ecclesia Cathedrali. Sedit annis XVIII., mensibus III., diebus XXVIII. vacavit Sedes ..... Hic priùs fuit Episcopus Forojuliensis in Provincia Aquensi annis XI., & inde translatus factus fuit Episcopus Avinionensis per Clementem Papam V. anno Domini MCCCX. ac deinde assumptus fuit ad Cardinalem per eundem Clementem Papam Sabbato in jejuniis Quatuor Temporum Adventus anno Domini MCCCXII. apud Avinionem, ubi tunc Curia morabatur, & tandem ex Cardinalatu assumptus est ad Papatum. De Lugduno verò circa finem mensis Septembris Sabbato recedens pervênit Avinionem secunda die mensis Octobris in Sabbato, ubi priùs futuram Curiam publicè fecerat proclamari. Hic fecit unam Ordinationem VIII. Cardinalium, quos assumpsit apud Avinionem VI. feriâ in jejuniis Quatuor Temporum Adventus Domini, scilicet XVI. Kalend. Januarii, anno Domini MCCCXVI. (2) quorum nomina sunt quæ sequuntur Dominus B .... de Castaneto dudum Albiensis tunc verò Aniciensis Episcopus, quem fecit Episcopum Portuensem, & nihilominus Episcopatum Aniciensem tenendum commendavit eidem anno XII. Episcopatus sui tunc ferè completo.

Item Dominus Jacobus de Via de Caturco Civitate nepos Papæ ex Sorore electus tunc Avinionensis, quem fecit Presbyterum Cardinalem tituli Sanctorum Johannis & Pauli, & sibi Episcopatum Avinionensem tenendum pariter commendavit.

Item Dominus Gaucelmus Johannis de Caturco Civitate tunc Vicecancellarius Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Marcellini, & Petri.

Item Dominus Bertrandus de Pojeto de Castro-novo Raterii, Diœcesis Gaturcensis Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marcelli.

Item Dominus Bertrandus de Monte Faventio de prædicto Castro-novo Raterii Diaconus Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ in Aquiro.

Item Dominus Petrus de Reblayo Gallicus Cancellarius Regis Franciæ tituli Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis.

Item Dominus Galhardus de Mota Vasco natione Domini Clementis Papæ V. quondam ex nepte nepos Diaconus Cardinalis tituli Sanctæ Luciæ.

Item Dominus Johannes Gajetani natione Romanus de Ursinis Diaconus Cardinalis tituli Sancti Theodori.

Item Canonizavit, & Sanctorum Confessorum Cathalogo annotavit Sanctum Ludovicum Episcopum Tholosanum filium quondam Karoli Secundi Siciliæ Regis VII. Idus Aprilis apud Avinionem anno Domini MCCCXVII. (3).

Item deposuit de Pontificali ordine, ac dignitate Episcopum Caturcensem, Hugonem Geraldi, ablatis ab eodem omnibus Pontificalibus insigniis, videlicet anulo, atque mitra, & cappa cum Romana camisia & birreto. Sicque relictus primò in simplici habitu Clericali fuit adjudicatus perpetuo carceri IV. die mensis Maji apud Avinionem anno Domini MCCCXVII. Postmodum verò extitit in forma à jure tradita actualiter degradatus per Cardinalem Episcopum Tusculanum, sicque ultimò degradatus fuit traditus Curiæ sæculari, per cujus judicium fuit tractus publicè, & in aliqua parte corporis excoriatus, & demum combustus in mense Julii subsequenti, quòd, sicut dictum fuit, in mortem Summi Pontificis fuerat machinatus.

Anno Domini MCCCXVII. circa festum Sancti Johannis Baptistæ fecit Cardinalem Diaconum Sancti Eustachii Dominum Arnaldum de Via suum ex sorore nepotem loco Domini Jacobi de Via germani sui Presbyteri Cardinalis, qui quasi octava die obierat præcedenti. Eodemque anno, tam in mense Julii, quàm Augusti Cathedralem Sancti Stephani Ecclesiam Tholosanam erexit in Archiepiscopalem Sedem, primumque Archiepiscopum instituit Dominum Johannem de Convenis, quem transtulit de Magalonensi Sede in novam Metropolim Tholosanam; Episcopus verò Tholosanus sine Episcopatu remansit, cui postmodum de Regensi Episcopatu idem Dominus Papa providit, quem noluit acceptare. Diœcesim verò Tholosanam, quæ in redditibus Episcopalibus plurimùm abundabat, in sex Episcopatus divisit, quorum Episcopi essent suffraganei Archiepiscopi Tholosani, sexque Villas in novas civitates erexit; videlicet Villam Montis Albani, Villam de Rivis, Villam & Abbatiam de Lomberiis, Villam de Sancto Papulo, Villam de Nauro, (4) Villam de Mirapisce, Episcopos ac Episcopales Sedes constituens in singulis earundem, fueruntque consequenter jussu & ordinatione Summi Pontificis Diœceses certis terminis limitatæ.

Item in Archiepiscopatu Narbonense duos Episcopatus fieri ordinavit, quorum primum & priùs posuit in limoso, & Episcopum instituit in eodem; sed paulò post Sedem inde transtulit ad Abbatiam de Electo. Secundò verò Episcopatum instituit infra annum, & Sedem ejus posuit in Abbatia Sancti Pontii, fueruntque limitatæ Diœceses consequenter.

Item Episcopatum Albiensem divisit in duos, Episcopalem Sedem instituens in Abbatia Monachorum apud Castras, Villam Castrensem in novam erigens civitatem.

Item Episcopatum Agenensem divisit in duos, Villamque Condomiensem in novam erigens civitatem, Episcopalem Sedem posuit in Abbatia Sancti Petri de Condomio, fuitque consequenter Diœcesis limitata.

Item in Episcopatu Lemonicensi alium fieri ordinavit, Episcopumque & Sedem Episcopalem constituit in Abbatia Tutellensi, novam ibidem erigens civitatem.

Item in Episcopatu Petragoricensi in Villa de Sarlato modo consimili novam erigens civitatem, in Abbatia instituit novam Sedem.

Item in Episcopatu Claromontensi in Villa Sancti Flori novam erigens civitatem, consimiliter instituit novam Sedem.

Item

(2) *Nomina Cardinalium, & alia plura, ut in antecedentibus aliis Vitis Pontif. non leguntur in Cod. Papebroch.*

(3) *Papebroch. addit intra clausulas*, [quia ejus fuit magister ex continua conversatione cum eo de ipsius sanctitate certior; puta quòd ejus gesta & acta vir subtilis, & indagans, & oculis vidit, & experientiæ manu contrectavit.]

(4) *Papebroch.* Vabro.

Digitized by Google

Item in Episcopatu Ruthenensi, Episcopatum alium ordinavit, Sedemque ejus posuit in Abbatia ac Villa de Vabrio, eamdem in novam erigens civitatem.

Item in Episcopatu Pictavensi duos Episcopatus alios instituit, Sedem propriam & Dioecesim novam cuilibet designando. In Abbatia siquidem de Mallesio Sedem esse constituit, & Malleacensis Dioecesis appellatur. In Villa verò de Luciomo in Abbatia Sedem posuit, & inde Lucionensis Dioecesis nominatur.

Item in nonnullis Villis de Tholosano & Carcassesio (5) & alibi fecit, & instituit Collegiatas Ecclesias Canonicorum Secularium, cum dignitatibus & præbendis congruis, redditibus singulis Ecclesiis assignatis.

In Monte Albano Collegiatam Ecclesiam instituit, cui præesset Decanus, & tam ipse, quàm Canonici ejusdem Ecclesiæ, unà cum Monachis Abbatiæ ad electionem faciendam de Episcopo convenirent.

Item in Castro novo de Arrio Collegiatam Ecclesiam instituit, quæ Decanum haberet, & tam ipse, quàm Canonici ejusdem Ecclesiæ, unà cum Monachis Sancti Papuli concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam.

Item in Villa de Burlato Albigesii Collegiatam Ecclesiam instituit pari modo cum Canonicis & Decano. Jusque eligendi Episcopum Castrensem unà cum Monachis eisdem contulit & concessit.

Item in Villa Sancti Felicis Dioecesis Tholosanæ Collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano & Canonicis cum præbendis.

Item in Villa de Insula Jordani Collegiatam Ecclesiam instituit quòd Decanum haberet & Canonicos cum præbendis.

Item in Villa Montis Regalis Carcassonensis Dioecesis Collegiatam Ecclesiam ordinavit cum Decano & Canonicis, & præbendis.

Item in Ecclesia Sancti Pauli de Fenelhedesio Dioecesis Electensis instituit Collegiatam Ecclesiam cum Decano & Canonicis, & præbendis. Jusque eligendi Electensem Episcopum, unà cum Monachis de Electo eos habere voluit & decrevit.

Item Pontificatus sui anno II. sub anno Domini MCCCXVII. edidit declarationem rationabilem, cujus tenor incipit: *Sedes Apostolica* ad dubitationis scrupulum amovendum quid censendum & tenendum, quoad beneficia vacantia per literas Apostolicas impetrata, in memoratis Dioecesibus priùs integris, & post subdivisis, ac etiam quoad literas Apostolicas justitiam continentes in eisdem Dioecesibus impetratas.

Item edidit salubre statutum, cujus tenor incipit. *Suscepti regiminis &c.* Circa perceptionem fructuum primi vel secundi, aut ulteriùs cujuscumque sequentis anni beneficiorum vacantium rationabili libero moderamine dividendam inter illos, quibus dudum de consuetudine privilegio, vel statuto applicabantur in totum, & illos, qui beneficia ipsa optinent, ad quos aliàs de jure fructus ipsi spectare deberent, ut tam hi, quàm illi in fructuum prædictorum perceptione participent, & Ecclesiæ debitis servitiis non fraudentur.

Item edidit Sacram Constitutionem, cujus tenor incipit. *Execrabilis quorumdam* contra execrabilem abusum habendi ab uno in diversis Ecclesiis plures dignitates, personatus, officia, seu Prioratus, aut diversa beneficia Ecclesiastica curam habentia animarum, per quam talium ambitio cupida & insatiabilis debito moderamine regulatur, & effrenata multitudo, Statuto salubri edito, refrenatur.

Item anno Domini MCCCXVII. mense Novembri fecit publicari, & sub Bulla sua ad generalia studia destinari Constitutiones, quas Dominus Clemens Papa Prædecessor ejus fecerat, tam in Viennensi Concilio, quàm ante & post, quæ nondum fuerant ad generalia studia destinatæ, sed usque tunc steterant in suspenso.

Anno Domini MCCCXVII. Johannes Papa XXII. post gravem dissensionem & turbationem subortam in ordine Grandimontensi, ipsum antiquum Ordinem reformando, in aliquibus prout sequitur innovavit. Ordinavit siquidem & statuit ut ipsa Domus Grandimontis, quæ totius Ordinis noscitur esse caput, Prioris atque Prioratus nomine à sui initio regebatur, deinceps Abbatis & Abbatiæ titulo & vocabulo censeatur, & Abbatis electio pertineat ad Conventum. De reliquis verò domibus totius Ordinis, quæ in diversis partibus & regionibus plures erant, sic extitit ordinatum, ut XXXIX. Prioratus Collegiati in locis, seu domibus potioribus fierent, & facti sunt ex eisdem. In quorum singulis eligerentur Priores singuli à Collegio, & ad Abbatem Grandimontensem tanquam ad Superiorem suum eorum confirmatio pertineret. Reliquæ verò domus fuerunt unitæ singulis Prioratibus, & subjectæ, nonnullis tamen Abbati & Abbatiæ Grandimontensi sine medio reservatis.

Item tribus Visitatoribus Ordinis ab antiquo institutis unum superaddidit, & quatuor esse deinceps statuit & decrevit. Hæc autem cum quibusdam aliis circa dictum Ordinem ad ejus reformationem rationabiliter sunt provisa, ut obviaretur frequentibus scandalis, & in distribuendis domibus & instituendis Rectoribus, earumdem maturitas gravior, & major æqualitas servaretur, & voluntatum partialitas vitaretur, quando non per unius hominis voluntatem, sicut priùs, sed per communem electionem plurium canonicè fieret provisio de personis, & in beneficiorum distributione personarum merita pensarentur, & vigeret ampliùs correctio in Ordine, tam in capite, quàm in membris, ubi plures essent oculi vigilantes.

Acta sunt hæc anno Domini prætaxato Pontificatus verò memorati Domini Johannis Papæ anno II. Elapsis jam tunc temporis annis ducentis quadraginta ab exordio Ordinis computando, quo Beatus Stephanus primus ejus Institutor & Fundator primùm advênit ad heremum de Mureto, quod quidem fuit anno Domini MLXXVI. sicut in gestis ejusdem pleniùs scribitur & habetur.

Anno Domini MCCCXVIII. In mense Augusti Dominus Johannes Papa Archiepiscopatum Terraconensem unicum tunc in Regno Aragoniæ divisit, & constituit esse duos, Episcopalem Sedem Cæsar-Augustanam in Archiepiscopalem erigens, pro secundo verò suffraganeis Episcopis designatis ex illis XI. quos priùs Terraconensis Metropolis optinebat, VI. sibi tantum suffraganeis reservatis.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCXIX. pridie Idus Martii idem Dominus Papa Pontificatus sui anno tertio de Fratrum Consilio constituit

(5) *Papebroch. addit* Albigesio.

stituit novum Ordinem militum, qui dicerentur de militia Jesu Christi in Regnis Portugalliæ & Algarbii ad resistendum in illis partibus Sarracenis pro defensione fidei & Christianorum. (6) Cujus Ordinis Capitulum, seu domum principalem esse constituit in Castro Marino Silvensis Diœcesis, concessitque & donavit Dominus Papa militibus dicti Ordinis bona omnia cum pleno jure, quæ fuerunt Ordinis quondam Templi in prædictis Regnis, accedente ad præmissa beneplacito & consensu Regis Portugalliæ & Algarbii, qui prædictum Castrum eidem Ordini munificentiâ Regiâ contulit & concessit, Sede Apostolica confirmante. Ordo verò prædictus debet vivere & militare Domino pro defensione Fidei, & infidelium inpugnatione secundùm Regulam & Instituta Ordinis Calatravensis, & quatenus opus fuerit debet visitari & corrigi, & reformari, tam in capite, quàm in membris per Abbatem Monasterii de Alcobacia Cisterciensis, Diœcesis Ulixbonensis. De præmissis verò, & de forma juramenti præstandi pro tempore Regi Portugalliæ per Magistrum ejusdem Ordinis, necnon Abbati præfato nomine Romanæ Ecclesiæ. ac etiam de aliis conditionibus & circunstantiis appositis & servandis, in literis Apostolicis inde confectis seriosiùs, ac pleniùs continetur. Actum Avinioni ad perpetuam rei memoriam.

Item anno Domini MCCCXIX. æstatis tempore veterem Abbatiam Montis-Casini Sancti Benedicti Abbatis in novam Episcopalem Sedem erexit eidem de primo Episcopo suo tempore provisurus.

Item anno Domini MCCCXX. XV. Kal. (7) Maji apud Avinionem canonizavit & Sanctorum Confessorum catalogo annotavit cum solempnitate in ejusmodi consueta Sanctum Thomam Episcopum Herfordensem, à transitu ejus XXXVIII. Qui fuit vir nobilis genere, nobiliorque vita. & præditus scientia & doctrina, Doctor in Decretis, & Magister in Theologia facultate, cujus præclara & ingentia merita, ingens fama tam virtutum præcedentium, quàm sequentium miraculorum longè lateque declarat, non solùm in beneficiis & remediis sanitatum, verùm etiam in pluribus mortuis ejus meritis suscitatis. In quibus mirificavit Dominus Sanctum suum, & colendum exhibuit universis.

Item Eodem anno in mense Maji fuit pax & concordia reformata pariter & firmata Parisius inter Regem Franciæ Philippum ex parte una, & Robertum Seniorem Comitem, ac Comitatus Flandriæ ex altera. Dictusque Comes Flandriæ Regi homagium personaliter fidelitatemque promisit ut Domino, & Communitates Villarum per Procuratores idoneos cum sufficienti mandato homagium fidelitatem & Regi similiter promiserunt, pactis & conditionibus hinc inde habitis, quæ in forma pacis pleniùs continentur. Interveniente pro majori fœdere matrimonio filiæ Regis, nomine Margaretæ, vix octennis cum Ludovico filio primogenito Ludovici Comitis Nivernensis, filii primogeniti præfati Roberti Comitis Flandriæ Senioris, in sequenti mense Julii Parisius nuptiis solempniter celebratis. In pactis inter cætera hoc adjecto quòd præfatus Ludovicus filius primogenitus Ludovici Comitis Nivernensis debebat succedere in Flandriæ Comitatu. Guerra autem inter partes prædictas antea excanduerat annis ampliùs quàm XX. cum multis dampnis, & jacturis rerum & corporum hinc inde illatis, & cum multa infusione humani sanguinis in bellis & prœliis. Multi quoque tractatus & colloquia, & interdum treugæ præcesserunt, quorum omnium finis extitit pax, ut præmittitur, reformata, cooperante ad hoc sollicitudine diligenti ac labore, & ministerio Domini Gancelini Johannis (8) Presbyteri Cardinalis ad partes illas per Dominum Johannem Papam XXII. hac de causa specialiter destinati. Anno Verbi Incarnati MCCCXX. nova quædam pestis in Regno Franciæ est exorta, cui consimiliter reperitur in chronicis elapsis jam annis LXX. aliàs contigisse. Quæ ideò futuris temporibus scribitur memoranda, ut ex eventu præteritorum malorum pericula similia à posteris evitentur, & dum oriri cœperint, in suo mox ortu eis obiciatur, & per Principum & Præsidentium, tam providentiam quàm potentiam conprimantur. Subitò siquidem insurrexit quædam congregatio hominum simplicium promiscui sexus, qui se Pastorellos vocare cœperunt, confingentes se zelum habere, & animum transfretandi ad recuperandam Terram Sanctam, nullum habentes super se Ducem, aut Principem, nec aliquem navigii apparatum. Crescebantque numero, & multiplicabantur cotidie paulatim, addebanturque ad eos inopes, & aliàs vagi viri & mulieres velamen quærentes militiæ libertatem. Euntesque ibant de loco ad locum petentes sibi præstari subsidium sub specie pietatis, arte & genere mendicandi, & dabantur eis victualia abundanter. Insonuitque rumor eorum in toto Regno Franciæ, & alibi extra Regnum, quibus fauor populi non modicum præbuit incentivum, non dijudicans, neque prævidens pericula in futurum, dicentibus simplicibus rem à Deo fieri, ut per eos excitaretur, & promoveretur fieri generale passagium transmarinum. Videntes autem Pastorelli turbam suam crescere cotidie & augeri, ausi sunt temeraria aggredi, fueruntque inter eos nonnulli in malitia & astutia actores, & ut eorum favor ampliùs cresceret in populo, & zelus aliqualiter appareret, communem fecerunt vocem ut omnes Judæi, ubicumque reperirentur, qui nollent baptizari, interficerentur ab eis, nullo alio judicio præeunte, quod & opere impleverunt. Perquirentesque Judæos in civitatibus castris & villis, & nolentes baptizari, absque omni judicio trucidabant, bona eorum diripientes, & suis usibus applicantes. Factaque est strages Judæorum grandis ab eis in Regno Franciæ, & specialiter in Provincia Burdegalensi, & in partibus Vasconiæ, & in Provincia Tholosana, & in Diœcesibus Caturcensi & Albiensi; crevitque tantum in pejus eorum numerus & dementia, quòd ipsis Communitatibus & Præsidentibus in eisdem, & Principibus, & Prælatis, ac divitibus timorem sui nominis, & formidinem incusserunt, Castrumque Verduni Regis in Diœcesi Tholosana, in quo Judæi confugerant, ut eos inde extraherent, obsederunt, & in ipsa Civitate Tholosana suam vesaniam conjuncto & favente vulgò exercentes Judæos una die subitò trucidarunt; Regalis Curiæ & Consulum potentia non obstante. In ipsa quoque Civitate Parisiensi priùs signa sua dementiæ erigentes Preposito Parisiensi & Serventibus Regalis Curiæ publicè restiterunt, nec ab incœptis ausi-

(6) *Papeb. addit* prout faciunt in partibus Rhodi m[illegible] lites de Hospitali S. Joannis Hierosolymit[illegible]

(7) *Papebroch.* Kal.

(8) *Papebroch.* D. Anselmi Presb.

ausibus destiterunt, sicque proficientes impunes, videntes nomen suum esse majoribus ad terrorem, & favorem sibi à pluribus etiam personis gravibus exhiberi ampliùs in malitia gloriantes, & mala malis accumulantes, quamplures profugi & latrunculi additi sunt ad eos, & facta est turba turbans pariter & turbata, ita ut auderent invadere & prædari. Cœperunt autem vix tandem Præsidentes, & Rectores Comunitatū, Villarum, & locorum eis vias præcludere, & obsistere, & (9) munire. Et ubi prudentia & potentia majorum de populo obstitisset, procedebant versùs Romanam Ecclesiam apud Avinionem, ubi eorum fama per infamiam ad ipsum Dominum Papam & Cardinales advenerat, & à Prælatis, & à majoribus eorum insania plurimum timebatur, quia ubicumque venirent, habebant fautores plurimos, qui rem à Deo fieri credebant, aut se credere simulabant. Fuit detectum postmodum per nonnullos ex eis, quòd in Clerum & Religiosos habentes divitias insurgere. & eorum bona diripere disponebant. Sed præclusa est via eorum malitiæ ipso anno tempore autumpnali; nec potuerunt ultra Carcassonam progredi. Ubi capti fuerunt plurimi, & suspendio elevati. Et deinde in Tholosano territorio plures capti sunt & suspensi, & sic dissipati sunt, nec conpuncti, & quasi in momento tanquam cucurbita exorti sunt, sed ad solis radios arente radice subitò aruerunt, & tanquam fumus evanuerunt.

Anno Domini MCCCXX. XIV. Kal. Januarii feria VI. in jejuniis Quatuor Temporum, in Adventu Domini, fecit Ordinationem unam septem Cardinalium, quos assumpsit, quibus postmodum singulis singulos titulos assignavit, videlicet Dominum Reginaldum la Porta Lemonicensis Diœcesis Archiepiscopum Bituricensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis Sanctorum Nerei, & Achillæi. Dominum Fratrem Bertrandum de Turre de Cambolico Diœcesis Gaturcensis, de Ordine Fratrum Minorum, Magistrum in Theologia, Archiepiscopum Salernitanum, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis Sancti Vitalis. Dominum Petrum de Prato Diœcesis Caturcensis Archiepiscopum Aquensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis Sanctæ Potentianæ. Dominum Symonem de Arthiaco Diœcesis Sactonensis, electum Viennensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis Sanctæ Priscæ. Dominum Pilumfortem de Rapistagno de Sancto Georgio prope Tarnum Diœcesis Albiensis, Episcopum Rivensem, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis Sanctæ Anastasiæ. Dominum Petrum Textoris de Sancto Antonino Diœcesis Ruthenensis, Vicecancellarium Curiæ Romanæ, cui datus est titulus Presbyteri Cardinalis Sancti Stephani Cæliomonte. Dominum Raimundum Ruffi de Caturco Civitate, cui datus est titulus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ de Ni cosmedim.

Anno Domini MCCCXXI. agente actore & amatore salutis humanæ, fuit detecta ac deprehensa concepta nequitia Leprosorum contra sanos in Regno Franciæ.

Machinantes siquidem in salutem populi, malesani corpore, & insani mente disposuerant, ut aquas fluminum & fontium, atque puteorum ubique inficerent appositis venenosis & infectis, atque inficientibus confectis pulveribus in eisdem, ut homines sani bibentes ex eis, ac utentes eisdem aquis verè infectis, efficerentur leprosi atque morbidi, aut penitùs necarentur, sicque leprosorum numerus augeretur, & sani deficerent. Et quod dictu incredibile videbatur, in villarum & castrorum dominium aspirabant. Jamque inter se diviserant locorum dominationes, & sibi imposuerant nomina Potestatum, Comitum, & Baronum in diversis terris, si id, quod conceperant, eveniret. Fueruntque capti & deprehensi quamplures in malitia & nequitia, & confessi de se & de aliis detexerunt conciliabula, & conventicula, quæ priùs habuerant in diversis locis, annis quasi duobus. In quibus Præceptores, seu Commendatores, seu Ordinatores eorum, qui majores erant inter eos, fecerant, congregationes, quas sua vocabant Capitula ad tractandum. Sed misertus est populi sui Deus, & veritate comperta fuerunt combusti publicè in diversis civitatibus, atque villis & castris & territoriis, quotquot reperti fuerunt culpabiles, & complices nequissimæ factionis. In plerisque autem locis in detestationem horrendi facinoris leprosi ipsi viri, & mulieres in domibus suis conclusi cum omnibus rebus suis fuerunt ignibus appositis à populo absque alio judicio concremati. Tandem verò maturiori consideratione & consultatione præhabita, reliqui omnes & singuli, qui superstites remanserunt, & non fuerunt inventi culpabiles, provida circunspectione in futurum inclusi sunt & reclusi in locis, ex quibus nunquam egrederentur, sed ibi degerent, & tabescerent perpetuò, ne possent nocere nec multiplicari, viris à mulieribus penitùs separatis.

Anno Domini MCCCXXII. mense Augusti apud Avinionem Dominus Johannes Papa suspendit sententiam excommunicationis, ac pœnas alias dudum latas per Dominum Nicholaum Papam III contra quoscumque glossantes, vel aliter exponentes nisi grammaticaliter per ipsum editam supra Regulam Fratrum Minorum, quæ constitutio incipit. *Exiit qui seminat*, extra de verb. signif. lib. 6. ac contra determinantes in scholis, seu prædicantes, aut docentes contra contenta in constitutione prædicta.

Anno Domini MCCCXXIII. XVI. Kal. Augusti Dominus Johannes Papa XXII. apud Avinionem in consistorio, ut est moris, cum sollempnitate debita canonizavit, & Sanctorum Confessorum ascripsit catalogo Sanctum Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum à felici ejus transitu de hoc mundo quinquagesimo decurrente, de vita ejus & miraculis inquisitione duplici præmissa diligenti. Hic siquidem Sanctus Thomas Doctor Egregius nobilibus ortus natalibus de domo & illustri prosapia Comitum Aquinorum traxit originem, puerque nobilis genere, & animi virtute, Virgo, electus à Domino apud Neapolim, missus, deditusque studio scholasticę disciplinæ, magno pollens ingenio, supra omnes coætaneos suos proficiens, intra annos pubertatis existens, habitum Ordinis Fratrum Prædicatorum suscepit; & in eo de regularis professionis emisso voto in brevi tempore, vita, & scientia, & moribus sic profecit, quòd adhuc ætate juvenis ad Theologiæ magisterium Parisius promotus extitit, ibique multis annis in magno honore, & profectu scientiæ, & doctrinæ cathedram tenuit magistralem, clarus in fama & doctrina, & sanctitate vitæ, cujus scripta,

(9) *Papeb*. & fortalitia contra eos claudere, & munire.

scripta & opera testimonium perhibent veritati. Hic propter ejus eminentem scientiam vocatus à Gregorio Papa X. ad generale Concilium Lugdunense, veniens de Neapoli, ubi famosè legebat ut Doctor, cùm pervenisset ad Monasterium Fossæ novæ Ordinis Cisterciensis, Terracinensis Diœcesis, in Campania, ibidem susceptis cum devotione, & fide mirabili Ecclesiæ Sacramentis, in Domino obdormivit, virgo mente & corpore, clarus opere, & doctrina. Ob cujus sanctitatis præconium, & virginitatis titulum declarandum, post ejus obitum, elapsis septem mensibus una vice, & iterum elapso septennio vice altera, ac tertiò annis circiter XIV. evolutis, in apertura sepulchri ejus, diversis ex causis per vices temporum sæpius patefacti, singulis videlicet vicibus ex ejus sacro corpore odor magnus & suavissimus emanavit, qui locum replens mirificè fundebatur, & omnem fragrantiam aromatum superabat. Multisque aliis miraculis in vita claruit, & post mortem.

Item eodem anno pridiè Idus Novembris, concertationi quorundam asserentium, quòd Christus & ejus Apostoli nihil habuerint in speciali, vel etiam in communi, finem imponens, ad perpetuam rei memoriam perpetuo declaravit edicto, quòd inposterum pertinaciter affirmare Christum & ejus Apostolos nihil habuisse in speciali, nec etiam in communi, hæreticum sit censendum, assertionemque hujus pertinacem deinceps esse erroneam, & hæreticam definivit, cùm Scripturæ Sacræ contradicat, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse testatur.

Item pertinaciter affirmare quòd Christo ejusque Apostolis in hiis, quæ ipsos habuisse Scriptura Sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi, seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, deinceps fore erroneum & hæreticum declaravit, cùm Scriptura Sacra testetur ipsos præmissa fecisse, seu facere potuisse supponat expressè, cùm talis assertio usum ipsorum evidenter includat in præmissis fuisse non justum, quod utique de Salvatore nostro sentire nephas est, & Scripturæ Sacræ contrarium, & Doctrinæ Catholicæ inimicum, prædictamque declarationem & definitionem sub Bulla ad omnia studia generalia destinavit.

Anno Domini MCCCXXV. Sabbato post Quadragesimæ, quod fuit VI. Idus Februarii, Dominus Johannes Papa XXII. reprobavit & sententialiter condemnavit in publico Consistorio, assistentibus Cardinalibus & Prælatis, Magistris in Theologia, & Doctoribus utriusque juris quamdam pestiferam postillam, quam Frater Petrus Johannes olim Ordinis Fratrum Minorum de Serinhano (10) Diœcesis Biterensis fecerat super librum Apocalypsis Beati Johannis, tanquam continentem pestiferum & hæreticum dogma contra unitatem Ecclesiæ Catholicæ, & potestatem Summi Pontificis Romani, & Apostolicæ Sedis; continebat etiam plures articulos erroneos & hæreticos, ex qua postilla sumebat originem & fomentum Secta quædam pestifera illorum, qui Beguini sunt vulgariter appellati, qui se Fratres pauperes de Tertio Ordine Sancti Francisci communiter nominabant: ex quibus quamplures fuerant per judicium Prælatorum & Inquisitorum hæreticæ pravitatis tanquam hæretici condempnati & relicti judicio Curiæ Sæcularis, & combusti in diversis locis in provincia Narbona, & ultra Rhodanum, & in aliquibus partibus Tholosanis.

Hic Dominus Summus Pontifex, Pontificatus sui anno XII. Dominicæ Incarnationis anno MCCCXXVII. feriâ VI. in jejuniis Quatuor Temporum Adventus, videlicet XV. Kal. Januarii fecit tertiam Ordinationem X. Cardinalium, quos assumpsit, videlicet Johannem de Convenis Archiepiscopum Tholosanum, Anibaldum de Chicano nobilem de provincia Campaniæ Archiepiscopum Neapolitanum, Jacobum Cisterciensis Ordinis Magistrum in Theologia Episcopum Mirapiscensem, Raimundum Rutenensis Diœcesis Episcopum Sancti Pabuli, Petrum de Mortuomari Lemonicensis Diœcesis Episcopum Antisiodorensem, Petrum de Capis Episcopum Carnotensem, Fratrem Matthæum de Ursinis Romanum de Ordine Prædicatorum Magistrum in Theologia Archiepiscopum Sipontinum, Petrum de Toleto Hispanum Episcopum Cartaginis vel Murciæ, Johannem de Columpna Romanum, Umbertum de Puteo de Montepesulano.

Hic Summus Pontifex plures Constitutiones edidit utiles & salubres. Hic quoque contra Ludovicum Ducem Bavariæ, qui se pro Imperatore gerebat multos fecit processus per temporum debita intervalla, qui non duxit comparendum, sed pravo usus malorum consilio contra Summum Pontificem Vicarium Domini Jesu Christi, & contra Ecclesiæ unitatem & Apostolicam Sedem multipliciter & barbaricè se erexit, & quemdam Pseudo-Antipapam Romæ fieri fecit, dictum Fratrem de Corbario Ordinis Fratrum Minorum. Anno Domini MCCCXXVIII. qui scindere nisus est, & adhuc hodie nititur Ecclesiæ unitatem, & Tunicam inconsutilem Domini Jesu Christi, utpote membrum Antichristi, & quoniam debacchatur in pejus, & nondum venit finis malorum ipsorum in præsenti, scilicet inchoante jam anno Domini MCCCXXIX., latiùs scribere distulimus longiorem narrationis seriem suo post tempore scribendorum.

Item anno Domini MCCCXXI. feriâ VI. infra Octabas Pentecostes, videlicet IX. Kal. Junii præfatus Johannes Papa fecit Cardinalem Dominum Thalayrandum Episcopum Antisiodorensem, Fratrem Comitis Petragoricensis. Et nullum alium ista vice.

(10) *Papebroch.* de Serviliaco.

Hucusque Chronicon Pontificum Romanorum Bernardi Guidonis.

F I N I S.

NOMINA
PONTIFICUM ROMM.
QUORUM VITÆ
IN HOC TOMO CONTINENTUR.
Ordine Alphabetico dispoſita.

INDEX

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo III.
RERUM ITALICARUM.

A

Ro-

Digitized by Google

Digitized by Google

B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D

E

Digitized by Google

F

Diem

Digitized by Google

Digitized by Google

H

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M

Digitized by Google

N

Digitized by Google

Ejus

De-

Digitized by Google

R

Digitized by Google

S

San-

Digitized by Google

V

Tum

Digitized by Google

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z173653004
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google